


BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XII
F
22
NAPOLI

SPECVLVM
TOTIUS HOMINIS CHRISTIANI:
SIVE
TRIBVNALIS
SACRAMENTALIS &c.
TOMUS TERTIUS.

AVCTORE

R. P. F. PETRO MARCHANT,

Ordinis S. Francisci per Germaniam & Belgium Commissario Generali, & S. Theologiæ Lectore emerito.

TRIBVS PARTIBVS DISTINCTVM HOC SPECVLVM PRODIT,

Quarum { 1. HIERARCHIAM ECCLESIASTICAM, 2. STATVM RELIGIOSVM, 3. POLITICVM & CIVILEM, } Complectitur.

EDITIO TERTIA.

Ab auctore quondam aucta; nunc benè revisa, cum novis ac copiosis tùm rerum & verborum, tùm etiam sacræ Scripturæ indicibus.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Apud IOANNEM WILHELMVM FRIESSEM juniorem.
ANNO M. DC. LXXII.

OPUS ABSOLUTISSIMUM

Omnium { STATVVM, OFFICIORVM, GRADVVM,

In Ecclesia Dei { NATVRAM, OBLIGATIONES, PECCATA,

Ex { SCRIPTVRIS, PATRIBVS & CONCILIIS, VISCERIBVS REI, } Explicans.

FACULTAS & APPROBATIO
R.^mi P. Vicarij Generalis totius Ordinis Seraphici S. P. N. Francisci.

Fr. Daniel à Donco totius Ordinis Minorum S. P. Francisci Vicarius Generalis, & Servus; dilecto nobis in Christo Patri F. Petro Marchant ejusdem Ordinis Theologo, Lectori Jubilato & Concionatori, ac in nostris Provincijs Germaniæ, Belgij &c. Commissario Generali, salutem in Domino.

Cùm juxta Apostolicas, ac Ordinis nostri constitutiones revisum & approbatum fuerit quoddam opus à te compositum, cuius Titulus est: *Speculum totius hominis Christiani*, seu *Tribunalis Sacramentalis ac visibilis animarum in hac vita mortali Tomus tertius*: tenore præsentium cum salutaris obedientiæ merito facultatem tibi concedimus, & facimus, quatenus servatis servandis illud typis mandare possis. Datum Romæ in nostro celeberrimo Aracælitano cœnobio hac die 29. Decembris anni magni Jubilæi. 1649.

F. Daniel à Donco
Vicarius Generalis.

APPROBATIO CENSORIS ORDINARII.

Tomus hic tertius *Tribunalis Sacramentalis ac visibilis animarum in hac vita mortali*, auctore R. P. F. Petro Marchant, Ordinis S. Francisci Strictioris Observantiæ, per Germaniam & Belgium Commissario Generali, omnium statuum in Ecclesia Dei naturam & obligationes ex scripturis sacris, Conciliis, Patribus, ac visceribus rei à suis fundamentis, & clara resolutione, & mira eruditione explicat; ita ut non immeritò titulum hunc præferat: *Speculum totius hominis Christiani*, utpote & in quo Ecclesiasticus omnis, religiosus & politicus videre habet & audire: *Deum time, & mandata eius observa: hoc est omnis homo*, Ecclesiastæ cap. 12. Quare ut tale dignissimum censeo ut lucem, prælo duce, aspiciat. Datum Gandavi 6. Martii. 1649.

Nicolaus Breydel *S. Theologiæ Licentiatus, Ecclesiæ Cathedralis S. Bavonis Canonicus & Cantor, Librorum Censor.*

APPROBATIO
Censorum Ordinis.

INfrascriptus legi accuratè hunc tertium Tomum *Tribunalis Sacramentalis & visibilis animarum* &c. editum à R. Patre N. F. Petro Marchant *super Provincias Germania, Belgij, ac annexas, Ordinis Fratrum Minorum tam regularis quam strictioris Observantia Commissario Generali*, & in eo nihil reperi quod fidei Catholicæ ac bonis moribus adversetur; immò Author qua solet ingenii perspicacia, & judicii acrimonia, ex ipso naturæ institutæ sinu, intimis sacræ scripturæ recessibus, Sanctorum Patrum, Conciliorum & Decretorum promptuariis veritatem eorum, quæ cuilibet Christiano in quolibet statu ad Christianæ justitiæ officia (nimirum fugam mali, & prosecutionem boni) necessaria & utilia sunt, eruens, & ob oculos ponens, naturæ nostræ corruptæ infirmitatem sacræ doctrinæ soliditate firmat, ignorantiam claritate fugat; ut homo Christianus intelligens justitiam, æquitatem & omnem semitam bonam, ab omni via mala prohibeat pedes suos, & proinde etiam illam, quæ ob falsarum & periculosarum opinionum blandientem & lenocinantem fucum videtur justa (novissima autem eius ducunt mortem) devitet, ductus per semitas æquitatis non habeat offendiculum, sed ab aurora baptismatis semita eius quasi lux splendens procedat, & crescat usque ad perfectam diem bonæ æternitatis. Datum in Conventu nostro Gandensi Fratrum Minorum Recollectorum 7. Febr. 1650.

F. Laurentius Dingeon *Provincia Comitatus Flandriæ S. Ioseph Fratrum Minorum Recollectorum Minister Provincialis, S. Theologiæ Lector Iubilatus.*

INfrascriptus perlegi qua potui diligentia Tomum tertium *Tribunalis Sacramentalis & visibilis animarum* &c. Authore R. P. N. F. PETRO MARCHANT *Ordinis* S. FRANCISCI *Fratrum Minorum super Provincias Germaniæ, Belgij* &c. *Commissario Generali*, in quo nil non dignum expectatione communi, & nota Authoris fama reperi: habet enim in omnibus doctrinam sanam, ac puram, solidam ac prorsus utilem cuivis hominum generi. Doctrina eius sana ac pura est, tam nitore sermonis, quam integritate veritatis. Adulterantur plerumque aquæ fontium, dum in fluxu ipsorum per quos transeunt canalium alienis qualitatibus permiscentur; nec minus veritatis doctrina puritatem sanitatemque amittit, dum à sacra Scriptura, sanctisque Patribus, ex quibus veluti ex scaturiginibus emanat, aut plane receditur, aut per hominum opiniones quasi per rivulos quosdam deducta hauritur, necesse est enim, ut humanum quid, erroneum ac fallax imbibat, quidquid per intellectum humanum transit, elongatum ab ipsa origine veritatis, cùm ex se non nisi mentiri noverit. Hinc Author neglecta opinantium multitudine ex ipso verbo Dei, eiusque fidelissimis interpretibus sanctis Patribus, ut plurimum sententias suas promere conatur; unde & soliditatem maximam illis conciliat, quam nec perversitas, nec morum corruptio etiam adscitis in suum subsidium iniquis multorum excusationibus concutere queat: tritum est enim illud Tertulliani lib. de veland. virgin. *veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegium regionum*: Quorum prætextu tamen multi hodie, quæ SS. Patribus gravia crimina visa fuerunt, vel ab omni reatu eximunt, vel non nisi inter venialia recensent; quam vere & solide penes alios sit judicium. Id sine dubio in omni doctrina solidissimum, quod incommutabili auctoritati Spiritus Sancti innititur, cuius directione, ut in materiis fidei, ita & in subiecto morum specialius adjuti SS. Patres creduntur ne errarent. Unde mirum nulli videri debet, quod rigorosius in quibusdam Author procedat, solido enim fundamento innititur, & more salis, cuius proprietates doctores induere debent, urere potius ac sanare, & à putredine corruptionis præservare, quam blandiendo nocere studet. Hinc & opus omnibus utilissimum fore judico, qui illud sine præjudicio opinionum, intuitu solius veritatis legere voluerint. Datum in Conventu nostro Brugensi Fratrum Minorum Recollectorum hac 12. Februarii 1650.

F. MARIANUS de SMYTERE *S. Theologiæ Lector Emeritus, ac Provinciæ Comitatus Flandriæ S. Ioseph Fratrum Minorum Recollectorum Exprovincialis.*

INDEX

TRACTATVVM, TITVLORVM, QVÆSTIONVM, &c.

TOMI TERTII TRIBVNALIS SACRAMENTALIS.

PARS I.

De Hierarchia Ecclesiastica, & Statibus, Officiis, Gradibus, Ministeriis ad eam pertinentibus.

TRACTATVS I.

De Christi Ecclesia visibili militante, Matre nostra, & Filiis ejus.

TITVLVS I.

De Ecclesia Christi militantis natura & proprietatibus.

TITVLVS II.

De variis Ecclesiæ militantis Statibus, Officiis, Gradibus, qui est totius ferè operis Synopsis, & Oeconomia.

TRACTATVS II.

De Statu universali hominis Christiani.

TITVLVS I

De hominis Christiani obligationibus & peccatis, quatenus Christianus est.

TITVLVS II

De primo pacto, quo Christianus abrenuntiat Satanæ.

TITVLVS III.

De secundo pacto, quo Christianus professionem fidei in Baptismo emittit

TITVLVS IV.

De obligatione hominis Christiani ex vi tertii pacti impliciti, ad Legis Christianæ observantiam.

TRACTATVS III.

De Vicario Christi Pontifice Romano Ecclesia visibili in terris Capite.

TRACTATUS IV.

De potestate Romani Pontificis in ferendis Censuris & Pœnis.

TRACTATUS V.

De potestate Summi Pontificis in indulgentiarum erogationibus.

TRATATUS VI.

De Statu Ecclesiastico, sive Clericali.

TITULUS VI.

De Statu Ordinis Presbytery.

TRACTATVS VII.

De Statu Episcopali, ac qualitatibus in Episcopo requisitis.

TITVLVS I.

De nomine, natura, dignitate & gradibus Episcopatus.

TITULUS II.

De qualitatibus in Episcopo requisitis.

TITULUS III.

De perfectione Status Episcopalis.

TRACTATVS VIII

De varijs Episcoporum Officijs & potestate.

TITULUS I.

De primo Officio Episcopi, quod est, Oves Pascere.

SECTIO I.

De subditorum instructione.

SECTIO II.

De Sacramentorum Administratione, & specialiter de Sacramento Confirmationis

SECTIO III.

De subsidio temporali & spirituali ab Episcopis ovibus impendendo.

TITULUS II.

De secundo Officio Episcoporum, quod est, Oves Custodire

SECTIO I.

De defensione ovium contra lupos, fures, & latrones.

SECTIO II.

De reductione errantium.

SECTIO III.

De animæ expositione pro ovibus.

TITULUS III.

De Tertio Officio Episcopi, quod est, Regere oves

SECTIO I

De Præsentia Episcopi in suo Episcopatu.

SECTIO II.

De agnitione vultus pecoris.

SECTIO III.

De correctione delinquentium.

TITULUS IV.

De potestate Episcoporum.

TRACTATVS IX.

De Archidiaconis, Archipresbyteris Officialibus, & curatis Episcoporum Cooperarijs.

TITULUS I.

De Archidiaconis, Archipresbyteris, & Officialibus.

TITVLVS II.

De curatis sive Parochis.

Quæst

TRACTATUS X.

De Clericis Beneficiatis, & Beneficiis, ac Simonia.

TITULUS I.

De Beneficiorum Ecclesiasticorum natura, & obligatione eis annexa.

TITULUS II.

De Canonicatu, & Canonicis.

TITULUS III.

De Capellanis, & aliis Beneficiatis simplicibus.

TITULUS IV.

De Beneficiorum legitima acquisitione.

TITULUS V.

De pensionibus Ecclesiasticis.

TITULUS VI.

De Simonia.

TITULUS VII.

De Simoniæ pœnis, earum absolutione ac dispensatione.

PARS II.

DE STATV RELIGIOSO.

PROEMIVM.

TRACTATVS I.

De Statu Religioso in genere.

TITULUS UNICUS.

De natura & perfectione Status Religiosi, ac Religiosorum ad illam obligatione.

TRACTATUS II,

De votis essentialibus Religionis in particulari.

TITULUS I

De Paupertate Religiosa, sive de voto Paupertatis.

DIGRESSIO.

De acquisitione rerum & alienationibus.

TITULUS II.

De Obedientia Religiosa.

TITULUS III.

De Castitate Religiosa.

TRAC-

TRACTATUS III.

De Novitiatu, ac Novitiorum Professione.

TITVLVS I.

De Novitiatu.

TITVLVS II.

De legitima Novitiorum Professione.

TRACTATUS IV.

De Superioribus & Prælatis Religiosorum.

TITVLVS I.

De vario Religiosorum Regimine, ac Prælatorum super eos potestate.

TITVLVS II.

De Prælatorum Regularium institutione, qualitatibus, obligationibus ac peccatis.

TRACTATUS IV.

De Subjectione & Regimine Monialium per Abbatissas sive Præfectas; & de Monialium Clausura.

TITVLVS I.

De potestate Abbatissarum sive Præfectarum in Moniales.

TITVLVS II.

De Clausura Monialium inducenda vel conservanda.

PARS III.

STATVM POLITICVM, sive CIVILEM, ejusque Gradus, Officia, & Opificia complectens.

TRACTATVS I.

De Statu Matrimonii, universæ naturæ humanæ communi Seminario, ejusque natura, officiis, & obligationibus.

TITVLVS I.

De natura & essentia Matrimonii.

TITVLVS II.

De Contractu Matrimoniali.

TITVLVS III.

De impedimentis Contractum matrimonialem dirimentibus.

Specialiter,

De impedimentis erroris seu ignorantiæ, conditionis, coactionis per vim vel metum, & raptus mulieris.

TITVLVS IV.

De aliis quinque impedimentis dirimentibus,

Videlicet,

Impotentia, Voti, Ordinis, Ligaminis, & Criminis.

TITVLVS V.

De aliis 3. impedimentis dirimentibus,

Videlicet,

Triplicis Cognationis, Affinitatis, & publicæ Honestatis.

TITVLVS VI.

De impedimento disparitatis cultus.

TITVLVS VII.

De Parochi præsentia, ejusque necessitate, maximè in Belgicis Provinciis ab hæreticis occupatis.

Quæst.

TITVLVS VIII.

De impedimentis Matrimonium tantùm impedientibus.

TITVLVS IX.

De dispensationibus in impedimentis Matrimonium dirimentibus.

TITVLVS X.

De Finibus & Bonis Matrimonij.

TITVLVS XI.

De honestate honore, & sanctitate matrimonij.

TITVLVS XII.

De omnibus obligationibus Conjugum ratione Matrimonij, & eorum peccatis.

TITVLVS XIII.

De statu viduarum.

TRACTATVS II.

De Statu politico & civili.

TITVLVS I.

De natura, origine & multiplicitate status politici civilis.

TITVLVS II.

De Regum, Principum, Magistratuum potestate, dominio, & aliis juribus.

TITVLVS III.

De obligatione Regum, Principum, ac cujuslibet potestatis civilis circa Religionem veram; & alia ad Religionem pertinentia.

TITVLVS IV.

De obligationibus potestatis civilis ad rationem honesti.

TRACTATVS III.

De primo Regum & potestatis civilis officio, quod est, pascere populum providentia, ac personis ei subordinatis, sive Officio illi deservientibus.

TRACTATUS IV.

De secundo officio Regum, & potestatis civilis, quod est, Regere populum sapientia, ac personis ei deservientibus.

§. 4. De

TRACTATUS V.

De prima parte officij tertis Regis, quod est, defendere potentia subditos ab injuriis domesticis, & personis illi deservientibus.

TITVLVS I.

De personis judiciis & tribunalibus deservientibus; & primò de Judicibus.

TITVLVS II.

De judicij substantia & veritate, ejusque partibus.

TITVLVS III.

De personis ad substantiam judicij concurrentibus.

TITVLVS IV.

De personis judicio accessorijs, & quæ scripturis vel executionibus deserviunt.

TITVLVS V.

De Advocatis & procuratoribus.

TITVLVS VI.

De salariis Judicum, Consiliariorum, Advocatorum, Procuratorum, &c. & munerum acceptione.

TITVLVS VII.

De Tutoribus & Curatoribus.

TRACTATVS VI.

De altera parte tertij Officij Regum, Principum, &c. quod est. Defendere potentia populum, illumque vindicare contra hostes externos.

TITVLVS I.

De natura & legitima institutione militiæ.

TITVLVS II.

De obligatione Militum militiæ adscriptorum.

TITVLVS III.

De obligationibus Regum & Principum sive Reipublicæ erga Milites militia sua servientes, & primò de militia Magistrorum seu Præfectorum electione seu institutione.

TITVLVS IV.

De stipendij militaris solutione, & personis ad illam concurrentibus.

TITVLVS V.

De annona militari, & personis ei servientibus.

TITVLVS VI.

De hospitiis militaribus.

TRAC-

Index Tractatuum, Titulorum, Quæstionum, &c.

TRACTATVS VLTIMVS.

De Statu Morientium.

TITVLVS I.

De variis morientium conditionibus, & eorum obligatione.

TITVLVS II.

De duabus primis obligationibus, ponderatione præsentis vitæ, & purgatione accusantis conscientiæ.

TITVLVS III.

De dispositione imminentis viæ in morientibus, & ad mortem se disponentibus.

SECTIO I.

De dispositione familiæ sive domus, quam moriens relinquit.

SECTIO II

De provisione necessariorum ad iter, quam moriens assumit, & de salvo-conductu contra prædones.

SECTIO III.

De Sacramento extremæ Unctionis armatura morientium.

FINIS.



PROLOGUS
AD LECTOREM.

De hujus Tomi tertii materia, methodo, & dispositione.



SCITUM sancitumque, *Medicum, non hominem, sed sortem curare*: Etsi enim aphorismi Hippocratis, doctrina Galeni, dogmata Dioscoridis, Medicum scientem faciant, ni tamen individuorum temperamenta, complexiones, symptomata, &c. perspecta habeat, hominem periculis mortis, & variis ærumnarum casibus exponat, necesse est. Non enim aliter contingit inexpertis Medicis, quam Astrologis nostris usuariis, qui Astrorum naturâ, proprietatibus, conjunctionibus investigatis, in sua sphæra, putant se posse pluvias, ventos, æstus, tempestates prædicere: non attendentes ex natura soli, cœlique diversas, adversasque qualitates influentiasque oriri, quibus prætensi effectus astrorum cassi redduntur, quorum si singularem experientiam non habeant, imputatur illis, quasi *videant vana, & divinent mendacia.* Ezech. 13. 6.

Primo Tomo (Candide Lector) quantum Deus dedit, doctrinam generalem Scripturis, Conciliis, Patribus, Rationi Theologicæ, ut spero, conformem tradidi, quâ TRIBUNAL SACRAMENTALE VISIBILE ANIMARUM IN HAC VITA MORTALI adstrueretur, & Reus à propria conscientia accusatus, Judicibus legitimis traditus, examinatus, & convictus, vel misericorditer absolveretur, vel juste condemnaretur: Et ut non deesset directio, CODICEM LEGIS secundo Tomo protuli, ut criminum qualitates quantitatesque suâ statera, expenderentur; Quia verò diversi in Ecclesia Dei sunt Status, Officia, Gradus, personarumque conditiones, quæ in suis propriis obligationibus & circumstantiis velut temperamentis diversis, adversque diversificantur, ne viderer potius hominem, intendisse curare, quam sortem, promisi hunc tertium Tomum, quem tibi exhibeo, qui tamquam SPECULUM TOTIUS HOMINIS CHRISTIANI, omnium & singulorum Statuum, Officiorum, Graduum in Ecclesia Dei naturam, obligationes, & peccata, prout in Scripturis, Conciliis, Patribus declarantur, exponet. *Hujus Tomi conscribendi causa. Materia,*

Methodus eadem, quæ primorum Tomorum erit. Tota materia Tractatibus, Titulis, Quæstionibus, Dubiis, & interdum Sectionibus, distribuetur; Ab Auctorum non Classicorum citatione, nisi necessarium, aut multum utile fuerit, abstineбо: Quæstiones & pugnas verborum declinabo: Stylo scholarum contentus ero. *Methodus.*

De duobus tamen Lectorem monitum volo.

Primò: Me non singularitatis affectu, sed solius veritatis amore, ab Auctorum communibus citationibus, & opinionum varietate, ut in præcedentibus Tomis, abstinuisse: Stet cuique sua probabilitas, quæ veris fundamentis innitatur: nemini prorogo: nemini derogo: quæ mihi ex Scripturis, Conciliis, Patribus, & rei, quæ tractatur, visceribus visa sunt secura, hæc in medium profero: si aliquibus non placent, per me licet, displiceant: si quibus placent, Deus glorificetur, Lector utatur. *Cur ab Auctorũ citatione abstinuerit auctor.*

Secundò: Cum ad peccata Statuum devenero, oculum columbinum Lectoris exposco, ut non judex, aut vitæ alienæ censor, aut etiam speciosus alienæ conscientiæ proditor; sed meræ veræ sincereque doctrinæ assertor audiar. Imputet suæ scientiæ conscientiæque, si quis fortè gravius tangi se credat: imputet lumini, si tenebræ mentis ejus illustrentur; & per illud opera ejus tenebrosa arguantur. *Qui peccata singulorum Statuum tractet.*

Mihi profectò in hoc toto Tomo desideravi Spiritum Ezechielis, de quo cap. 43. *tu autem* (inquit) *fili hominis ostende domui Israël templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & mettantur fabricam, & erubescant ex omnibus quæ fecerunt.* Infrà: *Omnes leges ejus ostende eis, & scribes in oculis eorum ut custodiant omnes descriptiones ejus & præcepta illius, & faciant ea. Ista est lex domus in summitate montis: omnis finis ejus in circuitu, Sanctum Sanctorum est.* Hunc (inquam) Spiritum mihi deposco: sufficit enim si templum Dei, sanctam (inquam) Ecclesiam, ubi est *locus solii* Dei, & *locus vestigiorum pedum* ejus, *ubi* habitat *in medio filiorum Israël*, dimetiar, ejusq; sanctitatem *Finis & ubtum Auctoris. Ezec. 43. v. 10. 11. vers. 12.*

omnibus ostẽdam: eo enim ipso, quo sanctitatem Ecclesiæ in omnibus Statibus, Officiis, Gradibus ostẽdero, confundentur sine dubio, qui operantur iniquitatem, ab iniquitatibus suis, &
Eph.2.20. ubi mensus fuero fabricam ædificationis Dei *super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo* IESV *: in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum*
1Cor. 12. v. 4. 5. 6. *sanctum in Domino: in quo &* nos coædificamur *in habitaculum Dei in spiritu :* Cùm (inquã)
Ephes. 4. 11. mensus fuero fabricam juxta *divisiones gratiarum, divisiones ministrationum, divisiones operationum,* ab eodem Spiritu ; qui *dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios Evangelistas, alios Pastores, & Doctores in opus ministerij, in ædificationem Corporis Christi:* Erubescent, ut spero,
Vers. 12. Ezechiel. 43. 12. peccatores ab omnibus quæ fecerunt: *Ista* enim *est lex domus in summitate montis* SanctæMatris Ecclesiæ, ut *omnis finis ejus in circuitu*, id est, omnis Status, Gradus, conditio, omnis dispositio in fide, moribus, disciplina *Sanctum Sanctorum sit :* est enim *tota pulchra* intus, *tota pulchra* foris, in qua non est *macula, neque ruga,* & quantumvis *nigra*, quantumvis *fusca* videatur, *formosa* tamen est, *speciosa* est, quam *Sol* omnis veritatis & justitiæ *decoloravit:* figuram itaque illius & omnem descriptionem ac universa præcepta ejus, cunctumque ordinem ipsius, & omnes leges cum Ezechiele ostendere conabor Lectoribus, & scribere in oculis eorum, ut *custodiant omnes descriptiones ejus, & universa præcepta illius, & faciant ea.*

Hic finis, hic scopus. Lector utere & fruere.



TOMI

TOMI III.

TRIBUNALIS SACRAMENTALIS

ET

VISIBILIS ANIMARVM IN HAC VITA MORTALI

PARS I.

DE HIERARCHIA ECCLESIASTICA, & Statibus, Officijs, Gradibus, Ministerijs ad eam pertinentibus.

TRACTATVS I.

De Christi Ecclesia visibili militante, Matre nostra, & filiis ejus.



CHRISTI Ecclesiam, Matrem nostram, solam in hoc Opere agnosco: *Quid enim mihi* (suadente Paulo 1. ad Corinth. 5.) *de ijs, qui foris sunt, judicare? Nam eos, qui foris sunt, Deus judicabit.* 1.Cor.5.12 Suscepi, Deo propitio, *annuntiare justitiam Dei in Ecclesia magna, in populo gravi, in Ecclesia plebis, in Cathedra Seniorum; etenim veritas Dei in* sola *Ecclesia Sanctorum.* Ps.39.10. Ps.34.18. Ps.106.32. Ps.88.6.

TITVLVS I.

De Ecclesiæ Christi militantis natura & proprietatibus.

QUÆSTIO I.

Quid sit Ecclesia militans?

Varia acceptiones Ecclesiæ.

ADVERTENDUM 1. Nomen *Ecclesia*, quod multitudinis convocationem significat, variè in Scripturis usurpatum reperiri.

Et 1. quidem, pro quacumque multitudine, seu cœtu hominũ aliquo ordine vel modo aggregatorum, ut Psal. 25 *Odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo,* Psal. 25. 5. Act. 19. *Erat enim Ecclesia confusa, & plures nesciebant qua ex causa convenissent.* Act.19.32.

2. Pro Statu Beatorum, quæ est Ecclesia triumphans, de qua Psalm. 149. Ps. 149. 1. *Laus ejus in Ecclesia Sanctorũ.* Et quæ ad Hebr. 12. *Ecclesia primitivorum* dicitur *ac Hierusalem calestis, & multorum millium Angelorum frequentia.* Heb.12.22

3. Pro Congregatione & Cœtu fidelium viatorum, idque diversimode; Aliquãdo enim universaliter, pro omnibus qui in fide unius Dei cõgregantur: Psal.21. *Apud te laus mea in Ecclesia magna, vota mea reddam in conspectu timentium eum.* Ps.21.26. Psal. 34. *Confitebor tibi in Ecclesia magna, in populo gravi laudabo te.* Ps. 34. 18. Psalm. 106 *Exaltent eum in Ecclesia plebis,* Ps.106.32. quæ & Psal 149. vocatur *Ecclesia Sanctorum.* Ps. 149. 1. Et hæc acceptio est communis in novo Testamento: Aliquando vero accipitur particulariter pro Congregatione fidelium in una provincia, civitate, domo &c. Apoc.1. *Ioannes septem Ecclesiis, quæ sunt in Asia.* 1 Cor. 1. *Ecclesia Dei, quæ est Corinthi.* Ad Rom.16. *Salutate Priscam & Aquilam &c. & domesticam Ecclesiam eorum.* Apoc.1.4. 1.Cor.1.2. Rom. 16. 5.

4. Sumitur nomen Ecclesiæ pro ipsis Ecclesię Prelatis, Matth.18. *Dic Ecclesia,* id est Prępositis Mat.18.17.

positis Ecclesiæ: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

5. Sumitur pro loco ubi fideles conveniunt, ut sunt templa, delubra, & alia id genus. Deut. 23. *Non intrabit eunuchus, attritus & amputatis testiculis & abscisso veretro in Ecclesiam Domini.* Thren. 1. *Vidit gentes ingressas Sanctuarium suum, de quibus preceperas ne intrarent in Ecclesiam tuam.* 1. ad Corinth. 11. *Convenientibus vobis in Ecclesiã audio scissuras esse inter vos.* Et c. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant.*

Deut. 23. 1 / Thr. 1. 10. / 1 Cor. 11. 18 / c. 14. 34.

Advertendum 3. Nos hic Ecclesiæ triumphantis nullam habere rationem, quia nullum habet Ecclesia triumphans cum hoc Tribunali Animarum consortium: in quam utique *nihil coinquinatum, aut abominationem faciens* subintrat. In qua habitat Iustitia, Pax & Requies sempiterna.

Apoc. 21. 27.

De qua Ecclesia hic agatur.

Advertendum 3. Nos hic, accepto nomine Ecclesiæ pro Cœtu fidelium, accipere Cœtum pro Cõgregatione visibili & sensibilibus signis manifesto: etsi enim non negemus Ecclesiam interdum pro Electorum collectione nobis ignota & invisibili sumi, præcipuamq; adunationem Ecclesiæ in Deo & Christo ejus consistere in Fide, Spe & Charitate: Nihilominus cum de Tribunali Visibili Animarum in hac Vita Mortali agamus, cõsequenter de sola nobis Visibili Ecclesia agendum est, in qua, & propter quam, hoc Tribunal Visibile institutum est. Unde quandocumque de Ecclesia erit hic sermo: Ecclesiam Visibilem intelligemus, quæ etsi invisibilibus effectibus, visibilibus tamen signis Deo in Christo copulatur: Cum invisibilis Ecclesia, quæcumque supponatur, nostro instituto nullatenus conveniat.

Ecclesia Christi militantis duplex acceptio. Nota.

Advertendum 4. Ecclesiam sive Cœtum fidelium nos posse considerare, vel generaliter prout ab Adam & Abel Iusto cœpit, & cum Lege Naturæ & Synagoga Iudæorum cucurrit: vel specialiter pro Ecclesia novi Testamenti à Christo in Gratia, & veritate constituta. His sic prænotatis sit.

CONCLUSIO I.

Definitio Ecclesiæ Christi in genere.

Ecclesia Christi militans generaliter sic describi poterit: *Ecclesia est Convocatio seu Cœtus fidelium, ex Divina institutione signis sensibilibus, ordine debito Christo Capiti cohærens ad vitam æternam medijs ordinatis capessendam.*

Hæc Descriptio complectitur universalem Ecclesiam, prout ab Adam per justum Abel & Seth descendit, usque in finem sæculorum duratura.

Cur dicatur convocatio. Rom. 1. 1. S. August.

Dicitur (*Convocatio*) hanc enim Ethimologiam notat S. August. in Expositione inchoata Epistolæ ad Rom. exponẽs verba illa, *Paulus &c. vocatus Apostolus: Breviter* (inquit) *in duobus verbis Ecclesia dignitatẽ à Synagoga vetustate discernit: Ecclesia quippe ex vocatione appellata est, Synagoga vero ex congregatione. Convocari enim magis hominibus congruit* &c. Ubi vim nominis attende, congregari enim commune est bestiis & hominibus. Item, commune est iis, qui vi & virgis instar pecudum, in unum adunantur: Convocari autem propriũ est homini rationali amore & libertate spiritus ad vocantis vocem convenientis, unde infrà: *Vocatio Paulum in Ecclesiam cooptavit*: Et quidem benè *Convocatio* dicitur, quia nemo Ecclesiæ aggregatur, nisi ab eo: *Qui dispersiones congregat Israelis: Qui habitare facit unius moris in domo*: *Qui, quos vocavit, hos & justificavit*: Quapropter in toto novo testamento fideles sub nomine *Vocatorum* intelliguntur, ut constat ad Rom. c. 1. ubi dicuntur *Vocati* IESU *Christi*: *Vocati Sancti*: Et 2. ad Tim. 1. Introitus in Ecclesiam dicitur *Vocatio Sancta*.

Ps. 146. 2. / Ps. 67. 7. / Rom. 8. 30 / Rom. 1. 6. 7. / 2 Tim. 1. 9.

Cur cœtus

Dixi (*sive Cœtus*) Convocatio enim illa Cœtum sive Societatem constituit; & quamvis Ecclesia ab uno incipere possit, non nisi tamen à pluribus Ecclesia nuncupatur.

Dicitur (*fidelium*) sub fide autem spes & charitas comprehenduntur, tamquam in ipsa fide fundatæ: *Sine fide* utique *impossibile est placere Deo*: Et fides ab Apostolo diffinitur: *Sperandarum substantia rerum, argumentũ non apparentium, quæ & per Charitatem operari* dicitur; utique fideles fides fundat, spes erigit, charitas unit & conglutinat.

Heb. 11. 6. / Heb. 11. 1. / Gal. 5. 6.

Qui excludantur ab Ecclesia Christi.

Et hinc ab Ecclesia excluduntur quotquot à fide veri Dei alieni sunt; sive fidem nunquam habuerint, ut Pagani & Gentiles, sive illam deseruerint, ut Apostatæ, sive à vera fide errore aliquo declinaverint, ut Hæretici: Excluduntur & Schismatici, qui unitatem charitatis disciderunt.

Nulla ecclesia sine sensibilib. signis constitit.

Dixi (*ex institutione divina signis sensibilibus, &c.*) Ex his enim velut divinæ vocationis symbolis constituitur Ecclesia; nec unquam Ecclesia ullo tempore constitit absque aliquo signo sensibili, in quo fideles adunarẽtur, Deo signa illa, aut per inspirationem, aut per Scripturam, sive per se, sive per suos Patriarchas aut Ministros, instituente. Hoc modo Remediũ Legis Naturæ contra Originale peccatum per protestationem externã fidei Mediatoris decretum erat: Hoc modo Sacrificia instituta ab initio Creaturæ fuerunt, quibus fideles Deum colerent: Eàdem ratione ab initio positivis Præceptis externis, præter interiora naturæ, à Deo homines sub obedientia contineri debuerunt, ut constat Gen. 2. 3. 4. 9. & aliis locis variis per totum decursum vitæ Patriarcharum usque ad Moysen. Et iterum in Lege Moysi & Prophetis, usque ad Christum, variæ institutiones Rituum sacrorum & Sacrificiorum, & diversæ Leges ac Præcepta referuntur, quibus in uno Cœtu Plebs Judæorum continebatur.

Nec sine majoribus.

Dixi (*ordine debito*) semper enim in Ecclesia Dei aliqui eminentiores viri quasi Majores habiti sunt, per quos in fide Unius Dei & Religionis veræ exercitio fideles continerentur. Sic enim in Lege Naturæ, aut primogenitis, aut viris aliquibus virtute eminentibus Patriarchis & Prophetis, aliqua cõtinendi populum Dei auctoritas divinitùs fuisse concessa comprobatur. Et ab Abel Iusto, quodam ordine

ne Primates veræ Ecclesiæ Dei in vera fide Heb.11.4. fundatæ S. Paulus enumerat ad Hebr.11. *Fide* (inquit) *plurimam hostiam Abel, quàm Cain, obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse justus, testimonium perhibente muneribus ejus Deo*; Et consequenter per Enoch & Noe deducit eorum seriem usque ad Abraham, ab Abraham & Sara tamquam stipitibus per Isaac, & Jacob, & Joseph venit ad Moysem legislatorem & ducem populi, & filios Israël qui transierunt mare rubrum: Et demùm per Raab, Gedeon, Barac, Sampson, Jephte, descendit ad David & Samuelem usque ad Christum, in quo omnia consummantur, unde con- Vers.39. cludit. *Et hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis aliquid melius providente, ut non sine nobis consummarentur.* Quam concatenationem notavit S. Augustinus sive Auctor l. qq. veteris & novi Te- S. August. stamenti q.2. his verbis: *Igitur* (inquit) *descriptà mundi fabricâ, è primi hominis origine traducem tenuit generis Seth, qui redditus est pro Abel, & per ordinem venit ad Abraham patrem Judæorum ut ostenderet Abraham huic Deo credidisse, qui opifex mundi est, & ipsum legem dedisse, in quâ futurus Christus promissus est, qui liberaret genus humanum de dominio Diaboli.* Et subdit: *Ex his rationabilis probatur fides nostra. Testimonium enim huic dat origo descripta, quia ab initio genus est Christianorum. Ex Seth enim filio Adæ venitur ad Enoch, ab Enoch ad Noë, ex Noë ad Abraham, ab Abraham descenditur ad David, à David ad Mariam ex Maria de Spiritu sancto nascitur Christus. Priores ergo omnes quot quot fidem habuerunt unius Dei, quam Salvator prædicavit, jure Christiani dicendi sunt. Ab initio enim Salvator venturus promissus est.* Apoc.13.8 *Unde Joannes in Apocal. ait*: Agnus qui occisus est à constitutione mundi. *Itaque semper Christiani fuerunt. Hi enim omnes quos suprà dixi, à primo homine creato in mundo, per quos tradux tenditur ad Salvatorem, hujus Dei fidem habuerunt: De quo Christus locutus est dicens:* Ioan.17.3. Hæc est autem vita æterna, ut cognoscunt te solum & verum Deum, & quem misisti IESUM Christum. Hæc ille. Cujus discursus magis explicabuntur infrà, & de Ordine Hierarchico in Ecclesia Catholica aliàs agemus.

Christus est caput Ecclesiæ. Dixi demùm (*Christo capiti cohærens,*) Omnes enim ab Adamo fideles, quotquot fuerunt & erunt, Christo vel venturo, vel nato tamquam capiti adhæserunt, & ad Christum, velut membra corporis compaginandi, vocati sunt. *Nec enim*, juxta Apo- Act. 4.12. stolum; *aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.* Quod doctissimè declarat S. Augustinus, l.2 de peccato originali contra Pelagium c. 26. ubi docet S. August. *Illos justos, qui recentioribus* (inquit) *generis humani temporibus Deo placuerunt, ideo in resurrectionem vitæ æternæ, non mortis æternæ esse venturos, quia in Christo vivificabuntur. Ideò autem vivificari in Christo, quoniam ad corpus pertinent Christi, & ideò pertinere ad corpus Christi, quia & ipsis caput est Christus: Ideò ipsis caput esse Christum, quia unus mediator est Dei & hominum, homo Christus IESUS.* Et addit similitudinem de iis, qui ante completum venturi judicii diem dicuntur stare per fidem & opera ad dexteram Dei. *Si nos* (inquit) *per nondum* S. August. *facti, sed futuri judicij fidem stabimus ad dexteram Christi: profectò illi per incarnationis ejus tunc nondum factæ sed futuræ fidem membra sunt Christi. Neque enim putandum est, quòd antiquis justis sola, quæ semper erat, Divinitas Christi, non etiam, quæ nondum erat, ejus humanitas revelata profuerit.* Unde & eodem l. c. 24. idem concluserat. *Sine fide* (inquit) *incarnationis & mortis & resurrectionis Christi, nec antiquos justos ut justi essent à peccatis, potuisse mundari, & Dei gratiâ justificari, veritas Christiana non dubitat sive in eis justis quos sancta Scriptura commemorat, sive in eis justis quos quidẽ illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt, vel ante diluvium vel inde usque ad datam Legem, vel ipsius Legis tempore, non solùm in filiis Israël, sicut fuerunt Prophetæ, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Iob.* &c. Elegantissimam porrò similitudinem ponit l. de catechisandis rudibus c. 3. cohærentiæ antiquæ Patrum Ecclesiæ in Christo, ex nativitate Jacob, qui extensa manu prioris egredientis plantam tenebat. *Sicut* (inquit) *Jacob manum priùs, dum nascere-* S. August. *tur, emisit ex utero, quâ etiam pedem prænascentis fratris tenebat, deinde utique secutum est caput, tum demùm necessariò membra cætera, sed tamen caput, non tantùm membra quæ secuta sunt, sed etiam ipsam manum, quæ in nascendo præcessit dignitate ac potestate præcedit &c. Ita & Dominus IESUS Christus, etsi antequam appareret in carne, & quodammodo ex utero secreti sui ad hominum oculos Mediator Dei & hominum homo procederet &c. præmisit in sanctis Patriarchis & Prophetis quandam partem corporis sui, quâ velut manu se nasciturum esse prænuntians, etiam populum præcedentem superbè, vinculis Legis tamquam digitis quinque supplantavit* &c. Et concludens subdit infra. *Quamvis ergo* (*ut dixi*) *præmiserit Dominus Christus quandam partem corporis sui in Sanctis, qui cum nascendi tempore præierunt; tamen ipse est caput corporis Ecclesiæ, illiq́; omnes eidem corpori, cujus ille caput est, cohæserunt credendo in eum quem prænuntiabant. Non enim præcurrendo divulsi sunt sed adjuncti potiùs obsequendo. Nam etsi manus à capite præmitti potest connexio tamen ejus sub capite est.* Hæc S. Augustinus: Eadem commemorat ab Adam usque ad nos Origenes Adamantius Homil. 2. in Cantica, & ab æterna prædestinatione originem repetit ordinatæ Ecclesiæ ex Apostolo. *Non tu mihi* (in- Origenes quit) *ex adventu Salvatoris in carne sponsam dici aut Ecclesiam putes, sed ab initio humani generis & ab ipsa constitutione mundi; imò ut Paulo duce altiùs Mysterii hujus originem repetam ante etiam constitutionem mundi. Sic enim dicit ipse*: sicut elegit in Christo ante constitutionem Ephe.1.4. mundi, essemus sancti & immaculati coram ipso in charitate, prædestinans nos in adoptionem filiorũ. *Sed & in Psalmis scribitur.* Memen- Psal.73.2. to congregationis tuæ, quã possedisti ab initio.

Prima enim fundamenta Congregationis Ecclesiæ statim ab initio sunt posita: Unde & Apostolus di-
Eph. 2.20 *cit* Ædificari Ecclesiam *non solùm* supra fundamenta Apostolorum, *sed etiam* Prophetarum: *Inter Prophetas autem numeratur & Adam, qui magnum Mysterium prophetavit in Christo, &*
Gen. 2.25. *Ecclesia dicens:* Propter hoc relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt ambo in carne una. *Evidenter enim de his dictis ejus dicit Apostolus:*
Ephe. 5. 32. *Quia* mysterium hoc magnum sit, ego autem dico in Christo & in Ecclesia &c. Hæc Origenes.

Dixi in definitione *(ad vitam æternam mediis ordinatis capescendam.)* Hic est enim finis totius vocationis; nimirum, ut in Christo vivificemur, & cum Christo in vita æterna glorificemur. Unde 1. Petri 1. dicuntur fideles rege-
1 petr. c. 4. nerati in *Hereditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarcescibilem conservatam in*
Vers. 5. *cælis in nobis*, &c. *in salutem paratam revelari in*
1. Pet. 5. 10. *tempore novissimo.* Et c. 5. nominatur, *Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo* IESU. Media verò opportuna sunt Fides Spes, Charitas, Sacramentorum usus, bonorum operum exercitium, quæ in Scriptura tota exprimuntur.

CONCLUSIO II.

Definitio Ecclesiæ in specie seu novi Testamenti.

ECclesia militans novi Testamenti sub lege gratiæ sic describi potest: *Ecclesia est Cœtus universalis Hominum Baptizatorum, unâ fidei Professione & Sacramentis sensibilibus Christo Capiti adhærentium, & sub Vicarii Christi & legitimorum Pastorum ordinato regimine militantium.*

Dixi (*Cœtus universalis*) inde enim dicitur Ecclesia Catholica, cujus nominis vim infrà expendemus, cùm agemus de proprietatibus Ecclesiæ.

Dixi (*Hominum Baptizatorum*) Baptismus enim est janua Ecclesiæ, & per Baptismum incipit homo Christo incorporari, ut in eo vi-
Rom. 6. 3. vat. Nam ut ait Apostolus ad Rom. 6. *Quicumque baptizati sumus, in Christo* IESU, *in morte ipsius baptizati sumus, consepulti cum illo per baptismum in mortem: ut quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et unitas ac connexio corporis Ecclesiæ à Ba-
Eph. 4. 4. ptismo passim sumitur. Ad Ephes. 4 Ubi postquam de fidelibus dixerat: *unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ*, quasi unitatis illius rationem dare
Vers. 5. volens *Unus* (inquit) *Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus.* Et clarissimè 1. ad Co-
1 Cor. 12. 13. rinth. 12. *Etenim* (inquit) *in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Iudæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi &c.* Denique in convocatione generali hominum totius orbis, ad Ecclesiam per prædicationem Evan-
Matt. ult. 19. gelicam demandatur à Christo Apostolis: Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine patris &c.* Item Marci ult. *Qui*
Marc. ult. 16. *crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit,*

Quod & Christus prædixerat Nicodemo Ioan. 3. *Amen, Amen, dico tibi: Nisi quis renatus* Ioan. 3. 5.
fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Excluduntur ab ea omnes non Baptizati, etiã Catechumeni.

Et per hanc particulam excluduntur ab Ecclesia novi Testamenti omnes non baptizati, ut Iudæi, Gentiles, Pagani, Turcæ & alii infideles. Quinimò & Catechumeni quamdiu baptizati non sunt, propriè ad Ecclesiam non pertinent, quia januam Ecclesiæ non intraverunt, sed adhuc velut in atrio hærent. Et ut benè notat Optatus Milevitanus l. 5. contra Parmenianum; *Catechumenus vi Sacramenti* *Optatus Milevitã.*
transit in fidelem. Et S. August. tract. 44. in *S. August.*
Joannem patenter distinguit inter Catechumenos & fideles, non quòd Catechumeni non credant, sed quia per susceptionem Baptismi fidem professi non sunt.

Qualiter pertineãt ad eam qui salvantur per baptismum flaminis vel sanguinis.

PETES: Quid dicendum de iis, qui tempora Legis novæ per baptismum flaminis sive voti & contritionis, vel per baptismum sanguinis, id est, Martyrium salvantur: An illi ad Ecclesiam novæ Legis pertinere dici possint? Resp. Etsi Charactere non pertineant, privilegio tamen Capitis sive Principis Christi pertinere, quia fide Christi & professione baptismi, qui illis in voto esse censetur, aut quem sanguinis effusione profitentur, salvantur; unde velut ad baptizatorum numerum reportantur, quia baptismo flaminis & sanguinis baptizati Christo adunari sunt. Sed ad definitionis explicationem revertamur.

Excluduntur hæretici.

Dixi (*unâ fidei professione & sacramentis sensibilibus*) ad excludendos omnes hæreticos, qui errore aliquo pertinaci ab unitate veræ, & universalis fidei se separarunt. Etsi enim ratione baptismi ad Ecclesiam aliquo modo pertineant, ita ut ab erroribus resilire quovis modo non tantùm induci, sed etiam ab Ecclesia cogi possint; illi tamen suâ malitiâ se separaverunt, & tamquam mortua membra rescissi sunt: Unde Apostolus ad Tit 3. *Hæreti-* Tit. 3. 10. 11.
cum hominem post unam & secundam correptionem devita: sciens quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit cùm sit proprio judicio condemnatus Et 1. ad Timoth. 1. volens ostendere quòd non tantùm ab ecclesia hæreticus vitandus esset, sed etiam ex ecclesiæ navi excidisset: *Hoc* (inquit) *Præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundùm præcedentes in te Prophe-* 1. Tim. 1.
tias, ut milites in illis bonam militiam, habens 18. 19. 20.
fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt, ex quibus est Hymenæus & Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare. In quibus verbis notat 1. Hæresim oriri ex repulsione fidei, & bonæ conscientiæ: 2. Eum, qui sic errat in fide, naufragium facere, & à navi Ecclesiæ excidere, etsi fortè aliquas tabulas & ligna navis, id est aliquas veras doctrinas videatur tenere, non ex motivo principali Primæ Veritatis, sed ex proprio judicio scintillantis humanæ rationis. 3. Potestate Ecclesiæ tamquam membra rescissa à Christo Satanæ tradi. 4. Omnem hæresim continere virtu-

te

te blasphemiam contra Christum & Primam
Ibid. c.4. Veritatem: Iterum *c.4. Spiritus manifestè dicit;*
Vers. 1. 2. *Qnia in novissimis temporibus discedent quidā à*
fide, attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæ-
moniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, &
cauteriatam habentium suam conscientiam. Ubi
Discessio à fide, Attentio ad spiritus erroris &
doctrinas dæmoniorum, Hypocrisis, Caute-
riata Conscientia omnem cum Ecclesia vera,
quæ est *Columna veritatis,* unionem dissiparam
ostendunt. Eodem modo c.6. ejusdem Episto-
c.6. vers.5 læ dicuntur hæretici *veritate privati.* Et in
Iudæ 19. Epist. Iudæ *Hi* (inquit) *sunt, qui segregant semet-*
Vers. 19. *ipsos, animales, spiritum non habentes.*

Dixi (*& Sacramentis sensibilibus*) istis enim
tamquam symbolis distinctivis & signis visi-
bilibus gratiæ, visibilis Ecclesia novi Testa-
menti insignita est. Vnde præclarè S. Augusti-
S. Au- nus l.19. contra Faustum c.12. *In nullum aomen*
gust. *Religionis, seu verum seu falsum coagulari homi-*
nes possunt, nisi aliquo signaculorum, vel Sacra-
mentorum visibilium consortio colligentur: Quo-
rum Sacramentorum vis inenarrabiliter valet
plurimùm, & ideò contempta Sacrilegos facit:
Impiè quippe contemnitur, sine qua non potest per-
fici pietas. Hæc ibi. Er Chrysost. Homil. 83. in
S. Chry- Matth. *Si enim incorporeus esses nuda & incor-*
sost. *porea tibi dedisset ipse dona, sed quoniam anima*
corpori consertaest, in sensibilibus intelligibilia
tibi præbet. Hæc Chrysostomus.

Dixi (*Christo capiti adhærentium*) Ad Ephes. 1.
Ephes. 1. *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ*
22. c.4. 15. *est corpus ipsius* Et cap. 4. *Veritatem autem*
16. *facientes in charitate crescamus in illo per omnia,*
qui est caput Christus; ex quo totum corpus com-
pactum, & connexum per omnem juncturam
subministrationis, secundùm operationem in men-
suram uniuscujusq; membri, augmentum corporis
facit in ædificationem sui in charitate. Et c.5.
c.5.23. Co- *Christus caput est Ecclesiæ: ipse Salvator corpo-*
loss. 1.18. *ris ejus.* Item ad Collossenses 1. *Et ipse est caput*
corporis Ecclesiæ qui est principium, primogenitus
ex mortuis, ut si in omnibus ipse primatum te-
nens, &c.

In eo etiam quod dicitur (*Adhærentium*)
Triplex triplex adhærentia notanda est: nimirum fi-
adhæren- dei (sub qua & spes continetur) charitatis, &
tia in Fi- participationis sive communionis membrorū
de, Chari- ad invicem: Fidei quidem adhærent à adhæ-
tate, & rere censentur fideles omnes, qui nullo hære-
Commu- sis errore separantur: Charitate autem Chri-
nione mē- sto adhærent, qui in gratia sunt, nec aliquo pec-
brorum. cato mortali à Christo recesserunt: Partici-
patione vero sive communione membrorum
adhærent, qui in Ecclesiæ Societate perma-
nent, nec gladio Excommunicationis sunt re-
scissi. Et hæc quidem triplex adhærentia ne-
cessaria est ut quis merito simul & numero in
Ecclesia esse censeatur: Duæ tamen sunt ad-
hærentiæ, quarum defectu etiam baptizati
merito simul & numero ab Ecclesia excludun-
tur. Nimirum: Adhærentia fidei, & adhærentia
communionis, sive communis participationis
membrorum. Et quidem defectu adhærentiæ
per fidem Hæretici ab Ecclesia censentur sepa-

rati, utpote, qui (ut supra ex scripturis nota-
tum est) naufragium fecerunt: à fide discesse-
runt: veritate privati sunt: se segregaverunt:
& spiritu carere affirmantur.

Defectu vero adhærentiæ communis com- *Excludū-*
munionis cum membris excommunicati, *tur excō-*
tanquam ejecti, & potestate ecclesiæ rescissi, *municati.*
ab ecclesia repelluntur, unde & *Satanæ tra-*
diti dicuntur 1 ad Timoth. 1. & omnis cum il- 1 Tim. 1.
lis communio prohibetur 2. ad Thessal. 3. *Si* 20.
quis (inquit) *non obedit verbo nostro per episto-* 2 Thess. 3.
lam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, 14.
ut confundatur. & Matth. 18. *Qui Ecclesiam non* Mat. 18. 17
audit, declaratur habendus à nobis, *sicut Ethni-*
cus & publicanus.

Quod igitur ponitur in definitione (*Chri-*
sto capiti adhærentium,) etsi quoad perfectionē
intelligatur de perfecta cum Christo unione,
à qua excluduntur etiam mali Christiani in
mortali peccato existentes, tanquam ad Co- Coloss. 2.
loss. 2. *Non tenentes caput, ex quo totum corpus* 19.
per nexus & conjunctiones subministratum & *Non ex-*
constructum crescit in augmentum Dei: tamen *cluduntur*
Christiani, qui fidem retinent integram, quan- *omnes ma*
tumvis peccatores, quamdiu sententiâ justâ *li Christi-*
Ecclesiæ per excommunicationem non re- *ani.*
scinduntur, intra ecclesiam permanere, & ec-
celsiæ corpori adhuc adunati censentur: etsi
enim membra mortificata sint, & quoad vitam
charitatis verè mortua, necdum tamen plenè
sunt rescissa, quia adhuc fides ecclesiæ, & ora-
tionum influentiæ illis communicantur. Un-
de & in agro Dominico, tanquam zizania cum
tritico, tolerantur usque ad messem, ne triti-
cum eradicetur: & in sagena Evangelica pis-
ces boni & mali concluduntur, donec eligant
bonos in vasa; malos autem mittant foras:
Denique Virgines fatuæ cum prudentibus
simul ambularunt: & non nisi in fine, Hædi
ab Agnis secernuntur: & mandatur Angelis
in fine mundi, ut de Regno Dei colligant
scandala. Qualiter verò Hæretici, & excom-
municati dici possint filii ecclesiæ, & quo-
modo ad ecclesiæ potestatem pertineant, infrà
suo loco oportunius dicetur.

Dixi (*sub Vicarii Christi, & legitimorum Pa-*
storum ordinato regimine militantium.) Ita enim
instruit Christus Petrum, suum in terra supre-
mum Vicarium Matth. 16. *Et ego dico tibi, quia* Matt. 16.
tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ec- 18. 19.
clesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt
adversus eam. Et tibi dabo claves Regni cælorum.
Et quodcunque ligaveris supra terram, erit liga-
tum & in cælis, & quodcunque solveris super ter-
ram, erit solutum & in cælis. Et alia Scripturæ
loca adducemus inferius q.3. cum de unitate *Exclu-*
ecclesiæ differemus. Per hanc verò particulam *duntur*
excluduntur schismatici, qui etsi in fidei uni- *schisma-*
tate videantur ecclesiæ adhærere, quia tamen *tici.*
Christi Vicarium non agnoscunt, consequenter
se à corpore Christi, quod est ecclesia sepa-
rant, & tunicam inconsutilem
scindunt.

* * *

QVAE-

QUÆSTIO II.

Quæ sint Ecclesiæ novi Testamenti proprietates?

CONCLUSIO UNICA.

Ecclesia est una, Sācta Catholica, & Apostolica

QUatuor potissima, eminentissima, & clarissima Ecclesiæ proprietates fide credenda sunt nimirum: *quod sit Una, Sancta, Catholica & Apostolica.*

Symbolū apostolicū

Conclusionem probat Symbolum Apostolorum: *Credo in Spiritum sanctum: sanctam Ecclesiam Catholicam; Sanctorum communionem.* Professione enim Spiritus sancti & communione Sanctorum *Unica Ecclesia* comprobatur: Cum enim Spiritus sanctus unus sit, & communio Sanctorum una, qui Spiritum sanctum & communionem Sanctorū profitetur, *Unam* *Ecclesiam* necessariò profiteri censetur, quæ *Sancta & Catholica* explicite asseveratur: Et iterum, eo ipso, quo hæc confessio fidei, *Symboli Apostolici* nomen præsefert, *Apostolicam Ecclesiam* esse denuntiat.

Symbolū Nicanū.

Expressiùs Symbolum Nicænum: *Et unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.* Quia verò harum proprietatum insignis & devotissima doctrina est, multam afferens lucem huic nostrò Tribunali, singulas proprietates singulis quæstionibus expendemus.

QUÆSTIO III.

Qualiter Ecclesia novi Testamenti dicatur Una?

OMissis variis unitatum modis, qui ab Auctoribus circumferuntur, pono Conclusionem.

CONCLUSIO I.

Unitas Ecclesiæ in tribus consistit.

UNitas Ecclesiæ in tribus potissimùm consistit. 1. In unitate capitis perpetuo & indefectibiliter in corpus totum & membra influentis. 2. In membrorum singulari connexione & harmonia consonante tam respectu sui capitis, quàm ad invicem. 3. In eo, quod in unum & eundem finem omnia membra conspirent. Ac

1. in unitate Capitis influentis in corpus, Ephel. 4. 15. 16.

Primò quidem *ab unitate capitis* unitatem Ecclesiæ probat S. Paulus suprà ad Ephes. 4. *Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia, qui est caput Christus: Ex quo* (inquit) *totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem in mensurā uniuscujusque mēbri.* In quibus verbis clarè innuitur influxus capitis Christi in Ecclesiæ corpus juxta necessitatem membrorum. Eandem unitatem ex unitate capitis probat eodem argumento 1. Cor. 12. *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Et iterum suprà ad Ephes. 4. Unitatem Ecclesiæ arguit ex eo, quòd sit *Unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Eph. 4. 6.

1. Cor. 1. 4. 5. 6.

Notandum porro est, diversimodè in Scripturis exprimi influentiam illam principii sive capitis unius, ut ostendatur tota Trinitas in Ecclesiā influere: Modò enim sub nomine *Patris*, sive *Dei*, ut in immediatè allegato textu ad Ephes. 4. Aliquando sub nomine *Spiritus sancti*, ut iterum suprà 1. ad Corinth. 12. Aliquando & frequentissimè sub nomine *Christi* qui non solùm est caput Ecclesiæ ex ratione Divinitatis, seu divinæ operationis; sed cōgruentissimè per conformitatē ejusdem naturæ, juxta illam subordinationem 1. ad Cor. 11. *Omnis viri caput Christus est, caput autem mulieris, vir, caput autem Christi, Deus.* De Christo verò specialissime ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Et amplissime ad Coloss. 1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ, qui est principiū, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens quia in ipso complacuit omnem plenitudinē inhabitare & per eum reconciliare omnia in ipsum* &c. Ab hac etiam unitate capitis, Ecclesia vocatur *Regnum Dei & potestas Christi.* Apoc. Et c. 21. vocatur *Templum Dei* &c.

1. Co. 11. 3. Ephes. 1. 22. 23. Coloss. 1. 18. 19. Apoc. 12. 10. Apoc. 21. 22.

Ad unitatē capitis spectat Vicaria potestas Papæ.

Porrò ad hanc unitatem pertinet vicaria capitis potestas Petro & successoribus ejus collata, per quam Petrus Christi Vicarius à Lapide Angulari, ædificationi Ecclesiæ Petra secundaria substrata est dicente Domino Matth. 16. *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et Ioan. 21. data fide trinā de amore capitis, ad duas priores professiones amoris Christus demandavit Petro: *Pasce agnos meos*; ad tertiam autem tam quàm ferventiorem (contristatus enim erat Petrus,) additum est: *Pasce oves meas.* Et ne de infirmitate, inconstantia, aut fallibilitate illius suspicio incertitudinem generaret, Luc. 22. etiam ante lapsum ei prædixerat Dominus: *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et hæc unitatis primi principii & capitis Christi singularis providentia, ut quia iturus erat ad Patrem & præsentiā visibili Discipulos & Ecclesiā derelicturus, in terris Vicarium relinqueret visibilem, non ut caput primitivum, cujus unitate, veritate, bonitate, potentiā & auctoritate constituta est Ecclesia, cujusque influentiis totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur: sed ut caput vicarium in unitate, veritate, bonitate, potentia & auctoritate primi capitis Ecclesiæ præsidens, Ecclesiam regens potentiā universali clavium singulariter sibi commissa. Sed de his iterùm, cùm de summo Pontifice agemus.

Mat. 16. 18. Ioan. 21. 15. 16. *Vers.* 17. Luc. 22. 31. 32.

2. In mēbrorū connexione tā ad caput quam ad se invicē.

Secundò unitas Ecclesiæ cōsistit: *In membrorum singulari connexione & harmonia consonāte, non solum respectu sui capitis, sed etiam ad invicem.*

cem. Et hanc unitatem probant, quæ de similitudine Corporis unius passim ab Apostolo traduntur. 1. ad Corinth. 12. *Sicut enim Corpus unum est, & membra habet multa: Omnia autem membra Corporis cùm sint multa, unum tamen corpus sunt, ita & Christus. Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus sive Judæi, sive Gentiles, sive servi, sive liberi.* Quæ prosequitur discurrendo per præcipua membra & eorum actiones. Idem ad Rom. 12. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo singuli autem alter alterius membra.*

1. Cor. 12. 12. — *Vers. 13.* — Rom. 12. 4 — *Vers. 5.*

In quibus illa cõnexio consistat.

Porrò illa connexio & consonantia diversorum & multiplicium membrorum inter se præter eam quæ est ad unum Caput, fit in una & vera Fide, Spe, Charitate, in uno Baptismo & eorundem Sacramentorum participatione, in una eademque Doctrina Fidei, & morum, conformitate ad mandata Dei & Filii ejus Christi JESU in uno Evangelio & una Scriptura, in uno unius trinique Dei cultu. *In obedientiam* (ut loquitur Petrus) *& aspersionem Sanguinis* JESU *Christi.* Et hæc sunt quæ passim de hac Ecclesiæ Unitate Apostoli in Epistolis suis tradunt, cum de una vocatione, de uno corpore loquuntur, quæ in superioribus frequenter citata sunt. Singularis autem & compendiosus locus est, ad Ephes. 4. Ubi cum monuisset Apostolus Ephesios, ut ambularent, dignè vocatione quà vocati erant, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis: *Unum* (inquit) *Corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ.* Et unitatis illius modos velut distribuens: *Unus* (inquit) *Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis, &c.* Ubi sub uno Domino intelligitur obedientia una, & connexio ac dependentia, ab uno capite: sub una fide cõprehenditur non sola fides, sed etiam spes, (*est enim fides sperandarum substantia, rerum argumentum non apparentium,*) comprehenditur & Charitas, & operatio (*Fides* enim *sine operibus mortua est.* Et sola *Fides quæ per Charitatem operatur*, ab Apostolo celebratur) sub una Fide denique comprehenditur Doctrinæ & Scripturarum Sacrarum unitas, per quam fides generatur & conservatur. Sub uno baptismo S. Matris Ecclesiæ Sacramentorum omnium participatio indicatur, quia baptismus Sacramentorum omnium janua est. Sub uno Deo, Dei verus cultus, in quo fideles uniuntur, exprimitur. Denique sub Titulo *Patris, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus*; unitas familiæ christianæ designatur, cujus generatio ab uno, in uno, & ad unum, & uni reservatur, ut nulla sit divisio, sed perfectissima unitas, de qua velut supereminente, & divina loquitur Christus Ioan. 17. *Non pro eis rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me; ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint.* Infrà: *Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.*

1. Petr. 1. 2. — *Nota.* — Ephes. 4. 4. — *Vers. 5.* — *Vers. 6.* — Hebr. 11. 1. — Iac. 2. 20. 26. — Gal. 5. 6. — Ioan. 17. 20. — *Vers. 11.* — *Vers. 23.*

3. In eo quod in unum eundemq; finem omnia membra conspirent.

Tertiò, Ecclesiæ unitas in hoc clarescit: *quòd in unum & eundem finem omnia membra conspirent.* Quod latissime deducit Apostolus 1. ad Corinth. 12. Ubi relatis operationibus diversis membrorum corporis, eum finem ponit: *Ut non sit schisma in corpore, sed id ipsum pro invicem sollicita sint membra. Et si quid* (inquit) *patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Vos autem* (addit) *estis corpus Christi & membra de membro.* In quibus omnibus finem ponit Charitatem, quæ numquam excidit, sed in æterna beatitudine manet & completur.

1 Cor. 12. 25. — *Vers. 27.*

Eandem deductionem eodem finali termino cõmpleverat idem Apostolus ad Ephes. 4. Ubi cùm retulisset diversa dona & officia diversorum in Ecclesia membrorum in uno fine omnia unit. *Ad consummationem* (inquit) *Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Vide explicationem diffinitionis Ecclesiæ suprà.

Ephes. 4. 12. — *Vers. 13.*

CONCLUSIO II.

Extra Ecclesiã nulla est salus S. Fulgent.

EXtra *Ecclesiæ unitatem nulla salus superest.* Ita S. August. sive potiùs Fulgentius lib. de fide ad Petrum c. 39. *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum sive schismaticum, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti baptizatum, Si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascumque eleëmosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari: Omni enim homini, qui Ecclesiæ Catholicæ non tenet unitatem, neque Baptismus, neque eleemosyna, quamlibet copiosa, neque mors pro Christi nomine suscepta proficere poterit ad salutem, quamdiu in eo hæretica vel schismatica pravitas perseverat, quæ ducit ad mortem.*

DUBIUM INCIDENTALE.

Qui stet ejus unitas cum multitudine legum, & observantiarũ quæ apud diversas nationes usurpantur.

PEtes, quomodo potest salvari unitas Ecclesiæ in tanta divisione ceremoniarum & legum sive constitutionum, quæ apud diversas Nationes usurpantur, ut constat de Ecclesia Latina & Græca, imò & de diversis non tantum Nationibus, sed etiam Diœcesibus? Resp. Duplices dari posse ceremonias & leges sive constitutiones: aliæ enim accidẽtales sunt, nec essentialem Doctrinam Fidei & morum in iis, quæ ad salutem necessaria sunt, contingunt; ut sunt quidam Ritus & Leges privatæ certis nationibus pro conditione locorum & personarum competentes: Aliæ sunt, quæ Doctrinam salutarem fidei, & morum ac Sacramentorum essentialiter concernunt.

Illa differentia est tantùm accidentalis. — 1 Cor. 12. 11

Dico itaque 1. sicut diversa officia, status & gradus ac diversæ hominũ conditiones in Ecclesia unitati ejus non præjudicant, quia *unus atq; idem est spiritus, dividens singulis prout vult*, sic nec Ritus nec Ceremonias aut leges accidentales unitati Ecclesiæ præjudicare: imò ad decorem Ecclesiæ pertinere, quæ etsi deaurato

uno

Psal.44. 10. uno charitatis vestimento in fimbriis aureis amicta sit, *circumdata* tamen *varietate* Psal.44. decorè describitur. Et hâc solâ ratione accidentali in diversis Ecclesiis aliqua diversitas reperitur, prout indicat S. August. Hom. 1. in Apoc. de septem Ecclesiis Asiæ. Et Tract. 118. in Joan. de quadripartita veste Christi, unâ inconsutili & indivisâ remanente. *Quadripartita* (inquit) *vestis Domini* IESU *Christi quadripartitam figuravit ejus Ecclesiam, toto scilicet, qui quatuor partibus constat, terrarum orbe diffusam*, &c. Hæ sunt quatuor Patriarchales Alexandrina, Antiochena, Constantinopolitana, Hierosolymitana. Subdit verò: *Tunica verò inconsutilis, ne aliquando dissuatur, & ad unum pervenit, quia in unum omnes colligit. Sicut in Apostolis, cum esset etiam ipse numerus duodenarius, id est, quadripartitus in ternos, & omnes essent interrogati, solus Petrus respondit*: Tu es Christus Filius Dei vivi: *Et ei dicitur*: Tibi dabo Claves Regni Cælorum. Hæc ille.

S. Augustin. — Math.16. 16

circa essentialia est in universa ecclesia perfecta unitas. Dico 2. In Doctrinâ velut essentiali fidei, Sacramentorum & morum Ecclesias quantumcumque dispersas divisionem non admittere. Vide suprà dicta.

QUÆSTIO IV.

Qualiter Ecclesia novi Testamenti dicatur Sancta?

In ecclesia boni malis permixti. Certum est in Ecclesia Catholica non omnes Sanctos esse, sed bonos malis permixtos velut zizania cum tritico in agro Domini, velut pisces bonos cum malis in sagena Apostolica, velut Virgines fatuas cum prudentibus, quæ omnes exeunt obviam Sponso & Sponsæ. Unde Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 43. (*S. Fulgent.*) *Firmissimè tene & nullatenus dubites Arcam Dei esse Ecclesiam Catholicam, & intra eam usque in finem sæculorum frumento mixtas paleas contineri, hoc est, bonis malos Sacramentorum communione misceri, & in omni professione sive Clericorum sive Monachorum sive Laicorum bonos simul esse & malos.* Hæc ibi. Quæritur igitur cur Ecclesia Catholica novi Testamenti vocetur per quandam antonomasiam, *Sancta*, si in ea etiam mali vivant?

CONCLUSIO I.

Nomen sanctitatis à principio attributum est omnibus fidelibus, qui per baptismum Ecclesiæ incorporati fuerunt. Hæc Conclusio trivialis est, & ex principiis & discursu omnium ferè epistolarum Apostolorum manifesta, ad Rom. 1. *Omnibus, qui sunt Romæ, vocatis Sanctis.* 1. ad Corinth. 1. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, sanctificatis in Christo* IESU, *vocatis Sanctis*, & 2. cap. 1. *Ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cum omnibus Sanctis, qui sunt in universa Achaia.* Ad Ephes. 1. *Omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in Christo* IESU. Item ad Philippens. 1. Ad Coloss. 1. &c.

Rom.1.7. 1.Cor.1.2. 2.Cor.1.1. Ephes.1.1. Phil.1.1. Colos.1.2.

CONCLUSIO II.

Ecclesia dicitur Sancta. *Nomen Sanctitatis debetur Ecclesiæ novi Testamenti multiplicibus titulis*, Hi verò ut plurimum sunt sequentes.

1. Quia per baptismum Deo consecrata. Lev.27 9. Deut.14 2. 1. *Quia Ecclesia & Cœtus fidelium sunt Deo per baptismum dicata & consecrata*, Quòd autem Deo consecratum est & dedicatum, *Sanctum* nuncupatur Levit. 27. Unde & Deut. 14. de Populo Israël dicitur: *Populus Sanctus es Domino Deo tuo, & te elegit, ut sis ei in populum peculiarem*: Quantò magis de ecclesia Sponsa Christi, de qua ad Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sancta sit & immaculata.* In quibus verbis cæteri fere tituli Sanctitatis, ratione quorum ecclesia dicitur *Sancta*, insinuantur. Ephes.5.25 Vers. 26. Vers. 27.

2. Quia velut Corpus & Sponsa Christo cōjuncta. 1.Cor.1.30 Rom.5.18. 2. Igitur ecclesia vocatur *Sancta*: *quia velut Corpus & Sponsa Sancti Sanctorum inseparabiliter est conjuncta, qui*, ut ait Paulus 1. ad Corinth. 1. *Factus est nobis sapientia à Deo, & justitia & sanctificatio, & redemptio* Sicut, inquit ad Rom. 5. *per unius delictū in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiā in omnes homines in justificationē vitæ.* Qualiter verò ecclesia corpus sit Christi, & Christo ut capiti connectatur, sufficientèr diximus q. 2. & 3. dum de Unitate ecclesiæ ageremus. Qualiter autem membra omnia, tam sana, quàm infirma, capiti Christo Sancto Sanctorum conjungantur, explicat eleganter S. Augustinus Serm. 107. de Tempore. (*S. Augustin.*) *Christus totus quomodo eum Scriptura commendat, & caput & corpus est, sicut Ecclesiæ caput est Christus, ita Christi corpus Ecclesia est. Habet ergo Ecclesia in se fortes, habet infirmos: habet justos, habet & injustos. Modo enim corpus Christi, quod justis area est, postea horreum erit. Tamen cum area est nō recusat paleas sustinere. Cum tempus advenerit, reponet triticum & à paleis segregabit.* Et libr. 1. de Moribus ecclesiæ Cath. c.34 docet malos remanere, ut conjungantur, & influxu capitis reviviscant. (*S. Augustin.*) *Nunc* (ait) *vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ catholicæ maledicere desinatis, vituperādo mores hominum, quos & ipsa condemnat & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet: sed quicunque illorum bonâ voluntate Deiq; auxilio corriguntur, quod amiserāt peccādo pœnitendo recuperant.* Hæc ibi Qualiter autem etiam concurrat totum corpus ecclesiæ ad sanitatem membrorum infirmorum & morbidorum, hoc est, malorum Christianorum, notanter docet Aug. seu Auctor libr. de vera & falsa Pœnitentia c.12. (*S. Augustin.*) *Credendum* (inquit) *est, & pietas fidei expostulat credere, quòd omnes eleēmosynæ totius Ecclesiæ, & orationes, & opera justitiæ & misericordiæ succurrant recognoscenti mortem suam ad conversionem suam. Ideoq; nemo dignè pœnitere potest, quem non sustineat unitas Ecclesiæ.* Sententia verè aureis literis inscribenda, quâ distinguitur Christianus malus ab hæretico vel schismatico in ratione (*Discrimē mali Christiani ab hæretico vel schismatico.*)

tione

tione conversionis & pœnitentię. Quòd Christianus malus, in fide & unitate Ecclesiæ perseverans, cõmunicet adhuc cum corpore commoda correctionum, doctrinæ, eleëmosynarũ, orationum, bonorum operum tam justitiæ, quam misericordiæ, ut possit suam mortem agnoscere & vivificari: Ille autem, qui à corpore est rescissus & quem unitas non sustinet, consequenter in istis non communicet, nec possit dignè pœniteri, nisi ad Ecclesiã priùs revertatur. Et hic indicatur vis magna communionis Sanctorum: In Ecclesia enim communio illa Sanctorum non tantùm intelligitur illa, quæ inter Sanctos & viva membra Ecclesiæ ad invicem reperitur; sed etiam quæ à Sanctis & Iustis in Ecclesia viventibus, in peccatores Ecclesiæ unionem servantes derivatur, ut Psalmista Psal. 118. testatur, qui etsi se peccatorem & funibus peccatorum circumplexum asseruerit:
Ps. 118. 63. *Particeps* (tamen ait) *ego sum omnium timẽtium te, & custodientium mandata tua.*

Vim etiam conjunctionis Ecclesiæ ad sponsum non minùs fructuose, quã nervose exprimit idem Augustinus lib. 4. de Symbolo ad Ca-
S. Aug. techumenos c. 13. *Ecclesia* (inquit) *mater spiritualis est, Ecclesia sponsa Christi est, gratia ejus dealbata, pretioso sanguine dotata. Totum possidet, quod a viro suo accepit in dote. Lege tabulas matrimoniales ejus, recitabo. Audite hæretici, quid*
Luc. 24. 46. *scriptum sit*; Oportebat Christum pati & resurgere à mortuis, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccatorum per omnes gentes. *Omnes gentes, totus mundus est. Ecclesia totum possidet, quod à viro suo accepit in dote:* Hæc August. Ubi ratio tertij tituli ponitur, quo Ecclesia vocatur *Sancta*, ob baptismum nimirum & remissionem peccatorum.

3. *Quia in ea sola datur remissio peccatorum.* 3. Ecclesia vocatur *Sancta*, *quia in illa sola datur remissio peccatorum, sive per baptismum, per quem omnes fideles sanctificantur, sive per pœnitentiam, per quam peccatores ad sanctitatem & gratiam revertuntur.* Hæc est dos Ecclesiæ de qua suprà S. Augustinus, prædicatio nimirum baptismi & pœnitentiæ in remissionem peccatorum: hæc est dos sponsæ, *quam mundat lavacro aquæ in verbo vitæ.* Porrò in sola Ecclesia est vera remissio peccatorum, & ideò Ecclesia sola *Sancta* Unde ait S. Augustinus
S. Aug. tract. 10. in Epist. Ioannis in fine: *Evangelium*
Luc. 24. 46. *loquitur*: Oportebat pati Christum, & resurgere à mortuis die tertiâ, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remissionem peccato-
Mat. 16. 19. rum. *Ubi remissio peccatorum, Ecclesia est. Quomodo Ecclesia? Illi enim dictum est*: Tibi dabo claves regni cælorum, & quæ solveris in terra, soluta erunt & in cælis, & quæ ligaveris in terra, erunt ligata & in cælis. *Quà diffunditur ista remissio peccatorum? Per omnes gentes, incipientes ab Ierusalem.*

A sanctitate itaque baptismi Ecclesia *Sancta* vocatur: In baptismo enim remittuntur omnia peccata, in baptismo ad novitatem vitæ rege-
Rom. 6. 3. vers. 4. neratur homo: *Quicũque enim baptizati sumus* (ait Apostolus ad Rom. 6.) *in Christo* IESV, *in morte ipsius baptizati sumus. consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Nec quemquã movere debet, quòd etiã baptismus inter hæreticos ministretur, nam, ut benè Fulgentius l. de fide S. Fulgen.
ad Petrum Diaconum c. 3. *Baptismus extra Ecclesiam quidem esse potest, sed nisi in Ecclesia prodesse nequit.* In Ecclesia igitur tantũ modo Catholica potest unicuiq; prodesse & perceptio baptismatis, & opera misericordiæ, & nominis Christi gloriosa confessio &c. Et c. 37. *Firmissimè tene & nullatenùs dubites, omnem extra Ecclesiam Catholicam baptizatum participem non posse fieri vitæ æternæ, si ante finem vitæ hujus Catholicus non fuerit redditus atq; incorporatus Ecclesiæ.* Quod de adultis est intelligendum.

Demum Ecclesia *Sancta* vocatur: *Quia & peccantibus post baptismum parata est restitutio sanctitatis per pœnitentiam & Ecclesiæ claves:* Quæ Petro primum, deinde cæteris Apostolis post resurrectionem per insufflationem Joan. 20. 23.
Spiritus sancti concessæ sunt: *Quorum* (inquit) *remiseritis peccata remittuntur eis*, de quibus Tomo primo plus satis.

4. Ecclesia *Sancta* nuncupatur: *Quia quicumque ad Ecclesiã vocantur & veniunt, ad sanctitatem & vitam puram vocantur, & se quodã modo obstringunt.* Ita Paulus suprà: *Ut* (inquit) *in novitate vitæ ambulemus.* Infra: *Nũc* (inquit) *liberati a peccato, servi autẽ facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Unde S. Augustinus tract. 5. in Epist. B. Ioannis circa medium. *Ecce* (inquit) *accepit sacramentum nativitatis homo baptizatus. Sacramentum habet, & magnum sacramentum, divinum, sanctum, ineffabile. Considera quale; ut novum hominem faciat &c.* Sed de his posteà latius, cum de obligatione Christianorum, ut Christiani sunt, infrà agemus. *4. Quia qui ad ecclesiã veniunt ad sanctitatẽ se obligant* Rom. 6. v. 4. 22 *S. Augustin.*

5. *Sancta* dicitur Ecclesia à *doctrina fidei & morum, quæ in Ecclesia non tãtum incorrupta est, sed etiam incorruptibilitatẽ continet.* Hinc & in hoc mundo potest ex hac ratione dici Ecclesia sine macula, sine ruga, quia in doctrina fidei & morum errare non potest: est enim juxta Apostolum 1. ad Timoth. 3. *Ecclesia Dei vivi, colũna & firmamentum veritatis.* Contra quam nec portæ inferi prævalere poterunt. Et ut benè S. August. Epist. 119. ad Januarium c. 19. *Etsi Ecclesia Dei inter multam paleã multaq; zizania constituta multa tolerat; tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit.* Ex quo Epist. 118. c. 5. pro regula generali ponit: Quod liberè facere possimus. *Si quid* (in moribus) *tota per orbem frequentat Ecclesia: nam & hinc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insania est.* *5. A doctrina fidei & morum.* 1. Tim. 3. 15. *S. Aug.* *Idem.*

6. Ecclesia vocatur *Sancta*: *Quia supremum sanctitatis apicem qui est in abnegatione creaturarum, & sui ipsius, bajulatione crucis, & sequela Christi docet in gradu supremo* charitatis ponendi animam suã pro Christo, & in suis membris ad praxim deducit. Ita: *Qui non renuntiat omnibus quæ possidet, nõ potest meus esse discipulus.* Luc. 14. 33
Qui vult venire pòst me, abneget semetipsum, & tollat Matt. 16. 24. *6. Quia docet sanctitatis perfectionem.*

tollat crucem suam, & sequatur me, &c. Vide & alia loca.

Ephes. 1. 3. vers. 4.

7. *Sancta* vocatur Ecclesia *à fine ad quem fideles sunt vocati*, qui est facere fideles sanctos & immaculatos, ad Ephes. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in cælestibus in Christo, &c. ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.*

QUÆSTIO V.

Unde dicatur Ecclesia novi Testamenti Catholica?

CONCLUSIO UNICA.

Ecclesia dicitur Catholica ab omnimoda universalitate.

AB *hoc dicitur Ecclesia Catholica, quia quamvis unica sit, & in morali entitate sua individua & indivisibilis, nihilominùs ex omni sua conditione universalis est & universalitatē habet,* Καθολικὸν enim Græce, Latine *universale* dicitur, & Καθολὸν Græcè, Latinè sonat idem quod *secundum totum*, utique quia omni sui parte universalis.

Porrò hæc Universalitas à variis sumitur.

1. Ab universalitate loci. Mar 16. 15. Mat. 28. 19. Act. 1. 8.

1. *A loco:* Quia per universum orbem successive diffusa est, Marci ult. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ.* Item Matth. ult. *Docete omnes gentes baptizātes eos &c.* Act. 1. *Eritis mihi testes in Ierusalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* Unde & traditio Ecclesiæ est, ante adventum Antichristi Evangelium in universo orbe prædicandum, juxta illud Psalm. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Et Malach. 1. *Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.*

Ps. 18. 4. Mal. 1. 11.

2. Ab universalitate hominum. Tit. 2. 11.

2. Sumitur *Ab omni hominum conditione quia nullus ab illa excluditur*, sed omnes ad illam revocantur, & in illa simul habitāt ut unius corporis membra, sive Barbarus, sive Scytha, sive servus, sive liber, simul in unum dives & pauper. *Apparuit enim* (ait S. Paulus ad Tit. 2.) *Gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus:* Et in Apoc. describitur in cælis congregata *ex omni tribu, lingua populo & natione.* præclarè S. August. Tract. 32. in Ioan. ex hac universalitate probat Ecclesiam possidere omni tempore donum linguarum, & loqui omnibus linguis, quia in suis membris omnia idiomata possidet: *Cùm ergo* (inquit) *& modò accipiatur* (Spiritus sanctus) *dixerit aliquis: Quarè nemo loquitur linguis omnium gentium?* Respondet: *Quia jam ipsa Ecclesia linguis omnium gentium loquitur.* Et infrà: *Loquor planè* (utiq; omnibus linguis) *Quia omnis lingua mea est, id est, ejus corporis cujus membrū sum. Diffusa Ecclesia per gentes loquitur omnibus linguis* &c. *Cùm ergo membrum sis ejus corporis, quod loquitur omnibus linguis, crede te loqui omnibus linguis.* Et suprà dans rationem quare Spiritus sanctus datus esset in figurá linguarum post medium: *Quia* (inquit) *significabat futurum, ut crescendo per gentes* (Ecclesia) *loqueretur linguis omnium.*

S. Augustinus.

3. Ab universalitate temporum.

3. Universalitas Ecclesiæ desumi potest, *ab universalitate temporum*: Illa enim prout incœpit ab Adam sive Abel justo omnes mundi ætates percurrit, quæ autem est novi Testamenti usque ad consummationem quidem sæculi in terris conservanda est, æternitati utique adscripta in cælis. Vide quæ diximus in definitionibus Ecclesiæ.

4. Ab universalitate doctrinæ, &c.

4. Universalitas Ecclesiæ deduci potest *ab universalitate doctrinæ fidei, & necessariorum ad salutem*: Ita enim doctrina fidei & necessariorum ad salutem una est in omnibus, ut etiam omnia comprehendat. Hoc est enim Evangelium universale, quod mandat Christus Marci ult. *prædicari omni creaturæ*; Hæc est doctrina universalis, de quá Matth. ult. *Docete* (inquit) *omnes gentes &c. docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis:* Et ego (inquit) *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Quod exponens S. Aug. & unitatem simul & universalitatē doctrinæ Ecclesiæ ostendere volens in Psal. 56. in principio. *Si* (inquit) *nobiscum est, loquitur in nobis, loquitur de nobis, loquitur per nos, quia & nos loquimur in illo. & ideò verum loquimur, qui in illo loquimur. Nam quando in nobis, & ex nobis loqui voluerimus, in mendacio remanebimus.* Hanc etiam doctrinæ universalitatē Salvator ostendit, ubi Spiritum sanctum Ecclesiæ promittit, Ioan 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis &c.* Infrà: *Paraclitus autē Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* Et iterum cap. 16. *Cùm venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnē veritatem &c.* Quam universalitatē indivisam docuit Apostolus ad Gal. 1. *Miror* (inquit) *quòd sic tam citò transferemini ab eo, qui vos vocavit in gratiā Christi, in aliud Evangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

Marc. 16. 19. Matt. 28. 19. *S. Augustin.* Joan. 14. 16. *vers. 26.* Joan. 16. 13. Gal. 1. 6. *vers. 7.*

5. Ratione mediorū.

5. Ecclesia dicitur universalis; *Quia universa natura humana sananda congrua continet in se remedia Sacramentorum & aliorū auxiliorum & opitulationum.* Quam rationem universalitatis attigit S. August. l. 10. de Civit. Dei, & S. Isidorus in libro de Origine Officiorū. Alij alias adferunt rationes universalitatis Ecclesiæ, sed cum prænotatis concidunt, vel facilè ad illas reducuntur. Omitto lubens, ne sim prolixior, Aliquos verò subnecto dubia.

S. Aug. S. Isidor.

DUBIUM I.

Quando Ecclesia nomen hoc Catholica assumpserit?

DE nomine *Christiani* testimonium authenticum habemus in Scriptura, nam Antiochiæ primùm vocatos Discipulos sive fideles, Christianos docet Lucas Act. c. 11. sed de nomine *Catholici*, vel *Ecclesia Catholica*, singularem

Act. 11. 26.

larem denotationem temporis non habemus, nihilominus antiquissimum nomen esse patet ex disceptationibus hæreticorum, qui hoc nomen vel impugnant vel affectant.

RESOLUTIO.

Post tempora Apostolorum, quando hæreses multiplicari cœperunt, ut veri fideles & Ecclesia Christi ab hæreticis & conventiculis eorum, qui se segregabant, etiam nomine discernerentur, vocati sunt Fideles Catholici, & Ecclesia dicta Catholica. Ita Pacianus Episcopus Barchinonensis Epistola 1. ad Sempronianum Novatianum, quæ habetur Tom. 4. Biblioth. SS. PP. Ubi cùm de antiquitate nominis *Catholici* disputasset, sibi objicit: *Sed sub Apostolis, inquies, nemo Catholicus vocabatur;* Respondet *Esto sic fuerit, vel illud indulge. Cùm post Apostolos hæreses extitissent, diversisq; nominibus Columbam Dei atque Reginam lacerare per partes & scindere niterentur: Nonne cognomen suum plebs Apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei Virginem error aliquorum per membra laceraret?* Infra: *Certè non est ab homine mutuatum, quod per sæcula tanta non cecidit Catholicum istud; Nec Marcionem, nec Appellem, nec Montanum sonat, nec hæreticos sumit auctores: Multa nos Spiritus sanctus edocuit, quem paraclitum Apostolis & magistrum Deus misit è cælis: multa ratio sicut dicit Apostolus & honestas, & (ut ait) ipsa natura.* Iterum infrà: *Nec tamen æstues frater: Christianus mihi nomen est. Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat. istud ostendit: hoc probor, inde significor. Et si reddenda de postremo Catholico vocabulo ratio est, & exprimenda de Græco interpretatione Romanâ, Catholicus ubiq; unum, vel (ut Doctiores putant) obedientia omnium nuncupatur mandatorum, scilicet Dei; Unde Apostolus:* sic in omnibus obedientes estis. *Et iterum:* Sicut per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi, sic per dicto audientiam unius justi constituentur multi. *Ergo qui Catholicus, idem justi obediens: Qui obediens idem est Christianus, atque ita Catholicus, Christianus est. Quarè ab hæretico nomine noster populus hàc appellatione dividitur, cùm Catholicus nuncupatur.* Hæc ibi, quæ latius prosequitur, ubi per *ubique unum*, intelligit totum, sive ex multitudine unitum, quod exprimit posteà per obedientem.

Pacianus. — Rom. 5.19

Hoc porrò nomen *Catholici*, vel Ecclesiæ *Catholicæ*, ita celebre fuit & Orthodoxæ fidei & Ecclesiæ proprium, ut quamvis hæretici illud usurpare, & sancto illo nomine suos errores aut tegere, aut ornare studerent; nulli tamen umquam cessit errori. In disputationibus sanè cum hæreticis, prima semper quæstio fuit de *Catholico* nomine, ut ex citata suprà Paciani Epistola constat, & Optatus Milevitanus l. 1. refert super hujuscemodi quæstione missos In Africam duos Episcopos, qui totos 48. dies consumpserunt, ut ubi esset *Catholica* diffinirent. Quam etiam quæstionem moram inter Catholicos & Donatistas refert S. August. in Breviculo Collat. Collat. 3. *Inter hæc (inquit) de Catholico nomine, apud quos potiùs esset, pauca ab utraque invicem dicta & objecta sunt.* Et conclusionem quæstionis referens, Catholicos se meritò esse & vocari ait: *Quia Ecclesia toto orbe diffusa ipsi, non Donatistæ, communicant.* Et c. 4. l. contra Epistolam fundamenti allegans causas, quibus in Ecclesia Catholica justissimè teneretur: *Tenet (inquit) consensio populorum atque gentium: Tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa Sede Apostoli Petri, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: Tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista sola Ecclesia obtinuit, ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam vel domum audeat ostendere.*

Pacia. cit. Optatus Milevitan. — *S. August.* — *Idem.*

DUBIUM II.

Quid de nomine Romana Ecclesia?

Non defuerunt qui hoc nomen *Romanæ* Ecclæsiæ, tamquam sectarium seu alicujus sectæ notarent, ut *Catholici* nomen aut tollerent aut obscurarent. Sic enim & moderni hæretici Orthodoxos aliquo convitio notasse se credunt, cùm illos Romanos, aut Papistas, aut Pontificios indigitant.

RESOLUTIO.

Nomen Romanæ Ecclesiæ, Catholicam & Orthodoxam Ecclesiam designat, non à ratione Urbis Romanæ aut Diœcesis, sed a Sede Primaria Petri, ut Vicarii Universalis Christi, cui Universalis Ecclesia concredita est.

Pro qua Resolutione advertendũ est *Romanam* Ecclesiam dupliciter accipi posse. 1. Pro Ecclesia speciali, quæ est Romæ: Quomodo Interpretes intelligunt illud 1. Pet. 5. *Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone;* Babylon enim pro civitate Romana supponit: Et Paulus specialem habet Epistolam directam iis qui sunt Romæ, sive ad eam Ecclesiam quæ est Diœcesis Romanæ particulariter: Romana enim civitas, sicut & aliæ Episcopatum habet specialem & Diœcesim determinatam: Et Papa, præter generalem, quam supra universam Ecclesiam Cathedram obtinet, habet & specialem ad modum aliorum Episcopatuum Diœcesim ac Sedem in Urbe Roma, habens ibidem suum Vicarium, qui non est Vicarius Papæ, ut Papa est, sed Episcopi Romani, ut patet ex Decretal. Tit. de Officio Vicarii c. *Tua nobis*; Ubi dicitur: *Quoniam jurisdictio Vicarii quem Romanus Pontifex in Urbe relinquit, non extenditur extra illam, nisi ei specialiter sit concessum.*

Nomen Romanæ Ecclesiæ dupliciter accipitur. 1. Pro Ecclesia speciali quæ est Romæ. 1. Pet. 5.13. — *c. Tua nobis*

2. *Romana* Ecclesia accipitur pro Ecclesia *Universali & Catholica* ; denominatur verò *Romana* ex eo, quòd S. Petrus, ut Ecclesiæ Caput & Christi Vicarius super universum gregem Christi sibi commissum, Cathedram universalem Romæ fixerit, suisque ibidem Successoribus reliquerit: Unde *Romana* Ecclesia non à civitate Romana; sed à Petro, qui Romæ Cathedram universalem fixit & reliquit, magis denominari debet. Ita clarissimè Pelagius sive etiam Gelasius in Decreto Gratiani d. 21. c. *Quamvis*, relatus. *Quamvis* (inquit) *universa per orbem Catholica & apostolica constituta Ecclesia, unus thalamus Christi sit: tamen S. Romana Catholica & Apostolica Ecclesia nullis Synodicis constitutis cæteris Ecclesiis prælata est; sed Evangelica voce Domini & Salvatoris nostri Primatum obtinuit*: Tu es (*inquit*) Petrus, & super hanc Petram ædificabo ecclesiam meam: *Cui data est etiam societas beatissimi Pauli vasis electionis &c. qui supradictam pariter Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt, eamq; omnibus urbibus in universo mundo suâ præsentiâ atque venerando triumpho prætulerunt. Est ergo prima Apostoli Petri Sedes Romana Ecclesia non habens maculam atque rugam, nec aliquid ejusmodi.* Eadem ferè habet Anacletus Epist. ad omnes Episcopos. quæ habetur d. 22. c. *Sacrosancta*. Et Nicolaus Epist. ad Mediolanenses ibid. c. *Omnes*: *Omnes* (inquit) *sive Patriarchæ cujuslibet apicem, sive Metropoleon Primatus, aut Episcopatuum cathedras, vel Ecclesiarum sive Ordinis cujuscumque dignitatem instituit Romana Ecclesia: Illam verò solus ipse fundavit, & supra Petram fidei mox nascentis erexit, qui B. Petro æternæ vitæ clavigero, terreni simul & cœlestis imperii jura commisit: Non ergo qualibet terrena sententia, sed illud verbum, quo constructum est cœlum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam.* Hæc ibi. Ex quibus omnibus constat Ecclesiæ *Universalis & catholicæ* nomen, antonomasticos *Romana* Ecclesiæ dari: Quia S. Petrus, primus Christi super Universalem Ecclesiam Vicarius, eam fundavit, & in ea moriens Successoribus Universalem Pro-Capitis & Vicarij Christi potestatem reliquit, & Romanam Ecclesiam, ratione Successorum Petri, ut Ecclesiæ Caput & Ecclesiarum Matrem ac Rectricem cæteros omnes agnoverunt. Unde iterùm Anacletus Papa suprácitatus clarè ostendit: Alexandrinam quidem Sedem Petri nomine primò à Marco Discipulo consecratam, in ea tamen Petrum Universalis Ecclesiæ Primatum non reliquisse, quia Petro vivente & Ecclesiam Universalem administrante Ecclesiæ Alexandrinæ designatus est Successor specialis venerabilis Abilius. Similiter nec in Antiochena Sede Primatum fundatum fuisse, quia Petrus abiens Ignatium specialem Episcopum constituit. Et concludit de Romana. *Hæc verò Apostolica Sedes Caput* (inquit) *& cardo* (*ut præfatum est*) *à Domino & non ab aliis constituta est; & sicut cardine ostium regitur, sic hujus Apostolicæ S. Sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Domini disponente reguntur.* Hæc ibi. Igitur *Romana* ecclesia non est nomen sectæ aut civitatis singularis, ut urbs particularis est; sed est nomen *Universale*, à Capite & primatu Universali Romæ velut deposito denominationem accipiens, ex eo quod promissio facta Petro à Roma velut à Capite in cætera membra diffluat. Idem igitur supponunt nomina *Catholica & Romana*: *Catholica* quidem ab universalitate Corporis; *Romana* autem ab unitate Capitis in membra omnia influentis. Unde est illud axioma: *Ubicum que est Papa, ibi est & Roma.* Certe Romanam ecclesiam ut ecclesiarum Magistram futuram diversis modis compellavit Apostolus Paulus ad Rom. 1. *Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus vobis: quia fides vestra annunciatur in universo mundo.* Et c. 16. *Vestra enim obedientia in omnem locum divulgata est.* Et, velut in homagium, *Salutant vos omnes Ecclesiæ Christi.* Et in felix & consummatum augurium ac victoriam ultimam. *Deus* (ait) *pacis conterat satanam sub pedibus vestris velociter.* Et hæc sufficiant. Qui plura desiderat, videat Scriptores, qui ex professo de Ecclesia Catholica longe lateque tractarunt.

Gelasius Papa. c. Quamvis.
Mat.16.18
Anacletus Papa. c.Sacrosancta.
Nicolaus Papa. c.Omnes.
Anacletus suprà.
Ad Rom. 1.
c. 16.

QUÆSTIO VI.

Unde Ecclesia novi Testamenti dicatur Apostolica?

CONCLUSIO.

Nomen Apostolica, Ecclesia novi Testamenti variis de causis justissimè attributum est.

1. *Quia super Petro & Apostolis Ecclesia fundata est.* Et quidem super Petro tamquam immediato à Christo fundamento. Matth. 16. *Et ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, Super Apostolis autem ad Ephes. 2 dicuntur fideles *superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Unde & cap. 21 Apoc. describuntur Apostoli Sanctæ Civitatis fundamenta duodecim. *Et murus* (ait) *Civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Vide c. *Fundamenta* de Electione in 6.

2. *Quia per illos inchoata est Prædicatio Evangelij*, & ipsi velut primitiæ Evangelij sunt facti, vel primos Christianos ut primitias Ecclesiæ acquisiverunt: ad Rom. 8. Apostolus: *Nos ipsi* (inquit) *primitias Spiritus habentes, & ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes*, &c. ad Thess. 2. *Nos autem* (inquit) *debemus gratias agere Deo semper pro vobis &c. quod elegerit vos Deus primitias in salutem, in sanctificatione Spiritus, in fide veritatis, in qua & vocavit vos per Evangelium nostrum, in acquisitionem gloriæ D.N.Iesu Christi.*

Ecclesia dicitur Apostolica variis de causis. 1.
Mat.16.18
Ephes. 2. 20.
Apoc. 21. 14.
c. Fundamenta.
2.
Rom. 8. 23
2. ad Thess. 2. 13.

3. Quia

3. *Qui a tota dispositio, dispensatio, admini-*
stratio &c. Ecclesiæ Apostolis commendata fuit.
Rom.1. 14. Unde Paulus ad Rom. 1. Græcis & Barbaris
se debitorem agnoscit. Et 1. ad Cor. 3. de se &
1. Cor.3.4. primis Apostolis & discipulis loquens : *Quid*
(inquit) *Apollo? Quid Paulus? Ministri ejus cui*
Vers.9. *credidistis.* Infrà: *Dei enim adjutores sumus, Dei*
agricultura estis, Dei ædificatio estis Et cap. 4.
c.4.1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi &*
Dispensatores mysteriorum Dei. Et ad Ephes. 4.
Ephes.4. 11. *Pastores* vocantur & *Doctores.* Et psal. 44. vo-
cantur *Principes* pro Patriarchis constitui.
Ps.44.17. *Pro Patribus tuis* (inquit) *nati sunt tibi filij:*
Constitues eos Principes super omnem terram:
vide Allegoristas, qui de Apostolis Ecclesiæ
administratoribus primitivis loquentes om-
nia ferè, quæ duodecimo numero exprimun-
tur, illis per Allegoriam attribuunt, ut quod de
Gen.35. 22. duodecim Patriarchis filiis Jacob Genes. 35.
Duodecim fontibus deserti Exod. 15. Duode-
Exod.15. 27. cim lapidibus altaris 3. Reg.18. Duodecim vir-
gis Num. 17. Duodecim lapidibus in Jordane
3.Reg.18. 31. Jos.4. Duodecim bobus in mari æneo 3. Reg.
7. Et vitæ Num. 7. Sacrificia omnia numero
Num.17. 2. duodecimo in dedicatione altaris, quando un-
ctum est, fuisse oblata. Duodecim stellæ in
Ios. 4.3. corona sponsæ Apoc. 12. Duodecim portæ
3. Reg. 7. 25. civitatis Hierusalem Apoc. 21. &c. Omnia
porrò hæc Mysteria Apostolicæ Ecclesiæ ac-
Num. 7. commodata vide apud Interpretes.
Apoc.12.1 Petes: Cur pro nota singulari *Ecclesia* non
Apoc.21. 12. vocatur *Prophetica & Christiana?* Resp. Ex ver-
bis Christi. Non vocari *Propheticam*, quia *Pro-*
Cur ecclesia non vocetur Prophetica & Christiana. *pheta usq; ad Joannem,* & Prophetiæ terminabā-
tur ad Apostolos: Omnes enim in Christum &
Ecclesiam tamquam in finem ferebantur:
Unde & Apostolus suprà ad Ephes. 2. Fideles
dicit. *Fundatos supra fundamentum Apostolorū*
& Prophetarum, quia Prophetarum virtus in
Mat.11.13. Apostolis splendescebat. De *Cristiana* autem
Ephes.2. 20. nomine non est Quæstio: primò enim vocati
sumus *Chrestiani*; sed, ut superiùs dictū est quia
omnes etiam hæretici se *Christianos* nuncupāt,
cognomen *Catholica* utrumque complectens
prævaluit, ut à cognomento meliùs Ecclesiæ
specificaretur.

EXCUSATIO AUCTORIS AD LECTOREM.

Ignosce (Candide Lector) si in exordio hujus tertii Tomi videar à linea declinare, dum discursum longiorem de proprietatibus ecclesiæ Matris prosequor. Neque enim id à proposita meta omninò alienum Debui namque priùs Matris dignitatem velut prælibare, cùm de filiorum Obligationibus, Conditionibus, Peccatis mihi posteà disputandum sit. Oportuisset enim illa inconcinnè & non sine confusione interdum repetere. Ignosce si, dum brevis esse volo obscurior fiā, & rem pro sua dignitate non explicem: habes enim doctissimorum virorum faces, qui lumen præbeant, & velut exorto jubare splendorem Matris ecclesiæ integris voluminibus tibi aperiant. Meo quidem proposito fecisse satis judicavi, si Matrem ecclesiam, quæ te Deo peperit, tibi à natura & proprietatibus venerandam ostenderem, ut scias quo timore, quo amore, qua reverentia, qua obedientia illam prosequi tenearis.

TITULUS II.

De Variis Ecclesiæ Militantis Statibus Officiis, Gradibus, qui est totius ferè Operis Synopsis & Oeconomia.

QUÆSTIO I.

Quid denotetur his nominibus Status, Officia, Gradus?

Etsi sæpiùs hæc nomina ad invicem confunduntur, ipsorum tamen distinctio materiæ, de qua agimus, non mediocrem claritatem allatura est. Quare proprietatem significationis uniuscujusque termini breviter perstringo.

CONCLUSIO I.

Status in ecclesia Dei dicitur: Conditio sive *Quid status?*
modus quidam vivendi aliquarum persona-
rum permanens, certis legibus & regulis firma-
tus. Hæc Conclusio desumitur quoad substan-
tiā ex variis descriptionibus & doctrina Scho-
lasticorum: *D. Thomæ 2. 2. q. 183. a 1. Scoti in 1.* *S.Thom.*
d.3.q.3.ar.2. Illam verò sic declaro. *Scotus.*

Primò igitur dicitur (*Conditio sive modus vivendi aliquarum personarum &c.*) Denotat enim Status genus quoddam vitæ, sive generalem vivendi rationem per aliquam differentiam contractam, & nō omnibus, sed aliquibus ex universalitate personis conveniens. Quomodo in universalitate hominum qui fuerunt, sunt & erunt, aliqui reputantur in Statu Innocentiæ; Alii in Statu Legis Scriptæ: alii in Statu Legis Gratiæ. Item: Alii dicuntur esse in Statu Viatorum; Alii in Statu Comprehensorum sive Beatorum: Alii in Statu Clericali, Alii in Statu Religioso, Alii in Statu Matrimonii ut posteà videbitur, quæ omnia diversos tantum vivendi modos, sive genera designant.

Secundò dicitur (*permanens*) *Status* enim,
sicut ex derivatione nominis oritur à verbo
Sto, Stas, sic suā significatione stabilitatem
quandam & firmitatem sive permanentiam
indicat. Unde (ait S. Thomas suprà) *quæ de fa-* *S.Thom.*
cili circa homines variantur & extrinseca sunt,
non constituunt Statum, puta, quod aliquis sit di-
ves vel pauper, in dignitate cōstitutus vel plebejus.
Unde & in jure Civili dicitur: Quod ei, qui à
Senatu amovetur magis dignitas, quam Status *Modus*
aufertur. Hæc S. Thom. Et nos modum vi- *vivēdi*
vendi quarumdam, quas vulgò vel Begui- *Beguinarū non est*
nas, vel filias spirituales vocant, cùm pro *Status.*

arbitrio illum mutare possint, nec ad certam firmitatem vel permanentiam ratione illius obligentur, *Statum* non vocamus.

Porro permanentia illa & firmitas aliquando perpetua est, ut in Statu Religioso, aliquando temporalis tantùm, ut in Statu Matrimonii nimirùm quamdiu vir vel mulier vivit, &c. & sic in multis aliis, quæ quidem permanentia, aut firmitas dependet à lege vel natura conditionis seu modi vivendi, prout constitutus fuerit.

Tertiò dicitur (*Quarundam Personarum*) In hoc enim distinguitur Status, ab Officio vel Gradu, quod Status conditionem Personæ; Officium, Actionem sive Exercitationem; Gradus, ordinem respiciat, ut posteà dicetur,
S.Thom. & notat S. Thomas suprà ad 3.

Quartò dicitur: (*certis legibus & Regulis firmatus.*) Quæ enim à mero arbitrio dependent, Statum non habēt. Obligationem enim quamdam personæ Status cōnotat, quæ oritur ex regulis & legibus, quibus conditio illa sive modus vivendi ad aliquam firmitatem & permanentiam velut stabilitus est: ut patet in Statu Clericali, Religioso, conjugali, &c.

CONCLUSIO II.

Quid Officium? **O**fficium sic describi potest: *Obligatio sive deputatio personæ ad actiones bono communi proficuas.* Hæc descriptio etiam ex Scholasticis est desumpta.

Dicitur (*Obligatio sive deputatio personæ*) Officium enim quamdam obligationē includit respectu personæ, cui cōpetere dicitur. Unde & aliqui sic definiunt: *Officium est, quod quis debet efficere pro sua conditione personæ.* Hinc dicitur Episcopus teneri ex Officio prædicare, Pastor celebrare, Medicus curare &c. Etsi enim alii, qui Episcopi vel Pastores non sunt, id etiā possint, quia tamen obligationem non habēt, non dicuntur ex Officio facere, vel Officium habere. Cùm verò quis ex Officio aliquid agere debere dicitur, particula *Ex Officio* necessariò illius obligationem vel deputationem designat.

Dicitur (*ad actiones &c.*) Officium enim ex natura sua dicit ordinem ad aliquam actionē, ut de Prædicatore, Pastore &c. exemplificatum est, & posteà magis patebit. Sub actionibus autem comprehendo etiam ea, quæ sunt quasi actiones, ut Officium Principum est stare in Curia Regis, sive coram Rege, etsi aliud nihil facerent: multa enim sunt Officia, quæ solâ præsentiâ sive assistentiâ persolvuntur.

Dicitur (*bono communi proficuas*) nemo enim propriè dicitur habere Officium ad seipsum, nisi quatenus quasi ad alterum, sive prout alicui communi bono deservit. *Essentia enim*
S. Thom. (*inquit S. Thomas sup. à 3. ad 2.*) *à qua sumitur nomen Officii, importat actionem tendentem in aliud, ut dicitur nono metaphysicorum:* Quomodo actiones manus, pedis, oculi, Officia dicuntur, non respectu sui, sed prout communi hominis vel corporis bono deserviunt, & particulares exercitationes singulorum non vocantur Officia, nisi prout ad Ecclesiæ vel Reipublicæ sive Societatis &c. alicujus bonum referuntur. Unde Isid. l. 6. Ethim. c. 19. *Isidorus* citatus à S. Thoma sup. à 3. ad 2. *Officium est, citatus à ut quisquam illa agat, quæ nulli officiant, id est, S. Thom. noceant, sed prosint omnibus.*

CONCLUSIO III.

GRadus describitur: *Ordo superioritatis, vel inferioritatis personarum ad invicem constitutus.* Quid gradus.

Descriptio ex terminis clara est: sumitur enim metaphora à scala vel ascensu, in quo gradus sibi invicē subordinatur, & unus altior, alter inferior est. Sic contingit in eodem Statu, ut unus dignior vel eminentior merito, dignitate, aut officio habeatur. Unde Gen. 40. Pincerna Pharaonis dicitur restituendus in Gradū pristinum. Et Iosue 21. distinguuntur filii Caath inferioris Gradus, & Levitæ inferioris Gradus ab aliis qui superioris erant. Et 1. ad Tim. 3. de Diaconis dicitur: *Qui bene ministraverint Gradum bonum sibi acquirent.* Gen. 40. 13. Iosue 21. 1. ad Tim. 3. de 3. 13.

COROLLARIUM.

EX dictis constat 1. Qualiter distinguantur in formali suo significato *Status, Officia & Gradus. Status* enim respicit differentiam personarum in conditionibus & vivendi modis: *Officium* in actionibus: *Gradus* in meritis & dignitate, vel legitima ad invicem subordinatione.

2. Ista omnia non ita distingui ab invicem, quin in eodem reperiantur respectu diversorum, in Statibus enim inveniuntur diversa Officia & Gradus; ut in Statu Clericali & Religioso. In Officiis similiter diversi Gradus; ut constat de Officiis Levitarum. Tandem in iisdem Gradibus diversa Officia & Status; ut exempli gratiâ: ejusdem gradus sunt Diaconi omnes; uni tamen potest committi Officium prædicandi, & non alteri: unus etiam potest esse Status Clericalis tantùm, alter Religiosi & Clericalis simul. De quibus suis locis.

QUÆSTIO II.

An in Ecclesia militante congruè assignati sint diversi Status, Officia & Gradus.

CONCLUSIO.

SUmmâ congruitate in Ecclesia Dei diversi Status, Officia, Gradus distributa sunt. In Ecclesia congruè sunt diversi Status &c.

Hanc Conclusionem probant Doctores Sancti à tribus, 1. *A Perfectione:* Nam (ut ait S. Thomas sup. art. 2.) *Sicut in rerum naturalium ordine perfectio, quæ in Deo simpliciter & uniformiter invenitur, in universalitate creaturarum inveniri non potuit, nisi difformiter & multipliciter: Ita etiam plenitudo gratiæ, quæ in Christo sicut in capite adunatur, ad membra ejus diversimodè redundat, ad hoc quod Corpus* 1. Propter ejus perfectionem. S. Thom.

Ecclesia

Ecclesia fit perfectum. Hæc S. Thom. quod pro-
Ephes.4.11 bat per Apostolum ad Ephes. 4. *Ipse dedit*
quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas,
alios verò Evangelistas, alios autem Pastores &
Doctores ad consummationem Sanctorum. Con-
Vers. 12. summatio autem Sanctorum perfectionem
summam dicit.

2. Propter diversitatẽ actionum. 2. Congruentiam hujus diversitatis pro-
bant *a necessitate diversitatis actionum*, quæ
non nisi per diversa Officia & Ministeria sub-
ministrari possunt. Unde iterum Apostolus ad
Rõ. 12.4. Rom. 12. *Sicut enim in uno corpore multa mem-*
bra habemus, omnia autem membra non eundem
actum habent; ita multi unum Corpus sumus in
Vers. 5. *Christo, singuli autem alter alterius membra.*
1Cor.12.7 Et iterum 1. ad Corinth. 12. latissimè: *Unicui-*
que (inquit) *datur manifestatio spiritus ad uti-*
Vers. 8. *litatem: Alii quidem per spiritum datur sermo*
sapientia, alii sermo scientia secundùm eundem
Vers. 9. *spiritum: alteri fides in eodem spiritu: alii gra-*
Vers. 10. *tia sanitatum in uno spiritu; alii operatio vir-*
tutum &c. Infrà ostendens simul utilitatem
Vers. 14. cum necessitate conjunctam: *Nam* (inquit)
& corpus non est unum membrum, sed mul-
ta si dixerit pes, quoniam non sum manus, non
Vers. 15. *sum de corpore: num ideò non est de corpore? Et si*
dixerit auris: Quoniam non sum oculus num ideò
Vers. 16. *non est de corpore? &c.* Infrà: *Non potest oculus*
dicere manui operâ tuâ non indigeo, aut iterùm
Vers. 21. *caput pedibus, non estis mihi necessarii: sed mul-*
Vers. 22. *tò magis qua videntur membra corporis infir-*
miora esse, necessaria sunt &c. Et conclu-
Vers. 27. det. *Vos estis corpus Christi & membra de mem-*
Vers. 28. *bro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia,*
primum Apostolos, secundò Prophetas, tertio
Doctores, deinde virtutes, exinde gratias cura-
tionum, opitulationes, gubernationes, genera lin-
guarum, interpretationes.

QUÆSTIO III.

Quotuplices assignentur Status in Ecclesia Dei?

PRo clariori elucidatione dicendorum
in materia nostra. Suppono 1. Eccle-
Status generalis. Christianorum quos complectatur. siam constituere unum Statum generalem,
qui est Christianorum seu Hominis Baptizati,
qui quidem Status primò & per se respectu
universitatis hominum complectitur, ra-
tione obligationis characteris baptismalis,
omnes qui vero Christi Baptismate insigniti
sunt; reductivè autem & secundariò, ac per
modum appendicis, eos, qui tamquam can-
didati nomen Christo dederunt, & in Cate-
chumenorum numerum adscripti sunt: &
eos, qui in Christum credentes Baptismo
flaminis per veram pœnitentiam cum Baptis-
mi voto; vel Baptismo sanguinis per mar-
tyrium Christo incorporati sunt, etsi Baptis-
mum aquæ non receperint. Et hic Status
per se distinguit Christianos ab infidelibus
quibuscumque, qui aliquo Baptismate Chri-
sto inserti non fuerunt.

Dixi (ratione obligationis characteris) etsi
enim in superioribus ab ecclesia hæreticos,
schismaticos, & excommunicatos rescissos es-
se docuerimus quoad numerum, communi-
cationem suffragiorum, ac meritum: non se-
parantur tamen ab ecclesia quoad characte-
ris obligationem communem: quia; Baptiza-
torum & Christianorum communibus præ-
ceptis & legibus in conscientia obligantur.
Nec separantur ab omnimoda Ecclesiæ po-
testate, quia in illos potest ecclesia exercere
jurisdictionem vindicativam & coactivam:
sic enim hæreticos excommunicat, & in illos
pœnas & censuras fulminat, quod non facit
in infideles; ut patet ex ecclesiæ variis De-
cretis & Canonibus.

Tria igitur Christianorum genera assignari *Tria genera Christianorum.*
possunt: Alii enim Christiani veri sunt, qui non
solo charactere Christiano per Baptismum
gaudent, sed unitatem fidei & ecclesiæ sub
eadem Sacramentorum & doctrinæ commu-
nione servantes in obedientia ecclesiæ sub ca-
pite uno & Pastorum legitimo regimine per-
severant, & ut veri filii agnoscuntur, quamvis
inter illos multi sint infirmi & peccatores:
Alii Christiani quidem sunt, quia vero Bap-
tismo Christi, ejusq; charactere insigniti sunt;
tamen ab unitate vel fidei, ut hæretici, vel uni-
tate capitis, ut schismatici, recesserunt, vel gla-
dio Excommunicationis ab ecclesiâ rescissi
sunt: Alii tandem Christiani participati-
vè dici possunt, quia, etsi nec verùm Bap-
tisma nec characterem susceperint, fide
tamen Christo adhæserunt, ut Catechumeni,
vel qui per Baptismum sanguinis aut flami-
nis Christo conjuncti fuerunt. Et de Cate-
chumenis quidem S. Augustinus tract. 44. in
Ioannem, etsi absolutè Christianos appellan-
dos negat, ad Christum tamen pertinere ali-
quo modo docet; dum Catechumenum
Inunctum nominat, etsi necdùm lotum: *Qua-* *S. August.*
re (ait) *ab illo in quem credat: eo ipso quo Cate-*
chumenus est, dicis, in Christum. Idem l. 5. ad *Idem.*
simpl. q. 2. comparat Catechumenos embrio-
nibus, qui in utero matris concepti vivere
incipiunt. Et l. 2. de Peccatorum meritis c. 26. *Idem.*
docet, qualiter, etsi non daretur Euchari-
stia Catechumenis, panis tamen sanctus dari
consueverat. Et l. 2. de Symbolo ad Catechu-
menos c. 1. ait. *Nondum quidem adhuc per sa-* *Idem.*
crum Baptismum renati estis sed per Crucis si-
gnum in utero sancta Matris ecclesia jam con-
cepti estis. Agat itaque hæc Mater congruis
alimentis prius pascere quos portat, & post par-
tum lætetur se tales suscepisse, quos spiritualiter
nutriat. Quinimò l. 1. de Adulterinis Con-
jugiis c. 26. docet idem Aug. Quod si Cate- *Idem.*
chumenus infirmitate correptus obmutesce-
ret, ita ut loqui non posset, eo ipso quo Cate-
chumenus erat, baptizabatur. De iis, qui Bap-
tismo sanguinis & flaminis baptizati sunt, res
clarior est, quam ut latiùs declarari debeat. De
hæreticis verò qualiter ad ecclesiam Christi
etiam pertineant, etsi ab ejus unitate de facto
separati sint, ostendit S. August. Epist 48. ad
Vincentium contra Donatistas: *Non in vobis* *Idem.*

(inquit) *mutamus, in quibus nobiscum estis, in multis enim nobiscum estis, nam & de talibus* Psal. 54. 16 *dictum est*: Quoniam in multis erant mecum: *sed ea corrigimus in quibus nobiscum non estis, & ea vos hic accipere volumus, quae non habetis illic ubi estis. Nobiscum autem estis in Baptismo, in Symbolo, &c. in spiritu autem unitatis & in vinculo pacis, in ipsa denique Ecclesia Catholica nobiscum non estis.* Haec ibi, quae latius prosequitur. Et l. de vera innocentia c. 330. ostendit haereticos ad uterum Ecclesiae pertinuisse: Idem. *Quomodo ergo* (inquit) *uterus repeti non potest, ita nec Baptismus.* Et haec quoad statum generalem Hominis Christiani, de quo postea.

Status seu Officium universale Capitis Ecclesiae seu Papa. Suppono 2. Dari etiam Statum & Officium quoddam universale, seu transcendentale Capitis Ecclesiae seu Vicarii Christi, quod cum caeteris dignitate, auctoritate, potestate supereminèat, & ab illo omnia caetera dependeant, tum ut constituantur, tum ut in illa influat, speciali etiam loco distingui debet, & seorsum singulari Tractatu declarari.

Capiti universali subservit, & eodem ordine illud comitari debet Collegium Apostolicum, quod ex Cardinalibus constituitur, & variis Officiis, Congregationibus, Convocationibus &c. distribuitur pro universalis Ecclesiae administratione.

Duabus igitur transcendentalibus istis positionibus praemissis, quarum una Statum Hominis Christiani velut universalem Rempublicam refert; altera illius statui supremum & universale Caput designat: ad Statuum, Officiorum & Graduum Ecclesiae Dei distributionem sic per singulares distributiones descendo.

Conclusio I.

Status generalis Christianorum dividitur in Clericalē, Religiosū & laicalē. *Status universalis Ecclesiae genericus triplex est: Primus Clericalis, qui accommodato nomine Ecclesiasticus communiter nuncupatur: Medius Religiosus: Infimus Laicalis, quem saecularem vel Politicum alii nuncupant.*

Conclusio ex deductione rationabili sic probari potest: Qui enim in Ecclesia Dei sunt, aut Ministeriis & Officiis spiritualibus Ecclesiae sunt deputati, & in sortem Domini electi; & hi pertinent ad Statum Clericorum, S. Hieron. prout loquitur S. Hieron. in Epist. ad Nepotianum, & nos latius suo loco Aut temporalibus deputantur & temporalia curant; & hi pertinent ad Statum Laicorum, nam ut bene S. Hieron. Epistolâ ad quemdam Levitam de duobus generibus hominum relatus à Gratiano 12. qu. 1. c. *Duo sunt genera.* Λαὸς S. Hieron. *Graecè est populus Latinè: his* (inquit) *licet temporalia possidere: his concessum est uxorem ducere, terram colere, inter virum & virum judicare, causas agere, oblationes super altaria apponere, decimas reddere, & ita salvari poterunt si vitia tamen benefaciendo evitaverint.* Aut denique qui in Ecclesia sunt, mundo valedicentes se juxta Evangelica Consilia tribus Votis solennibus Obedientiae, Paupertatis & Castitatis adstrinxerint, & se totos sub illis Dei servitio manciparunt; & hi vocantur Religiosi, medii inter Clerum & Populum, ut benè notat S. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia c. 6. & 7. S. Dionys. Nec refert quod S. Hieron. supra Epistola ad quemdam Levitam tantùm duo genera Christianorum enumeret, nimirum Clericorum & Laicorum, quia sub titulo Clericorum Religiosos comprehendit, dum Clericis addit Deo devotos sive conversos. *Duo sunt* (inquit) *genera Christianorum. Est autem unum genus quod mancipatum divino Officio, & deditum contemplationi & orationi ab omni strepitu temporalium cessare convenit; ut sunt Clerici, & Deo devoti videlicet Conversi.* S.Hieron. Unde clarius hos duos Status patenter distinguit Epistolâ ad Heliodorum, & refertur idem qu. 1. c. Idem. *Alia causa. Alia* (inquit) *causa est Monachi, alia clerici: clerici oves pascunt, ego pascor: illi Altari vivunt, mihi securis quasi ad radicem in fructuosa arboris ponitur. Si munus ad altare defero, mihi ante Presbyterum sedere non licet: illis, si peccavero, licet me eradere satana in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Tanta porro erat distinctio inter Statum Religiosum sive Monachatum, & Clericatum, quod tunc temporis Monachi sive Religiosi non possent ad Clericatum ascendere, nisi ab Episcopo cum Abbatis consensu, vel à populo eligerentur, ut habetur 16. q. 1. specialiter c. *Sic vive* c. *Vos autem* c. *Monachi* c. *Cum pro utilitate.* Quinimo Gratianus ad c. *Hinc est* 16. notat Monachos usque ad tempora Eusebii, Znzimi & Siricii Pontificum ad Clericatum non ascendisse, &, ut loquitur, *Monachos non Clericos fuisse.* Quinimò c. *Presbyteros* prohibet S. Gregor. Clericos in Abbates constitui: *Si tamen fieret, Aut admissâ* (ait) *Clericatus militia, monasticis non promoveantur ordinibus: aut si Abbatis loco permanere decreverint, Clericatus nullatenus permittantur habere militiam.* S.Greg. c. Presbyteros.

QUAESTIO IV.

Qua sint Officia & Gradus Status Clericalis?

Conclusio I.

Status Clericalis Gradus D 21. c. Cleros. *Generalis Status, qui antonomasticè vocatur Ecclesiasticus, sequentes habet Gradus, qui Officiis & ministeriis variis distinguuntur, & ab infimo ad summum facto progressu d. 21. c. Cleros hoc ordine referuntur. Ostiarius, Psalmista, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus.*

Porrò advertendum est: quod sicut à variis ministeriis & administrationibus Officia desumuntur: sic à variis respectibus & praeeminentiis Gradus designantur. Quorum quidem rationes, cùm suis locis examinandae sint, modò sufficiet, si Officia & Gradus tum subordinatos, tum adjectos perstringam, ne repetere cogamur saepius eadem inutiliter.

Con-

Conclusio II.

Episcopatus 4. habet gradus

D. 21. c. Clerus. S. Isidor.

E*Piscopatus quatuor habet Gradus dignitatibus insignitos, nimirum: Patriarchatum, Archi-Episcopatum, Metropolitem, & Episcopatum.* Sumitur ex Decreto Gratiani d. 21. c *Cleros & Clericos*, ubi ex S. Isidoro l. 7. Ethim. c. 12. sic refertur: *Ordo* (inquit) *Episcoporum quadripartitus est, id est, in Patriarchis, Archi-Episcopis, Metropolitis sive Metropolitanis, atque Episcopis.* Quorum nominum & Graduum rationem reddens *Omnes* (inquit) *superius designati Ordines uno eodemque vocabulo Episcopi nominantur: sed ideò privato nomine quidam utuntur, propter distinctionem potestatum, quam singulariter acceperunt. Patriarcha Patrum Princeps* ἀρχὸς *enim Græcè, Princeps Latinè, inde Archi-Episcopus, princeps Episcoporum,* (supra: *quod sit summus Episcoporum*, id est Primas: *Tenet enim vicem Apostolicam, & præsidet tam Metropolitanis, quàm cæteris Episcopis*) *Metropolitanis à mensura Civitatum* (suprà *Singulis enim provinciis præeminent, quorum auctoritati & doctrinæ cæteri Sacerdotes subjecti sunt, sine quibus nihil reliquis licet agere Episcopis; Sollicitudo enim totius provinciæ Archi-Episcopis commissa est)* In quibus verbis videtur duplicem Archi-Episcopum distinguere: Unum, qui pluribus provinciis præsidet, qui Primas dicitur: Alterum, qui uni tantum Provinciæ & Episcopis in una Provincia existentibus, qui Metropolitanus vocatur. Subdit: *Episcopatus autem vocabulum inde dictum est, quod ille qui efficitur Episcopus, superintendat; Episcopi enim Græcè, latinè Speculatores interpretantur, &c.* De his aliàs.

Conclusio III.

Episcopi coadjutores sunt Archidiaconus Archipresbyter, Primicerius, Thesaurarius. D. 25. c. perlectis.

S*Ub Episcopo tamquam ejus Coadjutores numerantur hi gradus: Archidiaconus, Archi-Presbyter, Primicerius, Thesaurarius.* De quibus etiam in Decreto d. 25. c. *Perlectis*, ubi postquam retulit gradus Clericorum, juxta numerum Ordinum majorum & minorum, concludit: *Hi sunt Ordines & ministeria Clericorum: Quæ tamen auctoritate Pontificali in Archidiaconi cura, Primicerii & Thesaurarii sollicitudine dividuntur.* Et demum cujuslibet etiam Archi-Presbyteri Officia & ministeria exponit. De quibus & nobis aliàs speciatim dicendum erit.

Conclusio IV.

Qui sint gradus presbyterorum.

P*Resbyterorum Gradus etiam distinctionem juxta diversa munia sortiuntur: Sunt enim alii Parochi*, qui ex officio curam animarum habent, quique à variis respectibus Plebani, Ecclesiarum Rectores, Curati, Personæ sive Personatus vocantur: *Alii sunt Sacerdotes simplices*, quibus cura animarum ex officio demandata non est; etsi interdum in partem sollicitudinis assumantur, sive per Vicariam, sive per Coadjutricem & delegatam potestatem. Iterum ex Sacerdotibus simplicibus *alii beneficiati sunt*, qui nimirum beneficium in Ecclesia Dei obtinent: *Alii beneficio carent.* De quibus omnibus suis locis.

Dubium Incidentale.

Quem Gradum in Ecclesia Dei obtinent Canonici?

Canonicorum alii regulares alii seculares.

REsp. 1. Duplices Canonicos in Ecclesia inveniri: Alii enim dicuntur Canonici Regulares, qui Regulæ alicui approbatæ nomen dederunt, & Religionis vota solemnia professi sunt; & hi ad statum Religiosum pertinent, simul tamen Clericorum gradus retinentes, & velut in Clero nati: Alii vocantur Canonici sæculares, quos à Canonica portione sive Præbenda Canonica, quam obtinent, & in quam jus habent, modò vocari docet Azorius Instit. moral. p. 2. l. 3. cap. 11. Et hi Clericorum Collegium constituunt, & pro variis Clericorum & Collegii Gradibus, Officiis & Dignitatibus, quibus potiuntur, diversum inter se ordinem servant.

Azorius.

Canonici ecclesiæ cathedralis inter Clericos specialem gradum habent.

Resp. 2. Canonicos sæculares iterum duplices assignari: Alii enim in Ecclesia cathedrali sunt adscripti: Alii in Collegiata tantum. Et quidem Canonici ecclesiæ collegiatæ inter Clericos Gradum aliquem specialem non habent, sed (ut dixi supra) clericorum sortem & varios ordines sequuntur; Unde & canonicatus in jure simplex tantum beneficium reputatur: Canonici verò cathedralis ecclesiæ honore & quadam dignitate cæteris præferuntur. Unde & ad illos sicut ad Clericos dignitate præditos, causæ Apostolicæ à Pontificibus tanquam ad Judices diriguntur, & ut exprimitur in c. *Statuum*, de Rescriptis in 6. illis dictæ causæ committi possunt. Et hæc sufficiunt modo pro enumeratione officiorum & Graduum, qui in Statu clericali reperiuntur: si quæ enim videantur omissa, tamquam enumeratorum appendices suis generibus restituentur.

c. Statuũ de Rescriptis. in 6.

Quæstio V.

Quæ sint Officia & Gradus in Statu Regulari?

Cur status Religiosi ordines vocentur.

TRitum est Religiosum Statum Titulo Ordinum insigniri ab ordinatissima Officiorum, Graduum, Ministeriorum, quæ in Religionibus reperiuntur, dispositione: Unde & castrorum aciei benè ordinatæ, & familiæ optimè institutæ passim comparantur. Sit itaque.

Conclusio I.

Status religiosus quadripartitus.

S*Tatus Religiosus in quatuor Membra sive Capita secatur: Eremitas, Monachos, Canonicos,*

nicos Regulares, & Mendicantium Ordines: Ita subindicat Cardinalis Jacobus de Vitriaco in Histor. occidentali c. 23. loquens de Ordine S. Francisci: *Tribus* (ait) *Eremitarum, Monachorum, Canonicorum Religionibus, ut regulariter viventium quadrativa fundamenti in soliditate sua firma subsisteret, addidit Dominus in diebus istis quartam Religionis institutionem, Ordinis decorem, & Regulae sanctitatem: si tamen Ecclesiae primitivae Statum & Ordinem diligenter attendamus, non tam novam addidit Regulam, quam veterem renovavit, relevavit jacentem, & pene mortuam suscitavit Religionem.* Quae ultima verba, etsi ad Regulam S. Francisci specialiter applicentur; Mendicantium tamen Ordines in uno intelligi possunt; quippe, qui officio & vivendi modo à caeteris separantur, ut videbimus, cùm de singulis occurret sermo specialis.

Jacobus de Vitriaco.

CONCLUSIO II.

Ordinum Religiosorum ordinata administratio.

SInguli Ordines Religiosi ordinatissimâ Officiorum, Graduum & Ministeriorum distributione administrantur & coalescunt, juxta eorum exigentiam & locorum ac personarum amplitudinem, nec non administrationum & actionum necessitatem. Hanc Conclusionem confirmat S. Hieron. epist. 22. ad Eustochium referens ordinatum Regimen Coenobitarum. *Prima* (ait) *Coenobitarum confoederatio est obedire majoribus, & quidquid jusserint facere: divisi sunt per Decurias atque Centurias, ita ut novem hominibus decimus praesit, & rursus decem Praepositos sub se centesimus habeat, &c. Post horam nonam &c. is, quem Patrem vocant, incipit disputare, &c.*

S. Hieron.

CONCLUSIO III.

Gradus superioritatis & inferioritatis in Religionibus ex 3. desumuntur. Nomina Praelatorum Religiosorum varia.

GRadus Superioritatis & Inferioritatis in Religionibus ex tribus respectibus sumi solent. Dividuntur igitur in generales respectu facto ad totam Religionem sive Ordinem: *Provinciales*, respectu facto ad Provinciam vel districtum: *Conventuales*, sive *Locales* respectu facto ad Congregationem localem, sive Conventum. Nomina autem eorum juxta praescriptum vel usum cujuscumque Religionis variè desumuntur: Alii enim Abbates: alii praepositi: alii Priores: alii Ministri: alii Magistri: alii Correctores: alii Rectores, &c. nuncupantur, qui & suos Vicarios habent? Omnibus tamen Praelatio certis & determinatis legibus determinata est. Eodem modo & de inferioribus Officiis, & Gradibus proportionatè philosophandum juxta uniuscujusque Ordinis morem, munia & administrationes.

QUAESTIO VI.

Quae sint Officia & Gradus in Statu Politico sive Laicali?

NEc Status Politicus Laicorum absque ordine, & certa Officiorum ac Graduum sive etiam Ministeriorum varietate & distinctione subsistere & conservari potest, ideo pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

In Statu Politico duplex personarum genus. Superiores. Subditi.

STatus Politicus Laicorum duo velut genera personarum universali suo ambitu sub se continet: Alii enim sunt Superiores: alii Subditi. *Superiores* dicuntur, qui aliqua ratione caeteris in Regimine praesunt. *Inferiores* sive *Subditi* sunt, qui subsunt & certo respectu ab aliis reguntur, aliisque obediunt. Qui & in duplici differentia sunt: alii enim herili seu despotica subjectione sunt subditi, ut servi & mancipia: alii politica & civili, ut cives, sive nobilitatis sanguine progeniti sint, sive honesta & vulgari prosapia nati: sub quibus omnes conditiones promiscuae multitudinis continentur, qui liberi nati, vel libertate donati sunt, & Reipublicae, vel Regni sunt membra. Ad Superiores spectant Reges, Principes, Magistratus, & alii quicumque minoris Regiminis & Civilitatis Praefecti quovis nomine nuncupentur.

CONCLUSIO II.

QUia corpus Regni, vel Reipublicae, aut cujuscumque Civilis Congregationis, sive sub Monarchico, sive Democratico, sive Aristocratico, sive ex his mixto Regimine administretur, plurimis ad sui Constitutionem, Conservationem & Defensionem indiget, idcircò variis Officiis & Gradibus fulciatur necesse est. Ut autem quantum fieri potest, omnia Officia in quandam velut cathegoriam distribuamus, pono eorum doctrinalem & methodicam distributionem Paragraphis distinctam.

Doctrinalis & methodica distributio omnium Officiorum, quae in Statu politico reperiuntur.

REgum, Principum, & quorumcumque Superiorum ac Praefectorum Politiae cujuscumque officium tribus fere partibus absolvitur, Eorum est enim populum sibi subditum: 1. Pascere: 2. Regere: 3. Defendere. Pascere quidem amore. Regere sapientiâ. Defendere potentiâ.

* * *

§. I.

§. I

De Officiis ad Pastum sive congruam educationem spectantibus.

Ad pastū spectant alimentū vestimentum, medicamentum, habitatio.

AD congruam igitur *educationem* sive conservationem populi pertinent quatuor: *Alimentum* videlicet: *Vestimentum*: *Medicamentum*: *Habitatio*.

Alimento deserviunt sequentia officia sive opificia: Agricolæ, Pastores, Armentarii, Molitores, Pistores, Cauponarii sive Coci, Vinitores, Braxatores, &c.

Quæ his subserviant officia

Vestimento deserviunt Pannifices, Textores, Sartores, Sutores, &c.

Medicamento subserviunt Medici, Chirurgi, Aromatarii, &c.

Habitationi provident Lapidarii, Latomi, Carpentarii, Tegularii, Ferrarii, &c. Ad hæc refertur ornatus, qui si vestimentum respiciat, ei famulantur Aurifices, Gemmarii, Polymitarii, &c. Si domum vel supellectilem: Architecti, Scrinarii, &c.

§. II.

De Officiis ad regimen populi pertinentibus.

Quæ Regimini.

SEcundæ parti officii Regis & Magistratus, quæ est *sapientiâ regere populum*, subserviunt sequentes, juxta munus cujusque Consiliarii & sapientes in politicis, Moralibus, Oeconomicis: Jurisperiti, Historici, Artium liberalium Cultores, Astrologi, Cosmographi, Geometræ, &c. Et pro pueris Ludi-Magistri.

§. III.

De Officiis ad defensionem populi pertinentibus.

TErtia pars Officii Regis sive Magistratus quæ est *Defendere potestate Subditos*, duas occupationes habet: Defensio enim uno respectu refertur ad protectionem ab omni injuria & injustitia civili & domestica: altero respectu ad defensionem contra hostes externos.

Quæ defensioni ab injuria civili.

Priori Defensioni ab injuria domestica vel civili deserviunt Judices, & omnes quibus justitiæ cura demandata est, sive in civilibus, sive in criminalibus. Quibus cooperantur Scribæ, Notarii, Advocati, Procuratores, Tabelliones, Satellites, &c.

Quæ defensioni ab hostibus externis.

Posteriori Defensione ab hostibus externis occupatur militia, quæ administratur per Dictatores, Duces exercitus, Magistros equitum & peditum, Generales tormentorum, Præfectos vigiliarum, Capitaneos, Locum-tenentes, Vexilliferos, Sergeantos, &c. quibus opitulantur: Stratagematarii, Ingeniarii, Armarii, Argentarii; imò & alii, quos supra diximus Alimento, Vestimento, Medicamento & Habitationi, imò & regimini per Sapientiam deservire. Non enim minus in militia rerum necessariarum ad victum, vestitum, medicinam, &c. provisio, & sapientiæ studium requiritur, quam in domesticis & civilitate, imò magis.

Omnibus etiam Statibus adminiculo sunt Mercatores, Campsores: quibus operam præstant Nautæ, Aurigæ, Portitores & alii Opifices, quos conabimur suis locis inserere.

AD LECTOREM.

EX his (sedule Lector) disces totius hujus Tomi compendium, omniumque Statuum Officiorum, Graduum in Ecclesia Dei velut Nomenclaturam; ex quibus scies quid, quo loco, & sub quibus titulis pertractandum fuerit, ne in incertum vageris.

TRACTATUS II.

De Statu Universali Hominis Christiani.

H*Ic pro dilucidiori tractatuum distinctione visum est, duos velut transcendentales & supereminentes Status distinguere & speciatim tractare. Alterum:* Hominis Christiani: *Alterum:* Supremi Ecclesiæ Rectoris, Vicarii Christi. *Sicut enim omnes, qui ad hoc tribunal spectant, Christianos esse oportet: Sic universali Ecclesiæ Rectori, & Vicario Christi omnes subjiciuntur.*

TITV-

TITULUS I.

De Hominis Christiani Obligationibus, & peccatis quatenus Christianus est.

QUAESTIO UNICA.

Quæ sint obligationes Hominis Christiani sive Baptizati, ut Christianus est, & unde oriantur.

ANtequam ad resolutionem hujus Quæstionis procedamus, 1. Nominis *Christiani*, sive *Baptizati* interpretationem & naturam remitto ad adnotata in quæstione 3. tit. 2. superioris tractatus in suppositione 1. Etsi enim pro vero Christiano non habeam quo ad vitam Christianam nisi illum, qui Baptismatis Sacramento initiatus, in Ecclesia vera Catholica sub Christo & ejus Vicario, in vera fide&operibus Christianæ legis vivit: Nihilominùs quoad Obligationem Christianum hominem reputari debere sentio omnem, qui verò Christi Baptismate & charactere initiatus est.

Baptismus est janua Legis & Obligationis Christianæ utì circumcisio Mosaicæ. Gal. 5. 3.

Dico(quoad Obligationem) Moveor enim argumento S. Pauli de Circumcisione ad Gal. c. 5. *Testificor autem rursus* (ait) *omni homini circumdenti se, quoniam debitor est universæ Legis faciendæ.* Eodem namqne modo de Baptismum subeunte argumentum concludit: Omnem hominem Baptismum subeuntem & charactere Baptismatis insignitum teneri ad fidem & opera Legis Christianæ. Qui enim baptizatur, Christo & Christianæ Legis debitor fit, cujus signaculum indelebile characterem per Baptismum accepit: ita & quantumliber fidem & Baptisma vel per infidelitatem, vel per schisma, vel per pessimos mores abneget, In judicio Dei tamquam Christianus judicabitur, eo graviori judicio, quo Christianus & Baptizatus, præ cæteris, majori obligatione censetur adstrictus.

Sensus Quæstionis.

Adverto itaque 2. Quia præcepta Divina, quæ Legem naturæ consequuntur, omnes obligant, nos hic non movere Quæstionem de præceptis omnibus, ad quæ homo ex naturæ suæ conditione, vel ex particulari Statu, Gradu, Officio vel Voto, &c. obligatur, sed de Præceptis, ad quæ ex vi Baptismi seu Christianismi suscepti Homo Baptizatus speciàliùs obligari convincitur.

CONCLUSIO I.

Baptizatus ex vi baptismi ad plura obligatur quã non baptizatus.

HOmo *Christianus ex vi Baptismatis obligatur pluribus, quam qui Baptismo initiatus non est.* Hanc Conclusionem definitivè docuit Aquisgranense Concilium sub Stephano Papa V. & Ludovico Pio Imperatore l. ad annum 816. c. 114. Ubi distinguit Præcepta Evangelica data Monachis, & data Christianis. Cujus Obligationis rationem fundamentalem in Conclusione apponit his verbis. *Oportet itaque omnes, qui juxta Apostolum in Christo baptizati sumus Christumq; induimus, in novitate vitæ ambulare, semperq; ante oculos ponere Pactum, quod cum Domino in Baptismate fecimus, ubi abrenũtiavimus Satanæ, & omnibus Pompis ejus, & omnibus Operibus ejus: Quod Pactum tum irritum fit, cum quis in fide permanendo, vitiis, aut à fide exorbitando, idolorum cultibus aut hæresum erroribus implicatur.* Et Concilium Parisiense sub Greg. 4. & Ludovico & Lothario Imperatoribus ad annum 829. l. 1. c. 7 Ubi collocatâ vitâ Christiani Hominis in Ecclesia primitiva, cum ea, quæ erat illius temporis, & latè demonstratis vitiis, quæ in Christianos irrepserant: *His* (inquit) *præmissis necesse est, ut unusquisque fidelis penetralia cordis sui rimetur, & si fidem Christi, quam præcepit, Operibus non exornet, Pacti quod cum Deo in Baptismate fecit, se prævaricatorem esse cognoscat, &c.*

Concilium Aquisgranense.

Conciliũ Parisiense

CONCLUSIO II.

Ad tria obligatur Christianus vi Baptismi.

HOmo *ex vi Baptismi ad tria obligatur, quæ in Baptismo triplici Pacto Deo & Christo promisit, & quibus velut juramento se obstrinxit.*

Ita censueruut Patres & Concilia communiter, dum Pacta illa tria titulo juramenti insigniunt & exprimunt: quorum duo explicita sunt, tertium implicitum & necessario ex duobus primis consequens.

Pactum igitur primum est, quo Baptizandus abrenuntiat Satanæ & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus. 1.

Pactum secundum est, quo profitetur se credere in Deum Patrem Omnipotentem, & in cæteros fidei Christianæ articulos explicitè sibi propositos. 2.

Pactum tertium implicitum,& ex prioribus consequens, in illisque virtute contentum est, quo profitetur vitam Christianam, per opera bona; ita mandata Christi, & Ecclesiæ, cui per Baptismum & characterem inscribitur observare: Cum enim abrenunciet Satanæ & omnibus operibus ejus, consequenter se adstringit Christo & omnibus Operibus à Christo demandatis. Et cum demùm profiteatur fidem Christi, illa autem vera sit fides, quæ per charitatem operatur, consequenter se obligat Operibus fidei Christianæ. 3.

De his porrò Pactis & Promissionibus mentionem expressam facit Sanctus Dionysius Areopagita l. de ecclesiastica Hierarchia p. 2. c. 2. Ubi loquens de Sacerdote Baptizante. *Tum* (inquit) *divinæ conversationis explicans rationem: An ita velit deinceps vivere sciscitatur. Quod ubi ille pollicitus fuerit, imponit ejus capiti manum, &c.* Infrà: *Deinde occidentem versus, illum statuens insufflare illum ter Satanam jubet, ac præterea Abrenuntiationem profiteri: Et cum post trinam Abrenuntiationis contesta-*

S. Dionys.

contestationem tertiò se ille abrenuntiare professus fuerit, ad orientem illum traducit, aspicientemq; in cælum atque intendentem manus, Christo sacrisq; omnibus divinitùs traditis consentire jubet. Postquam verò & hoc ille fecerit, rursum eer illum profiteri monet. In quibus posterioribus verbis exprimitur trina Professio Fidei. Illam etiam Renuntiationem & professionem posteà explicat c. sequenti, sive, juxta postremam impressionem Bibliothecæ Patrum, in contemplatione, quæ capiti subjicitur. Et notat: Professionem operum legis christianæ, quam diximus supra implicitam esse in nostro baptismate, explicitam fuisse in primitiva ecclesia tempore Dionysii: Primò enim interrogabatur baptizandus: *An ita vellet deinceps vivere?*

Tertull. Earundem protestationum & promissionum meminit Tertul. l. de corona militis: *Aquā adituri* (inquit) *aliquanto priùs in Ecclesia sub Antistitis manu contestamur nos renuntiare diabolo, & pompæ & Angelis ejus, dehinc mergitamur.* *Idem.* Et lib. de bapt. dicit: *Sub trinis personis Trinitatis, testationem fidei, & sponsionem salutis pignorari.* *Origen.* Orig. Hom. 12. in Num. *Videamus* (inquit) *quando nos ista promisimus, quando hæc verba Diabolo denuntiavimus. Recordetur unusquisq; fidelium cùm primùm venit ad aquas baptismi, cùm signacula fidei prima suscepit, & ad fontem salutaris accessit, quibus ibi tunc usus sit verbis, & quid denuntiaverit Diabolo, non se usurum pompis ejus, neque operibus ejus, neque omnino servitiis ejus ac voluptatibus pariturum, &c.*

Dictam iterum obligationem cum ejus transgressione expendens Concilium Parisiense III. sub Ludovico & Lothario Imperatoribus l. 1. c. 9. cum dixisset pactum, quod cum Deo in baptismate fit, à multis ex toto, à multis ex parte transgredi, & quidem ab iis, qui ad infidelitatem, hæresim & schisma prolabuntur ex toto; ab iis autem qui in peccata mortalia labuntur ex parte: præcisè volens *Concil. Parisiens. 3.* ostendere, qualiter ista transgressio fiat: *Constat igitur* (inquit) *unumquemque fidelem Deo in baptismate duarum pactionum nexibus se obligare: Altera qua abrenuntiare diabolo & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus: Altera, qua se in Patrem & Filium & Spiritum sanctum credere profitetur: Unde etiam sub ejusdem invocatione baptismatis gratiam consequimur. Cùm ergò* (subdit) *post hujusmodi abrenuntiationem quibuslibet vitiorum illecebris illectus ad ea, quibus renunciavit, redit, nec non post tanta Fidei Professionem in apostasiam aut infidelitatis aut hæretica pravitatis, aut fraterni schismatis prolabitur, proculdubiò utriusq; Pactionis transgressor efficitur.* Et volens ostendere peccati istius gravitatem, sic prosequitur: *Quarum* (inquit) *altera, quia Baptismi iteratione nequit, pœnitentiæ lamentis, elemosynarum largitionibus, cæterisq; bonorum operum exhibitionibus dilui potest: Altera verò, quæ prædicta contagionis leprà commaculata fuerit, nisi hæc primùm per christi earuerit gratiam, & ad Ecclesiæ unitatem redierit, mundari & pristinæ fidei colorem sanctitatisq; vigorem recuperare non poterit.* Unde & infrà iterùm monet: Omnibus fidelibus studendum esse, *ut Pactionis & Sponsionis, quam cum Deo in Baptismate fecerunt, semper memores existant, caveantq; ne quibuslibet vitiorum sordibus se commaculent.* Et c. 10. idem Concilium monet Sacerdotes, ut inculcent *Idem. Conc.* suis auditoribus & procurent: *Ut Abrenuntiationes, quas in Diabolum suaq; Opera ejusq; Pompas fecerunt, intelligant, & his intellectis ne ad eas denuò redeant sollicitè invigilent.* Hæc ibi, quæ latius prosequitur.

Eadem docet & gravissimè urget S. Ambrosius l. de Initiandis c. 2. *Ingressus es* (inquit) *regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis recognosce quid responderis. Renuntiasti Diabolo & Operibus ejus, mundo & luxuria ejus ac voluptatibus. Tenetur vox tua non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium: Vidisti illic Levitam, vidisti Sacerdotes, vidisti Summum Sacerdotem, &c. Præsentibus Angelis locutus es, &c. Non est fallere, non est negare, &c.* *S. Ambros.* Eadem fere habet l. 1. de Sacramentis c. 2. *Quando* (inquit) *te interrogavit, Abrenuntias Diabolo? quid respondisti? Abrenuntio. Abrenuntias sæculo & voluptatibus ejus? quid respondisti? Abrenuntio. Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tua series cautionis. Si chirographum homini dederis, teneris obnoxius, ut pecunias ejus accipias, teneris adstrictus & reluctantem te fœnerator adstringit: si recusas, vadit ad judicem, & illic tua cautione convinceris.* *Idem.* Addit: *Ubi promiseris considera, vel quibus promiseris: Levitam vidisti, sed minister est Christi; vidisti illum ante altaria ministrantem. Ergo chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cælo.* Similia & graviora urget ad finem dicti c. 2. Et alia passim vide apud Patres. S. Hieron. Ep. ad Heliodorum. *Recordare tirocinij tui, diem quo in Sacramenti verba jurasti &c.* *S. Hieron.*

Porrò ut de his Pactis accuratam, & distinctam notitiam ineamus, de singulis pono singulos Titulos.

TITVLVS II.

De primo Pacto, quo Christianus abrenunciat Satanæ &c.

QUÆSTIO I.

Quid intelligatur per illa verba: Abrenuntio Satanæ, sive Diabolo? Et quæ ex illis Obligatio nascatur?

ADvertendum 1. Pacta hæc Abrenuntiationis, sicut & Professionis Fidei & Legis Christianæ, à Patribus communiter sub nominibus Iuramenti, Sponsionis, Voti exprimi, ut patuit Titulo præcedenti.

Adver-

Advertendum 2. Ab adultis baptizandis dicta Pacta explicitè fieri ; pro parvulis autem à susceptoribus sive patrinis.

Advertendum 3. Sive à baptizandis adultis, sive à susceptoribus fiant, æqualiter obligare, ut infrà de parvulorum Baptismate explicabimus.

Advertendum 4. Etsi ceremoniæ baptismales in casibus necessitatis omittantur ; dictas tamen Abrenuntiationes & Sponsiones implicitè censere obligare hominem eo ipso, quo Baptismum suscipit, & per Baptismum & characterem Christo incorporatur, & familiæ Christi inscribitur.

CONCLUSIO I.

Baptizādus renūciat omni cōmunicationi cū Dæmone, qualitercumq; ineatur.

PEr verba illa: Abrenuntio Satanæ sive Diabolo : *intelligitur Renuntiatio fieri à baptizando, omni societati, cōmunicationi, commercio, opitulationi & cuivis ministerio vel cooperationi Dæmonis, etiam in rem per se non malam, imò & utilem, sive cum pacto, sive sine pacto illis quis utatur.*

Conciliū Parisiens. 3.

Sic intellexerunt Concilia & Patres. Unde Concilium Parisiense 3. supracitatum cap. 3. *Abrenuntiare igitur* (inquit) *Diabolo, est penitus eum respuere, spernere, rejicere eiq; contradicere, seq; & unumquemq; ab eo alienare, sive aliud quid, quod hoc verbo hoc sensu exprimi potest.* Et Chrysost. hom. 21. ad populum singulariter sub Abrenuntiatione Satanæ sequentium Abrenuntiationem enumerat : *Dierum observationem, & præsagia, & omina, & ligaturas, & amuleta, & epodas seu incantamenta, quantumlibet Dei adhibito nomine facta.* Idem Hom. in Ep. ad Coloss. *Ne audias* (inquit) *serpentem, mox doceris dicere: Abrenuntio tibi quasi diceres: Quidquid dixeris, non audiā te. Deinde ne per alios te capiat, dicis: Et Pompa tua, & cultui tuo, & angelis tuis &c.*

S. Chrysosto.

Idem.

CONCLUSIO II.

Vi Abrenūtiationis hujus seclusoalio præcepto tenetur Baptizatus sub peccato mortali vitare Diabolū & quidquid Diaboli est.

V*I Abrenuntiationis Satanæ quæ fit in Baptismo, etiam nullo alio præcepto legis Divinæ naturalis, vel positivæ interveniente; omnis Homo Baptizatus tenetur sub peccato mortali vitare Diabolum, & quidquid Diaboli est, in omni superstitione, observantia vana, magia incantationibus, veneficijs, remedijs superstitiosis, imò in qualibet directa vel indirecta actione, & in omni quod aliquo modo ad Dæmonem spectat.*

Dixi (*sub peccato mortali*) Quia est simpliciter & absolutè contra Pactum & Sponsionem publicam Deo in Baptismo factam, quâ baptizandus abrenūciavit Satanæ sive Diabolo, ut patet ex dictis Concl. 1. Et huic concordat Scriptura, passim ostendens quòd nec signo, nec alio quovis medio directo vel indirecto liceat cum Diabolo convenire. Etsi enim per præcepta Decalogi ista fuerint prohibita, prout cultum aliquem saltem implicitum Dæmoni exhibitum continent, uti latè docuimus tom. 2. tract. 2. parte 3. tit. 1. specialiter per totam quæst. 2. Prout tamen famulatum Dæmonis etiam absque ullo cultu sæpè includunt ; & quoddam velut cum Dæmone commercium, ex vi Status & Christianismi ac Baptismi omninò prohibentur : In Baptismo enim cū Christo cōfœderatio est facta, & perpetuæ inimicitiæ cū Diabolo conclamatæ, ut nec verbo, nec signo, nec quâcumque vel minimâ condescensione liceat cum eo convenire, etiam ad quemcumque famulatum, vel obsequium ab ipso præstandum. Exempla habes Lucæ 4. Ubi Christus Dæmoni confitenti quia esset *Sanctus Dei*, repudians hujusmodi confessionem à Dæmone provenientem, præcepit ut obmutesceret, & ab homine exiret. Et ibidem : *Exibant autem Dæmonia à multis clamantia & dicentia : Quia tu es Filius Dei, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* Nolens utique nec ad confessionem veritatis Diabolum admittere. Simile exemplum habetur Act. 16. Ubi puella quædam habens spiritum Pythonicum, quæ subsecuta Paulum & Silam clamabat dicens : *Isti homines servi Dei excelsi sunt, qui annuntiant vobis viam salutis. Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus, & conversus spiritui dixit : Præcipio tibi in nomine IESU Christi exire ab ea. Et exijt eâdem horâ.* Cur describitur dolens Paulus, nisi quia nolebat à Dæmone dari testimonium veritatis. Et hâc ratione prohibitum erat à principio Christianis ne comederent idolothyta, hoc est, imolata idolis, non quia mala, sed ne hoc signo imputaretur eis aliquis respectus ad Diabolum, cui illa immolata erant. Quam rationem apertè dat sanctus Paulus 1. ad Corinth. 10. *Quid ergo? dico quòd idolis immolatum sit aliquid? aut quòd idolum, sit aliquid?* quasi dicat : Non : Addit: *Sed quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, & non Deo : Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum : Non potestis calicem Domini bibere & calicem Dæmoniorum: Non potestis mensæ Domini participes esse & mensæ Dæmoniorum &c.* Et ob hanc rationem etiam Christus recusavit in societate sua habere dæmoniacum, quem à Dæmone liberaverat. Et in Canonibus cautum est : *Ne nomen energumeni, ad altare proferatur*, ad Dæmonis omnimodam detestationem, ad quam tenetur Christianus, & quam Ecclesia profitetur. Eâdem ratione sanctus Augustinus l. de Rectitudine Catholicæ Conversationis, & Serm. 241. de tempore, dixit : Utentes ligaturis & superstitionibus, quas ibi congerit, perdere Sacramentum Baptismi, vel Sacramentum Baptismi perire, & continuò paganos effici, non quia character baptizatorum pereat, sed quia gratiam baptismalem amittunt, & contra Professionem & Pactum, quo in Baptismo abrenuntiaverant Satanæ, iterùm cum Satana societatem ineunt, ut etiam advertimus tom. 2. suprà qu. 2. §. 2. Et pagani fieri dicuntur eo sensu, quo Matth. 18. dicitur : *Qui Ecclesiam*

Luc. 4. 34.

Vers. 4. Christus nec ad cōfessionem veritatis Diabolū admittit.

Similiter S. Paulus. Act. 16 17.

Vers. 18.

1. Cor. 10. 19.

Vers. 20.

Vers. 21.

Luc. 8. 38.

Canones Ecclesiæ

S. August.

Matth. 18. 17.

sium non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Et attende etiam hic ecclesiae morem, quae hominem excommunicans, tradit Satanae in interitum carnis: qui enim a societate Christi expellitur, ad Satanae potestatem redire supponitur.

COROLLARIUM DOCTRINALE.

De Abrenuntiatione Satanae, quae fit in Baptismo.

Superstitiones, artes magicae & Daemonum ministeria quam sint illicita baptizato

EX dictis patet primò, Cur superstitiones & artes magicae, & Daemonum ministeria, quae Gentilibus ita communia erant, ut velut scientiae publicae edocerentur, ita Christianis abominabilia facta sunt, ut quamvis viderentur sive in substantia rei non contrariari praeceptis legis naturalis, nec malū aliquod includere, sive etiam ex levitate materiae excusari posse, nihilominus, supposito, quod voluntaria essent, notarentur peccati mortalis: Hoc enim provenit ex virtute abrenuntiationis factae in baptismo, & inimicitiarum, quas Deus posuit in Christianismo inter Diabolum & Ecclesiam, & semen Diaboli, & semen Christi, ac verorum filiorum ejus. Unde & in Concilio Parisiensi III. saepe citato cap. 10.

Cōcilium Parisiēse.

Si (inquit) *jura humana pactionis firmiter conservantur, fixiùs tamen atque ferventius jura tanti pacti, quae cum Deo facta sunt, inviolabiliter sunt observanda.*

Patet 2. quantum etiam Diaboli nomen sit à christiano ore ablegandum, & quam futiles sint excusationes eorum, qui execratoria illa juramenta, quibus Daemonem invocant; Daemoni se devovent, Diaboli auxilium implorant, sub titulo pravae consuetudinis, vel vocum non significantium excusare contendunt à peccato mortali: Quidquid sit enim de voluntario & involuntario, per se aut interpretativè, (de quo examinare & praecisè judicare debent Confessarii, & de quibus apertè respondere debent peccatores,) Quod spectat ad substantiam similium juramentorum, invocationum, compellationum, &c. Diaboli, censeo peccata esse mortalia, & quod attinet ad personarum mores pravos, & consuetudines, illas judico ad minus peccatorum mortalium periculis se exponere, ex sensu omnium Conciliorum & Patrum, qui Abrenuntiationem illam factam tam graviter expendunt; & tanti aestimant.

Invocare, &c. Diabolū est peccatum mortale.

Patet tertiò, quid dicendum sit de Laribus, Lemuribus, Lamiis seu Daemoniis domesticis & familiaribus, & de eorum ministeriis & servitiis, etiam in bonum & utilitatem domesticam; de quibus Auctores. Constat enim ad propagationem verae fidei christianae, virtute Crucis & fidei mundo excessisse, & si qui modò referantur in nonnullis partibus mundi permanere vel videri,

Item uti ministerio, lariū, Lemuriū Lamiarū &c.

id tepidae fidei christianorum, vel infidelitati, haeresi & atheismo imputandum est. Ubi autem illorum ministeriis, quovis modo, peccatum mortale esse non est ambigendum.

Advertendum autem est pro consolatione Catholicorum & Christi Fidelium Patres tanti existimasse istam Abrenunciationem Satanae quae fit in baptismo, ut Chrysost. Homil. 21. ad populum vocet illam *Confoederationem cum Domino*, & ibidem ad finem notet: *Quod si Christianus exiens pià fide domo dicat*: Abrenuntio tibi Satana, & conjungor tibi Christe, *Signo Crucis fronti impresso nec Diabolus nec homo malus, qui est Diaboli Minister, illi nocere possit*: Quod piis Catholicis non modò benè notandum, sed etiam sanctè usurpandum est.

Quanti faciāt Patres Abrenūtiationē Satanae Chrysost.

Nota.

QUAESTIO II.

Quid intelligatur per verba illa: Abrenuntio operibus ejus, *id est Satanae, & quae ex illis obligatio nascatur?*

CONCLUSIO I.

PEr verba illa: Abrenuntio operibus ejus, *id est Satanae, intelliguntur opera peccaminosa, quae ex instinctu Daemonis communiter provenire consueverunt.*

Per Opera Diaboli intelligūtur peccata: quae eius instinctu fieri cōsueverūt Cōcil. Moguntiū sub Leone IV.

Unde Concilium Moguntinum sub Leone IV. & Lothario Imperatore, ac Rabano Archi-Episcopo anno 847. *Renuntiatur* (inquit) *Diabolo & Operibus ejus*: *Opera verò Diaboli, Opera carnis intelliguntur, quae sunt homicidia, fornicationes, adulteria, & multa alia his similia, quae Diabolico instinctu prius cogitatione mentis, quàm opere perpetrantur.*

Eadem omnino verba habet Concilium Turonense III. sub Carolo Magno, & Leone III. cap. 18. Alludunt porrò Concilia ad locum Pauli ad Galat. 5. *Manifesta* (inquit) *sunt Opera carnis, quae sunt Fornicatio, immunditia, impudicitia, idolorum servitus, veneficia, incantationes, irae, rixae, contentiones, dissensiones, secta, invidiae, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia quae praedico vobis sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Haec autem vocantur Opera Diaboli, quia (ut dicunt citata Concilia) Diaboli instinctu ut plurimum fiunt. Unde 1. Joann. capit. tertio, *Qui facit peccatum, ex Diabolo est, quoniam ab initio Diabolus peccat*, scilicet, non tantum peccato proprio, ut in lapsu, sed etiam suggestione peccat per alios, ut modò. Et ut innotescat peccata esse Opera Diaboli, subdit: *In hoc apparuit Filius Dei, ut dissolvat Opera Diaboli*, id est peccata. Unde iterum

Cōc. Turonēse, sub Leone III. Gal. 5. 19. Vers. 20. Vers. 21. 1. Ioan. 3. 8

rum addit : *Omnis qui natus est ex Deo peccatum non facit*, (nimirum in quantum natus est ex Deo, & principia generationis divinæ sequitur.) Et ex ista generatione & principiis addit : *Quoniam semen ipsius*, (id est gratia) *in eo manet, nec potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Et concludit : *In hoc manifesti sunt filii Dei, & filii Diaboli.* nimirum à posteriori ex effectibus, quia bona opera sunt signa filiorum Dei, mala Opera filiorum Diaboli. Unde iterum Joannes. 6. Christus de Juda : *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus Diabolus est?* Vitio utique & peccato incredulitatis, quia repugnabat promissioni Eucharistiæ : Et capit. 8. dicit Judæis : *Vos ex patre Diabolo estis : & desideria patris vestri vultis facere.*

Vers. 10. *Joann. 6. 71.* *Joann. 8. 44.*

CONCLUSIO II.

Ex vi abrenuntiationis operum Satanæ tenetur baptizatus speciali titulo vitare omnia peccata mortalia.

EX *vi Abrenuntiationis factæ in Baptismo, qua Baptizandus non solum Satanæ, sed etiam Operibus ejus abrenuntiavit, titulo speciali tenetur Christianus vitare peccata mortalia omnia, maximè, quæ ex suggestione Dæmonis oriri solent.* Hæc Conclusio patet ex terminis, & hanc passim inculcant Scripturæ, Concilia, & Patres. Et quidem Scriptura passim effectum Baptismi specialem ostendit, in eo, quod per Baptismum cum Christo sepelimur, & corpus peccati ac vetus homo moriatur, & crucifigatur, & in novitate vitæ resurgamus cum illo: Item : Quod per Baptismum liberati à peccato, servi facti sumus injustitiæ. Ita declarat effectum Baptismi Sanctus Paulus ad Romanos, cap. 6 per totum caput, Obligationem, quam habet homo Baptizatus ad fugiendum peccatum ostendens. Idem sæpe alibi repetit. Ad Galat. 15. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Quinimo Baptizatos, qui ad peccata illa redeunt, vult à Christianis separari velut excommunicatos, 1. ad Corint. 5. *Si is (inquit) qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus, aut idolis serviens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax : cum hujusmodi nec cibum sumere.* Clarè Concilium Parisiense 3. supra l. 1. cap. 9. Ubi cum docuisset : Unumquemque fidelem in Baptismate duarum Pactionum nexibus se obligare : Altera, qua abrenuntiare Diabolo, & omnibus Operibus ejus, & omnibus Pompis ejus : Altera, qua se in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum credere profitetur : subdit : *Cum ergo post hujusmodi abrenuntiationem quibuslibet vitiorum illecebris illectus, ad ea, quibus renuntiavit, redit, &c. procuidubio Pactionis transgressor efficitur.* Et loquens de transgressione primæ Pactionis, qua Operibus Satanæ renuntiavit, docet : *Cum Baptismi iteratione nequeat* (illa transgressio) *dilui, pœnitentiæ lamentis, eleemosynarum largitionibus cæterisque bonorum operum exhibitionibus diluendam.* Et

Ad Rom. 6. per tot. *Gal. 5. 24.* *1Cor. 5. 11.* *Concil. Paris.* *Ibidem.*

iterum concludens, monet. *Omnibus* (inquit) *fidelibus studendum est, ut Pactionis & Sponsionis, quam cum Deo in Baptismate fecerunt, semper memores existant, caveantque ne quibuslibet vitiorum sordibus se maculantes, &c. impleatur in eis, quod Beatus Petrus Apostolus ait :* Melius enim erat illis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem, retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto Mandato, *aptetur que eis illud quod ibidem ait :* Canis conversus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti. Et ad hoc argumentum vide quantum hanc Sponsionem exaggeret Origenes Homil. 5. in cap. 5. Josue : Ubi postquam Baptismum regenerationis comparavit cum secunda Circumcisione, quam celebravit Josue : *Si* (inquit) *iterum peccaveris, iterum in te vetera revolvuntur opprobria, eo magis, quo multo majoris criminis est, Filium Dei conculcare, & sanguinem Testamenti pollutum ducere, quam legem Moysi negligere? Multò enim majoris opprobrii est, qui post Evangelium, quam ille qui sub Lege positus fornicatur.* Et comparat illam transgressionem sacrilego ex Paulo : *Quia tollit membrum Christi, & facit membrum meretricis : Et quia violat templum Dei, juxta illud :* Nescitis quia corpora vestra Templum sunt Spiritus Sancti : Quæ ibidem late prosequitur. Sunt & alia non minoris momenti apud S. August. Epistol. 105. ad Sixtum, ubi comparat peccata Christianorum, cum peccatis infidelium, quos pronuntiat Apostolus ad Roman. 1. & 2. *Inexcusabiles : Quia etsi per visibilia Deum cognoverint, non tamen sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt; Sed evanuerunt in cogitationibus suis, &c. Ideoque traditi sunt in reprobum sensum. Quanto magis inexcusabiles qui Christo in Baptismo adhæserunt Diabolo & ejus operibus abrenuntiantes.* Similia habet Concione 2. in Psal. 30.

Ibidem. *1 Pet. 2. 12.* *Vers. 22.* *Origen.* *1Cor. 6. 15.* *Vers. 19.* *S. August.* *Rom. 1. 2.*

CONCLUSIO III.

Specialius tamen ea opera diaboli, quæ singulari ratione fiunt.

ETsi *omnia peccata Opera Diaboli reputanda sint, sunt tamen nonnulla singularia, qua singulari Opere Diaboli complentur, & singulari cum illo cooperatione committuntur, & hæc quidem specialiter ex vi hujus Pacti vitari debent.* Talia sunt, quæ cum incubis & succubis Dæmonibus nonnulli committunt : Talia sunt, horribiles quædam immunditiæ & impudicitiæ, quæ nullam quidem de se carnis delectationem habent, ab ipsis tamen luxuriosis & carnis peccatis deditis diabolicâ malitiâ committuntur, etiam à matrimonio junctis : Talia sunt, horrendæ quædam abominationes, quas etiam in sacris actionibus diabolica quædam ingenia comminiscuntur : Nec minora sunt illa, ad quæ impelluntur, quædam ingenia melancolica, quæ visiones, revelationes, extases diabolicâ arte confingunt; imò inveni, quæ miris & inexcogitabilibus modis se stryges, possessaso, blessas mentirentur.

tirentur. Et hæc omnia, quovis modo fiant, diabolica opera sunt, etsi per hominem fiant, & gravissima peccata mortalia immediatè contra Pactum abrenuntiationis in Baptismo factæ, de quibus alibi occasione occurrente.

COROLLARIUM DOCTRINALE.

De Abrenuntiatione Operum Satanæ, quæ fit in Baptismo.

EX dictis patet 1. peccata Christianorum esse graviora peccatis infidelium, & eorum, qui Baptismo initiati non sunt.

Nota. 2. Titulum illum Sponsionis & Abrenuntiationis singularem Obligationem inducere: quam etsi non teneatur exprimere peccator in confessione, quia necesse non est, cùm Confessarius sciat & præsumere debeat accedentem ad Sacramentum Pœnitentiæ esse Baptizatum: in Tribunali tamen pœnitentiæ, tum à Confessario, tum à pœnitente ad contritionem excitandam debet expendi.

3. Singularia quædam esse & inveniri interdum peccata, quæ ob solam Dæmonis cooperationem per humanum ingenium agentem, malitiam horrendam consequantur: Qualia sunt peccata eorum, quorum mentes videntur à Dæmone possideri, quosque Deus in reprobum sensum abire permisit.

Nota. 4. Ad hanc doctrinam debere examinari, quæ interdum Patres & Concilia dicunt ex Scriptura de peccatis Christianorum, ut non credantur per declamationes & invectivas concionatorio & oratorio more loqui, ut interdum nonnulli explicant ad excusandas excusationes in peccatis: Quæ enim dicunt Patres, ex natura obligationis Christianorum deducunt, fundantes illam super publica Professione, Sponsione, Promisso Deo facto in Baptismo: Quæ non sunt tantùm ceremoniæ, sed verè Stipulationes & Pacta, ad quæ, qui baptizatur, per se, vel per fidejussorem se obligat. Unde & patres monent hanc Sponsionem in judicio Dei proponendam ad condemnationem.

Patres de his non sunt locuti more concionatorio.

Quia verò non tantùm Abrenuntiatio Peccati fit in Baptismo; sed etiam Promissio observandi Præcepta Christianæ Legis, id est, ea quæ specialiter Christianum ex vi Christianitatis & Baptismi obligant, differemus istorum Præceptorum examen in locum opportuniorem infrà Titul. 4. hujus Tractatus.

***

QUÆSTIO III.

Quid intelligatur per verba illa: Abrenuntio omnibus Pompis ejus, id est, Satanæ? & quæ obligatio ex his nascatur?

CONCLUSIO I.

POmpæ Diaboli dicuntur nonnulla, quæ etsi interdum peccatum non sunt, illa tamen aut peccatum causant, aut circumstant & comitantur, aut sequuntur velut quidam Diaboli apparatus. Ita explicant Concilia & Patres, eaque ex Scripturæ fontibus deducunt.

Pompa Diaboli dicũtur, quæ etsi peccatum non sint, illud tamẽ causant, circumstant, aut sequuntur.

Unde Concilium Parisiense III. sæpè citatum l. 1. capit. 10. *Pompa Diaboli hæc est, quæ & Pompa Mundi, id est, ambitio, arrogantia, vana gloria, omnisque cujuslibet rei superfluitas in humanis usibus, unde crescit elatio, quæ multoties beneficati solet adscribi, & cætera hujusmodi, quæ de fonte superbiæ procedere noscuntur. Hæc & his similia sunt, quæ unusquisque Fidelis tempore Baptismatis à se rejecit, Christoque se mancipavit, Pactumque cum Deo fecit, ne penitus ad ea, quibus abrenunciavit, rediret.* Hæc ibi. Item Concilium Moguntinum supra citatum capite tertio. *Pompa verò* (inquit) *ejusdem* (id est Diaboli,) *sunt Superbia, Jactantia, elatio, vana gloria, fastus, & alia plurima, quæ ex his oriri videntur.* Hæc ibi. Quæ eisdem omnino verbis habentur in Concilio Turonensi III. supra citato. Eodem modo Patres loquuntur. Sanctus Chrysostomus Homil. 21. ad populum Antiochenum: *Pompa* (ait) *Satanica sunt Theatra, Circenses, dierum observatio, præsagia, & omina.* Et supra vestimentorum Fastum & Vanitatem inter Pompam Satanicam refert: *Circa Margaritarum* (ait) *cultum insania, est Pompa Satanica.* Sanctus Cyprianus tractatu secundo de Habitu Virginum: *Quæcumque* (ait) *terrena in sunt sæculo accepea, & hic cum sæculo remansura, tam contemni debent, quàm Mundus ipse contemnitur, cujus Pompis & Deliciis jam tunc renuntiavimus, cum meliore transgressu ad Dominum venimus,* &c. intellige per Baptismum. Et Sanctus Hyeronymus in Regula Monachorum capite trigesimo. *Nihil ad vos, Charissima Dominæ, de Pompis sæculi attinet, quæ abrenuntiavistis in Baptismate Mundo, Diabolo, & Pompis eorum.* Salvianus l. 6. de Providentia Dei inter Pompas Diaboli refert Spectacula theatrorum, mimorum, histrionum, pugnantium ad Bestias; imò & risus & cachinnos vanos & excessivos. *Quæ est* (ait) *in Baptismo salutari Christianorum prima Confessio; nisi ut renuntiare se Diabolo ac Pompis ejus, atque Spectaculis & operibus protestentur? Ergo Spectacula & Pompa etiam*

Concilii Parisiẽse.

Conciliũ Moguntinum.

Cõc. Turonense 3.

S. Chrys.

S. Cypriã.

S. Hieron.

Salvianus.

juxta nostram Professionem Opera sunt Diaboli: Quomodo, ô Christiane, Spectacula post baptismum sequeris, quæ opus esse Diaboli confiteris? Renuntiasti semel Diabolo & Spectaculis ejus, ac per hoc necesse est, prudens & sciens dum ad spectacula remeas, ad Diabolum te redire cognoscas. Supra autem enumeraverat spectacula de quibus loquitur: *Equidem* (inquit) *quia longum est nunc dicere de omnibus (amphitheatris scilicet, odeis, lusoriis, pompis, athletis, petaminariis pantomimis, cæterisque portentis, quæ piget dicere, quia piget malum tale vel nosse) de solis circorum & theatrorum impuritatibus dico.* Hæc Salvianus.

Ad Pompam Diaboli etiam ex mente Conciliorum & sanctorum Patrum referenda sunt, quæ de superbia & vanitate hominum referunt Scripturæ, in compositione & gesticulationibus corporis; in luxu vestium & ornatûs curiositate; in nuditatibus membrorum, & capillaturæ dispositione; in supellectilis superflua multiplicatione & curiositatibus; in multitudine equorum eorumque apparatu, in conviviorum lascivia, & ædificiorum superbia, ac similibus, quibus Christianus in Baptismo abrenuntiavit.

Speciem totius Pompæ Diaboli explicavit Isaias cap. 3. *Pro eo* (inquit) *quod elevatæ sunt*
Isa. 3. 16 *filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito*
Vers. 17. *gradu incedebant: Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem ea-*
Vers. 18. *rum nudabit, In die illa auferet Dominus orna-*
Vers. 19. *mentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, &*
Vers. 20. *discriminalia, & periscelidas, & murenu-*
Vers. 21. *las, & olfactoriola, & inaures, & annulos, &*
Vers. 22. *gemmas in fronte pendentes, & mutatoria,*
Vers. 23. *& palliola, & linteamina, & acus, & specu-*
Vers. 24. *la, & sindones, & vittas, & theristra. Et erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvicium, & pro fascia pectorali cilicium &c.* Rationem verò tantæ vindictæ suprà dederat Propheta:
Vers. 8. *Quia* (inquit) *adinventiones eorum contra Dominum, ut provocarent oculos majestatis ejus.*

Conclusio II.

Quomodo expendi debeat obligatio ex hac Abrenuntiatione proveniens.

OBligatio Hominis Christiani ex Abrenuntiatione in Baptismo facta proveniens æstimari debet ex modo Pompæ, prout ex inventione Diaboli, ad peccatum inducit, & in ea quantitate qua inducit, vel ad illud refertur. Sumitur ex iis, quæ dixi primâ Conclusione, ubi Pompam Diaboli illa vocari ex Patribus censui, quæ sunt peccatorum causæ, sive quæ peccata circumstant, comitantur aut consequuntur. Ut verò gravitas peccati & obligationis à fundamentis intelligatur, pono primò Quæstionem incidentalem, demum ad singularia descendam.

Quæstio Incidentalis,

Quale sit peccatum Christiano Homini exercere aliqua ex iis, quæ diximus pertinere ad Pompam Diaboli?

ADvertendum 1. Auctores de iis, quæ ad Diaboli Pompam pertinere diximus, variè disputare: Alii enim ea considerant, ut sunt res vel actiones quædam ex natura sua, vel ex instituto hominum ad aliquem finem bonum, vel saltem non malum ordinatæ: Ut Vestes ad personæ vestitum vel ornamentum simpliciter, qualecumque illud sit: Choreæ & Spectacula ad ludum & recreationem: Symposia & Commessationes ad societatem & mutuam amicitiam &c. Alii ista considerant, quatenus sunt incentiva vel inductiva peccatorum, ut concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, vel superbiæ vitæ. Alii, ut sunt fomenta malorum, & impedimenta salutis: Alii, ut sunt occasiones impensarum excessivarum & injustitiarum &c. Et idcircò diversimode interdum loquuntur, & quandoque illa à peccato saltem mortali illsque utentes vel adhærentes conantur excusare. Quas excusationes sibi comminiscuntur, & augent, qui se vel alios in istis conservare parant.

Quæ ad Diaboli pompã spectant variè considerari possunt.

Advertendum Secundò Aliquos perperam declamationes Conciliorum & Patrum, imò & Scripturæ contra ejusmodi Pompas interpretari, quasi essent ultra modum exaggerativæ & rethoricæ, velut ad terrorem incutiendum: Rem verò in illis contentam ajunt debere moderari ad modos Scholarum, & Summistarum rationes. Unde vim Scripturæ, Conciliorum & Patrum enervantes, causæ sunt impietatis & pravarum consuetudinum, quæ sensim in Christianum Statum serpunt, nec postmodum evelli possunt. Ut igitur certa ab incertis separemus, & veritatem manifestam extra omnem pulverem excusationum aperiamus: Primò certas Resolutiones generales pono: Deinde per Paragraphos ad particularia descendo.

Resolutio I.

Quæ inter pompas diaboli referuntur nõ sunt semper mala.

CErtum est: *Multa, quæ inter Pompas Diaboli, & mundi referuntur posse sine peccato considerari, aut esse, imò interdum innocuè fieri posse.* Hæc Resolutio exemplificatione declarari potest. Sic enim Vestis, quomodocumque facta est effectus artis licitæ, cujus industria vel subtilitas non minus laudadari

ri poteſt, quam artis Pictoriæ, Statuariæ, vel Polimitariæ: Unde poteſt fieri, ut quis neceſſitatem & finem bonum ſine periculo mali eis utatur, ut ad vitandum defectum aliquem naturæ gravem, vel ſine alio pravo fine ad tegendam ſimpliciter aliquam deformitatem, cum qua inter alios comparere vix honeſtè quis poteſt: De quibus infrà Regulâ primâ. Vnde ſicut ſanitas corporis, ſic ſpecies aliquâ interdum arte, medicinâ, vel velamine juvari poteſt: Vel ejus defectus tegi, ubi nil aliud vanitatis eſt. Quomodo dixit aliquando Tertullianus l. de Cultu Fœminarum, cap. 2. *Accuſandus* (inquit) *decor non eſt, ut felicitas corporis, ut divina plaſtica acceſſio, ut animæ aliqua veſtis urbana.* Nota verba energica de pulchritudine, ut non excedatur, ſed curetur, *ut* (ait) *veſtis urbana.* Sic Conviviorum apparatus coqui artem commendare poteſt, & cibus ſic paratus cum moderantia & temperantia ſumi abſtractivè ab omni ratione peccati. Sic hiſtrionica poteſt conſiderari, ut eſt habilitatio ingenioſa membrorum ad omnem motum, & ad exercitium honeſtum aſſumi. Et ita de cæteris.

Tertull.

RESOLUTIO II.

ordinariè tamē ſunt incentiva peccati fomenta concupiſcētia impedimenta ſalutis vel ſegetes injuſtitia.

C*Ertum eſt; Omnia illa, quæ inter Pompas Diaboli computantur, ordinariò & communiter eſſe vel incentiva peccati, vel fomenta concupiſcentia, vel impedimenta ſalutis, vel ſegetes injuſtitia.*

Sic Luxus & Superbia Veſtimentorum & Ornatus muliebris, extra rationem modeſti & honeſti, libidinem provocat, concupiſcentiam fovet, ſuperbiam excitat, cor Chriſtianum mundanis implicat, & ab exercitiis ſalutis avocat, creditores injuſtiſſimè aliquando debitis opprimit, impotentem ad eleemoſinas & opera miſericordiæ hominem reddit: Unde benè Gregorius Homil. 6. in Evangelia: *Nemo* (inquit) *exiſtimet in Luxu, & ſtudio pretioſarum Veſtium peccatum deeſſe: Quia ſi hoc culpa non eſſet, nullo modo Dominus Joannem de Veſtimenti ſui aſperitate laudaſſet: Si hoc culpa non eſſet, nequaquam Apoſtolus fœminas à pretioſarum Veſtium appetitu compeſceret, &c.* Et homil. ultimâ: *Si Cultus ſubtilium & pretioſarū Veſtium culpa non eſſet, nequaquam Sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod Dives qui torquebatur apud inferos, byſſo & purpurâ indutus fuiſſet.*

D. Gregorius.

Ita & de Commeſſationibus, & exceſſivis Conviviis ac Sympoſiis eſt argumentandum: Spectacula etiam hiſtrionica ſunt ordinariè impudicitiarum & malorum morum objecta & ſomnia. Ita Scriptura & Patres obſervarunt, & nos inferius ſingulariter expendemus.

* * *

RESOLUTIO III.

C*Ertum eſt & indubitatum: Omnia illa, quæ ad Pompam Diaboli referuntur, quæ tenus Diaboli Pompæ deſerviunt, & ad peccatum referuntur, à Chriſtiano in Baptiſmo per publicam profeſſionem abjuvari & abrenuntiari coram Deo & Eccleſia; & ab Eccleſia omni tempore repudiata eſſe: Scripturis ea condemnantibus, Conciliis id decernentibus, Patribus adverſus illa declamantibus tanquam illicita & damnoſa.* Hæc omnia in ſuperioribus partim declarata ſunt, cætera ſubjectis Paragraphis declarabuntur.

Et eatenus à Chriſtiano in Baptiſmo abiuratas.

§. I.

De Pompa Diaboli in Luxu, Vanitate, & Superbia in Veſtimentis, & aliis ad Ornatum tam virorum, quam mulierum pertinentibus.

ETſi de Luxu Veſtimentorum & aliis ad Ornatum mulierum aſſumptis nonnulla dixerimus tom. 2. tract. 2. tit. 4. qu. 2. dub. 3. ratione indecentiæ accedentium ad ſacram Communionem; Res tamen hic tota à fundamentis examinari debet, ut peccata, quæ in Luxu, Ornatu, Fucis, nuditatibus à Chriſtiano Homine committuntur, omnibus manifeſta fiant.

Vid. ibid.

Pro vera igitur & fundamentali intelligentia eorum, quæ de Luxu, Vanitate, & Superbia in Veſtimentis, & aliis ad Ornatum pertinentibus à Scriptura, Conciliis, & Patribus dicuntur.

Advertendum eſt 1. In ſupradictis tria reperiri.

In Veſtib. & ornatu reperiuntur.

1. Formam ſive figuram, juxta quam Veſtes & Ornamenta variè aptantur, utpotè diverſis ſciſſuris, aperturis, ſtricturis, modis plicis, &c. quibus conformantur & aptantur geſtus & compoſitiones variæ corporis eorum qui illis veſtiuntur vel ornantur.

1. Forma.

2. Qualitatem, quæ conſiſtit in Mollitie materiæ & delitioſo ejus uſu.

2. Qualitas.

3. Pretioſitatem & Superfluitatem, ſive ex parte rei, ſive ex ejus multiplicitate, varietate & opere.

3. Pretioſitas & Superfluitas prohibentur 1. Ratione formæ libidinē in aliis excitantis

Advertendum 2. Ratione horum veſtes & Ornatus hujuſmodi ex quadruplici capite, tanquam ad pompam diaboli pertinentes, prohiberi & peccati condemnari.

1. Quia incentiva ſunt libidinis in aliis ratione Formæ vel figuræ.

2. Ratione molliciei inutentes laſciviam foventis

2. Quia ſunt fomenta laſciviæ & carnis in eis, qui utuntur, ratione Mollitiei & delicatæ materiæ.

3. Ratione Superbiæ & Vanitatis.

3. Ratione ſuperbiæ.

4. Ratione multorum impedimentorum ſalutis, multorumque peccatorum quæ Luxum illum conſequuntur. His ſic prænotatis, pono ſequentes Regulas.

4. Ratione impedimētorū ſalut & peccat. conſeqq.

REGULA I.

Uti vestib. talis formæ ut juxta communē hominum infirmitatē sit excitativa libidinis in alio est ex natur. sua peccatum mortale.

Quandocumque forma vel figura Vestimenti sive ornatus objectivè juxta ordinariam hominum infirmitatem, est excitativa in alio libidinis & concupiscentiæ carnis, illis Vestibus vel Ornamentis uti, est ex natura sua peccatum mortale. Ratio est: Quia qui similibus utitur censetur dare causam peccati naturâ suâ mortalis. Est expressa sententia Clementis Romani l. 1. Const. Apostolica, c. 4. *Neque Ornatui studebis* (inquit) *quo aliqua alia mulier in te capiatur: Nam si ab ea victus peccabis, mors à Deo æterna tibi parata est. &c. Si flagitium non facias, sed illâ repulsâ non consentias, & hoc ipso peccasti, etiamsi non feceris, quoniam solum propter Ornatum tuum illaqueasti mulierem, ut tua cupiditate flagraret, fecisti enim, ut, quæ hoc passa est, per concupiscentiam in te mæcharetur.* Cui consonat S. Chrysostomus de muliere loquens: *Cur* (inquit) *ignem accendis? Quomodo te puram à peccato censes? cum alterius insania tuum opus sit: Tu gladiam acuisti, tu dexteram armasti, tu venenum temperasti, quomodo ergo poteris ab homicidii supplicio liberari?* Unde & Tertull. l. de Cultu feminarum, *Quid* (inquit) *alteri pericalo sumus? Quid alteri concupiscentiam importamus? Nescio an impunè abeat? qua alicui fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul in tua forma, si concupierit. & admisit jam in animo quod concupivit, & facta es tu gladius illi.* Hæc ibi.

Clem. Roman. — *S. Chrys.* — *Tertull.*

Quando forma vestis censenda sit excitativa libidinis.

Dixi (*quando est excitativa in alio libidinis & concupiscentiæ carnis*) in hoc enim consistit ratio Pompæ Satanæ: tentat enim per illa Satanas, & ad libidinem inducit. Tunc autem censetur *excitativa libidinis*, quando nuditas aliqua magna apparet, ut est videre in illis, quæ pectus apertum gerunt, etiam mamillis ex parte discoopertis. Item quando: etsi non sit plena nuditas, apparentior tamen caro redditur delicatulo & transparente lino:
Isai. 3. 23. Unde & in Isaia *Theristra*, cum aliis Vestibus damnantur; Theristra autem sunt transparentes & perlucidæ vestes, quæ non tam nuditatem tegunt, quam curiosius parere membra corporis faciunt. Denique huc referenda sunt, quæ sive ex positione, sive ex modo, libidinis alicujus speciem immittunt, ut de viris, qui ita strictas vestes gerunt; ut partes etiam verecundæ si non discoopertæ, secundum tamen aliquam apparentiam pandantur, ut explicat Angelus V. Ornatus num. 2.

Angelus

Dixi (*juxta ordinariam hominum infirmitatem*) id est, juxta communem hominum sensum, communemque naturæ fragilis inclinationem. 1. Ut excludamus singularem personæ tentatæ vel afflictæ miseriam, quæ omnia sibi mala fingit, omnia interpretatur in malum, & propriâ tantum phantasiâ ruit: Neque enim homines tenentur ab ordinariis abstinere propter extraordinarias aliquorum phantasias. 2. Ut evincamus communes mundanorum excusationes, quibus dicunt se malum non intendere, se libertate suâ uti; culpam autem eorum esse qui turpibus se illaqueant imaginationibus aut motibus pravis. Hæ sanè excusationes in peccatis sunt: Quicumque enim libidinoso & ad libidinem excitante vestimento vel Ornatu utentes se oculis videntium velut prostituunt, offendiculum, quantum est ex se, ponunt, quod non tantum communi charitate auferre tenentur, sed etiam Christiana Professione, & Obligatione, quâ Pompis Satanæ se abrenuntiare professi sunt: quibus suam conscientiam & scientiam allegantibus illud Apostoli 1. Ad Corint. 8. ingerendum est: *Et peribit infirmus in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est.* Optimè S. Chrysost. Homil. de Compunctione, quem citat Hostiensis c. 1. Ne Clerici vel Monachi: *Mulier* (inquit) *si se decoraverit, & vocaverit ad se oculos hominum, etiamsi plagam non intulerit, vindictam tamen dabit extremam: Venenum enim obtulit: Etsi nullus, qui biberit, inventus sit.*

Nota. — 1 Cor. 8. 12. — *Chrysost. c. 1. Ne Clerici vel Monachi.*

Objectio notabilis.

Una forte excusatio magis solida est: Quâ dicunt mulieres maritatas debere vel posse uti Ornatu quocumque, ut maritis suis placeant. Sed esto placere debeant aliquo ornatu modestiam Christianam, sive sobrietatem excedente: An libidinoso? An ad libidinem excitante.

Licet maritatis se ornare ut sibi invicē placeant. — *S. Aug.*

Resp. Igitur 1. Licere de facto mulieri Christianæ aliquo ornatu uti, qui amorem mariti aut conservet, aut etiam alliciat, & hoc coram marito. Unde S. August. Epist. 73. ad Possidonium: *Nolo de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debeant, quomodo placeant Deo: Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant vel viri Uxoribus, vel mulieres maritis.* Iterum idem Epistola 119. ad Ecdiciam: *Scriptum est quidem mulieres esse non debere in Habitu ornato auríque circumpositione & intorsione crinium & cætera hujusmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram formæ haberi solent: & meritò reprehensa sunt: Sed est quidem pro modulo personæ Habitus matronalis à viduali Veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis salvâ Religionis observantia convenire.*

Idem. — 1 Tim. 2. 9.

Non tamē in publico uti vestitu vel ornamento libidinos. etiā ut sibi invicem placeant.

Resp. 2. Non licere mulieri aut viro in publico uti Vestitu vel Ornamento libidinoso, ut sibi invicem placeant. Ratio est: Quia indulgentia illa, quâ permittitur aliquis levis excessus, ut sibi invicem placeant, domestica est, & ad mutuas personas tantum refertur, illisque duobus velut terminis clauditur: Neque enim illis permissum est, ut alienis oculis se objecta impudicitiæ exponant, & suam libidinosam inclinationem mundo prostituant. Addo, nec justè nec rationabiliter virum posse velle, ut uxor alienis oculis placeat, vel alienos affectus ad se alliciat; nec uxor id viro suo permittere potest: *Honorabile* (inquit Apostolus) *connubium in omnibus, & thorus*

Heb. 13. 4.

& thorus immaculatus. Quomodo *honorabile*, si ei omnis honesti limites excedere permittitur? Quomodo *thorus immaculatus*, cui non sufficit domestica libido, nisi etiam alios inficiat? Benè *S.* August. suprà Epist. 73. ad Possidonium: Ubi enim monuisset Possidonium, ne præpoperam sententiam ferret super ornamentis auri vel vestis eorum, qui vel conjugati essent, vel conjugari vellent, subdit: *Nisi* (ait) *quod capillos nudare feminas (quas etiam caput velare Apostolus jubet) nec maritatas decet: fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia est, quâ non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittenda sunt feminæ ornari, secundùm veniam, non secundum imperium,* Nota verba: *Quibus solis*, & *Secundum veniam*: Ex illis enim ostendit ornatum permitti ad placendum solis viris suis, & permissionem illam esse quandam dispensationem ad eum solum finem intra terminos honestatis. Porrò prosequitur S. Augustinus: *Nam* (inquit) *verus Ornatus maximè Christianorum, & Christianarum non tantum nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem vestisque pompa sed mores boni sunt. Execranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibetur. Quis autem possit speciales nephariarum superstitionum prohibitiones in Scripturis invenire, cum generaliter Apostolus dicat:* Nolo vos socios fieri Dæmoniorum. *Et iterum:* Quæ enim consonantia Christi ad Belial? Hæc Augustinus. Porrò S. Chrysost. Homil. 10. in Epistola ad Colossenses falsitatis convincit mulieres, quæ ut placeant viris suis se ornare dicunt: *Quid* (inquit) *ornaris? Dic quæso? Ut viro tuo placeas? Igitur domi hoc facias; hic verò contrarium fit, domi rudior, foris comptissima procedis: Si autem proprio viro vis placere, aliis ne cures placeas: Si verò aliis placere vis, non potes placere viro tuo.* Et D. Greg. supracitatus Hom. ultima in Evang. *Quod pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur res ipsa testatur, cùm nemo velit ibi pretiosis vestibus indui ubi ab aliis non potest videri;* Hæc ille.

S. Aug. — *Idem.* — 1. Cor. 10. 20. — 2 Cor. 6. 15 — *S. Chrys. Nota.* — *D. Greg.*

Quando ut ornatu excessivo sit tamē peccatum veniale.

Dixi in Regula notanter (*est ex natura sua peccatum mortale.*) Potest enim fieri veniale ex pravitate materiæ, ignorantia, indeliberatione, vel aliqua circumstantia excusante, v. g. coactione mariti, de qua S. Aug. ad Ecditiam supra: Ubi excusat Ecditiam si maritus ad indecentem illum compulisset Ornatum: *Quod si* (inquit) *aliquâ durâ conditione cogereris, posses habere in superbo Cultu cor humile.* Et adfert exemplum de Hester.

S. Aug. — Hest. 14. 16.

Mulier coacta à marito potest gestare habitum excessivum, non tamē libidinosū in publico.

Adverte tamen semper, etsi mulier teneretur obedire marito ad gestandum Habitum & Ornatum aliquem excessivum vanitatis & superbiæ, non posse tamen obedire ad gestandum Habitum in publico ad lasciviam provocantem, quia sive ex se, sive ex objecto & circumstantia malum est; alterum autem tantum ex accidenti, ut statim dicemus.

Et sententia hæc hoc modo explicata est omnium Auctorum: Pertinet enim Habitus libidinosus ad impudicitiam, quæ ad Gal. 5. excludit à regno Dei. Unde etsi inveniantur aliqui Doctores cum S. Thom. 2. 2. q. 169. à 2. excusantes interdum Fucos & Vanitates muliebris Ornatus à peccato mortali, quatenus ob aliquam circumstantiam non videntur ita periculosa esse: Nihilominus nullus libidinosi Habitus usum unquam excusavit à peccato mortali. De ratione autem libidinosi & inhonesti Habitus penes Doctores judicium sit: Malo ego stare judicio Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, quam speculativis quibusdam considerationibus parietem linire absque temperamento. Unum mihi certum est, & omnes concedunt: Quod quidquid incentivum est ad libidinem, illo non licet uti, & juxta rationem incentivi gravioris peccatum esse mortale. Judicet æquus rerum arbiter quid de vestimentis: quibus & nuditates præter rationem honesti apparent, vel quibus nescio quę energica libidinis species ingeritur oculis spectantium, dicendum sit; etiamsi enim ex intentione non fierent, cum ex objecto rei & infirmitate humana soleat istis libido moveri, judicet (inquam) quomodo iste ornatus ab impudico possit separari, aut in judicio Dei & conscientiæ excusari

Gal. 5. — *S. Thom.*

Objectio notabilis.

Dices: *Sunt aliqui Ornatus etiam fucati, qui ad aliquam notabilem deformitatem operiendam, vel aliquam infirmitatem juvandam necessarii sunt: Ut Capilli alieni vel ficti propter mulieris calvitiem vel decalvationem: Item Fucus faciei ad tollendam maculam deformitatis notabilis, ut persona possit honestè in publico comparere.*

Uti ornat. fucato ad operiendā notab. deformitatē vel juvandā infirm. non e. pec.

Resp. & fateor casus illos frequenter contingere, nec peccati nequidem venialis hujusmodi Fucos & Ornatus simili causa assumptos condemno, si tamen intra honestatis terminos ita contineantur, ut non sint (sicut diximus) incentiva libidinis vel voluptatis, nec in gravem tertiæ personæ deceptionem fiant; & de hoc diximus responsione 1.

Ornatus vestiū ration. status sæpe excusatur à pec. nō ita Fuci & nuditates

Notandum tamen est semper, differentiam esse inter Fucos, & nuditates cutis, & capillorum & Ornatum vestium: Quod Ornatus vestis ex se non videatur ita malus, quin ratione diversi status & alicujus honoris externi apud nationes diversimode fuerit permissus, ut posteà dicemus: De Fucis autem picturis & pigmentis cutis & capillorum vix quidpiam fingi potest, quod ad simulationem, mendacium, & Pompam Diaboli non pertineat. Quod ex Cypriano Martyre docet S. Augustinus l. 4. de Doctrina Christiana, cap. 21. Eam scilicet, quæ Fucis suam faciem decolorat, Dei imaginem, quæ in facie elucet, sacrilego ausu adulterare: Unde infert; *Quod* (inquit) *ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, præ-*

Fuc. utens Dei imaginem adulterat. — *S. Aug. ex S. Cypr.*

varicatio est veritatis. Infrà: *Num sinceritas* (inquit) *praeseverat & veritas, quando qua sincera sunt, polluuntur, & colorum adulteriis, & medicaminum fucis in mendacium vera mutantur. Dominus tuus dicit;* Non potes facere capillum unum album vel nigrum, *& tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse potiorem audaci conatu, & sacrilego contemptu; Crines tuos inficis, malo praesagio futurorum capillos jam tibi flammeos auspicaris, &c.*, Vide ibi, & apud Cyprianum in ipso opere l. de Habitu Virginum: *Deum* (inquit) *videre non poteris quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos Diabolus infecit: illum tu sectata es, rutiles atque depictos oculos serpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter arsura, &c.* Eadem ferè reperies apud S. Ambrosium l. 1. de Virginibus. Ad alia transeamus.

Matt. 5. 6.

S. Cyprian

S. Ambr.

REGULA II.

Quando Mollities vestis est excitativa libidinis in utente, illa uti est peccatum mortale.

QUandocunque Mollities Vestium tanta est, ut ipsum ferentem libidinem & pruritus carnis moveat cum periculo consentiendi in delectationem libidinosam, vel cogitationem pravam, uti talibus vestibus peccatum mortale est ex natura sua. Haec Regula similiter constat ex communi sensu & doctrina omnis veri Theologi: Qui enim talibus voluntariè & deliberatè utitur, censetur dare causam peccato ex natura sua mortali, & gravi ejus periculo se exponere. Unde & Mollitiem Vestium unam rotam currus Luxuriae triumphalis posuit S. Bernard. Serm. 39. in Cantica: Et Serm. 9. ad Sororem: *Mollia* (inquit) *dicuntur Vestimenta, quia mollem faciunt animum.* Et Clemens Alexand. 3. Paedagogi c. 11. *Ea* (inquit) *quae à foeminis comparantur, ab eis tamquam penna detrahenda sunt, ut quae instabilem superbiam & mollitiem inanesque voluptates procreent quibus excitata, & quodammodo alata sapè à matrimonio desiliunt.* Vide quae in superiori Regula dicta sunt, quia & pro hac concludunt; non enim licet seipsum periculo libidinis magis exponere, quàm proximum.

S. Bern.

Clem. Alexand.

REGULA III.

Qui in vestibus sole motive Jactantia & vanitatis ita enormiter excedit ut toto fine institu. vestis transgrediatur peccat mortalit. Triplex finis institutionis vestium.

QUicumque etiam sole motive Jactantia & Vanitatis, in Vestimentis suis ita enormiter excedit ut totum finem institutionis vel usus Vestimentorum pervertat, & transgrediatur peccat mortaliter, nisi levitas materia, vel alia circumstantia excuset. Ratio fundamentalis est: Quia talis censetur omnes humanae Rationis terminos transgredi, & Dei leges ac commi- nationes in Scripturis contentas virtualiter contemnere. Quod manifestè patebit ex regulae istius accurata declaratione.

Dixi igitur primò: *(Qui enormiter excedit totum finem institutionis vestimentorum)* Triplex autem finis institutionis Vestimentorum pro natura humana à Patribus post lapsum assignantur.

Primò: Ad nuditatem contegendam. 2. Ad arcendum frigus ac alia externa incommoda, & ad fomentum corporis. 3. Ad honestatem humani consortii & societatis congruae. Unde S. Chrysost. Hom. 18. in Genesim explicans illud, *Fecit quoque Dominus Deus Adae & uxori ejus tunicas pelliceas: Audiant* (inquit) *opulenti, & qui luxuriant in vernium operibus, & vestiuntur sericis, discant, quomodo ab initio humanam naturam docuerit Deus.* Infra: *Nam postquam sese corporalibus necessitatibus obnoxios fecere, & ab immortalitate illa & Angelica vita exciderunt, dispensavit Deus, ut ex ovium velleribus Indumenta sibi pararent, non alia de causa quam ut tegumentum habeant, & ne rationale animal hoc non secus ae bruta in nuditate & dedecore vitam degeret.* Haec Chrysost. In quibus verbis nota triplicem quem diximus, finem Vestimentorum ex dispensatione divina. Tegumento enim vestium, nuditati contra verecundiam providetur, & adhibetur protectioni corporis contra nocumenta: Addit autem & tertium finem honestatis quâ rationale hoc animal homo debebat etiam inter bruta animantia velut honoris gratiâ praesidere. Unde & idem Chrysostomus sive Auctor operis imperfecti in Matthaeum Homil. 3. *Omne vestimentum ad tres pertinet causas: Aut ad speciem visionis, & vanam gloriam: Aut ad delectationem corporis: Aut ad tegumentum nuditatis.* Et resumit: *Ad speciem visionis habere vestimentum servis Dei non convenit: Similiter ad delectationem corporis Deo servientibus non est aptum: Sed tantum ad tegumentum nuditatis.* Haec ibi. Tria verò, ut dictum est, tegumentum nuditatis includit: nimirum: Exclusionem verecundiae, quam post peccatum originale ex nuditate homo incurrit: Protectionem corporis contra nocumenta corporis: Honestatem amictus in gratiam & solatium humanae societatis. Quidquid amplius per Vestimentum quaeritur, quod his finibus aliquo modo non continetur, à Regula omni recedit. Sed ut manifestiùs mundi insanae vanitatis convincantur, prosequor Regulae declarationem.

2. Fomentum corporis.

3. Honestas consortii humani.

Gen. 3. 21.

S. Chrysost.

Chrysost. sive Auct. operis imper. in Matth.

Dixi secundò: *(Qui enormiter excedit totum finem usus vestimentorum.)* Hic enim iterum advertendum est: super institutione & dispensatione primaria Dei, politiam humanam instinctu divino & naturali jure gentium jus naturae magis explicante, aliqua in Vestimentorum sive usu, sive legibus ampliasse, quae vel ad utilitatem & congruam commoditatem utentium, vel etiam ad decorem & necessitatem Reipublicae & vitae civilis sive regiminis publici pertinebant: Ex ratione enim humanae societatis & vitae civilis comparatum est: Primò: Ut diversi sexus, diversis vestibus tum in forma tum quoque in materia uterentur: Prout & in Republica Hebraeorum sanxerat Deus. Secundò: Ut Sacerdotes à laicis in vestibus different. Tertiò: Ut Reges, Principes Magistratus à plebeis, nobiles ab ignobilibus veste aliqua magis pretiosa secernerentur. Quartò: Diversis Statibus, Officiis, Gradibus

Quid circa vestimentorum usum leges decreverint.

bus, opificiis diversa signa in Amictu decreta fuerunt: Quinimo & in ordine ad Religionem Hebræi a gentilibus, & demùm Christiani in principio ab utrisque in modo Vestitus distinguebantur, ut ex Historiis tam sacris, quam profanis constat. Christiana utique Religio, si quid fortè politia civilis excesserat in Vestimentis, eorumque forma ac pretiositate, Christianâ honestate temperare voluit. Nec apud primitivos Christianos, sicut nec hucusque, idem fuit omnium Habitus sive in pretio, sive in figura: quin aliter viri, aliter feminæ, aliter nuptæ, aliter innuptæ, aliter Sacerdotes, aliter laici, aliter sæculares, aliter Religiosi vestirentur. Omis verò Respublica & politia benè ordinatâ non tantùm Christiana, sed etiam civilis & profana hoc habuit, ut Vestimentorum usum necessitati, utilitati, honestati accommodarit, & quidquid contra hos fines fuit, etiam legibus positivis damnaverit, tamquam rationi & dictamini naturali, & fini Vestimentorum contrarium, & absurdum. Legantur Vestiariæ Leges Theodosii, Arcadii, Honorii, Octaviani, Julii Cæsaris, & variarum Gentium ac Rerumpublicarum, quas hic referre alienum à proposito meo esset: Videantur & Auctores Historiarum, & inter alios omnia, quæ ex infinitis Auctoribus collegit Laurentius Beyerlinck, in suo Theatro magno V. Vestis & Vestimentum.

Leges Vestiariæ.

Beyerlinck.

In Vestibus excessus enormis est.

Dixi tertiò (*Enormiter excedit*) Enormis verò excessus circa finem censetur. 1. Quando tantus est, ut scandalosam Superbiam videntibus ingerat, utpote si nullo fine aut tegumenti, aut honestatis, aut societatis honestæ, aut distinctionis status in humana politia contineatur; imò omnibus manifeste ad versetur. De quibus Stapletonus describens Luxum Angliæ: *Eo* (inquit) *usque Luxus iste in Anglia increvit, ut qui Henrici VII. cui Octavus successit Elisabethæ pater, vestitus fuit, vix nobilem mediocrem deceat, & quo olim primarii nobiles, duces, marchiones, eo nunc inferior nobilitas Vestitus splendore utatur: nobilitatis vero inferioris Amictu veteri, vix mechanici & villici agrorum jam contenti sint.* Contra hos abusus Chrisost. Hom. 37. in Genesim. *Quali veniâ dignandi sunt, qui & in Vestimentis multam Vanitatem ostendunt, & ut vermium texturas gestent solliciti sunt; &, quod gravissimum, in his superbiunt?* Et rationem addens: *Oportebat* (ait) *tremere, & se abscondere, & vereri præ confusione, quod ipsi quidem ob nullam utilitatem, neque necessarii usus gratiâ, sed tantum ob Vanitatem & inanem gloriam, & ut vulgo ac forensibus admirationi sint, talibus induantur.*

1. Quando scandalosam Superbiam præsefert.

Thom. Stapletonius.

Chrysost.

2. Quando gravem insolentiam conjunctam habet; qualem manifestant qui Deorum & paganorum Vestes imitantur: Ut de Cajo Cæsare Augusto refert Suetonius, qui conspectus aliquando est Habitu Deorum, aliquando barbâ aureâ, aliquando Habitu Veneris. Quid aliud modò videmus in insolentibus illis, qui nil ferè nisi fictum & ementitum in Vestibus & capillatura ac barbis gerunt.

2. Quando gravẽ insolentiam conjunctam habet.

Suetonius

3. Quando totam naturam ejusque compositionem velut destruunt & invertunt. Unde Ambros. l. 1. de Virgin. Ornatum excessivum adulterio comparat, & adulterio turpiorem facit. *Ibi enim* (id est in adulterio) *pudicitia: Hic* (in Luxu Vestium) *natura adulteratur*, Infrà: *Certè* (inquit) *lacera vulneribus aures, & depressa onera misera cervicis, non sunt allevamenta pœnarum; sed discrimina metallorum. Hinc collum catenâ constringit, inde pedem compes includit: nihil refert auro corpus oneretur, an ferro: si cervix premitur, si gravatur incessus, nil pretium juvat, nisi quod vos mulieres, ne pereat vobis pœna, trepidatis. Hinc vos etiam miserabiliores, quam qui publico jure damnantur, quòd illi optant exui, vos ligari.* Hujus generis excessum portentosum fecerat Gualterus Rajolæus in Anglia, homo alioquin obscurus & sortis abjectissimæ, quem cùm amasium Elizabetha haberet, in aula crepidas gestasse ferunt 6600. aureis æstimatas, ob auri pondus quo onustæ erant. Nec desunt similia exempla modò.

3. Quando totam naturam destruit.

S. Ambros.

Dixi quartò (*mortaliter peccat*) Hoc apud me communis Regula peccatorum mortalium convincit: Signum nimirum peccati mortalis esse, quando in scripturis Deus gravissimas pœnas alicui actui comminatur & intentat: Atqui Scriptura passim non tantùm intentat, sed etiam decernit pœnas ingentes Luxui Vestimentorum, etiam illi qui est tantùm ad Superbiam: Ergo peccatum est mortale. Lege & relege c. 3. Isaiæ. *Pro eo* (ait) *quòd elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant &c.* Isai. 3. 16.
Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. Vers. 17.
Et ut hujus Superbiæ sic descriptæ instrumenta enumeret, & sigillatim condemnet: *In die illa* (inquit) *auferet Dominus Ornamentum calceamentorum, & lunulas,* Vers. 18.
& torques, & monilia, & armillas, mitras, & Vers. 19.
discriminalia & periscelidas, & murenulas &c. Vers. 20.
Et erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus & pro crispanti crine calvitium, & pro fascia pectorali cilicium. Vers. 24.
Et quia viri etiam muliebrem illam Vanitatem sequuntur: *Pulcherrimi quoque* (inquit) *viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio &c.* Vers. 25.
Dic mihi qui hæc excusare paras à peccato mortali; An Deus injustus est, qui tantas vindictas exercet in sola venialia peccata. Vide S. Hieron. in hunc locum l. 2. in cap. 3. Isaiæ. Nec solus Isaias hanc ruinæ Jerusalem causam attulit; sed & Ezechiel cap. 7. Descriptâ ejus superbiâ: *Ornamentum* (ait) *monilium suorum in Superbiam posuerunt, & imagines abominationum suarum & simulachrorum fecerunt ex eo. Propter hoc dedi eis illud in immunditiam &c. & avertam faciem meam ab eis.* Quin Psal. 143. Filiæ hujus mundi, ut distinguuntur à filiabus Dei & electorum, describuntur in Habitu vano: *Filiæ* (inquit) *eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi.* En vera Vanitatis hujus sæculi imago.

S. Hieron.

Ezech. 7. 20.

Psal. 143. 12.

imago, quo non jam Vestimento, ut corporis tegumento utuntur; sed ut Ornatu Deorum statuas templa & altaria æmulentur, omnia, quæ altaribus sacris deserviunt, sibi ad vanitatem assumunt.

Advertat demum seriò Christianus, quam sibi excusationem vel apparentem in peccatis istis possit adserre: cùm & Lucæ 16. dam-
Luc.16.19 netur Dives, qui *purpurâ & bysso* singula-
S, Gregor. riter indutus describitur. De quo Greg. *Nisi Cultus pretiosus in culpa esset, non tam singulariter diceretur: Quod Dives indutus purpurâ apud inferos torquetur.* Sed & Babylon meretrix illa,
Apoc.17.4. quæ corrupit terram, Apoc. 17. *circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureũ in manu sua plenũ abominatione &c.* describitur, ut agnoscat omnis qui hujusmodi Vestitu ad Superbiam utitur, se ad Babylonis illius damnatæ sortem pertinere. Et Sophon. 1. *Et erit* (inquit)
Sophon.1.8. *in die hostiæ Domini*, (id est vindictæ sive ju-
dicii) *visitabo super omnes qui induti sunt Veste*
Vers.9. *peregrinâ. & visitabo super omnẽ qui arroganter ingreditur super limen.*

OBIECTIO NOTABILIS.

Nota. DIces: Excessus Ornamentorum & Vestium, qui (ut supponitur) ad solam Vanitatem & jactantiam est, non potest ex eo capite esse majus peccatum, quàm ipsa Vanitas & jactantia est: Atqui Vanitas & Jactantia ex hoc solo quòd Jactantia & Vanitas est, si in Dei contemptum vel tertii detrimentum non cedat, veniale tantùm peccatum est: Ergo & excessus quivis in Ornamentis ad solam Vanitatem & Jactantiam, tantùm peccatum veniale erit.

Vanitatẽ excessivi Ornatus variacõcomitantur inordinationes. Resp. Ad majorem distinguendo: Etsi enim finis illius excessus ex parte excedentis, & enormiter se ornantis & vestientis, sit tantùm Vanitas & Jactantia: concomitanter tamen secum alia necessario connexa habet.

1. Contra natura humana cõditionẽ. 1. Inordinationem gravissimam contra naturæ institutæ, vel etiam lapsæ conditionem. Vestimenta quidem ad tegumentum verecundiæ, protectionem & solatium temperamenti defectibilis, & honestatis amictum permisit Deùs. In hoc verò casu, sive vir, sive mulier omnes leges naturæ prætergreditur, & naturam gravi impudentiâ dehonestat. Unde benè Clemens Alexandrinus l. 3. Pædagogi c. 2. comparans ebrietatis excessum, excessui hujus Luxus in Vestimentis, majus peccatum putat esse in hoc Ornatus excessu, quàm in ebrieta-
Clem. Alex. te: Sic verò loquitur: *Ebriosum* (ait) *esse & vinosum, etsi sint magna vitia, non tamen tanta, quantum est nimium se ornandi studium.* Et probat ab intemperantia: *Mensa* (ait) *plena & frequentes calices satis sunt ad implendã ingluviem: At qui auri, purpura, & gemmarum nimio studio tenentur, iis nec quod super terram. nec quod sub terra est aurum suffecerit. Dum ergo cupiditatis limites sibi non constituunt, in impudentiam impingunt.*

2 Hic ornandi excessus quendam con- *2. Contra imaginẽ Dei quam homo gerit.*
temptum Dei includit. Quem contemptum Dei exaggerant Patres in eo, Quòd aliam velut formam Divinæ imagini & speciei a Deo constitutæ superinducere videantur: Quòd comminationes Dei in Scripturis contentas, quæ præceptis Divinis æquipollent, despiciant: Quòd vestimenta, quæ in peccati pœnam à Deo data sunt, erigant in Vanitatem & superbiam ac gloriam, quasi Deum irridentes. Unde
Tertul. l. de Disciplina Virginum: *Feminæ* (in- *Tertull.*
quit) *manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare & trãsfigurari satagunt: nesciẽtes quia opus est Dei omne quod nascitur; Diaboli autem quodcumq; mutatur.* Vide Chrys. Hom. *Chrysost.*
18. & 37. in Gen. ac Hom. 50. in Matthæum.

3. Iste excessus vocationi Christianæ repu- *3. Contra vocationẽ Christianam.*
gnat: Vocatio enim Christiana Vestes præscripsit, quales refert Apostolus 1. ad Timot. 2. *Similiter* (inquit) *mulieres in Habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornãtes se, & non in tor-* 1.Tim.2.9
tis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa; sed quod decet mulieres promittẽtes pieta- *Vers.10.*
tem per opera bona. In quibus verbis omnia, quæ ad Christianam sinceritatem in Vestimentis pertinent, comprehenduntur: Ornatum enim permittit contra vilitatem & abjectionẽ: cui duos limites ponit: Verecundiam contra excessus impudicitiæ & vanitatis: Sobrietatem contra excessus sumptuum & superfluitates. Prohibet autem crines tortos contra modestiam, qua velari mandantur maximè in Ecclesia: Aurum & margaritas, ut à Paganis & Iudaicis distinguerentur. Hoc enim singula-
riter notantum est: Aliqua Christianis in pri- *Christianis initio Ecclesia aliqua prohibita sunt. quæ modò honestè permittũtur.*
mitiva Ecclesia fuisse prohibita, quæ modò nũ prohibentur, sed etiam honeste permittuntur; quia cessant causæ prohibitionis. Quæ enim tunc prohibebantur, ut plurimum prohibebantur, ut modestia & humilitas Christiana, contra Judæorum & Gentilium modos & mores, cõmendabilis redderetur, etiamsi de per se vel etiam ex alia circumstantia mala non essent: Quomodo prohibitum fuit in concilio Hiero-
solymitano Christianis vesci suffocato, san- *Act 19.19.*
guine, & idolothytis, quia horũ usus erat in sacris idolorum ut aliàs dicemus. Quisquis igitur hos terminos enormiter excedit, vocationi Christianæ contradicit, & Professioni suæ, quâ Pompis Satanæ abrenuntiavit, In materia gravi injurius est. Dico semper (*enormiter & in materia gravi*) Interdum enim Ecclesia, jam variis Statibus, Gradibus, Dignitatibus, Officiis ampliata Ornametta aliqua etiam in auro & margaritas permisit ad distinctionem & honorem, & cessantibus causis aliqua rationabiliter & legitimè Christianis sunt concessa, quæ positis causis prohibentur.

4. Contra leges politicas Reipublicæ Chri- *4. Contra leges ecclesiastic. & civiles.*
stianę tam Ecclesiasticæ quam civilis, etiã dato scandalo, excessus ille enormis militat. Leges enim quemlibet juxta Statum suum vivere mãdant, & sive lege expressa sive cõsuetudine unicuique Vestimentorum honestum genus cedit, quem Statum qui graviter excedunt scandalũ

dare

dare censentur, & infinitas murmurationes causare. Quod ut melius intelligatur, pono Resolutionem Generalem.

Resolutio Generalis.

Quis sit dicendus Vestitus uniuscujusque juxta statum suum.

Ille Vestitus dicitur esse juxta Statum uniuscujusq;, quem aut lex, aut consuetudo, inter probos & honoratos communiter recepta, approbat, & qui honestatem & honorem conditioni personae utentis apud prudentes conciliat.

Dixi (*quem lex*) In aliquibus enim regnis & benè constitutis provinciis sunt leges speciales vestiariae quibus decernitur, quibus Vestimentis utantur principes & nobiles juxta gradum suum: quibus qui magistratum gerunt: quibus cives graviores: quibus, mechanici &c.

Dixi (*aut consuetudo*) Ubi enim leges desunt, ad consuetudines deveniendum est.

Dixi (*inter probos & honoratos recepta*) Ut excludam abusus facile irrepentes *Probos* posui, ut improborum & lascivientium insanas cupiditates & effrenos modos reprimam. *Honoratos* verò, ut austeras & cynicas aliquorum censuras, qui omnia quae displicent, condemnant, rejiciam. Addidi: *Qui honestatem & honorem conditioni personae utentis apud prudentes conciliat.*

Nota. Hoc enim tibi signum excessus Status in vestimentis: Si a prudentibus in populo, qui talibus utuntur Vestibus, contemnentur, irrideantur, fiant fabulae vulgi, & variis obloquentium dicteriis discindantur. Econtra, Vestimentum juxta Statum, honorem causae, honestati defert, & Statui ac conditioni respectum conciliat.

Regula IV.

Qui in gravia salutis pericula & impedimenta ex Vestium Luxu se conjiciunt mortaliter peccant.

Quicumque in gravia salutis suae impedimenta & pericula ex vano Ornatu, sive Vestimentorum Luxu, se conjiciunt, pro ratione periculi & impedimenti mortaliter peccant.

Ratio est: Quia Homo Christianus, imò omnis homo, sicut tenetur suam procurare salutem, ita vitare ea, quae sunt illi manifesta impedimenta & pericula salutis. Et, ut habet receptum axioma, Qui se voluntariè praecipitat in proxima pericula peccati mortalis, censetur mortaliter peccare: juxta illud: *Qui amat periculum, peribit in illo.* Eccli. 3. 27.

Tria impedimenta salutis ex immoderato luxu Vestium provenientia.

Tria porrò salutis impedimenta gravissima ex Luxu & immoderato Ornatu Vestium Patres assignant, ex quibus non modò proxima pericula, sed etiam casus actuales colliguntur.

1. Jactura temporis. Comicus. Chrysost.

1. *Est jactura temporis ad salutem necessariis:* Nam ut bene Comicus: *Dum moliuntur, dum comuntur annus est.* Contra hanc jacturam temporis & salutis negligentiam declamant Patres: S. Chrysost. Homil. 37. in Genesim loquens de mulieribus se ornantibus: *Impossibile* (inquit) *est aliquam agere curam animae, & tanti facere corporis pulchritudinem & Ornatum sicut & impossibile in externo illo Cultu tantoperè occupatum illius agere curam.* Et proferens mala inde nascentia, & tentationes, moerores, angustias, invidias, concludit. *Idem.* *Insumma* (inquit) *nunquam invenies animam istiusmodi occupatam, a turbationibus alienam, sed sicut maris fluctus, neque numerari, neque terminari queunt semper novis succrescentibus, ita & turbationes inde orientes, nemo denumerarit.* Et Homil. 10. in Epist. ad Colossenses: *Idem.* *Animus terrenis istis circumdatus circumspicit quis videat, quis non videat, fastu plenus, curis detentus & innumeris aliis passionibus alligatus.* *Idem.* Idem Hom. 50. in Matthaeum: *Quando* (ait) *rebus poterit, qui tantis diffluit luxuriis, diligenter vacare? Quando anima suae curam habebit?* Et infrà: *Virtutis penitus expars est qui studium suum ad hoc contulit universum. Nam qui gloriam servit, qui florem coloris, qui aureos intextus curiosè respicit, quando in caelum suspicit? Quando illam pulchritudinē admirabitur, qui tincturas istas respiciens, & ad terrā flexus, altius se non potest erigere? Et Deus quidem caelū extendit, ac solem accendit, ut oculos tuos sursum erigat: Tu verò ad terrena quasi porcus Diaboli artibus persuasus devolveris: Ita Deus qui caelum tibi offert, a Diabolo serica tibi licia offerente superatur.* Haec ibi.

Peccata, quae inde consequuntur. Acedia.

Et ne putentur hae declamationes: enumero tibi quae spasim à Patribus referuntur peccata, quae jacturam illam temporis sequuntur, ut acedia universalis in iis quae sunt ad salutem vel scitu vel opere necessaria: unde nascitur ignorantia eorum salutis, orationis neglectus, fitque frequenter ut Missae in die Dominico & festo aut non intersint, aut non nisi extremâ horâ, & absque ulla religionis specie, imò cum multa pompa & vanitate, ut videantur, & spectantibus admirationi sint: Sequitur Poenitentiae & Eucharistiae Sacramentorum violatio: impoenitentes enim, ut plurimùm, accedunt, consuetudine magis, quàm emendationis affectu: Quomodo enim poenitere & conteri dici possunt, quae actu mundo, luxu, larvis illis plenae sunt? Nervosè Chrysostomus Hom. 8. in Ep. 1. ad Tim. *Quid dicis* (ait) *Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circumfers flavosq; crines & ipsos auro compositos? An verò saltatura ad Ecclesiam pergis? &c. Non est* (ait) *iste supplicis Habitus. Quo enim pacto ingemiscere potes ac lachrymas fundere, & intentissimè, ut decet, orare, quia hujusmodi Ornatu compta procedis? Nam etsi lachrymas fuderis, risum cernentibus ejusmodi lachrymae movebunt.* Subdit: *est enim scena potius aut simulatio si ex eodem animo, ex quo tāta sumptuum magnificentia, tantaq; ambitio prodiit, indè etiam profundi lachrymae viderint.* Haec ille. Qui & homil. 37. in Genesim suprà citatâ vocat hujusmodi ad tribunal suae conscientiae.

Ignorantia. Orationis neglectus. Violatio Sacramētorū Poenitentiae & Eucharistiae. S. Chrisost.

Thomas Morus. Non insulsè Thomas Morus domicellae cuidam, quae multo cum labore atque etiam dolore crines complicabat, ut frons lata esset, tunicamque constringebat ut gracili corpore videretur: Dixit: *Nisi* (inquit) *Deus pro tanto labore infernum reddat, magnam tibi profectò injuriam faciet.* In vita Thomae Mori c. 12. Sed ad alia pergamus. Vide interim à nobis dicta tom. 2. tract. 2. tit. 4. sect. 1. qu. 1. in appendice §. 1. Vide ibi.

2. Salu-

2. Subtractio operũ misericordiæ.

2. Salutis impedimentum & gravissimum periculum, quod ex Vestimentorum Luxu, etiam ad solam Superbiam & Vanitatem, oritur, est: *Operum misericordiæ ad salutem necessariorum subtractio.* Fundamentum hujus sumitur ex Scriptura Matth. 25.

Mat. 25. 41 *Discedite à me maledicti in ignem æternum &c. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ubi ob neglectum operum misericordiæ pronuntiatur in reprobos sententia damnationis. Ex quo inferunt SS. Patres eos, qui, ob substantiam suam in Luxus & Vanitates expensam, erga pauperes vel non possunt opera misericordiæ exercere, vel præferunt suam Vanitatem & Luxum operibus misericordiæ, mortaliter peccare, & pœnam æternam sibi demereri. Quod confirmatur

Iac. 5. 1. Iacobi 5. *Agite* (ait) *nunc divites, plorate Ullulantes in miseriis vestris quæ advenerunt vobis.*

Vers. 2. *Divitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta*

Vers. 3. *vestra à tineis comesta sunt, Aurum & argentum vestrum æruginavit, & ærugo eorum in testimonium vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis.* Et concludit: *Thesaurizastis vobis iram in novissimis diebus.* Unde sanctus Chrysostomus Homil. 17. in Genesim expendens eorum peccata, qui ob nullam utilitatem, neque necessarii usus gratiâ, sed tantùm ob Vanitatem & inanem gloriam, & ut vulgo & forensibus admirationi sint,

S. Chrisost. Vestimentis pretiosis & superfluis utuntur, sic tandem subiicit: *Obambulat autem* (ait) *ejusdem naturæ consors nudus, qui nec pl[...]â veste amicire se potest, & neque naturâ ad compassionem ducuntur, &c. sed quasi lapideum cor haberent, & non ejusdem naturæ forent, ita se putant ob Vestium Cultus, etiam aliis hominibus superiores esse, non perpendentes secum quantis malis seipsos reos constituant, qui concredita sibi à Domino malè dispensant, & graviorem gehennæ ignem sibi præparant.* Nota *graviorem gehennæ ignem*, id est graviorem pœnam, ex iis, quæ in gehenna sunt. Sed & tremendum

Idem. magis quod addit: *Nam si omnia, quæ intus reposita habent, indigentibus divites distribuerent, neque sic supplicium effugerent eorum peccatorum, quæ in delitiis Vestium & Conviviorum admittunt.* In quibus nota: Ne quidem solis misericordiæ operibus in pauperes posse peccata Luxus in Vestibus dimitti absque pœni-

Idem. tentia. Addit ad propositum præsens: *Quo enim supplicio non sunt digni, qui modis omnibus dant operam, ut sericis & auro intextis induantur, & post se pompâ trahant in foro: Christum autem despicere nudum, & neque cibum necessarium impetrantem?* Subdit de mulieribus sic vane ornatis: *Quot pauperum ventres poterãt inde pasci, & quot corpora nude agentium poterant contegi, ex his quæ à solo collo & humeris pendent, nullius alterius usus gratiâ quam in damnum animæ?* Hæc ibi: Vide quæ de Eleemosynæ necessitate diximus tom. 2. tit. 4. sect. 2 q. 1. appendice 2.

3. Involucrũ multorũ peccatorum.

3. Impedimentum est: *Involucrum multorum peccatorum*, quæ ordinarie vel comitãtur, vel consequuntur, vel oriuntur ex excessu illo gravi Vestimentorum pretiosorum, & curiosorum, ac superfluorum, quæ diximus ad Diaboli Pompam pertinere, quæ ad 4. Capita reduci possunt nimirum: *Injustitias, Oppressiones pauperum, Ruinam familiarum, exempla prava*, quibus parentes proles in interitum sempiternum præcipitant: Hæc omnia SS. Patres notarunt, quos tædet referre, quia in propatulo nobis sunt exempla. *Quæ ad 4. Capita reducuntur.*

1. Injustitiam.

Et 1. De *Injustitia* res omnibus est manifesta: Unde enim isti duorum dierum divites, id est, qui pauco tempore ex hominibus infimæ conditionis sublati sunt, per officia, procurationes, advocationes, solicitationes, receptturas, & id genus in istanti divites fiunt, domos amplas ædificant, in Vestimentorum Pompa se & familiam magnificant, rhedis vehuntur, dominia acquirunt? Ad tribunal conscientiæ evoco: benè Propheta Osee cap. 12. *Chanaan in manu ejus statera dolosa calumniam dilexit: & dixit Epraim: Verumtamen dives effectus sum, inveni idolum mihi: Omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi.* Ubi S. Hieron. per stateram dolosam, injustitiam: per Eprahim eum, qui injustitiâ ditescit, intelligit: Cui hoc triplex solatium: 1. Divitiæ: *Verumtamen* (inquit) *dives effectus sum*: id est non refert unde possideam, modò possideam: 2. Honor ob divitias: *Inveni* (inquit) *idolum mihi*, id est: Honorabor ab hominibus; Illis enim sic ditatis contingit, ut ab hominibus honorentur quasi idola, cùm non virtute, sed meris injustitiis sint ditati. 3. Potentia quâ se tuentur & tutantur: *Omnes labores mei* (inquit) *non invenient mihi iniquitatem, quam peccavi*: *Et est sensus* (inquit S. Hieron.) *Quidquid peccavero, si habuero divitias, ab his qui meo indigent auxilio non poterit mihi imputari secundũ illud: Et iniqua agens benedicitur, divitum enim amici multi.* Hæc ibi.

Osee. 12.

S. Hieron.

Idem.

2. Oppressionem pauperũ.

2. *Oppressione pauperum*, Scripturæ sunt omnibus perviæ: Legantur cap. 4. 5. 6. Prophetæ Amos & commentaria Sancti Hieronymi in illa: Legatur & S. Ambr. l. de Nabuthe Israelita cap. 1. quæ non refero ne fiam debito prolixior.

3. Ruinam familiarũ.

3. De *Ruina familiarum*, ob pompas & superfluitates illas in Vestimentis, superfluum etiam credo prolixam narrationem texere, cum quotidiana nobis sint exempla insignes familias deperiisse ex superfluis sumptibus in Vestimentis: plurimasque modò in auro gemmis, serico parére; quæ vix cibum corpusculo alendo sufficientem habeant. Benè sanctus Ambr. supr. cap. 5. de uxore vana virum sollicitante: *Fortasse* (inquit) *domum redea., cùm uxore conferas, illa te hortetur ut redimas venumdatum? imò magis hortabitur, ut mundum muliebrem conferas: illa tibi imponit sumptuum necessitatem, ut gemma bibat, in ostro dormiat, in argentea sponda recumbat, auro oneret manus cervicem monilibus &c. smaragdos, hyacinthos &c. summo quærunt sudore, vel si dimidium patrimonii petatur, non parcunt dispendio, dum indulgeant cupiditati.* Hæc ille.

S. Ambr.

4. Prava exempla prolium. S. Hieron.

4. *De pravis exemplis*, quibus proles imbuuntur in perpetuum interitum, familiaris est historia prætextatæ apud S. Hieronymum Epist. 7. ad Lætam.

Graviter admodum S. Chrysost. Homil. 50. in Matth. ubi loquens de malo exemplo quod proles suscipiunt ex vanitate parentum in Vestimentis 1. Notat inde fieri effeminatos & molles, & talium cupidos, & pecuniarum consumptores. *Chrysost.* *Ita* (inquit) *pusillanimes & molles hinc juvenes efficiuntur: erunt etiam aliâ ratione pecuniarum avidi: nam qui vestibus, calceis, cæterisq; hujusmodi valde inhiari soliti sunt, cùm multa in his rebus consumant, magno indigent pecunia cumulo.* 2. Notat pueros declinare ad furta, & alia peccata, quibus pecuniam accipiant: *Quod si* (inquit) *contigerit avarum habere patrem, cogitur ad alia pejora confugere, ut sibi peccuniam ad impendia ista conquirat.* 3. Ob ista prava exempla adolescentes etiam ad libidines & insanias multas declinare; quia parentibus media deficiunt, ut illos in consueto splendore conservent: *Hac ratione* (inquit) *multi ex adolescentibus ætatis florem perdiderunt, & parasiti divitum constituti, ut hujusmodi cupiditatem atque animum suum expleant, turpia nimium ministeria subierunt.* Hæc Chrysost.

Speculum notabile pro parentibus, circa filias maximè: quæ ut suo Luxui Vestimentorum vacent, furantur, debita contrahunt, impudicitiis juvenum consentiunt, indicibilia committunt.

§. II.

De Pompa Diaboli in Aulais, Tapetibus. Ædificiorum excessiva ædificatione, multiplicatione equorum, &c.

Repetenda 1. hîc sunt, quæ quæstione 5. hujus Tituli à nobis sunt dicta, tam in Quæstione Principali, ejusque Conclusionibus, quam in Quæstione Incidentali: Multa nimirum, quæ ex se peccata non sunt; ad Pompam tamen Diaboli, prout ad peccata movent, illa comitantur, vel consequuntur, pertinere.

2. Advertendum est: Scripturam & Patres sæpiùs invehi in Aulæa, Tapetes, Ornamenta excessiva domorum, in Ædificia sumptuosa, multiplicationes equorum, &c. Unde ne in nuda litera innocentes condemnentur, aut nocentes excusationibus frivolis se excusent, prout superiùs processimus, sic distinctè hîc aliquid resolvendum duximus.

Resolutio I.

Aulæa, tapetes Ornam. &c. attentò cujusq; statu honestè usurpari possunt.

Aulæa, Tapetes, Ornamenta, & sumptuositas Ædificiorum, multiplicatio equorum &c. ex conditione sua si uniuscujusque status attendatur, non sunt prohibita, sed honesta, honesteque usurpari possunt. Resolutio ex Scripturis constat, quæ à principio habitati orbis, illis Patriarchas, Reges, & honestos quosque usos referunt cum honestate & honore. Ex his enim Balam miratur tabernacula Jacob, & Num. 24.
tentoria Israel: Et Esther 1. ad magnificen- v. 5.
tiam Regis describuntur *Tentoria aërei colo-* Esth. 1. 6.
ris & carbasini, ac hyacintini, sustentata funibus byssinis, atque purpureis, &c. Lecti quoq; aurei & argentei super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide dispositi, quod mirâ varietate pictura decorabat. Et 3. Reg. 10. Mirabatur Regina Saba domum, quam ædifica- 3. Reg. 10. v. 5.
verat Rex Salamon ordines ministrantium, & vestes eorum, & supellectilem totam Aulæorum & Tapetum, de quibus dicitur eodem
c. *quod universa supellex domus saltus Libani es-* Vers. 21.
set de auro purissimo, quæ omnia imputantur sapientiæ ejus, & magnificentiæ, sive magnificæ honestati regiæ.

Duplex usus aulæorum, &c.

Porrò advertendum: Aulæa, Tapetes, Ædificia, &c. duos fere usus licitos in humanis habere. Primus: Ad commoditatem, illis enim fovetur magis calor, & avertitur frigus: *1. Ad commoditatẽ.*
Quomodo 2. Reg. 17. fugienti David à facie Absolom, & ad castra venienti, oblata sunt 2. Reg. 17.
Stratoria & Tapetia, utique ad necessitatem 28.
& commoditatem. Secundus: Ad ornatum *2. Ad ornatum honestatis juxta statũ uniuscujusq.*
honestatis juxta Statum uniuscujusque: Illa enim quæ circumstant aulas Principum & magnatum ac nobilium, & viros in Magistratu præsidentes, respectum aliquem illis conciliare solent. Quomodo & Jehu Regi denun-
tiato Principes exercitus supposuerunt pallia 4. Reg. 9
& chlamydes suas ad reverentiam per modum 13.
throni sive tribunalis. In his itaque attendenda est utilitas sive commoditas; & quædam Status, honestas, quæ virtutem & Statum commendat.

Quod & in multitudine equorum & famulorum attendendum est: Quamvis enim
Deut. 17. dicatur de Rege: *Non multiplicabit* Deut. 17.
sibi equos: Id intelligendum est ad excessum 16.
superbiæ, & ne populum nimis gravet: alias
commendatur magnificentia Salamonis, 3. 3 Reg. 4.
Reg. 4. quod haberet *quadraginta millia præ-* 26.
sepia equorum currulium, & duodecim millia equestrium, sine dubio ad regiam magnificentiam, utilitatem, & obsequia necessario regno suo.

Resolutio II.

In Aulæis &c. excessus ad peccatũ pertrahens solùm damnabilis.

Quotiescumque Scriptura vel Patres damnant Aulæa, Tapetes, Ornamenta domorum, magnitudinem vel multitudinem ædificiorum, multiplicatio canum & equorum non damnant usum utilitatis vel decentiæ intra terminos honestatis; sed excessus ad peccatum pertrahentes, sive peccata ejusmodi excessum causantia vel concomitantia, vel subsequentia.

Peccata hũc consequentia enumerãtur.

Excessus iste ordinariè peccata hæc sibi juncta vel famulantia habent: Superbiam, avaritiam, quam inhumanitas in pauperes ordinariè associat, luxuriam, injustitiam, oppressionem pauperum, ruinam familiarum, &c. ratione quorum vocantur pompa Diaboli.

Ita Scriptura passim: De superbia quidem, avari-

juxta nostram Professionem Opera sunt Diaboli : Quomodo, ô Christiane, Spectacula post baptismum sequeris, qua opus esse Diaboli confiteris? Renuntiasti semel Diabolo & Spectaculis ejus, ac per hoc necesse est, prudens & sciens dum ad spectacula remeas, ad Diabolum se redire cognoscas. Supra autem enumeraverat spectacula de quibus loquitur : *Equidem* (inquit) *quia longum est nunc dicere de omnibus (amphitheatris scilicet, odeis, lusoriis, pompis, athletis, petaminariis, pantomimis, cæterisque portentis, quæ piget dicere, quia piget malum tale vel nosse) de solis circorum & theatrorum impuritatibus dico.* Hæc Salvianus.

Ad Pompam Diaboli etiam ex mente Conciliorum & sanctorum Patrum referenda sunt, quæ de superbia & vanitate hominum referunt Scripturæ, in compositione & gesticulationibus corporis ; in luxu vestium & ornatûs curiositate ; in nuditatibus membrorum, & capillaturæ dispositione ; in supellectilis superflua multiplicatione & curiositatibus ; in multitudine equorum eorumque apparatu, in conviviorum lascivia, & ædificiorum superbia, ac similibus, quibus Christianus in Baptismo abrenuntiavit.

Speciem totius Pompæ Diaboli explicavit Isaias cap 3. *Pro eo* (inquit) *quod elevata sunt*
Isa. 3. 16 *filia Sion, & ambulaverunt extento collo,*
& nutibus oculorum ibant, & plaudebant,
ambulabant pedibus suis, & composito
Vers. 17. *gradu incedebant : Decalvabit Dominus ver-*
ticem filiarum Sion, & Dominus crinem ea-
Vers. 18. *rum nudabit, In die illa auferet Dominus orna-*
Vers. 19. *mentum calceamentorum, & lunulas, & tor-*
ques, & monilia, & armillas, & mitras, &
Vers. 20. *discriminalia, & periscelidas, & murenu-*
Vers. 21. *las, & olfactoriola, & inaures, & annulos, &*
Vers. 22. *gemmas in fronte pendentes, & mutatoria,*
Vers. 23. *& palliola, & linteamina, & acus, & specu-*
Vers. 24. *la, & sindones, & vittas, & theristra. Et erit*
pro suavi odore fœtor, & pro zona funicu-
lus, & pro crispanti crine calvicium, & pro
fascia pectorali cilicium &c. Rationem verò
tantæ vindictæ suprà dederat Propheta:
Vers. 8. *Quia* (inquit) *adinventiones eorum con-*
tra Dominum, ut provocarent oculos majestatis
ejus.

Conclusio II.

Quomodo expendi debeat obligatio ex hac Abrenuntiatione proveniens.

O*Bligatio Hominis Christiani ex Abrenuntiatione in Baptismo facta proveniens æstimari debet ex modo Pompa, prout ex inventione Diaboli, ad peccatum inducit, & in ea quantitate qua inducit, vel ad illud refertur.* Sumitur ex iis, quæ dixi primâ Conclusione, ubi Pompam Diaboli illa vocari ex Patribus censui, quæ sunt peccatorum causæ, sive quæ peccata circumstant, comitantur aut consequuntur. Ut verò gravitas peccati & obligationis à fundamentis intelligatur, pono primò Quæstionem incidentalem, demum ad singularia descendam.

Quæstio Incidentalis.

Quale sit peccatum Christiano Homini exercere aliqua ex iis, quæ diximus pertinere ad Pompam Diaboli?

Quæ ad Diaboli pompā spectant variè considerari possunt.

ADvertendum 1. Auctores de iis, quæ ad Diaboli Pompam pertinere diximus, varie disputare : Alii enim ea considerant, ut sunt res vel actiones quædam ex natura sua, vel ex instituto hominum ad aliquem finem bonum, vel saltem non malum ordinatæ : Ut Vestes ad personæ vestitum vel ornamentum simpliciter, qualecumque illud sit : Choreæ & Spectacula ad ludum & recreationem : Simposia & Commessationes ad societatem & mutuam amicitiam &c. Alii ista considerant, quatenus sunt incentiva vel inductiva peccatorum, ut concupiscentiæ carnis, concupiscentiæ oculorum, vel superbiæ vitæ. Alii, ut sunt fomenta malorum, & impedimenta salutis : Alii, ut sunt occasiones impensarum excessivarum & injustitiarum &c. Et idcircò diversimode interdum loquuntur, & quandoque illa à peccato saltem mortali iisque utentes vel adhærentes conantur excusare. Quas excusationes sibi comminiscuntur, & augent, qui se vel alios in istis conservare parant.

Advertendum Secundò Aliquos perperam declamationes Conciliorum & Patrum, imò & Scripturæ contra ejusmodi Pompas interpretari, quasi essent ultra modum exaggerativæ & rethoricæ, velut ad terrorem incutiendum : Rem verò in illis contentam ajunt debere moderari ad modos Scholarum, & Summistarum rationes. Unde vim Scripturæ, Conciliorum & Patrum enervantes, causæ sunt impietatis & pravarum consuetudinum, quæ sensim in Christianum Statum serpunt, nec postmodum evelli possunt. Ut igitur certa ab incertis separemus, & veritatem manifestam extra omnem pulverem excusationum aperiamus : Primò certas Resolutiones generales pono : Deinde per Paragraphos ad particularia descendo.

Resolutio I.

Quæ inter pompas diaboli referuntur nō sunt semper mala.

C*Ertum est : Multa, quæ inter Pompas Diaboli, & mundi referuntur posse sine peccato considerari, aut esse, imo interdum innocuè fieri posse.* Hæc Resolutio exemplificatione declarari potest. Sic enim Vestis, quomodocumque facta est effectus artis licitæ, cujus industria vel subtilitas non minus laudadari

ri potest, quam artis Pictoriæ, Statuariæ, vel Polimitariæ: Unde potest fieri, ut quis necessitatem & finem bonum sine periculo mali eis utatur, ut ad vitandum defectum aliquem naturæ gravem, vel sine alio pravo fine ad tegendam simpliciter aliquam deformitatem, cum qua inter alios comparere vix honestè quis potest: De quibus infrà Regulâ primâ. Unde sicut sanitas corporis, sic species aliquâ interdum arte, medicinâ, vel velamine juvari potest: vel ejus defectus tegi, ubi nil aliud vanitatis est. Quomodo dixit aliquando Tertullianus l. de Cultu Fœminarum, cap. 2. *Accusandus* (inquit) *decor non est, ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis urbana.* Nota verba energica de pulchritudine, ut non excedatur, sed curetur, *ut* (ait) *vestis urbana.* Sic Conviviorum apparatus coqui artem commendare potest, & cibus sic paratus cum moderantia & temperantia sumi abstractivè ab omni ratione peccati. Sic histrionica potest considerari, ut est habilitatio ingeniosa membrorum ad omnem motum, & ad exercitium honestum assumi. Et ita de cæteris.

Tertull.

RESOLUTIO II.

Ordinariè tamē sunt incentiva peccati fomenta concupiscētia impedimenta salutis vel segetes injustitia.

CErtum est; *Omnia illa, quæ inter Pompas Diaboli computantur, ordinariè & communiter esse vel incentiva peccati, vel fomenta concupiscentiæ, vel impedimenta salutis, vel segetes injustitiæ.*

Sic Luxus & Superbia Vestimentorum & Ornatus muliebris, extra rationem modesti & honesti, libidinem provocat, concupiscentiam fovet, superbiam excitat, cor Christianum mundanis implicat, & ab exercitiis salutis avocat, creditores injustissimè aliquando debitis opprimit, impotentem ad eleemosinas & opera misericordiæ hominem reddit: Unde benè Gregorius Homil. 6. in Evangelia: *Nemo* (inquit) *existimet in Luxu, & studio pretiosarum Vestium peccatum deesse: Quia si hoc culpa non esset, nullo modo Dominus Joannem de Vestimenti sui asperitate laudasset: Si hoc culpa non esset, nequaquam Apostolus fœminas à pretiosarum Vestium appetitu compesceret, &c.* Et homil. ultimâ: *Si Cultus subtilium & pretiosarū Vestium culpa non esset, nequaquam Sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod Dives qui torquebatur apud inferos, bysso & purpurâ indutus fuisset.*

D. Gregorius.

Ita & de Commessationibus, & excessivis Conviviis ac Symposiis est argumentandum: Spectacula etiam histrionica sunt ordinariè impudicitiarum & malorum morum objecta & somnia. Ita Scriptura & Patres observarunt, & nos inferius singulariter expendemus.

***

RESOLUTIO III.

CErtum est & indubitatum: *Omnia illa, quæ ad Pompam Diaboli referuntur, quatenus Diaboli Pompis deserviunt, & ad peccatum referuntur, à Christiano in Baptismo per publicam professionem abjurari & abrenuntiari coram Deo & Ecclesia; Et ab Ecclesia omni tempore repudiata esse: Scripturis ea condemnantibus, Conciliis id decernentibus, Patribus adversus illa declamantibus tanquam illicita & damnosa.* Hæc omnia in superioribus partim declarata sunt, cætera subjectis Paragraphis declarabuntur.

Et eaten⁹ à Christiano in Baptismo abjuratas.

§. I.

De Pompa Diaboli in Luxu, Vanitate, & Superbia in Vestimentis, & aliis ad Ornatum tam virorum, quam mulierum pertinentibus.

ETsi de Luxu Vestimentorum & aliis ad Ornatum mulierum assumptis nonnulla diximus tom. 2. tract. 2. tit. 4. qu. 2. dub. 3. ratione indecentiæ accedentium ad sacram Communionem; Res tamen hic tota à fundamentis examinari debet, ut peccata, quæ in Luxu, Ornatu, Fucis, nuditatibus à Christiano Homine committuntur, omnibus manifesta fiant. *Vid. ibid.*

Pro vera igitur & fundamentali intelligentia eorum, quæ de Luxu, Vanitate, & Superbia in Vestimentis, & aliis ad Ornatum pertinentibus à Scriptura, Conciliis, & Patribus dicuntur.

Advertendum est 1. In supradictis tria reperiri.

In Vestib⁹ & ornatu reperiuntur.

1. Formam sive figuram, juxta quam Vestes & Ornamenta variè aptantur, utpotè diversis scissuris, aperturis, stricturis, modis plicis, &c. quibus conformantur & aptantur gestus & compositiones variæ corporis eorum qui illis vestiuntur vel ornantur. *1. Forma.*

2. Qualitatem, quæ consistit in Mollitie materiæ & delitioso ejus usu. *2. Qualitas.*

3. Pretiositatem & Superfluitatem, sive ex parte rei, sive ex ejus multiplicitate, varietate & opere. *3. Pretiositas & Superfluitas*

Advertendum 2. Ratione horum vestes & Ornatus hujusmodi ex quadruplici capite, tanquam ad pompam diaboli pertinentes, prohiberi & peccati condemnari.

prohibentur 1. Ratione formæ libidinē in aliis excitantis

1. Quia incentiva sunt libidinis in aliis ratione Formæ vel figuræ.

2. Quia sunt fomenta lasciviæ & carnis in eis, qui utuntur, ratione Mollitiei & delicatæ materiæ. *2. Ratione molliciei inutentē lasciviam foventis*

3. Ratione Superbiæ & Vanitatis. *3. Ratione superbiæ.*

4. Ratione multorum impedimentorum salutis, multorumque peccatorum quæ Luxum illum consequuntur. His sic prænotatis, pono sequentes Regulas. *4. Ratione impedimētorū salut & peccat. consequ.*

Regula I.

Uti vestib. talis forma ut juxta commune hominum infirmitatē sit excitativa libidinis in alio est ex natur. sua peccatum mortale. Clem. Roman.

QUandocunque forma vel figura Vestimenti sive ornatus objectivè juxta ordinariam hominum infirmitatem, est excitativa in alio libidinis & concupiscentiæ carnis, illis Vestibus vel Ornamentis uti, est ex natura sua peccatum mortale.* Ratio est: Quia qui similibus utitur censetur dare causam peccati naturâ suâ mortalis. Est expressa sententia Clementis Romani l. 1. Const. Apostolica, c. 4. *Neque Ornatui studebis* (inquit) *quo aliqua alia mulier in te capiatur: Nam si ab ea victus peccabis, mors à Deo æterna tibi parata est, &c. Si flagitium non facias, sed illâ repulsâ non consentias, & hoc ipso peccasti, etiamsi non feceris, quoniam solum propter Ornatum tuum illaqueasti mulierem, ut tua cupiditate flagraret, fecisti enim, ut, quæ hoc passa est, per concupiscentiam in te mœcharetur.* Cui consonat S. Chrysostomus de muliere loquens: *Cur* (inquit) *ignem accendis? Quomodo te puram à peccato censes? cum alterius insania tuum opus sit: Tu gladium acuisti, tu dexteram armasti, tu venenum temperasti, quomodo ergo poteris ab homicidii supplicio liberari?* Unde & Tertull. l. de Cultu feminarum, *Quid* (inquit) *alteri periculo sumus? Quid alteri concupiscentiam importamus? Nescio an impunè abeat? quæ alicui fuerit causa perditionis. Perit enim ille simul in tua forma, si concupierit, & admisit jam in animo quod concupivit, & facta es tu gladius illi.* Hœc ibi.

S. Chrys.

Tertull.

Quando forma vestis censenda sit excitativa libidinis.

Dixi (*quando est excitativa in alio libidinis & concupiscentiæ carnis*) in hoc enim consistit ratio Pompæ Satanæ: tentat enim per illa Satanas, & ad libidinem inducit. Tunc autem censetur *excitativa libidinis*, quando nuditas aliqua magna apparet, ut est videre in illis, quæ pectus apertum gerunt, etiam mamillis ex parte discoopertis. Item quando: etsi non sit plena nuditas, apparentior tamen caro redditur delicatulo & transparente lino: Unde & in Isaia *Theristra*, cum aliis Vestibus damnantur; Theristra autem sunt transparentes & perlucidæ vestes, quæ non tam nuditatem regunt, quam curiosiùs parere membra corporis faciunt. Denique huc referenda sunt, quæ sive ex positione, sive ex modo, libidinis alicujus speciem immittunt, ut de viris, qui ita strictas vestes gerunt; ut partes etiam verecundæ si non discoopertæ, secundum tamen aliquam apparentiam pandantur, ut explicat Angelus V. Ornatus num. 2.

Isai. 3. 23.

Angelus

Dixi (*juxta ordinariam hominum infirmitatem*) id est, juxta communem hominum sensum, communemque naturæ fragilis inclinationem. 1. Ut excludamus singularem personæ tentatæ vel afflictæ miseriam, quæ omnia sibi mala fingit, omnia interpretatur in malum, & propriâ tantum phantasiâ ruit: Neque enim homines tenentur ab ordinariis abstinere propter extraordinarias aliquorum phantasias. 2. Ut evincamus communes mundanorum excusationes, quibus dicunt se malum non intendere, se libertate suâ uti; culpam autem eorum esse qui turpibus se illaqueant imaginationibus aut motibus pravis. Hæ sanè excusationes in peccatis sunt: Quicumque enim libidinoso & ad libidinem excitante vestimento vel Ornatu utentes se oculis videntium velut prostituunt, offendiculum, quantum est ex se, ponunt, quod non tantum communi charitate auferre tenentur, sed etiam Christiana Professione, & Obligatione, quâ Pompis Satanæ se abrenuntiare professi sunt: quibus suam conscientiam & scientiam allegantibus illud Apostoli 1. Ad Corint. 8. ingerendum est: *Et peribit infirmus in tua scientia frater, pro quo Christus mortuus est.* Optimè S. Chrysost. Homil. de Compunctione, quem citat Hostiensis c. 1. Ne Clerici vel Monachi: *Mulier* (inquit) *si se decoraverit, & vocaverit ad se oculos hominum, etiamsi plagam non intulerit, vindictam tamen dabit extremam: Venenum enim obtulit: Etsi nullus, qui biberit, inventus sit.*

Nota.

1 Cor. 8. 12.

Chrysost. c. 1. Ne Clerici vel Monachi.

Objectio notabilis.

Una fortè excusatio magis solida est: Quâ dicunt mulieres maritatas debere vel posse uti Ornatu quocumque, ut maritis suis placeant. Sed esto placere debeant aliquo ornatu modestiam Christianam, sive sobrietatem excedente: An libidinoso? An ad libidinem excitante.

Licet maritatis se ornare ut sibi invicē placeant. S. Aug.

Resp. Igitur 1. Licere de facto mulieri Christianæ aliquo ornatu uti, qui amorem mariti aut conservet, aut etiam alliciat, & hoc coram marito. Unde S. August. Epist. 73. ad Possidonium: *Nolo de ornamentis auri vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam, nisi in eos, qui neque conjugati, neque conjugari cupientes, cogitare debeant, quomodo placeant Deo: Illi autem cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant vel viri Uxoribus, vel mulieres maritis.* Iterum idem Epistola 109. ad Ecdiciam: *Scriptum est quidem mulieres esse non debere in Habitu ornato aurique circumpositione & intorsione crinium & cætera hujusmodi, quæ vel ad inanem pompam, vel ad illecebram formæ haberi solent: & meritò reprehensa sunt: Sed est quidem pro modulo personæ Habitus matronalis a viduali Veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis salvâ Religionis observantia convenire.*

Idem. 1 Tim. 2. 9.

Non tamē in publico uti vestitu vel ornamento libidinoso, etiā ut sibi invicem placeant.

Resp. 2. Non licere mulieri aut viro in publico uti Vestitu vel Ornamento libidinoso, ut sibi invicem placeant. Ratio est: Quia indulgentia illa, quâ permittitur aliquis levis excessus, ut sibi invicem placeant, domestica est, & ad mutuas personas tantum refertur, illisque duobus velut terminis clauditur: Neque enim illis permissum est, ut alienis oculis se objecta impudicitiæ exponant, & suam libidinosam inclinationem mundo prostituant. Addo, nec justè nec rationabiliter virum posse velle, ut uxor alienis oculis placeat, vel alienos affectus ad se alliciat; nec uxor id viro suo permittere potest: *Honorabile* (inquit Apostolus) *connubium in omnibus, & thorus*

Heb. 13. 4.

& thorus immaculatus. Quomodo *honorabile*, si ei omnis honesti limites excedere permittitur? Quomodo *thorus immaculatus*, cui non sufficit domestica libido, nisi etiam alios inficiat? Benè *S. August.* suprà Epist. 73. ad Possidonium: Ubi enim monuisset Possidonium, ne præpoperam sententiam ferret super ornamentis auri vel vestis eorum, qui vel conjugati essent, vel conjugari vellent, subdit: *Nisi* (ait) *quod capillos nudare feminas (quas etiam caput velare Apostolus jubet) nec maritatas decet: fucari autem pigmentis, quo vel rubicundior vel candidior appareat, adulterina fallacia est, quâ non dubito etiam ipsos mariecos se nolle decipi, quibus solis permittenda sunt feminæ ornari, secundùm veniam, non secundum imperium.* Nota verba: *Quibus solis*, & *Secundum veniam*: Ex illis enim ostendit ornatum permitti ad placendum solis viris suis, & permissionem illam esse quandam dispensationem ad eum solum finem intra terminos honestatis. Porrò prosequitur S. Augustinus: *Nam* (inquit) *verus Ornatus maximè Christianorum, & Christianarum non tantum nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem vestisque pompa sed mores boni sunt. Execranda autem superstitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in summis ex una parte auriculis suspensæ deputantur, non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibetur. Quis autem possit speciales nephariarum superstitionum prohibitiones in Scripturis invenire, cum generaliter Apostolus dicat:* Nolo vos socios fieri Dæmonioeum. *Et iterum*: Quæ enim consonantia Christi ad Belial? Hæc Augustinus. Porrò S. Chrysost. Homil. 10. in Epistola ad Colossenses falsitatis convincit mulieres, quæ ut placeant viris suis se ornare dicunt: *Quid* (inquit) *ornaris? Dic quæso? Ut viro tuo placeas? Igitur domi hoc facias; hic verò contrarium fit, domi rudior, foris comptissima procedis: Si autem proprio viro vis placere, aliis ne cura ut placeas: Si verò aliis placere vis, non potes placere viro tuo.* Et D. Greg. supracitatus Hom. ultima in Evang. *Quod pro sola inani gloria vestimentum pretiosius quæritur res ipsa testatur, cùm nemo velit ibi pretiosis vestibus indui ubi ab aliis non potest videri*; Hæc ille.

S. Aug.

Idem.

1. Cor. 10. 20.

2 Cor. 6 15

S. Chrys.
Nota.

D. Greg.

Quando ut ornatu excessivo sit tantũ peccatum veniale.

Dixi in Regula notanter (*est ex natura sua peccatum mortale.*) Potest enim fieri veniale ex pravitate materiæ, ignorantia, indeliberatione, vel aliqua circumstantia excusante, v. g. coactione mariti, de qua S. Aug. ad Ecditiam supra: Ubi excusat Ecditiam si maritus ad indecentem illum compulisset Ornatum: *Quod si* (inquit) *aliquâ durâ conditione cogereris, posses habere in superbo Cultu cor humile.* Et adfert exemplum de Hester.

S. Aug.
Hest. 14. 16.

Mulier coacta à marito potest gestare habitum excessivum, non tamẽ libidinosũ in publico.

Adverte tamen semper, etsi mulier teneretur obedire marito ad gestandum Habitum & Ornatum aliquem excessivum vanitatis & superbiæ, non posse tamen obedire ad gestandum Habitum in publico ad lasciviam provocantem, quia sive ex se, sive ex objecto & circumstantia malum est; alterum autem tantum ex accidenti, ut statim dicemus.

Et sententia hæc hoc modo explicata est omnium Auctorum: Pertinet enim Habitus libidinosus ad impudicitiam, quæ ad Gal. 5. excludit à regno Dei. Unde etsi inveniantur aliqui Doctores cum S. Thom. 2. 2. q. 169. à 2. excusantes interdum Fucos & Vanitates muliebris Ornatus à peccato mortali, quatenus ob aliquam circumstantiam non videntur ita periculosa esse: Nihilominus nullus libidinosi Habitus usum unquam excusavit à peccato mortali. De ratione autem libidinosi & inhonesti Habitus penes Doctores judicium sit: Malo ego stare judicio Scripturæ, Conciliorum, & Sanctorum Patrum, quam speculativis quibusdam considerationibus parietem linire absque temperamento. Unum mihi certum est, & omnes concedunt: Quod quidquid incentivum est ad libidinem, illo non licet uti, & juxta rationem incentivi gravioris peccatum esse mortale. Judicet æquus rerum arbiter quid de vestimentis: quibus & nuditates præter rationem honesti apparent, vel quibus nescio quę energica libidinis species ingeritur oculis spectantium, dicendum sit; etiamsi enim ex intentione non fierent, cum ex objecto rei & infirmitate humana soleat istis libido moveri, judicet (inquam) quomodo iste ornatus ab impudico possit separari, aut in judicio Dei & conscientiæ excusari

Gal. 5.

S. Thom.

Dices: Sunt aliqui Ornatus etiam fucati, qui ad aliquam notabilem deformitatem operiendam, vel aliquam infirmitatem juvandam necessaeii sunt: Ut Capilli alieni vel ficti propter mulieris calvitiem vel decalvationem: Item Fucus faciei ad tollendam maculam deformitatis notabilis, ut persona possit honestè in publico comparere.

Objectio notabilis.

Resp. & fateor casus istos frequenter contingere, nec peccati nequidem venialis hujusmodi Fucos & Ornatus simili causa assumptos condemno, si tamen intra honestatis terminos ita contineantur, ut non sint (sicut diximus) incentiva libidinis vel voluptatis, nec in gravem tertiæ personæ deceptionem fiant; & de hoc diximus responsione 1.

Uti ornat. fucato ad operiendã notab. deformitatẽ vel juvandã infirm. non e. pec.

Notandum tamen est semper, differentiam esse inter Fucos, & nuditates cutis, & capillorum & Ornatum vestium: Quod Ornatus vestis ex se non videatur ita malus, quin ratione diversi status & alicujus honoris externi apud nationes diversimode fuerit permissus, ut posteà dicemus: De Fucis autem picturis & pigmentis cutis & capillorum vix quidpiam fingi potest, quod ad simulationem, mendacium, & Pompam Diaboli non pertineat. Quod ex Cypriano Martyre docet S. Augustinus l. 4. de Doctrina Christiana, cap. 21. Eam scilicet, quæ Fucis suam faciem decolorat, Dei imaginem, quæ in facie elucet, sacrilego ausu adulterare: Unde infert; *Quod* (inquit) *ornari te putas, quod putas comi, impugnatio est ista divini operis, prævaricatio*

Ornatus vestiũ ration. stat. sæpe excusatur à pec. nõ itẽ Fuci & nuditates

Fuc. utens Dei imaginem adulterat.
S. Aug. ex S Cypr.

varicatio est veritatis. Infrà : *Num sinceritas* (inquit) *praeseverat & veritas, quando quae sincera sunt, polluuntur, & colorum adulteriis, &* Matt. 5. 6. *medicaminum fucis in mendacium vera mutantur. Dominus tuus dicit* : Non potes facere capillum unum album vel nigrum, *& tu ad vincendam Domini tui vocem vis te esse potiorem audaci conatu, & sacrilego contemptu : Crines tuos inficis, malo praesagio futurorum capillos jam tibi flammeos auspicaris, &c.*, Vide ibi, & apud Cyprianum in ipso opere l. de Habitu Virginum : *Deum* (inquit) *videre non poteris* S. Cyprian. *quando oculi tibi non sunt, quos Deus fecit, sed quos Diabolus infecit : illum tu secuta es, rutilos atque depictos oculos serpentis imitata es, de inimico tuo compta, cum illo pariter arsura, &c.* Eadem ferè reperies apud S. Ambrosium l. 1. S. Ambr. de Virginibus. Ad alia transeamus.

REGULA II.

Quando Mollities vestis est excitativa libidinis in utente, illâ uti est peccatum mortale.

Quandocumque *Mollities Vestium tanta est, ut ipsam ferentem libidinem & pruritus carnis moveat cum periculo consentiendi in delectationem libidinosam, vel cogitationem pravam, uti talibus vestibus peccatum mortale est ex natura sua.* Haec Regula similiter constat ex communi sensu & doctrina omnis veri Theologi: Qui enim talibus voluntariè & deliberatè utitur, censetur dare causam peccato ex natura sua mortali, & gravi ejus periculo se exponere. Unde & Mollitiem Vestium unam rotam currus Luxuriae triumphalis posuit S. Bernard. Serm. 39. in Cantica : Et Serm. S. Bern. 9. ad Sororem : *Mollia* (inquit) *dicuntur Vestimenta, quia mollem faciunt animum.* Et Clemens Alexand. 3. Paedagogi c. 11. *Ea* (inquit) Clem. Alexand. *quae à foeminis comparantur, ab eis tamquam penna detrahenda sunt, ut quae instabilem superbiam & mollitiem inanesque voluptates procreent quibus excitata, & quodammodo alata saepè à matrimonio desiliunt.* Vide quae in superiori Regula dicta sunt, quia & pro hac concludunt ; non enim licet seipsum periculo libidinis magis exponere, quàm proximum.

REGULA III.

Qui in vestibus solo motivo jactantiae & vanitatis ita enormiter excedit ut totum finem institutionis transgrediatur peccat mortalit.

Quicumque *etiam solo motivo Jactantiae & Vanitatis, in Vestimentis suis ita enormiter excedit ut totum finem institutionis vel usus Vestimentorum pervertat, & transgrediatur peccat mortaliter, nisi levitas materiae, vel alia circumstantia excuset.* Ratio fundamentalis est : Quia talis censetur omnes humanae Rationis terminos transgredi, & Dei leges ac comminationes In Scripturis contentas virtualiter contemnere. Quod manifestè patebit ex regulae istius accurata declaratione.

Triplex finis institutionis vestium.

Dixi igitur primò : *(Qui enormiter excedit totam finem institutionis vestimentorum)* Triplex autem finis institutionis Vestimentorum pro natura humana à Patribus post lapsum assignantur.

Primò : Ad nuditatem contegendam. 2. Ad arcendum frigus ac alia externa incommoda, & ad fomentum corporis. 3. Ad honestatem humani consortii & societatis congruae. Unde S. Chrysost. Hom. 18. in Genesim explicans illud, *Fecit quoque Dominus Deus Adae & uxori ejus tunicas pelliceas* : *Audiant* (inquit) *opulenti, & qui luxuriant in vermium operibus, & vestiuntur sericis, discantque quomodo ab initio humanam naturam docuerit Deus.* Infra : *Nam postquam sese corporalibus necessitatibus obnoxios fecere, & ab immortalitate illa & Angelica vita exciderunt, dispensavit Deus, ut ex ovium velleribus Indumenta sibi pararent, non alia de causa quam ut tegumentum habeant, & ne rationale animal hoc non secus ac bruta in nuditate & dedecore vitam degeret.* Haec Chrysost. In quibus verbis nota triplicem quem diximus, finem Vestimentorum ex dispensatione divina. Tegumento enim vestium, nuditati contra verecundiam providetur, & adhibetur protectioni corporis contra nocumenta : Addit autem & tertium finem honestatis quâ rationale hoc animal homo debebat etiam inter bruta animantia velut honoris gratiâ praesidere. Unde & idem Chrysostomus sive Auctor operis imperfecti in Matthaeum Homil. 3. *Omne vestimentum ad tres pertinet causas : Aut ad speciem visionis, & vanam gloriam : Aut ad delectationem corporis : Aut ad tegumentum nuditatis.* Et resumit : *Ad speciem visionis habere vestimentum servis Dei non convenit : Similiter ad delectationem corporis Deo servientibus non est aptum : Sed tantum ad tegumentum nuditatis.* Haec ibi. Tria verò, ut dictum est, tegimentum nuditatis includit : nimirum : Exclusionem verecundiae, quam post peccatum originale ex nuditate homo incurrit : Protectionem corporis contra nocumenta corporis : Honestatem amictus in gratiam & solatium humanae societatis. Quidquid amplius per Vestimentum quaeritur, quod his finibus aliquò modo non continetur, à Regula omni recedit. Sed ut manifestiùs mundi insanae vanitatis convincantur, prosequor Regulae declarationem.

2. Fomentum corporis. 3. Honestas consortii humani. Gen. 3. 21. S. Chrysost. *Chrysost. sive Auct. operis imperf. in Matth.*

Dixi secundò : *(Qui enormiter excedit totum finem usus vestimentorum.)* Hic enim iterum advertendum est : super institutione & dispensatione primaria Dei, politiam humanam instinctu divino & naturali jure gentium jus naturae magis explicante, aliqua in Vestimentorum sive usu, sive legibus ampliasse, quae vel ad utilitatem & congruam commoditatem utentium, vel etiam ad decorem & necessitatem Reipublicae & vitae civilis sive regiminis publici pertinebant : Ex ratione enim humanae societatis & vitae civilis comparatum est : Primò : Ut diversi sexus, diversis vestibus tum in forma tum quoque in materia uterentur : Prout & in Republica Hebraeorum sanxerat Deus. Secundò : Ut Sacerdotes à laicis in vestibus different. Tertiò : Ut Reges, Principes Magistratus à plebeis, nobiles ab ignobilibus veste aliqua magis pretiosa secernerentur. Quartò : Diversis Statibus, Officiis, Gradibus

Quid circa vestimentorum usum leges decreverint.

bus , epificiis diversa signa in Amictu de:reta fuerunr : Quinimo & in ordine ad Religionem Hebræi a gentilibus , & demum Chrifriani in principio ab utrique in modo Vestitus distinguebantur , ut ex Historiis tam sartis , quam profanis constat. Christiana utique Religio , si quid forte politia civilis excesserat in Vestimentis , eorumque forma ac pretiositate , Christiana honestate temperare voluit. Nec apud primitivos Christianos , sicut nec hucusque, idem fuit omnium Habitus sive in pretio , sive in figura: quin aliter viri , aliter feminæ, aliter nuptæ , aliter innuptæ, aliter Sacerdotes, aliter laiei , aliter sæculares, aliter Religiosi vestirentur. Omis verò Respublica & politia bene ordinata non tantum Christiana , sed etiam eivilis & profana hoc habuit, ut Vestimentorum usum necessitati , utilitati, honestati accommodarit , & quidquid contra hos fines fuit , etiam legibus positivis damnaverit , tamquam rationi & dictamini naturali, & fini Vestimentorum contrarium, & absurdum. Legantur Vestiariæ Leges Theodosii, Arcadii, Honorii, Octaviani, Julii Cæsaris , & variarum Gentium ac Rerumpublicarum , quas hic referre alienum à proposito meo esset : Videantur & Auctores Historiarum , & inter alios omnia , quæ ex infinitis Auctoribus collegit Laurentius Beyerlinck. in suo Theatro magno V. Vestis & Vestimentum.

Leges Vestiaria.

Beyer linck.

In Vestibus excessus enormis est.

Dixi tertiò *(Enormiter excedit)* Enormis verò excessus circa finem censetur. 1. Quando tantus est, ut scandalosam Superbiam videntibus ingerat , utpote si nullo fine aut tegumenti, aut honestatis , aut societatis honestæ , aut distinctionis status in humana politia contineatur ; imò omnibus manifeste ad versetur. De quibus Stapletonius describens Luxum Angliæ: *Eo* (inquit) *usque Luxus iste in Anglia increvit , ut qui Henrici VII. cui Octavus successit Elisabetha pater , vestitus fuit, vix nobilem mediocrem deceat , & quo olim primarii nobiles, duces, marchiones, eo nunc inferior nobilitas Vestitus splendere utatur : nobilitatis vero inferioris Amictu veteri , vix mechanici & villici agrorum jam contenti sint.* Contra hos abusus Chrisost. Hom. 37. in Genesim. *Quali veniâ dignandi sunt , qui & in Vestimentis multam Vanitatem ostendunt , & ut vermium texturas gestent solliciti sunt ; & , quod gravissimum, in his superbiunt?* Et rationem addens : *Oportebat* (ait) *tremere, & se abscondere, & vereri præ confusione , quòd ipsi quidem ob nullam utilitatem, neque necessarii usus gratiâ , sed tantum ob Vanitatem & inanem gloriam , & ut vulgo ac forensibus admirationi sint , talibus induantur.*

1. Quando scandalosam Superbiam præsefert.

Thom. Stapletonius.

Chrysost.

2. Quando gravē insolentiam conjunctam habet.

Suetonius

2. Quando gravem insolentiam conjunctam habet ; qualem manifestant qui Deorum & paganorum Vestes imitantur : Ut de Cajo Cæsare Augusto refert Suetonius , qui conspectus aliquando est Habitu Deorum, aliquando barbâ aureâ , aliquando Habitu Veneris. Quid aliud modò videmus in insolentibus illis , qui nil ferè nisi fictum & ementitum in Vestibus & capillatura ac barbis gerunt.

3. Quando totum naturam destruit.

S. Ambros.

3. Quando totam naturam ejusque compositionem velut destruunt & invertunt. Unde Ambros. l. 1. de Virgin. Ornatum excessivum adulterio comparat , & adulterio turpiorem facit. *Ibi enim* (id est in adulterio) *pudicitia: Hic* (in Luxu Vestium) *natura adulteratur*, Infrà: *Certè* (inquit) *lacera vulneribus aures , & depressa onera misera cervicis, non sunt ullevamenta pœnarum sed discrimina metallorum. Hinc collum catenâ constringit , inde pedem compes includit : nihil refert auro corpus oneretur , an ferro: si cervix premitur, si gravatur incessus , nil pretium juvat , nisi quod vos mulieres , ne pereat vobis pœna , trepidatis. Hinc vos etiam miserabiliores , quàm qui publico jure damnantur , quòd illi optant exui , vos ligari.* Hujus generis excessum portentosum fecerat Gualterus Rajolæus in Anglia , homo aliòquin obscurus & sortis abjectissimæ, quem cùm amasium Elizabetha haberet , in aula crepidas gestasse ferunt 6600. aureis æstimatas , ob auri pondus quo onustæ erant. Nec desunt similia exempla modò.

Dixi quartò *(mortaliter peccat)* Hoc apud me communis Regula peccatorum mortalium convincit : Signum nimirum peccati mortalis esse , quando in scripturis Deus gravissimas pœnas alicui actui comminatur & intentat: Atqui Scriptura passim non tantùm intentat, sed etiam decernit pœnas ingentes Luxui Vestimentorum , etiam illi qui est tantùm ad Superbiam : Ergo peccatum est mortale. Lege & relege c. 3. Isaiæ. *Pro eo* (ait) *quòd elvatæ sunt filiæ Sion , & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant &c. Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion , & Dominus crinem earum nudabit.* Et ut hujus Superbiæ sic descriptæ instrumenta enumeret , & sigillatim condemnet: *In die illa* (inquit) *auferet Dominus Ornamentum calceamentorum , & lunulas, & torques , & monilia , & armillas, mitras , & discriminalia & periscelidas , & murenulas &c. Et erit pro suavi odore fœtor , & pro zona funiculus & pro crispanti crine calvitium , & pro fascia pectorali cilicium.* Et quia viri etiam muliebrem illam Vanitatem sequuntur: *Pulcherrimi quoque* (inquit) *viri tui gladio cadent , & fortes tui in prælio &c.* Dic mihi qui hæc excusare paras à peccato mortali ; An Deus injustus est , qui tantas vindictas exercet in sola venialia peccata. Vide S. Hieron. in hunc locum l. 2. in cap. 3. Isaiæ. Nec solus Isaias hanc ruinæ Jerusalem causam attulit ; sed & Ezechiel cap. 7. Descriptâ ejus superbiâ : *Ornamentum* (ait) *monilium suorum in Superbiam posuerunt , & imagines abominationum suarum & simulachrorum fecerunt ex eo Propter hoc dedi eis illud in immunditiam &c. & avertam faciem meam ab eis.* Quin Psal. 143. Filiæ hujus mundi , ut distinguuntur à filiabus Dei & electorum, describuntur in Habitu vano: *Filiæ* (inquit) *eorum composita , circumornatæ ut similitudo templi.* En vera Vanitatis hujus sæculi imago.

Isai. 3. 16.

Vers. 17.

Vers. 18.

Vers. 19.

Vers. 20.

Vers. 24.

Vers. 25.

S. Hieron.

Ezech. 7. 20.

Psal. 143. 22.

imago, quo non jam Vestimento, ut corporis tegumento utuntur; sed ut Ornatu Deorum statuas templa & altaria æmulentur, omnia, quæ altaribus sacris deserviunt, sibi ad vanitatem assumunt.

Advertat demum seriò Christianus, quam sibi excusationem vel apparentem in peccatis istis possit adferre: cum & Lucæ 16. damnetur Dives, qui *purpurâ & bysso* singulariter indutus describitur. De quo Greg. *Nisi Cultus pretiosus in culpa esset, non tam singulariter diceretur: Quod Dives indutus purpura apud inferos torquetur.* Sed & Babylon meretrix illa, quæ corrupit terram, Apoc. 17. *circumdata purpurâ, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis, habens poculum aureũ in manu sua plenũ abominatione &c.* describitur, ut agnoscat omnis qui hujusmodi Vestitu ad Superbiam utitur, se ad Babylonis illius damnatæ sortem pertinere. Et Sophon. 1. *Et erit* (inquit) *in die hostia Domini*, (id est vindictæ sive judicii) *visitabo super omnes qui induti sunt Veste peregrinâ. & visitabo super omnẽ qui arroganter ingreditur super limen.*

Luc.16.19
S.Gregor.
Apoc.17.4.
Sophon.1.8.
Vers.9.

OBIECTIO NOTABILIS.

Nota.

DIces: Excessus Ornamentorum & Vestium, qui (ut supponitur) ad solam Vanitatem & jactantiam est, non potest ex eo capite esse majus peccatum, quàm ipsa Vanitas & jactantia est: Atqui Vanitas & Jactantia ex hoc solo quòd Jactantia & Vanitas est, si in Dei contemptum vel tertii detrimentum non cedat, veniale tantùm peccatum est: Ergo & excessus quivis in Ornamentis ad solam Vanitatem & Iactantiam, tantùm peccatum veniale erit.

Vanitatẽ excessivi Ornatus variacõcomitantur inordinationes.

Resp. Ad majorem distinguendo: Etsi enim finis illius excessus ex parte excedentis, & enormiter se ornantis & vestientis, sit tantùm Vanitas & Jactantia: contomitantet tamen secum alia necessario connexa habet.

1. Contra natura humana cõditionẽ.

1. Inordinationem gravissimam contra naturæ institutæ, vel etiam lapsæ conditionem. Vestimenta quidem ad tegumentum verecundiæ, protectionem & solatium temperamenti defectibilis, & honestatis amictum permisit Deus. In hoc verò casu, sive vir, sive mulier omnes leges naturæ prætergreditur, & naturam gravi impudentiâ dehonestat. Unde benè Clemens Alexandrinus l. 3. Pædagogi c. 2. comparans ebrietatis excessum, excessui hujus Luxus in Vestimentis, majus peccatum putat esse in hoc Ornatus excessu, quàm in ebrietate: Sic verò loquitur: *Ebriosum* (ait) *esse & vinosum, etsi sint magna vitia, non tamen tanta, quantum est nimium se ornandi studium.* Et probat ab intemperantia: *Mensa* (ait) *plena & frequentes calices satis sunt ad implendã ingluviem: At qui auri, purpura, & gemmarum nimio studio tenentur, iis nec quod super terram, nec quod sub terra est aurum sufficerit. Dum ergo cupiditatis limites sibi non constituunt, in impudentiam impingunt.*

Clem. Alex.

2. Contrà imaginẽ Dei quam homo gerit.

2 Hic ornandi excessus quendam contemptum Dei includit. Quem contemptum Dei exaggerant Patres in eo; Quòd alianı velut formam Divinæ imagini & speciei a Deo constitutæ superinducere videantur: Quòd comminationes Dei in Scripturis contentas, quæ præceptis Divinis æquipollent, despiciant: Quòd vestimenta, quæ in peccati pœnam à Deo data sunt, erigant in Vanitatem & superbiam ac gloriam, quasi Deum irridentes. Unde Tertul. l. de Disciplina Virginum: *Femina* (inquit) *manus Deo inferunt, quando id, quod ille formavit, reformare & trãsfigurari satagunt: nesciẽtes quia opus est Dei omne quod nascitur; Diaboli autem quodcumq; mutatur.* Vide Chrys. Hom. 18. & 37. in Gen. ac Hom. 30. in Matthæum.

Tertull.
Chrysost.

3. Contrà vocationẽ Christianam.

3. Iste excessus vocationi Christianæ repugnat: Vocatio enim Christiana Vestes præscripsit, quales refert Apostolus 1. ad Timot. 2. *Similiter* (inquit) *mulieres in Habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornãtes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa; sed quod decet mulieres promittẽtes pietatem per opera bona.* In quibus verbis omnia, quæ ad Christianam sinceritatem in Vestimentis pertinent, comprehenduntur: Ornatum enim permittit contra vilitatem & abjectionẽ: cui duos limites ponit: Verecundiam contra excessus impudicitiæ & vanitatis: Sobrietatem contra excessus sumptuum & superfluitates. Prohibet autem crines tortos contra modestiam, qua velari mandantur maximè in Ecclesia: Aurum & margaritas, ut à Paganis & Iudaicis distinguerentur. Hoc enim singulariter notantum est: Aliqua Christianis in primitiva Ecclesia fuisse prohibita, quæ modò nõ prohibentur, sed etiam honestè permittuntur; quia cessant causæ prohibitionis. Quæ enim tunc prohibebantur, ut plurimum prohibebantur, ut modestia & humilitas Christiana, contra Judæorum & Gentilium modos & mores, cõmendabilis redderetur, etiamsi de per se vel etiam ex alia circumstantia mala non essent: Quomodo prohibitum fuit in concilio Hierosolymitano Christianis vesci suffocato, sanguine, & idolothytis, quia horũ usus erat in sacris idolorum ut aliàs dicemus. Quisquis igitur hos terminos enormiter excedit, vocationi Christianæ contradicit, & Professioni suæ, quâ Pompis Satanæ abrenuntiavit, in materia gravi injurius est. Dico semper (*enormiter & in materia gravi*) Interdum enim Ecclesia, jam variis Statibus, Gradibus, Dignitatibus, Officiis ampliata Ornametta aliqua etiam in auro & margaritas permisit ad distinctionem & honorem, & cessantibus causis aliqua rationabiliter & legitimè Christianis sunt concessa, quæ positis causis prohibentur.

1.Tim.2.9
Vers.10.
Christianis initio Ecclesia aliqua prohibita sunt, quæ modò honestè permittũtur.
Act 19.29.

4. Contra leges ecclesiastic. & civiles.

4. Contra leges politicas Reipublicæ Christianę tam Ecclesiasticæ quam civilis, etiã dato scandalo, excessus ille enormis militat. Leges enim quemlibet juxta Statum suum vivere mãdant, & sive lege expressâ sive cõsuetudine unicuique Vestimentorum honestum genus cedit, quem Statum qui graviter excedunt scandalũ dare

dare censentur, & infinitas murmurationes causare. Quod ut meliùs intelligatur, pono Resolutionem Generalem.

RESOLUTIO GENERALIS.

Quis sit dicendus Vestitus uniuscujusque juxta statum suũ.

ILlé Vestitus dicitur esse juxta Statum uniuscujusq;, quem aut lex, aut consuetudo, inter probos & honoratos communiter recepta, approbat, & qui honestatem & honorem conditioni personæ utentis apud prudentes conciliat.

Dixi (*quem lex*) In aliquibus enim regnis & benè constitutis provinciis sunt leges speciales vestiariæ quibus decernitur, quibus Vestimentis utantur principes & nobiles juxta gradum suum: quibus qui magistratum gerunt: quibus cives graviores: quibus, mechanici &c.

Dixi (*aut consuetudo*) Ubi enim leges desunt, ad consuetudines deveniendum est.

Dixi (*inter probos & honoratos recepta*) Ut excludam abusus facile irrepentes *Probos* posui, ut improborum & lascivientium insanas cupiditates & effrenos modos reprimam. *Honoratos* verò, ut austeras & cynicas aliquorum cẽsuras, qui omnia quæ displicent, condemnant, reijciam. Addidi: *Qui honestatem & honorẽ conditioni personæ utentis apud prudentes conciliat.*

Nota.

Hoc enim tibi signum excessus Status in vestimentis: Si à prudentibus in populo, qui talibus utuntur Vestibus, contemnentur, irrideantur, fiant fabulæ vulgi, & variis obloquentium dicteriis discindantur. Econtra, Vestimentum juxta Statum, honorẽ causat, honestati defert, & Statui ac conditioni respectum conciliat.

REGULA IV.

Qui in gravia salutis pericula & impedimenta ex Vestium Luxu se cõiciunt mortaliter peccãt.

QUicumque in gravia salutis suæ impedimenta & pericula ex vano Ornatu, sive Vestimentorum Luxu, se conijciunt, pro ratione periculi & impedimenti mortaliter peccant.

Ratio est: Quia Homo Christianus, imò omnis homo, sicut tenetur suam procurare salutem, ita vitare ea, quæ sunt illi manifesta impedimenta & pericula salutis. Et, ut habet receptum axioma, Qui se voluntariè præcipitat in proxima pericula peccati mortalis, censetur mortaliter peccare: juxta illud: *Qui amat periculum, peribit in illo.*

Eccli. 3. 27.

Tria impedimẽta salutis ex immoderato luxu Vestium provenientia.

Tria porrò salutis impedimenta gravissima ex Luxu & immoderato Ornatu Vestium Patres assignant, ex quibus non modò proxima pericula, sed etiam casus actuales colliguntur.

1 jactura temporis. Comicus. Chrysost.

1. Est *jactura temporis ad salutem necessariis*: Nam ut benè Comicus: *Dum moliuntur, dum comuntur annus est.* Contra hanc jacturam temporis & salutis negligentiam declamant Patres: S. Chrysost. Homil. 37. in Genesim loquens de mulieribus se ornantibus: *Impossibile* (inquit) *est aliquam agere curam animæ, & tanti facere corporis pulchritudinem & Ornatum: sicut & impossibile in externo illo Cultu tantoperè occupatum illius agere curam.* Et proferens mala inde nascentia, & tentationes, mœrores, angustias, invidias, concludit. *Insumma* (inquit) *nunquam invenies animam ejusmodi occupatam, a turbationibus alienam, sed sicut maris fluctus, neque numerari, neque terminari queunt semper novis succrescentibus, ita & turbationes inde orientes, nemo denumerarit.* *Idem.* Et Homil. 10. in Epist. ad Colossenses: *Idem.* *Animus terrenis istis circumdatus circumspicit quis videat, quis non videat, fastu plenus, curis detentus & innumeris aliis passionibus alligatus.* Idem Hom. 50. in Matthæum: *Idem.* *Quando* (ait) *rebus poterit, qui tantis diffluit luxuriis, diligenter vacare? Quando animæ suæ curam habebis?* Et infrà: *Virtutis penitùs expars est qui studium suum ad hoc contulit universum. Nam qui gloriam serici, qui florem coloris, qui aureos intextus curiosè respicit, quando in cælum suspicit? Quando illam pulchritudinẽ admirabitur, qui tincturas istas respiciens, & ad terrã flexus, altiùs se non potest erigere? Et Deus quidem cælũ extendit, ac solem accendit, ut oculos tuos sursum erigat: Tu verò ad terrena quasi porcus Diaboli artibus persuasus devolveris: Ita Deus qui cælum sibi offert, à Diabolo serica tibi licia offerente superatur.* Hæc ibi.

Peccata, quæ inde consequuntur. Acedia.

Et ne putentur hæ declamationes: enumero tibi quæ sparsim à Patribus referuntur peccata, quæ jacturam illam temporis sequuntur, ut acedia universalis in iis quæ sunt ad salutem vel scitu vel opere necessaria: unde nascitur ignorantia rerum salutis, orationis neglectus, fitque frequenter ut Missæ in die Dominico & festo aut non intersint, aut non nisi extrema horâ, & absque ulla religionis specie, imò cum multa pompa & vanitate, ut videantur, & spectantibus admirationi sint: Sequitur Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentorum violatio: impœnitentes enim, ut plurimum, accedunt, consuetudine magis, quàm emendationis affectu: Quomodo enim pœnitere & conteri dici possunt, quæ actu mundo, luxu, larvis illis plenæ sunt? Nervosè Chrysostomus Hom. 8. in Ep. 1. ad Tim. *Quid dicis* (ait) *Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circũfers flavosq; crines & ipsos auro compositos? An verò saltatura ad Ecclesiam pergis?* &c. *Non est* (ait) *iste supplicis Habitus. Quo enim pacto ingemiscere potes ac lachrymas fundere, & intentissimè, ut decet, orare, quæ hujusmodi Ornatu compta procedis? Nam etsi lachrymas funderis, risum cernentibus ejusmodi lachrymæ movebunt.* Subdit: *est enim scena potius aut simulatio si ex eodem animo, ex quo tãta sumptuum magnificentia, tantaq; ambitio prodiit, indè etiam profundi lachrymas viderint.* Hæc ille. Qui & homil. 37. in Genesim suprà citatâ vocat hujusmodi ad tribunal suæ conscientiæ. Non insulsè Thomas Morus domicellæ cuidam, quæ multo cum labore atque etiam dolore crines complicabat, ut frons lata esset, tunicamque constringebat ut gracili corpore videretur: Dixit: *Nisi* (inquit) *Deus pro tanto labore infernum reddat, magnam tibi profectò injuriam faciet.* In vita Thomæ Mori c. 12. Sed ad alia pergamus. Vide interim à nobis dicta tom. 2. tract. 2. tit. 4. sect. 1. qu. 1. in appendice §. 1. Vide ibi.

Ignorantia. Orationis neglectus.

Violatio Sacramẽtorũ Pœnitentia & Eucharistia S. Chrisost.

Thomas Morus.

2. Salu-

4. Prava exempla prolium. S. Hieron.

4. *De pravis exemplis*, quibus proles imbuuntur in perpetuum interitum, familiaris est historia prætextatæ apud S. Hieronymum Epist. 7. ad Lætam.

Chrysost.

Graviter admodum S. Chrysost. Homil. 50. in Matth. ubi loquens de malo exemplo quod proles suscipiunt ex vanitate parentum in Vestimentis 1. Notat inde fieri effeminatos & molles, & talium cupidos, & pecuniarum consumptores. *Ita* (inquit) *pusillanimes & molles hinc juvenes efficiuntur: erunt etiam aliâ ratione pecuniarum avidi: nam qui vestibus, calceis, cæterisq; hujusmodi valde ornari soliti sunt, cùm multa in his rebus consumant, magno indigent pecunia cumulo.* 2. Notat pueros declinare ad furta, & alia peccata, quibus pecuniam accipiant: *Quod si* (inquit) *contigerit avarum habere patrem, cogitur ad alia pejora confugere, ut sibi pecuniam ad impendia ista conquirat.* 3. Ob ista prava exempla adolescentes etiam ad libidines & insanias multas declinare; quia parentibus media deficiunt, ut illos in consueto splendore conservent: *Hac ratione* (inquit) *multi ex adolescentibus ætatis florem perdiderunt, & parasiti divitum constituti, ut hujusmodi cupiditatem atque animum suum expleant, turpia nimium ministeria subierunt.* Hæc Chrysost.

Speculum notabile pro parentibus, circa filias maximè: quæ ut suo Luxui Vestimentorum vacent, furantur, debita contrahunt, impudicitiis juvenum consentiunt, indicibilia committunt.

§. II.

De Pompa Diaboli in Aulæis, Tapetibus. Ædificiorum excessiva ædificatione, multiplicatione equorum, &c.

Repetenda 1. hìc sunt, quæ quæstione 5. hujus Tituli à nobis sunt dicta, tam in Quæstione Principali, ejusque Conclusionibus, quam in Quæstione Incidentali: Multa nimirum, quæ ex se peccata non sunt; ad Pompam tamen Diaboli, prout ad peccata movent, illa comitantur, vel consequuntur, pertinere.

2. Advertendum est: Scripturam & Patres sæpiùs invehi in Aulæa, Tapetes, Ornamenta excessiva domorum, in Ædificia sumptuosa, multiplicationes equorum, &c. Unde ne in nuda litera innocentes condemnentur, aut nocentes excusationibus frivolis se excusent, prout superiùs processimus, sic distinctè hìc aliquid resolvendum duximus.

Resolutio I.

Aulæa, tapetes Ornam. &c. attento cujusq; statu honestè usurpari possunt.

Aulæa, Tapetes, Ornamenta, & sumptuositas Ædificiorum, multiplicatio equorum &c. ex conditione sua si uniuscujusque status attendatur, non sunt prohibita, sed honesta, honesteque usurpari possunt. Resolutio ex Scripturis constat, quæ à principio habitati orbis, illis Patriarchas, Reges, & honestos quosque usos referunt cum honestate & honore. Ex his enim Balam miratur tabernacula Jacob, & tentoria Israel: Et Esther 1. ad magnificentiam Regis describuntur *Tentoria aërei coloris & carbasini, ac hyacintini, sustentata funibus byssinis, atque purpureis, &c. Lecti quoq; aurei & argentei super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide dispositi, quod mirâ varietate pictura decorabat.* Et 3. Reg. 10. Mirabatur Regina Saba domum, quam ædificaverat Rex Salamon ordines ministrantium, & vestes eorum, & supellectilem totam Aulæorum & Tapetum, de quibus dicitur eodem c. *quod universa supellex domus saltus Libani esset de auro purissimo*, quæ omnia imputantur sapientiæ ejus, & magnificentiæ, sive magnificæ honestati regiæ.

Num. 24. v. 5. Esth. 1. 6. 3. Reg. 10. v. 5. *Vers. 21.*

Duplex usus aulæorum, &c. 1. Ad commoditatē. 2. Reg. 17. 28. 2. Ad ornatum honestatis juxta statū uniuscujusq;. 4. Reg. 9. 13.

Porrò advertendum: Aulæa, Tapetes, Ædificia, &c. duos fere usus licitos in humanis habere. Primus: Ad commoditatem, illis enim fovetur magis calor, & avertitur frigus: Quomodo 2. Reg. 17. fugienti David à facie Absolom, & ad castra venienti, oblata sunt Stratoria & Tapetia, utique ad necessitatem & commoditatem. Secundus: Ad ornatum honestatis juxta Statum uniuscujusque: Illa enim quæ circumstant aulas Principum & magnatum ac nobilium, & viros in Magistratu præsidentes, respectum aliquem illis conciliare solent. Quomodo & Jehu Regi denuntiato Principes exercitus supposuerunt pallia & chlamydes suas ad reverentiam per modum throni sive tribunalis. In his itaque attendenda est utilitas sive commoditas; & quædam Status, honestas, quæ virtutem & Statum commendat.

Deut. 17. 16. 3. Reg. 4. 26.

Quod & in multitudine equorum & famulorum attendendum est: Quamvis enim Deut. 17. dicatur de Rege: *Non multiplicabit sibi equos*: Id intelligendum est ad excessum superbiæ, & ne populum nimis gravet: alias commendatur magnificentia Salamonis, 3. Reg. 4. quod haberet *quadraginta millia præsepia equorum currulium, & duodecim millia equestrium*, sine dubio ad regiam magnificentiam, utilitatem, & obsequia necessario regno suo.

Resolutio II.

In Aulæis &c. excessus ad peccatū pertrahens solùm damnabilis.

Quotiescumque Scriptura vel Patres damnant Aulæa, Tapetes, Ornamenta domorum, magnitudinem vel multitudinem ædificiorum, multiplicatio canum & equorum non damnant usum utilitatis vel decentiæ intra terminos honestatis; sed excessus ad peccatum pertrahentes, sive peccata ejusmodi excessum causantia vel concomitantia, vel subsequentia.

Peccata huc consequentia enumerātur.

Excessus iste ordinariè peccata hæc sibi juncta vel famulantia habent: Superbiam, avaritiam, quam inhumanitas in pauperes ordinariè associat, luxuriam, injustitiam, oppressionem pauperum, ruinam familiarum, &c. ratione quorum vocantur pompa Diaboli.

Ita Scriptura passim: De superbia quidem, avari-

Ezec. 27. avaritia, injustitia, &c. legendum est, c. 27. &
& 28. c. 28. Ezechielis de Tyro. De luxuria vide prov.
7. Ubi mulier incitans adolescentem ad impu-
Prov 6.16 dicitiam: *Intexui* (ait) *funibus lectulum meum*
Vers. 17. *stravi tapetibus pictis ex Ægypto. Aspersi cu-*
bile meum myrrha & aloë, & cinamomo. Et Amos
Amos 6.1. 6. *Væ qui opulenti estis in Sion*, &c. *Qui sepa-*
Vers. 3. *rati estis in diem malum, & appropinquatis solio*
iniquitatis: *Qui dormitis in lectis eburneis, &*
Vers. 4. *lascivitis in stratis vestris*, &c. Ubi & tangit
Vers. 6. pauperum oppressionem: *Nihil* (inquit) *pa-*
tiebantur super contritione Joseph. Ita explicat
S. Hieron. in cap. 3. Nahum. Qui & in c. 5. Amos
Amos 5.11 super illud: *Pro eo quòd diripiebatis pauperem:*
Hieron. *Unde* (inquit) *& pretio eorum; quæ rapiebatis &*
tollebatis à paupere, domos quadro lapide ædifica-
stis. ut spoliantes homines, parietes marmoribus
vestiretis. quas quia ædificastis de rapinis & pul-
chritudinis & deliciis præparastis, repentinæ cu-
ptivitate vel morte substructi non habitabitis in
eis, &c.

In inhumanitatem etiam in pauperes graviter Patres invehuntur: Basilius Homil. 7. in
Basilius. divites avaros. *Quid* (inquit) *miser judici respondebis? parietem vestis hominem non vestis Equos phaleris ornas, fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris?* &c. Vehementius S.
Chrysost. Chrysost. Hom. 11. in Epist. S. Pauli ad Romanos: *Rapina* (ait) *& avaritia incumbit non paupertate pressus. non fame te ad id impellente; sed quo equi frenum, domus tectum, capita columnarum deaurentur: Hoc ipsum vero quantam gehennam meretur? Cum tu fratrem tuum in infinitas calamitates præcipitem agis? ut lapides ut domus tua pavimentum, ut animantium ratione carentium corpora exornes. Tène tam sollicitam alendi canis curam ugere; hominem autem seu veriùs dicam, Christum ipsum propter canem ad summam famem adigi? Quid hac confusione pestilentius? Quid hac iniquitate lethalius? Quot tandem ignes fluvii ad hujusmodi animum depascendam satis esse possunt? Hem! Qui ad Dei similitudinem expressus est, pannosus indecorusq; jacet per tuam inhumanitatem: muli autem uxorem tuam portantes, tum autem pelles & ligna quibus tectum illud texitur, multo auro splendescunt: ac si sedile si scabellum conficiendum est, ubique aurum, ubique argentum: Christi autem membrum, Isq; propter quem Deus de cælo ad nos descendit, sanguinemque pretiosum effudit, avaritiâ tuâ ne necessarium quidem cibum habet. Et lectuli quidem argento undique cincti, undique ornati sunt; Sanctorum vero corpora, vel necessario operculo carent, ac tibi minoris sit ipse Christus, quam muli, quam lectus. quam sedile, quam scabellum.* Hæc Chrysostomus.

AD LECTOREM ET CONFESSARIUM.

A Pluribus lubens abstineo: Tu ergò adverte, nec Scripturas, nec Patres contemnendos: Sed in omnibus his attendenda esse peccata, ex quibus causantur, vel quæ comitantur aut consequuntur hujusmodi, quæ ad Pompam Diaboli referuntur. Non damnamus utilitatem, decentiam, aliquam etiam pretiositatem, quæ justi & honesti limites non excedunt: Sed dicimus rarissimè ista usurpari, quin consequenter quæ enumeravimus peccata associata sint, vel omnia, vel
aliqua ex istis. Fodiant, qui salvi fieri volunt,
istum conscientiæ parietem cum Ezechiele, Ezec. 8.8.
& videbunt omnes, vel plures abominationes hujusmodi intra illum fieri.

§. III.

De Pompa Diaboli in Conviviis & Symposiis.

Hic pauca denuo sunt attendenda: Etsi enim Convivia etiam ad hilaritatem in Scripturis non improbeantur; imo celebrentur tamquam symbola amicitiæ & pacis, recrea-
tionisque honestæ velut irrigua, ut Gen. 19. Gen. 19. 3.
fecit Abraham convivium angelis hospitio
receptis. Et Gen. 21. in ablactatione Isaac. Jud. Gen. 21. 8.
14. Pater Sampsonis fecit filio convivium, & Jud. 14. 10
alia in Scriptura obvia sunt, & tamquam honesta commendantur. Quia tamen & ipsa secum vehere solent multa peccata, idcircò & Scriptura & Patres in illa, ut in pompam Dia-
boli, invehuntur, Quod piissimus Job atten- Job. 1. 5.
debat c. 1. *Qui cum in orbem transissent dies convivii* filiorum cum sororibus suis (quæ sine dubio fuerunt convivia honestissima) *mittebat ad eos. & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis: dicebat enim: Ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*, id est, ut Interpretes loquuntur: Ne maledixerint, vel male cogitaverint, aut male locuti sint de Deo. Solent enim Convivio incentiva esse multorum verborum, & consequenter multorum peccatorum.

Resolutio

Convivia, Commessationes, Symposia, ut *Ob quæ Con-*
Pompa Diaboli, & peccata mortalia, à *vivia &c.*
Scriptura & Patribus proscribuntur, ob sequen- *censean-*
tia potissimum: *intemperantiam, omnem termi-* *tur inter*
num honestatis excedentem, quæ non in solo *Pompas di-*
potus; Sed etiam in ciborum excessu evenire *aboli.*
potest: *ebrietatem, impudicitias, contentiones, detractiones, infirmitates*, quæ ex illis oriri, vel illa comitari solent, præter excessum ciborum in superfluo & pretioso apparatu: Unde injustitiæ, inhumanitas. & immisericordia in pauperes, ruina familiarum, &c. Quæ omnia sat
superque in singulari perstrinximus tom. 2. *Vid. ibid.*
tract. 7. tit. 2. q. 1. & 2. Nec opus est hic diutius immorari.

De Convivio sancto & Christiano elegan-
ter laconicè tamen S. Chrysost. Homil. 16. ex *S. Chrys.*
variis in Matthæum: *Epulis vestris intersit in facie prandeatur Authoris, honestate Convivium natura ipsa quæ nos producit honoretur, lætitia mensa vestra pertingat ad pauperes Christi, familia vestra innocentiæ trepudiet disciplina; absit ebrie-*

sit ebrietas, luxus absistat, fugetur effusio, saltatricum pestis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragium mentis cum Herodiadis Convivio abscindantur, ut præsens gaudium vestrum ad lætitiam veniat sempiternam. Hæc ille.

§. IV.

D Pompa Diaboli in Theatris, Spectaculis, Ludis, Choreis, &c.

IN Spectacula Theatrica, Ludos, Choreas, &c. ut Diaboli verissimas Pompas, ita invehuntur Patres, & Ecclesiasticæ, imò & Imperiales Leges, ut sola etiam nomina Christianis abominanda videantur. Et de his igitur aliquid dicendum est.

DE THEATRIS & SPECTACVLIS.

RESOLUTIO I.

Spectacula theatri casi turpitudinem, aut levitatem periculos non contineāt, licitè exhibentur.

SPectacula & Ludi Theatrorum, in quibus historia sive sacra, sive profana ad pietatem & virtutem excitantes, a morigeris adolescentibus sive viris exhibentur (si turpitudinem aliquam & inhonestatem, aut levitatem periculosam non contineant) licitè, imo & honestè exhiberi possunt.

Ratio est: Quia præterquam quòd honestè ingenia in illis exerceantur, ad Pietatem, & virtutem, velut picturæ quædam efficaciores, animos alliciunt. Nec hæc unquam prohibita fuerunt, quippe quod de se & ex natura sua nihil inhonesti contineant, & in usu adhuc in Ecclesia Dei ad hæc usque tempora perseverent.

Dixi, *(si turpitudinem & inhonestatem aut levitatem periculosam non contineant)* Hoc enim sæculo miserando vix aliqua exhibetur sive Comedia, sive Tragedia, etiam ad pietatem & virtutem spectans, quin simul immisceantur velatæ turpitudines, aut levitates; quæ eo curiosius ingenia ad impura & vana pelliciunt, quo sub titulo liciti & decentis, ratione motuum & gesticulationum, quæ in illis exercentur, in animos incautæ Juventutis sive repræsentantis sive spectantis penetrant: Hi enim amores & cupidines dum fingere se putant, illis fortiùs animos infingunt, juxta illud Minutii Felicis in Octavio. *Mimus* (inquit) *vel exponit adulteria, vel monstrat, & enervis Histrio amorem dum fingit, infligit.* Docentur sanè adolescentes interdum in scholis, quæ nec grandævi discerent, ut tripudia, choreas, saltus, amantium mores & gestus, quæ dum in pueritia fictè didicerunt, & grandæviores facti duce realiter perpetrant, quæ in imagine sibi prius effinxerant. Quot inde peccata, quot lenocinia, quot impudicitias juventus imbibat, experientia docuit, pietas & modestia Christiana deflevit.

Minutius Felix in Octavio.

RESOLUTIO II.

Si ad turpitudinē aut pecca. incitantia contineāt, illicitè exhibentur & spectantur.

THeatrica Spectacula, & Ludi Histrionici, nec non Comedia, & Tragedia, in quibus, quæ ad turpitudinem aut peccatum ex natura & circumstantiis sive modis incitant, etiam fictè exhibentur, merito ut peccata mortalia condemnantur, non modo in personis quæ exhibent, & ea repræsentant sed etiam in iis, qui, ut Spectatores ad ea concurrunt quovis modo.

Rationes omnes Sanctorum Patrum & Legum Christianorum in unum collimant, ut illa condemnent: Quia talia Spectacula sunt causa gravissimorum peccatorum, quæ sive ab Actoribus, sive à Spectatoribus tunc vel posteà committuntur, suntque peccati incentiva vel actu vel proxima potentiâ.

Legendus est inter omnes Salvianus, l. 6. de gubernatione Dei: *In Theatris* (inquit) *nihil à reatu vacat, quia & concupiscentiis animus & auditu aures, & aspectu oculi polluuntur: Quis enim integro verecundiæ statu dicere queat, illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obscœnitates, illas motuum turpitudines, illas gestuum fœditates? Quæ quanti sint criminis, hinc intelligi potest quod & relationem sui interdicunt.* *Salvian.*

Ut ostendat autem Spectatores pollui: *Alia* (inquit) *omnia mala agentes polluunt, non Videntes vel Audientes: sola spectaculorum impuritates sunt quæ unum admodum faciunt & Agentium & Aspicientium crimen: nam dum spectantes hæc cōprobant, ac libenter vident, omnes ea visu atque assensu agunt, ut verè in eos Apostolicum illud peculiariter cadat*, quia digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiā qui consentiunt facientibus. Quæ omnia prosequitur sigillatim. Rom. 7. 32

Et infrà Ponderant abrenuntiationem factā in Baptismo de qua alias tr. 1. tit. 2 q. 3. Et respondens excusationibus eorum, qui dicunt ista fieri & videri tantum ad risum & recreationem: *Nobis* (inquit) *ridere & gaudere non sufficit, nisi cum peccato & insania gaudeamus nisi risus noster impuritatibus, nisi flagitiis misceatur.* Infrà: *Rideamus quæso quamlibet immensuratim lætemur quamlibet jugiter, dummodo innocenter.* Et ostendens quantum peccatū sit in turpibus spectaculis ridere: *In spectaculis* (inquit) *quædā fidei apostasia est, & a symbolis ipsius & cælestibus Sacramentis lethalis prævaricatio. Quæ est enim in Baptismo salutari Christianorum prima confessio? quæ scilicet? nisi ut abrenuntiare se diabolo ac Pompis ejus, atque spectaculis & operibus protestentur?* Concludit: *Ergo spectacula ac pompæ etiam juxta professionem nostram opera sunt diaboli. Quomodo O Christiane spectacula post baptismum sequeris quæ opus esse diabolo confiteris. Renuntiasti semel diabolo & spectaculis ejus, ac per hoc necesse est prudens & sciens dum ad spectacula remeas, ad diabolum te redire cognoscas.* Infrà: *Et ideo qui revertitur ad diabolum, relinquit Deum. Diabolus autem in spectaculis est & pompis suis, ac per hoc cum redimus ad spectaculum, relinquimus fidem Christi.*

Salvian. *ibid.*

Infrà: Catenam texit peccatorum quæ in talibus committuntur, vel cogitatione, vel re, vel

vel periculo: *Quidquid* (ait) *immunditiarum est, hoc exercetur in Theatris* &c. *Alibi est impudicitia, alibi lascivia, alibi intemperantia, alibi insania, ubiq; daemon, imo per singula ludicrorum loca, universa daemonum monstra. Praesident enim sedibus suo cultui dedicatis.* Haec Salvianus. Legatur & Tertullianus, & Cyprianus in libris, quos de spectaculis inscripserunt. *S. Cypr.*

Accipe porrò dictorum rationem non contemnendam Tertulliani de Spectaculis c. 17. *Cur* (inquit) *liceat audire, qua loqui non licet? Cum etiam scurrilitatem & omne verbum vanum a Deo judicandum sciamus: Cur aqua liceat videre, qua facere flagitium est? Cur qua ore prolata coinquinant hominem, ea per oculos & aures demissa non videntur coinquinare? Cum spiritui appareant, aures & oculi, nec possit mundus praestari, cujus apparitores inquinantur.* Concludit: *Habes igitur & Theatri interdictionem, de interdictione impudicitia*, q. d. Ea de causa, quâ impudicitia interdicitur, interdicuntur & Spectacula, in quibus impudicitiae exhibentur: Quod & ad alias immoderationes & mores pravos, qui in Comediis illis repraesentantur, referri potest. *Tertul.*

Peccati etiam gravitatem denotant quae legibus tam Ecclesiasticis quam civilibus de Spectaculis decreta sunt.

Synodus Constantinopolitan. in Trullo. Synodus Constantinopolitana in Trullo celebrata & dicta inde Trullana: *Prohibet* (ait) *omnino haec sancta Synodus universalis eos, qui dicuntur Mimi, & eorum spectacula: Denique venationum quoq; spectationes, easque, qua fiunt in Scena, Saltationes perfici. Qui secus fecerit, si sit clericus deponatur, si laicus segregetur.*

Et Innocentius Papa Epist. 2. ad Victricium Episcopum Rothomagensem, c. 11. reddens rationem, cur curiales ad clericatum non admitterentur: *Constat enim* (inquit) *eos in ipsis muneribus* (*id est ministeriis*) *etiam voluptates exhibere, quas à Diabolo inventas esse non dubium est, & Ludorum & Minorum apparatibus aut praesse aut forsitan interesse.* Vide Gratianum d. 51. c. Praeterea. *Innocent. Papa.* *C. prater*

Histriones anti quitus infames habiti. Quin & Histriones & Theatrici infames antiquitus habebantur. Sumitur ex Cypriano Ep. 10. ad Eucratium l. 1. habetur apud Gratianum de Consecratione d. 2. c. Pro dilectione: Ubi Histrionem Christianum, licet artem histrionicam non exerceret: sed tantum alios doceret à communione vult removeri: *Puto enim* (inquit) *nec Majestati Divina, nec Evangelica disciplina congruere, ut pudor & honor Ecclesiae tam turpi & infami contagione faedetur.* Justinianus sane Imperator in Authentica interdicimus de Episc. & Cler. vitio & crimini adscripsit, si quis publicorum Spectaculorum Ludis interesset, & mulieres scenicas, quae in spectaculis publicis se exhibent, declarat infames. *Cypr. cap. pro dilectione.* *Justinianus.*

Dices: Si quis Spectaculis illis ad malum moveatur, fragilitati ejus est adscribendum, non Spectaculo, à quo poterat recedere, si suam fragilitatem agnoscebat, non vero Spectacula damnare. Respondet S. Chrysost. Hom. 1. in Psal. 50. *Audiant* (inquit) *curiosi, qui pulchritudines considerant alienas, audiant qui ex spectaculis insaniunt Theatralibus, qui ad excusandas excusationes in peccatis dicunt: Spectamus quidem, sed nil nocemur. David talis ac tantus lasus est & tu te putas non posse laedi? Ille nocumentum est passus, qui tantam haberet Spiritus gratiam, & te quomodo potero credere sine vulnere evasisse? Et ille quidem in solario domus sua, tu autem in Theatro, ubi & locus condemnat animam sapientis; in quo cum tanta sint praecipitia, tanta corruptela, quomodo possum tibi credere, quod à talibus bestiis vulneratus non sis? Nunquid lapideus es aut ferreus, igni conjungeris, & non ardebis.* *Chrysost.*

AD LECTOREM ET CONFESSARIOS.

HAec velim justâ trutinâ examinari, & Patrum rationes ad conscientiae Lydium lapidem probari. Quamvis enim recreationes Lusus & subtilitates in se non sint malae, aut omnino vituperandae; mala tamen, quae consequuntur, gravissima sunt. Quae referre volui pro istis Tragoedis, Comedis, Joculatoribus, Mimis, Histrionibus, qui passim regiones, oppida & loca in nundinis & congregationibus circumeunt, quos constat non exhibere nisi impudica, lasciva, & ad mollitiem inducentia, imo & ad alias gravissimas malitias, quas videntes postea sibi ex visis comminiscuntur. Unde excusare non possum à peccato mortali Magistratus, & eos quorum interest, qui talia passim permittunt, cum eorum licentia illa fiunt, & sine quorum facultate non fierent: Et si spectatores in confessione bene examinentur, ne centesimum quidem innocentem reperies. S. August. certe aliud etiam notat non contemnendum tract. 100. ad c. 16 Joan. prout refertur à Gratian. d. 86. c. Donare: *Donare* (inquit) *res suas Histrionibus vitium est immane, & scitis de talibus quam sit frequens fama cum laude:* Quia laudatur peccator in desideriis animae suae, & qui iniqua gerit benedicitur. *Nota* *August. c. Donare.* *Ps. 9. 24.*

DE CHOREIS.

Resolutio I.

Choreas aliquas honestas & licitas esse, & fuisse, Scriptura & antiquitas docet. Sic enim Exodi 15. laudatur Maria soror Moysis, quod sumpserit tympanum in manu sua, & Choros cum mulieribus duxerit: Sic coram arca 2. Reg. 6. David saltasse scribitur. Ad idem Salomon Eccles. 2. dicit se sibi cantores & cantatrices fecisse. Et nota quod quando dicuntur aliqui Choros ducere, per Ductionem vel Deductionem Chororum intelligi Choreas, sive saltandi modos & actus, ad numeros vocum tympanorum, &c. *Chorea aliqua hon. & licita.* *Ex. 15. 20* *2. Reg. 6. 14.* *Eccl. 2. 8.*

Dico igitur: Chorea, prout est honestae recreationis, gaudii, vel laetitiae signum, actus licitus est, imò quandoque meritorius, ut de Maria sorore Moysi, & Davide Scriptura refert.

RESO-

Resolutio II.

Quando illicita.

C*Horea, quatenus vel trepudiantem sive saltantem ad lasciviam excitat, vel spectantibus libidinis vel lascivia species immittit, pro ratione motus in tripudiante vel spectatoribus excitati, vel ex modo & circumstantiis excitabilis, ob proximum periculum peccatum mortale vel veniale erit.* Peccatum quidem mortale, quando motus sunt mortales, vel periculum proximum peccati mortalis causant: Veniale verò, quando sive in causa, sive in effectu tantùm veniales sunt.

Hæc ex præjactis in aliis Diaboli Pompis fundamentis manifesta sunt: Et Ratio fundamentalis est: Quia qui advertit, vel advertere debet se per aliquem actum dare causam mortalis peccati sive sibi, sive proximo, si ab illo non abstinet, peccat mortaliter: Atqui in Tripudiis istis, nostri maximè temporis, quæ magis ad lasciviam vergunt, quàm ad honestam recreationem, chorizantes ad minus debent advertere pericula proxima motuum carnalium in se & in proximis, sive simul chorizantibus, sive spectantibus: Ergo pro ratione causæ, objectorum, conditionis personarum, qualitatis & modi Saltationum & Trepudiorum, lasciviæ vel periculi emergentis censentur chorizantes peccare mortaliter, vel in materia levi venialiter.

Angelus

In his verò non mentiatur iniquitas sibi, nec quærantur excusationes in peccatis: ad hoc enim sæculum istud per omnia miserandum devenit, ut vix inveniatur Chorea honesta, quæ honestatis conditiones (quas Angelus V. Chorea ad septem recitat) omnes habeat: *Adeòque* (ut inquit idem) *quia præfatæ conditiones non inveniuntur in Choreis nostri temporis, non video quomodo sine peccato mortali quis Choreas faciat ex consuetudine, sicut communiter fiunt.* Attulerat verò septem conditiones, quæ veritis ad 4. reduci possunt.

Conditiones honestæ Choreæ. 1. Ut fiat inter personas convenientes.

1. Conditio: Ut fiat inter personas convenientes: Prohibentur enim Choreæ personis Ecclesiasticis, Religiosis, &c. En tales chorizantes, ob scandalum quod causare possunt, peccant mortaliter, nec excusantur, nisi fortè ratione parvitatis materiæ, & circumstantiarum, quæ excludunt omnem scandali rationem.

2. Ut omnibus honestatis servetur.

2. Ut modus honestatis servetur: Ad excludendas gesticulationes, motus & modos qui ad lasciviam excitare solent.

3. Ut recta sit intentio.

3. Ut recta sit intentio; nimirum ad honestam recreationem, & in signum honesti gaudii, & lætitiæ, sive etiam ad honestam corporis exercitationem, & genii excitationem. Quā intentionem destruit omnis illecebra, lascivia, libido, scurrilitas &c.

4. Ut quis sit suæ fortitudinis conscius. Angelus.

4. Ut quis sit suæ fortitudinis & probitatis conscius: Si enim se ad illecebras fragilem & pronum sentiat, debet se omnino à similibus subtrahere. Quia, ut ibi Angelus: *Qui ita fragilis est, quod licet bonâ intentione chorizare incipiat, tamen non exit, quin ad libidinem mortalem provocetur, peccat mortaliter advertès de tali sua fragilitate, se ingerendo: Quia Eccli. 3.* Qui amat periculum, peribit in illo. Hæc Angelus. Eccl. 3. 27.

Definitio Choreæ.

Benè Choream, prout ad Pompam Diaboli pertinet, definivit quidam: *Chorea* (inquit) *est circulus, cujus centrum Diabolus, circumferentia omnes angeli ejus.*

§. 5.

De Lusu Alearum, Chartarum, &c. quatenus pertinent ad Pompam Diaboli.

Resolutio I.

Lusus Alearum &c. ex se nō est malus. Angelus.

L*Usus Alearum Chartarum, Taxillorum &c. ex sui natura non sunt peccata, imò ex intentione potest quis honestè interdum illis vacare.* puta: Ad recreationem, ad tollendum tædium, ad subtilitatem & ingenium demonstrandum. Ita Angelus V. Ludus n. 4. Et Ratio est: Quia nihil dici potest peccatum ex natura sui, nisi quod necessariò in se aliquam inordinationem continet, vel secum involvit: Nulla autem inordinatio per se in Lusu Alearum &c. continetur: Cùm fieri possit, ut dixi, gratis, vel modicissimo pretio, vel meræ recreationis & exercitationis causâ.

Resolutio II.

Quatenus ordinariè secū involvit multa peccata, aut illorū periculū spectat ad Pompam Diaboli. Angelus

L*Usus Alearum Chartarum &c. quatenus communiter & ordinariè secum involvit multa peccata, vel illorum grave periculum, pertinet ad Pompam Diaboli, & juxta rationem malorum quæ ex illo sequuntur, vel quorum periculo se ludens exponit peccat mortaliter vel venialiter.*

Ita notat singulariter Angelus V. Ludus n. 3. Qui eà ratione inter Ludos diabolicos Lusum Alearum refert: *Quia* (inquit) *operatione diabolicâ inventus est, ad inducendos homines ad peccatum.* Et hàc ratione ad Pompam Diaboli, cui Christianus abrenuntiat, pertinere manifestum evadit.

Can. 42. & 43. Apost. cit. à Grat. c. Episcopus. Alvarus Pelagius.

Lusum autem Alearum fuisse omnibus Christianis antiquitus prohibitum patet ex can. 42. & 43. Apostolorum, quos citat Gratianus d. 35 c. Episcopus: *Episcopus* (inquit) *aut Presbyter aut Diaconus Alea atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè damnetur; Subdiaconus autem, aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. similiter, & Laicus:* In quibus verbis notat Alvarus Pelagius noster l. 2. de Planctu Ecclesiæ ar. 46. per verba *damnetur; communione privetur*, indicari peccatum mortale: per verbum autem *deserviens*, indicari consuetudinem, non actum unum, aut alterum. Et Concil. Elibertinum c. 79. *Si quis Fidelis Alea, id est Tabula luserit, placuit eum abstinere: Et si emendatus cessaverit, post annum poterit communione reconciliari.* Concil. Elibert.

Porrò cùm causa talis prohibitionis sint peccata, quæ ex istis Lusibus sequuntur (quorum ratione illos Lusus ad Pompas Diaboli spe-

ctare diximus) Auctores infinita ferè contexunt. Alvarus Pelagius l. 2. de Planctu Ecclesiæ art. 28. septemdecim crimina, quæ ex Ludis Alearum, Chartarum, Taxillorum oriuntur, recenset: Nos ad pauciora prolixitatem evitantes reducemus.

Alvarus Pelagius.

Peccata ex Ludis Alearum &c. provenientia

1. *Jactura temporis, & bonorum operum*: His enim Ludis inescati noctes & dies vix ab istis Ludis abstinent.

2. *Jactura turpis bonorum temporalium*: His enim Ludis experientia constat aliquos infinitam pecuniam, in ruinam familiæ, rei domesticæ, & status proprii, aut perdere, aut periculo manifesto perdendi exponere, cùm sit meræ fortunæ Lusus: Imò eò insaniæ aliqui deveniunt, ut vestes proprias & corpora ludant &c.

3. *Lucrum injustum*: Cùm non arte, sed fortunâ, non legibus justè constitutis, sed solo ludentium enormi ausu aut cupiditate constituatur.

4. *Gravissimæ deceptiones & falsitates*: Quæ vel in ipsis Aleis & Tabulis fiunt, vel in modis & iniquis industriis; unde oriuntur furta, rapinæ, mendacia perniciosa, &c.

5. *Juramenta, blasphemiæ, execrationes, impatientiæ enormes*, quæ à perdentibus excitantur, quorum gravissima exempla & vindictas divinas vide apud Auctores.

6. *Violentiæ, pugnæ, homicidia, injectiones manuum non modo in alios, sed & in seipsos sæpè*: Neque enim desunt exempla eorum, qui se ex impatientia interemerunt.

7. *Ebrietates, nugæ, scurrilitates* & id genus quæ Ludum consequuntur. Alia minora prætermitto, quia cuilibet obvia sunt; Aleatores sanè infamiâ publicâ notatos ex variis juribus refert Alvarus Pelagius l. 1. de Planctu Ecclesiæ art. 49. Et quanta ordinatint leges contra Alearum Ludum tenentes, non sine admiratione vide apud Angelum V. Ludus n. 9.

Alv. Pelagius.

Angelus.

Qualiter antem acquisita per Lusum sint obligata restitutioni, non est hujus loci pertractare: nullus, meo judicio, meliùs, breviùs ac clariùs illam materiam conclusit, quam Angelus sub. n. 7.

Nota.

Notandum tamen ad æstimandam gravitatem peccati omnes antiquos communiter docuisse: Omnia per Ludos illos Alearum, Chartarum, &c. acquisita debere restitui, in pœnam, pauperibus: Quia injustè & legibus prohibito modo acquisita: Titulus autem injustus & illicitus non potest rem facere nostram. Quam sententiam etsi Moderni non sequantur, ostendit tamen quantum æstimaverint peccatum, istis Ludis aliena acquirere.

Ad Lectorem.

Plura possent hîc ad Pompam Diaboli referri; sed quia ex dictis facilè colliguntur, filum abrumpo, unâ contentus Generali Conclusione.

Conclusio Generalis.

Omne quod ex se peccatum non videtur esse, imò alicujus liciti speciem gerit: si secum plura peccata velut causa, vel ut occasio, vel illecebra involvere soleat vel Opus est Diaboli, vel Pompa, cui abrenuntiavit Christianus.

Examen hominis Christiani, quâ Christianus est, super Pacto 1. Abrenuntiationis Satanæ.

Ex Pacto 1. quo Christianus in Baptismo abrenuntiat Satanæ, & omnibus Operibus ejus, & omnibus Pompis ejus, patet, quam diligentiam teneantur adhibere Christiani, ut conscientiam suam examinent, & integritati Confessionis sacramentalis satisfaciant.

1. Igitur examinet se Christianus: An à tempore sui Baptismatis nullam adhæsionem, vel directum vel indirectum commercium, sive convenientiam habuerit cum Dæmone: Quæ quidem haberi solent magicis signis, superstitionibus, remediis, opitulationibus, incantationibus, prædictionibus &c. De quibus latè tom 2. tract. 2. parte 3. art. 1. His etiam non rarò inficiuntur rustici simplices, armentarii, & animalium pastores, medici, chirurgi, & qui equorum curam gerunt, vulgò palafrenarii & mariscali. Item astrologi judiciarii, imò & ordinarii dierum & temporum observatores, milites &c. *Vide ibid.*

2. Examen fiat de enuntiationibus nominis Diaboli: Quibus Dæmon invocatur, sive per imprecationem in nostrum vel alterius malum sive per adprecationem in aliquod commodum, sive compellationem in aliquod opus vel testimonium, sive denique per solam nominis usurpationem, etiam nihil enuntiantem. Ita enim horrendum & abominabile deber esse nomen Dæmonis Christiano, ut ab ore illius sit omnino ablegandum. Qualitatem peccati expende bene ex corollario doctrinali de Abrenuntiatione Satanæ suprà petitione 2.

3. Invigilandum est interdum Confessario, super specialibus operibus, quæ diabolicâ cooperatione diximus fieri, in quibus interdum etsi nulla appareat malitia ex parte operis, peccata tamen mortalia sunt ob solam Diaboli cooperationem: Ut fit in ludicris quibusdam actionibus, quæ ad recreationem Dæmone cooperante fiunt: Item in aliis, quæ exercentur ab iis qui se energumenos mentiuntur, aut sanctitatem aliquam ementiri & fingere per extases, raptus, &c. moliuntur. Attendendum etiam est super execrandis actibus, qui à voluptuosis quibusdam geniis adinveniuntur; & quæ melancolica ingenia Dæmone instigante sibi comminiscuntur, quæ ob abominationes & scandala, quæ ex ipsa similium peccatorum enarratione oriuntur, lubens modò taceo, fortè per occasionem alibi dictu-

dicturus, tantùm attendat Confessarius quæ suprà tit. 2. q. 2. concl. 3. dixi, & coroll. doctrinali annotavi.

4. Examinanda, quæ ex Vestimentorum Luxu, Pretiositate, superfluitate, Vanitate superiùs diximus originem ducere, cæteraque, quæ ad Pompam Diaboli docuimus pertinere: Quæ frustra hìc repeterentur, cùm ratio & malitia peccati non possit bene distingui, nisi perpensis omnibus quæ à nobis superiùs sunt allata.

TITVLVS III.

De 2. Pacto, quo Christianus Professionem Fidei in Baptismo emittit.

QVÆSTIO I.

Quam Obligationem inducat Professio Fidei in Baptismo, vel nomine Baptizati emissa?

Ceremoniale.

QUemadmodum speciali Pacto Baptizandus publicè abrenuntiat Satanæ, & Operibus, & omnibus Pompis ejus (ut in Ceremoniali trinâ interrogatione continetur,) in cujus virtute Crux oleo sancto Catechumenorum in ejus pectore formatur his verbis: *Ego te oleo salutis linio*; Et alterâ Cruce inter scapulas eodem oleo insignitur his verbis: *In Christo Iesu Domino nostro, ut habeas vitam æternam. Amen.* Ut & toto pectore Christo adhæreat, & omnem adversitatem Crucis in nomine Christi patienter ferat: Eodem prorsus tempore immediatè Professionem Fidei emittere debet sanctissimæ Trinitati si baptizari velit: Interrogat enim 1. illum Sacerdos de iis, quæ personam Patris contingunt: *Credis* (inquit) *in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ?* Et respondes per se vel procuratorem patrinum suum: *Credo.* Interrogat 2. de iis, quæ pertinent ad personam Filii: *Credis in Jesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum, conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria Virgine, Crucifixum, mortuum & sepultum, descendisse in inferos, tertiâ die resurrexisse à mortuis, ascendisse ad cælos, sedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos?* Et respondes; *Credo.* 3. Interrogatur de iis, quæ pertinent ad personam Spiritus sancti: *Credis in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam?* Respondet: *Credo.* Quæritur itaque quam Obligationem hæc Professio inducat.

CONCLUSIO I.

Professio Fidei in Baptismo explicitè vel implicitè facta obligat ad Fidem Christi juxta cujusque Statū discendam, confitēdā & cū periculo vitæ conservādam.

PRofessio Fidei in Baptismo facta à Baptizando, sive etiam Baptizato, obligant ad Fidem Christi in omnibus tam expressis in Scriptura, quàm traditis à Matre Ecclesia juxta uniuscujusque capacitatem & Statum discendam, firmiter tenendam, confitendam, & etiam cum vitæ detrimento & periculo conservandam, sub gravissimo peccato mortali infidelitatis, sive per apostasiam, sive per schisma, sive per hæresim, vel per politicismum vel atheismum, sive per contemptum, voluntarium dubium, vel supinam ignorantiam oriatur. Ita Christus Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur: Sicut* enim *sine Fide impossibile est placere Deo*, ita sine Fide impossibile est homini salvari. Singulariter autem Christianus obligatur ad Fidem, quia in Baptismo illam *tum explicitè, tum implicitè* est professus. Vide quæ ex Concilio Parisiensi 3. sub Ludovico & Lothario citavimus tract. 2. tit. 1. q. 2. concl. 1.

Marci 16. 16.
Ad Hebr. 11. 6.
Côc. Parisiense 3.

Dixi vero *(tum explicitè tum implicitè)* Non enim sola Professio Fidei explicita & externa Baptizatum obligat; sed etiam ipsa susceptio Baptismi: Hoc enim ipso quo quis baptizatus est implicitè se obligat ad duo ista Pacta: Ut Diabolo renuntians Christo per Fidem & Legis Christianæ Observantiam adhæreat (ut docuimus loco immediatè allegato, ita ut non sit opus ampliori repetitione:) Ad hoc enim spirituali charactere omnes Baptizati insigniuntur, ut Obligationis Fidei, & Operum nosam perpetuam deferant: Ad hoc character indelebilis est, ut Obligationem sciant esse perpetuam, quæ nullâ potentiâ vel libertate aboleatur aut desinat. Vide quæ diximus tom. 2. tract. 2. tit. 2. per totum, de necessariis ad Fidem & peccatis ei oppositis.

Vide tr. 2. tit. 1. q. 2.
Vide ibid

CONCLUSIO II.

In hac Professione fūdantur pœnæ, quibus Ecclesia adigere potest apostatas &c. Ut ad Fidem & Ecclesiam revertantur.

IN hac sive explicita sive implicita Fidei Professione fundantur omnes pœnæ, quibus tum Ecclesia, tum fidelis potestas adigit & adigere potest apostatas schismaticos, hæreticos, tamquā fœdifragos, ut ad Fidem & Ecclesiam revertantur. Vide quæ diximus tomo 2. tract. 2. tit. 2. sect. 3. quæst. 7. concl. 2. ne sæpiùs eadem repetamus.

QUÆSTIO II.

An Obligationem ex Professione Fidei contrahat qui ante usum rationis in infantia est baptizatus?

RAtio dubitandi est: Quia parvulus nec Baptismum voluntarie suscepit, nec Professionem Fidei emittere potuit: Ex qua ratione colluvies multarum hæresum & hæreticorum prodiit: Quorum quidam parvulos ante usum rationis negarunt Baptismi capaces: Alii negarunt baptizari debere aut expedire: Alii asseruerunt taliter ante usum rationis baptizatos non obligari ad Fidem Christi, & Legem Evangelicam, nisi in adulta ætate saltem ratificarent, sive ratum haberent suum

Baptismum , & professionem in illo eorum nomine à susceptoribus emissam.

Conclusio I.

Parvuli ante usũ rationis capaces Baptismi & justificationis. Cõcil. Carthagin. 2. mileuitã. Affrican. Gerũdẽse. Tolet. 2. Tridẽtin. Ad Rom. 5. 17. Vers. 18.

I*Nfantes & parvuli ante usum rationis sunt capaces Baptismi & eius præcipui effectus, qui est justificatio & remissio peccati.* Est de fide diffinita in antiquissimis Concilijs Carthaginensi 3 can. 48. Milevitano can. 2. Affricano sub Bonifacio I. can. 77. Gerundense can. 1. Tolet. 2. can. 2. Et novissimè in Tridentino sess. 5. de Peccato Originali can. 4. & sess. 7. de Baptismo can. 12. 13. & 14.

Ratio verò est 1. Quia sunt capaces peccati, nimirum originalis, ergo & justificationis per Christum Dominum nostrum, juxta illud S. Pauli ad Rom. 5. *Si unius delicto mors regnavit per unum multo magis abundantiam gratia, & donationis, & justitia accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum : igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem ; sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vita.* Certum est autem sub omnibus hominibus etiam parvulos contineri, quia verè homines sunt. Unde & Christus passim Marci 10. & Lucæ 18. *Sinite* (ait) *parvulos venire ad me talium est enim regnum Dei.* Et Marci 10. complexus parvulum benedixit. Unde argumentor : Parvuli (teste Christo) sunt capaces regni cælorum, ergò & remissionis peccati originalis : sed non nisi per Baptismum, ergo sunt capaces Baptismi : Sicut enim ipsi sub hoc decreto continentur (apud S. Leonem serm. 1. de Nativit Domini.) *Nemo mundus à sorde, neque infans, cujus est unius diei vita super terram :* Sic & hàc lege comprehenduntur : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo ex aqua & Spiritu sancto renasci possunt, & sic ingredi in regnum cælorum.

Luc. 18. 16. Marci. 10. 14. Vers. 16. S. Leo. Ioan. 3. 5.

2. Non est infirmior Lex nova Lege veteri, imò potentior, sed in Lege veteri pueri ante usum rationis erant capaces Circumcisionis Genes. 17. & consequenter remissionis peccati per illam : Quia (ut ad Rom. 4. dicitur) *Circumcisio fuit signaculum justitia fidei* : Ergo multò magis in Lege nova pueri erunt capaces Baptismi, qui legem Circumcisionis adimplevit & perfecit.

Gẽ. 17. 12. Ad Rom. 4. 11.

3. Parvuli in Lege nova sunt capaces Martyrii, in quo est Professio quædam Fidei, ut de Innocentibus constat Matth. 2. Qui & Martyres ab Ecclesia habentur, & dicuntur *Fidem non loquendo sed moriendo confessi* : Ergo multò magis Baptismi.

Matth. 2. 16. Ecclesia.

Conclusio II.

Ad illum obligãtur necessitate medii. Joan. 3. 5. Vers. 7.

P*Arvuli ante usum rationis obligantur necessitate medii ad Baptismum suscipiendum.* Est de fide Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Item ibid. *Oportet vos nasci denuò.*

Conclusio III.

Parentes tenẽtur sub peccato mortali procurare ut ante usũ rationis baptizẽtur. Vide ibid.

P*Arentes tenentur sub peccato mortali per se vel alios procurare suis parvulis ante usum rationis Baptismum*

Ratio est : Quia parentes jure Divino naturali sub peccato mortali tenentur providere prolibus de iis, quæ sunt necessaria ad salutem : Atqui Baptismus unicum est medium necessarium ad salutem ; Ergo tenentur providere & procurare ut baptizentur. Majorem probavimus tom. 2. tract. 5. tit. 4. quæst. 1. n. 4. Ubi probavimus primam obligationem parentum consistere in procuratione salutis prolium, & attulimus gravissimam illam sententiam S. August. l. 1. de Nuptiis & Concupiscentia c. 4. *Qui non hâc intentione, hâc voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi, in membra transferant Christi, &c.* (quod fit per Baptismum) *non est in eis vera pudicitia conjugalis* Vide ibi.

S. August.

Dixi (*ante usum rationis*) nimirum ob pericula mortis quibus ante discretionis annos exponuntur. & quibus periculis obviare tenentur parentes jure Divino naturali. Ut docuimus loco citato tomi 2. Tres porrò Conclusiones superpositæ docentur tamquam de fide à Concilio Tridentino sess. 7. de Baptismo, & sess. 5. de Peccato Originali.

Conclusio IV.

Ita baptizati tenẽtur ad Fidẽ & Legem Christianã cũ ad adultã ætatẽ venerint, nec possunt ab hac Obligatione resilire. Trident.

P*Arvuli ante usum rationis baptizati tenentur jure Divino naturali ad Fidem & universa Legis Christiana Observantiam, cùm ad adultam atatem venerint, nec in eorum potestate est ab hac Professione & Obligatione nullatenus resilire.* Ita Concilium Tridentinum sess. 7. de Baptismo per multos canones præcipue can. 14. *Si quis dixerit, parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos esse ; An ratum habere velint, quod patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt : &, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos ; nec aliâ interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia, aliorumq; Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant : anathema sit.*

Ratio verò Obligationis hujus parvulorum tam ad Fidem, quàm Observantiam Legis Christianæ, etsi actu proprio, nec Fidem professi fuerint, nec Legis Observantiam promiserint, sumitur ex tribus.

Probatur 1. Ex necessitate medii.

1. Ex necessitate Baptismi tanquam medii ad salutem, (ad quem suscipiendum jure Divino Obligantur parvuli ab instanti conceptiones) & consequenter, ex necessitate eorum quæ Baptismum necessariò consequuntur. Unde sic argumentor : Ad illud non minùs obligatur homo jam sui conscius, & in sua libertate constitutus ; quàm obligaretur dum erat extra statum omnem liberi arbitrii : Sed extra statum liberi arbitrii obligatur necessitate salutis ad Baptismum : Ergo multò magis cum sui conscius, & in sua liber-

tate

bertate constitutus est. Subsumo : Atqui qui obligatur ad Baptismum , Baptismo collato tenetur ex vi Baptismi ad Fidem & Legem Christianam , cum Observationis eius capax fuerit : Ergo parvulus baptizatus , eum ad annos discretionis & liberi arbitrii pervenerit, tenetur ad Fidem & Observantiam Legis Christianae, quae ex Baptismo oritur.

2. Ex correlativa Obligatione parentum ad filios parvules.

2. Haec Obligatio Fidei & Observantiae Legis in parvulo baptizato oritur ex jure Divino naturali correlativo obligationis , quam habet parvulus ad parentes , & parentes ad parvulum ; sicque demonstrari potest. Parens jure Divino naturali tenetur providere filio in omni statu , etiam ante annos discretionis, ea , quae sunt necessaria ad salutem: Ergo filius in omni statu debet obedire & stare jure Divino & naturali iis , quae parentes ei providerunt , & omnibus quae sunt necessaria ad salutem: Subsumo : sed ante annos discretionis ei providerunt de Baptismo , tamquam necessario ad salutem : Ergo in omni statu , etiam cum ad annos discretionis pervenerit , obedire & stare debeat Baptismo sibi proviso , & iis quae Baptismum necessariò consequuntur , quae sunt Observantia Fidei & Legis Christianae.

DICES : Si parens voto obtulerit puerum Religioni ante annos discretionis , cum puer ad annos illos pervenerit non tenetur voto parentis ; Ergo nec puer perveniens ad annos discretionis tenebitur ad Baptismi Obligationes , quibus ex voluntate sola parentis ante annos discretionis in Baptismo obligatus judicatur. Resp. negando consequentiam & paritatem : Religio enim non est necessaria ad salutem, & ideò puer, cum ad annos discretionis pervenerit, potest resilire à voto & promisso parentis: Baptismus autem est medium necessarium ad salutem , ideoque praesupponitur puer illum omni statu velle , quem non potest justè non velle , & qui omnino sibi necessarius est. Et huc referri debet justitia sponsionis patrinorum : Sicut enim tenetur parvulus , qui sub tutoribus est , sponsionibus à tutoribus factis in rebus justis necessariis, & utilibus : sic tenetur stare sponsioni factae à patrinis in re justissima , utilissima & summè necessaria,

3. Ex vi charactere is.

3. Haec Obligatio sumitur ex vi characteris, Quemadmodum enim qui circumcidebantur in carne debitores erant universae Legis faciendae, juxta illud S. Pauli ad Gal. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se* , (id est subeunti circumcisionem) *quoniam debitor est universae Legis faciendae* : Ita multò magis dicendum est de Baptismo , ob characterem spiritualem indelebilem , quòd qui baptizatur debitor est & Fidei & Christianae Legis observandae : Unde & ad Galatas 3. dicitur : *Quicumque in Christo baptizati estis , Christum induistis &c. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu &c.* Quae Apostolus ad Romanos c. 6. ex ratione servitutis justitiae amplissimè demonstrat ; & ad Ephes. 1. Christiani dicuntur *signati Spiritu promissionis sancte.*

Ad Gal.5.3

Gal.3. 27. 28.

Rom.6.

Ephes.1.13

TITULUS IV.

De obligatione Hominis Christiani, ex vi 3. Pacti impliciti, ad Legis Christianae Observantiam.

QUAESTIO I.

An Christianus ex vi Baptismi obligetur ad aliqua specialia Praecepta, ad quae caeteri homines, non Christiani, non obligantur?

CONCLUSIO I.

Christus Legem Evangelicā condidit multis Praeceptis constantē.

CHristus Dominus Legislator & Legifer noster dedit mundo Legem novam , quam Evangelicam appellant , multis Praeceptis constantem . à Lege Moysi condistinctam , eaque perfectiorem.

Conclusio est de fide Matth. ultim *Euntes* (inquit) *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus sancti : docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Ex quibus verbis constat Apostolos docuisse Mandata Legis novae , quae eis Christus tradiderat. Et haec est Lex , quae sub nomine Evangelii praedicari mandatur Marci ultim. *Euntes* (inquit) *in mundum universum , praedicate Evangelium omni creaturae.* De qua etiam Lege intelligendum est Isaiae cap. 33 Ubi de Christo Legislatore dicitur : *Dominus Iudex noster &c. Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster ; ipse salvabit nos.* Et supra : *Magnificatus est Dominus , implevit Sion judicio & justitiâ.* Et c. 2. *De Sion exibit Lex & verbum Domini de Jerusalem.* Et ad Hebraeos c. 1. Dicitur Deus nobis novissimè locutus in Filio , qui & ibi c. 2. ac 3. praefertur Moysi , quoad Legem & Legislationem. Unde & Concilium Trident. sess. 6. can 21. *Si quis dixerit , Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem , cui fidant , non etiam ut Legislatorem , cui obediant; anathema sit.*

Matth. 28.19. Vers.20.

Marci 16. 15.

Isa.33. 22.

Vers.5.

Isa.2.3.

Hebr 1.2. Hebr.c.2. & 3.

Trident.

Dixi (*Legem novam , quam Evangelicam appellant*) de qua Isaiae 42. *Ego* (inquit) *Dominus , hoc est nomen meum &c. Quae prima fuerunt , ecce venerunt ; nova quoque ego annuntio ; antequam oriantur audita vobis faciam; Cantate Domino canticum novum.* Et c. 43. *Ecce ego facio nova & nunc orientur &c.* Quae de Lege nova intelliguntur : Clarius Ezech. 36. *Dabo vobis cor novum & spiritum novum ponam in medio vestri &c. & faciam ut in praeceptis meis ambuletis , & judicia mea custodiatis & operemini.* Haec est Lex quae Joan. 13. vocatur *Mandatum novum.* Et quae Matth. 9. Marci 2. Lucae 5. comparatur *vino novo non mittendo in utres veteres.* Ad hanc etiam Legem novam pertinet *Testamentum novum* , de quo frequenter ad Hebrae. 8. 9. 10. Ubi & Christus dicitur: *Initiasse nobis viam novam per carnem suam* &c.

Isa.42.8. Vers.9.

Vers.10. C.43.19.

Ezech.36 26. Vers.27.

Joā.13.34. Mat.9.17. Marc.2.22. Luce.5.37 Hebr.8.9. & 10.v. 20.

Dixi

Dixi (*multis Præceptis constantem*) quæ vero sine illa inferius dicemus.

Dixi (*& à Lege Moysi condistinctam*) Unde
Rom.3.27 vocatur *Lex Fidei* ad Rom. 3. *Lex Spiritus vi-*
Rom. 8.2 *tæ*, ad Rom.8. *Lex Gratiæ*, Joan.1. *Lex per Moy-*
Ioan.1. 17 *sen data est gratia & veritas per Jesum Christum*
facta est: Vocatur & passim *Evangelium Regni*.
Unde de Lege Moysi quantum ad Ceremo-
niaiia & Judicialia dicit Apostolus ad Hebr.
Heb.7.12. 7. *Translato Sacerdotio necesse fuit, ut translatio*
Vers. 18. *Legis fieret reprobatione facta præcedentis Man-*
dati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem.
Præcedens enim mandatum dicitur *Testamen-*
tum vetus, quod quoad Ceremonialia & Judi-
cialia cessavit obligare.

Dixi (*eáque perfectiorem*) Ibidem ad Hebr.
Vers. 19. 7. *Nihil enim ad perfectum adduxit Lex: Intro-*
ductio vero melioris spei, per quam proximamus
Mat. 5.17. *ad Deum.* Et Christus Matth. 5 dicit se venisse
eam adimplere, ea ratione utique quod Lex
Moysi imperfecta esset & compleri debebat:
1. Quidem juxta Chrysost. hom. 16. in Matth.
S. Chrys. quoad ejus observantiam; *Nam de omni Lege*
Mat. 3. 15. *à se completa, audi quid dixerit Joanni*: Sine sic
enim decet nos implere omnem justitiam.
Rō.10. 4. 2. *Quia per nos quoque ad ipsum facit*, &c. Finis
enim Legis Christus ad justitiam omni cre-
Rom.8.4 denti: Et peccatum illum damnasse in carne,
ut justificatio Legis impleretur in nobis, qui
non secundum carnem ambulamus, *ait idem*
Rom.3.31 *Apostolus ad Rom. 8. & c. 3.* Legem ergo de-
struimus per fidem, Absit, sed Legem statui-
mus. Et alia ibidem prosequitur S. Chrysost.
& addit. 3. Christum Legem implevisse per
Præcepta quæ erat daturus: *Non enim* (inquit)
Chrysost. *interitus priorum, sed argumentum potius & com-*
plementum erant ea, quæ dicebantur à Christo:
Illius quippè sententia quâ dicitur: non occides
non interemptio, sed adimpletio magis atque mu-
nitio est dicere: Non irascaris.

CONCLUSIO II.

Christianus ex vi Baptismi tenetur ad præcepta L. n. à Christo vel Ecclesia data

CHristianus ex vi Baptismi tenetur ad om-
nia specialia Præcepta. quæ Christus in novo
Testamento dedit, vel per Ecclesiam nobis traden-
da disposuit.

Hanc Conclusionem probat S. Paulus ad
Roman. 6. *Quicumque* (ait) *baptizati sumus in*
Christo Jesu, in morte ipsius baptizati sumus:
Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum
Rom.6. 3 *in mortem, ut quomodo Christus surrexit a mor-*
4. *tuis, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Et
Vers. 17. infrà: *Gratias* (inquit) *Deo quod fuistis servi pec-*
Vers. 18. *cati obedistis autem ex corde in eam formam do-*
ctrinæ, in quam traditi estis. Liberati autem à
peccato. servi facti estis justitiæ. Ubi: *Ambulare*
in novitate vitæ: Obedire in formam doctrinæ, in
quam traditi sunt: Servi esse justitiæ. Nihil aliud
dicit: Quam observare mandata Evangelica,
Legis Gratiæ tradita à Christo. Unde in toto
capite 5. Matth. Christus Legem explicat, &
in nonnullis ampliat, ut ostenderet Obliga-
tionem quam habituri essent ejus discipuli si-
Mat.5.20. ve Christiani: *Amen* (inquit) *dico vobis: Nisi*
abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum
& Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælo-
rum. Et sæpiùs in Mandatis quæ proponit hoc
ipsum repetit: *Reus erit gehennæ ignis*, vel: *Non*
habebitis vitam in vobis, &c.

Hæc obligatio emanat ex professione fidei facta in baptis.

Et quidem hæc Obligatio immediatè ema-
nat ex Professione Fidei, quæ vel explicitè
vel implicitè fit in Baptismo: Hoc enim Fi-
des habet in adulto, ut doceat, moveat, ar-
guat, quæ sunt ipsius proprietates connatu-
rales: Illuminando enim docet: Movendo ad
Opera & mandata Fidei conformia, instigat:
Arguendo malefacientes, vel non observantes
Mandata condemnat. Unde asseveranter di-
xit Joann. 1. Epist. c. 2. *Qui dicit se nosse Deum,* 1Ioan.2. 4
& Mandata ejus non custodit, mendax est, &
in hoc veritas non est. & Jacobi 2. *Quid proderit* Jac. 2.14.
si Fidem quis dicat se habere, Opera autem non
habeat? Nunquid Fides poterit salvare eum. q.d.
Non & clarissime Matth. 7. *Non omnis, qui di-* Mat. 7.21.
cit mihi. Domine, Domine, intrabit in regnum
cælorum sed qui facit voluntatem Patris mei. qui
in cælis est ipse intrabit in regnum cælorum. Quid
est autem *facere Voluntatem Patris*, nisi serva-
re mandata, sive ut ibidem ait: *Qui audit Ver-* Vers. 24.
ba mea & facit ea.

Dixi in Conclusione (*quæ Christus dedit, vel*
per Ecclesiam nobis tradenda disposuit) Multa
enim Christi mandata ab Apostolis & Eccle-
sia nobis successu temporis tradita sunt, quæ
Christus Ecclesiæ oportunè tradenda relique- Joan16. 12
rat, juxta illud Joan. 16. *Adhuc multa habeo vo-* Vers.13.
bis dicere. sed non potestis portare modo: Cum au-
tem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos
omnem veritatem, &c. Et 1. Ad Corinth. 14. A-
postolus, ubi multa recensuit, quæ in Evan-
gelio non continentur, subdit: *Si quis videtur* 1. Corint.
esse Propheta aut spiritualis, cognoscat quæ scri- 14. 37.
bo vobis, quia Domini sunt mandata.

QUÆSTIO II.

Quæ sunt specialia Præcepta Christi, ad quæ te-
netur specialiter Christianus, quatenus
Christianus est?

COncilium Aquisgranense sub Stephano Concil. Aquisgranense.
Papa V. & Ludovico Pio Imperatore c.
114. meminit cujusdam difficultatis inter
fideles motæ, quasi Præcepta quæ in Evange-
lio dedit Christus solum obligarent Religio-
sos viam perfectionis sequentes: Unde & diri-
mens litem, longam deducit concatenatio-
nem Præceptorum, quæ ad omnes Christianos
extenduntur, separans breviter ea, quæ ut
Concilia prius erant data, & postea Religio-
sis ea foventibus per votum facta sunt Man-
data, & vim obligandi Mandatorum obti-
nuerunt, ab iis quæ universos Christianos ob-
ligant ex vi Status. Quia vero longior est
contextus & fastidium parit, materiamque
Consiliorum instructionum, & exhortatio-
num simul cum materia Præceptorum in mul-
tis confudit, conabor distinctius Præcepta
specialia in classes reducere.

CON-

Conclusio I.

Multa præcept. in Evang. à Christo addita sunt, aut explicantiùs proposita.

P*Lurima sunt Præcepta in Evangelio à Christo Domino sive addita sive ex præceptis Legis Divinæ naturalis dimanantia, & ab eodem expli- cantiùs proposita, quæ obligant Christianum specialiter ad culpam.* Hæc Conclusio indiget potius deductione, quam probatione; Unde & secundam Conclusionem subjungo.

Conclusio II.

Alia obligant Christianũ respectu Dei. Alia resp. proximi. Alia resp. Suipsius.

P*Ræcepta Christi in Evangelio triplici velut categoria assignari possunt:* Alia enim obligant Christianum *in ordine ad Deum*: Alia *in ordine ad proximum*: Alia *in ordine ad Seipsum*, quæ omnia sequentibus Paragraphis explicantur.

§. I.

De Præceptis in Lege nova in ordine ad Deum Christianis impositis, vel per explicationem, vel per additionem.

Obligantia ad Deum. 1. Concernunt virtutes Theolog. 2. Sacrificii & Sacramentorum usum 3. virtutẽ Religionis

P*Ræcepta in Evangelio Christianos obligantia in ordine ad Deum sunt in triplici differentia:* Alia enim *Virtutes Theologicas, Fidem, Spem & Charitatem* concernunt: Alia *Sacramentorum vel Sacrificii novæ Legis ministerium vel usum*: Alia *Virtutem Religionis & Dei cultum*, quæ iterum numeris per ordinem dispositis breviter enumerantur.

De Præceptis concernentibus Virtutes Theologicas.

AD Virtutes Theologicas spectant.

Præcepta Fidei.
Mar.16.16
Ioan.3.18.
Ioan.6.29

I. *Quæ de Fidei Præceptis habentur.* Marci ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. qui non crediderit, condemnabitur.* Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus est; quia non credit in unigenito Filio Dei.* Joan. 6. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum*

Luc. 12. 8.
Matt. 10. 32.
Luc. 9. 26

Huc pertinent quæ de *Confessione externa Fidei* Luc. 12. Christus decernit: *Omnis* (ait) *quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei: Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei*: Quæ ferè eadem repetuntur Matth. 10. Generalioribus verò terminis proponuntur Lucæ 9. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua, &c.*

Vid. ibid.

De quibus omnibus, aliisque ad Præcepta Fidei pertinentibus plus satis tom. 2. tract. 2. tit. 1. & 2.

Præcepta Spei.
Heb, 11. 1.
1Pet. 7. 3.

II. *De Spe Theologica* non minora dantur Præcepta: Cum enim Fides ad Heb. 11. definiatur *Sperandarum Substantia rerum*: Et Apostolus Petrus 1. Ep. c. 1. affirmet: *Nos secundùm misericordiam Dei magnam regeneratos in Spem vivam*: Sicut Fidei Præcepta obligant quemlibet Christianum, sic & Spei, quæ in Fide fundatur. Unde & sæpiùs in Scriptura Fides pro Fiducia ponitur; Et Confidentia seu Fiducia in Christo ad salutem, ad exauditionem &c. requiritur; Confidentia autem aut Fiducia, etsi à Fide tamquam fundamento originem habeat, proprie tamen Spei effectus est. Præcepta Spei & ad Spem spectantia abundè à nobis explicata sunt loco supracitato tit. 3. & 4. videantur. *Vid. ibid.*

Præceptũ charitatis explicat Christus.
Matt. 22. 37. 38.

III. *De Præceptis Charitatis,* sive Dilectionis Dei, refertissimum est Evangelium: sæpiùs Christus explicans illud, quod Matth. 22. dicit: *Primum & maximum mandatum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Illud variis aliis Præceptis illustrat.

1. Excludens amorem propinquorũ & quom.
Mat. 10. 37
Lu. 14. 37.

1. Excludens amorem propinquorum, & eorum, qui nobis singulari titulo sunt juncti, in quantum vel Amori Divino præfertur, vel ei opponitur, aut ad Deum non ordinatur: Matth. 10. *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus*: Et: *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus*: & Lucæ 14. *Omnis qui venit ad me & non odit Patrem suum & matrem suam, & uxorem, & filios & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* In quibus vis Præcepti Dilectionis Dei continetur, ut nimirum juxta S. Gregor. Homil. 37. in Evang. Omnes parentes, amicos, vel quovis modo junctos Deo in Amore postponamus: Et in quantum eos *adversarios in Dei via patimur, odiendo & fugiendo nesciamus* *S. Grgor.*

Differen. amoris Dei omnibus præcepti & amoris perfectionis Religiosa.

In hoc enim Amor Dei necessarius, necessitate Præcepti Divini Christianos obligans, ab Amore perfectionis, qui in personis Religiosis reperitur, & est tantum concilii, distinguitur: Quod Amor Dei necessarius, necessitate Præcepti prohibeat propinquorum Amorem præferri Amori Dei, & mandet in casu, quo parentes aut propinqui nos aut ad peccatum inducant, aut ab Amore Dei, & observatione Mandatorum ejus nos retrahant, aut peccati nobis occasio sint, etiam aversione & odio quodam sancto eos prosequi & fugere: Amor verò perfectionis insuper consulat illos, etiam his seclusis, pro Amore Dei relinquere & deserere, juxta illud Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Mat. 19. 29

Excludẽs sollicitudinem temporaliũ & quomodo.
Matt. 6. 24
Vers. 25.

2. Adjungit Christus omnibus præceptum, excludens omnem sollicitudinem temporalium, in quantum similiter aut Amori Dei præfertur, aut nos ad peccatum pellicit: Matthæi 6. *Nemo potest duobus Dominis servire, &c. Non potestis Deo servire & Mammonæ &c. Ideo* (ait) *dico vobis, nolite solliciti esse, &c.* In quibus verbis, non omnem sollicitudinem damnat, sed eam, quæ à Deo subtrahit, & Mammonæ nos adhærere facit. Et quidem, Christianis omnibus Christus prohibet non possessiones, sed nimiam & iniquam sollicitudinem temporalium: Religiosis autem

Ezec. 27. & 28. c. avaritia, injustitia, &c. legendum est, c. 27. & 28. Ezechielis de Tyro. De luxuria vide prov. 7. Ubi mulier incitans adolescentem ad impu-
Prov 6.16 dicitiam: *Intexui* (ait) *funibus lectulum meum*
Vers. 17. *stravi tapetibus pictis ex Ægypto. Aspersi cubile meum myrrha & aloë, & cinamomo.* Et Amos
Amos 6.1. 6. *Væ qui opulenti estis in Sion*, &c. *Qui sepa-*
Vers. 3. *rati estis in diem malum, & appropinquatis solio iniquitatis: Qui dormitis in lectis eburneis, &*
Vers. 4. *lascivitis in stratis vestris*, &c. Ubi & tangit
Vers. 6. pauperum oppressionem: *Nihil* (inquit) *patiebantur super contritione Joseph.* Ita explicat S. Hieron. in cap. 3. Nahum. Qui & in c. 5. Amos
Amos 5.11 super illud: *Pro eo quòd diripiebatis pauperem:*
Hieron. *Unde* (inquit) *& pretio eorum; quæ rapiebatis & tollebatis à paupere, domos quadro lapide ædificastis, ut spoliantes homines, parietes marmoribus vestiretis. quas quia ædificastis de rapinis & pulchritudini & deliciis præparastis, repentina captivitate vel morte substracti non habitabitis in eis, &c.*

In inhumanitatem etiam in pauperes graviter Patres invehuntur: Basilius Homil. 7. in
Basilius. divites avaros. *Quid* (inquit) *miser judici respondebis? parietem vestis. hominem non vestis Equos phaleris ornas. fratrem tuum laceris amictum pannis aspernaris?* &c. Vehementius S.
Chrysost. Chrysost. Hom. 11. in Epist. S. Pauli ad Romanos: *Rapina* (ait) *& avaritia incumbit non paupertate pressus, non fame te ad id impellente; sed quo equi frenum, domus tectum, capita columnarum deaurentur: Hoc ipsum vero quantam gehennam meretur? Cum tu fratrem tuum in infinitas calamitates præcipitem agis? ut lapides ut domus tua pavimentum, ut animantium ratione carentium corpora exornes. Tène tam sollicitam alendi canis curam agere; hominem autem seu veriùs dicam, Christum ipsum propter canem ad summam famem adigi? Quid hac confusione pestilentius? Quid hac iniquitate lethalius? Quot tandem ignes fluvii ad hujusmodi animam depascendam satis esse possunt? Hem! Qui ad Dei similitudinem expressus est, pannosus indecorusq; jacet per tuam inhumanitatem: muli autem uxorem tuam portantes, tum autem pelles & ligna quibus tectum illud texitur, multo auro splendescunt: ac si sedile si scabellum conficiendum est, ubique aurum, ubique argentum: Christi autem membrum, isq; propter quem Deus de cœlo ad nos descendit, sanguinemque pretiosum effudit, avaritiâ tuâ ne necessarium quidem cibum habet. Et lectuli quidem argento undique cincti, undique ornati sunt; Sanctorum vero corpora, vel necessario operculo carent. ac tibi minoris fit ipse Christus, quam muli, quam lectus. quam sedile, quam scabellum.* Hæc Chrysostomus.

AD LECTOREM ET CONFESSARIUM.

A Pluribus lubens abstineo: Tu ergò advertе, nec Scripturas, nec Patres contemnendos: Sed in omnibus his attendenda esse peccata, ex quibus causantur, vel quæ comitantur aut consequuntur hujusmodi, quæ ad Pompam Diaboli referuntur. Non damnamus utilitatem, decentiam, aliquam etiam pretiositatem, quæ justi & honesti limites non excedunt: Sed dicimus rarissimè ista usurpari, quin consequenter quæ enumeravimus peccata associata sint, vel omnia, vel aliqua ex istis. Fodiant, qui salvi fieri volunt, istum conscientiæ parietem cum Ezechiele, Ezec. 8.8.
& videbunt omnes, vel plures abominationes hujusmodi intra illum fieri.

§. III.

De Pompa Diaboli in Conviviis & Symposiis.

HIc pauca denuo sunt attendenda: Etsi enim Convivia etiam ad hilaritatem in Scripturis non improbeantur; imo celebrentur tamquam symbola amicitiæ & pacis, recreationisque honestæ velut irrig[illegible]a, ut Gen. 19. Gen. 19. 3.
fecit Abraham convivium angelis hospitio receptis. Et Gen. 21. in a[illegible]ctatione Isaac. Jud. Gen. 21.8.
14. Pater Sampsonis fecit filio convivium, & Jud. 14.10
alia in Scriptura obvia sunt, & tamquam honesta commendantur. Quia tamen & ipsa secum vehere solent multa peccata, idcircò & Scriptura & Patres in illa, ut in pompam Diaboli, invehuntur. Quod piissimus Job attendebat c. 1. *Qui cum in orbem transissent dies con-* Job. c. 5.
vivii filiorum cum sororibus suis (quæ sine dubio fuerunt convivia honestissima) *mittebat ad eos. & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis: dicebat enim: Ne fortè peccaverint filii mei, & benedixerint Deo in cordibus suis*, id est, ut Interpretes loquuntur: Ne maledixerint, vel male cogitaverint, aut male locuti sint de Deo. Solent enim Convivio incentiva esse multorum verborum, & consequenter multorum peccatorum.

RESOLUTIO

COnvivia, Commessationes, Symposia, ut Ob quæ Con-
Pompa Diaboli, & peccata mortalia, à vivia &c.
Scriptura & Patribus proscribuntur, ob sequen- censean-
tia potissimum: *intemperantiam, omnem termi-* tur inter
num honestatis excedentem, quæ non in solo Pompas di-
potus; Sed etiam in ciborum excessu evenire aboli.
potest: *ebrietatem, impudicitias, contentiones, detractiones, infirmitates*, quæ ex illis oriri, vel illa comitari solent, præter excessum ciborum in superfluo & pretioso apparatu: Unde injustitiæ, inhumanitas, & immisericordia in pauperes, ruina familiarum, &c. Quæ omnia sat
superque in singulari perstrinximus tom. 2, Vid ibid.
tract. 7. tit. 2. q. 1. & 2. Nec opus est hic diutius immorari.

De Convivio sancto & Christiano eleganter laconicè tamen S. Chrysost. Homil. 16. ex S. Chrys.
variis in Matthæum: *Epulis vestris intersit in facie prandeatur Authoris, honestate Convivium natura ipsa quæ nos producit honoretur, lætitia mensa vestra pertingat ad pauperes Christi, familia vestra innocentia tripudiet disciplina: absit ebrie-*

fit ebrietas, luxus abfistat, fugetur effusio, saltatorium pestis, leaeciaia canterum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragium mentis cum Herodiadis Convivio abscindantur, ut præsens gaudium vestrum ad lætitiam veniat sempiternam. Hæc ille.

§. IV.

De Pompa Diaboli in Theatris, Spectaculis, Ludis, Choreis, &c.

IN Spectacula Theatrica, Ludos, Choreas, &c. ut Diaboli verissimas Pompas, ita invehuntur Patres, & Ecclesiasticæ, imò & Imperiales Leges, ut sola etiam nomina Christianis abominanda videantur. Et de his igitur aliquid dicendum est.

DE THEATRIS & SPECTACVLIS.

Resolutio I.

Spectacula theatri casi turpitudinem, aut levitatem periculosam non continentia, licitè exhibentur.

SPectacula & Ludi Theatrorum, in quibus historia sive sacra, sive profana ad pietatem & virtutem excitantes, a moribus adolescentibus sive viris exhibentur (si turpitudinem aliquam & inhonestatem, aut levitatem periculosam non contineant) licitè, imo & honestè exhiberi possunt.

Ratio est: Quia præterquam quòd honestè ingenia in illis exerceantur, ad Pietatem, & virtutem, velut picturæ quædam efficaciores, animos alliciunt. Nec hæc unquam prohibita fuerunt, quippe quod de se & ex natura sua nihil inhonesti contineant, & in usu adhuc in Ecclesia Dei ad hæc usque tempora perseverent.

Dixi, *(si turpitudinem & inhonestatem aut levitatem periculosam non contineant)* Hoc enim sæculo miserando vix aliqua exhibetur sive Comedia, sive Tragedia, etiam ad pietatem & virtutem spectans, quin simul immisceantur velatæ turpitudines, aut levitates; quæ eo curiosius ingenia ad impura & vana pelliciunt, quo sub titulo liciti & decentis, ratione motuum & gesticulationum, quæ in illis exercentur, in animos incautæ Juventutis sive repræsentantis sive spectantis penetrant: Hi enim amores & cupidines dum fingere se putant, illis fortiùs animos infingunt, juxta illud Minutii Felicis in Octavio. *Mimus* (inquit) *vel exponit adulteria, vel monstrat, & enervis Histrio amorem dum fingit, infligit.* Docentur sæne adolescentes interdum in scholis, quæ nec grandævi discerent, ut tripudia, choreas, saltus, amantium mores & gestus, quæ dum in pueritia fictè didicerunt, & grandæviores facti duce realiter perpetrant, quæ in imagine sibi prius effinxerant. Quot inde peccata, quot lenocinia, quot impudicitias juventus imbibat, experientia docuit, pietas & modestia Christiana deflevit.

Minutius Felix in Octavio.

Resolutio II.

Si ad turpitudinē aut pecca. incitantia continentē, illicitè exhibentur & spectantur.

THeatrica Spectacula, & Ludi Histrionici, nec non Comedia, & Tragedia, in quibus, quæ ad turpitudinem aut peccatum ex natura & circumstantiis sive modis incitant, etiam fictè exhibentur, meritò ut peccata mortalia condemnantur, non modo in personis quæ exhibent, & ea repræsentant, sed etiam in iis, qui, ut Spectatores ad ea concurrunt quovis modo.

Rationes omnes Sanctorum Patrum & Legum Christianorum in unum collimant, ut illa condemnent: Quia talia Spectacula sunt causa gravissimorum peccatorum, quæ sive ab Actoribus, sive à Spectatoribus tunc vel posteà committuntur, suntque peccati incentiva vel actu vel proxima potentiâ.

Legendus est inter omnes Salvianus, l. 6. de gubernatione Dei: *In Theatris* (inquit) *nihil à reatu vacat, quia & concupiscentiis animus & auditu aures, & aspectu oculi polluuntur: Quis enim integro verecundiæ statu dicere queat, illas rerum turpium imitationes, illas vocum ac verborum obscœnitates, illas motuum turpitudines, illas gestuum fœditates? Quæ quanti sint criminis, hinc intelligi potest quod & relationem sui interdicunt.* — *Salvian.*

Ut ostendat autem Spectatores pollui: *Alia* (inquit) *omnia mala agentes polluunt, non Videntes vel Audientes: sola spectaculorum impuritates sunt quæ unum admodum faciunt & Agentium & Aspicientium crimen: nam dum spectantes hæc cōprobant, ac libenter vident, omnes ea visu atq; assensu agunt, ut verè in eos Apostolicum illud peculiariter cadat,* quia digni sunt morte, non solum qui faciunt ea, sed etiā qui consentiunt facientibus. Quæ omnia prosequitur sigillatim. — *Rom. 7. 32*

Et infrà Ponderant abrenuntiationem factā in Baptismo de qua alias tr. 1. tit. 2 q. 3. Et respondens excusationibus eorum, qui dicunt ista fieri & videri tantum ad risum & recreationem: *Nobis* (inquit) *ridere & gaudere non sufficit, nisi cum peccato & insania gaudeamus aisi risus noster impuritatibus, nisi flagitiis misceatur.* Infrà: *Rideamus quæso quamlibet immensuratim latemur quamlibet jugiter, dummodo innocenter.* Et ostendens quantum peccati sit in turpibus spectaculis ridere: *In spectaculis* (inquit) *quadā fidei apostasia est, & a symbolis ipsius & cælestibus Sacramentis lethalis prævaricatio. Quæ est enim ta Baptismo salutari Christianorum prima confessio? quæ scilicet? nisi ut abrenuntiare se diabolo ac Pompis ejus, atq; spectaculis & operibus protestentur?* Concludit: *Ergo spectacula ac pompæ etiam juxta professionem nostram opera sunt diaboli. Quomodo O Christiane spectacula post baptismum sequeris, quæ opus esse diaboli confiteris. Renuntiasti semel diabolo & spectaculis ejus, ac per hoc necesse est prudens & sciens dum ad spectacula remeas, ad diabolum te redire cognoscas.* Infrà: *Et ideo qui revertitur ad diabolum, relinquit Deum. Diabolus autem in spectaculis est & pompis suis, ac per hoc cum redimus ad spectaculum, relinquimus fidem Christi.* — *Salvian. ibid.*

Infrà: Catenam texit peccatorum quæ in talibus committuntur, vel cogitatione, vel re, vel

vel periculo: *Quidquid* (ait) *immunditiarum est, hoc exercetur in Theatris &c. Alibi est impudicitia, alibi lascivia, alibi intemperantia, alibi insania, ubiq; dæmon, imo per singula ludicrorum loca, universa dæmonum monstra. Præsident enim sedibus suo cultui dedicatis.* Hæc Salvianus. *S. Cyprian.* Legatur & Tertullianus, & Cyprianus in libris, quos de spectaculis inscripserunt.

Accipe porrò dictorum rationem non contemnendam Tertulliani de Spectaculis c. 17. *Tertul.* *Cur* (inquit) *liceat audire, quæ loqui non licet, ? Cum etiam scurrilitatem & omne verbum vanum a Deo judicandum sciamus: Cur æque liceat videre, quæ facere flagitium est? Cur quæ ore prolata coinquinant hominem, ea per oculos & aures demissa non videntur coinquinare? Cum spiritui appareant, aures & oculi, nec possit mundus præstari, cujus apparitores inquinantur.* Concludit: *Habes igitur & Theatri interdictionem, de interdictione impudicitiæ*, q. d. Ea de causa, quâ impudicitia interdicitur, interdicuntur & Spectacula, in quibus impudicitiæ exhibentur: Quod & ad alias immoderationes & mores pravos, qui in Comediis illis repræsentantur, referri potest.

Peccati etiam gravitatem denotant quæ legibus tam Ecclesiasticis quam civilibus de Spectaculis decreta sunt.

Synodus Constantinopolitan in Trullo. Synodus Constantinopolitana in Trullo celebrata & dicta inde Trullana: *Prohibet* (ait) *omnino hæc sancta Synodus universalis eos, qui dicuntur Mimi, & eorum spectacula: Denique venationum quoq; spectationes, easque, quæ fiunt in Scena, Saltationes perfici. Qui secus fecerit, si sit clericus deponatur, si laicus segregetur.*

Et Innocentius Papa Epist. 2. ad Victricium Episcopum Rothomagensem, c. 11. reddens rationem, cur curiales ad clericatum non admitterentur: *Innocent Papa.* *Constat enim* (inquit) *eos in ipsis muneribus* (*id est ministeriis*) *etiam voluptates exhibere, quas à Diabolo inventas esse non dubium est. & Ludorum & Minorum apparatibus aut præesse aut forsitan interesse.* *C. præter* Vide Gratianum d. 51. c. Præterea.

Histriones antiquitus infames habiti. Quin & Histriones & Theatrici infames antiquitus habebantur. Sumitur ex Cypriano Ep. 10. ad Eucratium l. 1. habetur apud Gratianum de Consecratione d. 2 c. Pro dilectione: Ubi Histrionem Christianum, licet artem histrionicam non exerceret: sed tantùm alios doceret *Cypr. cap. pro dilectione.* à cõmunione vult removeri: *Puto enim* (inquit) *nec Majestati Divinæ, nec Evangelicæ disciplinæ congruere, ut pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur.* *Justinianus.* Justinianus sane Imperator in Authentica interdicimus de Episc. & Cler. vitio & crimini adscripsit, si quis publicorum Spectaculorum Ludis interesset, & mulieres scenicas, quæ in spectaculis publicis se exhibent, declarat infames.

Dices: Si quis Spectaculis illis ad malum moveatur, fragilitati ejus est adscribendum, non Spectaculo, à quo poterat recedere, si suam fragilitatem agnoscebat, non vero Spectacula damnare. Respodet S. Chrysost. Hom. *Chrysost.* 1. in Psal. 50. *Audiant* (inquit) *curiosi, qui pulchritudines considerant alienas, audiant qui ex spectaculis insaniunt Theatralibus, qui ad excusandas excusationes in peccatis dicunt: Spectamus quidem, sed nil nocemur. David talis ac tantus læsus est & tu te putas non posse lædi? Ille nocumentum est passus, qui tantam haberet Spiritus gratiam, & te quomodo potero credere sine vulnere evasisse? Et ille quidem in solario domus suæ, tu autem in Theatro, ubi & locus condemnat animam sapientis; in quo cum tanta sint præcipitia, tanta corruptela, quomodo possum tibi credere, quod à talibus bestiis vulneratus non sis? Nunquid lapideus es aut ferreus, igni conjugeris, & non ardebis.*

AD LECTOREM ET CONFESSARIOS.

HÆc velim justâ trutinâ examinari, & Patrum rationes ad conscientiæ Lydium lapidem probari. Quamvis enim recreationes Lusus & subtilitates in se non sint malæ, aut omnino vituperandæ; mala tamen, quæ consequuntur, gravissima sunt. Quæ referre volui pro istis Tragœdis, Comedis, Joculatoribus, Mimis, Histrionibus, qui passim regiones, oppida & loca in nundinis & congregationibus circumeunt, quos constat non exhibere nisi impudica, lasciva, & ad mollitiem inducentia, imo & ad alias gravissimas malitias, quas videntes posteà sibi ex visis comminiscuntur. Unde excusare non possum à peccato mortali *Nota* Magistratus, & eos quorum interest, qui talia passim permittunt, cum eorum licentia illa fiunt, & sine quorum facultate non fierent: Et si spectatores in confessione benè examinentur, ne centesimum quidem innocentem reperies. S. August. certe aliud etiam notat non contemnendum tract. 100. ad c. 16 Joan. prout refertur à Gratian. d. 86. c. Donare: *Donare* (inquit) *res suas Histrionibus vitium est immane, & scitis de talibus quam sit frequens fama cum laude*: Quia laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur. *August. c. Donare. Ps. 9. 24.*

DE CHOREIS.

Resolutio I.

CHoreas aliquas honestas & licitas esse, & fuisse, Scriptura & antiquitas docet. *Choreæ aliqua hon. & licitæ.* Sic enim Exodi 15. laudatur Maria soror Moysis, quod sumpserit tympanum in manu sua, & *Ex. 15. 20* Choros cum mulieribus duxerit: Sic coram arca 2. Reg. 6. David saltasse scribitur. Ad idem *2. Reg. 6. 14.* Salomon Eccles. 2. dicit se sibi cantores & cantatrices fecisse. *Eccl. 2. 8.* Et nota quod quando dicuntur aliqui Choros ducere, per Ductionem vel Deductionem Chororum intelligi Choreas, sive saltandi modos & actus, ad numeros vocum tympanorum, &c.

Dico igitur: Chorea, prout est honestæ recreationis, gaudii, vel lętitiæ signum, actus licitus est, imò quandoque meritorius, ut de Maria sorore Moysi, & Davide Scriptura refert.

Reso-

Resolutio II.

Quando illicita.

CHorea, quatenus vel trepudiantem sive saltantem ad lasciviam excitat, vel spectantibus libidinis vel lasciviæ species immittit, pro ratione motus in tripudiante vel spectatoribus excitati, vel ex modo & circumstantiis excitabilis, ob proximum periculum peccatum mortale vel veniale erit. Peccatum quidem mortale, quando motus sunt mortales, vel periculum proximum peccati mortalis causant: Veniale verò, qnando sive in causa, sive in effectu tantùm veniales sunt.

Hæc ex præjactis in aliis Diaboli Pompis fundamentis manifesta sunt: Et Ratio fundamentalis est: Quia qui advertit, vel advertere debet se per aliquem actum dare causam mortalis peccati sive sibi, sive proximo, si ab illo non abstinet, peccat mortaliter: Atqui in Tripudiis istis, nostri maximè temporis, quæ magis ad lasciviam vergunt, quàm ad honestam recreationem, chorizantes ad minus debent advertere pericula proxima motuum carnalium in se & in proximis, sive simul chorizantibus, sive spectantibus: Ergo pro ratione causæ, objectorum, conditionis personarum, qualitatis & modi Saltationum & Trepudiorum, lasciviæ vel periculi emergentis censentur chorizantes peccare mortaliter, vel in materia levi venialiter.

In his verò non mentiatur iniquitas sibi, nec quærantur excusationes in peccatis: ad hoc enim sæculum istud per omnia miserandum devenit, ut vix inveniatur Chorea honesta, quæ honestatis conditiones (quas Angelus V. Chorea ad septem recitat) omnes habeat: *Adeòque* (ut inquit idem) *quia præfatæ conditiones non inveniuntur in Choreis nostri temporis, non video quomodo sine peccato mortali quis Choreas faciat ex consuetudine, sicut communiter fiunt.* Attulerat verò septem conditiones, quæ veriùs ad 4. reduci possunt. — *Angelus*

Conditiones honestæ Choreæ.

1. Ut fiat inter personas convenientes.

1. Conditio: Ut fiat inter personas convenientes: Prohibentur enim Choreæ personis Ecclesiasticis, Religiosis, &c. En tales chorizantes, ob scandalum quod causare possunt, peccant mortaliter, nec excusantur, nisi fortè ratione parvitatis materiæ, & circumstantiarum, quæ excludunt omnem scandali rationem.

2. Ut modus honestatis servetur.

2. Ut modus honestatis servetur: Ad excludendas gesticulationes, motus & modos qui ad lasciviam excitare solent.

3. Ut recta sit intentio.

3. Ut recta sit intentio; nimirum ad honestam recreationem, & in signum honesti gaudii, & lætitiæ, sive etiam ad honestam corporis exercitationem, & genii excitationem. Quā intentionem destruit omnis illecebra, lascivia, libido, scurrilitas &c.

4. Ut quis sit suæ fortitudinis conscius. *Angelus.*

4. Ut quis sit suæ fortitudinis & probitatis conscius: Si enim se ad illecebras fragilem & pronum sentiat, debet se omnino à similibus subtrahere. Quia, ut ibi Angelus: *Qui ita fragilis est, quod licet bonâ intentione chorizare incipiat, tamen non exit, quin ad libidinem mortalem provocetur, peccat mortaliter advertēs de tali sua fragilitate, se ingerendo: Quia Eccli. 3.* Qui amat periculum, peribit in illo. Hæc Angelus. — Eccl. 3. 27.

Definitio Choreæ.

Benè Choream, prout ad Pompam Diaboli pertinet, definivit quidam: *Chorea* (inquit) *est circulus, cujus centrum Diabolus, circumferentia omnes angeli ejus.*

§. 5.

De Lusu Alearum, Chartarum, &c. quatenus pertinent ad Pompam Diaboli.

Resolutio I.

Lusus Alearum &c. ex se nō est malus. *Angelus.*

LUsus Alearum Chartarum, Taxillorum &c. ex sui natura non sunt peccata, imò ex intentione potest quis honestè interdum illis vacare. puta: Ad recreationem, ad tollendum tædium, ad subtilitatem & ingenium demonstrandum. Ita Angelus V. Ludus n. 4. Et Ratio est: Quia nihil dici potest peccatum ex natura sui, nisi quod necessariò in se aliquam inordinationem continet, vel secum involvit: Nulla autem inordinatio per se in Lusu Alearum &c. continetur: Cùm fieri possit, ut dixi, gratis, vel modissimo pretio, vel meræ recreationis & exercitationis causâ.

Resolutio II.

Quatenus ordinariè secū involvit multa peccata, aut illorū periculū spectat ad Pompam Diaboli. *Angelus*

LUsus Alearum Chartarum &c. quatenus communiter & ordinariè secum involvit multa peccata, vel illorum grave periculum, pertinet ad Pompam Diaboli, & juxta rationem malorum quæ ex illo sequuntur, vel quorum periculo se ludens exponit peccat mortaliter vel venialiter.

Ita notat singulariter Angelus V. Ludus n. 3. Qui eâ ratione inter Ludos diabolicos Lusum Alearum refert: *Quia* (inquit) *operatione diabolicâ inventus est, ad inducendos homines ad peccatum.* Et hâc ratione ad Pompam Diaboli, cui Christianus abrenuntiat, pertinere manifestum evadit.

Can. 42. & 43. Apost. cit. à Grat. c. Episcopus. *Alvarus Pelagius.*

Lusum autem Alearum fuisse omnibus Christianis antiquitus prohibitum patet ex can. 42. & 43. Apostolorum, quos citat Gratianus d. 35 c. Episcopus: *Episcopus* (inquit) *aut Presbyter aut Diaconus Aleæ atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè damnetur; Subdiaconus autem, aut Lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut communione privetur. similiter, & Laicus:* In quibus verbis notat Alvarus Pelagius noster l. 2. de Planctu Ecclesiæ ar. 46. per verba *damnetur; communione privetur*, indicari peccatum mortale: per verbum autem *deserviens*, indicari consuetudinem, non actum unum, aut alterum. Et Concil. Elibertinum c. 79. *Si quis Fidelis Alea, id est Tabula luserit, placuit eum abstinere: Et si emendatus cessaverit, post annum poterit communione reconciliari* — *Concil. Elibert.*

Portò cùm causa talis prohibitionis sint peccata, quæ ex istis Lusibus sequuntur (quorum ratione illos Lussus ad Pompas Diaboli spe-

ctare diximus) Auctores infinita ferè contexunt. Alvarus Pelagius l. 2. de Planctu Ecclesiæ art. 28. septemdecim crimina, quæ ex Ludis Alearum, Charrarum, Taxillorum oriuntur, recenset: Nos ad pauciora prolixitatem evitantes reducemus.

Alvarus Pelagius.

Peccata ex Ludis Alearum &c. provenientia

1. *Jactura temporis, & bonorum operum:* His enim Ludis inescati noctes & dies vix ab istis Ludis abstinent.

2. *Jactura turpis bonorum temporalium:* His enim Ludis experientia constat aliquos infinitam pecuniam, in ruinam familiæ, rei domesticæ, & status proprii, aut perdere, aut periculo manifesto perdendi exponere, cùm sit meræ fortunæ Lusus: Imò eò insaniæ aliqui deveniunt, ut vestes proprias & corpora ludant &c.

3. *Lucrum injustum:* Cùm non arte, sed fortunâ, non legibus justè constitutis, sed solo ludentium enormi ausu aut cupiditate constituatur.

4. *Gravissimæ deceptiones & falsitates:* Quæ vel in ipsis Aleis & Tabulis fiunt, vel in modis & iniquis industriis; unde oriuntur furta, rapinæ, mendacia perniciosa, &c.

5. *Juramenta, blasphemiæ, execrationes, impatientiæ enormes*, quæ à perdentibus excitantur, quorum gravissima exempla & vindictas divinas vide apud Auctores.

6. *Violentia, pugnæ, homicidia, injectiones manuum non modo in alios, sed & in seipsos sæpe:* Neque enim desunt exempla eorum, qui se ex impatientia interemerunt.

7. *Ebrietates, nugæ, scurrilitates* & id genus quæ Ludum consequuntur. Alia minora prætermitto, quia cuilibet obvia sunt; Aleatores sanè infamiâ publicâ notatos ex variis juribus refert Alvarus Pelagius l. 1. de Planctu Ecclesiæ art. 49. Et quanta ordinarint leges contra Alearum Ludum tenentes, non sine admiratione vide apud Angelum V. Ludus n. 9.

Alv. Pelagius.

Angelus.

Qualiter autem acquisita per Lusum sint obligata restitutioni, non est hujus loci pertractare: nullus, meo judicio, meliùs, breviùs ac clariùs illam materiam conclusit, quam Angelus sub. n. 7.

Nota.

Notandum tamen ad æstimandam gravitatem peccati omnes antiquos communiter docuisse: Omnia per Ludos illos Alearum, Charrarum, &c. acquisita debere restitui, in pœnam, pauperibus: Quia injustè & legibus prohibito modo acquisita: Titulus autem injustus & illicitus non potest rem facere nostram. Quam sententiam etsi Moderni non sequantur, ostendit tamen quantum æstimaverint peccatum, istis Ludis aliena acquirere.

Ad Lectorem.

Plura possent hic ad Pompam Diaboli referri; sed quia ex dictis facilè colliguntur, filum abrumpo, unâ contentus Generali Conclusione.

Conclusio Generalis.

Omne quod ex se peccatum non videtur esse, imò alicujus liciti speciem gerit: si secum plura peccata velut causa, vel ut occasio, vel illecebra involvere soleat vel Opus est Diaboli, vel Pompa, cui abrenuntiavit Christianus.

Examen hominis Christiani, quâ Christianus est, super Pacto 1. Abrenuntiationis Satanæ.

Ex Pacto 1. quo Christianus in Baptismo abrenuntiat Satanæ, & omnibus Operibus ejus, & omnibus Pompis ejus, patet, quam diligentiam teneantur adhibere Christiani, ut conscientiam suam examinent, & integritati Confessionis sacramentalis satisfaciant.

1. Igitur examinet se Christianus: An à tempore sui Baptismatis nullam adhæsionem, vel directum vel indirectum commercium, sive convenientiam habuerit cum Dæmone: Quæ quidem haberi solent magicis signis, superstitionibus, remediis, opitulationibus, incantationibus, prædictionibus &c. De quibus latè tom 2. tract. 2. parte 3. art. 1. His etiam non rarò inficiuntur rustici simplices, armentarii, & animalium pastores, medici, chirurgi, & qui equorum curam gerunt, vulgò palafernarii & mariscali. Item astrologi judiciarii, imò & ordinarii dierum & temporum observatores, milites &c. *Vide ibid.*

2. Examen fiat de enuntiationibus nominis Diaboli: Quibus Dæmon invocatur, sive per imprecationem in nostrum vel alterius malum sive per adprecationem in aliquod commodum, sive compellationem in aliquod opus vel testimonium, sive denique per solam nominis usurpationem, etiam nihil enuntiantem. Ita enim horrendum & abominabile debet esse nomen Dæmonis Christiano, ut ab ore illius sit omnino ablegandum. Qualitatem peccati expende bene ex corollario doctrinali de Abrenuntiatione Satanæ suprà petitione 2.

3. Invigilandum est interdum Confessario, super specialibus operibus, quæ diabolicâ cooperatione diximus fieri, in quibus interdum etsi nulla appareat malitia ex parte operis, peccata tamen mortalia sunt ob solam Diaboli cooperationem: Ut fit in ludicris quibusdam actionibus, quæ ad recreationem Dæmone cooperante fiunt: Item in aliis, quæ exercentur ab iis qui se energumenos mentiuntur, aut sanctitatem aliquam ementiri & fingere per extases, raptus, &c. moliuntur. Attendendum etiam est super execrandis actibus, qui à voluptuosis quibusdam geniis adinveniuntur; & quæ melancolica ingenia Dæmone instigante sibi comminiscuntur, quæ ob abominationes & scandala, quæ ex ipsa similium peccatorum enarratione oriuntur, lubens modò taceo, fortè per occasionem alibi dictu-

dicturus, tantùm attendat Confessarius quæ suprà tit. 2. q. 2. concl. 3. dixi, & coroll. doctrinali annotavi.

4. Examinanda, quæ ex Vestimentorum Luxu, Pretiositate, superfluitate, Vanitate superius diximus originem ducere, cæteraque, quæ ad Pompam Diaboli docuimus pertinere: Quæ frustra hìc repeterentur, cum ratio & malitia peccati non possit bene distingui, nisi perpensis omnibus quæ à nobis superius sunt allata.

TITVLVS III.

De 2. Pacto, quo Christianus Professionem Fidei in Baptismo emittit.

QVÆSTIO I.

Quam Obligationem inducat Professio Fidei in Baptismo, vel nomine Baptizati emissa?

Ceremoniale.

QUemadmodum speciali Pacto Baptizandus publicè abrenuntiat Satanæ, & Operibus, & omnibus Pompis ejus (ut in Crensoniali trinâ interrogatione continetur,) in cujus virtute Crux oleo sancto Catechumenorum in ejus pectore formatur his verbis: *Ego te oleo salutis linio*; Et alterâ Cruce inter scapulas eodem oleo Insignitur his verbis: *In Christo Iesu Domino nostro, ut habeas vitam æternam. Amen.* Ut & toto pectore Christo adhæreat, & omnem adversitatem Crucis in nomine Christi patienter ferat: Eodem prorsus tempore immediato Professionem Fidei emittere debet sanctissimæ Trinitati si baptizari velit: Interrogat enim 1. illum Sacerdos de iis, quæ personam Patris contingunt: *Credis* (inquit) *in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ?* Et respondet per se vel procuratorem patrinum suum; *Credo.* Interrogat 2. de iis, quæ perinent ad personam Filii: *Credis in Jesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum, conceptum de Spiritu sancto, natum ex Maria Virgine, Crucifixum, mortuum & sepultum, descendisse in inferos, tertiâ die resurrexisse à mortuis, ascendisse ad cælos, sedere ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos?* Et respondet; *Credo.* 3. Interrogatur de iis, quæ pertinent ad personam Spiritus sancti: *Credis in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam?* Respondet: *Credo.* Quæritur itaque quam Obligationem hæc Professio inducat.

CONCLUSIO I.

Professio Fidei in Baptismo ex-

*P*Rofeßio Fidei in Baptismo facta à Baptizando, sive etiam Baptizato, obligant ad Fidem *Christi in omnibus tam expreßis in Scriptura, quàm traditis a Matre Ecclesia juxta uniuscujusque capacitatem & Statum discendam, firmiter tenendam, confitendam, & etiam cum vitæ detrimento & periculo conservandam, sub gravissimo peccato mortali infidelitatis*, sive per apostasiam, sive per schisma, sive per hæresim, vel per politicismum vel atheismum, sive per contemptum, voluntarium dubium, vel supinam ignorantiam oriatur. Ita Christus Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*: Sicut enim *sine Fide impossibile est placere Deo*, ita sine Fide impossibile est homini salvari. Singulariter autem Christianus obligatur ad Fidem, quia in Baptismo illam *tum explicitè, tum implicitè* est professus. Vide quæ ex Concilio Parisiensi 3. sub Lùdovico & Lothario citavimus tract. 2. tit. 1. q. 2. concl. 1.

plicitè vel implicitè facta obligat ad Fidem Christi juxta cujusque Statũ discendam. confitẽdã & cũ periculo vitæ conservãdam.

Marci 16. 16.

Ad Hebr. 11. 6.

Cõc. Parisiense 3.

Dixi vero *(tum explicitè tum implicitè)* Non enim sola Professio Fidei explicita & externa Baptizatum obligat; sed etiam ipsa susceptio Baptismi: Hoc enim ipso quo quis baptizatus est implicitè se obligat ad duo ista Pacta: Ut Diabolo renuntians Christo per Fidem & Legis Christianæ Observantiam adhæreat (ut docuimus loco immediatè allegato, ita ut non sit opus ampliori repetitione:) Ad hoc enim spirituali charactere omnes Baptizati insigniuntur, ut Obligationis Fidei, & Operum notam perpetuam deferant: Ad hoc character indelebilis est, ut Obligationem sciant esse perpetuam, quæ nulla potentiâ vel libertate aboleatur aut desinat. Vide quæ diximus tom. 2. tract. 2. tit. 2. per totum, de necessariis ad Fidem & peccatis ei oppositis.

Vide tr. 2. tit. 1. q. 2.

Vide ibid

CONCLUSIO II.

IN hac sive explicita sive implicita Fidei Professione fundantur omnes pœnæ, quibus tum Ecclesia, tum fidelis potestas adigit & adigere potest apostatas schismaticos, hæreticos, tamquã fœdifragos, ut ad Fidem & Ecclesiam revertantur. Vide quæ diximus tomo 2. tract. 2. tit. 2. sect. 3. quæst. 7. concl. 2. ne sæpiùs eadem repetamus.

In hac Professione fũdantur pœnæ, quibus Ecclesia adigere potest apostatas &c. Ut ad Fidem & Ecclesiam revertantur.

QUÆSTIO II.

An Obligationem ex Professione Fidei contrahat qui ante usum rationis in infantia est baptizatus?

RAtio dubitandi est: Quia parvulus nec Baptismum voluntarie suscepit, nec Professionem Fidei emittere potuit: Ex qua ratione colluvies multarum hæresum & hæreticorum prodiit: Quorum quidam parvulos ante usum rationis negarunt Baptismi capaces: Alii negarunt baptizari debere aut expedire: Alii asserverunt taliter ante usum rationis baptizatos non obligari ad Fidem Christi, & Legem Evangelicam, nisi in adulta ætate saltem ratificarent, sive ratum haberent suum

Baptismum, & professionem in illo eorum nomine à susceptoribus emissam.

Conclusio I.

Parvuli ante usu rationis capaces Baptismi & justificationis.

INfantes & parvuli ante usum rationis sunt capaces Baptismi & eius pracipui effectus, qui est justificatio & remissio peccati. Est de fide diffinita in antiquissimis Conciliis Carthaginensi 3. can. 48. Milevitano can. 2. Affricano sub Bonifacio I. can. 77. Gerundense can. 1. Tolet. 2. can. 2. Et novissimè in Tridentino sess. 5. de Peccato Originali can. 4. & sess. 7. de Baptismo can. 12. 13. & 14.

Cõcil. Carthagin. 3. milevitã. Affrican. Gerũdense. Tolet. 2. Tridẽtin.

Ratio verò est 1. Quia sunt capaces peccati, nimirum originalis, ergo & justificationis per Christum Dominum nostrum, juxta illud S. Pauli ad Rom. 5. *Si unius delicto mors regnavit per unum multo magis abundantiam gratia, & donationis, & justitia accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum: igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem; sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vita.* Certum est autem sub omnibus hominibus etiam parvulos contineri, quia verè homines sunt. Unde & Christus passim Marci 10. & Lucæ 18. *Sinite* (ait) *parvulos venire ad me talium est enim regnum Dei.* Et Marci 10. complexus parvulum benedixit. Unde argumentor: Parvuli (teste Christo) sunt capaces regni cælorum, ergò & remissionis peccati originalis: sed non nisi per Baptismum, ergo sunt capaces Baptismi: Sicut enim ipsi sub hoc decreto continentur (apud S. Leonem serm. 1. de Nativit Domini.) *Nemo mundus à sorde, neque infans, cujus est unius diei vita super terram:* Sic & hâc lege comprehenduntur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo ex aqua & Spiritu sancto renasci possunt, & sic ingredi in regnum cælorum.

Ad Rom. 5. 17. Vers. 18. Luc. 18. 16. Marci. 10. 14. Vers. 16. S. Leo. Ioan. 3. 5.

2. Non est infirmior Lex nova Lege veteri, imò potentior, sed in Lege veteri pueri ante usum rationis erant capaces Circumcisionis Genes. 17. & consequenter remissionis peccati per illam: Quia (ut ad Rom. 4. dicitur) *Circumcisio fuit signaculum justitia fidei*: Ergo multò magis in Lege nova pueri erunt capaces Baptismi, qui legem Circumcisionis adimplevit & perfecit.

Gẽ. 17. 12. Ad Rom. 4. 11.

3. Parvuli in Lege nova sunt capaces Martyrii, in quo est Professio quædam Fidei, ut de Innocentibus constat Matth. 2. Qui & Martyres ab Ecclesia habentur, & dicuntur *Fidem non loquendo, sed moriendo confessi*: Ergo multò magis Baptismi.

Matth. 2. 16. Ecclesia.

Conclusio II.

Ad illum obligãtur necessitate medii.

PArvuli ante usum rationis obligantur necessitate medii ad Baptismum suscipiendum. Est de fide Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Item ibid. *Oportet vos nasci denuò.*

Joan. 3. 5. Vers. 7.

Conclusio III.

Parentes tenẽtur sub peccato mortali procurare ut ante usu rationis baptizẽtur.

PArentes tenentur sub peccato mortali per se vel alios procurare suis parvulis ante usum rationis Baptismum.

Ratio est: Quia parentes jure Divino naturali sub peccato mortali tenentur providere prolibus de iis, quæ sunt necessaria ad salutem: Atqui Baptismus unicum est medium necessarium ad salutem: Ergo tenentur providere & procurare ut baptizentur. Majorem probavimus tom. 2. tract. 5. tit. 4. quæst. 1. n. 4. Ubi probavimus primam obligationem parentum consistere in procuratione salutis prolium, & attulimus gravissimam illam sententiam S. August. l. 1. de Nuptiis & Concupiscentia c. 4. *Qui non hâc intentione, hâc voluntate, hoc fine generant filios, ut eos ex membris hominis primi, in membra transferant Christi, &c.* (quod fit per Baptismum) *non est in eis vera pudicitia conjugalis* Vide ibi.

Vide ibid. S. August.

Dixi (*ante usum rationis*) nimirum ob pericula mortis quibus ante discretionis annos exponuntur, & quibus periculus obviare tenentur parentes jure Divino naturali. Ut docuimus loco citato tomi 2. Tres porrò Conclusiones superpositæ docentur tamquam de fide à Concilio Tridentino sess. 7. de Baptismo, & sess. 5. de Peccato Originali.

Conclusio IV.

Ita babtizati tenẽtur ad Fidẽ & Legem Christianã cũ ad adultã atatẽ venerint, nec possunt ab hac Obligatione resilire. Trident.

PArvuli ante usum rationis baptizati tenentur jure Divino naturali ad Fidem & universa Legis Christiana Observantiam, cùm ad adultam atatem venerint, nec in eorum potestate est ab hac Professione & Obligatione nullatenus resilire. Ita Concilium Tridentinum sess. 7. de Baptismo per multos canones præcipue can. 14. *Si quis dixerit, parvulos baptizatos, cùm adoleverint, interrogandos esse; An ratum habere velint, quod patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: &, ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos; nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistia, aliorumq; Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant; anathema sit.*

Ratio vero Obligationis hujus parvulorum tam ad Fidem, quàm Observantiam Legis Christianæ, etsi actu proprio, nec Fidem professi fuerint, nec Legis Observantiam promiserint, sumitur ex tribus.

Probatur 1 Ex necessitate medii.

1. Ex necessitate Baptismi tanquam medii ad salutem, (ad quem suscipiendum jure Divino Obligantur parvuli ab instanti conceptiones) & consequenter, ex necessitate eorum quæ Baptismum necessariò consequuntur. Unde sic argumentor: Ad illud non minùs obligatur homo jam sui conscius, & in sua libertate constitutus; quàm obligaretur dum erat extra statum omnem liberi arbitrii: Sed extra statum liberi arbitrii obligatur necessitate salutis ad Baptismum: Ergo multò magis cum sui conscius, & in sua liber-

tate

bertate constitutus est. *Subsumo* : Atqui qui obligatur ad Baptismum, Baptismo collato tenetur ex vi Baptismi ad Fidem & Legem Christianam, cum Observationis eius capax fuerit: Ergo parvulus baptizatus, cùm ad annos discretionis & liberi arbitrii pervenerit, tenetur ad Fidem & Observantiam Legis Christianæ, quæ ex Baptismo oritur.

2. Ex correlativa Obligatione parentum ad filios parvulos.

2. Hæc Obligatio Fidei & Observantiæ Legis in parvulo baptizato oritur ex jure Divino naturali correlativo obligationis, quam habet parvulus ad parentes, & parentes ad parvulum; sicque demonstrari potest. Parens jure Divino naturali tenetur providere filio in omni statu, etiam ante annos discretionis, *ea*, quæ sunt necessaria ad salutem: Ergo filius in omni statu debet obedire & stare jure Divino & naturali iis, quæ parentes ei providerunt, & omnibus quæ sunt necessaria ad salutem: *Subsumo* : sed ante annos discretionis ei providerunt de Baptismo, tamquam necessario ad salutem: Ergo in omni statu, etiam cum ad annos discretionis pervenerit, obedire & stare debeat Baptismo sibi proviso, & iis quæ Baptismum necessariò consequuntur, quæ sunt Observantia Fidei & Legis Christianæ.

Dices : Si parens voto obtulerit puerum Religioni ante annos discretionis, cum puer ad annos illos pervenerit non tenetur voto parentis; Ergo nec puer perveniens ad annos discretionis tenebitur ad Baptismi Obligationes, quibus ex voluntate sola parentis ante annos discretionis in Baptismo obligatus judicatur. Resp. negando consequentiam & paritatem: Religio enim non est necessaria ad salutem, & ideò puer, cùm ad annos discretionis pervenerit, potest resilire à voto & promisso parentis: Baptismus autem est medium necessarium ad salutem, ideoq; præsupponitur puer illum omni statu velle, quem non potest justè non velle, & qui omnino sibi necessarius est. Et huc referri debet justitia sponsionis patrinorum: Sicut enim tenetur parvulus, qui sub tutoribus est, sponsionibus à tutoribus factis in rebus justis necessariis, & utilibus: sic tenetur stare sponsioni factæ à patrinis in re justissima, utilissima & summè necessaria.

3. Ex vi characteris.

3. Hæc Obligatio sumitur ex vi characteris, Quemadmodum enim qui circumcidebantur in carne debitores erant universæ Legis faciendæ, juxta illud S. Pauli ad Gal. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se*, (id est subeunti circumcisionem) *quoniam debitor est universæ Legis faciendæ*: Ita multò magis dicendum est de Baptismo, ob characterem spiritualem indelebilem, quòd qui baptizatur debitor est & Fidei & Christianæ Legis observandæ: Unde & ad Galatas 3. dicitur: *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis &c. Omnes enim vos unum estis in Christo Jesu* &c. Quæ Apostolus ad Romanos c. 6. ex ratione servitutis justitiæ amplissimè demonstrat; & ad Ephes. 1. Christiani dicuntur *signati Spiritu promissionis sanctæ*.

Ad Gal. 5. 3. — Gal. 3. 27. 28. — Rom. 6. — Ephes. 1. 13.

TITVLVS IV.

De obligatione Hominis Christiani, ex vi 3. Pacti impliciti, ad Legis Christianæ Observantiam.

QVÆSTIO I.

An Christianus ex vi Baptismi obligetur ad aliqua specialia Præcepta, ad quæ cæteri homines, non Christiani, non obligantur?

CONCLUSIO I.

Christus Legem Evangelicã condidit multis Præceptis constantẽ.

CHristus Dominus Legislator & Legifer noster dedit mundo Legem novam, quam Evangelicam appellant, multis Præceptis constantem, à Lege Moysi condistinctam, eâque perfectiorem.

Conclusio est de fide Matth. ultim. *Euntes* (inquit) *docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Ex quibus verbis constat Apostolos docuisse Mandata Legis novæ, quæ eis Christus tradiderat. Et hæc est Lex, quæ sub nomine Evangelii prædicari mandatur Marci ultim. *Euntes* (inquit) *in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* De qua etiam Lege intelligendum est Isaiæ cap. 33. Ubi de Christo Legislatore dicitur: *Dominus Iudex noster &c. Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster; ipse salvabit nos.* Et supra: *Magnificatus est Dominus, implevit Sion judicio & justitiâ.* Et c. 2. *De Sion exibit Lex & verbum Domini de Jerusalem.* Et ad Hebræos c. 1. Dicitur Deus nobis novissimè locutus in Filio, qui & ibi c. 2. ac 3. præfertur Moysi, quoad Legem & Legislationem. Unde & Concilium Trident. sess. 6. can 21. *Si quis dixerit, Christum Jesum à Deo hominibus datum fuisse ut Redemptorem, cui fidant, non etiam ut Legislatorem, cui obediant; anathema sit.*

Matth. 28. 19. — Vers. 20. — Marci 16. 15. — Isa. 33. 22. — Vers. 5. — Isa. 2. 3. — Hebr 1. 2. — Hebr. c. 2. & 3. — Trident.

Dixi (*Legem novam, quam Evangelicam appellant*) de qua Isaiæ 42. *Ego* (inquit) *Dominus, hoc est nomen meum &c. Quæ prima fuerunt, ecce venerunt; nova quoque ego annuntio; antequam oriantur audita vobis faciam; Cantate Domino canticum novum.* Et c. 43. *Ecce ego facio nova & nunc orientur &c.* Quæ de Lege nova intelliguntur: Clarius Ezech. 36. *Dabo vobis cor novum & spiritum novum ponam in medio vestri &c. & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis & operemini.* Hæc est Lex quæ Joan. 13. vocatur *Mandatum novum.* Et quæ Matth. 9. Marci 2. Lucæ 5. comparatur *vino novo non mittendo in utres veteres.* Ad hanc etiam Legem novam pertinet *Testamentum novum*, de quo frequenter ad Hebr. 8. 9. 10. Ubi & Christus dicitur: *Initiasse nobis viam novam per carnem suam &c.*

Isa. 42. 8. — Vers. 9. — Vers. 10. — C. 43. 19. — Ezech. 36. 26. — Vers. 27. — Joã. 13. 34. — Mat. 9. 17. — Marc. 2. 22. — Luc. 5. 37 — Hebr. 8. 9. & 10. v. 20.

Dixi

Conclusio I.

Multa præcept. in Evang. à Christo addita sunt, aut explicantiùs proposita.

P*Lurimæ sunt Præcepta in Evangelio à Christo Domino sive addita, sive ex præceptis Legis Divinæ naturalis dimanantia, & ab eodem explicantiùs proposita, quæ obligant Christianum specialiter ad culpam.* Hæc Conclusio indiget potiùs deductione, quam probatione ; Unde & secundam Conclusionem subjungo.

Conclusio II.

Alia obligant Christianũ respectu Dei. Alia resp. proximi. Alia resp. Suipsius.

P*Ræcepta Christi in Evangelio triplici velut categoria assignari possunt* : Alia enim obligant Christianum *in ordine ad Deum* : Alia *in ordine ad proximum* : Alia *in ordine ad Seipsum*, quæ omnia sequentibus Paragraphis explicantur.

§. I.

De Præceptis in Lege nova in ordine ad Deum Christianis impositis, vel per explicationem, vel per additionem.

Obligantia ad Deum. 1. Concernunt virtutes Theolog. 2. Sacrificii & Sacramentorum usum 3. virtutẽ Religionis

P*Ræcepta in Evangelio Christianos obligantia in ordine ad Deum sunt in triplici differentia* : Alia enim *Virtutes Theologicas, Fidem, Spem & Charitatem* concernunt : Alia *Sacramentorum vel Sacrificii novæ Legis ministerium vel usum* : Alia *Virtutem Religionis & Dei cultum*, quæ iterum numeris per ordinem dispositis breviter enumerantur.

De Præceptis concernentibus Virtutes Theologicas.

AD Virtutes Theologicas spectant.

Præcepta Fidei.

I. *Quæ de Fidei Præceptis habentur.* Marci ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit qui non crediderit, condemnabitur.* Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus est ; quia non credit in unigenito Filio Dei.* Joan. 6. *Hoc est opus Dei, ut credatis in eum*

Mar. 16. 16
Ioan. 3. 18.
Ioan. 6. 29

Huc pertinent quæ de *Confessione externa Fidei* Luc. 12. Christus decernit : *Omnis* (ait) *quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & Filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei : Qui autem negaverit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei* : Quæ ferè eadem repetuntur Matth. 10. Generalioribus verò terminis proponuntur Lucæ 9. *Qui me erubuerit & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua, &c.* De quibus omnibus, aliisque ad Præcepta Fidei pertinentibus plus satis tom. 2. tract. 2. tit. 1. & 2.

Luc. 12. 8.
Matt. 10. 32.
Luc. 9. 26
Vid. ibid.

Præcepta Spei.

II. *De Spe Theologica* non minora dantur Præcepta : Cum enim Fides ad Heb. 11. definiatur *Sperandarum Substantia rerum* : Et Apostolus Petrus 1. Ep. c. 1. affirmet : *Nos secundùm misericordiam Dei magnam regeneratos in Spem vivam* : Sicut Fidei Præcepta obligant quemlibet Christianum, sic & Spei, quæ in Fide fundatur. Unde & sæpiùs in Scriptura Fides pro Fiducia ponitur ; Et Confidentia seu Fiducia in Christo ad salutem, ad exauditionem &c. requiritur ; Confidentia autem aut Fiducia, etsi à Fide tamquam fundamento originem habeat, proprie tamen Spei effectus est. Præcepta Spei & ad Spem spectantia abundè à nobis explicata sunt loco supracitato tit. 3. & 4. videantur.

Heb. 11. 1.
1. Pet. 1. 3.
Vid. ibid.

Præceptũ charitatis explicat Christus. Matt. 22. 37. 38.

III. *De Præceptis Charitatis*, sive Dilectionis Dei, refertissimum est Evangelium : sæpiùs Christus explicans illud, quod Matth. 22. dicit : *Primum & maximum mandatum : Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Illud variis aliis Præceptis illustrat.

1. Excludens amorem propinquorũ & quom. Mat. 10. 37 Lu. 14. 37.

1. Excludens amorem propinquorum, & eorum, qui nobis singulari titulo sunt juncti, in quantum vel Amori Divino præfertur, vel ei opponitur, aut ad Deum non ordinatur : Matth. 10. *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus* : Et : *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus* : & Lucæ 14. *Omnis qui venit ad me & non odit Patrem suum & matrem suam, & uxorem, & filios & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* In quibus vis Præcepti Dilectionis Dei continetur, ut nimirum juxta S. Gregor. Homil. 37. in Evang. Omnes parentes, amicos, vel quovis modo junctos Deo in Amore postponamus : Et in quantum eos *adversarios in Dei via patimur, odiendo & fugiendo nesciamus*

S. Grgor.

Differen. amoris Dei omnibus præcepti & amoris perfectionis Religiosæ.

In hoc enim Amor Dei necessarius, necessitate Præcepti Divini Christianos obligans, ab Amore perfectionis, qui in personis Religiosis reperitur, & est tantum concilii, distinguitur : Quod Amor Dei necessarius, necessitate Præcepti prohibeat propinquorum Amorem præferri Amori Dei, & mandet in casu, quo parentes aut propinqui nos aut ad peccatum inducant, aut ab Amore Dei, & observatione Mandatorum ejus nos retrahant, aut peccati nobis occasio sint, etiam aversione & odio quodam sancto eos prosequi & fugere : Amor verò perfectionis insuper consulat illos, etiam his seclusis, pro Amore Dei relinquere & deserere, juxta illud Matth. 19. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Mat. 19. 29

Excludẽs sollicitudinem temporaliũ & quomodo. Matt. 6. 24 *Vers.* 25.

2. Adjungit Christus omnibus præceptum, excludens omnem sollicitudinem temporalium, in quantum similiter aut Amori Dei præfertur, aut nos ad peccatum pellicit : Matthæi 6. *Nemo potest duobus Dominis servire, &c. Non potestis Deo servire & Mammonæ &c. Ideo* (ait) *dico vobis, nolite solliciti esse, &c.* In quibus verbis, non omnem sollicitudinem damnat, sed eam, quæ à Deo subtrahit, & Mammonæ nos adhærere facit. Et quidem, Christianis omnibus Christus prohibet non possessiones, sed nimiam & iniquam sollicitudinem temporalium : Religiosis autem

tem, non tantum sollicitudinem prohibet, sed omnes etiam possessiones relinquendas cosulit.

3. Præcipiens potiꝰ omnia adversa pati quā illud præterire. Luc.14.27

3. Præceptum Amoris Dei adauget Christus, præcipiens potius omnia adversa pati quam mandatum Amoris præterire: In hoc consistit Præceptum de animæ odio, & perditione propter Christum: Item: *Qui non bajulat crucem & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Neque enim bajulatio crucis & sequela Christi ad solos pertinet Monachos, sed ad omnem Christianum spectat, etsi in actibus perfectionis & consilii, quæ consilia erant per Statum & Professionem Religiosis præcepta facta sint, & Monachos sive Religiosos obligent: Sunt verò actus Dilectionis à Christo universis Christianis sub Præcepto impositi, à quibus nemo excusatur: Quod utinam Christiani perpenderent, & oculi eorum aperirentur! De his particularius suis locis: Porrò videantur omnia, quæ à nobis dicta sunt primò Præcepto Decalogi, de Dilectione Dei.

De Præceptis novæ Legis concernentibus Sacramentorum usum.

ETsi in singulis Statibus nobis singulariter agendum sit de Sacramentorum singularium singulari necessitate, usu, administratione; pono tamen hic Præcepta generalia, quæ contingunt Sacramentorum omnibus necessariorum administrationum.

Præceptū Baptismi obligat. Joan.3.5.

I. De *Præcepto Sacramenti Baptismi* suscipiendi nemo ambigit, qui illud medium necessarium ad salutem novit, juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Unde etsi per modum medii, Baptismus omnes obliget: Ex illa tamen obligatione & medii necessitate varia eruuntur quæ Christianos jam factos sive Baptizatos per modum Præcepti obligant. 1. Enim parentes tenentur prolibus suis de Baptismo providere, & si non provideant, aut eorum negligentiâ vel culpâ puer non baptizetur, peccant mortaliter singulari peccato ex hoc præcepto. 2. Tenentur speciali Præcepto, & non tantum necessitate medii, proles fidelium ad adultam ætatem pervenientes petere Baptismum. Ex radice enim proles fidelium pertinent aliquo modo ad Ecclesiam, & non tantum necessitate medii, sed etiam ex vi Præcepti tenentur petere Baptismum. 3. Tenentur maximè hoc præcepto Pastores & Ecclesiæ ministri, in quos Apostolica cura est derivata, & distributa, quibus dictum est Matth. ultimo. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, &c.* Istud enim præceptum non tantùm ad Apostolos, sed ad quosvis successores derivatum est.

1. parentes ut curent proles suas baptizare

2. Proles fidelium ut adulti jā facti petant baptismum.

3. Patres.

Mat.28.19

Præceptū pœnitentia obligat in mortalela-.

II. Universale *Præceptum Pœnitentiæ* datum est à Christo omnibus Christianis peccato mortali actuali obnoxiis Matth. 4. *Pœnitentiam agite, appropinquavit enim regnum cælorum.* Et alibi: *Nisi Pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Præceptum autem Sacramentalis Confessionis & Absolutionis ejusque necessitatem, alibi deduximus ex verbis Christi Joann. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Vide tom. 1. titul. 1. quæstion. 12. concl. 1.

psos post baptismū, Matt.4.17 Luc. 13. 3. Joan. 20. 23. *Ibid.*

Præceptū de sumenda Eucharistia. Ioan.6.54

III. *Præceptum de S. Eucharistia* sumenda similiter à Christo Homini Christiano datum est Joann. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Cui aliud de dignè communicando ex traditione Christi subjungitur 1. ad Corinth. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: Qui enim manducat & bibit, indigne, judicium sibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.*

1 Cor. 11. 28. 29.

Præceptū de offerendo sacrif. Luc.22.19 1 Cor. 11. 23. &c.

IV. *Præceptum de Sacrificio* offerendo Lucæ 22. continetur, & ejus praxis & institutio ex traditione Domini repetitur. primo ad Corinth. 11. quod qualiter reciprocam ad fideles obligationem dicat, dicemus cum de Statu & Officio Sacerdotis agendum erit, cùm ad ejus Statum particularem res pertineat.

Præcept. de Confirmation. ut non negligatur. Act. 8. 14.

V. *Præceptum* aliquod de *Confirmationis Sacramento,* saltem ut non negligatur, ostendit Apostolorum Vigilantia, qui Actor. 8. longo itinere miserunt Petrum & Joannem, ut Baptizatis Samaritanis imponerent manus, ut acciperent Spiritum Sanctum: Quæ quidem impositio manus signum erat, quo Sacramentum Confirmationis conferebatur. De quo suo loco, ubi de Officiis Episcoporum nobis erit sermo.

Similiter de Extr. Unctione. Jac. 5. 14.

VI. *Præceptum* de *Extrema Unctione*, ut similiter non negligatur, colligitur ex verbis Jacobi cap. 5 *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c.* Cujus quidem Inductionis, & Orationis, & Unctionis necessitas indicatur, dum subditur: *Et si in peccatis sit, remittentur ei.* Cum enim effectus ille sit plerumque laborantibus ad mortem necessarius, indicat aliquam Præcepti necessitatem in subeunda Extrema Unctione, ut saltem non negligatur, aut contemnatur. De Sacramentis Ordinis & matrimonii nil ago, quia cùm liberam electionem Status particularis contingant, ad tractatus particulares Præcepta illa sunt referenda.

Vers. 15.

De Præceptis novæ Legis ad Virtutem Religionis spectantibus.

AD Virtutem Religionis, & Divinum cultum pertinent.

Præceptū Orationis Matth. 5. & 7. cap.

I. Quidem *Præceptum* est *Orationis*: Cujus qualitates, modum & necessitatem cum tam accuratè Matth. 5. & 7. cap. docuerit Christus, ex ejus necessitate Præceptum facilè colligi potest. Et nos latè deduximus tom. 2. tract. 4. quæst. 4. per totam.

II. *Præ-*

Præceptū Cultus Dominica. II. *Præceptum* est ex traditione Apostolica, *Sabbathi in Dominicam Translatio, ejusque Cultus*, vide quæ diximus tom. 2. tractat. 4. quæst. 1. & seqq.

Præceptū de non jurando. III. *Præceptum est de non jurando:* Cum enim tantum perjurium esset prohibitum, Christus Matth. 5. superaddidit: *Ego autem Dico vobis,*
Mat. 5. 34 *non jurare omnino, neque per Cælum, quia Thronus Dei est, &c.* Quod qualiter obliget, diximus tom. 2. tract. 3. tit. 1. & 2.

De Obedientia ad Ecclesiam Matrem.

Præceptū obediendi Ecclesiæ. Quia plurima sunt, quæ Christianum Hominem obligant ex institutione Ecclesiæ, unum est *Mandatum* Christi, super quo Ecclesiæ Sanctæ *Præcepta* fundantur,
Mat. 18. 17 Matthæ. 18. *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ipsa utique est,
1 Tim. 3. 15 ut ait S. Paulus, 1. Timoth. 3. *Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* De hoc iterum suo loco, ubi agemus de Ecclesiæ Vicario & præpositis.

§. II.

De Præceptis novæ Legis obligantibus Christianos in ordine ad Proximum.

Primum & universale mandatum quod à primo
Mat. 22. 39 *præcepto dilectionis Dei super omnia.* Secundum *vocat Christus Matth. 22. est:* Diliges Proximum tuum sicut te ipsum: *Quod quidem variis obligationibus & Mandatis explicatur & ampliatur in novo Testamento per Christum & Apostolos ex Christi institutione.* Ut sunt sequentia per varia Scripturæ loca dispersa. Matthæ. 7.
Mat. 7. 12. *Omnia quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Matth. 5. prohibetur non tantum homicidium, ut antiquitus, sed & qui-
Mat 5. 21. libet iræ sive vindictæ motus: *Audistis* (inquit)
Vers. 22. *quia dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis, qui irascitur fratri suo reus erit judicio: Qui autem dixerit fratri suo raca, reus erit consilio: Qui autem dixerit fatue, reus erit gehenna ignis.*

Ibidem prohibet vindictam & talionem:
Vers. 38. *Audistis quia dictum est: Oculum pro ocu-*
Vers. 39. *lo, & dentem pro dente: Ego autem dico vobis non resistere malo, &c.* Etsi enim hoc videatur consilii, in hoc tamen vim Præcepti habet, ut nullus sibi de Proximo assumat vin-
Rō. 12. 19. dictam, quam sibi & suis justitiæ ministris
Heb. 10. 30 reservavit Deus. Ad Roman. 12. & ad Hebr. 10. *Mihi vindicta, & ego retribuam; dicit Dominus.*

Mat. 6. 14. Demum variis in locis præcipit Remissionem injuriarum: Matth. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater*
Vers. 15. *vester cælestis delicta vestra: Si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vo-*
Mat. 18. 23 *bis peccata vestra.* Quod & insigni parabolâ
Jac. 2. 13. demonstrat. Matth. 18. & Jacobi 2. dicitur: *Judicium sine misericordia fiet, qui non fecerit misericordiam.* Et Epistolæ S. Pauli plenæ

sunt hujusmodi Præceptis ad Colos. 3. ad E- Col. 3. 13.
phes. 4. & alibi. In quibus non tantum mo- Eph. 4. 21.
tus iræ & vindictæ, sed etiam odii, rancoris, &32.
amaritudinis, indignationis, aversionis prohibentur. Et Matth. 7 ac Lucæ 6. Suspiciones Mat. 7. 1.
ac judicia temeraria de proximo profligantur: Luc. 6. 31.
Nolite judicare, & non judicabimini, nolite condemnare, & non condemnabimini, dimittite, & dimittemini, &c. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Et huc etiam pertinent Præcepta de non murmurando, detrahendo, calumniando, &c. quæ habentur tom. 2. tr. 9. tit. 4. per totum.

Quinimò præcipit Dilectionem inimicorum, Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, be-* Mat. 5. 44
nefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos. Et ut ostendat, quam illud necessario Christiano præcipiat, declarat ibidem hoc unicum esse signum, quo in materia Dilectionis distinguitur Christianus ab ethnico & publicano. Qualiter vero hæc omnia sint explicanda, & in quibus casibus, & in quo gradu peccati obligent, latissimè à nobis demonstratum est tom. 2. tractat. 2. 1. p. tit. 4. section. 2. per totam, nec possumus quidpiam addere, quod alicujus momenti sit, & ad doctrinam hanc pertineat.

§. III.

De Præceptis novæ Legis Christianum obligantibus in ordine ad seipsum.

Præcepta Novæ Legis ad seipsum his ferè *Præcepta*
clauduntur principiis & terminis. Cordis ad seipsū
ac Intentionis Candore & Puritate, Sensuum his concludtur.
ac Passionum Mortificatione, Operum Integritate, Pœnitentiæ Lavacro, Virtutum Exercitio.

1. *Cordis Puritas*, quam indicat con- *1 Cordis*
scientiæ Tranquillitas, Matthæ. 5. præcipitur: *Puritate*
Esto (inquit) *consentiens Adversario tuo citò, quam in-*
dum es in via cum eo: Ne fortè tradat te Ad- dicat con-
versarius judici, & judex tradat te ministro, scientiæ
& in carcerem mittaris: Amen dico tibi, non Tranquil-
exies indè, donec reddas novissimum quadran- litas.
tem. Quibus verbis, etsi juxta Patres, per Mat. 5. 52.
Adversarium modò homo, modò diabolus, Vers. 26.
modò etiam Deus intelligatur: Non minus tamen oportunè Conscientia accusans intelligitur, quâ nec homo inimicus, nec diabolus, nec Deus hominem, nisi per accusationes & remorsus Conscientiæ torquent, & Judici tradunt: Et Conscientia hominis in malè actis perpetuus hominis Adversarius est: Quæ nisi quietetur, 1. Tradit nos Judici, 2. Judex tradit nos ministro perpetuo torquenti. 3. In carcerem angustiæ perpetuæ tradimur, donec reddiderimus novissimum quadrantem, id est, donec à novissimo & minuto peccato nos expurgaverimus.

Et ex hac Conscientiæ quietè S. Joan. 1. Ep. c. 3. Probat Puritatem vel impuritatem cordis:

In

1Ioan.3.19 *In hoc* (ait) *cognoscimus quoniam ex veritate su-*
mus; & in conspectu ejus suadebimus Corda no-
Vers. 20. *stra. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum,*
major est Deus corde nostro, & novit omnia.
Vers. 21. *Charissimi, si Cor nostrum non reprehenderit nos,*
Vers. 22. *fiduciam habemus ad Deum, &c. quoniam Man-*
data ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita co-
ram eo, facimus: Quasi dicat: Ex motu Con-
scientiæ Puritatem vel impuritatem Cordis,
etiam coram Deo cognoscis, hoc est enim
in conspectu ejus suadere Corda: *Quoniam*
(inquit) *si Cor nostrum*, sive conscientia *nos re-*
prehenderit, sive se moveat adversum nos.
Certi debemus esse, aliquod peccatum esse
in nobis, etsi non advertamus. *Deus* enim
qui est Conscientiæ motor, *est major Corde*
nostro, & novit omnia. Nolo tamen hic timo-
res & melancolias & anxietates, & tristitias
accipere pro motibus Conscientiæ, ut nota-
vimus tom. 1. tract. 5. titul. 6. in fine. *Si* verò
Cor nostrum non reprehenderit nos, singulariter
fiduciam debemus *habere*, quòd observemus
Præcepta, & quod placitum est Deo, facia-
mus. Quod benè advertendum est. Et qui-
dem ad Romanos 2. describitur Conscien-
Rō. 2. 15. tia testimonium perhibens cogitationibus ac-
cusantibus & defendentibus. Et Paulus se cō-
Act. 24. 16. ram judice justificans Act. 24. *In hoc* (inquit)
& ipse studeo sine offendiculo Conscientiam habere
bonam ad Deum, & ad homines semper. Et 1. ad
1, Tim. 1. 5. Tim. 1. Charitas describitur: *De corde puro, &*
conscientia bona, & fide non ficta. Præcipitur igi-
tur omni Christiano habere cordis puritatem:
Mat. 18. 3. Unde & Matth. 18. *Nisi conversi fueritis, &*
efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum
cælorum.

2. Intentionis puritate. 2. Præcipitur *Intentionis puritas* sub si-
militudine oculi Matth. 6. *Lucerna corporis*
tui est oculus tuus, si oculus tuus fuerit simplex
Mat. 6. 22. *totum cor tuum lucidum erit*: *Si autem ocu-*
v. 23. *lus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum te-*
nebrosum erit; Si ergo lumen, quod in te est, te-
nebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Ubi
per oculum simplicem intelligit puram In-
tentionem, per oculum nequam Intentio-
nem pravam: Concludens quod quidquid
Christianus malâ vel obliqua intentione agit,
quantumcumque sit bonum, sine peccato
non fiat.

3. Sensuū & passion. mortificatione. 3. *Sensuum & Passionum Mortificatio de-*
mandatur, in iis maximè, quæ ad peccatum
incitant, sive quæ peccati incensiva sunt:
Matth. 5. Mortificatio oculorum: *Qui vide-*
Mat. 5. 28 *rit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœ-*
chatus est eam in corde suo. Iterum mortifica-
tio oculorum, pedis, manus, ubi dant ani-
Vers. 29. mæ offendiculum: *Si oculus tuus dexter scan-*
dalizat te, erue eum, & projice abs te: Quam
verò graviter istud præcipiatur, attende, ex
sequentibus: *Expedit enim tibi ut pereat unum*
membrorum tuorum, quam totum corpus tuum
mittatur in gehennam: *Et si manus tua scanda-*
lizat te, abscinde eam, & projice abs te, quæ
c. 18. 8. eadem repetit, & pedem adjungit c. 18. Ex
quibus disces quantum sit peccatum Immor-
tificatio Sensuum, quæ ad peccatum pertrahit,
& quanti debeat æstimari periculum pecca-
ti, & ad quid teneatur homo ut illud evi-
tet, si ob peccaminosum aspectum, tactum im-
pudicum, incessum ad peccatum expediret
potius oculum erui, manum pedemve abscin-
di. Unde & 1. ad Thessal. 5. præcipit Aposto- 1 Thess. 5.
lus non tantum à malo, sed ab omni specie 22.
mala abstinere. Mortificationem etiam lin-
guæ indicit Christus Matth. 12. Dum de om-
ni verbo otioso affirmat rationem reddendam Mat. 12. 36
in die judicii.

4. Præcipitur Christianis *Operum Puritas*, *4. operum*
seu Integritas Matth. 6. Ubi condemnatur *integrita-*
omnis eleemosyna, omnis oratio, omne jeju- *te.* Mat.
nium factum cum aliquo vanæ gloriæ sensu & 6. 1. &c.
consensu. Quinimò tantam requirit cordis &
operis Puritatem, ut omnem sollicitudinem
anxiam, à Christiano, homine proscribat, ibi-
dem: *Nolite solliciti esse*: Cujus peremptoriam Vers. 31.
causam dederat suprà dicens: *Nemo potest duo-* Vers. 24.
bus Dominis servire, &c. Non potestis Deo servi-
re & Mammonæ.

5. Præcipiuntur *Opera Austeritatis & Pœ-* *5. pœnitē-*
nitentiæ. Matth. 7. *Intrate per angustam por-* *tia lava-*
tam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit *cro.*
ad perditionem. Et alibi: *Nisi pœnitentiam ha-* Mat. 7. 13.
bueritis, omnes similiter peribitis. Huc perti- Luc. 13. 3.
nent mandata alia. *Qui non bajulat crucem* Lu. 14. 27.
suam, & venit post me, non potest meus esse disci-
pulus.

6. Præcipitur *Virtutum exercitatio* Matth. 7. *6. virtutū*
Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, ex- *exercitio.*
cidetur & in ignem mittetur, & ibidem mor- Mat. 7. 19.
tuam fidem damnans, quantumvis miracu-
lis illustratam: *Non omnis* (ait) *qui dicit mi-* Vers. 21.
hi Domine, Domine, intrabit in regnum cæ-
lorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.
Unde & excluduntur à regno, qui in no-
mine Christi prophetaverunt, & virtutes mul-
tas fecerunt: *Tunc* (inquit) *confitebor illis, quia* Vers. 23.
nunquam novi vos, discedite à me, qui operami-
ni iniquitatem.

Hæc sunt Præcepta quæ ad Christianos Christus in nova Lege dedit, quorum etsi plurima implicitè in aliis Præceptis Divinis tam naturalibus, quam positivis contineantur, vel ad illa reduci possint, explicantius tamen à Christo declarata sunt, ut videas Homo Christiane quantam Puritatem requirat à te Deus.

Dubium Incidentale.

An omnia superius relata sint stricta præcepta, & qualiter obligent?

Respond. 1. *Omnia quæ in superioribus sunt* *Multa jā*
relata, non sunt stricta præcepta. Respon- *relata non*
sio clara est, non enim omnia sub verbis præ- *sūt stricta*
ceptivis vel prohibitivis exprimuntur, quin & *præcepta*
aliqua sub verbis parabolicis, ut: *Si oculus tuus* Mat. 5. 29.
dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te,
quomodo

quomodo & de manu & pede loquitur, quæ ad literam rem illicitam continent, neque enim alicui particulari permittitur se mutilare, sicut nec occidere.

Sed exhortatio ad Præcepti perfectionem spectans magis animi præparationẽ quã Præcepti literalẽ effectũ requirens.

Resp. 2. *Multa sapere doctrinam & quamdam exhortationem ad Præcepti perfectionem pertinentem quæ magis animi præparationem, quam Præcepti literalem effectum requirunt.* Tale est; *Si quis te percusserit in unam maxillam, præbe illi & alteram:* Et · *Et, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicumq; te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo: Qui petit a te, da ei, & volenti mutuari à te, ne avertaris.* Hæc enim perfectionem quamdam Præcepti patientiæ continent: Ne quis nimirum malum pro malo reddat, sed etiam quilibet patiatur, & bonum pro malo retribuat juxta illud: *Charitas patiens est, benigna est, &c. Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Non igitur requirit ista à nobis Deus ad literam, neque enim percutienti militi alteram maxillam præbuit; quinimò ejus impietatem serio sermone demonstravit; sed animi charitate pleni & verè patientis perfectionem monstravit, in hoc ostendens, quo debeat animo Christianus in hujusmodi esse, & qua præparatione animi hujusmodi iniqua expectare & pati debeat.

Mat. 5. 39. *Vers.* 40. *Vers.* 41. *Vers.* 42. 1. Cor. 13. 4

Quædam ex relatis sũt Præcepta stricta vel æquivalentia Præceptis vel cõditionẽ & mediũ necessariũ ad salutem indicant.

Res. 3. *Omnia in superioribus, quæ vel damnationem æternam & exclusionem à regno minitantur, vel pericula peccati mortalis evitanda designant, sunt Præcepta stricta, vel æquivalentia Præceptis, vel conditionem aliquam & medium necessarium ad salutem indicant*, quæ valde sunt notanda. Explico: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis*: Præceptum strictum est, & obligat sub peccato mortali, nam ut ex Regulis discernendi peccata mortalia constat, ubicumque pœna æterna facienti decernitur, signum est mortalis peccati. Similiter: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te: Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Hoc æquivalet Præcepto, etiamsi non per verba Præcepti, sed per verbum, *expedit*, pronuntietur. Sensus est enim: Potiùs eligendum esse mutilari uno oculo, uno pede, una manu, quàm exponere se periculo gehennæ per mortale peccatum, quasi dicat: Eo ipso, quo vides mulierem ad concupiscendam eam, te periculo proximo peccati mortalis exponis: Non tantum ergo præcipio, ut oculum avertas, sed potiùs expediret illum eruere, quàm per illum & propter illum te exponere periculo peccandi mortaliter per mœchiam, vel fornicationem, aut concupiscentiam malam, cui decreta est gehenna & damnatio æterna.

Mat. 5. 22. *Vers.* 29.

Notẽtur Cõfessarii cõsciẽtiarũ palpatores qui occasiones proximas peccati permittũt sub titulo quod sine incõmodo auferri nequeant.

Notabilis sanè doctrina Christi Iesu, quam humanum ingenium sine injuria Christi & animarum damno alterare non potest: Audiat conscientiarum palpator & adulator Christus non permittit aspectum mulieris inducentem ad concupiscentiam ejus pravam, ob periculum proximum mortalis peccati & gehennæ, cui concupiscentia sola in animo retenta adjudicata est. Jam enim Christi sententiâ solo visu ad concupiscendum ordinato vel inclinato mœchatus es, jam gehennam promeruisti. Expende etiam illud: *Erue oculum & projice abs te. Abscinde manum vel pedem & projice: Expedit enim ut unum membrorum pereat, quam totum corpus mittatur in gehennam*: id est: Extrema potius tentanda & patienda sunt, ut est privatio oculorum, mutilatio pedis, vel manus vel cujusvis membri quam periculo peccati mortalis se exponere vel periculum subire: Ubi sunt qui *pulvillos sub unusq; cujusq; cubito manus consuunt*: Visus, auditus, tactus, familiaritates, cohabitationes, ex quibus cogitationes pravæ, delectationes pejores, modò concubitus illegitimi, & copulæ pessimæ non sequantur, si non omninò permittunt, occasiones tamen non auferunt, separationes non mandant, sub titulo quòd absque aliquo incommodo vel difficultate, hominum judicio fieri non possint. Dic mihi: Quid tibi tam conjunctum, tam necessarium tam decorum quam oculus? Si expedire judicet Christus ut proprios oculos eruas, si tibi sint occasio & causa concupiscentiæ carnalis, & mœchiæ internæ in corde. Dic (inquam) mihi, quam allegabis mihi æqualem causam; cur convictum, conversationem, cohabitationem, quæ tibi aspectuum, & lenociniorum & concupiscentiarum causæ sunt & immediata pericula, non possis relinquere? Vel quis Consiliarius, aut Confessarius tecum dispensare potest, ut ea continues, si expediat (Christi judicio) & oculum eruere, & cæcitatem eligere, in detrimentum luminis necessarii & decori, cujus privatio nobis & gravissimum detrimentum & deformitatem & pœnam, & velut opprobrium causat?

Ezech. 13. 18.

Dixi in responsione (*sunt Præcepta stricta*) Hæc autem cognoscuntur ex tenore & modo verborum, maximè si pœna statuatur.

Unde cognoscuntur æquipollẽtia præceptis.

Dixi (*vel æquipollentia Præceptis*) Hæc cognoscuntur, vel ex eo quod principalia Præcepta contingant, vel materiam ad peccatum & transgressionem Præcepti inducentem contineant, vel pœna transgressionis Præcepti stricti, quæ est damnatio æterna, per illa infertur. Præceptum est: *Non mœchaberis*: Addit autem Christus: *Si quis viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*: Hoc additũ: etsi verbis Præceptivis non proponatur, æquivalet tamẽ Præcepto, tum quia contingit Præceptum: *Non mœchaberis*, & est mentalis mœchia: tum quia significatur esse periculum proximum mœchiæ: Similiter: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehenna ignis*, Non est formale Præce-

Mat. 5. 27. *Vers.* 22.

ptum, aequipollet tamen Praecepto: Quia contingit Praeceptum, *Non occides*, estque explicatio ejus, & demum continet gehennae ignis poenam, quae non imponitur, nisi transgressoribus Praeceptorum strictorum & formalium.

Ioan. 3. 5. Dixi (*vel conditionem & medium aliquod necessarium ad salutem indicant.*) Tale est illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: Neque enim continet, respectu infantis, formalitatem Praecepti, cum infans non sit illius capax, sed continet medium necessarium, quod est remissio peccati originalis quae fit per Baptismum. Similiter: *Amen dico vobis:*

Mat. 18. 3. *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum caelorum*: Hoc non tam Praeceptum est, quam conditio & effectus Praeceptorum; aequivalet enim huic: *Nihil coinquinatum intrabit in regnum caelorum*; indicatque necessariam omnimodam munditiam, quam parvuli symbolo alias exposuerat: Erant enim parvuli (de quibus in Evangelio) circumcisi, & ideò liberi à peccato originali, & pariter à mortali & veniali, cujus adhuc per aetatem incapaces erant. Haec autem munditia effectus est Praeceptorum, vel Observationis perfectae Praeceptorum Poenitentiae & Satisfactionis impositae aut subeundae pro peccatis.

Et haec de Praeceptis & Observationibus Christianum Hominem concernentibus sint dicta, quae si claro oculo attendantur, Speculum clarissimum & perfectissimum sunt Hominis verè Christiani, quod modernae Christianitatis lugendas maculas studioso Lectori denudabit.

TRACTATUS III.

De Vicario Christi Pontifice Romano Ecclesiae visibilis visibili in terris Capite.

QUAESTIO SUMMARIA.

Quis agnoscendus sit in Ecclesia visibili Pontifex Summus, & Christi Vicarius?

CONCLUSIO.

Christi vicarius est qui Petro in primatu per Cathedram Romanam legitimè succedit.

ILle solus agnoscendus est Christi in Ecclesia visibili Vicarius & Pontifex Summus, qui Petro in Primatu, Potestate & Officio à Christo sibi promissis & traditis per Cathedram Romanam legitimè succedit. Patres hujus universalissimae & completae descriptionis lumen tori doctrinae adferent, si distinctè per Titulos & Quaestiones distribuantur & explicentur.

TITULUS I.

De Primatu Petri.

QUAESTIO I.

Quis dicatur Petri Primatus?

CONCLUSIO.

Primatus Petri est: Dignitas primaria post Christum petro collata.

PRimatus Petri est: *Dignitas Primaria, seu Primarii post Christum & supra Christum Ecclesiae Fundamenti, à Patre aeterno per Filium & Spiritum sanctum Petro collata.* Matth. 16.

Haec omnia constabunt si quis Scripturam penitùs expenderit: *Beatus es* (inquit) *Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.* Mat. 16. 17 Vers. 18.

Et quidem 1. Expende: Rationem totius Fundamenti Ecclesiae, in Petro supra Christum fundatae, fuisse Revelationem Fidei Christi, ejusque Fidei claram & publicam Confessionem: Ideo enim Petrus Gradum hunc Primariae Dignitatis accepit: Quia publicè primus confessus est: *Tu es Christus filius Dei vivi*: In hoc enim quod ait *Christus*, hominem confitetur juxta illud Ioan. 9. *Ille homo qui dicitur* IESUS: In hoc quod addit *Filius Dei vivi*, confitetur & aperit ipsius Divinitatem, quae latebat: Et si profundiùs attendas: Invenies & in his verbis Confessionem Fidei Sanctissimae Trinitatis: Confitendo enim *Filium Dei vivi* confitetur & Patrem: Confitendo *Christum* confitetur & Spiritum sanctum: Christum enim Unctum significat: Utique Unctum Spiritu sancto, sicut idem Petrus Act. 10. asserit praedicans Cornelio centurioni: IESUM (inquit) *à Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute* Qui & Isaiae 61. dicit: *Spiritus Domini super me, eò quòd Dominus unxerit me &c.* (*expeditur hic locus.* Vers. 16 Ioan. 9. 11. Act. 10. 38 Isai. 61. 1.)

2. Expende: Revelationem illam immediatè ad hanc Dignitatem & gradum processisse à Patre aeterno per Filium & Spiritum sanctum: *Beatus es* (ait) *Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in caelis est.* In quibus iterum

iterum verbis Christus testatur Fidem Petri, Fidem Ecclesiæ Catholicæ omnem excedere humanæ ratiocinationis limitem; sed solùm Primæ & æternæ Veritati inniti: *Quia* (inquit) *caro & sanguis non revelavit tibi*, quam
Joan. 1. 12. Fidem iisdem ferè verbis expressit Evangelista Joan. cap. 1. *Quotquot* (inquit) *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, iis, qui credunt in nomine ejus*: Ut autem Fi-
Vers. 13. dem veram designet, subdit: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*: Excludens hæreticos nostri temporis, qui (ut ait
In Epist. Judæ. Vers. 10. Judas Apostolus) *quæcumque ignorant, blasphemant, quæcumque autem tamquam bruta animalia norunt, in his corrumpuntur*. Et hæc est magnificentia Fidei Catholicæ, quòd immediatè à Patre Petro fuerit revelata, ut per Petrum & Successores in nos derivaretur. Attende autem mysterium: Quòd sicut Pater æternus in Baptismate Christi, quo initiabatur ad prædicationes, testimonium dedit filio Missione Spiritus sancti in Colum-
Mat. 17. 5. bæ specie super eum, voce delapsâ: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite*: Ita Filius Dei Christus Dominus, volens initiare suum in terris Supremum Vicarium Petrum, testimonium voluit dare Missionis & Dignitatis ejus, ex Revelatione facta à Patre æterno: *Beatus es* (inquit) *Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*: quasi dicat: Hic est, cui Pater revelavit, non caro, non sanguis: Hic est Simon Bar-Jona, id est, Filius Columbæ: quasi dicat: Huic Pater meus, Huic ego Filius, Huic Spiritus sanctus testimonium perhibet veræ Fidei & fidelis veritatis & Confessionis. Unde sanctus Hieronymus l. 3. Commentar. in cap. 18. Matthæi expendens illud *Bar-Jona*, quod
S. Hieron. significat ipso interprete Filium Columbæ: *Ergo* (inquit) *ex Confessione sortitur vocabulum, quod Revelationem ex Spiritu sancto habeat, cujus & Filius appellandus sit*.

Ex quibus agnosce Catholicæ & veræ Fidei sacra Symbola contra novantes & sectarios: Rugiant, blasphement, insaniant: Nulla vera Fides in Ecclesia, nisi quæ immediatè à Patre primò Petro, & per illum Successoribus & Ecclesiæ revelata est, testificata à Filio & Spiritu sancto. Nulla vera Fides, nisi quæ *Simoni*, qui interpretatur Obediens, & *Bar-Jona*, qui Filius Columbæ, revelatur: Duos enim habet comites necessarios vera Fides, nimirum: *Obedientiam*, quæ in *Simone*, & *Simplicitatem* purissimam, quæ in *Bar-Jona* Filio Columbæ insinuatur: Denique adulterina est Fides, quæ carnem & sanguinem sapit; & quæ ex sanguinibus, ex voluntate carnis, ex voluntate viri nascitur, ex Deo non est; à Patre revelata non est; ad Petri Confessionem non spectat; à Christo testimonium non accipit; hæretica est, diabolica est. Ad hanc limam tuam expende Fidem Christiane; ab hac lima tuum agnosce errorem ô Hæretice, & si signa majora vis,
2. Pet. 2. ad 2. Petri caput 2. recurre, ibique descriptiones tui & hæresum tuarum intuere.

3. Igitur in verbis suprà citatis advertendum est: Petro ex tunc Gradum Primatus assignatum fuisse, etsi Potestas tunc tantum promissa, non collata fuerit: *Et ego* (inquit) Matt. 16.
dico tibi: *Quia, tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: Ubi particulæ, *Dico tibi*: *& tu es Petrus*, quæ sunt præsentis temporis, collationem & declarationem actualem hujus Dignitatis & Gradus Primatus designant: Unde sanctus Hieronymus: *Mercedem* (inquit) *accipit vera Confessio*, quasi dicat, jam in ipso Confessionis S. Hieron. puncto mercedem accipit, utique primatum: Quod expressis verbis agnoscit etiam sanctus Ambrosius alludens ad hunc locum l. de Incarnatione cap. 4. *Petrus* (inquit) *Loci non immemor sui, Primatum egit, Primatum Confessionis utique, non Honoris, Primatum Fidei, non Ordinis*, id est, Locum accepit & S. Ambr. Gradum, & Primatum jam per Confessionem Fidei obtinuit: etsi necdum Primatus Honorem, qui sibi post Christi ascensionem reservabatur, necdum Ordinem Pontificatus suscepisset, quia nec Sacerdos, nec Episcopus consecratus erat, quem utique Ordinem in ultima cœna suscepit, ut plenam & universalem Jurisdictionem post resurrectionem acciperet, uti dicemus infrà.

QUÆSTIO II.

Quæ sint Primatus Petri Proprietates?

CONCLUSIO.

Tres sunt Primatus sancti Petri Proprietates: *Singularitas, Universalitas, Stabilitas inconcussa*. Hæc patebunt ex consequentibus. *Primatus Petri Proprietates sunt Singularitas, Universalitas, Stabilitas.*

QUÆSTIO III.

In quo consistat Primatus singularitas?

CONCLUSIO.

Singularitas, *sive Unitas Primatus, in hoc consistit, quòd uni soli Petro inter Apostolos hic primatus Dignitas, sive Gradus sit concessus*. Patet ex verbis Christi: *Et ego dico Tibi, quia Tu es Petrus, & super Hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: Ubi verba: *Tibi, Tu, Petrus, Hanc Petram*, Singularitatem tum Personæ, tum Primatus Indicant: In hoc enim quod ait: *Tibi, & Tu*, Personam designat: In hoc quod mutet nomen Simonis in *Petrum* & *Hanc Petram*, Pri- *Singularitas Primatus Petri consistit in Unitate Personæ, cui concessus est.* Mat. 16. 18.

marus Singularitatem, quem Ipse solus teneret, & in Successores derivaret, notare voluit. Unde sanctus Leo Ser. 3. in Anniversario Assumptionis suae, loquens in persona Christi: *Cum ergo* (inquit) *sim inviolabilis Petra: Ego Lapis angularis, qui facio utraque unum: Ego Fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere: Tamen Tu quoque Petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint Tibi mecum participatione communia: Et super Hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam: super Hanc* (inquit) *fortitudinem aeternum extruam templum &c.* Ibidem: *De toto mundo Unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiae Patribus praeponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes, multiq; Pastores sint, omnes tamen propriè regat Petrus, quos regit & Christus.* Quod etiam expendens Hypolitus Martyr Libr. de Consummatione mundi: *Princeps* (inquit) *Petrus, Fidei Petra, quem beatum judicavit Christus Deus noster: ille Doctor Ecclesiae, ille primus Discipulorum &c.* In hanc sententiam omnes Patres conspirant, quos vide citatos apud Controversiarum Scriptores, maximè Bellarminum l. 1. de Romano Pontifice cap. 10. & 11. Unicum mihi sufficit pro hac mea sententia Christi testimonium, qui, etsi omnibus Apostolis ligandi atque solvendi auctoritatem dederit, nulli tamen nomen Petrae & Fundamenti sibi proprium communicavit, nulli Claves absolute aut promisit, aut commisit, ut benè expendit sanctus Cyprianus de Unitate Ecclesiae, sanctus Leo Epist. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, & alibi. Nec te moveat quòd ad Ephesios 2. dicuntur *Fideles adificati super Fundamenta Apostolorum & Prophetarum*: Sicut enim Petrus non est Fundamentum, nisi per Christum & super Christum, sic nec Apostoli, nec Prophetae Fundamenta sint, nisi per Petrum & super Petrum. Acute Basilius 29. de Poenitentia: *Etsi Petrus Petra est, sed ut Petrus Petra est: Christus enim verè Petra est immobilis & inconcussa, Petrus verò, propter hanc Petram: Largitur enim Deus suas Dignitates non evacuans se, sed habens dat*; sic & de Apostolis respectu Petri philosophandum est, prout & latè sanctus Cyprianus suprà. Et quidem hanc Singularitatem Excellentiae probant infinitae praerogativae Petro singulariter in Scriptura attributae. Nam & Joann. 1. Andreae seniori praeponitur, & in prognosticon futuri pro Simone filio Jonae Cephas à Christo nuncupatur: Matth. 4. iterum in vocatione primus nominatur, & Lucae 5. Pluribus manibus in litore existentibus, in solam illam navim Christus ascendit, quae erat Simonis Petri, ex eaque sola populo praedicavit: Ibidem: *Soli Petro dicitur: Duc in altum*: Soli Petro praedicitur: *Noli timere, ex hoc eris homines capiens.* Vide sanctum Ambros. in Comment. ad cap. 5. Lucae haec omnia expendentem. Item Matth. 17. In solutione tributi, pro solo JESU, & Petro solvitur. Item: Matth. 10. Marci 3. Lucae 6. in numeratione Apostolorum inter omnes primus Petrus nominatur. Demum: Ubique Petrus in Evangelio Christi comes est, in transfiguratione, in suscitatione filiae Archisynagogi, in coena, in horto: Cui tanquam primo etiam Christus post resurrectionem apparuit, cui soli, ut super mare ambularet, concessit, cui soli manum porrexit, cui tandem soli pascendum gregem commisit: Quae omnia vide apud Patres & Commentatores non minùs verè, quàm eleganter explicata.

(Marginalia: S. Leo. — Hypolitus Martyr. — Bellarminus. — S. Cyprian. S. Leo. — Ephes. 2. 20. — S. Basilius — Joan. 1. 42 — Mat. 4. 18 — Lucae 5. 3. — Vers. 4. — Vers. 10. — S. Ambros. — Matt. 17. 26. — Mat. 10. 2. — Mar. 3. 16. — Luc. 6. 14.)

QUAESTIO IV.

In quo consistat Primatus illius Universalitas, sive Superioritas?

CONCLUSIO.

PRimatus Universalitas in hoc consistit: quòd totius Ecclesiae in se aedificationem complectatur, ita ut nullus sit in Ecclesia sive Apostolus, sive Propheta, Rex & Sacerdos, plebeus & nobilis, justus & peccator, qui in hoc Fundamento non subsistat, & hoc Fundamento non solidetur. Quod Christus apertè indicat his verbis: *Et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam*: Qui *Ecclesiam* dicit, omnes fideles, qui tamquam lapides vivi coaedificantur, comprehendit, ita ut, qui extra Fundamentum hoc Primatus Petri se agnoscit, extra Ecclesiam se esse agnoscat, necesse sit. Quod eleganter expressit sanctus Hieronymus Epist. 57. ad Damasum: *Cathedra* (inquit) *Petri communione consocior, super illam Petram aedificatam Ecclesiam scio: Quicumque extra domum hanc Agnum commederit, profanus est.* Et Tertull. libr. de Pudicitia: *Qualis es* (inquit) *evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem: Super te* (inquit) *aedificabo Ecclesiam meam.*

(Marginalia: Universalitas in totius Ecclesiae super aedificatione. — Mat. 16. 18 — S. Hier. 3. — Tertull.)

QUAESTIO V.

In quo consistat Primatus Stabilitas inconcussa?

CONCLUSIO.

PRimatus Stabilitas inconcussa in duobus consistit: In Doctrina Fidei infallibilitate: In Ecclesiae visibilis usque ad finem mundi continua Duratione. Hanc Conclusionem indicant verba Christi: *Super hanc Patram*, id est, super rupem, quae quati potest, concuti non potest; estque Ecclesia similis domui illi, quae Matth. 7. dicitur supra Petram aedificata, & *descendit pluvia & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat super Petram.* Quàm aptè verò Infalli-

(Marginalia: Stabilitas inconcussa in Doctrina Fidei infallibilitate, & Ecclesiae Duratione. — Mat. 7. 25.)

falibillitas Doctrinæ Fidei in Petro & Successoribus significetur accipe: *Et porta* (inquit) *inferi non prævalebunt adversus eam*: Quid portæ inferi? utique infidelitas, sive Pagana sit, sive Iudaica, sive hæretica, sive schismatica perfidia: sicut enim porta Ecclesiæ & salutis est Fides; ita porta inferi & damnationis est infidelitas: Audi dicentem Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus est*, Hæc est enim differentia inter opera mala, & infidelitatem aut hæresim quamcumque: Quòd Fides, non obstantibus malis operibus & peccatis, hominem intra Ecclesiam, si non merito, numero tamen contineat: Infidelitas autem sive hæresis hominem ab Ecclesiæ janua expellat, & portis inferorum devoveat. Accipe & ex aliis verbis Doctrinæ Fidei Infallibilitatem: *Super hanc Petrã*, id est, te Petrum & Petram *ædificabo Ecclesiam meam*: Si ergo Ecclesiæ Fides concuti non potest, nec Petri Fides concuti poterit; concusso enim fundamento totum ædificium concutiatur necesse est. Addo, quòd sicut ædificium concuti potest immobili fundamento concuti quidem potest, Petri autem Fides concuti nequaquam potest, quia firma Petra est. Benè S. Ambr. Serm. de Fide Petri: *Petra* (inquit) *dicitur, eò quòd primus in nationibus Fidei Fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemq; contineat*. Sed de his amplius infra.

Joan. 3. 18

S. Ambr.

TITVLVS II.

De Potestate Petri, ut Vicarii Christi.

QVÆSTIO I.

Quæ, qualisvè Potestas collata fuerit à Christo Petro, ut Vicario suo?

CONCLUSIO.

Describitur Potestas collata Petro ut Christi Vicario.

P*Otestas collata à Christo Petro, ut Vicario suo; Est Potestas Spiritualis, Ministerialis, Suprema & Universalis ad regendam in omnibus necessariis & oportunis Ecclesiam Dei, ad fidelium animarum salutem.* Singulas partes ad majorem distinctionem singulis quæstionibus prosequor.

QUÆSTIO II.

Cur Petri Potestas dicatur Spiritualis?

CONCLUSIO.

Spiritualis dicitur ad excludendam merè Temporalem.

P*Otestas Petri dicitur Spiritualis ad excludẽdam Temporalem meram*: Quemadmodum enim Christus, etsi esset Rex Regũ & Dominus Dominantium, abdicavit à se omnẽ usum Potestatis terrenæ, ita & à Vicario suo Petro. De abdicatione usus Temporalis Potestatis à Christo constat Joan. 18. *Regnum* (inquit) *meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri utique mei decertarent, ut non traderer Judæis, &c.* Iterum Matth. 22. Potestates dividens: *Reddite* (ait) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Iterum Lucæ 12. petenti: *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem* Respondit *Homo, quis me constituit Judicem aut divisorem inter vos?* Ubi Glossa ex S. Ambrosio: *Benè* (inquit) *terrena declinat, qui propter divina descenderat, nec judex dignatur esse litium, & arbiter facultatum, qui vivorum & mortuorum habet judicium, & meritorum arbitrium.* Unde nervosissimè S. Bern. l. 5. de Consid. ad Eugenium Papam carpit terrena judicia, quibus Apostolicam Sedẽ intricat Romana Curia: *Quid* (inquit) *dicit homo rusticanus ignorans Primatum suum, inhonorans Primam & præexcelsam Sedem, derogans Apostolicæ Dignitati: Itane imminutor est Dignitatis Servus, si non vult esse major Domino suo, &c. In criminibus* (inquit) *non in possessionibus Potestas vestra, quoniam propter illa, non propter has accepistis Claves regni cælorum prævaricantes utique exclusuri, non possessores &c.* Quę late prosequitur: Unde & Matth. 20. *Principes gentium* (ait) *dominantur eorum; & qui majores sunt, Potestatem exercent in eos: Non ita erit inter vos.* Quinimò acceperunt Apostoli duos Gladios instante passione, de quibus Christus dicebat: *Satis est*; sed imum exerente Petro ut servum Pontificis percuteret, dictum est illi: *Mitte Gladium tuum in vaginam.* Ubi Bernardus l. 4. de Consid. admonens Eugenium Papam: *Quid* (inquit) *tu denuò usurpare Gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam &c.* quæ prosequitur eleganter, sed verissimo & accuratissimo stylo.

Ioã. 18. 36.

Mat. 22. 21

Luc. 12. 13. Vers. 14

Glossa ibidem ex S. Ambr.

S. Bernar.

Mat. 20. 25.

Luc. 22. 38

Ioan. 18. 11

S. Bernar.

Dixi *(ad excludendam Temporalem meram.)* Aliqua enim Temporalis Potestas Petro competit in nonnulla temporalia, quatenus Spiritualibus sunt annexa, quæ & Spirituali directioni commissa sunt: Talis fuit Potestas Petri in Ananiam & Saphiram Act. 5. qui ad verbum Petri mortui corruerunt; cujus causam reddens S. August. sive Auctor libri de Mirabilibus sacræ Scripturæ: *Ideò* (inquit) *primus Ananias & Saphira in conspectu Ecclesiæ citò mortui sunt, ut Apostolica Auctoritas quanta esset ostenderetur, & quam magnum peccatum esset, quod oblatum est, iterum ab Ecclesia retrahere, monstraretur & cæteri exemplo ejus castigarentur.* Quam etiam rationem adfert S. Athanasius in Evangelium de Passione Domini, S. Basilius Serm. 5. De Institut. Monachorum, & alii.

In aliqua tẽporalia, quatenus Spiritualibus sunt ãnexa, & Spirituali directioni commissa, Petri Potestas se extendit.

Act. 5. 5.

S. August sive Auctor libri de Mirabilibus sacræ Script.

S. Athan.

S. Basil.

Porrò multa sunt, quæ Deo consecrantur & offeruntur, & Spiritualibus operibus ex intentione donantium & offerentium ita sunt annexa, ut directioni Ecclesiæ, & consequenter supremi Capitis subjiciantur, nec sine sacrilegio ab illius Potestate auferri queant. Talia sunt decimæ; bona Ecclesiis à fidelibus attributa; beneficiorum fructus, pensiones, præstimonia, spolia clericorum, mensæ pauperum, xenodochiorum, hospitalium;

Talia sũt decimæ bona Ecclesiarũ, beneficiorum, &c.

deposita sacra viduarum, egenorum, pupillorum, testamentorum pia legata; dotes matrimoniales in quantum sacramenti sacro contractu sunt sancitæ, &c. De quibus libri Decretalium sunt referti, & suis locis explicanda relinquo.

Imperatores dominiis temporalibus Pontifices decorarūt Gratianus.

Hic verò nolo quæstionem movere de potestate & Gladio temporali summorum Pontificum, maximisq; dominiis & possessionibus, quibus Caput Ecclesiæ visibile, summos Pontifices Imperator Constantinus decoravit, ut habetur apud Gratianum dist. 96. cap. 13. & 14. Ubi possessiones, dominia, terras, titulos, diadema, sceptrum, ornatus vestimentorum cum omni potestate Constantinus Silvestro I. obtulisse ad decorem Ecclesiæ, scribitur: Sicut & alii sequentes, utpote Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus ejus filius, &c. fecisse dignoscuntur: In his Petro Petri Successores non successerunt, sed potius Imperatoribus & Regibus, qui ea S. Petro & Ecclesiæ consecrarunt.

In his Petro nō successerūt sed potiùs Imperatoribus.

QVAESTIO III.

Cur Petri potestas dicatur Ministerialis?

CONCLUSIO.

Ministerialis dicitur, quia in Christi nomine & virtute exercetur & vim habet.

POtestas Petri ministerialis dicitur: *Quia in virtute primi Agentis Christi & ejus nomine non tantum exercetur, sed etiam in sola Christi virtute vim & effectum habet.* Hoc profitetur S. Paulus omnium nomine 1 Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei: Hic jam quæritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Et cap. 3. respondens ad quæstionem, qua quidam, ratione Baptismi, dicebant se esse Pauli; alii Apollo: *Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri* (inquit) *ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit.* Et in fine capituli omnia recapitulans: *Nemo* (ait) *glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, &c. Vos autem Christi, Christus autem Dei.*

1. Cor. 4. 1. Vers. 2. 1. Cor. 3. 4 Vers. 5 Vers. 21. Vers. 22. Vers. 23.

Dicitur verò potestas Petri, potestas ministerialis, ut excludatur Potestas Auctoritativa & Primaria Dei, & potestas excellentiæ, quæ est in Christo Jesu, Deo Homine, ratione cujus dicitur Patrem omnem potestatem dedisse Filio.

QVÆSTIO IV.

Cur Petri Potestas dicatur suprema.

CONCLUSIO.

Dicitur Suprema. 1. Quia superiorē in terris non habet. 2. Quia omnibus præsidet.

TRibus modis Potestas Petri dicitur suprema. 1. *Quia superiorem in terris non habet.* 2. *Quia omnibus præsidet*, Fidelibus quidem baptizatis actuali potestate & regimine, infidelibus autem, ut ad Ecclesiam adducantur, vel qui recesserint, reducantur. 3. *Quia omnes aliæ potestates humanæ certo modo vel ei subjiciuntur, vel ei subordinantur.* Unde & soli ipsi claves regni promissæ sunt, Matth. 16. Et cura totius Ovilis Joann. 21. Et ei soli mandatur Lucæ 22. ut confirmet fratres suos: Et à Sancto Dionysio cap. 3. de Divinis Nominibus, & ad Timoth. de Transitu Virginis, *Supremum Decus & antiquissimum columen* appellatur: & alibi: *Summus & Verticalis Apostolus* inscribitur: Et à Chrysostomo Homilia 55. in Matthæum: *Os & Princeps Apostolorum, vertexque totius consortii, Pastor ac Caput Ecclesiæ* nominatur. Nec abs re, cum supremum semper locum post Christi Ascensionem in cælum tenuerit: Act. 1. In reditu à monte Oliveti primus recensetur: Ibid. Matthæi electioni præest, eamque confirmat: Act. 2. Misso Spiritu sancto primus Evangelii mysteria reserat, primus prædicat, ita ut ad ejus prædicationem baptizatæ sint, & appositæ ad Christum animæ circiter tria millia: Act. 3. Petrus primum miraculum facit in sanatione claudi: Act. 4. Petrus omnium nomine in Concilio Judæorum comparet, Principibus Sacerdotum constanter prædicat eosque convincit: Act. 5. Ananiam & Saphiram condemnat: Et ibid. Ei, soli super omnes conceditur, ut umbra ejus ægrotos sanet: Act. 8. Petrus, ut Judex Supremus, Simonem Magum condemnat: ibid. Tamquam Caput Ecclesiæ cum Joanne mittitur, ut credentes Samaritas Ecclesiæ incorporet: Act. 9. Ut Ecclesiæ Rector Supremus Ecclesias visitat, ut fideles instruat, & confirmet: Ibid. Ad eum, etsi alii potestatem miraculorum haberent, ex Joppe miserunt Lyddam, ut veniens Tabitham suscitaret: Act. 10. Ei vocatio gentium è cælo tamquam Supremo Christi Vicario committitur, visione lintei in terram quatuor initiis submissi, in quo, ad designandos universos cōvertendos, erant quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cæli, omnia quidem immunda, cum mandato ut surgeret, occideret & manducaret, id est Ecclesiæ Dei incorporaret, ut facto patuit, dum ad Cornelium gentilem centurionem statim evocatus perrexit: Act. 15. Petrus, quæstione suborta de legalium observantia vel abrogatione, Concilio Jerosolymitano ut Supremus Ecclesiæ Pastor præsidet, & primus sententiam profert, quæ & approbatur: Ut autem Primatus sui Potestam confirmet: *Viri* (ait) *fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere.* Et ad Galatas 1. Paulus agnoscens Primatum Petri, postquam in Arabiam ad aliquam quietem post suam conversionē recessisset, ut rumor de ejus persecutionibus cessaret; antequam Officium Apostolatus sibi à Christo immediate commissum exequeretur: *Post tres annos* (inquit) *veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quatuordecim*: Hanc verò visitationem fuisse agnitionis, honoris, & reverentiæ, quâ Petrum Ecclesiæ Caput agnoscebat, nec injunctum Officium exequi convenire credebat

3. Quia omnes Potestates humanæ ei subordinantur.

Mat. 16. 19. Joā. 21. 16. Luc. 22. 32 S. Dionys. Chrysost. Act. 1. 13. Vers. 15. &c. Act. 2. 14. Vers. 41. Act. 3. 7. Act. 4. 8. Act. 5. 3. Vers. 15. Act. 8. 20. Vers. 14. Act. 9. 32. Vers. 38. Act. 10. 11. Act. 15. 6. Vers. 7. Gal. 1. 18.

credebat, nisi de sua missione Petrum edoceret, & ab illo placidaretur. Unde denuo exortis nonnullis difficultatibus Antiochiæ super Legalium observantia ad Concilium Hierosolymitanum profectus est, ut refert
Galat. 2. 1. ad Galat. 2. *Deinde* (ait) *post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam, &c. Ascendi autem*
Vers. 2. *secundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus: seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem, &c.* Ubi primo docet, quod quamvis esset certus de sua doctrina per revelationem Christi, nihilominus cum Petro, Joanne & Jacobo in Concilio conferre voluit, ut nimirum illa doctrina etiam auctoritate Petri & concilii approbaretur, & ne eam Pseudo-Apostoli repudiarent, si à Petro approbata non esset. Secundo: Ostendit, se nec à Petro, nec ab aliis
Vers. 6. doctrinam accepisse, (*Mihi enim* (inquit) *nihil contulerunt, qui videbantur aliquid esse*) sed tantùm approbationem & consensum, ut impedito Petro Hierosolymis & in Judæa circa conversionem Judæorum, Paulus ad gentium prædicationem præiret, quem posteà Petrus sequeretur. Hic enim advertendum est, Petrum non solum fuisse Apostolum Circumcisionis; nam, ut supra vidimus, prote-
Act. 15. 7. status est in pleno Concilio omnes scivisse, quod ab æterno Deus eligisset per os ejus gentes audire Evangelium, nec Paulum ita Præputii Apostolum fuisse, ut Petrum excluderet, sed Petri cooperatorem & coadjutorem in exercitio prædicationis fuisse, non in Primatu & Primatus Potestate; Quod enim
Galat. 2. 9. dicit ad Galat. 2. Quòd cum cognovissent Jacobus, Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ esse, gratiam, quæ data erat Paulo, dextras dedisse ipsi & Barnabæ societatis, ut in gentes, illi autem in Circumcisionem irent, &c. Distributio tantum fuit exercitii, tempore quo Petrus cum aliis in Judæa impediebatur, ut suprà dictum est. Arguunt hìc hæretici, quod ad Galat. 2. Paulus nominet Jaco-
Ibidem. bum ante Cepham: *Jacobus,* (ait) *Cephas & Joannes*: Sed dicendum est Jacobum primò nominasse ordine facti, quia Jacobus loci Episcopus primus susceperat Paulum, & ad Petrum adduxerat: Nisi mavis hìc servatum ordinem sessionis, cum enim Petrus in Concilio sederet medius inter Jacobum à dextris, & Joannem à sinistris, primus nominatus est Jacobus, demum medius Petrus, tandem Joannes: Accipe ut vis, neque enim torrenti aliarum omnium Scripturarum, perfunctoria hæc narratio potest obesse. Excuset tantam digressionem Lector.

QUÆSTIO V.

Cur Petri Potestas dicatur Universalis?

CONCLUSIO.

Dicitur univers. à personis — **P**Etri *Potestas dicitur Universalis à Personis subjectis, à loco, à tempore, à virtute.* Hanc enumerationem paucis sic declaro: Potestas enim omnes respicit fideles, ut in Ecclesia existentes, infideles, ut adducendos. Potestas Petri ad omnia loca extenditur, quia in omni loco Evangelium regni prædicabitur: Omnia demum tempora transgreditur, quia usque in finem mundi durabit: Omnem virtutem denique continet ad Ecclesiæ regimen necessarium & oportunum. *subjectis à loco, à tempore, à virtute.*

Porrò tam Supremitatem Potestatis Petri, quàm ejus Universalitatem egregiè ostendunt Patres passim, ut etiam Apostolorum & quorumcumque tam Superiorum, quàm Inferiorum regimen respiciat: Specialiter Eusebius Emissenus Sermon. in vigil. S. Petri ad illa verba Christi ad Petrum, Joann. 21. *Pasce* Joan. 21. 17. Eusebius Emiss. *Oves meas: Priùs* (inquit) *Agnos deinde oves ei commisit, quia non solum Pastorem, sed etiam Pastorum Pastorem eum constituit: Pascit igitur Petrus agnos; pascit & oves; pascit filios; pascit & matres; regit & subditos & Prælatos.* Hæc ille. Qualiter autem in omnibus regat, infrà de Officio Petri agentes repetemus. Qualiter etiam Petri Potestas excedat potestatem Apostolorum, singulariter ex quæstione superiori repetendum est.

TITVLVS III.

De Officio Petri ut Christi Vicarii.

QVÆSTIO UNICA.

Quale & quantum sit Officium Petri, ut Christi Vicarii.

CONCLUSIO I.

QUantum *Potestas extenditur, tantum Officium Petri Christi Vicarii, protendatur necesse est.* *Tantum Officium Petri extenditur, quantum potestas.*

Ratio est: Quia Potestas est fundamentum Officii, & Officium est finis, ob quem Potestas concessa est. Unde dixi suprà in Conclusione Quæstion. 1. Titul. præcedentis: Potestatem Petri referri ad administrandam Ecclesiam in omnibus necessariis, ad fidelium animarum salutem.

CONCLUSIO II.

POtestas *Petri non extenditur ad ea, quæ Lex Divina naturalis, aut Lex Divina positiva constituit, ut aliquid contrà statuat Petrus:* Vide quæ diximus tom. 2. tract. 1. tit. 7. qu. 3. fere per totam. *Non extenditur ad divinam, ut aliquid contra statuat, benè ut eam interpretetur. Ibidem.*

Dixi (*ut aliquid contrà statuat Petrus*) Potest enim Legem Divinam interdum interpretari, aut ubi est substrartum aliquod humanum dispensare, ut in aliquibus votis, ut diximus conclusione 3. Potest & à transgressionibus & peccatis contra Legem Divinam quamcumque absolvere, quia ab omnibus peccatis absolvit.

CON-

CONCLUSIO III.

Extenditur ad tria regimini ecclesiæ necessaria Ad ecclesiæ Conservationem Directionẽ: Defensionem.

OFficium Petri sicut & potestas ad tria potissimum extenditur, quæ regimini & administrationi Ecclesiæ sunt necessaria & oportuna. Nimirum: *Ad Ecclesiæ & animarum conservationem: Ad directionem: Ad protectionem & Defensionem:* Hæc sunt tria capita Officii pastoralis, Officii Regis, Officii Sacerdotis, quæ tria obtinet Primatus Petri.

CONCLUSIO IV.

Ad ecclesiæ Conservationem accepit Doctrinæ Infallibilitatem: Regiã Auctoritatem.

AD Ecclesiæ conservationem Christus tradidit Petro Doctrinæ infallibilitatem: Regiam vel quasi Regiam Auctoritatem: Sacerdotii sanctitatem: Quæ hic per Officia distribuo.

1. Enim *a doctrina infallibilitate* accepit Petrus Officium Scripturam veram ab apocripha secernendi; Articulos fidei necdum manifestos declarandi & definiendi; Controversias de fide definiendi & sopiendi.

2. *Ab auctoritate Regia vel quasi Regia* habet Petrus ex officio auctoritatem Magistratus ecclesiasticos & Ministros sufficientes constituendi & ordinandi, Concilia convocandi, eisque præsidendi, prout & fecisse legitur: Matthiæ enim electioni præfuit S. Petrus; Pauli missionem approbavit; Concilium Hierosolymitanum convocavit, & ei præsedit, ut in superioribus est dictum.

Sacerdotii Sãctitatem.

3. *Ex sacerdotii sanctitate* omnis administratio Sacramentorum Petro commissa est, & consequenter Ministrorum ad illa Ordinatio; Nec non sacrorum officiorum & rituum sacramentalium pro honore & reverentia Divini cultus institutio.

CONCLUSIO V.

Ad ecclesiæ Directionem accepit. Potestatẽ Legislatoris:

AD Ecclesiæ Directionem accepit à Christo Petrus potestatem Legislatoris: Sollicitudinem veri Pastoris: Charitatem amantissimi Patris.

Ratione potestatis Legislatoris officii ejus est Leges ferre; canones condere; Constitutiones & Decreta pro disciplina Ecclesiastica disponere.

Sollicitudinem Pastoris.

Officium Pastoris est curam animarum gerere, animas verbo Dei pascere, illas errantes requirere & ad Ovile reportare, & in ovili continere, infirmis mederi, &c.

Charitatẽ Patris.

Charitate Patris prodigos & peccatores recipit; Indulgentias distribuit; cum infirmis in votis, juramentis, & aliis ejusmodi dispensat. Hæc enim magis ad Paternam benignitatem pertinent, quam ad Judicis rigorem.

CONCLUSIO VI.

Ad defensionem accepit Judicis Æquitatem: Regiam Benignitatem: Regium Gladium.

AD Ecclesiæ Protectionem & Defensionem accepit Petrus Judicis æquitatem; ut de peccatis & criminibus juste judicet: *Regiam benignitatem;* quæ est parcere subjectis: *Regium gladium;* cujus est debellare superbos per censuras & pœnas spirituales.

Hæc enim in Scripturis Petro singulariter commissa sunt. *Infallibilitas* quidem *Doctrinæ* Matth. 16. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Item Luc. 22. Mat.16.18
Simon, Simon: Ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Luc.22.31. Vers.32.
Cætera ferè omnia continentur in illis verbis. *Tibi dabo Claves regni cælorum:* In Clavibus enim suprema Potestas Regia & Sacerdotalis includitur, ut exponunt passim Patres & Interpretes, non tantum in hunc locum, sed & in illum Isaiæ 22. *Dabo clavem domus David super humerum ejus, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.* Mat.16.19
Et Apoc. 3. *Hæc dicit Sanctus & verus, qui habet clavem David; qui aperit & nemo claudit, claudit, & nemo aperit.* Apoc. 3.7
Certè Regibus & Principibus in signum universalis potestatis in ingressu civitatum offeruntur Claves, & Dominus sive Pater-Familias clavem gerens, totius familiæ se dispensationem & dispositionem habere demonstrat. Hujusmodi etiam officia indicant verba illa tertiò Petro intimata Joann. 21. *Pasce oves meas.* Ubi Io.21.17.
Alcuinus per Sanctum Thomam in Catena: *Alcuinus.*
Pascere (inquit) *oves, est credentes in Christo, ne a fide deficiant, confortare; terrena subsidia, si necesse sit subditis providere, & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere, adversariis obsistere, errantes subditos corrigere.* Hæc ille. Plura minutatim ab aliis officia Pastoris recensentur, quæ tamen in illa ferè coincidunt. Aliud etiam summæ charitatis mandatum accepit singulariter S. Petrus Matth. 18. Ubi Mat.18.21
cùm interrogasset: *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies?* Vers.22.
Dicit illi Iesus; Non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies. De his plura dicemus, cùm de Romano Pontifice iterum disserendum erit.

TITVLVS IV.

De Successione in Primatum Petri.

QVÆSTIO I.

An Petro in Primatu detur Successio?

CONCLUSIO.

Petri Primatus non fuit personalis, sed in Successores derivatur.

PRimatus Petri non fuit personalis, sed in Successores usq; ad finem mundi derivatur.

Conclusio patet ex Scripturis sæpè citatis: fundamentum enim Ædificii durat quamdiu Ædificium durat: Principatus Regni perseverat, quamdiu Regnum perseverat; Pastor Ovilis, Ovili constituitur, quamdiu Ovile conservatur: Ut Corpus visibile unum permaneat, permaneat & Caput necesse est: Atqui

qui Fundamentum, super quod Ecclesia visibilis fundata est, est Petrus & Petri Primatus: Similiter Petro Regni Primatus per Claves traditus est: Insuper Petrus est Pastor Ovilis Christi: Constitutus est & Caput Corporis visibilis: Ergò quamdiu Ædificium Ecclesiæ, quamdiu regnum Christi & cælorum, (quod *præsentis temporis Ecclesia*, teste Gregorio, *dicitur*) quamdiu Ovile, quamdiu Corpus Ecclesiæ visibile in terris manet, tamdiu Petrus perseverat: Non perseverat autem in persona sua singulari: Ergo perseverat in Successoribus suis. Major ex natura rei clara est: Minor ex Scripturis sæpe allegatis constat: Consequentia infallibilis est: Neque enim Structura sine fundamento, Regnum sine Principatu, Ovile sine Pastore, Corpus absque Capite vivum stare potest ordinariâ potestate. Certum verò est contra Ecclesiam, nec portas inferi prævalituras, Matth. 16. Certum est Regnum Christi in terris, usque ad mundi finem permansurum, 1. Corinth. 15. Certum est: Ovile usque ad numerum Electorum completum perseveraturum, Joann. 10. *Alias* (inquit) *Oves habeo, quas me oportet adducere, & fiet unum Ovile, & unus pastor.* Neutiquam ergò Ovile complebitur, nisi omnes Oves sint adductæ, quod non fiet nisi cum in fine sæculorum reliquiæ Israël salvæ fient. Visibile quidem Christi Regnum temporale est, sed in quavis persecutione, etiam Anti-Christi, usque in finem mundi perseverat, donec in æternitate compleatur: sic & fundamentum & Princeps, & Pastor, & Caput. Cætera vide apud controversiarum Scriptores.

S. Gregor.

Mat. 16. 18
1. Cor. 15. 25.
Joan. 10. 16.

QUÆSTIO II.

Quis Petri Successor in Vicariatu Christi?

CONCLUSIO.

PEtri Successor in Vicariatu Christi est Romanus Pontifex. Ratio fundamentalis est: Quia ille in Vicariatu Petri succedit, qui in Cathedram, quam pro Universali Ecclesia Petrus fundavit, tenuit, & in cujus administratione mortuus est, succedit: Sed Romanus Pontifex in Cathedram Romanam, quam Petrus pro Universali Christi Ecclesia fundavit, tenuit, & in cujus administratione mortuus est, succedit: Ergò Pontifex Romanus in Vicariatu Petri succedit. Major constat communi usu & sensu in similibus: Qui enim in solium Regni Hispaniæ succedit, Rex Hispaniæ est: Qui in sceptra Imperatoris Romani succedit, Romanorum Imperator est. Minor Historiâ & Traditione omni sensato clarissima est. De hac successione Tertullianus quamvis inimicissimus Romani Cleri libro de Præscriptionibus adversus Hæreses sic loquitur: *Si Italiæ* (inquit) *adjaces habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est: Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, &c.* Iren.

Petri Successor in Vicariatu Christi est Romanus Pontifex.

Tertull.

Apostolorum temporibus proximus l. 3. contra Hæreticos hac Successione omnes adversarios confundi describit: *Maxima* (inquit) *& antiquissima, & omnibus cognita, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundata & constituta Ecclesia, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem, per Successionem Episcoporum ad nos pervenientem indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam vel vanam gloriam, vel per cæcitatem ac malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Hæc Irenæus. Sed quia Historiæ & Traditioni hæc Successio innititur accipe breve Chronicon, & cum probatis confule.

Irenæus.

Chronicon Universalis Cathedræ Petri in Civitate Romana, & Successionis Romanorum pontificum in illa.

PEtrus post resurrectionem Christi Ecclesiarum, quæ fundabantur, sollicitudinem gerens, vix Sedem fixam primis annis habere potuit, quamvis enim Jerosolymis ut plurimum habitaret, ex officio tamen, cum Episcopi necdum constituti essent, Civitates Judææ, & Syriæ peragere debebat.

Anno enim 2. à morte Christi ad Samaritas conversos à Philippo cum Joanne profectus est.

Anno 4. visitans Ecclesias ex Lydda in Joppen accersitus est ad Cornelium centurionem.

Anno 6. Februar. 22. cum plurimæ civitates per Syriam converterentur, Sedem fixit Antiochiæ, quæ erat Syriæ metropolis, ut cæteris Ecclesiis melius invigilare posset, & Ecclesias visitare; unde demum Pontum, Galatiam, Capadociam, Asiam, Bithyniam peragravit, ad quarum Provinciarum Fideles epistolam scripsit: septem ante annis Antiochiæ Sedem rexit.

Anno à morte Christi 14. constituto Antiochiæ Episcopo Evodio (quamvis Anacletus c. *Sacrosancta*, Ignatium assignet) 18. Jan. Romam venit & Cathedram ibi constituit, & Romanam Ecclesiam futuram cæterarum matrem initiavit, cumq; illam 24. annos & quinq; menses rexisset, eandem proprio sanguine Cruci affixus, ut Vicariorum Christi Sedem in perpetuum consecravit.

Porro Petro successit Linus, Lino successit Cletus, Cleto demum Clemens, &c. Unde est illud S. Augustini Ep. 165. ad Generosum. *Si* (inquit) *Ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, &c. Petro enim successit Linus, Lino Cletus, Cleto Clemens &c.* quos omnes ad Anastasium, qui tunc sedebat, perduxit, & librò contra Epistolam fundamenti c. 4. rationem cur in EcclesiaCatholica permaneret, referre volens: *Multa* (inquit) *sunt, quæ in ejus* (id est Catholicæ Ecclesiæ) *gremio me justissimè tenent. Tenet Consensio populorum atque gentium: Tenet Auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa Sede Petri, &c. usque ad præsentem Episcopatum Successio Sacerdotum.* Et l. de

S. Aug.

Idem.

Utili-

1Ioan.3.19 *In hoc* (ait) *cognoscimus quoniam ex veritate su-*
mus; & in conspectu ejus suadebimus Corda no-
Vers. 20. *stra. Quoniam si reprehenderit nos cor nostrum,*
major est Deus corde nostro, & novit omnia.
Vers. 21. *Charissimi, si Cor nostrum non reprehenderit nos,*
Vers. 22. *fiduciam habemus ad Deum, &c. quoniam Man-*
data ejus custodimus, & ea, quæ sunt placita co-
ram eo, facimus: Quasi dicat: Ex motu Con-
scientiæ Puritatem vel impuritatem Cordis,
etiam coram Deo cognoscis, hoc est enim
in conspectu ejus fundere Corda: *Quoniam*
(inquit) *si Cor nostrum*, sive conscientia *nos re-*
prehenderit, sive se moveat adversum nos.
Certi debemus esse, aliquod peccatum esse
in nobis, etsi non advertamus. *Deus* enim
qui est Conscientiæ motor, *est major Corde*
nostro, & novit omnia. Nolo tamen hic timo-
res & melancolias & anxietates, & tristitias
accipere pro motibus Conscientiæ, ut nota-
vimus tom. 1. tract. 5. titul. 6. in fine. *Si verò*
Cor nostrum non reprehenderit nos, singulariter
fiduciam debemus *habere*, quòd observemus
Præcepta, & quod placitum est Deo, facia-
mus. Quod benè advertendum est. Et qui-
dem ad Romanos 2. describitur Conscien-
Rō. 2. 15. tia testimonium perhibens cogitationibus ac-
cusantibus & defendentibus. Et Paulus se cō-
Act. 24. ram judice justificans Act. 24. *In hoc* (inquit)
16. *& ipse studeo sine offendiculo Conscientiam habere*
bonam ad Deum, & ad homines semper. Et 1. ad
1.Tim.1.5. Tim. 1. Charitas describitur: *De corde puro, &*
conscientia bona, & fide non ficta. Præcipitur igi-
tur omni Christiano habere cordis puritatem;
Mat.18.3. Unde & Matth. 18. *Nisi conversi fueritis, &*
efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum
cælorum.

2.*Intenti-* 2. Præcipitur *Intentionis puritas* sub si-
onis puri- militudine oculi Matth. 6. *Lucerna corporis*
tate. *tui est oculus tuus, si oculus tuus fuerit simplex*
Mat. 6.22. *totum cor tuum lucidum erit: Si autem ocu-*
v. 23. *lus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum te-*
nebrosum erit; Si ergo lumen, quod in te est, te-
nebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt? Ubi
per oculum simplicem intelligit puram In-
tentionem, per oculum nequam Intentio-
nem pravam: Concludens quod quidquid
Christianus malà vel obliqua intentione agit,
quantumcumque sit bonum, sine peccato
non fiat.

3. *Sensuū* 3. *Sensuum & Passionum Mortificatio de-*
& passion. *mandantur*, in iis maxime, quæ ad peccatum
mortifica incitant, sive quæ peccati incensiva sunt:
tione. Matth. 5. Mortificatio oculorum: *Qui vide-*
Mat. 5.28 *rit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœ-*
chatus est eam in corde suo. Iterum mortifica-
tio oculorum, pedis, manus, ubi dant ani-
Vers. 29. mæ offendiculum: *Si oculus tuus dexter scan-*
dalizat te, erue eum, & projice abs te: Quam
verò graviter istud præcipiatur, attende, ex
sequentibus: *Expedit enim tibi ut pereat unum*
membrorum tuorum, quam totum corpus tuum
mittatur in gehennam: *Et si manus tua scanda-*
lizat te, abscinde eam, & projice abs te, quæ
c. 18. 8. eadem repetit, & pedem adjungit c. 18. Ex
quibus disces quantum sit peccatum Immor-
tificatio Sensuum, quæ ad peccatum pertrahit,
& quanti debeat æstimari periculum pecca-
ti, & ad quid teneatur homo ut illud evi-
tet, si ob peccaminosum aspectum, tactum im-
pudicum, incessum ad peccatum expediret
potius oculum erui, manum pedemve abscin-
di. Unde & 1. ad Thessal. 5. præcipit Aposto- 1 Thess. 5.
lus non tantum à malo, sed ab omni specie 22.
mala abstinere. Mortificationem etiam lin-
guæ indicit Christus Matth. 12. Dum de om-
ni verbo otioso affirmat rationem reddendam Mat.12.36
in die judicii.

4. Præcipitur Christianis *Operum Puritas*, 4. *operum*
seu *Integritas* Matth. 6. Ubi condemnatur *integrita-*
omnis eleemosyna, omnis oratio, omne jeju- *te.* Mat.
nium factum cum aliquo vanæ gloriæ sensu & 6. 1. &c.
consensu. Quinimò tantam requirit cordis &
operis Puritatem, ut omnem sollicitudinem
anxiam, à Christiano, homine proscribat, ibi-
dem: *Nolite solliciti esse*: Cujus peremptoriam *Vers.* 31.
causam dederat supra dicens: *Nemo potest duo-* *Vers.* 24.
bus Dominis servire, &c. Non potestis Deo servi-
re & Mammona.

5. Præcipiuntur *Opera Auctoritatis & Pæ-* 5. *pænitē-*
nitentiæ. Matth. 7. *Intrate per angustam por-* *tia lata-*
tam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit *cro.*
ad perditionem. Et alibi: *Nisi pænitentiam ha-* Mat. 7. 13.
bueritis, omnes similiter peribitis. Huc perti- Luc. 13. 3.
nent mandata alia. *Qui non bajulat crucem* Lu. 14. 27.
suam, & venit post me, non potest meus esse disci-
pulus.

6. Præcipitur *Virtutum exercitatio* Matth. 7. 6. *virtutū*
Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, ex- *exercitio.*
cidetur & in ignem mittetur, & ibidem mor- Mat. 7. 19.
tuam fidem damnans, quantumvis miracu-
lis illustratam: *Non omnis* (ait) *qui dicit mi-* *Vers.* 21.
hi Domine, Domine, intrabit in regnum cæ-
lorum, sed qui facit voluntatem Patris mei.
Unde & excluduntur à regno, qui in no-
mine Christi prophetaverunt, & virtutes mul-
tas fecerunt: *Tunc* (inquit) *confitebor illis, quia* *Vers.* 23.
nunquam novi vos, discedite à me, qui operami-
ni iniquitatem.

Hæc sunt Præcepta quæ ad Christianos
Christus in nova Lege dedit, quorum etsi
plurima implicitè in aliis Præceptis Divi-
nis tam naturalibus, quam positivis conti-
neantur, vel ad illa reduci possint, expli-
cantius tamen à Christo declarata sunt, ut vi-
deas Homo Christiane quantam Puritatem re-
quirat à te Deus.

DUBIUM INCIDENTALE.

An omnia superius relata sint stricta præcepta, & qualiter obligent?

RESpond. 1. *Omnia quæ in superioribus sunt* *Multa jā*
relata, non sunt stricta præcepta. Respon- *relata non*
sio clara est, non enim omnia sub verbis præ- *sūt stricta*
ceptivis vel prohibitivis exprimuntur, quin & *præcepta*
aliqua sub verbis parabolicis, ut: *Si oculus tuus* Mat. 5. 29.
dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te,
quomodo

quomodo & de manu & pede loquitur, quæ ad literam rem illicitam continent, neque enim alicui particulari permittitur se mutilare, sicut nec occidere.

Sed exhortatio ad Præcepti perfectionem spectans magis animi præparationē quā Præcepti literalē effectū requirens. Resp. 2. *Multa saepe doctrinam & quamdam exhortationem ad Praecepti perfectionem pertinentem quae magis animi praeparationem, quam Praecepti literalem effectum requirunt.* Tale est; *Si quis te percusserit in unam maxillam, praebe illi & alteram:* Et *Et, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium, & quicumq; te angariaverit mille passus, vade cum illo & alia duo: Qui petit a te, da ei, & volenti mutuari a te, ne avertaris.* Hæc enim perfectionem quamdam Præcepti patientiæ continent: Ne quis nimirum malum pro malo reddat, sed etiam quilibet patiatur, & bonum pro malo retribuat juxta illud: *Charitas patiens est, benigna est, &c. Omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Non igitur requirit ista à nobis Deus ad literam, neque enim percutienti militi alteram maxillam præbuit; quinimò ejus impietatem serio sermone demonstravit; sed animi charitate pleni & verè patientis perfectionem monstravit, in hoc ostendens, quo debeat animo Christianus in hujusmodi esse, & qua præparatione animi hujusmodi iniqua expectare & pati debeat.

Mat. 5.39. Vers. 40. Vers. 41. Vers. 42. 1. Cor. 13. 4

Quadam ex relatu damnationem aeternam & exclusionem à regno suis Praeceptis stricta vel aequivalentia Praeceptis vel conditionem alicui Praeceptis velcōditionē & mediū necessariū ad salutem indicant. Resp. 3. *Omnia in superioribus, quae vel damnationem aeternam & exclusionem à regno minitantur, vel pericula peccati mortalis evitanda designant, sunt Praecepta stricta, vel aequivalentia Praeceptis, vel conditionem aliquam & medium necessarium ad salutem indicant,* quæ valde sunt notanda. Explico: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennae ignis:* Præceptum strictum est, & obligat sub peccato mortali, nam ut ex Regulis discernendi peccata mortalia constat, ubicumque pœna æterna facienti decernitur, signum est mortalis peccati. Similiter: *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te: Expedit enim tibi ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam.* Hoc æquivalet Præcepto, etiamsi non per verba Præcepti, sed per verbum, *expedit*, pronuntietur. Sensus est enim: Potiùs eligendum esse mutilari uno oculo, uno pede, una manu, quàm exponere se periculo gehennæ per mortale peccatum, quasi dicat: Eo ipso, quo vides mulierem ad concupiscendam eam, te periculo proximo peccati mortalis exponis: Non tantum ergo præcipio, ut oculum avertas, sed potius expediret illum eruere, quàm per illum & propter illum te exponere periculo peccandi mortaliter per mœchiam, vel fornicationem, aut concupiscentiam malam, cui decreta est gehenna & damnatio æterna.

Mat. 5.22. Vers. 29.

Nota et Confessarii cōscientiarū palpatores Notabilis fanè doctrina Christi IESU, quam humanum ingenium sine injuria Christi & animarum damno alterare non potest: Audiat conscientiarum palpator & adulator Christus non permittit aspectum mulieris inducentem ad concupiscentiam ejus pravam, ob periculum proximum mortalis peccati & gehennæ, cui concupiscentia sola in animo retenta adjudicata est. Jam enim Christi sententiâ solo visu ad concupiscendum ordinato vel inclinato mœchatus es, jam gehennam promeruisti. Expende etiam illud: *Erue oculum & projice abs te. Abscinde manum vel pedem & projice: Expedit enim ut unum membrorum pereat, quam totum corpus mittatur in gehennam:* id est: Extrema potius tentanda & patienda sunt, ut est privatio oculorum, mutilatio pedis, vel manus vel cujusvis membri quam periculo peccati mortalis se exponere vel periculum subire: Ubi sunt qui *pulvillos sub unusquejusq; cubito manus consuunt*: Visus, auditus, tactus, familiaritates, cohabitationes, ex quibus cogitationes pravæ, delectationes pejores, modò concubitus illegitimi, & copulæ pessimæ non sequantur, si non omninò permittunt, occasiones tamen non auferunt, separationes non mandant, sub titulo quòd absque aliquo incommodo vel difficultate, hominum judicio fieri non possint. Dic mihi: Quid tibi tam conjunctum, tam necessarium tam decorum quam oculus? Si expedire judicet Christus ut proprios oculos eruas, si tibi sint occasio & causa concupiscentiæ carnalis, & mœchiæ internæ in corde. Dic (inquam) mihi, quam allegabis mihi æqualem causam; cur convictum, conversationem, cohabitationem, quæ tibi aspectum, & lenociniorum & concupiscentiarum causæ sunt & immediata pericula, non possis relinquere? Vel quis Consiliarius, aut Confessarius tecum dispensare potest, ut ea continues, si expediat (Christi judició) & oculum eruere, & cæcitatem eligere, in detrimentum luminis necessarii & decori, cujus privatio nobis & gravissimum detrimentum & deformitatem & pœnam, & velut opprobrium causat?

qui occasiones proximas peccati permittūt sub titulo quod sine incōmodo auferri nequeant.

Ezech. 13. 18.

Dixi in responsione (*sunt Praecepta stricta*) Hæc autem cognoscuntur ex tenore & modo verborum, maximè si pœna statuatur.

Unde cognoscuntur aequipollentia praecepti. Dixi (*vel aequipollentia Praeceptis*) Hæc cognoscuntur, vel ex eo quod principalia Præcepta contingant, vel materiam ad peccatum & transgressionem Præcepti inducentem contineant, vel pœna transgressionis Præcepti stricti, quæ est damnatio æterna, per illa infertur. Præceptum est: *Non mœchaberis*: Addit autem Christus: *Si quis viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*: Hoc additū: etsi verbis Præceptivis non proponatur, æquivalet tamē Præcepto, tum quia contingit Præceptum: *Non mœchaberis*, & est mentalis mœchia: tum quia significatur esse periculum proximum mœchiæ: Similiter: *Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis*, Non est formale Præceptum,

Mat. 5.27.

Vers. 22.

ptum, æquipollet tamen Præcepto: Quia contingit Præceptum, *Non occides*, estque explicatio ejus; & demum continet gehennæ ignis pœnam, quæ non imponitur, nisi transgressoribus Præceptorum strictorum & formalium.

Dixi (*vel conditionem & medium aliquod necessarium ad salutem indicant.*) Tale est illud: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: Ioan. 3.5. Neque enim continet, respectu infantis, formalitatem Præcepti, cùm infans non sit illius capax, sed continet medium necessarium, quod est remissio peccati originalis quæ fit per Baptismum. Similiter: *Amen dico vobis:* Mat. 18.3. *Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut parvuli iste, non intrabitis in regnum cælorum:* Hoc non tam Præceptum est, quam conditio & effectus Præceptorum; æquivalet enim huic: *Nihil coinquinatum intrabit in regnum cælorum*; indicatque necessariam omnimodam munditiam, quam parvuli symbolo aliàs exposuerat: Erant enim parvuli (de quibus in Evangelio) circumcisi, & ideò liberi à peccato originali, & pariter à mortali & veniali, cujus adhuc per ætatem incapaces erant. Hæc autem munditia effectus est Præceptorum, vel Observationis perfectæ Præceptorum Pœnitentiæ & Satisfactionis impositæ aut subeundæ pro peccatis.

Et hæc de Præceptis & Observationibus Christianum Hominem concernentibus sint dicta, quæ si claro oculo attendantur, Speculum clarissimum & perfectissimum sunt Hominis verè Christiani, quod moderna Christianitatis lugendas maculas studioso Lectori denudabit.

TRACTATUS III.

De Vicario Christi Pontifice Romano Ecclesiæ visibilis visibili in terris Capite.

QVÆSTIO SUMMARIA.

Quis agnoscendus sit in Ecclesia visibili Pontifex Summus, & Christi Vicarius?

CONCLUSIO.

Christi vicarius est qui Petro in primatu per Cathedram Romanam legitimè succedit.

ILle solus agnoscendus est Christi in Ecclesia visibili Vicarius & Pontifex Summus, qui Petro in Primatu, Potestate & Officio à Christo sibi promissi & traditis per Cathedram Romanam legitimè succedit. Patres hujus universalissimæ & completæ descriptionis lumen tori doctrinæ adferent, si distinctè per Titulos & Quæstiones distribuantur & explicentur.

TITVLVS I.

De Primatu Petri.

QUÆSTIO I.

Quis dicatur Petri Primatus?

CONCLUSIO.

Primatus Petri est: Dignitas primaria post Christum supra Christum Ecclesiæ Fundamenti à Patre æterno per Filium & Spiritum sanctum Petro collata.

PRimatus Petri est: *Dignitas Primaria, seu Primarii post Christum & supra Christum Ecclesiæ Fundamenti, à Patre æterno per Filium & Spiritum sanctum Petro collata.* Matth. 16.

Hæc omnia constabunt si quis Scripturam penitùs expenderit: *Beatus es* (inquit) *Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petrā ædificabo Ecclesiam meam.* Mat. 16.17 Vers. 18.

Et quidem 1. Expende: Rationem totius Fundamenti Ecclesiæ, in Petro supra Christum fundatæ, fuisse Revelationem Fidei Christi, ejusque Fidei claram & publicam Confessionem: Ideo enim Petrus Gradum hunc Primariæ Dignitatis accepit: Quia publice primus confessus est: *Tu es Christus filius Dei vivi*: In hoc enim quod ait *Christus*, hominem confitetur juxta illud Ioan. 9. *Ille homo qui dicitur* IESUS: In hoc quod addit *Filius Dei vivi*, confitetur & aperit ipsius Divinitatem, quæ latebat: Et si profundiùs attendas: Invenies & in his verbis Confessionem Fidei Sanctissimæ Trinitatis: Confitendo enim *Filium Dei vivi* confitetur & Patrem: Confitendo *Christum* confitetur & Spiritum sanctum; Christum enim Unctum significat: Utique Unctum Spiritu sancto, sicut idem Petrus Act. 10. asserit prædicans Cornelio centurioni: IESUM (inquit) *à Nazareth, quomodo unxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute.* Qui & Isaiæ 61. dicit: *Spiritus Domini super me, eò quòd Dominus unxerit me &c.* *expēditur hic locus.* Vers. 16 Ioan. 9.11. Act. 10.38 Isai. 61.1.

2. Expende: Revelationem illam immediatè ad hanc Dignitatem & gradum processisse à Patre æterno per Filium & Spiritum sanctum: *Beatus es* (ait) *Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est.* In quibus iterum

iterum verbis Christus testatur Fidem Petri, Fidem Ecclesiæ Catholicæ omnem excedere humanæ ratiocinationis limitem; sed solùm Primæ & æternæ Veritati inniti: *Quia* (inquit) *caro & sanguis non revelavit tibi*, quam
Ioan. c. 1. Fidem iisdem fere verbis expressit Evangelista Joan. cap. 1. *Quotquot* (inquit) *receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri,*
Vers. 13. *iis, qui credunt in nomine ejus*: Ut autem Fidem veram designet, subdit: *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt*: Excludens hæreticos nostri temporis, qui (ut aic
In Epist. Iudæ. Iudas Apostolus) *quæcumque ignorant, blasphemant, quæcumque autem tamquam bruta*
Vers. 10. *animalia norunt, in his corrumpuntur.* Et hæc est magnificentia Fidei Catholicæ, quòd immediate à Patre Petro fuerit revelata, ut per Petrum & Successores in nos derivaretur. Attende autem mysterium: Quòd sicut Pater æternus in Baptismate Christi, quo initiabatur ad prædicationes, testimonium dedit filio Missione Spiritus sancti in Colum-
Mat. 17. 5. bæ specie super eum, voce delapsâ: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipsum audite*: Ita Filius Dei Christus Dominus, volens initiare suum in terris Supremum Vicarium Petrum, testimonium voluit dare Missionis & Dignitatis ejus, ex Revelatione facta à Patre æterno: *Beatus es* (inquit) *Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus*: quasi dicat: Hic est, cui Pater revelavit, non caro, non sanguis: Hic est Simon Bar-Jona, id est, Filius Columbæ: quasi dicat: Huic Pater meus, Huic ego Filius, Huic Spiritus sanctus testimonium perhibet veræ Fidei & fidelis veritatis & Confessionis. Unde sanctus Hieronymus l. 3. Commentar. in cap. 18. Matthæi expendens illud *Bar-Jona*, quod
S. Hieron. significat ipso Interprete Filium Columbæ: *Ergo* (inquit) *ex Confessione fortitur vocabulum, quod Revelationem ex Spiritu sancto habeat, cujus & Filius appellandus sit.*

Ex quibus agnosce Catholicæ & veræ Fidei sacra Symbola contra novantes & sectarios: Rugiant, blasphement, insaniant: Nulla vera Fides in Ecclesia, nisi quæ immediatè à Patre primò Petro, & per illum Successoribus & Ecclesiæ revelata est, testificata à Filio & Spiritu sancto. Nulla vera Fides, nisi quæ *Simoni*, qui interpretatur Obediens, & *Bar-Jonæ*, qui Filius Columbæ, revelatur: Duos enim habet comites necessarios vera Fides, nimirum: *Obedientiam*, quæ in *Simone*, & *Simplicitatem* purissimam, quæ in *Bar-Jona* Filio Columbæ insinuatur: Denique adulterina est Fides, quæ carnem & sanguinem sapit; & quæ ex sanguinibus, ex voluntate carnis, ex voluntate viri nascitur, ex Deo non est; à Patre revelata non est; ad Petri Confessionem non spectat; à Christo testimonium non accipit; hæretica est, diabolica est. Ad hanc limam tuam expende Fidem Christiane; ab hac lima tuum agnosce

errorem ô Hæretice, & si signa majora vis, ad 2. Petri caput 2. recurre, ibique descriptiones tui & hæresum tuarum intuere. 2. Pet. 2.

3. Igitur in verbis supracitatis advertendum est: Petro ex tunc Gradum Primatus assignatum fuisse, etsi Potestas tunc tantum promissa, non collata fuerit: *Et ego* (inquit) Matt. 16.
dico tibi: Quia, tu es Petrus, & super hanc Pe- 18.
tram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: Ubi particulæ, *Dico tibi: & tu es Petrus*, quæ sunt præsentis temporis, collationem & declarationem actualem hujus Dignitatis & Gradus Primatus designant: Unde sanctus Hieronymus: *Mercedem* (inquit) *accipit vera Confessio*, quasi dicat, jam in ipso Confessionis S. Hieron.
puncto mercedem accipit, utique primatum: Quod expressis verbis agnoscit etiam sanctus Ambrosius alludens ad hunc locum l. de Incarnatione cap. 4. *Petrus* (inquit) *Lo-* S. Ambr.
ci non immemor sui, Primatum egit, Primatum Confessionis utique, non Honoris, Primatum Fidei, non Ordinis, id est, Locum accepit & Gradum, & Primatum jam per Confessionem Fidei obtinuit: etsi necdum Primatus Honorem, qui sibi post Christi ascensionem reservabatur, necdum Ordinem Pontificatus susceptisset, quia nec Sacerdos, nec Episcopus consecratus erat, quem utique Ordinem in ultima cœna suscepit, ut plenam & universalem Jurisdictionem post resurrectionem acciperet, uti dicemus infrà.

QUÆSTIO II.

Quæ sint Primatus Petri Proprietates?

CONCLUSIO.

TRes sunt Primatus sancti Petri Proprietates: *Singularitas, Universalitas, Stabilitas inconcussa.* Hæc patebunt ex consequentibus.

Primatus Petri Proprietates sunt Singularitas, Universalitas, Stabilitas

QUÆSTIO III.

In quo consistat Primatus singularitas?

CONCLUSIO.

SIngularitas, *sive Unitas Primatus, in hoc consistit, quod uni soli Petro inter Apostolos hæc primatus Dignitas, sive Gradus sit concessus.* Patet ex verbis Christi: *Et ego dico Tibi, quia Tu es Petrus, & super Hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: Ubi verba *Tibi, Tu, Petrus, Hanc Petram*, Singularitatem tum Personæ, tum Primatus Indicant: In hoc enim quod ait: *Tibi, & Tu*, Personam designat: In hoc quod mutet nomen Simonis in *Petrum* & *Hanc Petram*, Pri- Mat. 16. 18

Singularitas Primatus Petri consistit in Unitate Personæ, cui concessus est.

matus

matus Singularitatem, quem ipse solus teneret, & in Successores derivaret, notare voluit. Unde sanctus Leo Ser. 3. in Anniversario Assumptionis suæ, loquens in persona *S. Leo.* Christi: *Cum ergo* (inquit) *sim inviolabilis Petra: Ego Lapis angularis, qui facio utraque unum: Ego Fundamentum, præter quod nemo potest aliud ponere: Tamen Tu quoque Petra es, quia mea virtute solidaris, ut quæ mihi potestate sunt propria, sint Tibi mecum participatione communia: Et super Hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: super Hanc* (inquit) *fortitudinem æternum extruam templum &c.* Ibidem: *De toto mundo Unus Petrus eligitur, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisq; Ecclesiæ Patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes, multiq; Pastores sint, omnes tamen propriè regat Petrus, quos regit & Christus.* Quod etiam expendens Hypolitus Martyr Libr. de Consummatione mundi: *Hypolitus Martyr.* *Princeps* (inquit) *Petrus, Fidei Petra, quem beatum judicavit Christus Deus noster: ille Doctor Ecclesiæ, ille primus Discipulorum &c.* In hanc sententiam omnes Patres conspirant, quos vide citatos apud Controversiarum Scriptores, maximè *Bellarmin.* Bellarminum l. 1. de Romano Pontifice cap. 10. & 11. Unicum mihi sufficit pro hac mea sententia Christi testimonium, qui, etsi omnibus Apostolis ligandi atque solvendi auctoritatem dederit, nulli tamen nomen Petræ & Fundamenti sibi proprium communicavit, nulli Claves absolute aut promisit, aut commisit, ut benè *S. Cyprian.* expendit sanctus Cyprianus de Unitate Ec- *S. Leo.* clesiæ, sanctus Leo Epist. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, & alii. Nec te *Ephes. 2. 20.* moveat quòd ad Ephesios 2. dicuntur *Fideles ædificati super Fundamenta Apostolorum & Prophetarum*: Sicut enim Petrus non est Fundamentum, nisi per Christum & super Christum, sic nec Apostoli, nec Prophetæ Fundamenta sunt, nisi per Petrum & super Petrum. Audi Basilius 29. de Pœnitentia: *Etsi* *S. Basilius* *Petrus Petra est, sed ut Petrus Petra est: Christus enim reverà Petra est inmobilis & inconcussa, Petrus verò, propter hanc Petram: Largitur enim Deus suas Dignitates non evacuans se, sed habens dat*; sic & de Apostolis respectu Petri philosophandum est, prout & latè sanctus Cyprianus suprà. Et quidem hanc Singularitatem Excellentiæ probant infinitæ prærogativæ Petro singulariter in Scrip- *Joan. 1. 42* tura attributæ. Nam & Joann. 1. Andreæ seniori præponitur, & in prognosticon futuri pro Simone filio Jonæ Cephas à Chri- *Mat. 4. 18* sto nuncupatur: Matth. 4. iterum in voca- *Lucæ. 5. 3.* tione primus nominatur, & Lucæ 5. Pluribus manibus in litore existentibus, in solam illam navim Christus ascendit, quæ erat Simonis Petri, ex eaque sola populo *Vers. 4.* prædicavit: Ibidem: Soli Petro dicitur: *Duc in altum*: Soli Petro prædicitur: *Noli ti-* *Vers. 10.* *mere, ex hoc eris homines capiens.* Vide san- *S. Ambro.* ctum Ambros. in Comment. ad cap. 5. Lucæ hæc omnia expendentem. Item Matth. 17. *Matt. 17. 26.* In solutione tributi, pro solo JESU, & Petro solvitur. Item: Matth. 10. Marci 3. Lu- *Mat. 10. 2.* *Mar. 3. 16.* cæ 6. in numeratione Apostolorum inter omnes primus Petrus nominatur. *Luc. 6. 14.* Demum: Ubique Petrus in Evangelio Christi comes est, in transfiguratione, in suscitatione filiæ Archisynagogi, in cœna, in horto: Cui tanquam primo etiam Christus post resurrectionem apparuit, cui soli, ut super mare ambularet, concessit, cui soli manum porrexit, cui tandem soli pascendum gregem commisit: Quæ omnia vide apud Patres & Commentatores non minùs verè, quàm eleganter explicata.

QUÆSTIO IV.

In quo consistat Primatus illius Universalitas, sive Superioritas?

CONCLUSIO.

PRimatus Universalitas in hoc consistit: quòd totius Ecclesiæ in se ædificationem complectatur, ita ut nullus sit in Ecclesia sive Apostolus, sive Propheta, Rex & Sacerdos, plebens & nobilis, justus & peccator, qui in hoc Fundamento non subsistat, & hoc Fundamento non solidetur. *Universalitas in totius Ecclesiæ super ædificatione.* Quod Christus apertè indicat his verbis: *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: *Mat. 16. 18* Qui Ecclesiam dicit, omnes fideles, qui tamquam lapides vivi coædificantur, comprehendit, ita ut, qui extra Fundamentum hoc Primatus Petri se agnoscit, extra Ecclesiam se esse agnoscat, necesse sit. Quod eleganter expressit sanctus Hieronymus Epist. 57. ad Damasum: *S. Hier. 5.* *Cathedra* (inquit) *Petri communione consotior, super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio: Quicumque extra domum hanc Agnum commederit, profanus est.* Et Tertull. libr. de Pudicitia: *Tertull.* *Qualis es* (inquit) *evertens atque commutans manifestam Domini intentionem personaliter hoc Petro conferentem: Super te* (inquit) *ædificabo Ecclesiam meam.*

QUÆSTIO V.

In quo consistat Primatus Stabilitas inconcussa?

CONCLUSIO.

PRimatus Stabilitas inconcussa in duobus consistit: *In Doctrina Fidei infallibilitate: In Ecclesiæ visibilis usque ad finem mundi continua Duratione.* *Stabilitas inconcussa in Doctrina Fidei Infallibilitate, & Ecclesiæ Duratione.* Hanc Conclusionem indicant verba Christi: *Super hanc Patram*, id est, super rupem, quæ quati potest, concuti non potest; estque Ecclesia similis domui illi, quæ Matth. 7. dicitur supra Petram ædeficata, & *descendit pluvia & flaverunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit; fundata enim erat super Petram.* *Mat. 7. 25.* Quàm aptè verò Infalli-

falibillitas Doctrinæ Fidei in Petro & Successoribus significetur accipe: *Et porta* (inquit) *inferi non prævalebunt adversus eam:* Quid portæ inferi? utique infidelitas, sive Pagana sit, sive Iudaica, sive hæretica, sive schismatica perfidia: sicut enim porta Ecclesiæ & salutis est Fides; ita porta inferi & damnationis est infidelitas: Audi dicentem Joan. 3. *Qui non credit, jam judicatus est*, Hæc est enim differentia inter opera mala, & infidelitatem aut hæresim quamcumque: Quòd Fides, non obstantibus malis operibus & peccatis, hominem intra Ecclesiam, si non merito, numero tamen contineat: Infidelitas autem sive hæresis hominem ab Ecclesiæ janua expellat, & portis inferorum devoveat. Accipe & ex aliis verbis Doctrinæ Fidei Infallibilitatem: *Super hanc Petrã*, id est, te Petrum & Petram *ædificabo Ecclesiam meam:* Si ergo Ecclesiæ Fides concuti non potest, nec Petri Fides concuti poterit; concusso enim fundamento totum ædificium concutiatur necesse est. Addo, quòd sicut ædificium concuti potest inmobili fundamento concuti quidem potest, Petri autem Fides concuti nequaquam potest, quia firma Petra est.

Joan. 3. 18

S. Ambr. Benè S. Ambr. Serm. de Fide Petri: *Petra* (inquit) *dicitur, eò quòd primus in nationibus Fidei Fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemq́; contineat.* Sed de his amplius infra.

TITVLVS II.

De Potestate Petri, ut Vicarii Christi.

QVÆSTIO I.

Quæ, qualisvè Potestas collata fuerit à Christo Petro, ut Vicario suo?

CONCLUSIO.

Describitur Potestas collata Petro ut Christi Vicario.

POtestas collata à Christo Petro, ut Vicario suo; Est Potestas Spiritualis, Ministerialis, Suprema & Universalis ad regendam in omnibus necessariis & oportunis Ecclesiam Dei, ad fidelium animarum salutem. Singulas partes ad majorem distinctionem singulis quæstionibus prosequor.

QUÆSTIO II.

Cur Petri Potestas dicatur Spiritualis?

CONCLUSIO.

Spiritalis dicitur ad excludendam merè Temporalem.

POtestas Petri dicitur Spiritualis ad excludẽdam Temporalem meram: Quemadmodum enim Christus, etsi esset Rex Regũ & Dominus Dominatium, abdicavit à se omnẽ usum Potestatis terrenæ, ita & à Vicario suo Petro. De abdicatione usus Temporalis Potestatis à Christo constat Joan. 18. *Regum* (inquit)

Ioã. 18. 36.

meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset Regnum meum, ministri utique mei decertarent, ut non traderer Judæis, &c. Iterum Matth. 22. Potestates dividens: *Reddite* (ait) *quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo* Iterum Lucæ 12. petenti: *Magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem* Respondit *Homo, quis me constituit Judicem aut divisorem inter vos?* Ubi Glossa ex S. Ambrosio: *Benè* (inquit) *terrena declinat, qui propter divina descenderat, nec judex dignatur esse litium, & arbiter facultatum, qui vivorum & mortuorum habet judicium, & meritorum arbitrium.* Unde nervosissimè S. Bern. l. 5. de Consid. ad Eugenium Papam carpit terrena judicia, quibus Apostolicam Sedẽ intricat Romana Curia: *Quid* (inquit) *dicit homo rusticanus ignorans Primatum suum, inhonorans Primam & præexcelsam Sedem, derogans Apostolicæ Dignitati: Itane imminutor est Dignitatis Servus, si non vult esse major Domino suo, &c. In criminibus* (inquit) *non in possessionibus Potestas vestra, quoniam propter illa, non propter has accepistis Claves regni cælorum prævaricantes utique exclusuri, non possessores &c.* Quæ late prosequitur: Unde & Matth. 20. *Principes gentium* (ait) *dominantur eorum; & qui majores sunt, Potestatem exercent in eos: Non ita erit inter vos.* Quinimò acceperunt Apostoli duos Gladios instante passione, de quibus Christus dicebat: *Satis est*; sed unum exerente Petro ut servum Pontificis percuteret, dictum est illi: *Mitte Gladium tuum in vaginam.* Ubi Bernardus l. 4. de Consid. admonens Eugenium Papam: *Quid* (inquit) *tu denuò usurpare Gladium tentas, quem semel jussus es ponere in vaginam &c.* quæ prosequitur eleganter, sed verissimo & accuratissimo stylo.

Mat. 22. 21
Luc. 12. 13.
Vers. 14
Glossa ibidem ex S. Ambr.
S. Bernar.
Mat. 20. 25.
Luc. 22. 38
Ioan. 18. 11
S. Bernar.

Dixi *(ad excludendam Temporalem meram.)* Aliqua enim Temporalis Potestas Petro competit in nonnulla temporalia, quatenus Spiritualibus sunt annexa, quæ & Spirituali directioni commissa sunt: Talis fuit Potestas Petri in Ananiam & Saphiram Act. 5. qui ad verbum Petri mortui corruerunt; cujus causam reddens S. August. sive Auctor libri de Mirabilibus sacræ Scripturæ: *Ideò* (inquit) *prius Ananias & Saphira in conspectu Ecclesiæ citò mortui sunt, ut Apostolica Auctoritas quanta esset ostenderetur, & quam magnum peccatum esset, quod oblatum est, iterum ab Ecclesia retrahere, monstraretur & cæteri exemplo ejus castigarentur.* Quam etiam rationem adfert S. Athanasius in Evangelium de Passione Domini, S. Basilius Serm. 5. De Institut. Monachorum, & alii.

In aliqua tẽporalia, quatenus Spiritualibus sunt ãnexa, & Spirituali directioni commissa, Petri Potestas se extendit.
Act. 5. 5.
S. August sive Auctor libri de Mirabilibus sacræ Script.
S. Athan.
S. Basil.

Porrò multa sunt, quæ Deo consecrantur & offeruntur, & Spiritualibus operibus ex intentione donantium & offerentium ita sunt annexa, ut directioni Ecclesiæ, & consequenter supremi Capitis subjiciantur, nec sine sacrilegio ab illius Potestate auferri queant. Talia sunt decimæ; bona Ecclesiis à fidelibus attributa; beneficiorum fructus, pensiones, præstimonia, spolia clericorum, mensæ pauperum, xenodochiorum, hospitalium: depo-

Talia sũt decimæ bona Ecclesiarũ, beneficiorum, &c.

deposita sacra viduarum, egenorum, pupillorum, testamentorum pia legata; dotes matrimoniales in quantum sacramenti sacro contractu sunt sancitæ, &c. De quibus libri Decretalium sunt referti, & suis locis explicanda relinquo.

Imperatores dominiis temporalibus Pontifices decorarũt Gratianus.

Hic verò nolo quæstionem movere de potestate & Gladio temporali summorum Pontificum, maximisq; dominiis & possessionibus, quibus Caput Ecclesiæ visibile, summos Pontifices Imperator Constantinus decoravit, ut habetur apud Gratianum dist. 96. cap. 13. & 14. Ubi possessiones, dominia, terras, titulos, diadema, sceptrum, ornatus vestimentorum cum omni potestate Constantinus Silvestro I. obtulisse ad decorem Ecclesiæ, scribitur: Sicut & alii sequentes, utpote Pipinus, Carolus Magnus, Ludovicus ejus filius, &c. fecisse dignoscuntur: In his Petro Petri Successores non succedunt, sed potius Imperatoribus & Regibus, qui ea S. Petro & Ecclesiæ consecrarunt.

In his Petro nõ succedũt sed potiùs Imperatoribus.

QVAESTIO III.

Cur Petri potestas dicatur Ministerialis?

CONCLUSIO.

Ministerialis dicitur, quia in Christi nomine & virtute exercetur & vim habet.

1. Cor. 4. 1. Vers. 2. 1. Cor. 3. 4. Vers. 5. Vers. 21. Vers. 22. Vers. 23.

POtestas Petri ministerialis dicitur: *Quia in virtute primi Agentis Christi & ejus nomine non tantum exercetur, sed etiam in sola Christi virtute vim & effectum habet.* Hoc profitetur S. Paulus omnium nomine 1 Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei: Hic jam quæritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Et cap. 3. respondens ad quæstionem, qua quidam, ratione Baptismi, dicebant se esse Pauli, alii Apollo: *Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri* (inquit) *ejus, cui credidistis, & unicuique sicut Dominus dedit.* Et in fine capituli omnia recapitulans: *Nemo* (ait) *glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, &c. Vos autem Christi, Christus autem Dei.*

Dicitur verò potestas Petri, potestas ministerialis, ut excludatur Potestas Auctoritativa & Primaria Dei, & potestas excellentiæ, quæ est in Christo Jesu, Deo Homine, ratione cujus dicitur Patrem omnem potestatem dedisse Filio.

QVÆSTIO IV.

Cur Petri Potestas dicatur suprema.

CONCLUSIO.

Dicitur Suprema. 1. Quia superiorẽ in terris non habet. 2. Quia omnibus præsidet.

TRibus modis Potestas Petri dicitur suprema. 1. *Quia superiorem in terris non habet.* 2. *Quia omnibus præsidet*, Fidelibus quidem baptizatis actuali potestate & regimine, infidelibus autem, ut ad Ecclesiam adducantur, vel qui recesserint, reducantur. 3. *Quia omnes aliæ potestates humanæ certo modo vel ei subjiciuntur, vel ei subordinantur.* Unde & soli ipsi claves regni promissæ sunt, Matth. 16. Et cura totius Ovilis Joann. 21. Et ei soli mandatur Lucæ 22. ut confirmet fratres suos: Et à Sancto Dionysio cap. 3. de Divinis Nominibus, & ad Timoth. de Transitu Virginis, *Supremum Decus & antiquissimum columen* appellatur: & alibi: *Summus & Verticalis Apostolus* inscribitur: Et à Chrysostomo Homilia 55. in Matthæum: *Os & Princeps Apostolorum, verticexque totius consortii, Pastor ac Caput Ecclesiæ* nominatur. Nec abs re, cum supremum semper locum post Christi Ascensionem in cælum tenuerit: Act. 1. In reditu à monte Oliveti primus recensetur: Ibid. Matthæi electioni præest, eamque confirmat: Act. 2. Misso Spiritu sancto primus Evangelii mysteria referat, primus prædicat, ita ut ad ejus prædicationem baptizatæ sint, & appositæ ad Christum animæ circiter tria millia: Act. 3. Petrus primum miraculum facit in sanatione claudi: Act. 4. Petrus omnium nomine in Concilio Judæorum comparet, Principibus Sacerdotum constanter prædicat eosque convincit: Act. 5. Ananiam & Saphiram condemnat: Et ibid. Ei, soli super omnes conceditur, ut umbra ejus ægrotos sanet: Act. 8. Petrus, ut Judex Supremus, Simonem Magum condemnat: ibid. Tamquam Caput Ecclesiæ cum Joanne mittitur, ut credentes Samaritas Ecclesiæ incorporet: Act. 9. Ut Ecclesiæ Rector Supremus Ecclesias visitat, ut fideles instruat, & confirmet: Ibid. Ad eum, etsi alii potestatem miraculorum haberent, ex Joppe miserunt Lyddam, ut veniens Tabitham suscitaret: Act. 10. Ei vocatio gentium è cælo tamquam Supremo Christi Vicario committitur, visione lintei in terram quatuor initiis submissi, in quo, ad designandos universos cõvertendos, erant quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cæli, omnia quidem immunda, cum mandato ut surgeret, occideret & manducaret, id est Ecclesiæ Dei incorporaret, ut facto paruit, dum ad Cornelium gentilem centurionem statim evocatus perrexit: Act. 15. Petrus, quæstione subortâ de legalium observantia vel abrogatione, Concilio Jerosolymitano ut Supremus Ecclesiæ Pastor præsidet, & primus sententiam profert, quæ & approbatur: Ut autem Primatus sui Potestam confirmet: *Viri* (ait) *fratres, vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere.* Et ad Galatas 1. Paulus agnoscens Primatum Petri, postquam in Arabiam ad aliquam quietem post suam conversionẽ recessisset, ut rumor de ejus persecutionibus cessaret; antequam Officium Apostolatus sibi à Christo immediatè commissum exequeretur: *Post tres annos* (inquit) *veni Hierosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quatuordecim:* Hanc verò visitationem fuisse agnitionis, honoris, & reverentiæ, quâ Petrum Ecclesiæ Caput agnoscebat, nec injunctum Officium exequi convenire credebat

3. Quia õnes Potestates humanæ ei subordinantur.

Mat. 16. 19. Joã. 21. 16. Luc. 22. 32. S. Dionys. Chrysost. Act. 1. 13. Vers. 15. &c. Act. 2. 14. Vers. 41. Act. 3. 7. Act. 4. 8. Act. 5. 3. Vers. 15. Act. 8. 20. Vers. 14. Act. 9. 32. Vers. 38. Act. 10. 11. Act. 15. 6. Vers. 7. Gal. 1. 18.

credebat, nisi de sua missione Petrum edoceret, & ab illo placidaretur. Unde denuo exortis nonnullis difficultatibus Antiochiæ super Legalium observantia ad Concilium Hierosolymitanum profectus est, ut refert

Galat. 2. 1. ad Galat. 2. *Deinde* (ait) *post annos quatuordecim ascendi Hierosolymam, &c. Ascendi autem*

Vers. 2. *secundùm revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in gentibus: seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem, &c.* Ubi primo docet, quod quamvis esset certus de sua doctrina per revelationem Christi, nihilominus cum Petro, Joanne & Jacobo in Concilio conferre voluit, ut nimirum illa doctrina etiam auctoritate Petri & concilii approbaretur, & ne eam Pseudo-Apostoli repudiarent, si à Petro approbata non esset. Secundo: Ostendit, se nec à Petro, nec ab aliis

Vers. 6. doctrinam accepisse, (*Mihi enim* (inquit) *nihil contulerunt, qui videbantur aliquid esse*) sed tantùm approbationem & consensum, ut Impedito Petro Hierosolymis & in Judæa circa conversionem Judæorum, Paulus ad gentium prædicationem præiret, quem posteà Petrus sequeretur. Hic enim advertendum est, Petrum non solum fuisse Apostolum Circumcisionis; nam, ut supra vidimus, prote-

Act. 15. 7. status est in pleno Concilio omnes scivisse, quod ab æterno Deus elegisset per os ejus gentes audire Evangelium, nec Paulum ita Præputii Apostolum fuisse, ut Petrum excluderet, sed Petri cooperatorem & coadjutorem in exercitio prædicationis fuisse, non in Primatu & Primatus Potestate; Quod enim

Galat. 2. 9. dicit ad Galat. 2. Quòd cum cognovissent Jacobus, Cephas & Joannes, qui videbantur columnæ esse, gratiam, quæ data erat Paulo, dexteras dedisse ipsi & Barnabæ societatis, ut in gentes, illi autem in Circumcisionem irent, &c. Distributio tantum fuit exercitii, tempore quo Petrus cum aliis in Judæa impediebatur, ut suprà dictum est. Arguunt hìc hæretici, quod ad Galat. 2. Paulus nominet Jaco-

Ibidem. bum ante Cepham: *Jacobus,* (ait) *Cephas & Joannes*: Sed dicendum est Jacobum primò nominasse ordine facti, quia Jacobus loci Episcopus primus susceperat Paulum, & ad Petrum adduxerat: Nisi mavis hìc servatum ordinem sessionis, cum enim Petrus in Concilio sederes medius inter Jacobum à dextris, & Joannem à sinistris, primus nominatus est Jacobus, demum medius Petrus, tandem Joannes: Accipe ut vis, neque enim torrenti aliarum omnium Scripturarum, perfunctoria hæc narratio potest obesse. Excuset tantam digressionem Lector.

QUÆSTIO V.

Cur Petri Potestas dicatur Universalis?

CONCLUSIO.

Dicitur univers. à personis

P*Etri Potestas dicitur Universalis à Personis subjectis, à locis, à tempore, à virtute.* Hanc enumerationem paucis sic declaro: Potestas enim omnes respicit fideles, ut in Ecclesia existentes, infideles, ut adducendos. Potestas Petri ad omnia loca extenditur, quia in omni loco Evangelium regni prædicabitur: Omnia demum tempora transgreditur, quia usque in finem mundi durabit: Omnem virtutem denique continet ad Ecclesiæ regimen necessarium & opportunum.

subjectis, à locis, à tempore, à virtute.

Porrò tam Supremitatem Potestatis Petri, quàm ejus Universalitatem egregiè ostendunt Patres passim, ut etiam Apostolorum & quorumcumque tam Superiorum, quam Inferiorum regimen respiciat: Specialiter Eusebius Emissenus Sermon. in vigil. S. Petri ad illa verba Christi ad Petrum, Joann. 21. *Pasce Oves meas: Prius* (inquit) *Agnos deinde oves ei commisit, quia non solum Pastorem, sed etiam Pastorum Pastorem eum constituit: Pascit igitur Petrus agnos; pascit & oves; pascit filios; pascit & matres; regit & subditos & Prælatos.* Hæc ille. Qualiter autem in omnibus regat, infrà de Officio Petri agentes repetemus. Qualiter etiam Petri Potestas excedat potestatem Apostolorum, singulariter ex quæstione superiori repetendum est.

Joan. 21. 17. Eusebius Emiss. sermo

TITVLVS III.

De Officio Petri ut Christi Vicarii.

QVÆSTIO UNICA.

Quale & quantum sit Officium Petri, ut Christi Vicarii.

CONCLUSIO I.

Q*Uantum Potestas extenditur, tantum Officium Petri Christi Vicarii, protendatur necesse est.*

Tantum Officium Petri extẽditur, quãtum potestas.

Ratio est: Quia Potestas est fundamentum Officii, & Officium est finis, ob quem Potestas concessa est. Unde dixi suprà in Conclusione Quæstion. 1. Titul. præcedentis: Potestatem Petri referri ad administrandam Ecclesiam in omnibus necessariis, ad fidelium animarum salutem.

CONCLUSIO II.

P*Otestas Petri non extenditur ad ea, quæ Lex Divina naturalis, aut Lex Divina positiva constituit, ut aliquid contrà statuat Petrus:* Vide quæ diximus tom. 2. tract. 1. tit. 7. qu. 3. fere per totam.

Non extẽditur ad divinam, ut aliquid contra statuat, benè ut eam interpretetur.

Dixi (*ut aliquid contra statuat Petrus*) Potest enim Legem Divinam interdum interpretari, aut ubi est substratum aliquod humanum dispensare, ut in aliquibus votis, ut diximus conclusione 3. Potest & à transgressionibus & peccatis contra Legem Divinam quamcumque absolvere, quia ab omnibus peccatis absolvit.

Ibidem.

qui Fundamentum, super quod Ecclesia visibilis fundata est, est Petrus & Petri Primatus: Similiter Petro Regni Primatus per Claves traditus est: Insuper Petrus est Pastor Ovilis Christi: Constitutus est & Caput Corporis visibilis: Ergò quamdiu Ædificium Ecclesiæ, quamdiu regnum Christi & cælorum, (quod *præsentis temporis Ecclesia*, teste Gregorio, *dicitur*) quamdiu Ovile, quamdiu Corpus Ecclesiæ visibile in terris manet, tamdiu Petrus perseverat: Non perseverat autem in persona sua singulari: Ergo perseverat in Successoribus suis. Major ex natura rei clara est: Minor ex Scripturis sæpe allegatis constat: Consequentia infallibilis est: Neque enim Structura sine fundamento, Regnum sine Principatu, Ovile sine Pastore, Corpus absque Capite vivum stare potest ordinariâ potestate. Certum verò est contra Ecclesiam, nec portas inferi prævalituras, Matth. 16. Certum est Regnum Christi in terris, usque ad mundi finem permansurum, 1. Corinth. 15. Certum est: Ovile usque ad numerum Electorum completum perseveraturum, Joann. 10. *Alias* (inquit) *Oves habeo, quas me oportet adducere, & fiet unum Ovile, & unus pastor.* Neutiquam ergò Ovile complebitur, nisi omnes Oves sint adductæ, quod non fiet nisi cum in fine sæculorum reliquiæ Israël salvæ fient. Visibile quidem Christi Regnum temporale est, sed in quavis persecutione, etiam Anti-Christi, usque in finem mundi perseverat, donec in æternitate compleatur: sic & fundamentum & Princeps, & Pastor, & Caput. Cætera vide apud controversiarum Scriptores.

S. Gregor. — *Mat. 16. 18* — *1. Cor. 15. 25.* — *Joan. 10. 16.*

QUÆSTIO II.

Quis Petri Successor in Vicariatu Christi?

CONCLUSIO.

Petri Successor in Vicariatu Christi est Romanus Pontifex.

PEtri Successor in Vicariatu Christi est Romanus Pontifex. Ratio fundamentalis est: Quia ille in Vicariatu Petri succedit, qui in Cathedram, quam pro Universali Ecclesia Petrus fundavit, tenuit, & in cujus administratione mortuus est, succedit: Sed Romanus Pontifex in Cathedram Romanam, quam Petrus pro Universali Christi Ecclesia fundavit, tenuit, & in cujus administratione mortuus est, succedit: Ergò Pontifex Romanus in Vicariatu Petri succedit. Major constat communi usu & sensu in similibus: Qui enim in solium Regni Hispaniæ succedit, Rex Hispaniæ est: Qui in sceptra Imperatoris Romani succedit, Romanorum Imperator est. Minor Historiâ & Traditione omni sensato clarissima est. De hac successione Tertullianus quamvis inimicissimus Romani Cleri libro de Præscriptionibus adversus Hæreses sic loquitur: *Si Italia* (inquit) *adjaces habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est: Felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine profuderunt, ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur, &c.* Iren. Apostolorum temporibus proximus l. 3. contra Hæreticos hac Successione omnes adversarios confundi describit: *Maximæ* (inquit) *& antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem, per Successionem Episcoporum ad nos pervenientem indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo, vel per sui placentiam malam vel vanam gloriam, vel per cæcitatem ac malam sententiam, præterquam oportet, colligunt.* Hæc Irenæus. Sed quia Historiæ & Traditioni hæc Successio innititur accipe breve Chronicon, & cum probatis confule.

Tertull. — *Irenæus.*

Chronicon Universalis Cathedræ Petri in Civitate Romana, & Successionis Romanorum pontificum in illa.

PEtrus post resurrectionem Christi Ecclesiarum, quæ fundabantur, sollicitudinem gerens, vix Sedem fixam primis annis habere potuit, quamvis enim Jerosolymis ut plurimum habitaret, ex officio tamen, cum Episcopi necdum constituti essent, Civitates Judææ, & Syriæ peragere debebat.

Anno enim 2. à morte Christi ad Samaritas conversos à Philippo cum Joanne profectus est.

Anno 4. visitans Ecclesias ex Lydda in Joppen accersitus est ad Cornelium centurionem.

Anno 6. Februar. 22. cum plurimæ civitates per Syriam converterentur, Sedem fixit Antiochiæ, quæ erat Syriæ metropolis, ut cæteris Ecclesiis melius invigilare posset, & Ecclesias visitare; unde demum Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bithyniam peragravit, ad quarum Provinciarum Fideles epistolam scripsit: septem ante annis Antiochiæ Sedem rexit.

Anno à morte Christi 14. constituto Antiochiæ Episcopo Evodio (quamvis Anacletus c. *Sacrosancta*, Ignatium assignet) 18. Jan. Romam venit & Cathedram ibi constituit, & Romanam Ecclesiam futuram cæterarum matrem initiavit, cumq; illam 24. annos & quinq; menses rexisset, eandem proprio sanguine Cruci affixus, ut Vicariorum Christi Sedem in perpetuum consecravit.

Porro Petro successit Linus, Lino successit Cletus, Cleto demum Clemens, &c. Unde est illud *S.* Augustini Ep. 165. ad Generosum. *Si* (inquit) *Ordo Episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius & verè salubriter ab ipso Petro numeramus, &c. Petro enim successit Linus, Lino Cletus, Cleto Clemens, &c.* quos omnes ad Anastasium, qui tunc sedebat, perduxit, & libro contra Epistolam fundamenti c. 4. rationem cur in Ecclesia Catholica permaneret, referre volens: *Multa* (inquit) *sunt, quæ in ejus* (id est Catholicæ Ecclesiæ) *gremio me justissimè tenent. Tenet Consensio populorum atque gentium: Tenet Auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: Tenet ab ipsa Sede Petri, &c. usque ad præsentem Episcopatum Successio Sacerdotum.* Et l. de Uni-

S. Aug. — *Idem.*

Idem.

Utilitate Credendi cap. 17. *Dubitabimus* (inquit) *nos ejus Ecclesiæ gremio condere, quæ usque ad ad confessionem generis humani ab Apostolica Sede per Successiones Episcoporum, frustra circumlatrantibus hæreticis, &c. culmen auctoritatis obtinuit.* Hæc ille.

QUAESTIO III.

An Pontifex Romanus in omnibus ad Primatum Petri spectantibus Petro successerit?

CONCLUSIO I.

Romanus pontif. in omnib. ad primatū Petri spectantibus Petro succedit.

Conc. Nicænum 1.

PONTIFEX Romanus *sicut in officio, sic in Universali Primatu, Potestate, & Eminentiis quæ ad regendam Ecclesiam Dei Petro à Christo collata fuerunt, succedit*: Hanc quoad omnes suas partes veritatem agnovit semper Universalis Ecclesia, & Patres: Ad quod probandum sufficit Canon. 39. Concilii Nicæni primi, ubi, de Patriarchis loquens: Sedi Romanæ Supremum super omnes Patriarchatum decernit: *Est* (inquit) *Patriarcha loco Patris; sub cujus Dominatu ac potestate sunt filii ejus sicque præest Patriarcha omnibus, qui sub potestate ejus sunt: Sicut ille, qui tenet Sedem Romæ, Caput est & Princeps omnium Patriarcharum: Quandoquidem ipse est primus sicut Petrus, cui data est Potestas in omnes Principes Christianos, & omnes populos eorum, ut qui sit Vicarius Christi Domini nostri, super cunctos populos & cunctam Ecclesiam Christianam, & quicumque contradixerit à Synodo excommunicatur.* Iterum: *Veneramur secundùm Scripturas & Canonum Definitionem sanctissimum Romanæ antiquæque Ecclesiæ Episcopum, Primum & maximum omnium Episcoporum: Ut autem cunctis ditionis suæ Nationibus imperat Patriarcha & Leges indicit, & ut à principio Petrus Christi Vicarius Religioni, Ecclesiis cæterisque ad Christum rebus pertinentibus Præfectus, Principum Christianorum, Provinciarum & omnium gentium Dominus & Rector erat, ita ille, cujus Principatus Romæ est, Petro similis & auctoritate pari Patriarcharum omnium Dominatum & Principatum obtinet: Huic Sanctioni si quis repugnaverit & obsistere ausus fuerit, totius Synodi Decreto anathemati subjiciatur.* Hæc ibi.

Pontifex Rom. Papa vocatur & quare.

Ab hoc Primatu, Potestate, Officio Romanus Pontifex variis Titulis est decoratus. Vocatur enim communiter *Papa*, sive ab interjectione admirativa Papè (admirabilis est enim Potentia, Dignitasque Romani Pontificis) sive à Græco **Πάππας** quod Patrem & Nutritium designat (est enim verè Pater & Nutritius Ecclesiæ, & omnium fidelium) sive à **πάππος** quod Avum indicat, derivationem deduxit: Est enim Avus & Pater Patrum totius Ecclesiæ,

Epis. Episcoporum & pontif. Maxim. à Tertull.

Vocarunt & illum *Episcopum Episcoporum, & Pontificem maximum*, ut Tertullian. l. 1. de Pudicitia recitans Edictum à Victore 1. Papa de Lapsis ad pœnitentiam recipiendis emanatum: Vocatur & à Constantino in 6. Synodo Constantinopolitana act. 19. *SS mus. ac BB. mus. Archiepiscopus Urbis Romæ & Oecumenicus Papa.* Vocatur & à Mauro Episcopo Ravennate in Lateranensi Synodo *Dominus sanctus, meritis BB. mus, totoque orbe Universalis Pontifex*:

Oecumenicus Pap. à Constantino. Universalis Pontifex à Mauro Epis. Ravēnate. Quo sensu hoc nomen repudiarit S. Greg. & Con. Afr. prohibuerit.

Quamvis enim S. Gregorius illud nomen *Universalis Pontifex*, Epist. 30. ad Eulogium Patriarcharum Alexandrinum, repudiaverit: Et canon quidam Concilii Africani, cujus meminit Gratianus d 99. c. *Primæ Sedis*; illius usurpationem prohibuisse videatur: Non simpliciter intelligendum est, quasi nomen *Episcopi Universalis* S. Gregor. simpliciter repudiasset, sed tantum ex eo quod iste terminus *Episcopus* aut *Pontifex Universalis*, videretur auctoritatem aliorum Episcoporum excludere, quasi totus orbis unam Diœcesim constitueret, cui per Episcopos tanquam delegatos Romanus Pontifex præsideret, in isto sensu Titulum rejecit Gregorius, & prohibuit canon supradictus, ut verba tùm Gregorii supra, tum Pelagii ibidem apud Gratianum c. *Nullus* indicant manifestè: In sensu autem, quo Pontifex in universum orbem Potestatem eminentem exercet, verè *Universalis* ab antiquissimis dictus est, & modo etiam sic appellari convenit. Ita enim se appellarunt S. Pontifices, ut S. Xistus I. Epist 2. quæ habetur Tom. 1. Concil. in vita ejus: Item S. Pontianus, ut ibidem in vita Pontiani Epist. similiter 2. præscribitur. Et hæc satis.

Pelagius, c. Nullus

S. Xistus I. S. Pontif.

Quid Roman. Pontif. posse antiquissimà praxis huc usque perseverās ostendit.

Porrò Romanum Pontificem in omnem Potestatem & Officia Petro successisse constat etiam antiquissimâ & in hunc diem perseverante praxi.

1. Est enim Judex Controversiarum fidei; Scripturarum sacrarum Declarator & Approbator, omnis falsæ, apocriphæ, & temerariæ doctrinæ Censor, &c.

2. Magistratum omnem Ecclesiasticum instituit, Cardinales creat, Legatos in universum orbem mittit, Archi-Episcopos, Patriarchas, Primates, Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, aliosque Ecclesiæ ministros necessarios ordinat, & ad omnes mundi plagas operarios & prædicatores destinat, Concilia & Synodos convocat & approbat, &c.

3. Sacramentorum materiam, formam, ritus declarat; Sacramentalia instituit, Officia sacra & Divina, omniaq; ad cultum Dei necessaria plenissimâ auctoritate decernit.

4. Leges sancit, canones condit, constitutiones, decreta, mandata ad Ecclesiæ & disciplinæ ecclesiasticæ decorem & conservationem edit, &c.

5. Pastoralem in omnes curam administrat; Verbo & omnibus mediis in Ecclesia Dei institutis illas pascit; à lupis defendit, infirmis succurrit medicinâ Sacramentorum, Absolutione peccatorum, dispensatione in vinculis, oneribus ac impedimentis saluti adversariis vel infirmitati non convenientibus, &c.

6. Peccantes censuris corrigit, rebelles & incorrigibiles variis pœnis plectit, excōmunicat, suspēdit, interdicit, deponit, degradat, &c. De quibus omnibus specialiter suis locis: pono autem unam Regulam Generalem.

RE-

REGULA GENERALIS

Pontifex Romanus potest quidquid ordinatè spectat ad Ecclesiæ bonū & animarum salutem.

Pontifex Romanus Potestate à Christo mediante Petro (cui succedit) sibi collatâ, potest quidquid ordinatè pertinet & refertur ad Ecclesiæ bonum, & animarum Christianarum salutem.

Ratio hujus Regulæ est: Quia Christum in nullo Ecclesiæ suæ aut animarum saluti defuisse credendum est; defuisset autem, si Potestatem in necessariis ad salutem vel Ecclesiæ bonum defectuosam dedisset.

Dixi (*ordinatè*) ordinatio autem ista debet sumi in ordine ad tria 1. Ad *Dei Sapientiam*: Unde non potest Papa peccata mortalia remittere, aut gratiam conferre extra Sacramenta, sive absque Sacramentorum ministerio & operatione, nec Sacerdotes instituere absque Ordine &c. Quia Sapientia Dei & Jesu Christi, Potestatem Petri Sacramentis alligavit, etsi illam excellenter absque Sacramentis habuerit. Unde & tribuitur Sapientiæ, quòd ædificaverit sibi domum, & subdiderit columnas septem.

Prou. 9. 1.

2. Ordinatio illa respicit *Æquitatem*: Unde nil potest Papa contra Leges Dei & Christi naturales & positivas, etsi illas interdum possit interpretari vel declarare, aut in supposito & materia Legum aliquid mutare.

3. Ordinatio illa sumitur in ordine ad *Dei Bonitatem*; quæ etsi immensa sit, ordinata tamen est: Unde non potest Papa impium in peccatis manentem justificare, aut impœnitentem absolvere, &c. Cætera, quæ his non obstant, Papa potest. Restat unum Dubium incidentale.

DUBIUM INCIDENTALE.

An in omnibus Christianus debeat Pontificis Romani Decretis sive Mandatis obedire.

In ōnibus justis, licitis & ordinatis tenetur Christianus Papæ obedire.

REsp. *In omnibus justis, licitis & ordinatis teneri quemlibet Christianum Summi Pontificis Decretis & Mandatis obedire.*

Dixi (*in justis*) Justa autem dicuntur, quæ non sunt in alicujus ruinam, seu injustum detrimentum.

Dixi (*in licitis*) Licita dicuntur, quibus nec peccatum, nec peccati occasio est annexa.

Dixi (*ordinatis*) Illa autem sunt ordinata, quæ non superant vires, aut conditionem vocationis uniuscujusque.

Ex quibus Infero 1. Ubi de manifesta constaret injustitia in Mandato vel Rescripto, præsumendus est Pontifex delusus aut circumventus, ideò Mandato supersedendum. Ex argumento c. *Si quando* de Rescript.

Argū. c. Si quādo.

Infero 2. Ubi Mandato annexum est aliquod peccatum, aut quod peccato occasionem præbet, præsumendum est Summum Pontificem non fuisse benè informatum, nec malum advertisse aut periculum prævidisse, adeoque cum reverentia Mandatum suscipi debet, fieri non debet: argumento c. *Cùm teneamur* de Præbendis.

Argum. Cùm teneamur.

Infero 3. Quod supra vires & ultra vocationem mandatur, suscipere quidem meritorium est Christiano, non tamen tenetur obedire. Ut si sæculari libero, sive nullâ lege obligato absque causa præciperet Papa cœlibatum, aut perpetuum jejunium.

ANNOTATIO.

HÆc fortè alicui minùs arridebunt: Quasi viam aperiant minori, ut imaginabuntur, Obedientiæ ad illam Sanctam & tremendam Sedem. Nil simile est, veritatem sector quam promisi, & S. Sedem reverentiâ prosequor. Pono itaque in publicam lucem sequentes Propositiones.

PROPOSITIO I.

Sedes Rō. nec in Fide, nec in Moribus aut Justitia sciēter errat.

S. *Sedes Romana sicut nec in Fide, sic nec in Moribus aut Justitia sciens & volens errat.* Hanc Propositionem apud me certam habeo, pro qua & sanguinem fundere vellem. Hanc enim Petram in Fide & Justitia firmam, & à Christo firmatam arbitror, differenter quidem: In Fide absolutè: In Justitia, supposita cognitione clarâ & verâ, & ab improvidentia & inconstantiis humanis vindicatâ.

Nota.

Ratio differentiæ est valdè notanda: Fides enim, quia revelationi innititur & primæ Veritati, ab illo solo dependet, qui revelat, cujus promissio cùm independens & firma sit, nihil est quod nos in rebus Fidei vel dubitare vel vacillare permittat: Justitia verò non ita, cùm enim ex nobis caducis, inconstantibus & ignorantibus hominibus objectum illius oriatur, non decernitur sine nobis, non administratur sine nobis, tota denique causa, totum subjectum est in nobis hominibus: Auctores, si qui sunt, homines sunt: Consultores, homines sunt: Causæ, humanæ sunt; Mirum non est, si quandoque Judex errat, in materia mutabili & inconstante, in hominibus, quorum cor inscrutabile & dolosum. Unde pono secundam Propositionem.

PROPOSITIO II.

Ex accidēdi in Decretis Morū potest declinare à vero & justo reali.

SEdem Romanam ex accidenti & obliquo contingit aliquando in Mandatis & Decretis Morum declinare à vero & justo reali. Id quotidiana experientiâ, & Pontificum Summorum confessione & luctu manifestum est. Experientias experientibus relinquo: Confessionem Summorum Pontificum pono: Joannis 22. in Extravag. *Execrabilis* de Præbendis in principio conqueritur: *Improbitatem importunam à se & successoribus suis multa, non tam obtinuisse quàm extorsisse.* Similia habentur c. *Cùm in juventute* de Purgatione Canonica §. Cæterùm. Et tit. de Officio Delegati c. *Sanè.* Ubi Alexander 3. Episcopo Bononiensi mandat, *ut advertant ad Litteras Apostolicas, & si aliquod*

Ioānes 22. in extrav. execrabilis. c. Cùm in juvētute. Alexāder 3. c. Sanè.

est eorum examen remittere ad loca sua, ubi recurrent. Aut enim communia sunt Episcopis, ut quæ de Sacramentis Ordinis & Consecrationis dicenda sunt: Aut Parochis, ut quæ de Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia, Extrema Unctione, Matrimonio sunt tractanda: aut certos Status, Gradus, & Officia concernunt, aut quæ Legibus, Canonibus, Decretis, Mandatis, Absolutionibus, Dispensationibus comprehenduntur: ideoque melius & utilius in istis locis tractabuntur. Duo sunt quæ ad Romanum Pontificem singularius & universalius spectant, & quæ ad omnes Status, Gradus & Officia diriguntur, nimirum: Censuræ seu Pœnæ Ecclesiasticæ: & Indulgentiarum largitio; quorum prius ad correctionem seu Clavem ligantem; Alterum ad relaxationem sive Clavem aperientem pertinet. De his duos Incidentales Tractatus immediatè ponemus: si tamen primò tres Appendites ad priora ponamus.

Appendix I.

De Obligationibus & Peccatis Summorum Pontificum.


Obligationes Summorum Pontificum & Ecclesiæ Capitis ex Primatu, Potestate & Officiis pro rei natura & circumstantiis nascuntur: Nam teste Gregorio Hom. 9. in Evangelia: *Cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum: tantò ergo esse humilior, atque ad serviendum Deo promptior quisq; debet esse ex munere, quantò se Obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione*, &c. Rationem Villicationis requiret Deus, requiret & debitum, & qui posuit rationem cum servis suis ajebat ei, qui decem millia talentorum debebat: *Redde quod debes.* Quid Summus Villicus, quid servorum Princeps, quid totius Ecclesiæ Oeconomus & Dispensator debeat: Nolo ponere in cælum os meum: Nolo Primæ Sedis quæ à nullo judicatur, judicium præsumere. Remitto ad ea, quæ S. Bernardus plenus pietate, devotione liquescens, zelo ardens libris quinque de Consideratione ad Eugenium Papam scripsit: in quibus fateor non tam peccata Supremi Pontificis, quam diversarum personarum aperit, quibus Pontifex circumvenitur, & à quibus in universum Ecclesiæ Corpus detrimenta non modica derivantur. Remitto & ad Revre. Alvarum Pelagium Ioannis 22. Supremum Pœnitentiarium Episcopum Silvensem ex Ordine Minorum, qui quia Summis Pontificibus adhæsit; & S. Sedem adversus Petrum Corbarium Antipapam defendit, librum de Planctu Ecclesiæ eruditissimum scripsit: In quo & honorem S. Sedis tutatus est, & septem Considerationibus omnem Obligationem Summi Pontificis & defectus emergentes distinctè aperuit lib. 2. ab articulo 10. usque ad 15. inclusivè. Utar autem voce ad Augustinum cælitus delapsa, & dicam cum Reverentia Communi Patri *Tolle, lege.* Ne tamen videar minus dixisse, accipe Pontifex Beatissime Tabellam aliquam in qua depicta est Imago Filii Dei Christi Iesu, cujus Vicarius es, & ad cujus similitudinem formatus est Primatus tuus, Potestas tua, Officium tuum: De Christo siquidem Isaias: *Et vocabitur* (inquit) *nomen ejus Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps Pacis.* Hæc sunt nomina Christo Iesu quidem propria, tibi participatione ad imitationem concessa, quæ Tabula ista ministrabit.

S. Gregor. — *Mat. 18. 28* — *Obligationes Papæ vide apud S. Bern. l. 5. de Cõsideratione ad Eugeniũ.* — *Et Alvarũ Pelagiuml. de Planctu Ecclesiæ.* — *Isa. 9. 6.*

TABULA QUALITATUM

In Summo Pontifice Romano requisitarum.

- Admirabilis
  - In Primatus Dignitate, quâ præest
    - Sanctitati Præsulum.
    - Integritati Judicum.
    - Fidelitati Operariorum.
  - In Potestatis Universalitate, quâ
    - Sacra ordinat.
    - Leges præscribit.
    - Justitiam administrat.
  - In Universali Regimine, quod
    - Sollicitudo regit.
    - Labor adjuvat.
    - Clementia confirmat.
- Consiliarius
  - Doctrinæ Infallibilitate, quâ
    - Infideles convertit.
    - Fideles illuminat.
    - Omnes confirmat.
  - Prudentiæ Sagacitate, quâ bene consulit
    - Præteritis
    - Præsentibus
    - Futuris
  - Judicii Integritate, quâ
    - Odia amputat.
    - Favores restringit.
    - Acceptiones Personarum tollit.



Hoc eſt Speculum tuum Beatisſime Pater: Hæc Portio tua: In hoc Filii Dei Chriſti Jeſu Sacerdotis æterni Vicarius conſtitutus es: Ex hoc juſtificabitur vel condemnabitur qui Perſonam Chriſti gerit, & in ipſius Cathedra ſedet, ſecundùm quod eis conformis vel difformis apparebit.

APPENDIX II.

De Cardinalibus.

HIc agendum fuiſſet de Apoſtolico Senatu S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, tamquam Summi Pontificis Collateralibus: Hi enim Cardinales dicti: Quia tota Eccleſiaſtica Poteſtas, univerſa Eccleſiæ diſpoſitio his velut Cardinibus ſuſtinetur, & vertitur. Ex his enim Congregationes & Concilia Apoſtolica conſtituuntur: Ex his Judices cauſarum Pontifex ſibi ſumit, Ex his legatos Primarios ad ardua Eccleſiæ negotia per orbem dimittit: Hi ſunt Seniores, in quos, ut olim Moyſis, ſpiritus Summi Pontificis diſtribuitur, ne ſtulto labore conſummatur: Ad hos pertinet Electio Summi Pontificis: Etſi enim uſque ad tempora Nicolai 2. Electio Summi Pontificis pertinuerit ad Clerum & Populum Romanum, etſi diverſimodè; Utique ad Populum ut poſtulantem tantùm; ad Clerum verò, ut eligentem & conſtituentem (neque enim Populi poſtulatio admittebatur, niſi à Clero admitteretur & ſuffragia Cleri Pontificem eligerent.) nihilominus poſteà Electio ad ſacrum Collegium Cardinalium reducta eſt, & apud illos uſque in hunc diem perſeverat, De hoc vide Gratianum d. 63. & 79. De his &(inquam)agendum hìc fuiſſet tamquam ad perſonam Vicarii pertinentibus, & eam circumſtantibus, ſed cùm in Ordine cum Epiſcopis. ſi Epiſcopi; cum Presbyteris ſi Presbyteri. cum Diaconis ſi Diaconi, concurrant: In Officio autem cum ſacris Magiſtratibus & Judicibus, poteſtate à Supremâ Sede ſibi communicata, conveniant, ſub eadem doctrina eorum Officia tractanda erunt, quâ aliorum, quibus communicant. Unum tamen dico de eorum origine: Officio antiquiſſimi ſunt, cõparandi cum Petro, Jacobo, Joanne quos ſingularitùs ſibi adjunxit velut teſtes & conſcios præcipuorum myſteriorum Chriſtus Dominus. Comparandi cum Jacobo & Joanne, qui Petro velut Collaterales adhærebant, & qui videbantur, ut ad Gal. 2. dicitur, *Columnæ eſſe.* Galat. 2. 9.

Cardinales dicti ſunt: eò quòd illis velut Cardinibus tota eccleſiæ diſpoſitio vertitur.

Ad illos ſpectat electio Papæ.

Gratiani.

Officio antiquiſſimi ſunt.

Aliqui

Aliqui illos successisse septem Diaconis asserunt, iis scilicet, aut qui electi fuerunt tempore Apostolorum, aut in quos Fabianus septem Regiones Urbis divisit: Alii ad Titulatos illos Presbyteros sive Principales referunt, qui Urbe in Titulos divisa, sive in Ecclesias Titulares sub Evaristo, Higyno, Dionysio, Marcello I. distributa, Titulos obtinebant: Cardinalis tamen nomen non fuit usurpatum ante tempora Silvestri; Crevit nomen & Gradus à tempore Gregorii; Tandem successum temporis in Dignitatem, quam modo obtinent, Cardinales sunt provecti: Illis Innocentius 4. rubeum pileumdedit, ut memores essent se debere esse paratos pro Christo sanguinem fundere, ut habetur in vita Innocentii tom. 3. Concil. p. 2. Qualitates Cardinalium praescripsit Concilium Oecumenicum Basiliense sess. 23. Ubi & eorum Juramentum habetur sub his verbis: *Ego N. nuper assumptus in S. Romana Ecclesia Cardinalem, ab hac hora in antea ero fidelis, B Petro Universalique & Romana Ecclesia, ac Summo Pontifici, ejusque Successoribus canonicè intrantibus: Laborabo fideliter pro defensione fidei Catholicae, extirpationeque haeresum & errorum, ac schismatum, reformatione morum, ac pace in populo Christiano: In alienatione rerum & bonorum Romanae Ecclesiae, aut aliarum Ecclesiarum, & beneficiorum quorumcumque non consentiam, nisi in casibus à jure permissis, & pro alienatis ab Ecclesia Romana recuperandis pro posse operam dabo: Non consulam Summo Pontifici, nec subscribam me nisi secundum Deum, & conscientiam meam: Quae mihi per Sedem Apostolicam fuerint commissa fideliter exequar: Cultum Divinum in Ecclesia Tituli mei, & ejus bona conservabo. Sic me Deus adjuvet.* Haec ibi, ubi & latius prosequitur quae Cardinalibus sunt praescripta. Videatur & Concilium Lateranense sub Julio II. & Leone X. sess. 9. tit. de Cardinalibus, ubi gravissimae leges eis praescribuntur in vita, moribus, vestitu, familia, ubi & de Reformatione Curiae Romanae praeclarissima decernuntur. Potest & videri Alvarus Pelagius suprà art. 16. His finem impono.

Cur rubeum pileũ gestent Cardinales.

Cõcil. Basileense.

Iuramentum fidelitatis quod praestant Cardinales.

Cõnc. Lateranense sub Iulio II & Leone X.

Alvarus Pelagius.

Appendix III.

De Conciliis Oecumenicis & Generalibus.

PLurima, quae de Conciliis Oecumenicis & Generalibus dicenda forent, Controversiarum & Historiarum Scriptores magis contingunt, quam operis hujus scopum: Ne tamẽ praetermisisse à proposito videar, quae communiter ab omnibus desiderantur, pono tres sequentes Propositiones.

Propositio I.

COncilium, quantumvis Oecumenicum & Generale, est inferius Papà. Hoc fateri debent quicumque Papam Ecclesiae Caput verè fatentur, ni monstrum sibi fingere velint Corpora supra Caput prominente: Cum enim Concilium Corpus Ecclesiae repraesentet, Corporis rationem non excedit, & quamvis selectioribus Corporis membris constituatur, tamen sine Capite mutilum est. Hoc etiam fateri debent, quicumque Concilium non posse cogi vel convocari absque Romani Pontificis auctoritate asserunt, quem universalem sensum Ecclesiae esse docent omnes canones dist. 17. à Gratiano allegati. Hoc ipsum teneant necesse est, qui Conciliis quibuscumque finem denegant, nisi per Romanum Pontificem sint eorum decreta approbata, ut habetur ibid. c. *Regula*. Et dist. 16. c. *Sancta*. Octo Concilia auctoritate Romani Pontificis de facto approbantur. Ex quibus infero: Concilium non potest congregari, nec aliquid ratum diffinire absque Pontificis Romani, tamquam Ecclesiae Capitis, consensu, ergo ab illo dependet tamquam à Superiore, ergo Romano Pontifice inferius est. Concilium sane Basileense anno 1431. quamvis Oecumenicum à Pontifice Romano reprobatum fuit in doctrina contraria, & PP. Synodi acceptantes Decreta Pontificis, sic in 1. Epistola responsali responderunt: *Quidquid in sacris statuitur Conciliis, sua etiam* (id est Papae) *auctoritate statuitur, quae semper ibidem refulget, ut prima & praecipua, omnibus Caput & Directrix.* Infrà: *Dum enim ipse praesens est, ipse concludit, ipse statuit. & sub nomine suo ac persona ejus omnia decernuntur: Dum abest, sui Praesidentes, qui ejus vice funguntur, locumq́; Apostolicum tenent & personam Pontificis repraesentant, per S. Concilium deliberata concludunt: Per Concilia autem Statuta in nullo derogant suae Potestati, quia pro tempore, loco & personis, utilitate vel necessitate suadente moderari dispensarique possit, atque uti Summi Principis epikejà, quae ab eo auferri nequit.* Haec ibi.

Concilium Generale est inferius Papà.

Gratianus.

c. Regula.
c. Sancta.

Cõcil. Basileense.

Nec dictis obstant appellationes à Papa ad futurum Concilium, aut quòd Papa interdum permiserit Conciliis suorum factorum judicium. Praeterquam enim quòd illae condemnatae sint, non probant Concilium esse supra Papam, cum nec tale Concilium absque Papae consensu congregari possit; sed probant dumtaxat ad manifestationem aequitatis & veritatis, & totius Ecclesiae satisfactionem, expedivisse, ut nonnulla in Generali Concilio Ecclesiae proponerentur; non quia Concilium supra Papam, sed ad ostendendam concordantiam & consonantiam totius Ecclesiae, sub Capite visibili & eius auctoritate & influxu adunatae. Lege super his praeclara acta Concilii Ephesini, sub Celestino Papa cap. 15. Elegantias etiam Tarasi in Concilio 2. Niceno, ubi de literis Adriani Papae Synodum confirmantis agens. *Eramus* (inquit) *dum illa perlegebantur in regio convivio epulis spiritualibus intenti: Quod tali convivio animi recreabantur; pedèsque nostri in via veritatis per te ducebantur: sic confracta membra in unum corpus componebantur, sic vera concor-*

Qui Papà interdum permiserit Conciliis suorũ factorũ judicium.

Conc. Ephesinum.

Tarasius in Conc. 2. Niceno.

dia convaluit : Sic Ecclesia Catholica in unum collecta est. Hæc ibi.

PROPOSITIO II.

Non licet Conc. tanquam superiori papam judicare. Sylv. c. Nemo

NUnquam licuit Concilio tamquam Superiori Pontificem Romanum aut ejus acta dijudicare. Hoc clamat, hoc agnovit Sylvester I. in Generali Ecclesiæ Synodo ut habetur 9. q. 3. c Nemo : *Nemo* (inquit) *judicabit primam Sedem, justitiam temperare desiderantem: Neque enim ab Augusto, neque ab omni Clero, neque a Regibus, neque à populo Judex judicabitur.* Ibid. c. Aliorum : Symmachus Papa universis Episcopis: *Aliorum hominum causas Deus voluit per homines terminare, sacræ vero Sanctæ Sedis Romanæ Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio : Voluit B. Petri Successores cælo tantum debere innocentiam, & subtilissimæ discussionis indagini inviolatam exhibere conscientiam.* Vide latius quæ tom. 1. Conciliorum p. 1. tr. de Primatu Romanæ Ecclesiæ tractantur in Collectione Severini Binnii.

Symmachus Papa c. Aliorū.

Scrupulus remanet: Quod Marcellinus se judicio Concilii Episcoporum subjecit : Quòd Synodi diversæ adversus Symmachum, Pelagium I. Leonem III. & Paschalem congregatæ sunt.

Respondeo: An benè, an legitimè, an sine eorum consensu ad manifestandam innocentiam suam? Hoc agnoverunt Synodi. Nam Marcellino à Synodo responsum est : *Tuo te ore judica, nam prima Sedes à Nemine judicatur* : *Collige* (inquiunt) *in sinu tuo causam tuam, quoniam ex te justificaberis, & ex ore tuo condemnaberis.* Vide c. Nunc autem d. 21. & pœnitentem consolati sunt, quem à fide non defecisse constat, sed actum externum idololatriæ timore mortis illegitimè exercuisse. Eadem fuit protestatio Synodorum tempore Symmachi & aliorum. Sed & apud Calcedonem Alexandrinus Antistes à Synodo sine ulla Restitutione damnatus est : *Qui* (inquit Nicolaus Papa Epistola ad Michaelem Imperatorem d. 21. c. In tantum) *ponens in cælum os suum, lingua ejus transeunte super terram, excommunicationem in S. Leonem Papam dictavit.* Lege etiam (si placet) præclaram scientiam omnium horum conclusivam S. Bonifacii martyris d. 40. c. si Papa.

C. Nunc autem

Nicolaus Papa c. In tantum Bonifaci. Martyr. c. Si Papa.

PROPOSITIO III.

Nullus legitimus Papa jure à Concilio fuit depositus.

NUllus legitimus Pontifex Romanus jure à Concilio Generali Oecumenico fuit unquam depositus. Remitto ad veritatem Historiarum quas sufficienter examinant, qui de his ex professo agunt. Quod enim in schismate & aliis casibus nonnulli deprehensi sunt illegitimi, & à S. Sede amoti, illa depositio non fuit, sed declaratio illegitimæ intrusionis. Quod etiam de Liberio à Constantio, & Vigilio à Justiniano Imperatoribus depositis referunt, id persecutionibus & violentiis non depositioni legitimæ aut juridicæ attribuendum : Lege quæ de depositione Liberii & Felicis in ejus locum subrogatione, Theodoretus, Zozomenus, Socrates & Nicephorus scribunt, & inde injustitiam & violentiam contra innocentem metire.

Sed iterum scrupulus unus restat ex d. 40. c. Si Papa, ubi innuitur Papam, si deprehendatur à fide devius, judicandum esse, & consequenter posse pro pertinacitate depositionis pœna plecti.

c. Si Papa

Respondeo: Apud me hanc Quæstionem nec scrupum, nec scrupulum causare : Mihi enim 1. certum est : Nullum Pontificem hactenus in hæresim lapsum fuisse : Si enim apud aliquos aliqua reperiantur ab iis dicta, quæ errorem sapiant (prout plures errores illis impositos, & ab aliis allegatos Bellarminus enumerat) illos quidem Pontifices de Cathedra errores docuisse nemo affirmabit : Nemo æquus Scriptorum arbiter etiam ut particulares Doctores articulum tunc actu damnatum illos docuisse monstrabit : Nemo contra Ecclesiæ vel Antecessorum de fide sententias, errores pertinaciter sectatos esse probare poterit. Derectæ fuerunt plus satis hæreticorum calumniæ, quibus non tantum gravissimos Episcopos, sed & Romanos Pontifices velut sibi complices hæreseos insinuarunt. Legendus Eusebius l. 1. Hist. Eccles. c. 7. Symmachus Papa Ep. ad Anastasium Imperatorem, & alii multi.

Nullus Pontifex hactenus in hæresim lapsus est.

Eusebius Simmac. Papa.

2. Certum mihi est Romanum Pontificem, fidei veræ Judicem, in fide errare non posse. Quà enim certitudine Petrus confirmabit fratres suos, quos expetivit Sathan, ut eos cribraret ut triticum, si seipsum confirmare non possit? Quomodo non poterunt portæ inferi, adversus Ecclesiam prævalere, si adversus Petram super quam fundata est, per hæresim prævaleant? Accipe Bernardum in Epistola ad Innocentium: *Ad Apostolatum vestrum referri oportet pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei, & præsertim quæ de fide contingunt. Dignum quippe arbitror tibi potissimum resarciri, ubi fides non possit sentire defectum : Hæc quippè hujus prærogativa sedis est : Cui enim alteri aliquando dictum est* : Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua? Hæc Bernardus. Abi, qui hîc divisiones Methaphysicas fingis, & separa mihi Petrum à Capite Ecclesiæ post verba Christi, & Romanum Pontificem à Liberio & Honorio, & remanente Romano Pontifice in sua Sede, depone mihi Liberium : Si (ut supponis) Pontifex non erraverit, sed Liberius, & Honorius hæreticorum calumniis. Amplius dico : Si daretur Papa Hæreticus, & ob incorrigibilem hæresim amoveretur à Concilio, illa propriè depositio non esset à Concilio procedens, sed Papa hæreticus se pertinaciter manifestans declararetur rescissus hoc ipso ab Ecclesia, ut emortuum Caput.

Rom. pont. vera fidei judex in fide errare non potest.

S. Bern.

Luc. 22. 32



TRACTA-

TRACTATUS IV.

De potestate Romani Pontificis in ferendis Censuris & pœnis.

QVIA Potestas Iustitiæ Vindicativæ Ecclesiasticæ primario & singulariter ad Supremum Pontificem pertinet, à quo inferiorum Prælatorum Potestas etiam ex causa restringi potest, nec appareat commodior locus tam necessariam materiam, utpotè quæ Ecclesiæ Præsules & eorum subditos contingit examinandi, illius examen hic exhibeo.

QVAESTIO SUMMARIA.

Quid sit Censura & quotuplex?

CONCLUSIO I.

Definitio Censuræ Ecclesiasticæ.

CEnsura, *est Punitio medicinalis inflicta ab habente Potestatem pro delicto, privans hominem baptizatum aliquo vel aliquibus bonis spiritualibus, vel civilibus in ordine ad spiritualia ad illius correctionem & emendationem.* Conclusionem explico per partes suas

Dixi *(Punitio)* est enim actus vel effectus Justitiæ vindicativæ tendens ad punitionem personæ delinquentis. Nolui ponere pro genere Diffiniri Pœnam, etsi enim generali nomine Censura Pœna sit, singulariter tamen, quia modò distinguunt Pœnas strictò modo sumptas contra Censuras, malui uti nomine universaliori punitionis, quam Pœnæ.

Differt à pœna strictè sumpta quod infligatur ad finem emendationis, & ea qua semel est inflicta tolli possit; non item illa.

Dixi *(medicinalis)* in hoc enim distinguuntur Censuræ à Pœnis in rigore sumptis, ut sunt: Depositio, Degradatio, &c. quod Censuræ non imponantur nisi ad finem emendationis, & emendatione secutâ statim absolutionis beneficio eluantur: Pœnæ autem meræ & puræ vindictæ sunt, quæ etsi indirectè ad emendam personæ; non tamen ad absolutionem à pœna ordinantur: Qui enim excommunicatur, non excommunicatur, nisi ut contumaciam deponat, & ad obedientiam legis & præcepti redeat: Similiter qui suspenditur vel interdicitur: Qui autem absolute deponitur ab officio vel beneficio, vel qui degradatur ab Ordine, humiliari quidem potest, & à peccato resipiscere ad salutem: Depositionis tamen & Degradationis Pœna remanet, sed de his infrà latius.

Dixi *(inflicta ab Habente Potestatem)* Qui autem habeant, & in quos habeant, juxta naturam rei in singulis Censuris expendemus.

Dixi *(inflicta pro delicto)* cum enim Censura sit actus vel effectus, Iustitiæ vindicativæ, absque delicto vero & cognito non potest infligi.

Dixi *(privans hominem baptizatum)* Ubi audis *hominem*, intellige rationis compotem & ratione utentem, ad excludendos amentes & infantes, hi enim sicut peccati, sic & Censuræ incapaces sunt: Cùm audis *(baptizatum)* agnosce hominem paganum & Infidelem non posse incurrere Censuram, quia extra Ecclesiam est: Nihil autem ad Ecclesiam pertinet, de iis quæ foris sunt judicare.

Dixi *(privans aliquo vel aliquibus bonis spiritualibus)* non enim omnes Censuræ iisdem privant, ut infrà constabit.

Dixi *(vel civilibus in ordine ad spiritualia)* sunt enim aliqua, quibus privantur Excommunicati vel aliàs Censurati, quæ etsi ex materia & re ipsa spiritualia non sint, tamen vel spiritualibus conjuncta sunt, vel ad spiritualia ordinantur ut patebit.

Dixi *(ad illius correctionem & emẽdationem)* Videatur suprà explicatio termini *medicinalis*, explicat enim qualiter Censura ad correctionem & emendationem referatur.

CONCLUSIO II.

Censura triplex: Excommunicatio Suspensio Interdictum

CEnsura est triplex: *Excommunicatio, Suspensio, Interdictum.* Ratio divisionis sumitur ex eo: quod in ordine ad emendam, hæc tria hominem privent certis bonis spiritualibus ut de singulis statim ostendemus. Ut autem distinctius doctrina de Censuris proponatur, divido illam in tres Titulos, & primum Titulum in suas Sectiones partior. Sed & ad cumulum Pœnas Ecclesiasticas prosequor Titulis aliis sequentibus.

TITVLVS I.

De Excommunicatione.

SECTIO I.

De Natura & Effectibus Excommunicationis.

QUÆSTIO I.

Quid significet nomen Excommunicatio?

CONCLUSIO I.

Generaliter significat quamcumque cõmunionis privationem. Gabriel.

NOmen (Excommunicatio) *generaliter sumptum significat quamcumque Communionis sive Communicationis Privationem.* Est enim ut notat Gabriel in 4. d. 18. q. 2. *Excommunicatio,* Idem quod *Extra Communionem positio*, sive separatio vel exclusio. Et ex generali nominis ethymologia invenimus nomen *Excommunicationis* varie usurpatum. Aliquando enim usurpatur pro sola Privatione colloquii, seu separatio-

Conclusio II.

Residet in Prælatis qui Coercitivam Potestatē & Jurisdictionē quasi episcopalem habent in foro externo.

H*Æc Potestas excommunicandi residet solum apud Prælatos, qui Coercitivam Potestatem & Iurisdictionem quasi Episcopalem habent in foro externo, modo aliunde non impediatur.*

Dixi (*apud Prælatos, qui Coercitivam Potestatem & Iurisdictionem quasi Episcopalem habent.*) Hic enim singulariter notandum est: Quòd etsi omnibus Superioribus, quibus animarum cura demandata est, Potestas Clavium ad remittenda peccata communicetur, & consequenter Potestas ligandi & coercendi peccatores in foro Interno & pœnitentiali: Non confertur tamen Potestas illa Coercitiva in foro externo, quæ ad solos Prælatos, quibus regimen externum commissum est, pertinet: sicut enim duplex Clavis Petro collata est, sic hic duplicem Potestatem Clavium distinguere oportet: Nam aliæ sunt Claves, & consequenter alia Potestas Clavium Ordinis & Jurisdictionis respectu fori interni & secreti pœnitentialis, aliæ sunt Claves & Potestas Clavium Ordinis & Jurisdictionis respectu fori externi, seu externi regiminis: Et quemadmodum quoad forum internum & secretum pœnitentiale alii habent Potestatem Ordinis, qui tamen Potestatem Jurisdictionis non habent, ut simplices Sacerdotes: Alii Potestatem Jurisdictionis, qui tamen Ordinis non habent, ut qui ante Ordinis susceptum Sacramentum Pastoratum vel etiam Episcopatum obtinent, unde & Confessarios approbant & delegant pro isto foro: Alia utrumque. Ita etiam quoad forum externum, alii Potestatem quidem Ordinis habent, sed non Jurisdictionis, ut Episcopi in alieno territorio, vel Suffraganei in Diœcesi cui inserviunt: Alii Jurisdictionem, sed non Ordinem, ut Episcopi non ordinati, Abbates sæculares, Archidiaconi, Præpositi non Sacerdotes: Alii utrumque, ut Episcopi ordinati. Prælati itaque majores & actuales non impediti semper Jurisdictionem Coercitivam habent in externo foro, ita ut possint excommunicare, & in illis quæ sunt externi fori Ecclesiastici, ligare & solvere proportionaliter juxta rationem Prælaturæ suæ. Hæc autem Potestas à Potestate externa Clavium dependet, quæ pertinet ad regimen, vocaturque magis propriè Gladius, quam Clavis, etsi Gladius à Clave procedat, quæ ut alibi diximus, est symbolum Regni & regiminis.

Duplex Potestas Clavium ab invicē separabilis.

Prælatorum prædictorum catalogus.

Ex his enumerativè Dico 1. *Potestatem excommunicandi principaliter & velut radicaliter residere in Summo Pontifice.* Ratio est: Quia illi soli Claves promissæ & datæ sunt; unde & cæterorum Prælatorum inferiorum Potestatem justis de causis restringere potest.

2. *Potestatem Excommunicandi ex vi Officii & Potestatis Clavium sibi communicata habent Episcopi, Archiepiscopi, Patriarcha, Primates in subditos: Itèmque Concilia Generalia auctoritate Papæ, & Provincialia auctoritate Archiepiscopi congregata, quibus additur Capitulum Sede vacante: Et Vicarius Capituli Sede vacante* ad formam Concilii Tridentini sess. 24. c. 16. de Reformatione electus. *Trident.*

3. *Legati Pontificis in terris suæ Legationis.*

4. *Generales & Provinciales Ordinum, nec non Abbates*, quia hi omnes Potestatem quasi Episcopalem habent. Et fere omnes in jure communi exprimuntur, ut de Legatis c. Legatos, de Officio Legati in 6. De Conciliis c. Grave nimis de Præbendis. Et quoad alios c. Transmissa, & cap. Suffraganei, de electione, & c. Cùm Ecclesiarum de Officio Ordinarii, & c. Cùm ecclesia, de Majorit: & obedient.

c. Legatos c Grave nimis. c Transmissa. c. Suffraganei. c. Cùm Ecclesiarū. c. Cùm Ecclesia.

De Guardianis & Prioribus Conventualibus aliqui affirmare videntur, ut Portellus V. Abbas in additione n. 1. Negat Hieronymus Llamas in Summa c. 9. n 17. Cui magis adhæreo: Hi enim Coercitivam valdè ligatam habent ordinario jure, & quamvis sint Prælati, non sunt tamen Prælati majores ex iis, qui quasi Episcopalem Potestatem in suos sortiuntur. Unde si quando excommunicant, vel ut Declaratores & Promulgatores, vel ut Subdelegati excommunicant.

Portellus. Hieron. Llamus. Priores, Guardiani & c. non possunt excommunicare.

Dixi (*modò aliundè non impediatur*) Impedimenta autem hæc ut plurimum sunt sequentia. 1. *Si potestas à Superiore sit legitime suspensa vel restricta.*

Quibus casibus impediatur Potestas excōmunicandi.

2. *Si*, qui excommunicat, sit ipse excommunicatus, notorius scilicet vel denuntiatus; Excommunicatus enim, si notorius sit, Jurisdictionem ligatam habet, nec excommunicare potest.

3. *Si à Jurisdictione sit suspensus.* Dico (à Jurisdictione) potest enim quis esse suspensus ab officio, vel actu Ordinis, qui non esset suspensus ab executione Jurisdictionis, si utique ei Jurisdictio competat non præcise ab Officio; sed à dignitate, vel a statu ab officio distincto. Hæc videantur apud Canonistas; qui etiam communiter tenent illos, qui hujusmodi impedimentis ligantur, si impedimenta notoria sint, peccare mortaliter; ex eo quòd actibus prohibitis in re gravi se immisceant.

Quæstio V.

Quis censeatur Subditus, ut in illum Excommunicatio ferri possit.

Conclusio Unica.

Subditus est, qui de Excōmunicantis Territorio existit, aut ejus Jurisdictioni vero vel alio titulo subjacet.

O*Mnis ille Subditus censendus est, qui de Excommunicantis Territorio, vel quasi Territorio existit, aut Excōmunicantis Jurisdictioni obedientia, vero, vel alio titulo subjacet.*

Dixi (*qui de Territorio excommunicantis existit*) sicut enim Potestas Episcoporum Diœcesibus terminatur, sic & omnes qui de Diœcesi existunt, Potestati Episcoporum subjiciuntur.

Dixi (*vel quasi Territorio*) ob Romanum Pontificem, cujus Potestas Territorio nullo conti-

continetur, sed in universum Orbem extenditur, qui ipsi quasi Territorium est, vel potius quia ejus Potestas absque respectu Territorii ad Personas terminatur. Quod & de Concilio Generali ejus auctoritate congregato dicendum est.

Dixi *(aut Excommunicantis Jurisdictioni obedientia, voto, vel alio titulo subjacet)* ob Generales & Provinciales Ordinum, nec non Abbates, qui cùm propriè Territorium non habeant (Territoria enim in quibus monasteria existunt propriè ad Episcopos spectant) in personas potius, quam in Territorium Potestatem exercent, quæ eis jure obedientiæ subjiciuntur, ubicumque tandem existant. Quamvis jure communi Provinciales in alterius Provinciæ Religiosos Jus dicant, si intra terminos suæ Provinciæ peccent, sed id non tam ratione Teritorii, quam ex legibus, & delegatione Ordinis, & Generalium Prælatorum.

Dixi *(subjacet)* propter Exemptos: Exemptionis enim Personarum, etiam in Territorio, ratio est habenda.

Episcopus nequit excommunicare Religiosos Exemptos.

Petes I. An Episcopus possit ferre Excommunicationem in Religiosos Exemptos, intra suum Territorium monasteria habentes.

Rodriguez. idē asserit de Legatis Apostolicis.

Resp. Negativè. Ratio est: Quia eo ipsò quod sunt Exempti, non sunt illi Subditi: Et ita declaravit Mart. V. & Eugenius 4. ut refert Roderiguez t. 2. q. 6. art. 6. Ubi etiam id per Clementem 4. prohibitum affirmat Legatis Apostolicis, nisi de hac Potestate singularis & expressa mentio fiat in eorum literis, cum derogatione expressa Exemptionis, quantum ad hanc facultatem.

Nota.

Notat tamen Religiosos Exemptos, si beneficia & pastoratus Episcopis subjectos administrent, quia in hoc Episcopis se subjiciunt, subjici etiam Excommunicationibus Episcopalibus, quæ hujusmodi administrationem concernunt.

An Episcopus possit excommunicare Subditū extra Territorium existentē.

Petes 2. An Episcopus possit Excommunicationem ferre in suum Subditum, tempore quo in alieno Territorio sive aliena Diœcesi existit.

Resp. cum distinctione: Si Subditus peccavit intra Territorium, & sententia legitime in Territorio pronūtiata sit, vel legem, cui est annexa Excommunicatio, in Territorio fuerit transgressus, eum Excommunicationem inrurrere: Si verò vel peccatum in Territorio non commisit, vel in Territorio existens non fuerit legitimè monitus, citatus & auditus non potest Excommunicari. Ratio est: Quia Excōmunicatio pertinet ad Iustitiam Contentiosam, cui extra Territoriū impunè non paretur, nec extra Territorium legitimè exerceri potest. Aliud est de Episcopo extra Diœcesim injustè ejecto, qui sibi in vicinia sedem delegat auctoritate Apostolica, hic enim potest, quamvis extra Territorium sit, suos Subditos excōmunicare, ut habetur in Clemētina 1. de Foro cōpetenti.

Clem. 1. de Foro competenti.

***

QUÆSTIO VI.

An tantùm pro mortali peccato externo possit quis excommunicari?

CONCLUSIO I.

Pro solo mortali potest quis excōmunicari. Cōc. Meldense. c. Nemo.

P*Ro solo peccato mortali tantum potest quis Excommunicari.* Hæc est totius Ecclesiæ communis sententia & sensus. Ita habetur 11. q. 3. c. *Nemo* ex Concilio Meldensi: *Nemo* (inquit) *Episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa Communione privet Ecclesiastica, &c.* Cujus ratione subdit: *Quia anathema est æterna mortis damnatio; & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illis qui aliter non potuerunt corrigi*: Ubi verba illa *(Quia anathema est æterna mortis damnatio)* comparativè & proportionaliter intelligenda sunt, hoc modo, quia sicut in judicio Dei nemo damnatur, nisi pro mortali peccato, sic in judicio Ecclesiæ nemo ab Ecclesia rescindi debet nisi pro mortali peccato. Et hoc est quod indicant antiqui Theologi, dum dicunt neminem debere excommunicari Majori excommunicatione, qui se non excommunicaverit Minori. Quod intelligendum est de effectu Minoris excommunicationis, non de excommunicatione Minori formaliter: Sensus enim est: Neminem debere excommunicari Majori excommunicatione, nisi per peccatum mortale se reddiderit indignum participatione Sacramentorum, qui est effectus Minoris excommunicationis. quo sensu loquitur Origenes Hom. 14. ad c. 24. Levitici. *Cùm aliquis* (inquit) *exit à veritate, à timore Dei, à fide, à charitate, exit de castris Ecclesiæ, etiamsi per Episcopi vocem minimè abjiciatur: è contrariò, aliquis dum non rectè judicio foras mittitur, si antè non exierit, id est, si non egerit ut mereretur exire, nihil læditur: interdum enim qui foras mittitur, intus est, & qui foris est, intra videtur retinere.* In idem citatur S. Hieronymus pene iisdem verbis 24. q. 3. c. *Si quis.* His consonat Concilium Trident. sess. 25. de Reformat. c. 3. *Quamvis* (inquit) *Excommunicationis Gladius nervus sit Ecclesiastica disciplinæ, &c. sobriè tamen magnâque circumspectione exercendus est, cùm experientia doceat, si temerè aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni quam formidari, & perniciem potiùs parere, quàm salutem.*

Origenes.

S. Hieron. c. Si quis. Trident.

CONCLUSIO II.

Non tamē quocūque, sed gravissimo, quodque in gravē Ecclesiæ & ecclesiastica disciplina jacturam cedat. Cōc. Aurel. c. Nullus.

N*On debet homo excommunicari pro quocumque peccato mortali, sed illud debet esse ex gravioribus, & quod in gravem Ecclesiæ & Ecclesiasticæ disciplinæ jacturam cedat.* De hoc antiqui Canones semper Episcopos monuerunt. Unde 11. q. 3. c. *Nullus*, quod sumptum est ex Concilio Aurelianensi sub Pelagio I. c. 5. *Nullus* (inquit) *Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus causis à*

Com-

Communione suspendat; prater eas culpas, pro quibus antiquè Patres arceri ab Ecclesia jusserunt committentes. Et in cap. *Nemo* supracitato dicitur: *Nemo Episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa Communione privet, &c. sine conscientia Archiepiscopi vel Coepiscoporū, nisi unde Canonica docet auctoritas, &c.* Iterum in Concilio Triburiensi concluditur, & habetur ibidem c. *Certum*: *Certum est pro his tribus criminibus aliquem Excommunicari debere: Cùm ad Synodum vocatus venire contemnit: aut si, postquam illuc venerit, Sacerdotalibus respuit obedire praeceptis; aut si ante finitam causa sua examinationem à Synodo abire praesumit.* Haec ibi. Et quidem, si antiqua Concilia spectemus, clarissimè apparebit non nisi pro gravissimis & scandalosis criminibus esse Excommunicationes latas. Et ex exemplis Apostolorum constat neminem excommunicatum nisi pro gravissimis culpis, ut constat de Excommunicatione Corinthii ob incaestum gravissimum, quia habebat uxorem patris sui: De Hymenaeo & Alexandro, quia haeretici & blasphemi erant: Nec simpliciter excommunicabantur qui fornicati erant; sed *frater, qui est fornicator*, id est, qui ex continuatione sceleris hoc sibi nomen promeruit: Item non ebrius, sed ebriosus, quod habitum & continuationem indicat. His consonat Tridentinum suprà: Ubi prohibet Excommunicationem ferri ob finem revelationis alicujus criminis, vel pro deperditis aut subtractis rebus, nisi à solo Episcopo, idque non alias, quàm ex re non vulgari, causâque diligenter ac magnâ maturitate per Episcopum examinatâ, quae ejus animum moveat, &c. Et hoc est, super quo contra abusus Excommunicationum, quae passim pro re nihili & merè temporali ab aliquibus ferebantur, tanto fervore ab antiquis clamatum fuit, de quo Gerson Lect. 4. de Vita spirituali animae lit. M. Poena enim Excommunicationis debet proportionari culpae & materiae culparum: Impertinentiam verò supradictae Excommunicationis lepidè explicat: *Nam* (inquit) *qui pro solis incommodis temporalibus evitandis aut commodis politicis conservandis aeternam vult infligere mortem, cui quaeso similis erit? Illi nimirum, qui volens abigere muscam à fronte vicini, eam securi percutiēs vicinum stolidus excerebravit*: His certè malis obviare voluit Concilium suprà, dum mandat Judicibus Ecclesiasticis, ut quantum fieri potest in causis judicialibus non utantur Censuris, ubi per alia media, etiam temporalia, quae ibi enarrat, executio sententiae fieri potest, sed tunc tantùm, quando est contra Judicem contumacia, nec apparet aliquod aliud remedium: In causis etiam criminalibus similiter.

[Margin: Meldensi c. Nemo. — Triburiēse c. Certū — 1.Cor.5.5. 1.Tim.1.20. — 1.Cor.5.11. — Trident. — Gerson. — Vide Trid. & Nota.]

CONCLUSIO III.

[Margin: Pro peccato merè interno nō potest ferri Excommunicatio.]

NOn potest ferri Excommunicatio pro peccatis quantumvis gravibus merè internis. Ratio omnibus Theologis communis est: Quia merè interna judicio externo fori Ecclesiastici non subjiciuntur: Excommunicatio autem Poena externi fori est.

DICES: Haeresis occulta etiam Excommunicatione feritur! Resp. Haeresim dupliciter dici occultam. 1. Quia purè mentalis est, nec signo aliquo externo prodita: Et haec Excommunicationi nullatenus subjacet. 2. Alia dicitur occulta, quia etsi externo actu exercita & demonstrata sit; hoc tamen occultè, & nemine praesente factum est, aut uno solo qui testificari non potest: Et haec Excommunicatione feritur, quia peccatum mere internum non est, externum, & ob actum externum materiam Contentiosi fori subire potest. [Margin: Nota.]

QUAESTIO VII.

An requiratur ut ad peccatum mortale sit adjūcta Contumacia, ut incurratur Excommunicatio?

COntumaciam duplicem distinguunt Doctores: Alia est formalis & explicita, qualis est ejus, qui explicitè recusat obedire: Alia est interpretativa seu implicita, quà quis, etsi explicite non recuset obedire, de facto tamen, etiam comminatâ vel per legem poenâ appositâ, sciens & volens non obedit. Unde hic benè advertendum est: In mandatis: Aliud esse, mandatum sive praeceptum simpliciter proponi sub obligatione, quae ordinariè praeceptum consequitur: Aliud, obligationi ex natura praecepti provenienti superaddere Comminationem Poenae, ex. gr. Excommunicationis, sive de facto incurrendae, sive infligendae: Haec enim Poenae Comminatio supplet locum Monitionem, quae in Excommunicatione ab homine praemittuntur. Quia enim Lex naturam est, & Legislatorem loquentem repraesentat, cùm per se loqui non possit, Comminatio Excommunicationis vel ipso facto incurrendae, vel infligendae in scriptura contenta locum & vices Monitionum censetur subire, in ordine ad obedientiam vel contumaciam indicandam.

[Margin: Contumacia alia formalis, alia interpretativa. — Nota. — Poena Cōminatio supplet locū Monitionum.]

CONCLUSIO UNICA.

[Margin: Ad Excōmunicationē requiritur aliqua Cōtumacia.]

AD Excommunicationem inferendam non sufficit peccatum mortale, nisi simul concurrat aliqua Contumacia formalis vel interpretativa, sive implicita.

Hanc Conclusionem probat Scotus in 4. d. 25. q. 1. num. 11. ex verbis Christi Matth. 18. *Si* (inquit) *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*: Unde infert: Ergo si Ecclesiam audiat, vel paratus sit audire, non debet haberi ut ethnicus & publicanus; quorsum enim ut ethnicus & publicanus habebitur, qui in eadem fide & obedientia cum aliis communicat. Et ita indicant Canones suprà q. 5. concl. 1. allegati: In Meldensi enim Concilio expressè specificatur non debere imponi Excommunicationem, nisi pro mortali peccato, & addicitur: *Et illis, qui aliter non potuerunt corrigi.*

[Margin: Scotus. Mat.18.17 — Cōc. Meldense.]

Tribar. c. Certum. corrigi. Et conclus. 2. citatum caput *Certum* (quod est Concilii Triburiensis) idem omnino indicat, referens tres causas Excommunicationum, quae omnes Contumaciam involvunt: Bene S. Prosperl. 2. de Vita Contempl. c. 7. relatus 24. q. 3. c. *Ecce autem*: *Ecce autem* (ait) *crimina quorumlibet (si ipsis criminosis confiteri nolentibus undecumque claruerint) quaecumque non fuerint leni medicamento sanata, veluti igne quodam pia increpationis urenda sunt & curanda. Quod si nec sic quidem aequanimiter sustinentis, ac pie increpantis medela processerit, en eis, qui dum portati, & salubriter objurgati corrigi noluerint, tamquam putrida corporis partes debent ferro Excommunicationis abscindi.* Haec Prosper: In quibus iterum insinuat duplicem Contumaciam: Alia est: Superiori aperte resistendis. Alia est: Legi & mandato incorrigibiliter inobedientis. Semper igitur praesumitur Contumacia aliqua ad Excommunicationem, quae est vel corrigi nolentis, vel poenam Excommunicationis mandato appositam saltem interpretative contemnentis. Qui enim mandatum, cui annexa est Excommunicatio, transgreditur, interpretative poenam Excommunicationis contemnere censetur, estque contemptus ille interpretativa Contumacia.

S. Prosper c. Ecce autem.

QVAESTIO VIII.

Quid sit Excommunicationem Canonice infligi?

CONCLUSIO VNICA.

Excommunicatio dicitur Canonice inflicta, sive à Canone scripto, sive à Judice juxta Regulas Canonum inferatur.

Dupliciter dicitur Excommunicatio Canonice infligi. 1. *Si per Canonem vel Legem scriptam à Legislatore inferatur.* 2. *Si à Judice, servatis modis & conditionibus in Canonibus expressis.* Utroque igitur modo censetur Excommunicatio Canonice inflicta, sive à canone scripto inferatur, sive ab Homine secundum Regulas Canonum.

Et hinc suborta est solemnis illa divisio Excommunicationis in Excommunicationem *à Iure*, vel *ab Homine*: Illa enim est *à Iure*, quae in Lege perseverante est scripta: Illa vero *ab Homine*, quae per actum judicialem per Judicem competentem infligitur.

QVAESTIO IX.

Qualiter ab invicem distinguantur Excommunicatio lata à Iure, & Excommunicatio lata ab Homine?

Excommunicatio alia Latae Sententiae: Alia Ferenda. alia generalis: alia Specialis.

Distinctio iterum Excommunicationis alia à praecedentibus hic est praemittenda: Alia enim est Excommunicatio latae Sententiae, sive, ut alii scribunt, ipso facto incurrenda: Alia est tantum Comminatoria, & ad placitum Judicis inferenda.

Addo & aliam distinctionem: Alia enim est Generalis; Alia Specialis. Generalis dicitur quae fertur generaliter in omnes, qui in aliqua specie peccati offendunt, ut in Percussores Clericorum: Specialis, quae in distinctam Personam vel Personas nominatim denuntiatur. His sic propositis sit.

CONCLUSIO VNICA.

Alia lata à Iure. Alia lata ab Homine. Harum differentiae.

Excommunicatio lata à Jure, & Excommunicatio lata ab Homine in his fere distinguuntur.

1. Quod Excommunicatio lata à Jure censeatur Generalis: Lata autem ab Homine possit & Generalis esse & Specialis.

2. Ut lata à Jure incurratur, sufficit causa sufficiens, & ut subsistant ea, quae à Lege requiruntur, ut quis Excommunicationem incurrat: In Excommunicatione vero lata ab Homine plurima requiruntur: Utpote: Iudex Competens, Judicium, Citatio & Examen Rei, Monitio Triplex facta congruis intervallis, vel Una pro Tribus, intervallo dierum sufficiente dato, Denuntiatio, &c.

3. Excommunicatio à Jure est perpetua, nisi ei ab habente Potestatem derogetur, duratque etiam Legislatore mortuo: Excommunicatio ab Homine tantum durat vivente Judice; eo enim mortuo, etiamsi, qui excommunicatus fuerat, necdum absolutus fuerit, expirat.

4. Qui Excommunicatur ab Homine, ab illo solo, vel ejus Potestate absolvi potest: Excommunicatus à Jure, si reservata singulariter alicui non sit, à quocumque absolvi potest.

5. Addit differentiam S. Bonaventura in 4. dist. 18. parte 2. q. 3. Quod Excommunicatio à Jure sit praeservativa, ut nimirum ejus timore homines à peccatis ob Censuram latam caveant: Excommunicatio vero ab Homine sit curativa, ut Excommunicatus ad mentem redeat & sanetur. *S. Bonav.*

QVAESTIO X.

Qualiter Excommunicatio Major privet hominem Sacramentorum Communione?

Communio Sacramentorum activa & passiva, quid?

Duplex est Sacramentorum Communio: Alia passiva, quae consistit in susceptione Sacramentorum, Confirmationis, Eucharistiae, Poenitentiae, Extremae Unctionis, Ordinis, Matrimonii: Alia est activa, quae consistit in praedictorum Sacramentorum activa administratione.

CONCLUSIO I.

Excommunicatio privat passiva Communione sive susceptione Sacramentorum

Excommunicatio privat omni Sacramentorum passiva susceptione sive Communione. Ratio est: Quia supra q. 5. dictum est, non fertur nisi pro peccato mortali; constat autem hominem in peccato mortali existentem non posse Sacramenta suscipere. Unde aliquando dixit S. Bonaventura Excommunicationem esse declarativam in foro externo hominis *S. Bonav.*

minis in peccato mortali & contumacia existentis.

Dices: Quid si pœnituerit & per contritionem justificatus fuerit? Resp. Ante Absolutionem ab Excommunicatione non posse suscipere Sacramenta. Unde addo rationem, quæ est magis præcisa, & fundamentum Conclusionis: Nimirum: Quia in pœnam per expressum præceptum, obligans ad mortale, est prohibitum Excommunicato ne Sacramenta audeat suscipere: (Hæc est enim formalis, quamvis partialis pœna Excommunicationi adjuncta, & effectus partialis Excommunicationis) ob cujus præcepti transgressionem incurrit quis pœnam ex delicto, quod ex ratione prohibitionis mortale est; præter scandalum quod ex isto actu apud scientes oritur. An verò in hoc aliquando detur interpretatio, infrà dicemus, dum de eorum Absolutione agemus, vel de Ex-usationibus sive Interpretationibus Ecclesiasticæ benignitatis.

Conclusio. II.

Privat etiam altiva, sive licitâ administratione Sacramentorum non validâ.

Excommunicatio privat Excommunicatum omni licitâ & legitimâ Sacramentorum administratione, & ministerio. Ratio alia dari non potest, quàm ecclesiæ sic decernentis Voluntas & Potestas; Unde quid tentaret, peccatum mortale committeret, & alias iterum pœnas sibi cumularet.

Dixi (*licitâ & legitimâ Sacramentorum administratione*, &c.) etsi enim peccet mortaliter, qui Sacramenta excommunicatus ministrat, validè tamen conficit & administrat, nisi aliunde subsit impedimentum, quod invalider ejus actum. Ratio est: Quia per Excommunicationem simpliciter non tollitur Potestas, sed tantùm legitimus usus Potestatis prohibetur. Quod ut clarius pateat, pono Dubia sequentia.

Dubium I.

An Absolutio Sacramentalis Excommunicato data sit valida?

Advertendum: Duplicem posse defectum invalidantem contingere in danda Absolutione. Alius ex parte Sacerdotis, utpote, quòd jurisdictione in Pœnitentem careat: Alius ex parte Pœnitentis, ut pote, quòd dispositionem necessariò requisitam ad effectus Sacramenti non habeat, ut si in voluntate peccandi mortaliter existeret, si debitum de peccatis commissis dolorem non haberet.

Absolutio data ab excommunicato occulto illicita est, ex parte tamē ejus est valida.

Resp. itaque 1. *Absolutionem datam ab Excommunicato occulto, etsi sit illicita, ex parte tamen ejus esse validam.* Ratio est: Quia excommunicatio occulta per se non privat excommunicatum jurisdictione, etsi vetet sub peccato mortali illâ uti, cùm vetat Communionem in administratione activa Sacramentorum. Et hæc est Responsio verissima: post ita declaratione concilii constantiensis, sive Martini V. quæ duos tantum ponit ordines vitandorum: Nimirum publice & nominatim Denuntiatorum, & notoriorum Clerici Percussorum: Et hi eo ipso quòd vitandi decernuntur, censentur ab ecclesia non tolerari: Alii verò tolerantur, & consequenter jurisdictione sibi datâ validè utuntur.

Constitut. Martini V. in Concil. Constantiensi.

Resp. 2. *Pœnitentem scienter & absque justa causa vel necessitate suscipientem Absolutionem à Sacerdote vitando peccare mortaliter.* Ratio est: Quia in re gravi communicat cum excommunicato, & velut peccato ejus mortali cooperatur, dum accipit vel petit ab eo administrationem Sacramenti, quem scit sub peccato mortali non posse dare. Et hoc idem erit suscipiendo alia Sacramenta propter idem præceptum eandemque prohibitionem ecclesiæ.

Pœnitens scienter absq́ causa suscipiens Absolutionem à Sacerdote vitando peccat mortaliter.

Dixi (*scienter*) si enim ignoret excommunicatum, non peccat, ut de Ignorantia posteà explicabimus.

Dixi (*absque justa causa vel necessitate*) si enim habeat justam causam & necessitatem recipiens ab excommunicato Sacramenta non peccabit. Quæ autem sit justa causa vel necessitas statim dicetur.

Dixi (*à Sacerdote vitando*) si enim vitandus non est, & in officii exercitio toleratur, suscipiens ab eo Sacramenta non peccat; quia utitur jure suo, nec abhorrere tenetur Sacerdotem, quem ecclesia tolerat, & vitare non præcipit.

Resp. 3. *Eam, qui scienter & absque justa causa vel necessitate accipit Absolutionem à Sacerdote vitando, Absolutionem invalidam reddere.* Ratio est: 1. Quia ponit obicem peccati voluntarii mortalis, quod de facto committit suscipiens Absolutionem, ut in 2. Responsione est dictum. 2. Quia eo ipso quo vitandus est, non toleratur ab ecclesia, sed jurisdictione privatus censetur, nisi aliunde constet de permissione ecclesiæ. Posui semper distinctionem inter vitandum & occultum; & supposui vitandum privatum omnino jurisdictione, ejusque exercitio; occultum autem tantùm privatum licito exercitio jurisdictionis, non verò jurisdictione: Quia hæc est opinio communis Doctorum, ex fundamentis verior: Alia porrò est sententia, quam sequitur Victoria citatus & refutatus ab Hieronymo Llamas 1 p. Summæ cap. 9 §. 10. & quam fundamentis & rationibus benè expensis probabilitate non carere existimo. Tenet siquidem Victoria de excommunicatione dub 333. aliàs 312. validam esse Absolutionem datam à Sacerdote excommunicato Majori excommunicatione etiam Denuntiato, & notorio Percussore Clerici Cujus ratio est: Quia etsi multa jura vetent ne Sacerdos excommunicatus absolvat vel Confessiones audiat; nullum tamen jus expressè Absolutionem irritam & nullam ex parte Absolventis declarat. Unde etsi Denuntiatus vitandus in omni exerci-

Redditā Absolutione invalidam.

Hier. Llamas. Victoria probabiliter docet validam esse Absolutionem datā Absolutionē datā ab excōmunicato Vitando; contrariū tamen est probabilius.

exercitio jurisdictionis declaretur in Constit. Mart. V. Nullum tamen est verbum, quod irritet Absolutionem ab eo datam, etsi ex parte Poenitentis, ratione peccati mortalis, quod incurrit hoc ipso, quod sciens & volens a vitando Sacramenta suscipit, Absolutio sit invalida. Unde probabilem judico, etiam in praxi, Victoriae opinionem: Et si Petrus confiteretur Paulo suo Pastori excommunicato & notorio Percussori Clerici, vel publice & nominatim Denuntiato (quem tamen ignoraret publice & nominatim Denuntiatum, vel Clerici Percussorem, eò quòd forte à parochia tunc abesset) & ab eo absolveretur, non condemnarem eum ad iterandam Confessionem, sed judicarem Absolutionem validam. Ratio mea est conformiter ad eam, quam adfert Victoria: Quia reverà, non obstante excommunicatione, talis Pastor non est privatus pastorali benificio, cui cum ex natura sua annexa sit jurisdictio in oves proprias, quamdiu non privatur beneficio pastorali, tamdiu non privatur jurisdictione, sed prohibetur tantum jurisdictionem exercere. Quod amplius demonstro: excommunicatio enim est fori contentiosi, sicque jurisdictione fori externi privat, non autem jurisdictione fori interni, quod maxime ad Deum spectat, ut postea dicetur: Quod vero excommunicatio prohibeat usum jurisdictionis, & privet excommunicatum licita executione jurisdictionis fori interni, & secreti Poenitentiae, est: Quia ista jurisdictio non exercetur nisi signis & actionibus externis, quas, quia externae sunt, potest ecclesia prohibere. Et ita philosophandum erit de quocunque excommunicato jurisdictionem sive ordinariam sive delegatam habente. Nec video quid possit opponi, quod contrarium convincat: Quòd enim dicitur excommunicatum Denuntiatum ab Ecclesia non tolerari: Dicendum, non tolerari quoad licitum usum & exercitium administrationis Sacramentorum, & ideò peccare, imò aliam Poenam Irregularitatis pro multa incurrere, si faciat; non verò quoad jurisdictionem fundamentalem, à qua validatur actus. Nec obstat quòd actus jurisdictionis externae, ut sententiae, & alia facta ab excommunicato, in foro externo invalidentur: Id enim fit, quia tota jurisdictio illa, sicut & ejus exercitium, pertinet ad forum externum: Jurisdictio autem fori Sacramentalis per se pertinet ad forum internum, etsi habeat externos actus necessariò conjunctos. Et addo ad confirmationem hujus: Quia excommunicatio & Suspensio sunt diversae Censurae, quae se invicem non includunt: Atqui Suspensio ab officio, cui est annexa jurisdictio, hoc singulariter habet, quòd suspendat jurisdictionem: Ergo excommunicatio per se id non facit. DICES: Denuntiatio id facit. Resp. Denuntiationem pro certo suspendere à licito exercitio jurisdictionis; hoc ultimum autem de ablatione jurisdictionis aliquo claro textu probari deberet, Poenae enim strictè sunt interpretandae.

Constitut. Martini V.

Petes: Hac Sententiâ positâ, quae erit distinctio inter vitandum excommunicatum, & non vitandum? Resp. Haec distinctio erit: Quòd à vitando scienter nemo Sacramenta accipere possit; possit verò à non vitando: Neque enim constitutio Martini V. data est in favorem excommunicatorum sed in favorem fidelium, ne anxietatibus multis intricarentur: Et vitatio, quae per illam demandata est, pro duobus generibus excommunicatorum, nimirum Denuntiatorum, & notoriorum Percussorum Clerici, decreta est in excommunicatorum horrorem & poenam, & in fidelium terrorem, supposita notitiâ & scientiâ, quae ex Denuntiatione, & Notorietate percussionis Clerici procedit: Positâ tamen inculpatâ ignorantiâ alicujus fidelis, non est verisimile, quòd ab ignorante sit ille, quantumvis publicè Denuntiatus, vel Notorius Percussor Clerici, vitandus sub peccato mortali, & consequenter cùm ex parte sua non peccet petendo Absolutionem, probabiliter ex fundamentis adjunctis puto ejusmodi validè absolutum.

Haec deduxi latius ob casus occurrentes in animarum solatium: Haec est enim hujus saeculi miseranda conditio, ut excommunicatus, etiam Denuntiatus nominatim Romae (ut vidi ad Valvas S. Petri) vel etiam ob percussionem Clerici, non obstante istâ Denuntiatione & notoria percussione Clerici, audeat Confessiones ad se recurrentium audire, & cum accedentes idiotae & simplices sint, vel minus versati in istis, confidenter accedunt, nec vitandos sciunt. Cùm itaque, (ut ex rationibus adductis patet) fundamentalis jurisdictio respectu Absolutionis per excommunicationem simplicem (exclusis aliis poenis) non videatur ablata, non video cur Absolutio annulletur. Haec interim subiicio prudentium judicio & ecclesiae; alteram autem sententiam Doctorum communi vestigio magis tritam tamquam securiorem sequor, alteram tamquam non improbabilem proposui.

DUBIUM II.

Quae sint causae justae vel necessitates, in quibus liceat Excommunicato Sacramentum Poenitentiae, vel etiam alia licitè administrare?

RESP. 1. *In casu articuli, vel probabili & verè apprehenso periculo mortis, potest Sacerdos omnis etiam excommunicatus aut Haereticus, si alius desit, validè Sacramentum Poenitentiae, & alia absolutè necessaria administrare.* Hanc Responsionem fusè docuimus & probavimus ex Traditione Ecclesiae, ubi de Haeretico Sacerdote egimus, & articulum ac periculum mortis explicavimus tom. 1. tr. 2. tit. 1. q. 3. concl. 3. per totam, ideò hic illa repetenda non sunt. Sufficiat itaque, quòd Traditio Ecclesiae in salutem animarum hoc probet. *Ne hac ipsâ occasione aliquis pereat*, ut habeat Concil. Trid. sess. 14. c. 4. Nec Haereticus Sacerdos ab hoc potestatis suae usu

Excommunicatus in articulo mortis potest validè si alius desit, conferre Sacramenta necessaria. Vide ibid.

Trident.

usu in istis casibus potiùs, quàm excommunicatus, excluded nus est, quia & charactere Baptismi ad ecclesiam pertinet, & charactere Ordinis, ut supponitur, Sacerdos est, & potestatem fundamentalem ligandi & solvendi habet; jurisdictionem autem in istis casibus conedit Christus & ecclesia in fidelium favorem. Vide ibi.

Nota. Dixi (*valide*) non enim absque peccato Excommunicatus in peccato perseverans vel hereticus Sacramentũ ministrare posse supponitur, cùm sit juris Divini in gratia Sacramenta ministrare, quam obligationẽ non potest tollere ecclesia: Unde etsi Christus & ecclesia censeatur in his casibus dare & approbare jurisdictionem, non tamen censetur tollere obligationem, quæ ex natura rei inest, ut sanctè, id est, in gratia, vel à peccatis totali aversione Sacramenta administrentur: Tenetur itaque excommunicatus, qui sic administrat, corde conteri, & saltem se per contritionem justificare, quantum in se erit; neque enim melioris conditionis est non excommunicato: Dispensat verò ecclesia, ut quamvis non sit ab excommunicatione absolutus, licitè jurisdictione utatur ad absolvendum & Sacramenta necessaria ministranda in istis casibus: Aliud namque est licitè uti jurisdictione: Aliud licitè sacramentum administrare: Prius enim respicit solam jurisdictionem: Posterius sanctitatem & statum gratiæ ad sacramenta ministranda requisitum. Vide quæ diximus tom. 1. tr. 2. tit. 5. q. 1. & 2. per totam.

Et si conteratur etiã licitè.

Vide ibid.

extra illũ articulũ peccat mortaliter, licet in gratia existat.

Resp. 2. *Extra supradictos casus, nullus excõmunicatus sive vitandus sive occultus, etiã in gratia existens, sacramentũ Absolutionis, imò nec alia Sacramenta absque peccato mortali administrat.* Ratio est: Quia speciali lege & sententiâ privatur Communione activâ Sacramentorum sub peccato mortali, quam transgreditur qui extrà supradictos casus Sacramenta administrat.

Dices 1. Ergo erit melior conditio Excõmunicati vitandi administrantis sacramentum in casibus necessitatis, quàm Excommunicati occulti extra casus necessitatis. Resp. concedendo Assumptum: Ecclesia enim in casibus necessitatis tollit, seu potiùs ad certum actum suspendit obligationem Pœnæ sive Censuræ, & relinquit hominem sibi respectu Divinarum obligationum; unde, si de peccatis verè conteratur, non tantùm validè, sed etiam licitè absolutionem dat, & Sacramenta administrat, idque ei in favorem Pœnitentis conceditur, ne anima pereat: Extra pericula verò, etsi occultum excommunicatum toleret ecclesia, ut Sacramenta validè administret, nec ejus peccatum noceat fidelibus; illum tamen ab obligatione Censuræ vel Pœnæ nullatenus liberat, nisi legitimè absolvatur.

Quid igitur faciet Pastor excõmunicatus, sed occultus, cui necesse est aut sacramenta pe-

Dices 2. Quid igitur faciet Sacerdos excommunicatus, sed occultus, qui curam animarum habens solus absque adjutore in sua parochia existit; eique necessarium est, aut Sacramenta petentibus in excommunicatione administrare, (supposito quòd neminem habeat, qui eum ab Excommunicatione absolvat) vel debebit seipsum infamare, & ovibus debita Officia subtrahere. Resp. In occulto excommunicato rem quidem perplexam esse & gravissimam; in excommunicato autem vitando non ita, quia hoc ipso supponitur denuntiatus & notus pro tali, ideoque nullum novum est scandalum, imò signum obedientiæ, si Sacramenta non administret. Hìc igitur recurrendum erit ad generalia principia legis, & præceptorum ecclesiasticorum, quæ sunt.

tentibus dare aut se diffamare &c.

1. *Ubi duæ leges concurrunt, utraque potest simul impleri, cessat illa, quæ minoris est authoritatis, pro tempore quo altera implenda est.* Ex hoc principio inferrem: Parochum excommunicatum, sed occultum, si Sacramenta omnino administranda sunt ex debito justitiæ & Officii, nec rationabiliter ab administratione abstinere valeat absque detrimento vel famæ propriæ, vel aliquo damno proximi, cui obligatur, utpote quia nullus Sacerdos alius adest aut haberi potest, qui vel administret, vel ipsum excommunicatione absolvat: Posse debitâ contritione prævia, & firmo concepto proposito de obediendo ecclesiæ, & Absolutione petenda, administrare Sacramenta suis subditis postulantibus. Ratio sumitur ex allato principio: Hìc enim plures leges concurrunt: Una ecclesiastica, quæ prohibet sub pœna peccati mortalis & Irregularitatis incurrendæ excommunicato Sacramenta administrare: Aliæ è contrà juris naturalis Divini; nimirùm: Parochum teneri ex justitia ovibus Sacramenta administrare; Et: Quemlibet debere famam suam conservare: Cùm igitur non possint hæ duæ posteriores cum prima simul observari; & prima sit meri juris humani & ecclesiastici; posteriores autem juris naturalis Divini: Interpretandum est pro illo tempore ecclesiasticam legem cessare, & effectum excommunicationis, quantùm ad illam partem, suspendi: Hac enim de causa ecclesia constituit, ut excommunicatus occultus non sit vitandus.

2. Principium est: *Nullum ecclesiasticum præceptum obligare in re nimis ardua & ferè impossibili.* Hic verò casus inexplicabiles perplexitates generat etiam viro cordato & Deum timenti, si his circumstantiis observari debeat, ergo in his circumstantiis non obligat.

3. Principium est: *Attendendum esse legislatoris intentionem ad legem interpretandam:* In hoc certè casu non videtur esse intentio piæ Matris ecclesiæ, excommunicatum pœnitentem & ad obedientiam revertentem exponere scandalo, aut detrimentum ovibus illius inferre.

His itaque principiis autumo piam Matrem ecclesiam censeri durante hâc perplexitate Pœnam excommunicationis, quantùm ad præsentem effectum, & pro illo tempore suspendere, ideoque, modò dictæ circumstantiæ verè à parte rei subsistant, posse Parochum excommunicatum Sacramenta licitè administrare. Et de similibus eodem modo philosophandum erit, ubi perplexitas & moralis impossibilitas occurrit. De quo iterum inferiùs.

Dubium III.

An in aliquo casu possit excommunicatus suscipere Sacramenta, maximè Absolutionem sacramentalem, ante absolutionem ab Excommunicatione?

Non ago hîc de excommunicato in contumacia & causa excommunicationis permanente: De eo, enim certum est non posse, quia in peccato mortali supponitur perseverare.

Non ago similiter de eo, qui ob aliquam causam ab incurrenda excommunicatione excusatus est, & tantum in foro externo pro excommunicato habetur, quamvis revera non sit: Hic enim (ut infrà dicemus) absque scandalo in privato potest Sacramenta suscipere, cùm verè non sit excommunicatus.

Sēsus quaestionis. Ago igitur de eo, qui verè excommunicationem incurrit; tamen per contritionem & veram resipiscentiam omnem cōtumatiam deposuit, & corde totò ad obedientiam redit parte satisfacta, vel paratus satisfacere.

Excōmunicatus ā te absolutionē ordinariè nequit suscipere sacramēta. Resp. itaque 1. *Regulariter excommunicatum ante Absolutionem ab excommunicatione non posse suscipere Sacramenta.* Ratio petenda est ex natura excommunicationis, quae cōtinet poenam peccati mortalis omni Sacramenta in excommunicatione suscipienti impositam. Et hoc universaliter est verum, tam de excommunicato publico vitando, quam de occulto.

Potest tamen in articulo mortis absolvi à quolibet sacerdote & quà cōditione. Resp. 2. *Quemlibet Excommunicatum posse in periculo mortis vel extrema necessitatis à quolibet Sacerdote absolvi, praestitā sufficienti obediētiā, sive promissione de obediendo, & satisfaciendo ecclesia, & parti interesse habenti.* Hoc probavimus supra dubio superiori in Resp. 1.

Itē in casibus, in quibus habēs casus reservatos potest absolvi ab inferiore. Vide ibid. Resp. 3. *In casibus, in quibus licet habenti casus reservatos confiteri & absolvi ab inferiore seu potestatem in casus reservatos non habente; in iisdem casibus qui excommunicatione vel censurâ ligatus est, quantumvis reservata, potest ab excommunicatione absolvi, sub onere comparendi coram habente potestatem, & praestita sufficienti cautione vel promissione obediendi & satisfaciendi ecclesiae tempore oportuno, cujus erit, si quid in foro ecclesia insuper requiritur, supplere.* Casus interpretationes & rationes sufficientes dedimus 1. tom. tract. 2. tit. 4. q. 8. & 9. Nec opus est hic inutiliter repetere.

Duae tamen hic differentiae sunt notandae.

Excōmunicatus occultus in his casibus absolutus potest publicè sacramenta ministrare nō verò publicus. Prior est inter excommunicatum occultum, & excommunicatum publicum, sive publice & nominatim denuntiatum: Occultus enim potest in omnibus casibus loco allegato recensitis ab inferiore absolvi sub dictis oneribus comparationis, obedientiae & satisfactionis in foro conscientiae & sacramentali Sacerdoti promissis, & Absolutione percepta potest Sacramenta suscipere, eaque administrara, etiam publicè: Publicus autem, etsi sub iisdem possit in foro conscientiae absolvi pro suae conscientiae integritate & quiete, non potest tamen se administrationi aut susceptioni publicae Sacramentorum ingerere, nisi ecclesiae publice constet de obedientia, satisfactione & Absolutione; sed debet se gerere ut excommunicatum, donec publicè absolvatur. Ratio est: Quia semper est vitandus, donec constet non esse vitandum: sicut autem publicè declaratus est, sic publicè debet absolvi vel declarari absolutus; alias scandalum tolli non potest.

Absolutus in articulo mortis nō tenetur si convalescat adire alium cōfessarium. Posterior est inter absolutum in articulo seu periculo mortis, & absolutum in aliis casibus necessitatis vel aequitatis, seu justae interpretationis: Qui enim absolvitur in casibus necessitatis vel aequitatis, si ei possibile sit, debet coram habente directam auctoritatē oportune comparere, & obedientiae ac parti satisfacere, aliàs semper relabitur in censuram. Qui autem in articulo vel periculo mortis absolvitur, sufficit ut obedientiae satisfaciat; non tenetur autem amplius, etiam in censura reservata, alium Confessarium adire: Quia omnis Sacerdos in illo casu habet liberam, directam & non restrictam potestatem absolvendi: Unde communiter Pontifices Censuras reservantes excipiunt mortis articulum, quia in illo casu omnis reservatio tam casus, quàm Censurae cessat. Ut diximus tomo 1. supra citatis locis agentes de casuum Reservatione. *Vide ibid.*

Dubium IV.

Quid facit excommunicatus, qui in articulo mortis vel gravi periculo nō habet copiam ullius sacerdotis, quantum spectat ad excommunicationem & saltem viatici sumptionem?

Sēsus quaestionis. Casus hic est: Excommunicatus periculosissimè infirmatur, & sensim tendit ad mortem, nec ullus Sacerdos adest, qui posit absolvere nec à peccatis, nec ab excommunicatione: Interim adest Diaconus qui potest ipsi Viaticum administrare, vel ipse infirmus est Sacerdos, qui potest Viaticum sumere.

Excōmunicatus moribundus non habens copiā cōfessarii potest sumere Viaticum. Resp. *In tali articulo videri excommunicationis Censuram, quoad hunc effectum cessare, si verè moribundus sit contritus & contumaciam deposuerit, sitq; paratus obedire, ut suprà.* Unde crederem posse quemlibet verè contritum & Ecclesiae obedientem à Diacono praesente Eucharistiam suscipere? Imò Diaconum & Presbyterum in ista anxietate constitutum, quamvis excommunicatum, posse seipsum comunicare. Ratio est: Quia in tali impossibilitate non videtur Mater ecclesia velle fidelem contritum & humiliatū ac ecclesiae obedientē cum tanto sui detrimento Sacramento tam utili privare.

Nota. Addo: Cùm excommunicatio pertineat tantùm ad Claves externi fori, si aliquis adsit habens jurisdictionem externam ecclesiasticam sufficientem (ut est episcopus necdum consecratus, etsi ordinatus non sit) posse ab excommunicatione absolvere: sed ubi nullus talis adest, maneat prior Resolutio; nimirum: In tali casu excommunicationem, quoad hunc saltem effectum, suspendi: Tum quia praeceptum de Eucha-

ristia sumenda pro Viatico est determinatio juris divini, ut aliquando diximus: Tum quia, cum excommunicatio sit pœna medicinalis, non videtur in illo casu Ecclesia Fidelem privare velle medicina adeò utili & necessaria, ut est viaticum morienti. De ceremoniis absolutionis mortuorum dicemus postea.

QUÆSTIO XI.

Quid sit excommunicationem privare communione Suffragiorum Ecclesiæ?

Quomodo antiqui Canones & Patres exprimāt hanc privationem

EXprimo ante omnia antiquos Canones & Patrum dicta de hac communione à principio Ecclesiæ. Et in primis Abdias Babylonius l. 5. Certaminis Apostolici, narrans qualiter S. Joannes Evangelista quemdam Fortunatum, quem à mortuis suscitaverat, ejus beneficii immemorem & fœdè in Ecclesia conversantem, excommunicaverit, hæc verba Joannis excōmunicationem indicentia ponit: *Separetur* (ait) *radix hujusmodi à Fidelium conversatione, & ab omni opere timentium Deum, ab omni devotionum munere, à congregatione Sanctorum, & communione Sacramentorum.* Hęc ibi. De iisdem pœnis Canon. 2. Apostolorum: *Si quis cum excommunicato saltem in domo simul oraverit, vel locutus fuerit, iste communione privetur*: Refertur à Martino Bracharensi Episcopo in suo Collectorio c. 84. Ejusdem pœnæ meminit Tertul. l. Apologetici contra Gent. c. 39. De disciplina Christianorum: *Coimus* (ait) *in cœtum & aggregationē, oramus pro Imperatoribus, cogimur ad literarum divinarum commemorationem, sanctis vocibus fidem pascimus, ibidem etiam exhortationes, castigationes, & censura divina* (formam autem & modum quo censura ferebatur exponit verbis sequentibus) *nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conspectu, summumq; futuri judicii præjudicium est, si quis ita deliquerit ut à communicatione orationis & conventus, & omnis sancti commercii relegetur.* Hæc ibi. Harum etiam pœnarum catalogū nectit Calixtus I. epist. 2. ad Episcopos Galliæ & allegatur à Gratiano 11. q. 3. c. *Excommunicatos. Excommunicatos à Sacerdotibus* (ait) *nullus recipiat ante utriusq; partis justam examinationem, nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, nec Ave eis dicat: Quia quicumque in his vel aliis prohibitis scienter excommunicatis communicaverint, juxta Apostolorum institutionem, & ipsi simili excommunicationi subjacebunt, &c.*

Abdias Babylon.

Canon. 2. Apostol.

Tertull.

Calixt. I. c. Excommunicat.

Quæro igitur: Quid sit excommunicationem privare communione suffragiorum Ecclesiæ?

Suffragia publica.

Pro cujus resolutione notandum est 1. Duplicia in Ecclesia reperiri suffragia: Alia sunt quæ ab Ecclesia sunt singulariter instituta, & nomine Ecclesię ac ejus fide publicè offeruntur, & fiunt: Ut sunt Missæ, Divina officia, & publicæ preces, &c. Alia sunt suffragia privata, quæ à Fidelibus privatim Deo offeruntur, ut preces & orationes, quas privatim ex singulari devotione vel obligatione Fideles faciunt.

Et privata.

Notandum 2. duplicem esse in Ecclesia communionem: Prior est interioris & communis seu universalissimæ Charitatis, quà omnem proximum in ordine ad Deum diligere debemus, cujus Fructibus omnes communicant, & à qua nemo positivè excludi potest, nisi quis seipsum excludat. Ab hac procedit illa, quæ dicitur Sanctorum Communio, de qua & Psaltes Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientiū mandata tua.* Et hęc Charitas universalissima duas habet partes: Altera est: Quà omni homini viatori velle debemus beatitudinem, & media ad illam, sive enim sit ethnicus sive paganus, hàc Charitate illum debemus diligere: Altera est: Quà omni homini subvenire debemus, etiam quantumvis peccatori & pagano in necessitate gravi & extrema, in externis subventionibus ordinatis humanæ Societatis: Prout Christus ostendit exemplo hominis, cui externo & incognito incidenti in latrones, vulnerato & spoliato, ac à Sacerdote & Levita velut derelicto succurrit Samaritanus.

Communio in Ecclesia duplex. 1 Interioru & universalissima charitatis

Ps. 118. 63.

Posterior Communicatio est Ecclesiastica: Quà in suffragiis Ecclesiæ communibus, ac sacris officiis, operibus, exercitiis, quæ ab Ecclesia instituta vel indicta sunt, omnes qui in Ecclesia sunt ex communi intentione communicant, nisi ab Ecclesia illis priventur in aliquā pœnam & correctionem. His ita prænotatis pono sequentes Conclusiones.

2. Ecclesiastica.

CONCLUSIO I.

EXcommunicatio Ecclesiastica in foro Dei non separat à communione universalissima & interioris Charitatis, ejusq; spiritualibus Fructibus, quo minùs omnes juxta suam uniuscujusq; capacitatem & dispositionem iis perfruantur etiam excommunicati.

Excommunicatio in foro Dei non separat à communione universalissima charitatis ejusque fructibus.

Ratio est: Quia hæc communio judicio Dei reservata est, qui scit solus; Quis amore vel odio dignus sit, & qui secundum justitiam pręsentem vel finalem sint ipsius. Nec judicium Ecclesię, quod externum est, aliquid in hoc potestatis habet.

Dixi (*juxta suam uniuscujusq; capacitatem & dispositionem.*) cùm enim Fructus communionis universalissimæ charitatis interioris varius sit: Alius quidem impetratorius; Alius satisfactorius; Alius Gratificatorius sive gratiæ justificantis non æqualiter in illis omnes communicant; qui enim in peccato mortali actualiter existunt, necdum ad Dominum conversi, solius impetratorii fructus in illo statu capaces sunt, & in illo fructu communicant, dum illis auxilia oportuna, & sanctæ conversiones orationibus & bonis operibus justorum à Deo impetrantur: Qui verò in interiori homine, sive dum excommunicantur, sive postea per contritionem & veram ad Dominum conversionem, justi sunt, etsi adhuc excommunicati in foro Ecclesiæ permaneant, in foro tamen Dei omnibus universalissimæ interio-

ris Charitatis Fructibus gaudent, absque ulla remora vel difficultate, quia omnium Fructuũ capaces sunt.

Dixi itaque (*in foro Dei*) in foro enim Ecclesiæ, qui Excommunicatus est, judicatur & supponitur in peccato mortali actualiter esse, quamdiu absolutus non est, & consequenter judicatur privatus, etsi à parte rei & in foro Dei non ita sit, & omnibus Fructibus universalissime interioris Charitatis fidelium gaudeat: Alia enim sunt judicia Dei alia hominum.

Injustè Excõmunicati, gaudẽt nõ tantùm Fructu impetratorio, sed etiã satisfactorio & Gratificatorio. S. August. c. Q[illegible] obest hac c. Etsi ad tempus. Idem.

Unde Infero 1. Qui ab ecclesia excommunicatur, si injuste & invalide excommunicatur, ab hac Communione universalis Charitatis non tantum non excluditur, sed etiam magno suo merito & charitatis incremento in omni opere bono cum fidelibus communicat. Unde S. Aug. Ep. 157. ad Clerum Hipponensem, & habetur 11. q. 3. c. *Quid obest* *Quid obest* (inquit) *homini, quòd ex illa tabula vult eum delere humana ignorantia, si de libro viventium non deleat iniqua conscientia?* Idem in Psal. 37. citatus c. *Etsi ad tempus* ibid. *Etsi ad tempus damnaris* (inquit) *ab homine, etsi dixerit sentẽtiam Proconsul in Cyprianum: Aliud est sella terrena, aliud tribunal cæleste, ab inferiore accipit sententiam, à superiore coronam.* Idem gravissimam sententiam habet l. de vera Religione cap. 6. *Sæpè* (inquit) *finit divina providentia per nonnullas nimiùm turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de Congregatione Christiana etiam bonos viros: Quam contumeliam vel injuriam suam, cùm patientissimè pro Ecclesia pace tulerint, neque ullas novitates vel schismatis vel hæresis molitı fuerint, docebunt homines, quàm vero affectu, & quantâ sinceritate Charitatis Deo serviendum sit, &c. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns. Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt, imò plura quam credi potest.* Hæc August.

Itẽ justè Excõmunicati eo instanti, quo per cõtritionẽ justificãtur, quãvis ab excommunicatione absoluti non sint.

Infero 2. Eum qui justè & valide excommunicatur, eo instanti, quo per contritionem & pœnitentiam justificatus est, & Deo per charitatem unitus, quamvis ab excommunicatione non sit absolutus in communionem tamen universalissimæ & interioris charitatis in judicio Dei redire, & capacem fieri omnium Fructuum eius. Ratio est: Quia Communicatio illa est communis omnibus Deo per Charitatem conjunctis.

Conclusio II.

Excõmunicatio justa privat communicatione ecclesiastica.

Excommunicatio Ecclesiastica, si justa & valida sit, privat hominem Communicatione communium Suffragiorum, Missarum, sive sacrorum Ecclesiæ Officiorum & Exercitiorum, ita ut nõ gaudeat illis excommunicatus, neque in vita, neque post mortem, donec sit ab habente potestatem legitimè absolutus. Pro cujus Conclusionis vero intellectu advertendum est cum Doctoribus, ut Clavis plenitudinem Potentiæ in utroque foro designat, ita duplices veluti Claves à Christo Ecclesiæ Rectoribus concessas per verba

Mat. 16. 19

illa: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Aliæ enim sunt Claves fori interni conscientiæ, quæ Sacramentorum penetralibus concluduntur, nec ad externum forum transeunt: Aliæ sunt, quæ regimen ecclesiæ externum sive forum externum concernunt, quæ potiùs Gladii nomine significantur. Inter has autem est ista differentia: Quòd Claves fori interni conscientiæ ex Ordinis charactere procedant, & de internis judicent, ac in foro interno Dei & conscientiæ solvant & ligent; & regulis internis conscientiæ dirigantur: Claves autem externæ Prælaturam sequantur, & per se & directè ad ea, quæ sunt fori externi, tantùm applicentur, nec directe ad forum internum pertineant; sed tantùm indirectè propter peccata manifesta & externa puniendà, ad quæ, in quantum externa sunt, liganda vel solvenda sive corrigenda Claves externæ Ecclesiæ diriguntur. Unde sæpè solvuntur foris, qui coram Deo in foro conscientiæ retibus & pœnis internis ligantur: sæpè foris ligantur pœnis externis, qui intus coram Deo liberi sunt. Igitur Claves externæ ad pœnas & privationes bonorum se extendunt, quæ publicam & externam institutionem habent. Ex quo Dico: Cum excommunicatio sit fori externi & contentiosi Ecclesiæ, non privat nisi illâ vel illorum bonorum Communione, quæ subjacent foro externo & judicio ecclesiæ, Illis autem jure & justitiâ privare fidelem subditũ Ecclesia potest, ubi causa justa subest, vel subesse Ecclesia judicat, ut statim dicemus, ubi de injusta & invalida Excommunicatione disseremus.

Nõ tamẽ Suffragiis privatis, imò nec aliquo fructu Missæ privato.

Dixi (*Communium Suffragiorum, Missarum, &c.*) Non enim intendit ecclesia privare excommunicatum in foro interiori & Dei Suffragiis privatis; imò nec aliquo Fructu Missæ privato, nec etiam id posse videtur, cùm quilibet fidelis sit privatorum Suffragiorum, & alicujus Fructus privati (etiam in Missa si sit Sacerdos) dispensator independens ab Ecclesiæ foro, (in quo solo excommunicatio vim suam sortitur.) Unde sicut mihi licet pro Petro excommunicato privatim orare, ut Deus illum convertat: sic mihi licet privatim per interiorem affectum in Missa excommunicatum commendare, ut revertatur ad Dominum & ecclesiam per pœnitentiam. Non licet tamen mihi sub peccato mortali Sacrificium Missæ simpliciter pro excommunicato offerre, aut ejus nomen in Sacrificio vel collecta proferre: Quia cum Missa sit commune Sacrificium, & quantùmvis privata publicam actionem dicat: Ecclesia privans Excommunicatum communibus suffragiis, privat & communione Sacrificii, quatenus suâ Naturâ publicum est: Et expressè prohibet nomen publici Excommunicati in Divinis Officiis assumi. Quia tamen portionẽ privatam in Sacrificio Sacerdos celebrans sibi vendicat, illius portionem, saltem impetratoriam, pro conversione excommunicati in illũ derivare potest. Quinimò & Ecclesia singulariter dispensat Feria 6. in Cœna Domini, ut pro Paganis Iudæis, Hæreticis in publico Officio ore-

cio oretur, & antiquitus publicas etiam Orationes pro Regibus & Principibus ethnicis & infidelibus factas testatur S. Paulus 1. ad Tim.
1.Tim.2.1 2. *Obsecro igitur* (inquit) *primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum*
Vers.2. *actiones pro omnibus hominibus: Pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate: Hoc enim bonum est & acceptum coram*
Vers.3. *Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult*
Vers.4. *salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Ubi duo noto. 1. In ecclesia factas publicas Orationes pro Regibus, etsi impii & idololatræ essent, & consequenter etiam pro quibuscunque publicas orationes fieri posse, & peccatores quantumvis pravos & inobedientes posse communicare in impetratoriis Ecclesiæ suffragiis nisi prohibeantur. 2. Istas orationes publicas directè in ecclesiæ & fidelium bonum & utilitatem referri: *Ut* (inquit) *quietam & tranquillam vitam agamus*; (id est) ut nos sua administratione non turbent, sed pacificè regnum administrēt in subditorū quietem. 3. Excōmunicatos & hæreticos singulariter Suffragiis Ecclesiæ cōmunibus privari, in abominationem inobedientiæ & contumaciæ, ut ex hac pœna resipiscant; adeoque non intendere Ecclesiam illos privare, vel communibus Charitatis universalis subsidiis, vel Orationibus privatis, quæ scilicet conformiter cum Deo & Christo ejus vult omnes homines salvos fieri. Ex quo etiam concluditur illibatam manere Communionem Christianę, universalis & internæ charitatis, si Excommunicatus per veram pœnitēciam reverratur ad Dominum & justificetur. Nam, ut sæpè jam dictum est, Excommunicatio non separat hominem à Deo & Charitate ac unione cum Christo, sed supponit jam separatum per peccatum mortale, & contumaciam etiam externo actu demonstratam, ratione cujus, in illius punitionem & ut resipiscat, corā ecclesia illum publicis Suffragiis, publicaque
Nota. communione Sacramentorum privat, donec ecclesiæ satisfecerit.

Petes: Si tantùm privet bonis externis & in externo foro contentioso, quomodo censetur excommunicatus virtute Clavium ligatus in cælis?

Resp. 1. Dupliciter posse hominem privari bonis externis & in externo foro. Exclusivè; ita ut illa particula *tantùm*, vel particula, *externis*, excludat omnia bona interna, quæ substernuntur vel comitantur externas actiones; ita ut qui excommunicaretur, tantùm privaretur externis precibus, & actionibus, quæ fiunt in Missa vel Officiis Divinis, non in Fructibus spiritualibus, quæ Missarum vel Officiorum Divinorum actionibus externis interiùs correspondent. Et hoc modo falsum est hominem Excommunicatum tantùm privari bonis externis: Reverà enim excommunicatus privatur Fructibus sive Fructuum spiritualium participatione, quę actionibus illis publicis Ecclesiæ correspondent, etiamsi aliàs in interiori homine justificatus esset, quod est grave dānum:

2. Dici potest homo privari tantùm bonis externis & in externo foro specificativè; ita ut particula *tantùm*, & particula *externis*, specificet quòd illis tantum bonis priventur Excommunicatus, quæ publicè & externæ dispensationi Ecclesiæ subjiciuntur, & iis ut publicis Ecclesiæ actionibus etiam in interiori correspondent, ut distinguuntur à bonis privatis, & iis, quæ privatim ad internum forum pertinent. Unde &

Resp. 2. Rectè etiam excommunicatos ligari in cælis per actum externum Clavium ecclesiæ, quia Fructibus spiritualibus correspondentibus publicis ecclesiæ actionibus verè apud Deum privantur: à Deo enim, qui ecclesiæ sententiam ratam habet, illæ publicæ actiones, etiam quoad Fructus spirituales illis correspondentes, pro excommunicatis non acceptantur.

QUAESTIO XII.

Quid sit Excommunicatum privari Communione, sive Fidelium Consortio?

Pro Resol. advertendum est: Duplicem Societatem sive communicationē in Consortio humano reperiri: Alia est naturalis, quæ est juris naturæ, sive quæ ex illo deducitur; Homo enim naturaliter est animal sociale. Alia est Religiosa & Ecclesiastica, quā in Cultum Dei publicum multitudo Fidelium simul adunatur.

Conclusio I.

Excommunicatio non privat hominem Societate, Conversatione vel Communicatione ex jure naturæ proveniente sive deducta. — *Excōmunicatio nō privat Societate vel cōmunione ex jure natura proveniente vel deductâ.*

Explico: Non privatur Excommunicatus auxilio, subsidio, & aliis opitulationibus, quas quis jure naturæ tenetur proximo indigenti exhibere; Unde non tantùm licet, sed etiam tenemur Excōmunicato alimēta necessaria præbere, infirmo opitulari, illum à casu, periculo mortis, vel gravi damno eripere, & omnia circa illum agere, quæ ex debito charitatis debent etiam inimico impendi. Ratio est: Quia Ecclesia non potest dispensare, multò minùs ea prohibere, quæ sunt juris Divini naturalis: Et sicut spiritualis Charitatis Communione Excommunicatio non privat, sic nec Communione jure naturæ debitâ.

Dixi (*ex jure naturæ proveniēte sive deductâ*) — *Huic conclusioni innituntur Exceptiones hoc versu contentæ.*
hâc enim ratione filii tenentur ad Officia juris naturæ erga parentes etiam Excōmunicatus, & è contrà: Similiter: Famuli & servi ad dominos, &c. Unde in Exceptionibus ponuntur ab Ecclesia, huic ferè fundamento omnia innituntur ut in versu sequenti constat.

Utile, Lex, humile, res ignorata, necesse.

Utile enim dicitur tum respectu nostri, qui non debemus privari utilitate maximè ex jure naturali proveniente ob malum tertii: tum respectu Excommunicati, cui debemus Fructus dilectionis communis jure naturæ, cui excommunicatio non derogat.

Lex continet & comprehendit communicatio-

nicationem omnem lege indictam, ut mariti cum uxore, & e contra.

Humile, respicit obligationes inferiorum ad superiores.

Necessitas iterum revocat ad obligationes juris naturalis & Christiani, quibus tenemur nobis & proximis in necessitate tam corporali, quàm spirituali providere & adesse. Et ex his potest quis facilè deducere, in quibus casibus & modis liceat cum Excommunicatis conversari: Nimirum: Ubi est magna utilitas, absque aliquo periculo damni spiritualis. 2. Vbi lex mandat, & ubi Obedientiæ debitum urget: 3. Ubi necessitas corporalis, vel spiritualis agit. De ignorantia posteà dicemus.

Conclusio II.

Sed privat cõsortio civili amicitiæ specialis, & religioso qua hoc versu cõprehenduntur.

E*Xcommunicatio privat Excommunicatum Conversatione & Consortio Civili sive urbano amicitiæ specialis, & Ecclesiastico ac Religioso.* Hæc omnia fere comprehenduntur versiculo sequenti quatenus dictum consortium spectat.

Os, orare, vale, Communio, mensa negetur.

Per, *Os*, omnem familiaritatem, quæ fit familiari & urbano colloquio, osculis, affectus singlaris testimonio per signa Scripturæ; munerum, quæ vicem oris & colloquii subeunt.

Per, *Orare*, præter Communionem Suffragiorum ecclesiæ, de quibus suprà, intellige congregationem plurium sive conjunctionem cũ excommunicato ad orationes, psalmodias, processiones & conventus communes in publico Cultu Divino: Sub quo etiam continetur consortium in persolvendo officio Divino & horis canonicis, quæ de se sunt officia publica, etiam in privato recitata.

Per *Vale*, intelliguntur salutationes honorificæ, quæ honoris & urbanitatis gratiâ invicem præstantur.

Quod de *Communione* dicitur ad superiora referendum est de participatione Sacramentorũ & Suffragiorum, nec pertinet ad hunc locum.

Per *Mensam* intelligitur omnis communicatio, sive contubernium mensæ, ejusdem cubiculi, lecti, &c. Ubi nimirum superiùs dicta non excusant vel excipiunt.

QUÆSTIO XIII.

Quid sit per Excommunicationem tradi Satanæ?

Excõmunicatio variè exprimitur.

ADvertendum variis phrasibus Excommunicationem in scriptura exprimi: Aliquando enim dicitur excommunicatus *esse* vel *fieri sicut ethnicus & publicanus*, Matt. 18. cujus rationem in superioribus insinuavimus: Quia excommunicatus ab Ecclesiæ communione &
Mat.18.17 Suffragiis communibus excluditur, imò & à communi consortio, sicut (excepto charactere baptismali) ethnicus qui baptizatus non est, vel publicanus, qui ut peccator publicus ab omnibus communiter fugiebatur; juxta illud
Matt.9 11. Matth. 9. *Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magister vester?* Et de ethnicis quidem sic loquitur S. Aug. serm. 16. de verbis Domini: *Sit tibi sicut ethnicus, id est: Noli jam illum deputare in numero Fratrum tuorum.* Qualiter verò id intelligatur, subdit: *Nec sic tamen salus ejus negligenda est: Nam & ipsos ethnicos, id est, gentiles & paganos in numero quidem fratrum nõ deputamus, sed tamen eorum semper salutẽ inquirimus.* Orig. tr. 6. in c. 18. Matth. in hunc locum: *Nos* (inquit) *debemus habere eum sicut ethnicum & publicanum, abstinentes ab eo, ut confundatur.* S. Hieron. de publicano in illud: *Si peccaverit in te &c. Quod autem dicit:* Sicut ethnicus & publicanus, *ostenditur majoris esse detestationis, qui sub nomine fidelis agit opera infidelium, quàm hi qui apertè gentiles sunt. Publicani enim vocantur, qui sæculi sectantur lucra & exigunt vectigalia per negotiationes, & fraudes, & furta, sceleratáq; perjuria.* Hæc ibi.

S. August.

Orig.

Mat.18.15

S. Hieron

Aliquando Excommunicatio significatur sub nomine *Abscissionis*, ut ad Gal. 5. *Utinam abscindantur, qui vos conturbant:* Et hoc quidẽ quia à communi aliorum consortio, & aliis ecclesiæ bonis separantur. Simili phrasi dicuntur *Tolli de medio* 1. ad Corinth. 5.

Galat. 5. 12

1. Cor. 5. 2

Sed gravior & difficilior est illa phrasis apud Paulum 1. ad Cor. 5. & 1. ad Timoth 1. quâ peccator per excõmunicationem dicitur *tradi Satanæ*: Et *tradi in interitum carnis*. Hoc enim videtur intollerabilis crudelitas, ut Christianus tradatur manibus inimicorum, qui non tantùm sanguinem humanum, sed animæ etiam damnationem sitiunt.

1. Cor. 5. 5.
1. Tim. 1. 20.

Conclusio I.

Excõmunicatus traditur satanæ solùm permissivè, etsi quandoq; excõmunicatorũ corpora invadat.

E*Xcommunicatum tradi Satanæ non positivè, sed tantum permissivè intelligendum est, etsi quandoq; etiam satanas realiter Excommunicatorum corpora invaderet.* Ita explicat verba Pauli Theodorus Græcus, cujus verba vertit Gagnæus in hunc modum: *Quod verò Paulus ait* Tradere Satanæ: *Hoc non dixit, quasi hoc facere ipse per se decrevisset, sed quòd per abjectionem ab Ecclesia, & abalienationem à Deo in potestatem Satanæ veniret:* Subdit Gagnæus: Tradere *ergo* Satanæ *hoc modo, est Ecclesia consortio expellere, quod & nos dicemus*, Excommunicare. Unde & Theodoretus: *Ex hoc* (inquit) *loco docemur quòd eos, qui segregantur & ab Ecclesiastico corpore separantur, invadit Diabolus eos gratiâ destitutos inveniens.* Ingeniose etiam S. Aug. serm. 68. de verbis Apostoli allegatus à Gratiano 11. q. 3. c. *Omnis Christianus: Omnis* (inquit) *Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur* Satanæ traditur. *Quomodo? Quia scilicet extra Ecclesiã Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus: ac per hoc quasi* Diabolo traditur, *qui ab Ecclesiastica cõmunione removetur: unde illos, quos tũc Apostolus* Satanæ *esse* traditos *prædicat, excommunicatos à se esse demonstrat.* Hæc ille.

Theod. græcus.
Gagnæus.

Theodor.

Dixi igitur illud *Tradere Satanæ* non esse intelligendum *positivè*; neque enim Ecclesia Christi, quæ Satanam omnimode detestatur, eius crudelitati, qui *tamquam leo rugiens circuit, quærens quẽ devoret*, positive facere potest; sed his

Non positivè.

1. Petri. 5. 8

sed his verbis explicabant Apostoli, ad aliorum terrorem, quibus malis exponeretur: qui ob contumaciam suam & peccata à consortio & Communione ecclesiæ repelleretur: Utrique, quòd destitutus communibus munimentis Sacramentorum, Suffragiorum & opitulationum Ecclesiæ, Dæmonum crudelitate se suâ culpâ exponeret: Et ita S. Bonav. in 4. d. 18. art. 1. q. 1. in resp. ad 5. *Tradere* (inquit) *tortori dicitur dupliciter: Aut cessando à protectione torquendi; sive exponendo aut jubendo Tortori ut affligat: Excommunicare ergo secundùm præsentis ecclesiæ Statum, est Satanæ tradere protectionem subtrahendo, & et exponendo: subtrahit ergo suffragia & sacramenta, per quæ munimur contra hostis insidias.* Hæc S. Benavent. Subjungit verò tempore Apostolorum etiam mandato Apostolico traditos aliquos Satanæ, ita ut ad verbum Apostolorum visibiliter sic excommunicatos Dæmon invaderet, ut severitas judiciorum Dei per factum manifestaretur: Sed mitiùs cum aliis interpretandum credo, quòd etsi Deus visibilem illam & corporalem invasionem Dæmonis in excommunicatos ab Apostolis justo suo judicio fieri permitteret, non tamen virtute Traditionis positivæ id factum, sed virtute Traditionis positivæ sive permissivæ, prout etiam aliàs explicavimus mortem Ananiæ & Saphiræ ex patrum sententia. Non enim mandatum expectat Dæmon, qui humanam sitit plus æquo perniciem, sed sufficit derelictio sive destitutio protectionis, ut hominem invadat. Porrò ut supradicta clariùs patescant sit.

S. Bonaventura.

Conclusio II.

Traditio illa ita est permissiva ut simul sit restrictiva ex Dei misericordia ne anima noceat.

TRaditio, *quæ fiebat Satanæ, sive etiam quo modo fit, ita est permissiva per protectionis subtractionem, ut tamen simul sit restrictiva in Dæmone, ex Dei misericordi judicio, ne animæ excommunicati noceat:* Explicari verò potest per verba Dei ad Satanam potestatem in personam Job postulantem Job 2. *Ecce* (inquit) *in manu tua est, verumtamen animam illius serva.* Ita excommunicatus exponitur potestati Dæmonis, restrictivè tamen, ut anima salvari possit. Unde bene Apostolus: *Ego* (inquit) *quidem absens corpore, præsens autè spiritu, jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est &c. cum virtute Domini nostri Jesu tradere hujusmodi Satanæ in interitū carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu Christi.* Ubi adverte in eo quòd dicit, *cū virtute Domini nostri Jesu*, totum judicium ecclesiæ, quoad hanc Traditionem sive expositionem excommunicati referri in invisibile judicium Christi, ita ut Diabolus, etiam ex vi hujus expositionis, non possit nocere excommunicato, nisi in quantum permittit illi Christus, qui est ecclesiæ Caput & totius Ovilis supremus Pastor. 2. Non intendere ecclesiam permittere, ut Dæmon noceat animæ, sed tantùm ut in corpore & corporalibus potentiis illum torquere possit: Unde subjungit expressè Apostolus, *in interitū carnis*: ubi denuò per *interitum carnis*, non est intelligenda mors corporalis, sed tantum vexatio; in Græco enim est ὄλεθρος, id est, in *perniciem* seu *calamitatem*, sive *vexationem carnis*. 3. Addit finem & intentionem hujusmodi vexationis. *Ut spiritus salvus sit in die Domini nostri IesuChristi*, id est, ut resipiscat per veram conversionem cordis, & per mortem salutarem: utraq; enim dicitur dies Domini nostri Jesu Christi.

Job. 2. 6.
1 Cor. 5. 3. v. 4. & 5.

QVAESTIO XIV.

An præter privationes & pœnas in Diffinitione excommunicationis contentas & in superioribus explicatas, excommunicatus alias incurrat.

Conclusio I.

PRæter privationes & pœnas, *quas ex vi & natura excommunicationis excommunicatus incurrit, alias etiam per accidens incurrere potest, si se actibus sibi prohibitis ingerat.* Hæc Conclusio per pœnarum enumerationem exemplificare magis, quam probari debet.

Excommunicatus si actibus sibi prohibitis se ingerat varias pœnas incurrit.

1. Igitur novum peccatum mortale Incurrit, si se Divinis excommunicatus ingerat.

2. Sacerdos celebrans, vel Sacramenta ministrans, Ordine sacro initiatus actus sui Ordinis exercens irregularitatem incurrit: Et consequenter si in irregularitate ministret suspensione à divinis plectitur.

3. Si sit denunciatus vel notorius Percussor Clerici ab actibus externæ jurisdictionis removetur, & actus ab illo facti nulli judicantur.

4. Ecclesiastica sepultura privatur, si in excommunicatione decedat.

5. Si per annum in excommunicatione insorduerit, contra eum tamquam de hæresi suspectum procedi potest.

6. Beneficio Ecclesiastico privari potest, imò & beneficii proventibus.

7. In judicio neminem convenire potest, etsi tamen conveniri possit.

8. Interdum ratione excommunicationis subditus à juramento fidelitatis excommunicato antea præstito liberatur: Et alia videri possunt passim in Canonibus & Decretis, quæ brevitati studens omitto, quia trivialia sunt, & in omnibus, qui de hac materia tractant, obvia.

SECTIO II.

De Causis excusantibus ab excommunicatione.

QVÆSTIO I.

Quæ causa excusent ab excommunicatione incurrenda?

ETsi ex superioribus abunde elici possint Causæ excusantes ab incursu excommunicationis; volui tamen hic causas particulariùs proponere & exponere pro cōmoditate Lectorum, & ad confusiones evitandas. Præmitto tamen, quòd etsi omnes causæ excusent in interiori homine ab effectu reali & formali

Excom-

excommunicationis: aliquas tamen non excusare ab externis quibusdam observantiis in foro exteriori, ut explicabimus in singulis.

CONCLUSIO UNICA.

7. Causæ sũt excusantes ab incursu excõmunicationis

SEptem sunt causæ excusantes hominem baptizatum ab incursu excommunicationis: nimirum: Injustitia, Invaliditas sive nullitas, Innocentia, Impotentia, Ignorantia, Metus, Necessitas, quas omnes subjectis Quæst. expendemus.

QUÆSTIO II.

Unde oriatur injustitia excusans ab excommunicatione, & an omnis excommunicatio injusta sit valida?

CONCLUSIO I.

1. Injustitia, quæ oritur ex triplici capite.

INjustitia in excommunicationis fulminatione ex triplici capite oritur. 1. Ex parte excommunicantis. 2. Ex parte causæ. 3. Ex parte excommunicati.

1. ex parte excõmunicãtis, si is nullo servato ordine juris excõmunicet. Quare quirãtur ut justè feratur excõmunicatio. Tridẽt. Rabanus. c. Non in perpetuũ. Psal. 36. 33. c. De illicita.

Excommunicatio dicitur injusta ex parte excommunicantis: si excommunicans nullo ordine juris servato, odio, irà, malevolentia ac zelo indiscreto excommunicationem ferat: Diximus enim superius excommunicationem esse medicinalem & Charitativam, & ad peccatoris emendam ferri, Unde in excommunicante non sufficit potestas, sed ut justè ab eo feratur excommunicatio requiritur 1. Cognitio & observantia Juris. 2. Charitas & intentio recta. 3. Discretio, & ut Concil. Tridentin. præcipit, ut quando alia correctionis via subest, gladium illum non stringat. Rabanus de Ecclesiasticis pressuris l. 1. & habetur 24. q. 3. c. *Non in perpetuum. Non in perpetuum* (inquit) *damnamur, cùm injustè judicamur, dicente Psal.* Non damnabit illum cum judicabitur illi: *Multi Sacerdotum culpam zelo Dei se persequi profitentur sed dum indiscretè hoc agitur, sacrilegii facinus incurrunt, & dum præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoq; multò magis in deterius cadunt.* Quin & ibid. c. *De illicita: Is qui legitimè non excommunicaverit, ia tantum abstineat à sacra communione tempus, quantum majori Sacerdoti visum fuerit: ut quod injustè fecerit, ipse justè patiatur.* Hæc ibi.

2. ex parte causæ si illa insufficiens. Trident. Pius V. in decreto, sacratissimus Dominus noster.

Excommunicatio injusta *ex parte causæ* censetur, quando infertur vel ob culpam nullam, vel ob venialem tantum, vel ob culpam non probatam, vel ob peccatum internum, aut ob culpam præteritam jam emendatam; Item in deperditis rebus, & ad finem revelationis, nisi ab Episcopo fiat, ut postulat Concil. Trident. servatis modis declaratis per Pium V. in Decreto quod incipit: *Sacratissimus Dominus noster*, quod refert Stephanus Quaranta in Summa Bullarii V. Excommunicatio ad finem revelationis.

3. Ex parte excommunicati, si is innocens & c. Vide causam 23. q. 3. & Decret. Greg.

Injusta *ex parte excommunicati*: Ut si innocens, si obediens & non contumax, si ante excommunicationem legitimè appellavit. De his Canones communiter 23. q. 3. c. *Cœperimus.* c. *Si quis.* c. *Cum aliquis.* c. *Cùm sancti Viri.* Vide & Decretales Gregorii l. 5. tit. 39. de sent. excommunicationis.

CONCLUSIO. II.

Excõmunicatio ex parte causæ vel subjecti injusta, conscientiæ est invalida.

OMnis Excommunicatio ex parte causæ vel Subjecti injusta, in foro Conscientiæ est invalida.

Ratio est: Quia Ecclesia, cùm sit Regula omnis justitiæ & veritatis, censenda est non velle favere ulli injustitiæ aut injuriæ, minus velle innocentem condemnare: Ubi autem Excommunicatio injusta est ex parte causæ, vel subjecti, censetur injustitiam vel injuriam continere, cui cùm Ecclesia non faveat, invalida judicanda est. Unde qui non peccavit, vel peccatum non fecit, quod meritò excommunicatione feriri possit, ille verè in foro conscientiæ excommunicationem non incurrit. Similiter dicendum est de eo, qui non est contumax aut inobediens, prout supra explicatum est.

Si subsit justa causa, etsi excõmunicãs ex ira procedat, valida est excõmunicatio.

Dixi (*ex parte causæ vel subjecti*) quia si subsit vera & justa causa, & aliàs qui excommunicatur inobedientiam aut contumaciam incurrerit, etsi excommunicans odio, irâ, zelo indiscreto excommunicationem fulminet, ideoque mortaliter peccet, nisi per aliam juris circumstantiam excommunicatio cassata sit, valida censeri debet: Censetur enim validè, etsi illegitimè, excommunicasse.

Dixi (*in foro conscientiæ*) propter forum externum & contentiosum, pro quo sit

CONCLUSIO III.

excõmunicatus injustè in foro externo, quã diu Injustitia non est publica, debet se gerere ut excommunicatũ. S. Gregor. Vide Tit. de sẽtẽtia excomm. in 6.

EXcommunicatus injustè, in foro externo, & contentioso quamdiu injustitia non est publica & manifesta, tenetur in omni casu extrinsecus ut excommunicatum se gerere, donec vel se legitimè purgaverit, vel ad cautelam à Judice, vel ejus Superiore absolutus sit, vel immunis declaratus. Et in hoc sensu intelligendum est illud S. Gregorii Hom. 26. in Evangelia apud Gratianum 11. q. 3. *Sententia Pastoris sive justa sive injusta timenda est.* Ratio vere est: Quia cum præsumatur ejus culpa aut contumacia ad forum contentiosum Ecclesiæ deducta & judicata, tamdiu debet judicio Ecclesiæ in externo foro stare, donec aliter aut per manifestam probationem, aut per declarationem ecclesiæ sit provisum. Vide totũ Tit. De Sententia excommunicationis in 6. specialiter toto c. 7. *Venerabilibus.*

Dixi (*quamdiu Iustitia non est publica & manifesta*) Ubi enim est publica & manifesta excommunicationem timere non debemus: Nec hàc manifestâ injuriâ suppositâ, aliquod scandalum nasci potest.

DICES: Injustè plectitur innocens. Resp. non censeri injustè plecti, quamdiu de Injustitia non constat, adeoq; pro reverentia & honore, quem debet ecclesiæ, id pati cogitur, donec Injustitia manifestè appareat. Esi enim in foro Conscientiæ & Dei non ligetur; in foro

tamen

tamen ecclesiæ velut ligatus apparet. Unde Innocentius III.l.5. Decret. tit. 39. De Sententia excommunicationis cap 28. *Judicium* (inquit) *Dei, veritati, qua non fallit, nec fallitur, semper innititur: Judicium autem ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit, & falli propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud ecclesiam sit solutus, & qui liber est apud Deum, Ecclesiastica Sententiâ sit innodatus.* Hæc Innocentius, quæ tantùm de Iudicio facti sunt interpretanda, & de foro externo Ecclesiæ, non de Judicio veritatis fidei, in quo Ecclesia non errat, quia innititur soli primæ veritati, non opinionibus.

Innoc. III

Nota. Advertendum porro hîc est, supradicta, quæ de validitate injustæ excommunicationis dicta sunt; imò & omnia, quæ de injusta excommunicatione dicuntur, tantùm intelligi de excommunicatione ab Homine lata, vel per sententiam Judicis declarata. Quæ enim simpliciter Iuris est, & ipso facto dicitur incurri, absque aliquo interventu Judicis, eo ipso quo in Conscientia homo judicat se eam non incurrisse, quia vel peccatum non commisit, vel non cum illis circumstantiis, quas Jus requirit, suo judicio stare potest, vel prudentis Viri consilium sequi, & se tenere absque alia Absolutione non excommunicatum.

In excommunicatione à jure ec ipso quis judicat se eá non incurrisse, suo judicio stare potest, & se tenere non excommunicatum.

QUÆSTIO III.

Quæ dicatur Excommunicatio invalida, & an sententiâ Excommunicationis existente invalidâ teneatur quis se pro excommunicato gerere?

CONCLUSIO I.

1. Invaliditas excommunicationis, quia ni illa laborat aliquo defectu aut circumstantiâ requisitâ.

Illa dicitur simpliciter Excommunicatio invalida, quæ laborat aliquo defectu, vel circumstantiâ requisitâ à Jure vel ex natura Censuræ, ad ejus valorem.

Pro cujus Conclusionis intellectu notandum est: Duplicia à Jure requiri ad Censuræ vel excommunicationis legitimam fulminationem: Alia sunt essentialia, vel ita necessariò requisita, ut absque illis excommunicatio declaretur non subsistere, ut statim exemplificabimus: Alia sunt accidentalia, & quæ pertinent tantùm ad ceremonias, ut excommunicatio ritè & legitimè feratur: Hujusmodi sunt quæ de forma verborum vel scripturæ, de modis citandi, monendi, præscribuntur; si modò, ut dixi, substantiam non tangant.

Ad valorem excommunicationis essentialiter requisita sunt. 1. Iurisdictio non impedita.

Ut verò constet quæ sint illa, quæ vel à Jure vel ex natura excommunicationis requiruntur ad ejus valorem, eorum subtexo Catalogum.

1. Itaque ex parte excommunicantis requiritur Potestas sive Jurisdictio non impedita: Unde si quis excommunicet non subditum, excommunicatio est nulla & invalida. Idem si is qui Prælatus non est, tentet absque Commissione & Delegatione Potestatem habentis excommunicare, ut Parochus subditum, &c. excommunicatio similiter est nulla. Item: Judex Degradatus, Suspensus, vel excommunicatus, vel Irregularis est, nulliter excommunicat, Quod intellige de Suspenso, excommunicato, vel Irregulari publico, notorio, vel nominatim denuntiato, ut postea dicemus. Item: si quis excommunicat subditum in aliena Diœcesi existentem, nisi in causis suprà sect. 1. q. 4. circa finem relatis, excommunicatio invalida est.

2. Excommunicatio invalida & nulla est ex parte Causæ: si publicè & manifestè constat excommunicationem fulminari, ubi aut non est culpa mortalis externa, aut non est juncta cum contumacia, ut suprà iterum est dictum: Hæc enim ex natura excommunicationis ad valorem requiritur. Ubi tamen de Injustitia non cōstaret, vel dubitaretur de culpa, in foro saltem externo, quisque excommunicatum se gerere deberet, & suâ innocentiam probare: Quia auctoritas Legis & Legislatoris præfertur privatæ innocentiæ Individui, quamdiu de ea manifestè non constat.

2. Causa sufficiens.

3. Ex natura excommunicationis, prout in Jure decernitur, excommunicatio est invalida & nulla, si non præcessit trina Monitio, vel una sufficiens pro tribus, ut decernitur c. *Sacrosanctæ, &c. Statuimus* De Sententia excomm. in 6. Nisi peccatum ejusque contumacia tanta & tam notoria publicè sit, ut Monitione non indigeat, ut tenet Glossa c. *Manifestam.* Ratio hujus est: Quia ex c. 18. Matth. Non decernitur habendus ut ethnicus sive excommunicatus, nisi *qui ecclesiam non audierit:* Non censetur autem non audivisse, qui monitus non fuit.

3. In excommunicatione ab homine monitio trina c. Sacrosancto. c. Statuimus Gloss. fac. Manifestam. Mat. 18. 17

4. Ex ceremonia de mandato ecclesiæ requiritur, ut quæ ab Homine est, proferatur scripto. Quod tamen restringendum puto ad loca & regiones, ubi necessitas sive consuetudo legem hanc ecclesiæ admisit, ubiq; enim non servatur.

4. Ut sit scripta.

5. Ex parte excommunicationis, illa simpliciter & absolutè in valida censenda est, quæ manifestè intolerabilem errorem continet: Utpotè: Si Prælatus sub pœna excommunicationis id quod apertè malum est, vel Jure Divino aut ecclesiastico prohibitum, fieri præciperet, ut si juberet revelari secretum, quod solâ Confessione Sacramentali innotuit, vel peccatum, quod jam est emendatum, nec in ullius Tertii damnum vergit, vel de quo in externo foro nulla infamia, vel fama præcessit, & id genus, quæ interdum occurrunt.

5. Ut manifestè intolerabilē errorē non contineat.

CONCLUSIO II.

Quando manifestè constat de Invaliditate nemo tenetur se pro excommunicato gerere.

Quandocumque manifestè constat de Invaliditate sicut & de Injustitia nemo tenetur se pro excommunicato gerere. Ratio sumenda est ex terminis, quia in omni foro illa est nulla.

Dixi (*manifestè constat*) Unde si manifestatio illa in validitatis sit universalis & publica, universaliter & publicè debet ista Excommunicatio contemni; si tamen non constaret de Invaliditate, nisi inter paucos, etsi inter illos posit excommunicatio contemni; apud illos tamen quibus Invaliditas & Injustitia necdum est cogni-

gnita excommunicationis conditiones extrinsecus servari debent. Ratio est: Quia observatio externa excommunicationis obligat tantum ubi scandalum praetenderetur ex contemptu Clavium & Judicii Ecclesiastici; ubi autem constat de injustitia & invaliditate excommunicationis, apud illos qui norunt nullum scandalum praetendi potest, & consequenter observatio excommunicationis non est necessaria, imo nec conveniens.

QUAESTIO IV.

Qualiter Innocentia, Impotentia, Ignorantia, Metus, Necessitas excusent, vel invalidam reddant excommunicationem?

CONCLUSIO I.

3. *Innocentia vera reddit ex. communicationem injustam, & invalidam.* INnocentia vera reddit excommunicationem injustam & invalidam.

Ratio est: Quia excommunicatio non fertur nisi ob peccatum, quod imponitur non subesse. Unde si Innocentia fit manifesta, excommunicatio omnino contemni debet: Si non sit manifesta, apud ignorantes debet excommunicatus ab homine in foro externo se gerere pro excommunicato, donec innocentiam suam demonstraverit: ut jam saepe dictum est.

CONCLUSIO II.

4. *Impotentia quae excusat a culpa, excusat ab excommunicatione* IMpotentia, quae excusat a culpa, censetur in Conscientia excusare ab excommunicatione in impotentem lata.

Ratio clara est, Quia excommunicatio non fertur nisi propter peccatum, ergo qui ob impotentiam excusatur a peccato, excusatur consequenter ab excommunicatione Explico: excommunicatur quis, si ad talem diem non compareat coram Judice, si interim ob aliquod impedimentum redditus fuerit impotens ad comparendum, non incurrit excommunicationem: Similiter: fulminatur excommunicatio in Joannem, nisi intra praefixum terminum debitum solvat, aut restituat; si est, aut fiat interim impotens, non incurrit excommunicationem.

Nota Peres: Quid si sua culpa fiat impotens? R. Dupliciter posse dici sua culpa fieri impotens. 1. Culpa in genere sumpta absque ullo ordine ordinata ex intentione ad impediendam excommunicationem. Explico: Citatur quis ad quindenam ut compareat coram Judice sub poena excommunicationis, nullo respectu ad dictum praeceptum, nulla intentione impediendi dictam comparitionem per ebrietatem culpabilem incidit in febrim, vel morbum alium, quo impeditur a comparitione: Alio modo reflexe & intentione non comparendi sibi ipsi morbum vel impedimentum causat.

Imo qui sua culpa absq. ordine ad Excommunicationem fit impotens excusatur, secus qui culpa reflexa. Dico igitur: qui in genere, & absque ulla intentione contraveniendi mandato ecclesiae, sive Judicis, culpa sua fit impotens non incurrit excommunicationem: Qui autem culpa reflexa & ex intentione facit se impotentem mandato Judicis & ecclesiae, ille incurrit excommunicationem. Ratio fundamentalis est: Quia culpa posterioris virtute continet inobedientiam & contumaciam, culpa autem prioris Praecepto & mandato velut accidit: nec ad contumaciam vel inobedientiam, quae sunt causa excommunicationis, per se refertur.

CONCLUSIO III.

5. *Ignorantia probabilis facti vel juris excusat ab excom. Bonifac. VIII. c. Ut animarum periculis* OMnis Ignorantia probabilis sive facti sive juris excusat ab excommunicationis incursu: Haec Concl. patet ex Tit. de Constit. c. *ut animarum periculis* in 6. Ubi sic decernit Bonifacius VIII. *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per Statuta quorumcunq. Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina.*

Dixi *(omnis Ignorantia probabilis)* ad excludendam solam Ignorantiam crassam & malitiosam, sive etiam malitiose praetensam, & ad aliam omnem includendam.

Dixi *(sive facti)* haec enim absolute excusat: Dicitur autem Ignorantia facti, quando quis absolute ignorat se fecisse id, cui excommunicatio est annexa. Ut si quis percutiat Clericum, quem ignorat esse Clericum.

Ignorantia juris duplex, utraq. excusat. Dixi *(sive juris)* quae duplex est: Aut enim ignoro id, quod facio, esse jure sub peccato mortali prohibitum: Aut etsi sciam jure esse prohibitum etiam sub mortali, ignoro tamen esse excommunicationem annexam: Utroque modo censeo in foro Conscientiae excusare. Ratio est: Prioris quidem: Quia si ignoro probabiliter esse mortale, non pecco mortaliter, & eo casu deficit in me materia excommunicationis, quae est peccatum mortale. Posterioris autem: Quia si ignoro excommunicationem sive censuram peccato annexam, jam deest contumax inobedientia: censura enim sive excommunicatio apposita in lege subit vices Monitionum, ut superius dictum est, ex quo capite evitat singularis inobedientiae & contumaciae crimen, qui ignorat probabiliter censuram annexam.

CONCLUSIO IV.

6. *Metus* & 7. *Necessitas excusantes a mortali, excusant ab excommunicat.* MEtus & Necessitas excusantes a peccato mortali, excusant etiam ab excommunicatione. Explico: Irruunt hostes, timore mortis vel captivitatis fugit aliquis, & praevadit in clausuram Monialium, ut se tueatur, non incurrit excommunicationem. Ratio est: quia illum metus a culpa excusat. Similiter: Clericus laicum impedit ad mortem, non potest evadere laicus, nisi clericum occidat: occidendo non incurrit excommunicationem. Ratio est, quia necessitas illum a culpa excusat. Et Infinita exempla similia in utroq; contingere de facto possunt.

De Metu vel Necessitate excusante a mortali hic tractare supersedeo, quia sat saepe in prioribus Tomis tractatum est, & cum sit doctrina generalis frequentius recurrit.

SECT.

SECTIO III.

De Participantibus cum Excommunicatis, & de multiplici Excommunicatione à jure.

QUÆSTIO I.

An sit peccatum, & quale communicare cum Excommunicatis Majori Excommunicatione?

Martinus V. in concil. constāt Extrav. Ad evitādū & Leo X. in Later. ult. ac Basileen. decreverunt in 2. tātùm casibus excōmunicatos vitandos. Toletus.

ADvertendum hîc est Martinum V. in Concilio Constantiensi Extrav. *Ad evitandum*, cui conformis est posterius edita à Leone X. in Concil. ult. Lateranensi sess. 11. & Concilio Basileensi sess. 20. decrevisse in duobus tantum casibus excommunicatos vitandos esse: Prior casus est: Quando publice, expressè & nominatim Excommunicati sunt: Posterior: Quando sunt publici & notorii Percussores Clerici (quamvis concilium Lateranense & Basileense addant notorie & publicè cognitos ut excommunicatos, etsi non sint Denuntiati) sed modò communis, certa & approbata praxis in ecclesia tantum duos illos virandos censet, ut notat singulariter de Romana Praxi Tolerus Instruct. Sacerd l. 1. c. 12. n. 2. & communiter Doctores moderni; Istos verò dumtaxat vitandos indicat Pontifex, ad evitandum scandala & multa pericula, quæ conscientiis timoratis contingere possent.

Extravagās illa data est in favorē fideliū, excōmunicati tamē indirectè participāt

Advertendum 2, Illam extravagantem datam duntaxat in favorem fidelium & Reipublicæ Christianæ, ne in peccata & censuras incurrerent; nullatenus autem in favorem excommunicatorum, etsi inde utilitatem ex indirecto percipiant: Hoc ipso enim quod permittitur fidelibus obedientibus communicare cum illis, consequenter censendi sunt excommunicati supradicti, qui nec denuntiati, nec Percussores notorii Clericorum sunt, posse reciproce admittere Communicationes, & communicare cum aliis fidelibus. Et ita indicat concilium Lateranense suprà citatum. *Per hoc tamen* (inquit) *hujusmodi Excommunicates, Suspensos, & interdictos, &c. non intendi mus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*: nimirum, nisi ob bonum & utilitatem fidelium obedientium: cum enim Communicatio sit reciproca, non vult ecclesia relaxando favorem uni parti, alteri præbere causam ruinæ & peccati.

Conc. Later.

Peccat, qui extra casus permissos cū Excōmunicato vitāndo cōmunicat.

CONCLUSIO I.

PEccat, qui extra casus ab Ecclesia permissos cū excommunicato nominatim & publicè denuntiato, vel publico Percussore Clerici communicat. Ita communiter Doctores ex ecclesiæ Canonibus & Decretis.

Dixi *(extra casus ab ecclesia permissos)* quos utique exposuimus suprà hoc versiculo. *Utile. Lex, Humile, Res ignorata, Necesse.*

Hi enim Casus permittuntur etiam in Communione cùm excommunicato aliàs vitando.

CONCLUSIO II.

Sed solùm venialiter incurritō, excōmunicationem minorem, exceptis casibus à Jure expresis.

COmmunicare cum Excommunicato vitando, utpote publicè & nominatim excommunicato & notorio Clerici Percussore, extra casus permissos, est tantùm peccatum veniale communiter, incurriturq̄, tantùm Excommunicatio Minor, exceptis casibus à Jure expressis. Est communis sententia Doctorum. Ratio est: Quia pia Mater ecclesia extra casus expressos sub graviori peccato illam communicationem non prohibuit. Lege latissimè & doctè de hac Cōclusione differentem Gabrielem in 4. d. 18. qu. 3. opin. 2. & concl. 8.

CONCLUSIO. III.

In 4 casibus mortaliter, & incurrit in 2. prioribus excōmunicationem majorem. 1. Si cum Excōmunicato cōmunicat in crimine ob quod Excōmunicatus est. c. Nuper, & c. Sicōcubina. Nota.

INquatuor casibus à Jure expressis, qui communicant cum excommunicatis Denuntiatis nominatim, & publicis Percussoribus Clerici incurrunt peccatū mortale, & in duobus quidē prioribus etiam excommunicationem Majorem.

Primus casus est: *Si quis cum excommunicato Majori excommunicatione communicat: in crimine, ob quod excommunicatus est, prater peccatum mortale, incurrit excommunicationem Majorem.* Ita habetur c. *Nuper* De Sententia excom. Et in cap. *Si concubina* eodem Tit. *Non est dubium sententiâ Majoris Excommunicationis involui, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine cum criminosis.*

In quibus quidem Canonibus tria requiruntur ad hoc ut excommunicatio Major incurratur. 1. Ut Communicatio sit voluntaria, & ex certa sciētia per cooperationem aut exhibitionem consilii, favoris &c. 2. Ut fit in eodem crimine, si enim in alio plane disparato, Communicans quidem juxta rationem criminis peccabit mortaliter, sed excommunicationem non incurret. 3. Ut hæc communicatio fiat post latam vel incursam excommunicationem, nam antequam sic lara vel incursa, non censetur quis cum excommnicato communicare.

2. Quādo ista comunicatio expressè sub pœna Excōmunicationis Majoris, est interdicta 3. Quando Cōmunicat in Divinis.

Secundus casus est: *Quando expressè per Legem vel Judicem hujusmodi Communicatio sub pœna excommunicationis Majoris lata sententia est interdicta*: ut in Bulla Cœnæ contra Receptatores, Fautores, &c. Hæreticorum.

Tertius casus est, *Communicatio in Divinis, ut Sacramentorum administratione*: Et quidem talem sic communicantem peccare mortaliter constat, quia cùm excommunicatus Majori Excommunicatione sub pœna peccati mortalis nec suscipere Sacramenta, nec ea administrare possit, qui cum illo communicat censetur communicare in crimine: Præterquā quòd ei etiam sub eodem crimine sit prohibitum: Non incurrit tamen excommunicationem, nisi specialiter illa pœna imponatur, vel nisi concurrat ipsius Communicatio cum duobus casibus præcedentibus. Vide Gabrielem suprà concl. 5.

4 Quãdo Cõmunicatio fit in cõtemptũ Clavium.

Quartus casus est : *Quando communicatio fit in contemptum Clavium.* Qui casus ab omnibus refertur. Sed nec in hoc casu certa Excommunicatio lata est, nisi particulari lege vel mandato imponatur.

Excõmunicatio Minor est tantũ privatio participationis passivæ Sacramẽtorum. Qui tàliligatus Sacramenta suscipit, peccat mortaliter. Modò solùm incurritur ob cõmunicationẽ cum vitandis.

Petes : Quid sit excommunicatio Minor ? Resp. Excommunicatio Minor est tantùm privatio participationis passivæ sive usus Sacramentorum, unde qui communicat cum vitando excommunicato in casibus à Jure non permissis, etsi extra quartos casus supra allegatos veniale tantum peccatum committat, ut dictum est supra Concl. 2. Ita tamen privatur susceptione Sacramentorum, ut si rentet in tali excommunicatione Minori Sacramenta suscipere mortaliter peccet ; Quia præceptum ecclesiæ & pœnam sibi impositam in re gravi transgreditur. Quamvis porro antiquitus in aliis variis casibus Minor excommunicatio incurreretur : Illi tamen jam aboleverunt, tantùmq; incurritur in casibus communicationis cum excommunicatis vitandis extra casus permissos, ut sæpe repetitum est.

Nota.

Advertendum etiam est Minorem excommunicationem dici privare hominem electione passivâ ad Beneficium, non quòd electio irrita sit & invalida, sed quòd Jure irritari possit.

QUÆSTIO II.

Quæ potissimùm excommunicationes à Iure reservatæ sint ?

CUm excommunicationes ab Homine, humanam voluntatem & actionem sequantur, ideo certo numero non possunt hæ excommunicationes coarctari ; & cùm similiter indies Decreta, Statuta, & Leges multiplicentur, nec diffinitus quidem numerus excommunicationum à Jure assignari potest. Et quidem antiqui Doctores non semel de multitudine excommunicationum conquesti sunt : Unde Scotus in 4. d. 25. q. 1. §. Quarta Pœna : *A Iure* (inquit) *quandoque possibile erat dicere numerum, imo erat parvus numerus, quando fuerunt Decretales compilatæ sub Gregorio IX. sed hodiè quis numerare sufficiat, & cùm crescant in infinitum, crescentibus moribus capitum, non oportet circa hoc membranas implere.* Hìc igitur mihi sufficit potiores, & quæ in usu sunt excommunicationes referre, maximè reservatas : plurimæ enim usu quodam & consuetudine abrogatæ sunt, plurimæ casus & materias singulares contingunt, de quibus non potest dari doctrina specialis, sed ab iis, quorum interest, sciri & expendi debent, & ab hujusmodi personarum Confessariis juxta earum qualitatem adnotari.

Scotus.

CONCLUSIO.

OBviæ magis sunt sequentes 1. excommunicationes in Bulla Cœnæ Domini reservatæ. 2. Excommunicatio contra Percussores Clericorum c. *Si quis suadente Diabolo* 17. qu. 4. 3. Contra Simoniacos in ordinibus sive suscipiendis, sive administrandis, & in materia Beneficiorum Extrav. *Cùm detestabile* de Simonia. 4. Contra Duellistas eorumque Consultores, Fautores, &c. prout in Bullis Pii IV. Gregor. XIII. & Clementis VIII. referuntur. 5. Contra Milites ingredientes Monasteria Monachorum & Monialium. Vide Bullas Gregor. XIII. & Pii V. 6. Contra inducentes ad jurandum super sepultura eligenda. 7. Contra prædicantes ficta miracula, & nova ac falsa Vaticinia. Leo X. in Concilio Lateranensi sess. 11. &c. Et aliæ specialem statum Clericorum, Religiosorum, Prælatorum concernunt : quas quilibet pro suo Statu investigare debet. De non reservatis hìc non ago ob multitudinem, & quia indies fulminantur, mutantur, abrogantur. Consulat Lector eos, qui in Iurium recensione vigilantem operam impenderunt, ut earum Catalogum texerent.

c. Si quis suadente.

Extrav. Cùm detestabile.

TITVLVS II.

De Suspensione.

QVAESTIO I.

Quid sit Suspensio?

CONCLUSIO

Suspẽsionis descriptio.

S*Uspensio est Censura Ecclesiastica propter delictum à Iure vel ab Homine legitimè lata, privans ad tempus Clericum usu, sive exercitio Officii vel Beneficii.*

Dicitur (*Censura Ecclesiastica*) ut distinguatur à meris Pœnis. Vide definitionem excommunicationis.

Dicitur (*propter delictum lata*) Non enim absque delicto inferri potest ; & ubi delictum non est, Suspensio, quantumvis decreta, nulla censetur ; aut enim fertur in delicti vindictam, aut ad frangendam delinquentis contumaciam.

Dicitur (*à Iure vel ab Homine*) sicut enim datur excommunicatio per sententiam à Iure scriptam & latam, & alia à Judice fulminatam, sic sententia Suspensionis alia in jure scripto continetur, alia à Judice sive Homine infertur.

Dicitur (*privans Clericum*) est enim Censura sive Pœna spiritualis Ecclesiastica, solos Clericos afficiens, ut distinguatur à Pœnis Politicæ Iustitiæ.

Non privat Officio Beneficio &c. sed tantùm illorũ usu.

Dicitur (*privans usu sive exercitio Officii vel Beneficii*) ad comprehendendum omnia à quibus Suspensio privat. Et 1. quidem dicitur (*usu sive exercitio*) Suspensio enim non privat Officio, Beneficio, aut Ministerio simpliciter, sed tantum illius usu ad tempus. Et in hoc distinguitur à Depositione, Degradatione & ab hujusmodi pœnis, quæ hominem simpliciter privant Officio, Beneficio, vel Ministerio,

tertio. 2. Dicitur *(officii)* quod scilicet vel est ordinis, vel Jurisdictionis, vel alicujus Ecclesiasticæ administrationis juxta rationem multiplicium Officiorum in ecclesia Dei. Alia est enim privatio usus alicujus Ordinis, ut in eo, qui suspenditur ab exercitio Diaconatus, Sacerdotii, Episcopatus: Alia est privatio actus Jurisdictionis, ut in eo, qui suspenditur ab audiendis confessionibus, vel ab absolvendo à peccatis: alia est Suspensio ab officio alicujus Ecclesiasticæ administrationis, ut à prædicationibus verbi Dei, ab administratione officii Cantoris, Scholastici, &c. 3. Dicitur *(Beneficii)* ut in eo, qui suspenditur ab usu Canonicatus, vel perceptione fructuum, aut aliis actibus legitimis ex Canonicatu vel beneficio sibi competentibus.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Suspensio?

CONCLUSIO.

Variè dividitur Suspensio. 1. Alia à Jure, alia ab Homine. 2. Alia ab Ordine, alia à Jurisdictione, alia à Beneficio, &c. 3. Alia generalis, alia determinata.

VArias divisiones subit Suspensio ut est Ecclesiastica censura. 1. Enim ejus divisio attenditur *penes illam ferentes*. Et sic dividitur suspensio in eam, quæ est *à Jure*, & eam quæ est *ab Homine*, de qua vide divisionem excommunicationis similem à nobis explicatam.

2. Divisio Suspensionis sumitur *ab usu quo privat*: Et ita Suspensio dividitur in quadrifariam: In Suspensionem *ab Ordine*, Suspensionem *à Jurisdictione*, Suspensionem *à Ministerio*, vel *Exercitio ecclesiasticæ administrationis*, & in suspensionem *à Beneficio*, sive actibus ex beneficio provenientibus. De quibus supra in explicatione definitionis.

Rursus Suspensio vel est *Generalis*, quæ nimirum suspendit omnem peccantem ab omnibus actibus Ordinis, Jurisdictionis, Beneficii, &c. & hæc ordinariè fertur à Jure: Vel est *determinata*, ut quæ Petrum vel Joannem à singularibus actibus suspendit, ut à celebratione, à Ministerio Sacramentorum, à Divinis, &c. hæc respectu determinatæ personæ ab homine ferri solet; respectu verò pœnæ à Jure & ab Homine.

Alii alias ponunt divisiones, sed hæ sunt præcipuæ, & sufficiunt.

QVÆSTIO III.

Ob quas causas suspensiones ferantur?

CONCLUSIO I.

Suspensio fertur. 1. In vindictam peccati. 2. Ob contumaciã.

SUspensio in duplicem finem, sive ob duplicem causam fertur. 1. *In vindictam alicujus peccati*, nimirum ut Clericus ab eo avertatur, vel si peccaverit, resipiscat; est enim etiam hæc Censura medicinalis. 2. *In contumaciam*, ut aliquis ad obedientiam reducatur.

CONCLUSIO II.

Nõ solũ ob peccatum mortale, sed etiã ob veniale Suspensio ferri potest.

NOn solum ob peccatum mortale, sed etiam ob veniale Suspensio Ecclesiastica ferri potest; attendenda est tamen in utroque delicti ratio in se vel in consequentia, si Statui, vel Officio, aut Ecclesiæ noceat.

Conclusionis declarationem remitto ad ea, quæ de excommunicationis causa dicta sunt: etsi enim excommunicatio major pro solo peccato mortali feratur, eò quòd privet hominem gravissimis & salutaribus bonis, ac Ecclesiæ communione: Suspensio tamen etiam pro veniali peccato ferri potest: utpote quod privet minoribus bonis, & minorem pœnam annexam habeat: Sicut tamen in peccatis, pro quibus Excommunicatio fertur, attendenda est gravitas quædam moralis, & consequentia in malum Ecclesiæ & fidelium redundans, ut suo loco latè deduximus; Ita in suspensione philosophandum est, ut non pro quocumque peccato mortali aut veniali feratur, sed pro mortali vel veniali, quod in præjudicium Ecclesiæ, Status, Officii &c. redundet. Quod quidem apparebit manifestè examinanti omnes suspensiones in Jure expressas, quæ non nisi pro delictis in detrimentum Ecclesiæ, Statuum, Officiorum, administrationum vel tertiæ personæ, aut in grave salutis dispendium vergentibus latæ sint. De quibus videndi Canonistæ Angelus V. *Suspensio* per totum, & alii. Duas solum hic appono Suspensiones in jure communiores.

Angelus.

Suspensiones in Jure communiores.

1. Contra clericos notorios cõcubinarios. S. Thom. c. Præbet. c. Siqua sunt.

1. COntra Clericos notorios concubinarios & Fornicarios in Majoribus Ordinibus existentes: Publici autem & notorii dicuntur, quando judicio & sententia Ecclesiæ sunt convicti, ut habet D. Thomas quodlib. 11. numer. 8. vel quando crimen nulla tergiversatione celari potest d. 32. cap. *Præbet*. Et d. 81. cap. *Si qua sunt*.

2. Contra præsumẽtes recipere Ordines Sacros ante legitimam ætatem. Miranda. Navarrus.

2. Contra eos, qui scienter ante ætatem legitimam præsumunt Ordines sacros recipere.

Dico *(scienter & præsumunt)* qui enim ignorantia inculpabili ante ætatem suscipit Ordines sacros non incurrit Suspensionem. Vide Mirandam tit. 1. quæst. 36. artic. 6. citantem Navarrum. Et idem tenet de eo, qui ignoranter promoveretur per saltum: Rationem addunt: Quia Suspensio tantum fertur contra præsumentes, qui autem ignorat, non censetur præsumere.

QUÆSTIO IV.

Qualiter ferenda Censura suspensionis, ad hoc, ut sit valida, & obliget?

CONCLUSIO.

Ut suspensio sit valida requiritur.

QUatuor requiruntur in ferenda sententia suspensionis, ut subsistat.

1. Ut feratur ab habente Potestatem.

1. *Ut feratur ab habente Potestatem, in eum qui suspenditur*; Ut à Papa, Episcopo, Prælato Majore, &c. in subditos. Ratio ex terminis clara est: Si enim quis Potestatem non habeat, in subditum Jus dicere nequit Suspensionis autem Censura Juris & Potestatis sententia est. Estque eadem ratio quæ de eo, qui excommunicare potest, Vide Angelum V. *Suspensio* 2. n. 3.

Angelus.

2. Ut fiat in scriptis.

2. *Ut fiat in scriptis*: Suspensio enim sine scripto lata, nulla est, ut patet cap. 1. de Sent. Excom. in 6.

3. Ut fiat monitionibus præviis.

3. *Ut fiat Monitionibus præviis*, quod de suspensione ab Homine intelligendum est: Quia Jus scriptum Monitionis vicem subdit, ut diximus de Excom. suprà.

4. Ut super probato crimine feratur.

4. *Et super vero & probato crimine sive delicto aut contumacia feratur*: Si enim qui suspenditur verè non peccavit, nec contumacia ejus probari potest, Suspensionem non incurrit, & ubi absque tergiversatione constat illum non peccasse Suspensionem contemnere potest. Vide quæ de Causis excusantibus ab incurrenda Excommunicatione, similiter quæ de Justitia, Invaliditate aut Contemptu excommunicationis diximus, quæ cum proportione Suspensioni applicanda sunt, & ideò hic non repetenda.

QVÆSTIO V.

Qualiter se gerere debeat, qui Censuram sive sententiam Suspensionis incurrit?

CONCLUSIO.

Suspensus sub mortali debet abstinere ab actibus prohibitis.

DEbet Suspensus sub peccato mortali abstinere ab iis actibus, exercitiis, ministeriis, operationibus, quibus per Suspensionem privatus est, & pro toto tempore quo Suspensus est.

Ratio est: Quia non abstinens in re gravi ecclesiæ sententiam contemnere censetur, nisi ignorantia, necessitas aut sententia probabilis excuset.

Unde infero 1. Qui absolutè ab Ordine vel Officio est Suspensus, ab omnibus actibus Ordinis & Officii abstinere debet.

Infero 2. Qui à Pontificalibus solùm Suspensus est, non suspenditur à merè Sacerdotalibus, vel qui sunt ordinum inferiorum, quia hæc in Pontificalibus non includuntur Dico à merè Sacerdotalibus, quia etiam suspenditur ab illis, quæ necessariò cum Pontificalibus sunt conjuncta. Unde Episcopus Suspensus à Pontificalibus, non potest in Pontificalibus celebrare, potest in privato ut Sacerdos.

Infero 3. Qui ab exercitio inferioris Ordinis utpote Diaconatus, vel Subdiaconatus suspenditur, non suspenditur ab actibus Sacerdotalibus, ut tales sunt.

Infero 4. Qui ab Officiis Ordinis est determinatè Suspensus non censetur Suspensus ab actibus Jurisdictionis, nisi necessariò cum actibus Ordinis sint conjuncti: Ex. g. Episcopus Suspensus ab iis, quæ sunt ordinis simpliciter, non est Suspensus ab iis, quæ sunt Iurisdictionis; unde potest excommunicare, Censuras ferre extra-sacramentaliter absolvere, Leges dare, judicare, sententiare, quia ista non pertinent ad actus Ordinis, nec illos conjunctos habent, cùm à non Sacerdote vel Ordinaro fieri possint.

Dixi (nisi necessariò cum actibus Iurisdictionis sint conjuncti) Unde non licet tali absolvere à peccatis, audire Confessiones, ministrare ex vi Ordinis Sacramenta, quia hæc Ordinem simul cum Iurisdictione involuunt.

Infero 5. Qui suspenditur ab omni Jurisdictione determinatè potest ea facere, quæ sunt ordinis, nec jurisdictionem necessariò annexam habent: Unde potest Sacerdos celebrare, baptizare in privato, cantare Evangelium, &c.

Infero 6. Generaliter verba sententiæ Suspensionis attendi debent, nec tenetur suspensus abstinere à pluribus, quàm verba proponunt: Unde qui suspenditur à Divinis, potest Divina audire: Qui ab ministratione Sacramentorum, potest sacramenta percipere; Qui ab ingressu ecclesiæ, potest in privata Capella orare: Qui suspensus est à Beneficio quod obtinet, potest aliud posteà impetrare & possidere, &c.

Sicut in Excommunicatione, ita & in suspensione ignorantia necessitas, &c. excusant.

Dixi in ratione Conclusionis (nisi ignorantia, necessitas aut sententia probabilis excuset) sicut enim in excommunicatione ignorantia, necessitas aut sententia probabilis Excommunicatum excusat ab excommunicatione, vel pœnis excommunicationem concomitantibus aut consequentibus, ita omnino suspensum excuset: Explico: Qui ignorantiâ probabili se suspensum ignorat, ab iis, quæ suspensio inducit, abstinere non tenetur, sed potest se ut non suspensum gerere. Item: In extrema necessitate sacerdos suspensus ab ordine & Jurisdictione potest infirmum, si alius sacerdos non adsit, absolvere, communicare; imò si hostia consecrata non adesset, posset celebrare & consecrare pro Viatico dando (quamvis aliqui de postremo contrarium teneant) sed meo sensu pia Mater Ecclesia non censetur per suspensionem fidelem innocentem in tali necessitate tanto bono velle privare. Item: Dubitat Petrus, an incurrerit Censuram suspensionis: Aut etsi se suspensum norit, dubitat, an in aliquo casu liceat actum, quo suspensio privat, exercere; habet autem sententiam probabilem, vel quod suspensus non sit, vel quòd actus aliquis in casu non obstante suspensione sit illi permissus: potest deponere dubium, & aut pro non suspenso se habere, aut actum juxta probabile opinionem exercere. Quæ sunt ex communi doctrina de opinione probabili manifesta.

* * *

QUÆ-

QVÆSTIO VI.

Quæ peccata & pœnas incurrant, qui sententiam suspensionis in aliquo graviter transgrediuntur?

CONCLUSIO I.

Qui exercet actum præcisum Ordinis, officii, vel ministerii ecclesiastici peccat mortaliter

QUi exercet actum vel actus præcisos Ordinis, Officii vel Ministerii Ecclesiastici, à quibus suspensus est mortaliter peccat. Ratio eadem est, quæ Conclusionis Quæstionis superioris.

CONCLUSIO II.

Qui actu principali & præcisũ ordinis, à quo est suspensus, insuper incurrit irregularitatem.

QUi exercet actum vel actus principales, & præcisos Ordinis, à quo est suspensus præter peccatum mortale incurrit irregularitatẽ. Est communis sententia omnium Canonistarum.

Dixi in utraque Conclusione *(actus Ordinis præcisos)* ob aliquos actus æquivocos, & qui præcisè ad Ordinem non spectant, etsi ferè cum actibus ordinis conveniant: Unde suspensus ab actibus subdiaconatus, qui dalmaticâ indutus absque manipulo cantaret epistolam, Irregularitatem non incurreret, quia actus ille præcisè ordinis subdiaconatus nõ est: Similiter parochus suspensus ab administratione sacramentorum, si in privato ut laicus baptizet, non incurrit irregularitatem & alia similia plura occurrunt.

CONCLUSIO. III.

Suspensus à solis actibus jurisdictionis, si illos exerceat, non incurrit irregularitatem.

SUspensus à solis actibus jurisdictionis, si illos actus exerceat seorsim, non incurrit irregularitatem. Ratio est: Quia ex canonibus ob solos actus jurisdictionis non incurritur irregularitas, & ut diximus q. 4. illatione 4. actus iurisdictionis ab actibus ordinis separari possunt, & frequenter separantur.

Dixi notanter *(si illos actus seorsim exerceat)* Qui enim actum iurisdictionis cum actu ordinis exerceret, si ab actibus ordinis suspensus esset, Irregularitatem incurreret, ut si sacerdos suspensus Confessiones extra casum necessitatis audiret, in quo actus ordinis & jurisdictionis simul necessariò concurrunt, nec ad effectum Absolutionis ab invicem separari possunt, peccaret triplici peccato, ob tres Titulos. 1. Quia actum ordinis suspensus exerceret. 2. Quia actibus Jurisdictionis Suspensus se intromitteret 3. Quia sacramentum invalidum & nullum attentaret, ac prætereà irregularitatem incurreret.

Dixi *(si ab actibus ordinis suspensus est)* si enim à solis actibus iurisdictionis esset suspensus, irregularitatem non contraheret, etsi duplici peccato offenderet.

QUÆSTIO VII.

Qualiter suspensus à suspensione absolvatur?

CONCLUSIO I.

Suspẽsus à suspensione absolvitur. 1. Cessatione.

DUpliciter suspensus à suspensione absolvitur, 1. Cessatione: ut si ad certum tempus suspensus fuit, evoluto tempore suspensio cessat, & actibus restitutus censetur: Item: Qui sub conditione suspensus est, ut pote, si non pœnituerit, vel ab aliquo opere non abstinuerit, statim ubi pœnituit vel abstinet, suspensio per se cessat. 2. Absolutione: ut quando est lata suspensio in perpetuum, vel ad tempus indeterminatum; tunc enim Absolutione opus est.

2. Absolutione.

CONCLUSIO II.

A quo absolutio obtineri debeat.

ABsolutio à suspensione si est ab homine sive Judice, debet obtineri ab eo, qui eam intulit, vel ejus superiori: Si à Jure & est reservata, debet absolutio impendi à Reservante, vel eo cui reservata est: Si reservata non est, à legitimo Confessario vel Ordinario Iudice. Conclusio ex terminis patet.

CONCLUSIO III.

Forma absolutionis.

FOrma Absolutionis est: *Absolvo te à Suspensione tali ab Ordine, officio, Beneficio &c. quam incurristi*, vel Generaliter: *Absolvo te à Suspensione quam, vel si quam incurristi.*

TITVLVS III.

De Interdicto.

QVÆSTIO I.

Quid sit Interdictum?

CONCLUSIO.

Interdicti descriptio.

INterdictum est Censura ecclesiastica, quâ ob delictum, vel in Loco quodam Divina celebrari, vel Personæ iis interesse, vel ea suscipere prohibentur.

Dicitur *(Censura ecclesiastica)* ut excludantur quæ sunt meræ pœnæ, & in hoc genere definiti concordat cum excommunicatione & suspensione.

Dicitur *(ob delictum)* illud autem supponitur factum in præterito, estque ordinariè peccatum aliquod ex gravioribus & scandalosis publicis, ut violatio publicæ Potestatis, Jurium, vel Immunitatis ecclesiasticæ, inobedientia contumax, scandalosa rebellio, & id genus.

Dicitur *(quâ vel in Loco quodam Divina celebrari, vel personæ iis interesse, vel ea suscipere prohibentur)* propter Interdictum duplex: nimirũ *Locale & personale* divisim & conjũctim.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Interdictum?

CONCLUSIO I.

1. Dividitur in Locale personale & mixtum.

INterdictum universaliter aliud est Locale, aliud personale, aliud mixtum. Interdictum *Locale* est, quando locus interdicitur, & nnn personæ: Ut si Ecclesia, Capella, Cœmiterium interdicantur, ita ut in illis nec divina celebrari, nec Sacramenta administrari, nec sepultura sacra fieri possit. Inteidictum *Personale* est, quando personæ ipsæ interdicuntur, ut nec divina celebrare, nec Sacramenta administrare, nec sepulturam facere valeant. Interdictum *mixtum* est, quando & loca & personæ simul interdicuntur.

CONCLUSIO II.

2. In generale speciale & singulare.

INterdicti alia divisio est in Generale, Speciale, & Individuum sive singulare. *Generale* est, quando aliqua totalis Generalitas interdicitur: Ut si in Interdicto locali Regnum unum, Patria, Civitas, Castellum, Villa tota interdicitur; & in Interdicto personali omnes Incolæ unius Civitatis vel Regni interdicantur; In Mixto, si Civitas simul & incolæ Interdicto subjaceant.

Speciale dicitur, quando pars tantum alicujus Loci aut Communitatis interdicitur: Ut in locali, si in una Civitate una Ecclesia aut altera, & non omnes: In personali si in una Communitate aut soli Laici, aut soli Ecclesiastici subjaceant Interdicto: In *Mixto*, si Ecclesia vel Collegium cum personis specificentur. *Individuum sive singulare* est, quod personam aliquam, vel personas disparatas tamen afficit: Ut si Petrus vel Paulus in singulare interdicantur. De his omnibus vide Canonistas.

CONCLUSIO III.

3. Ex parte materiæ in universale & partiale.

EX parte materia etiam dividi potest: Aut enim omnibus interdicit, & similiter dici potest Universale, aut aliquibus tantum ut divinis Officiis, &c. & Partiale dicetur. De quibus infra.

QUÆSTIO III.

Quæ Divina per interdicti Censuram prohibentur, & quæ tempore interdicti sint permissa?

CONCLUSIO.

Divina per interdictum prohibita ad 3. capita reducuntur.

DIvina, quæ per Interdicti Censuram ordinariè prohibentur, ad tria Capita reducuntur: Nimirum *ad Divina Officia Sacramentorum administrationem & susceptionem ac sepulturam ecclesiasticam*, quæ subjectis Paragraphis explicantur.

§. 1.

De Divinis Officiis.

1. Divina officia quæ celebrare in locis interdict. vel quib. personis interdictis prohibetur interesse sunt missæ celebratio &c.

DIvina Officia, quæ celebrari in locis interdictis, vel quibus personis interdictis prohibetur interesse, sunt Missarum celebratio & solemnitas. Decantatio choralis septem Horarum Canonicarum sive fiat cãtu, sive per modum Psalmodiæ; Processiones solemnes, Laudes & Cantica publica, & id genus, quæ communi sensu inter divina Officia communia referuntur. Ita passim Doctores. Alia autem permittuntur, quæ hujusmodi non sunt, ut benedictiones solemnes mensæ, & aliarum rerum, quæ in Missali præscribuntur, quia hæc non pertinent proprie ad Divina Officia, quæ publico & communi ritu celebrantur: Nec Interdictum violarent, qui in privato voce submissâ Officium divinum simul legerent, etsi contingeret illos audiri; quia proprie illa Officia non dicuntur celebrari: Celebratio enim quandam solemnitatem importat, & Censucæ sicut & pœnæ sunt restringendæ.

§. 2.

De Sacramentis.

2. Sacramẽta quæ prohibentur suscipi aut ministrari sunt Eucharistia extra rationem viatici, &c.

SAcramenta quæ prohibentur in locis interdictis vel a Personis interdictes suscipi vel administrari, sunt: Eucharistia extra rationem viatici, Extrema Unctio, Ordo, Matrimonium cum pompa & solemnitate. Ita DD. passim. Permittuntur igitur Baptismus, etiam cum solemnitatibus ordinariis, Confirmatio, Pœnitentia, Eucharistia in ratione viatici, quæ omnibus legitimè dispositis omni tempore ministrari possunt personis non interdictis, vel quæ interdicto causam non dederint: aut si dederint, data Ecclesiæ sufficienti Satisfactione vel cautione, ubi aliud non possunt.

c. Alma. c. Non est. c. Quoniã. c. Accepisti. c. Responso.

Et quidem de pœnitentia habetur c. *Alma Mater.* §. Adjicimus. De Baptismo c. *Non est.* De Sponsalibus & c. *Quoniam.* de sent. Excom. in 6. & c. *Accepisti.* De consecr. d 4. De Confirmatione c. *Responso.* de sent. Excom.

c. Quod in te.

Adnotavi inter permissa Eucharistiam in ratione Viatici; Sic enim permittitur c. *Quod in te.* De Pœnit. & Remiss. *In illo enim* (ait Pontifex) *Verbo, quod per pœnitentiam morientibus non negamus, Viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, ut nec ipsum de[illegible]entibus denegetur.* Supponitur tamen, q[illegible] alis persona, si interdicta sit, vel interdicto causam dederit, prius debeat dare, quam potest pro tempore, satisfactionem, sicut & in Pœnitentia prout superius est adnotatum.

Portellus.

c. Sane. Tempore Interdicti Eucharistia pro viatico

Notat verò Portellus noster V. *Interdictum.* n. 15. Quod quando tempore interdicti deferenda est ad infirmum Eucharistia, deferendam esse cum omni comitatu & honore consueto, juxta c. *Sanè.* De celebratione Missarum etiam cum campanarum vel campanæ pulsatione, rationem non addit, illam verò esse credo; quia Viaticum simpliciter absque ulla limitatione conce-

deferri potest cũ comitatu & honore consueto. Licet etiã matrimoniũ cõtrahere sine pompa.

concediтur, & idcircò solemne illius Ministerium concessum censetur, quale in ecclesia illa adhiberi solet.

Dixi (*Matrimonium cum pompa & solemnitate prohiberi*) Estque sententia ista communis. Ex qua nonnulli inferunt sine pompa & solemnitate posse Matrimonium contrahi: Cujus rationem non adferrunt: Mihi sub ista ratione assertio illa non displiceret: Quòd in temporibus, quibus ab ecclesia interdicitur Matrimonium, solæ solemnitates interdictæ censeantur, quæ sub nomine celebrationis Matrimonii prohibentur: Quod proportionaliter ad celebrationem Matrimonii tempore Interdicti applicari probabiliter potest: Unde Solemnitates & Benedictiones solemnes illo tempore tantùm prohibitæ censebuntur, quia ad divina officia spectant. Quæ sententia probabilis est. Quinimò Hieronymus Llamas 1. p. Methodi c. 11. §. 3 credit licere tempore Interdicti Matrimonium contrahere, *Cum solemnitate noviter addita* (inquit) *à concilio Trid.* sed nullam adfert rationem & contra torrentem Doctorum censet: Forte tamen illi suffragaretur argumentum negativum: Quod nusquam in Jure hæc prohibitio fuerit expressa. Verùm quæ sit illa solemnitas noviter à concilio addita, non satis penetro, sed relinquo cum sententia tota judicio clariùs videntium. Mihi unum certum est sponsalia tempore interdicti posse contrahi. Neque enim aut ad sacramentum, aut ad officia Divina ullo modo spectant.

Hiero. Llamas.

Item spõsalia.

§. 3.

De sepultura ecclesiastica.

3. Ecclesiastica sepultura.

E*cclesiastica sepultura tempore Interdicti prohibita intelligitur tantùm quoad Locum sacrum Interdictum, vel quoad Personas Interdictas*, pro quibus duas pono Regulas.

REGULA I.

Qui aliquem sepelit in loco interdicto sine privilegio speciali incurrit excõmunicationem. c. Quod in te. Clem. 1. de sepulturis

Q*Ui aliquem sepelit in Loco Interdicto absque Privilegio speciali, mortaliter peccat, & incurrit excommunicationem.* Ita habetur c. *Quod in te* de Pœnit. & Remiss. & Clement. I. De sepulturis.

Dixi (*absque Privilegio speciali*) Excipiuntur autem Clerici etiam primæ Tonsuræ, si conjugati non sint, modò conditionibus sequentibus fulciantur. 1. Si personaliter non sunt interdicti. 2. Si non sunt excommunicati. 3. Si causam non dederint interdicto, 4. Ut fiat in silentio absque pulsatione campanæ, & externis solemnitatibus. 5. Ut in loco non sit alia ecclesia, quæ non sit interdicta; si enim in loco est alia ecclesia non interdicta, non potest clericus sepeliri in interdicta.

REGULA II.

Persona nõ interdictæ possunt in

P*Ersonæ non interdictæ tempore interdicti possunt in Loco non interdicto sepeliri.* Ratio est: Quia nec ex parte Personæ, nec ex parte Loci eis interdictum nocere potest. Addit Angelus V. *Interdictum* n. 33. Quod si personæ interdictæ pœnituerint, si in loco sacro sint sepultæ, non debere exhumari.

Loco non interdicto sepeliri. Angelus.

REGULÆ GENERALES

De Personis, Locis, Temporibus Privilegiatis vel exemptis, in observantia Interdicti.

REGULA I.

Populo interdicto nõ censetur clerus interdictus & è cõtra imò nec clero interdicto cẽsentur religiosi interdicti. Angelus.

P*Opulo interdicto, non censentur ecclesiastici sive clerici interdicti, nec econtrà Ecclesiasticis interdictis censetur Populus interdictus. Quinimò nec Clero interdicto censentur Religiosi interdicti.* Ratio est: Quia illa omnino sunt diversa, & pœnæ restringendæ sunt, non ampliandæ: Neque enim ecclesiastici in rigore continentur in Populo, neque Religiosi in Clero, sed tres status faciunt, quorum Supremum obtinent Clerici sive ecclesiastici: Medium Religiosi: Infimum Populus. Vide de his Angelum V. *Interdictum* 1. & favet sententiæ de Religiosis ibid. n. 9. etsi aliqui contradicant.

REGULA II.

Loco interdicto. Personæ nõ censentur interdicta. Ecclesiâ interdictâ cœmeterium vel capella conjuncta censentur interdicta, secus si altero muro sint disjuncta. Oppido interdicto suburbia conjuncta sũt interdicta non domus recreationis sicũ suburbio respectum nõ habẽt.

L*Oco duntaxat interdicto, Personæ non censentur interdictæ, unde in omnibus aliis Locis possunt Divinis interesse, sacramenta suscipere & administrare, in illis sepeliri, &c.* Ratio est quæ suprà: Quia Censura rigidè & strictè est Interpretanda. Ex quo infertur: Quòd si ecclesia una sit Interdicta, etiamsi esset Matrix & Cathedralis, si aliud non exprimatur, licet ad aliam ecclesiam ire ad Divina officia & sacramentorum usum &c. Civitate unâ interdictâ licet ad proximam ire Divinorum gratiâ.

Advertendum semper est ad tenorem sententiæ, vel canonis: Si enim ecclesia est interdicta, Cœmeterium adjacens per modum unius censetur interdictum, similiter & Capella ecclesiæ conjuncta: si verò Cœmeterium muro altero est ab ecclesia disjunctum, similiter & capella, ecclesiâ interdictâ, Cœmeterium vel capella non censentur interdicta, vide Canonistas. Qui etiam addunt: quòd civitate vel oppido interdicto suburbia conjuncta, sive quæ immediate adjacent, censeantur interdicta, non tamen, quæ longius dissita sunt, nec domus, quæ in campis circa Civitatem recreationis gratiâ extruuntur, & nullam cum suburbio conjunctionem sive respectum habent, quæ prudenti judicio proborum examinari debent. Vide Tit. de sent. Excom. in 6.

REGULA III.

Qui causa dederũt interdicto loci sũt interdicti.

Q*Uicumque causam dederunt interdicto civitatis vel Loci censentur interdicti, etsi in sententia vel canone singulariter nõ exprimerentur.*

 Ratio

Ratio est: Quia aliàs interdictum inutile esset, cùm enim ob aliquam culpam feratur, eos maxime afficit, qui culpabiles sunt: Unde & ipsi interdicto censentur singulariter subjacere.

REGULA IV.

Interdictũ suspẽditur Diebus natalis Domini. paschatis, pentecostes. Assumptionis. c. Alma. Martinus 5. idè concessit pro festo Corporis Christi. & tota oct. Similia privilegia in festis S. S. sui ordinis habent regulares Rodrigues. Miranda

Tempore interdicti interdictum suspenditur universaliter, in die Natalis Domini, die Resurrectionis, pentecostes, assumptionis B. Mariæ Virginis, à primis vesperis usque post Completorium dierum prædictorum. Ita pro solemnitate illorum dierum concessit ecclesia c. Alma Mater de Sent. Excom. in 6. Quod & pro festo SSimi. Corporis Christi & tota Octava concessit Mart. 5. Adverte tamẽ semper intelligi interdictos, vel qui interdicto causam dederũt excludendos.

Similia Privilegia in festis sanctorum sui ordinis habent regulares, & specialiter noster ordo Fratrum Minorum. De quibus vide Compendia privilegiorum, & specialiter Roderigues Tom. 2. q. q. Reg. q. 112. & in bullario. Miranda Tom. 2. q. 38. a. 12. & alios.

REGULA V.

Quid possint clerici non interdicti facere tempore interdicti, c. Alma Mater. ibidem.

Clerici, qui interdicti non sunt, nec interdicto causam dederunt, possunt in Locis non interdictis januis clausis, exclusis excommunicatis & interdictis Divina celebrare officia submissâ voce privatas Missas legere, & alia divina facere, quæ publicam & solemnem actionem ex vi ordinis & divinorum officiorum non habent adjunctam. Vide c. Alma Mater §. Adjicimus

REGULA VI.

Tempore interdicti permissum est ecclesiarum Ministris in hebdomada non pulsatis campanis, voce submissâ, januis clausis excommunicatis & interdictis exclusis Missarum solemnia celebrare causâ conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pænitentia non denegatur. Ita c. Alma Mater de sent. Excomm. in 6.

REGULA VII.

Angelus. c. Licet vobis §. conceditur.

Qui Privilegio fruuntur celebrandi Missam & Divina officia submissâ voce, januis clausis, exclusis interdictis, possunt suos domesticos, famulos, & qui sunt de familia admittere, si interdicti personaliter non sint, & interdicto causam non dederint. Ita communiter. Canonistæ, inter quos specialiter Angelus V. Interdictum 6. n. 4. citans c. Licet vobis §. conceditur

Portel.

Et in hoc fundantur Privilegia regularium, quibus permittitur admittere ad Divina tempore interdicti, ut suprà, suos domesticos, servos & familiares, syndicos, imò & operarios, diebus quibus in domo operantur, De quibus vide Portel. V. Interdictum num. 65. tit. Quæ liceant Regularibus, &c.

QUÆSTIO IV.

Quis possit intercedere?

CONCLUSIO.

Qui potest excommunicare, potest & interdicere

Qui potest Excommunicare, potest & Interdicere, tamen communiter solus Papa universaliter per totam Ecclesiam, Legatus in Locis sua Commissionis, & Episcopus in sua Diœcesi sicut excommunicant, sic interdicti pænam inferunt.

Papa interdicente locum religiosi servare tenentur, secus si Episcopus.

Dixi (Papa universaliter per totam Ecclesiam) Unde nota: Quod ubi Papa interdicit unam Civitatem vel Regnum, Religiosi etiam quicumque Interdictum servare tenentur, si specialiter non excipiantur: Si autem Episcopus interdicat, Regulares exempti in Civitate existentes non includuntur Interdicto, quia Exempti sunt, & in illos Episcopus non potest Jurisdictionem exercere. Quod etiam de Legato intelligitur, nisi ei particularis Commissio in exemptos data probetur.

QVÆSTIO V.

Quomodo quis à Censura Interdicti absolvatur?

CONCLUSIO I.

Ab interdicto absolvitur quis Cessatione & absolutione.

A Sententia Interdicti dupliciter quis absolvi potest: Nimirum Cessatione, & Absolutione. Cessatione ab Interdicto absolvitur, si ad tempus determinatum Interdictum fulminatum sit, ut si ad annum quis interdictus sit, anno evoluto absolutus censetur ab Interdicto. Per Absolutionem etiam ab Interdicto liberatur, si à Potestatem habente verbo, signo, vel facto aliquo manifesto Interdictum tollitur: Neque enim verba præcisa requiruntur.

CONCLUSIO II.

Et à quo

AB Interdicto à Canone absolvit is, cui Canon committit. Ab Interdicto ab Homine is, qui interdixit, vel ejus Superior aut Commissarius. Vide quæ diximus supra de Absolutione à Suspensione. Hæc autem clara sunt ex terminis.

APPENDIX.

De Cessatione à Divinis & Interdicto Ingressus Ecclesiæ?

Hic aliqui addunt Tractatulos de Cessatione a Divinis, & de Interdicto Ingressus Ecclesiæ; verùm cùm aliquid de Suspensione, aliquid de Interdicto participent, frustaneum duxi me in istis extendere.

TITV-

TITULUS IV.

De Irregularitate.

QUAESTIO I.

Quid sit Irregularitas?

CONCLUSIO

Irregularitatis descriptio.

IRregularitas est pœna Ecclesiastica à Summo Capite Ecclesiæ per sententiam vel Canonem irrogata, qua quis ab Ecclesiasticorum Ordinum susceptione, vel eorum usu impeditur.

Dicitur (*pœna ecclesiastica*) ut distinguatur contra censuram propriè dictam, de qua in diffinitione excommunicationis suprà.

Dicitur (*à summo Capite*) solus enim Pontifex irregularitatem constituere vel inferre potest: Unde subjunxi *per Sententiam vel Canonem*: Etsi enim omnis irregularitas à Canone ordinariè constituta censeatur, nec ulli irregularitati, quæ in Canone vel Decreto scripta non sit, credi debeat; potest tamen etiam irregularitatem Summus Pontifex per sententiam singularem in pœnam irrogare, etsi non sit in usu, nisi per modum declarationis.

Dicitur (*qua quis ab Ordinum susceptione vel eorum usu impeditur*) hi enim sunt duo effectus irregularitatis.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Irregularitas.

CONCLUSIO.

Irregularitas triplex est, ex defectu, ex indecentia, ex delicto.

DIvisio irregularitatis ex causis sumenda est: Triplex igitur recenseri potest: Nimirum: *Ex Defectu, ex indecentia, ex Delicto.*

§. 1.

De Irregularitate ex Defectu.

DEfectus, ob quos irregularitas incurritur, sunt.

1. Defectus Animi. 1. *Defectus animi*: ut quia aliquis est amens, furiosus, arreptitius, seu à Dæmone possessus, ignarus eorum, quæ ad ordinem requiruntur.

2. Defectus corporis. 2. *Defectus corporis*, ut quia quis extraordinariè deformis est, vel in aliquo sensu vel membro impediente Ordinis usum defectum patitur; ut Sacerdos sinistri oculi visu carens, ita ut sine magna capitis contorsione Canonem Missæ legere nequeat, & qui præcipuis digitis mutilus est. Item qui morbo caduco vel epileptico laborat, & id genus. Aliqui addunt *Defectum sexus*, ut si fœmina est, vel hermaphroditus, in quo prævaleat sexus fœmineus, sed hæc magis ad incapacitatem pertinent, quàm ad rigorosam irregularitatem.

3. Defectus natalium, & Libertatis. 3. *Defectus Natalium*, ut in spuriis, illegitimis ex adulterio natis, expositis qui ante Ordinis susceptionem pro illegitimis habentur. Huc etiam referunt aliqui *Defectum libertatis*: Servus enim sive mancipium sine consensu Domini, & nisi libertate donetur, ordinari non potest.

4. Defectus ætatis. 4. *Defectus ætatis requisitæ*, si enim quis ad Ordines majores ante ætatem jure requisitam promoveatur, ob irregularitatem ex defectu ætatis irregularitatem ex delicto incurrit.

5. Defectus Sacramenti. 5 *Defectus Sacramenti Baptismi*, nam qui baptizatus non est, ordinari nequaquam potest, sicut nec alia Sacramenta recipere, cùm Baptismus sit janua Sacramentorum.

§. 2.

De Irregularitate ex indecentia.

Indecentia oritur 1. Ex bigamia tùm propria, tùm interpretativa & similitudinaria. c. Si quis viduam.

INdecentia, ex qua irregularitas contrahitur, nascitur 1. *Ex Bigamia*, sive 2. Matrimonio, aut matrimoniali contractu cum vidua, cum ejecta, cum meretrice, &c. Ita habetur d. 34. c. *Si quis viduam. Si quis viduam vel ejectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam, aut aliquam de his, qui publicis mancipantur spectaculis: non potest esse ex numero eorum, qui sacro ministerio deserviunt.*

Ubi notandum est Bigamiam ob indecentiā removere Bigamum ab Ordinibus, quia (ut in Canonibus habetur) Sacerdotem, qui Christi Ecclesiæ Virginis unicæ & castæ Sponsi typum gerit, non decet cum duabus, vel una non Virgine, connubia consummare: Justissime etiam ab Altaris ministerio repudiantur, qui castissimum & purissimum Christum oblatum incontinentiæ suæ per hujusmodi nuptias signa manifestarunt. Vide c. *Unu* d. 26. & c. *Proposuisti* d. 82. Unde si quis vel secundam Uxorem vel Viduam propriè dictam duxerit Bigamiam incurrit, si verò ab alio cognitam & repudiatam, vel quovis modo ab altero corruptam, ob Indecentiam similiter Bigamus interpretativè censetur, & consequenter Irregularis: Quinimò si quis adulteram uxorem sciens & volens post illius adulterium cognoscat, interpretativam similiter Bigamiam incurrit, & irregularis efficitur.

c. Una c. Proposuisti. Quæ sit interpretativa bigamia.

Dixi tamen (ab altero corruptam) si enim quis Uxorem à seipso prius corruptam posteà in Uxorem accipiat, nec propriè, nec interpretativè censetur Bigamus, & consequenter irregularis non habetur.

Quæ similitudinaria.

Addunt hic Auctores Bigamiam Similitudinariam, ut si quis post Professionem in Ordine approbato emissam, vel post Votum in Ordine Sacro, Uxorem ducat Bigamus Similitudinaria Bigamiā efficiatur, quia Sponsæ primæ perfidus, sacrilegas Nuptias admisit, unde posteà regressus nec ad Ordines promoveri poterit, si ordinatus non erat, nec in ordine suscepto ministrare, si Ordinatus erat c. *Quotquot* 27. q. 1. & c. finali, de Bigamia.

c. Quotquot. c. Finale. 2. Ex cooperatione ad mortē & c. in justitia administratione.

2. Indecentia nascitur *ex cooperatione reali vel morali, directa & propinqua ad hominis occisionem vel membri mutilationem, in justitiæ publica administratione.* Quæ indecentia sumitur ex eo, quòd non deceat sanguine humano maculatum ad altare Domini accedere ad immolandum Agnum, quo coram tondente se obmutuit. Unde & Davidi prohibitum est extruere templum Domino, quòd multum sanguinem, etsi justè & in bellis justis, effudisset.

Dixi (*Ex cooperatione reali vel morali*) Realem habent Lictores, Tortores & alii justitiæ satellites in causa mortis: Moralem Judex, qui senten-

sententiam profert, Scriba qui dictat & scribit, Advocatus contra Reum & alii Assessores, quando sequitur mors.

Dixi (*cooperatione directa & propinqua*) qui enim tantùm Indirectè & velut per accidens ac remotè videntur cooperari, Irregularitatem non contrahunt: Debet enim actio ipsa aliquo modo dirigi ad mortem hominis, vel gravem mutilationem. Unde frivolum semper putavi, quod aliqui fingunt, Clericum præsentem dum sententia datur, vel supplicium infertur cōtrahere Irregularitatem: Neq; enim adest ibi tanquam cooperans aut concurrens ad mortem, vel sententiam mortis, sed ut audiens tantùm vel spectans, absque ullo morali etiam interpretativo concursu, & quamvis in fine 3. Decretalium statutum sit his verbis: *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, aut ubi exercetur intersit*, nulla tamen Irregularitatis pœna infertur, nisi ubi moraliter ad Judicium cooperatur. Similiter frivolum puto Irregularitatis pœna involuere Sacerdotem, qui dicit Reo ad mortem tendenti, ut gressum acceleret, scalam ascendat, qui monet Lictorem ut expediat, ne crudeliter Reus in nimia mora patiatur, & id genus: Quia ista non concurrunt, ne quidem remotissimè ad mortem, sed vel indifferentia sunt, vel charitatem potiùs aut lenitatem suadent.

Clericus nudè præsēs executioni justitiæ nō fit irregularis.

L. 3. Decretalium

Nec dicēs Reo ut scalā ascēdat aut Lictori, ut expediat.

Petes: An Clericus denuntians criminis Reum, vel rogans fieri sive administrari justitiam in eo, quem scit morte mulctandum, sequutâ Rei morte fit Irregularis?

Resp. Non esse, maximè si protestatus est se nolle mortem ejus vel mutilationem: Ratio est: Quia verè non cooperatur morti, sed tantum justè de injuria sibi facta conqueritur, relinquens Judicem sibi & officio suo, ut faciat quod sui muneris & justitiæ est: Unde qui detinet furem, etiam sciens morti afficiendum, si à ministris justitiæ captivetur, non fieret idcircò Irregularis, quia ad mortem, ut juridicè à Judicibus decernenda est, non cēsetur cooperatus.

Nec denūtians, vel rogās administrari justitiā, si protestatus est se nolle mortem Rei.

Dixi (*in publica justitia administratione*) ut excipiantur casus justæ defensionis & inculpatæ tutelæ in quibus etsi mors per actionem formalem & efficacem cooperationem sequatur, non incurritur Irregularitas, ut habetur Clement. 1. de Homicidio. Ratio est: Quia ordine charitaris, & misericordiæ teneor magis tueri vitam meam, quàm alienam, cùm igitur nō appareat cōmoda via evadendi periculū vitæ vel gravis mutilationis, ficut mihi licita est occisio & mutilatio, sic non incurro Irregularitatem.

Nec qui justè se defēdēdo aliū occidit

Clement. 1 de Homicidio.

Dices: Qui administrant publicam justitiā, condemnando Reum ad mortem vel gravem mutilationem, justè & legitimè condemnāt, & morti cooperantur ob bonum publicum Reipublicæ: Cur ergo Pænâ Irregularitatis potiùs hi, quàm qui se defendendo aliquem occidunt, plectuntur? Resp. Id ex ecclesiæ judicio & sensu debere expendi, quæ Irregularitatis pœnam decernit uni, & non alteri. Ratio verò videtur hæc fuisse, quia occisio inculpatæ tutelæ est juris naturæ, & actus velut inevitabilis & transiens, unde secum Indecentiam aliquam non involuit: Condemnatio verò Rei ad mortem est juris Gentium, & statum, Gradum, vel Officium seu Ministerium Reipublicæ concernit, & perpetuò velut comitatur: Unde in mystica ratione ecclesiastici Ordinis Indecentiam secum trahit.

Hic verò advertendum est denuò: Auctores communiter Indecentiam hanc exprimere per Defectum Lenitatis, quod intelligendum est magis objectivè vel extrinsecè ex Lege, quàm subjectivè ex interna constitutione Judicis, cui summa Lenitas naturalis & virtuosa adesse potest: Unde meliùs defectus ille, per quandam moralem Indecentiam explicatur, quæ non tam afficit Personam, quàm Officium quod gerit, quod ab Ordine Sacro Personam removet Indecentiæ cujusdam respectu.

Indecētia hac exprimitur per Defectum Lenitatis, meliùs tamē per Indecētiam.

3. Indecentia oritur *ex militia vel bello etiam justi executione, quando quis in bello offensivo hominem occidit, vel occisioni proximè cooperatur*: Eandem enim Miles sortitur rationem cum Ministris justitiæ superiori numero relatis, & de illis simili modo argumentandum est.

3. Ex cooperatione ad mortē in bello offensivo tiā justo.

Dixi autem (*quando in bello offensivo hominem occidit*) in defensivo enim non incurritur: sicut enim de defensione suiipsius sic de defensione Patriæ concludendum est.

Dixi etiā (*in bello justo*) in bello enim injusto Miles occidens incurrit Irregularitatem Homicidii ex Delicto. De quo infrà.

4. Indecentia Irregularitatem inducit *ratione infamia publica juris vel facti*: Unde est illud axioma Juris in 6. *Infamibus non pateant porta Dignitatum*. Hàc etiam ratione à Clericatu & Ordinibus repudiabantur, qui publicam pœnitentiam pro peccatis publicis egerant. Unde est canon ille Concilii Carthag. d. 5. c. *In aliquo: Ex pœnitentibus quamvis sit bonus tamen Clericus non ordinatur*. Item c. *Euthymiū* 2. q. 4. §. Hinc colligitur, similem Irregularitatem incurrunt, qui jure civili Infames reputantur.

4. Ex infamia publica juris vel facti.

Conc. Carthagin. c. In aliquo c. Euthym.

Dix (*vel infamia facti*) ut in Periuro notorio, Vide c. *Infamibus* De Regulis Juris in 6. & c. *Infames* 3. q. 7. & c. *Omnipotens* de Accusat.

c. Infamib. c. Infames c. Omnipotens.

§. 3.

De Irregularitate ex Delicto.

Irregularitatum ex Delicto sunt hæ Classes. 1. *Ex iteratione Baptismi*, ut si quis sciens & volens Baptismum in se iterari absolutè curet aut permittat. Aut Minister, qui illum sciens absolutè iterat. Dico absolutè in casibus enim verè dubiis licet Baptismum sub conditione denuò ministrare, sed hæc propriè iteratio non est, quia conditio apposita supponit: *Si non sit baptizatus &c.* Dico sciens & volens si enim invincibili ignorantiâ facti, sive ministrati Baptismi laboret, irregularitatem non incurrit. Incurrit etiam Irregularitatem, qui extra casum veræ necessitatis suscipit Baptismum ab hæretico, notorio scilicet & declarato.

1. Delictū est iteratio Baptismi.

2. *Ex ordine vel illegitimè & contra Canones suscepto vel in excommunicatione aut Suspensione*

2 Ordinis illegitima susceptio.

vel ministratio. *pensione ministrato.* Vide Casuistas, & quæ suprà dedimus de excommunicatione & Suspensione.

3. Heresis notoria. 3. *Ex delicto Hæresis vel Apostasiæ notoriæ & externæ*: Tales enim Irregulares sunt, nec Ordines in isto Statu vel suscipere vel administrare possunt.

4. Homicidium voluntariũ Vide ibid. 4. *Ex Homicidio voluntario.* Videantur quæ diximus tom. 2. tr. 6. tit. 1. per totam, specialiter qu. 5. & digressione de Aborsu.

REGULA GENERALIS

De Peccatis Irregularium.

Qui Irregularis existens clericatũ aut Ordines suscipit, aut in susceptis ministrat, peccat mortaliter. Quicumque Irregularitate quavis, *& ex quacumque radice proveniente irretitus, Clericatum aut Ordines suscipit, mortaliter peccat. Item: Qui in susceptis Ordinibus ministrat.* Est communis & infallibilis doctrina, quia in re gravi prohibitionem & pœnam ab ecclesia meritò indictam transgreditur.

De Ignorantia, Involuntarietate, Indeliberatione & aliis vide, quæ suprà diximus agentes de incursu excommunicationis. Liber verò hic ad consolationem & cautelam Confessariorum & Reorum aliquas Regulas ponere ex Angelo de Clavasio V. *Irregularitas n. 10.*

Regulæ V. P. F. Angeli de Clavasio.

In dubio nemo debet judicari Irregularis. 1. Nullus Index, vel Magister, *seu Doctor, in dubio debet aliquem judicare Irregularem* arg. de Pœn. d. 1. §. Pœnæ Ratione aliquando dedimus: Quià in Pœnis in favorem Rei semper judicandum est, tum quia Pœnæ restringendæ, tum quia Reus possidet contra transgressionem Legis non clarè probatam.

Itẽ, quando quis dubitat de actu vel defectu, cui Irregularitas decreta est, & deinde non est infamatus c. Ad audientium. c. Cum ex literis. 2. *Quando quis in foro externo non est infamatus de actu aliquo vel defectu cui Irregularitas Iure decreta est, & in foro conscientiæ & animæ dubitat de actu vel defectu, in consequenter de Irregularitate debet reputare se non esse Irregularem.* Hanc Regulam placuit sic exprimere ob duo contraria, quæ Angelus innuebat, nimirum in dubio quemlibet se debere reputare Irregularem ex c. *Ad audientium* de Homicidio, & quòd si in foro externo non esset infamatus, debere relinqui suæ Conscientiæ ex c. *Cum ex literis* ibid. Ego autem conformiter ad ea, quæ latius tractavi tom. 1. tr. 5. tit. 4. q. 4. censeo: *Si dubitet de actu*, cui decreta est Pœna Irregularitatis, meliorem esse conditionem possidentis, & se debere gerere ut non Irregularem, nisi in externo foro diffamatus esset, aut ad forum contentiosum res deducta esset. Vide ibid.

3. *Ut quis incurrat Irregularitatem ex Homicidio necesse est quòd interveniat, vel consilium, vel præceptum, vel factum, vel defensio, vel cooperatio occidentis.* Ita Innoc. in d. c. *Ad audientiã* eorum est: Quòd aliquo modo concurrat & cooperetur mortaliter, vel realiter occisioni. Vide supra *Ad Irregularitatẽ ex Homicidio requiritur, ut sit moralis vel realis causa illius. Et propinqua.*

4. *Oportet quòd causa Homicidii, ut quis sit Irregularis, sit propinqua.* Unde qui gladios cudunt aut vendunt, etsi sint instrumenta quibus homines occiduntur, non sunt Irregulares: Idem dic de Fabro, qui patibulum fabricat & erigit, non enim concurrit propriè ad homicidium, quia & gladii portantur honoris gratiâ, & interdum Principes curant erigi patibula ad ostendendam suam jurisdictionem, in quibus nunquam aliquis suspenditur. Similiter: Aliquis pulsat campanam, quâ ad arma populus vocatur, & à concurrentibus occiduntur aliqui, non fit Irregularis qui pulsat campanam; quia pulsatio ista campanæ respectu occisionis est causa remota, & convocatur populus potiùs ut se tueatur, aut vim vi repellat, quam ut occidat.

Infans, amẽs, &c. si occidat, nõ est Irregularis. 5. *Infans, qui non est doli capax, amens, furiosus, si occidat, non est Irregularis.* Vide Canones ab Angelo citatos.

Itẽ qui est causa levissima. c. Quæsitum. 6. *Qui est in causa levissima Homicidii non est Irregularis* Text. in c. *Quæsitum* de Pœnit. & Remiss. Ex quo infertur, quam nugaciter Irregularis fingant, qui in levissimis actionibus Irregularitates multiplicant.

AD LECTOREM.

Non ago hic de Dispensationibus super Irregularitatibus; cum enim certum sit Summum Pontificem solùm Irregularitatum Latorem posse in omnibus pro suo beneplacito dispensare: Quid inferioribus permiserit, repetendum esset, dum de Episcoporum & Prælatorum majorum Potestate sermo recurret.

Plura etiã, ad censuras pertinentia omisi, quia suis locis convenientius traduntur, dum de singulorum Statuum peccatis, quibus interdum Censuræ vel Pœnæ decretæ sunt, agendũ erit.

APPENDIX.

De Depositione & Degradatione.

Nec his Pœnis immorandum fuit, quia nil doctrinæ continent præter nudam nominum significationem, & Iuris aperta decreta.

TRACTATUS V.

Indulgẽtia interdũ conniventiam malam. Interdum pœnæ relaxationem.

De Potestate Summi Pontificis in Indulgentiarum erogationibus.

QUÆSTIO SUMMARIA.

Quid sit Indulgentia?

Interpretationes & usurpationes varias nominis non requiro: Interdum enim constat *Indulgentia* nomen in malam partem sumi, pro nimia conniventia & remissione in se vel in alios: Quomodo indulgere genio, gulæ, ventri turpiter dicitur, qui his suis concupiscentiæ passionibus extra rationis regulas connivet, juxta illud universale axioma Quintiliani *Mollis illa educatio, quam Indulgentiam vocamus, nervos omnes mentis & corporis frangit*: Et Poëta dixit. *Indulgentia significat. Quintiliani, Poeta.*

Sæpè parit segnes cæcus Indulgentia natos.

Indulgentiam igitur accipio in sano sensu, quo

quo remissionem aliquam & relaxationem pœnæ in Reo indicat, sequutus Textum Isaiæ c. 61. Ubi Christus loquens introducitur: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me, ad annũtiandũ mãsuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis.* Indulgentiam, &c. Ab hac enim significatione sumitur nomen *Indulgentia* celebre in ecclesia Dei, de qua nobis hic Sermo.

Isai. 61. 1.

CONCLUSIO.

Definitio Indulgẽtia.

I*Ndulgentia est: Remissio juridica & justa pœnæ temporalis, in judicio Dei peccatis actualibus debitæ, facta ab habente Potestatem, præstitâ sufficienti ac condignâ solutione ex ecclesiæ Thesauro.* Interpretor clausulas, sequentibus Titulis expensionem doctrinalem reservans.

Dicitur (*remissio juridica*) est enim actus Jurisdictionis & Clavium, extra Sacramentum & in foro externo, non tamen contentioso, & in hoc distinguitur à remissione peccatorum & pœnæ, quam oratione & operibus bonis in foro interno impetrat, & à Deo promeretur Christianus.

Dicitur (*justa*) Iustitia verò attenditur tum ex parte causæ, tum ex parte rationabilis & congruæ Dispensationis.

Dicitur (*pœna temporalis*) Ad excludendam culpam & pœnam æternam, quæ tantùm remittuntur in foro Pænitentiæ per absolutionem Sacramentalem, vel in ordine ad illam.

Dicitur (*in judicio Dei peccatis actualibus debita*) 1. ad excludendas pœnas, quæ ex peccato originali proveniunt, ut infirmitates, morbos, inclinationes pravas, à quibus Indulgentia non absolvit. 2. Ad excludendas pœnas temporales fori externi, ut quæ a Iudice Ecclesiastico vel Civili judicialiter sunt impositæ, à quibus similiter non absolvit Indulgentia, multò minùs ab iis, quæ tertii gravamen continent: Non enim quis per Indulgentiam absolvitur à restitutione pecuniæ, Injustæ detentionis vel damnificationis bonorũ proximi.

Dicitur (*præstitâ sufficienti solutioni*) quia Indulgentia fundatur in vera justitia.

Dicitur (*ex Ecclesia Thesauro*) ad excludendas compensationes pœnarum, quæ fiunt ex communicatione bonorum operum, quæ inter Christianos fieri possunt in privato, & in Religionibus fiunt per Literas Prælatorum.

TITVLVS I.

De Thesauro Indulgentiarum, & requisitis ad earum Valorem & effectum.

QUÆSTIO I.

An sit in ecclesia Dei Thesaurus Indulgentiarum, & quid sit?

Opus bonũ in charitate factũ 5. habet.

PRo resolutione notandum est. 1. Quodlibet Opus bonum in charitate factum, quinque virtutes ordinariè in Homine Viatore habere, nimirùm Iustificandi, Medendi, Merendi, Satisfaciendi, & Impetrandi.

Virtutes in viatore

Iustificandi.

Iustificandi quidem juxta illud: *Qui justus est justificetur adhuc, & sanctus, sanctificetur adhuc*, nimirum per Opera bona, & observationẽ mandatorum Dei quæ & toto Psal. 118. vocantur *Iustificationes*, quia per ea Homo Viator in justitia & gratia crescit, omni enim Operi bono in charitate facto gradus gratiæ magis justificantis acquiritur.

Apoc. 22. 11.
Psal. 118.

Medendi

Medendi etiam virtus non deest Psalm. 118. *In quo enim* (ait) *corrigit adolescentior viam suam, nisi in custodiendo sermones tuos*: Unde & Psal. 18. *Lex Domini immaculata convertens animas: testimonium Domini fidele sapientiam præstans parvulis, præceptum Domini lucidum illuminans oculos*: Operibus utique in charitate factis acquiruntur habitus boni, mali pelluntur, concupiscentia refrenatur, &c.

Psal. 118. 9.
Psal. 18. 8.
Vers. 9.

Merendi

Merendi efficacia manifesta est: *Erit enim* (inquit) *merces operi vestro. Et mensuram bonã, confertam & coagitatã dabunt in sinũ vestrũ, &c.*

2. Par. 15. 7
Luc. 6. 38.

Satisfaciendi.

Satisfaciendi vim & Opera habent: *peccata* (inquit) *tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Et Angelo Ephesi Ecclesiæ scribi mandatur: *Pænitentiam age, & prima opera fac.* Joannes Baptista etiam monet *facere fructus dignos pœnitentiæ.*

Dã. 4. 24
Apoc. 2.
Luc. 3. 8.

Impetrãdi.

Impetrandi gratiam Operibus præstitam testatur, qui sæpius in Psalmis clamat: *Exaudi Domine justitiam meam, intende deprecationem meam.* Et Act. 10. eleemosynæ cum oratione conjunguntur; *Orationes* (inquit) *tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Et alia vide passim.

Psal. 16. 1.
Act. 10. 4

Opera cõprehensorũ solùm sunt impetratoria.

Notandum est 2. In Comprehensore post hanc vitam quatuor prima cessare: Cum enim homo jam in termino sit, justificari amplius non potest, nec mereri; quia justitiæ & meriti plenam retributionem accepit: Nec ipsi mederi potest, quia medelæ, sicut & infirmitatis tempus abiit: Satisfactionis etiam adæquatus debitis computus redditus est usque ad extremum quadrantem. Remanet ergo unica virtus Impetratoria, quam repræsentavit Ioannes Apoc. 5. in Seniorum *Phialis aureis plenis odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum*; orant enim Sancti pro nobis.

Apoc. 5. 8

Deus applicato fructum Satisfactorum, qui Sanctis superfluit.

Notandum 3. Deum, qui omnis æquitatis est regula, in satisfactorio fructu applicando non deesse, sed si quid Sancti plus laboris & pœnarum & Satisfactorii Operis habuerint, illud à Deo expendi, & si non illi, saltem alteri restituendum servare juxta rationem judiciorum suorum: Ad Hebr. 6. *Non enim* (inquit) *injustus est Deus, ut obliviscatur Operis vestri, &c.* Qui enim judicat appensum in statera, si inventus sit minus habere, æquitate justitiæ debet retribuere, si inveniat plus habere.

Hebr. 6. 10
Dan. 5. 27.

Omnis virtus Operis boni pendet à meritis Christi.

Notandum 4. Omnes illas virtutes Operis boni in charitate facti, pendere à meritis Christi IESU Domini nostri: Ipse enim Opere Redemptionis nostræ meritus est nobis, & Justificationem, & Medelam, & Mercedem, & Satisfactionem, & Impetrandi virtutem. Nam

ut bene

1. Cor. 1. 30. Vers. 31.

ut benè Apost. 1. ad Cor. 1. *factus est nobis sapientia à Deo, & Justificatio, & sanctificatio, & Redemptio, ut quemadmodum scriptũ est: Qui gloriatur, in Domino glorietur:* Nihil enim sibi primò promeruit Christus, cui ex vi unionis Hypostaticæ, tamquam Filio naturali, omnia debebantur, sed quidquid cogitavit, dixit, fecit, passus est omnia propter electos Unde & Christus Ioan. 17. *Pro eis* (inquit) *ego sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate.* Ut autẽ doceat id pro omnibus dictum, subdit: *Non pro eis autem rogo, sed pro omnibus qui credituri sunt, per verbum eorum in me.* Vide Auctores de Gratia per Christum tractantes.

Ioã. 17. 19. Vers. 20.

CONCLUSIO I.

Datur in ecclesia thesaurus universalis meritorum Christi.

DAtur in ecclesia Thesaurus universalis meritorum Christi, ex quo omnis gratia, gloria, sanctitas, justitia procedit, & in omnes fideles distribuitur. Sic de Christo loquitur Apostolus ad Col. 2. *Instructi* (inquit) *in charitate, & in omnes divitias plenitudinis intellectus, in agnitionẽ mysterii Dei Patris & Christi* IESU: *in quo õnes thesauri sapientia & scientia absconditi.* Infrà: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter & estis in illo repleti, &c.* Et c. 1. *In ipso cõplacuit omnẽ plenitudinẽ inhabitare, & per eũ recõciliare omnia in ipsum* &c. Et Ioã. 1 *De plenitudine ejus nos õnes accepimus, & gratiã pro gratia.*

Coloss. 2. 2. Vers. 3. Vers. 9. Vers. 10. Col. 1. 19. Vers. 20. Ioan. 1. 16

Vocatur porrò hic *Thesaurus* ex similitudine dictionis: sicut enim *Thesaurus* dicitur asservatio quædam abundãtis pecuniæ in beneplacitum domini, ac futuras necessitates: sic Merita Christi in acceptatione Patris velut recondita asservantur, juxta dispositiones æternas distribuenda in necessitates fidelium maximè electorum. Et si Iurisconsulto placet, ut *Thesaurus* dicatur antiqua pecunia, cujus non est memoria: *Thesaurus* sanè Meritorum Christi Agni immaculati, *qui occisus est ab origine mundi*, ab æterno asservabatur, quà ratione etiam incarnatio vocatur *sacramentum absconditum à seculis, in Deo.*

Apoc. 13. 8 Ephes. 3. 9

Hic est itaque *Thesaurus*, in quo gratia per Christum universaliter distribuitur juxta incõprehensibiles, invisibiles & nobis absconditas dispensationes Dei ad Electorũ salutẽ: Hic qui ministerialiter ab ecclesia Dei dispensatur in sacramentis, Divinissimo Altaris sacrificio, & aliis ministeriis juxta mensuram donationis Christi: De hujus plenitudine accipiunt, qui bonis operibus gratiam, gloriam, & dona supernaturalia sibi acquirunt, &c.

CONCLUSIO II.

Datur & partialis cõstans ex satisfactionibus Christi & sanctorũ a papa dispensandus per indulgẽtias.

DAtur in ecclesia Dei Thesaurus velut partialis, constitutus ex satisfactionibus Christi, B. Mariæ Virginis & sanctorum, à Petro & successoribus ejus potestate Clavium rationabiliter dispensandus, virtute cujus remittuntur pœnæ temporales in judicio Dei debitæ, per largitionem indulgentiarum.

Dixi (*Thesaurus partialis*) *Thesaurus* quidẽ ratione in 1. Conclusione allatâ, quia est quædam asservatio bonorum operum, prout satisfactoria sunt in acceptatione Divina, ad opportunam in ecclesiæ membra dispensationẽ, quâ significatione Matth. 6. & 19. Marc. 10. Luc. 12. dicuntur, qui sua propter Christum vendunt, *habere Thesaurum in cœlo non deficientem*, quia illa velut in memoria & acceptatione Divina remuneranda servantur. *Partialis* verò per respectum ad universalem, quia ejus quædã pars est, cùm ad satisfactiones Christi, B. Virginis & Sanctorum, ac remissionem pœnæ temporalis coarctetur. Reliquæ hujus Conclusionis, partes, quia, in se totam essentiam, virtutem & conditiones Indulgentiarum continent, in sequentibus latius explicandæ sunt.

Mat. 6. 20 &c. 19. 21. Mar. 10. 21 Luc. 12. 33.

QUÆSTIO II.

Qualiter dicatur hic Thesaurus constare ex satisfactionibus Christi?

CONCLUSIO.

Cõstat ex satisfactionibus Christi, quia de plenitudine ejus Electi pœnarum remissionem accipiunt.

THesaurus hic constare dicitur ex satisfactionibus Christi, eò quod de plenitudine ejus electi nõ solùm accipiant gratiam & gloriam, sed etiam pœnarum remissionem: Christus enim per sanguinem suum non modò meritus est nobis gratiam & gloriam, sed etiam pro pœnis peccatis nostris debitis satisfecit: *Vulneratus* utique *propter iniquitates nostras, & attritus propter scelera nostra, languores nostros & dolores nostros ipse portavit*: Nec perfectè Salvator aut Redemptor esset, qui solà deletà culpâ, & pœnâ æternâ in temporalem commutatâ, pro pœnis residuis Patri æterno pretium non dedisset. Ipse certè, qui *in sanguine Testamenti emisit vinctos de lacu*, pretiũ integrũ solvit: ipse *delens quod adversus nos erat chirographũ decreti*, pro omni culpa & pœna pretium dedit: Restat ut applicetur. Et hæc omnia sunt de fide.

Isai. 53. 5. Vers. 4. Zach. 9. 11. Col. 2. 14.

QUÆSTIO III.

Qualiter dicatur Thesaurus constare satisfactionibus B. Mariæ & Sanctorum.

Omne opus bonũ habet vim satisfactoriam.

HIc versatur difficultas à pluribus etiam Catholicis Doctoribus mota: Pro cujus elucidatione advertendum est 1. Opus quodlibet in charitate factum, ex eo quòd pœnale est, & concupiscentiæ corruptæ adversatur, habere vim satisfactoriam, & proindè benè operantẽ per singula opera in charitate facta, velut ex pacto cum divina bonitate inito, obtinere diminutionem pœnæ, si quæ suis peccatis debeatur. Ex hoc enim opera bona vocantur opera justitiæ, non tantum quia à justitia procedunt, sed etiam quia justitiæ Dei satisfaciunt. Hæc constant ex iis, quæ suprà initio hujus Quæstionis allata sunt de virtute satisfaciẽdi.

Multa opera B. Virginis ac SS. ipsis in qualitate satisfactionis non profuerunt.

Advertendum 2. B. Virginem Mariam, quæ ab omni peccato tam originali, quàm actuali immunis fuit, multa passam fuisse, multaque opera satisfactoria fecisse, quæ sibi in virtute satisfactionis prodesse non potuerunt, cùm in ea omnis satisfactionis materia ob summam puritatem deesset.

Advertendum 3. In Sanctis multis idem contigisse, ut in S. Joanne Baptista, SS. Apostolis & Martyribus, aliisque, qui ultra pœnas peccatis suis debitas, multa opera pœnitentiæ & satisfactionis peregerint, gravissima martyria & pœnas passi sunt, quarum fructum satisfactorium percipere non potuerunt; cum à tanto pœnarum debito in judicio Dei liberi essent. Unde & Job in sua passione clamabat:
Job 6.2. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera, quasi arena maris hæc gravior appareret.*

Nullū opus in charitate factū manet irremuneratum etiam quà satisfactorium. Advertendum 4. Nullum opus in charitate factum juxta omnem suam virtutem manere à Deo irremuneratum: Nam & omni operi in charitate facto à Deo redditur gratiæ gradus sibi debitus, redditur & gloriæ, & consequenter, quà opus pœnale est & satisfactorium, propter illud dimittitur gradus aliquis pœnæ in foro Dei debitæ. Hoc docent omnes scripturæ, quæ generaliter dicunt Deum *reddere unicuiq; juxta opera sua*, sive quòd *referet unusquisq; propria corporis, prout gessit sive bonum sive*
Mat.16.27 *malum*. id est, juxta omnem rationem, qualitatem
Rom.2.6 tem & virtutem operis sui. Et quoad Fructum
2.Cor.5.10 satisfactorium dicitur Deus singulariter remuneraturi labores, tribulationes &c. Sicut ad Rom. 2. asseritur, Deum singulariter secundum patientiam boni operis dare mercedem. Et c.5. Virtutem boni operis in patientia ponit Apo-
Rom.2.7. stolus: *Tribulatio* (inquit (*patientiam operatur, patientia probationem, probatio spem &c.* Quin-
Rom.5.3. imò Theologi singulariter affirmant: Quod quamvis homo meritum gratiæ & gloriæ sibi debitæ alteri applicare non possit (hoc enim proprium est capiti nostro Christo IESU) nihilominus interdum boni operis fructum satisfactorium, Deo sic disponente, ab uno in alterum transferri; constans est doctrina ex scriptura desumpta. Hoc enim probat insignis illa parabola talentorum: Ubi talentum illius, qui operatus non fuerat, tollitur ab eo, & alteri
Mat.25.28 datur. *Tollite* (inquit) *ab eo talentum, & date ei qui habet decem talenta: omni enim habenti dabi-*
Luc.19.24 *tur, & abundabit: Ei autem, qui non habet, quod*
Mat.4.24 *videtur habere, auferetur ab eo.* Idem in parabola de mnarum retributione. Et Marci 4. *In qua (ait) mensura mensi fueritis, remetietur vobis. &*
Sap.5.16. *adjicietur vobis, &c.* q.d. etiam plus addetur, &
Mat.10.14 ultra mensuram vobis debitam. Vide expositores & Theologos præclare super his discurrentes, sed & apertè Sap. 5. dicitur Deus reddere justis mercedem laborum. Et latè Matth. 10.
2.Joan.8. ostendit Christus benefacientes alicui in nomine Prophetæ vel justi, mercedem Prohetæ vel justi recipere. Et 2. Joan. dicitur: *Videte vos-*
Luc.6.38. *metipsos, ne perdatis quæ operati estis; sed ut mercedem plenam accipiatis*: Mercedem utique ple-
Fructus satisfactorius alteri communicari potest. nam, quam Lucas sub similitudine mensuræ c. 6. *Mensuram bonam, confertam, coagitatam & supereffluentem* nuncupat.

Advertendum 5. singulariter: Opus satisfactorium in qualitate satisfactionis ex sua natura alteri esse cōmunicabile, & de facto inter fideles communicari: Inhoc enim potissimùm firmatur Communio sanctorum (de quâ sæpiùs in suis epistolis Paulus) ut satisfactorii Fructus beneficentiæ, vinculorum, tribulationum, passionum adinvicem communicentur. Nobilis autem est locus ille ad Coloss. 1. *Qui* Col.1.24.
nunc (inquit) *gaudeo in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt passionū Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est ecclesia*; quæ gravissima sententia ut intelligatur: Notandum est: Quòd etsi passiones, quas Christus in proprio Corpore pro nobis pertulit, fuerint in infinitum sufficientes ex parte ejus ad redemptionem totius generis humani, singulari sapientia nihilominùs ad earum completum effectum Christum voluisse illas in suo Corpore Mystico per sanguinem Martyrū, afflictiones, & tribulationes compleri, & velut per illas nostram redemptionem & salvationē terminari; Ita ut non tantùm per passiones in Corpore Christi toleratas, sed & per tribulationes, passiones in membris sui corporis Mystici, in quibus & Christus patitur, velut per complementum & applicationem sanguinis ejus oporteat nos salvari. De quo illud Pauli ad Rom. 8. Rō.8.17.
Si (inquit) *compatimur, ut & conglorificemur* Et Apoc.1.9.
Joannes in salutatione nominat se *Participem* Act.14.21.
in tribulatione & regno. Et universaliter concluditur Act. 14. *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Quinimò quemadmodum Deus plures prædestinavit per Orationes aliorum salvandos, juxta illud S. Au-
gustini: *Si S. Stephanus non orasset, ecclesia Paulum non haberet.* S. August. Ita sine dubio Christus plurimos salvari decrevit per passiones, satisfactiones & afflictiones aliorum, in quantum sanguis ejus operatur in illis: sensus igitur verborum Pauli est: Adimpleo, id est, suppleo vel impleo id quod Christus suppleri & adimpleri voluit, per ea quæ patior in carne mea, pro Corpore ejus, quod est ecclesia: Ita ut passiones & tribulationes meæ sint quædam applicatio sanguinis Christi, & effectus illius ac complementum; Ita SS. Ambr. Anselm. Thomas & alii. His consonat quod 2. ad Tim. 2. scribit: *Ambr. Anselm. S. Thom.* 2.Tim.2.10.
Omnia (inquit) *sustineo propter electos, ut ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu, cum gloria cælesti.* Sed & absque tergiversatione cōmunicationem operum, sive satisfactionis alienæ evidenter probat argumentum, quo utitur idem Apostolus 1. ad Cor. 15. *Quid facient qui* 1.Cor.15.29.
baptizantur pro mortuis si omninò mortui non resurgunt? ut quid & baptizantur pro illis? In quibus verbis supponitur Actus satisfactorios pœnitentiæ, qui nomine Baptismi significantur, exhibitos à vivis, prodesse & communicari mortuis ad resurrectionem vitæ, sive ut gloriam consequantur. Vide expositores. His itaque prænotatis sit

Satisfactiones B. Virginis & SS. in ipsis non remunerata.

CONCLUSIO I.

Satisfactiones B. Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum in ipsis in qualitate Satisfactionis non remunerata, in aliis juxta Dei providentiam remanent remuneranda.

Ratio

Inæqualitate satisfactionis in aliis manet remunerandæ. Ratio fundamentalis ex animadversione sumenda est, sicque formari potest: Nullum opus Viatoris in charitate factum, etiam in qualitate satisfactorii, apud Deum irremuneratum manet: Ergo satisfactiones sive opera satisfactoria B. Mariæ Virginis & sanctorum, qui satisfact one non indigent, irrenumerata remanere non possunt. Subsumo: Atqui, ut supponitur, in B. Virgine & sanctis non indigentibus, in qualitate satisfactionis non remunerantur: Ergo in alio à Deo remunerari debent. Consequentia clara est, nec probatione ulteriori indiget, illamque probant scripturæ suprà allegatæ.

Conclusio II.

Cēsētur q; in ecclesiæ Thesauro reposita. *Satisfactiones B. M. Virginis & omnium sanctorum non remunerata in ecclesia thesauro censentur reponi.*

Ratio sumenda est ex antedictis de thesauro: Repoui enim in thesauro ecclesiæ nihil est aliud, quàm remanere in acceptatione Divina, ut juxta Dei sapientiam & providentiam in ecclesiæ filiis remunerentur, & in eos distribuantur: Atqui dictæ satisfactiones sic in acceptatione Divina remanere censentur: Ergo ad ecclesiæ thesaurum pertinent.

Dico (Ecclesiæ) cùm enim B. Virgo & sancti illi fuerint ecclesiæ membra, quæ thesaurizaverunt ad filios ecclesiæ pertinere debent, nec sunt alii, in quibus satisfactiones illæ remunerentur vel distribuantur. Nam ut benè
2.Cor.12. 15. Apostolus 2. Ad Cor. 12. *Parentes thesaurizant filiis: Ego autem* (inquit) *libentissimè me impendam & superimpendar ipse pro animabus vestris.* Qualiter verò hæ satisfactiones distribuantur inferius dicemus: Sanè infrequens in scripturis non est, quòd ratione sanguinis Martyrum pro Christo effusi Deus populo remittat pœnas & flagella: Hâc enim ratione Psaltes Psal.
Psal.101. 20 21. Vers.22. 101. *Deus* (inquit) *de cælo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum & solveret filios interemptorum, ut annuntient in Sion nomen Domini*, &c. quasi sanguis interemptorum compedes & vincula rumperet: Nec minùs congruit huic loco visio Joannis Apoc. 6. in qua
Apoc.6.9. describuntur *subtus altare animæ interfectorum propter verbum Dei, & propter testimonium quod*
Vers.10. *habebant. & clamabant voce magnâ, dicentes Usquequò Domine, sanctus & verus non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra?* &c. *& dictum est illis, ut requiescerent*
Vers.11. *adhuc modicum tempus, donec cōpleantur cōservi eorum & fratres eorum, qui interficiendi sūt sicut & illi.* In quibus verbis adverte 1. Animas interfectorum propter verbum Dei &c. sub altare Dei poni quasi cooperantes suo sanguine Sanguini Christi redemptionis nostræ pretio, quod in altari Deo offertur in satisfactionem. 2. Subtus, velut in thesauro recondi. 3. Non solùm vindictam, sed & judicium petere à sancto & justo, quia sanguis Martyrum non solùm vindictam petit, sed & judicium pro ecclesia, in cujus utilitatem sanguis fusus est; Sanguis enim iste nòn minoris charitatis est in ecclesiæ filios, quam vindictæ in hostes. 4. Expectare jubentur, donec compleantur conservi, & fratres illorum, qui interficiendi sunt: Quia Christus, qui Apoc. 13. Apoc.13.8
Agnus occisus ab origine mundi dicitur, ad complementum redemptionis, in satisfactionem plenissimam, usque ad ultimum Martyrem in membris suis vult pati. Notabile verò est, quòd in Apocalypsi quociescumque magna clades ecclesiæ, & interfectio Martyrum significatur, Propheta Joannes subjungit c. 13.
Hic est patientia & fides Sanctorum, & c. 14. Vers.10.
Hic patientia Sanctorum, qui custodiunt mandata Dei, & fidem Iesu: quasi de singulari Ecclesiæ promptuario loqueretur, quod in Ecclesiæ utilitatem velut in thesaurum reconditum asservatur. Apoc.14. 12. Hanc sanè Conclusionem apertè docet Clemens 6. in Extrav. *Unigenitus*, ubi sic loquitur: *Ad hanc* (inquit) *Thesauri cumulum B. Dei Genitricis & omnium electorum à primo justo usque ad ultimum merita adminiculum præstare noscuntur. De cujus consumptione seu minutione non est aliquatenùs formidandum, tam propter infinita Christi merita, quàm pro eo, quod quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam, tantò magis accrescit ipsorum cumulus meritorum*, &c. Hæc ibi. *Clemens 6 in extrav. Unigenitus.*

QVÆSTIO IV.

Quando Petro & successoribus ejus largita est Potestas dispensandi thesaurum illum?

ADverte 1. Nullam fieri remissionem culpæ aut pœnæ absque satisfactione justitiæ. Unde est illud ad Hebr. 9. *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Et in Psalm. 84. Hebr.9.22
Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt. Et Isaiæ 32. *Erit opus* Psa.84.11.
justitia pax. Isa.32.17.

Adverte 2. Satisfactionem justitiæ rigorosæ non ex nobis petendam, sed ex sanguine Christi pro nobis effusi tam in se, quam in membris suis, in quibus patitur. Unde quandocumque sive per sacramenta, sive aliter remittitur culpa sive pœna intelligi debet intervenire in compensam justitiæ solutio per Christum Dominum nostrum. Et quamvis omnis justificatio nostra, & redemptio ex parte nostra sit gratuita, ex parte tamen Christi, *Qui* 1.Cor.1.30
factus est nobis sapientia à Deo, & justitia & sanctificatio, & redemptio, rigorosa justitia est.

Conclusio I.

Distributio thesauri Indulgētiarum data est Petro & successoribus. DIstributio Thesauri Indulgentiarum, sive satisfactionum Christi, B. Mariæ & Sanctorum, data est Petro & successoribus, Math.16. *Et tibi dabo Claves regni cælorum: Et quod cum ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Mat.16.19

In quibus verbis (præter ea quæ suprà de Potestate summi Pontificis agentes notavimus) signanter advertendum est 1. Claves esse Potestatis judiciariæ signa 2. Tradi Potestatem Petro omnia vincula solvendi , quæ introitum in regnum cælorum impediunt. 3. Ex justitia approbari in cælo , quod Petrus in terris solvit juxta supradicta. Ex quibus omnibus sic argumentor : Petro collata est per Claves Potestas in filiis ecclesiæ Viatoribus solvendi omne vinculum , quod retardat à regno cælorum : Sed debitum pœnæ cujusvis usque ad ultimum quadrantem , est vinculum retardans ab ingressu regni cælorum: Ergo Petro est data Potestas absolvendi ab hujusmodi vinculo. Congruum sanè fuit, ut Christus hanc Potestatem ecclesiæ suæ daret, cùm enim multi infirmi sint , & quantumvis in charitate Deo serviant debito pœnarum ex culpis actualibus relictarum satisfacere non possint , nec ullum datum sit sacramentum aut sacrificium post Baptismum quo per se omne debitum pœnæ remittatur, sine justo & congruo rememedio ecclesia relicta fuisset , nec homine Viatori plenissimam redemptionem Christus contulisset , si ejus soli satisfactioni aut satispassioni pœnas peccatis debitas reliquisset. Hanc autem Potestatem dedisse probat verbum: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*: Qui enim *quodcumque* dicit , omnia vincula comprehendit , & maximè vinculum pœnæ ad Claves regni cælorum spectare dignoscitur , cùm plene homini Viatori cælum sine pœnarum dimissione aperiri non possit.

CONCLUSIO II.

Potestas Petri & successorum in absolutione à pœnis judiciaria est , nec pro libitu administranda.

Potestas hac judiciaria est, nec pro libitu administranda.

Ratio est : Quia per rigorosam justæ solutionis præstationem ex satisfactionibus Christi est administranda , nec meri arbitrii est. 2. Quia in reo dispositiones requirit , de quibus infrà.

QUÆSTIO V.

An soli Petro & Successoribus , non verò Episcopus hac potestas Indulgentiarum & Thesauri sit data?

CONCLUSIO I.

Petro primariò & simpliciter dispensatio Thesauri Indulgentiarum concredita est. Explicite enim is Petræ & Fundamenti nomine honoratur : explicite contra portas inferni munitur : Explicite Claves regni cælorum ei promittuntur: Explicite quodcumque vinculum impediens à regno ejus Potestati subjicitur. Et quamvis Christus c. 18. universaliter discipulis dicat : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis*: Si contextus attendatur , de peccatorum remissione magis

Competit Petro & successoribus primariò & simpliciter.

Mat.18.18

specificè ibi agitur , ut consideranti literam apparebit : Quamvis cum communi doctrina sentiam , etiam alia vincula proportionaliter sub illis contineri. Unde sit

CONCLUSIO II.

Episcopi possunt, sub directione tamen & dispositione Petri & Successorum , Indulgentias concedere. Hoc ecclesiæ praxis probat : Restricti enim modò sunt ad 40. dies de injunctis pœnitentiis in ordinariis concessionibus , In dedicatione ecclesiæ dant 100. dies. In anniversario 40. Et variis temporibus eorum Potestas è summis Pontificibus modò aucta , modò restricta est Tamen Potestas dandi Indulgentias in Episcopo residet , ut illa sit ipsis ordinaria , non delegata , & ex officio illis competat, quamvis (ut dixi) restringi & augeri possit juxta beneplacitum Supremi Capitis: cæteris Prælatis aut clericis , si der Papa Potestatem concedendi Indulgentias , illa est delegata & merè ministerialis , ita ut magis Declaratores & denuntiatores Indulgentiæ dat æ dicantur, quàm Datores.

Episcopis sub eorum directione

Alii episcopis inferiores magis declaratores quam datores indulgentia sunt.

QUÆSTIO VI.

Quid requiratur ex parte Donantis indulgentiam , ut ea sortiatur effectum?

CONCLUSIO VNICA.

Illa potissimùm requiruntur ex parte Donantis , ut Indulgentia suum possit sortiri effectum, nimirum: *Auctoritas , & Causa.*

Duo requiruntur ex parte Donantis: 1 Auctoritas.

Auctoritas quidem : Unde Pontifex pro universali Ecclesia Indulgentiam dare potest: Episcopus pro suis tantùm Diœcesanis , sive pro sua Diœcesi : Quod addo , propter Indulgentias locales , vel quæ certis quibusdam Imaginibus applicantur : Credo enim quòd Indulgentiam 100. dierum datam visitanti ecclesiam in die dedicationis possint lucrari quicumque adventantes , etiamsi de Diœcesi non sint , quia in loco existentes & orantes Privilegio spirituali loci participant ; nec video quid obstare possit , cùm & in praxi peregrinationum ita servetur. Unde similiter arbitror externæ Diœcesis hominem orantem ante imaginem B. Virginis , ad quam Episcopus 40. dies Indulgentiæ orantibus contulit, lucrari eâdem ratione Indulgentiam. Non essem tamen istius opinionis , quòd imagine extra Diœcesim translatâ , illam Indulgentiæ collatio comitaretur : Quia Episcopus extra Diœcesim Indulgentias dare non potest propria auctoritate. Me sanè Romæ anno 1654. existente Eminentiss. Cardinalis Pàphilius, qui modò Apostolicam sedem feliciter regit Innocentius X. gravissimè infestabatur Indulgẽtias illas imaginibus mobilibus applicatas , quòd variorum abusuum in sui translatione causa essent: Unde cùm ejus favore impetranda esset à Sanctiss. Dn. Urbano VIII. benedictio unius

Nota.

præ-

præclatæ imaginis Dei paræ, ut in Belgium transferretur, suasit Pontifici, ut Indulgentias non imagini; sed uni altari stabili, in quo imago immobilirer poneretur, assignaret.

Petes: Quid judicandum sit de Indulgentiis illis, quas Cardinales & Episcopi certis quibusdam locis, imò & imaginibus antiquitus per universum orbem dare consueverant, ut constat ex literis scriptis in pargameno authenicis; quibus quilibet Cardinalis & Episcopus apposito suo sigillo aliquando in numero magno 40. dies indulgentiæ addixit? Resp. Id in delegationem aliquam Apostolicam referendum; quia Pontifex istis temporibus id ipsis concessit, supplens Apostolicâ facultate, quod ord natiæ Potestati deerat.

2. Causa rationabilis.

Alterum in largiente Indulgentias requisitum ad valorem est *Causa*, nimirum, quam pietas & prudentia Despensatoris conciliat: Ut in necessitatibus Ecclesiæ: In peccatorum levamen: Ad excitand m in populis & personis pœnitentiam, & devotionem ad Deum, ac fidelitatem ad ecclesiam, & id genus. Sanè antiquitus Urbanus II. in Claramontano Concilio præsidens meminit Indulgentiarum datarum Christianis Cruce signatis proficiscentibus ad bellum contra Saracenos: Quæ & posteà pro eisdem renovatæ sunt, & aliæ multæ additæ, ut videre est ad finem Concilii Later. sub Innocentio III. ad annum 1215. Sed & Alexander III. priùs in altero Concilio Later. sub ipso celebrato p.35.c.4. Scribens Episcopo Cantuariensi meminit Indulgentiarum, quæ dabantur in dedicationibus Ecclesiarum, conferentibus ad ædificationem pontium. Et p.44. ejusdem Concilii scribens ad nobilissimum Venetiarum Ducem, confert benefactoribus templi Indulgentiam septimæ partis injunctæ Pœnitentiæ. Ad devotionem & pœnitentiam excitandam Gregorius I. concessit Indulgentias pro stationibus Romanis per singulos dies quadragesimæ. Quòd si & ad tempora Apostolorum recurramus: 2. ad Cor. 2. S. Paulus afferens causã cur incestuoso Corinthio indulgentiam largitus fuisset, non aliam profert, quam ne pænitens abundantiori tristitiâ absorberetur, ne tentationibus pressus à Satana circumveniretur: *Cui* (inquit) *aliquid donastis, & ego: Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi, ut non circumveniamur à Satana, non enim ignoramus cogitationes ejus*: Superius autem Indulgentiam mittens suaserat, ut donarent illam, & consolarentur pœnitentem: *Ne* (inquit) *fortè abundantiori tristitiâ absorbeatur, qui ejusmodi est.* Sed & Cyprianus Epist. 4. meminit per libellos meritis Martyrum; ob quos Indulgentia dabatur, infirmos adjutos.

Urbanus II. in Concil. Claromontano.
Innoc. III in Concil. Lateran.
Alex. III in Concil. Lateran.
Gregor. I.
2. Cor. 2. 10.
Vers. 11.
Vers. 7.
S. Cypriã.

Ex his & aliis in Bullis Pontificum contentis deduci possunt rationabiles Causæ ad Indulgentias elargiendas: simul & antiquus Indulgentiarum usus in Ecclesia Dei colligitur, de quibus qui ampliora vult, recurrat ad eos, qui Ecclesiæ Antiquitates in Indulgentiis vel ex professo, vel ex occasione tractarunt: Quia hæc scopum mihi præfixum excedunt.

Nõ requiritur tamẽ certa notitia de causa sufficientia. Gerson.

Adverto tamen cum Gersone in opusculo de indulgentiis Consid. 9. in Causa distributionis Indulgentiarum, non requiri certam & evidentem Causæ notitiam, & idcirco non esse disputandum aut altercandum de eâ: *Sufficit enim æstimatio* (inquit) *& probabilis conjectura. Quemadmodum in distributione Thesauri materialis de fisco Regio & ecclesiastico, Papa vel Rex vel alius attenderet.* Quare Indulgentiarum cõcessio (ut idem ait Consid. 12.) non est parvipendenda seu contemnenda, sed amplectenda devotè in fide, spe & charitate Domini nostri Iesu Christi; qui Potestatem talium Clavium Ecclesiasticarum dedit hominibus. *Constat enim* (ait) *quòd fructuosior & acceptabilior est Deo & hominibus operatio talibus innitens Indulgentiis, quàm altera ceteris paribus non innitens.* Et subjungit: *Consilium* (ait) *solum & sanum est quòd absque curiosa discussione de præcisa vel evidẽti & certa qualificatione seu mensuratione hujusmodi Indulgentiarum, studeat homo priùs tales acquirere secundùm qualitatem suæ vocationis: Pondus autem valoris illi relinquere, qui omnia facit & fecit in numerò, pondere & mensura.*

Ideoq; curiosè non inquirẽda

QVÆSTIO VII.

Quid requiratur in eo, qui vult lucrari Indulgentias?

CONCLUSIO UNICA.

In eo, qui vult lucrari Indulgentiam tria potissimùm requiruntur.

In lucrãte requiritur. 1. Ut sit in statu gratia.

1. *Ut sit in statu gratiæ*: Hoc est quod universaliter dicunt Doctores ad effectum Indulgentiæ requiri: *In largiente Auctoritatem: In Causa Pietatem: In suscipiente Charitatem.* Hoc est quod Bullæ exprimunt, ut sint verè confessi & contriti, aut saltem verè contriti. Ratio est: Quia largitio Indulgentiarum est actus misericordiæ & amicitiæ Dei, quæ cùm in solas pœnas feratur, supponit jam culpam remissam, & hominem reconciliatum.

2. Ut faciat opera requisita.

2. *Requiritur ut faciat opera requisita ab Indulgentia largitore.* Ratio est: Quia sunt conditio sine qua non potest Indulgentia lucrifieri. Dico notanter (conditio sine qua non) opus enim quod injungitur, non est, nec debet esse proportionatum Indulgentiæ; aliàs non esset indulgentia, sed proportionatæ pœnæ satisfactio (quamvis Causa conferendi in largiente aliquam debeat habere cum Indulgentia proportionem;) sed apponitur tamquam conditio à largiente requisita, sine qua non censetur velle indulgentiam elargiri: Illam autem imponit per modum alicujus præviæ dispositionis: Unde & absque ullo prævio opere de absoluta potentia largientis ex causâ rationabili posset conferri Indulgentia, absque aliquo prævio opere: Quamvis tamen semper modicum apponatur, ut invocatio nominis Jesu ore vel saltem corde in Indulgentia Plenaria in articulo vel hora mortis.

3. Ut õnes circũstãtias punctualiter observet.

3. *Requiritur ut omnes circumstantia loci temporis, signi, &c. prout à concedente expressa sunt,* pun-

punctualiter observentur. Ratio est eadem quæ suprà ; Quia sunt conditiones sine quibus non, & communi Axiomate *Bullæ indulgentiarum tantùm valent, quantùm sonant.* Sed ex his iterum nonnullæ Quæstiunculæ exurgunt.

Petes igitur 1. An quis debeat esse in statu gratiæ toto tempore, quo opera ad Indulgentiam requisita exercet, ut quando jejunat, quando orat, quando eleemosynam dat, &c.

Sufficit ut in complemento operum sit in statu gratiæ.

Resp. Sufficere quidem, ut in complemento operum sit in statu gratiæ, ad effectum indulgentiæ; teneri tamen in exercitio operum habere saltem voluntatem aversam à peccato.

Ratio prioris est : Quia tunc in gratia est, & capax remissionis pœnarum, nec videtur aliud intendere ecclesia, vel concedens indulgentiam : Quod vel inde convincitur, quòd opera requisita ut plurimum sint magis dispositiones ad statū gratiæ futurum, quàm gratiam supponant : Sic enim orationes, & jejunia, & singularissimè Confessio prærequisita ad acquisitionem gratiæ disponunt, & contritio gratiam ipsam non tam supponit, quàm ut effectum proprium sibi vendicat.

Ratio posterioris partis mea est : Quia cùm opera prærequisita sint dispositiones quædam ad gratiam Dei conciliandam, ut fideles in gratiæ statu sibi promereantur pœnarū peccatis debitarum remissionem, ex natura sua aversionem a peccatis, & voluntatem ad Deum aliquo pio motu conversam requirunt. Ridiculum enim esset hominem sibi acquirere velle remissionem pœnarum, cui saltem actualiter culpa non displiceret, & quidquid quis hic sibi in contrarium imaginatur, metaphysicū est & fictitium, & à re morali plane alienum.

Nota.

Dixi (in exercitio operum) credo enim, quod si quis fragilitate humana medio tempore, quoad indulgentiam per operum exercitia separat, in peccatum mortale labatur, id non impedire indulgentiam, modò in exercitio operum actuali aversionem verâm à peccato habeat, & ad Deum revertatur.

Nota.

Dixi iterum (fragilitate humanâ) ad excludenda peccata media, quæ fierent malitiosâ confidentiâ lucrandæ posteà Indulgentiæ, quam sæpiùs Pontifices tum scriptis, tum vivæ vocis declarationibus condemnarunt.

Nō habēs mortalia nō tenetur cōfiteri ad lucrādam indulgentiam licet exprimatur.

Petes 2. An positis clausulis *(quod lucrantes Indulgentiam debeant esse Contriti & Confessi)* teneatur quis non habens peccata mortalia, Confessionem præmittere? Resp. Non teneri. Ratio est : Quia Confessio per se & de necessitate est tantum peccatorum mortalium, & sola mortalia peccata impediunt indulgentiarum effectum : Ponuntur tamen ista duo ordinariè, etsi non semper, *Contriti & Confessi.* Quia Confessio est terminus complens Contritionis actum : Necessariò enim Contritio habet adjunctum Confessionis votum sive propositum : Unde positis peccatis mortalibus, cùm teneatur peccator confiteri, indulgentiæ Dator Confessionis complementum requirit. Aliud est de peccatis venialibus, quorum Contritio non habet necessariò in voto vel proposito confessionem.

Nec valet quod non infimæ notæ Doctores aliqui dicunt : confessionem tamquam opus singulare bonum & pœnale requiri ad lucrandam indulgentiam : Hoc enim etsi fieri possit, non tamen constat an fieri debeat ; ideò ad naturam actus recurrere debemus, qui ne quidem ex paschali præcepto Ecclesiæ requiritur, nisi præsupposito mortali peccato, etsi illud simpliciter in præcepto explicetur. Addo : Confessionem de venialibus esse in gravamen Tertii, scilicet Confessarii, magis quàm in opus pœnale Pœnitentis : Cùm enim uno levissimo peccato expresso fieri possit, majus gravamen confessario per hoc induceretur, qui in Judicio Sacramentali deberet comparere. Dicendum igitur absolutè : Contritionem & confessionem referri ad statum probabiliorem gratiæ, adeoq; requiri pro indulgentia juxta necessitatem suam : Unde nec puto requiri Contritionem perfectam & formalem, illa enim interdum in potestate nostra non est, & actus mere internus est, qui non subjacet foro ecclesiæ, sed tantum virtualem, quam supplet aut cōplet Absolutio sacerdotis, per quam gratia formalis confertur, ad elevandam Attritionem supernaturalem, quæ fortè in Pœnitente solà ante Confessionem reperitur. Unde particulæ *Contritus & Confessus* juxta naturam rei, & materiam peccati in ordine ad gratiam in Bullis & formulis indulgentiarum explicandæ sunt : Ita tamen ut habenti peccata mortalia Confessio ad indulgentiam lucrandam requiratur tamquam opus externum, in voto Contritionis comprehensum, & à Papa impositum.

Petes 3. Quando, qui peccata mortalia habet, teneatur confiteri ad lucrandam indulgentiam? Sensus est : An ut quis lucretur indulgentias in festo assumptionis, vel B. Mariæ de Angelis à 1. vesperis usque ad occasum solis sequentis diei datas, teneatur isto tempore confiteri? Quod etiam quæri posset de Communione, quando imponitur?

Habenti peccata mortalia sufficit aliquot diebus antè esse confessum.

Resp. 1. Quod attinet ad confessionem : Non teneri eodem die confiteri ; sufficit enim ut pridiè ; imo pluribus diebus antè in ordine ad lucrandas indulgentias confessus fuerit. Ratio sumenda est ex antedictis : Cùm enim requiratur tantùm confessio actualis, ut à peccatis mortalibus sit liber, & sit in gratiæ statu ; supposito quòd confessus fuerit pridie aut aliquot diebus antè, & consequenter quòd à peccatis mortalibus sit liber, iterata confessio non est necessaria, ut suprà ostensum est.

Cōmunio tamē ipsa die fieri debet.

Resp. 2. Quod communionem, debere fieri eâ die, quâ præscribitur in forma Indulgentiarum, sive quâ visitatur ecclesia ad indulgentiarum consecutionem, nisi pluribus diebus indulgentia duraret, tunc enim unâ die quis communicare posset, & alterâ ecclesiam visitare, vel e contrà : Unde quando dicitur concedi indulgentia Plenaria confessis & sacrâ communione refectis, visitantibus ecclesiam Fratrum Minorum die 1. Augusti à 1. Vesperis primæ diei usque ad occasum solis diei secundæ, qui primâ die Augusti manè communicavit, & in 1. Vesperis vi-

Qui 1. Augusti manè cōmunicat, & Vesperi visitat ec-

Ecclesiam FF. Minorum lucratur indulgentiā Portiunculæ. ris visitat ecclesiam Fratrum Minorum, illam lucratur indulgentiam. Ratio est, quia verè, ut sonat Bulla, communione sacra refectus ecclesiam à primis Vesperis visitavit. Eadem ratione, qui in primis vesperis visitavit, si sequenti die communicet, censetur lucrari indulgentiam, quia utrumq; opus intra tempus constitutum adimplevit.

Petes 4. an indulgentia concessa alicui medalliæ possit acquiri per medalliam mutuò ab alio acceptam? ℞. Affirmativè. Ratio est: Quia simpliciter indulgentia est assignata medalliæ sive medalliam gerenti, undecunq; eam habeat. *Abusus.* Cavendus tamen abusus eorum, qui medalliam alicui cruci publicæ, vel imagini, sive statuę includunt, ut orantes ad illam indulgentiam lucrentur: Est enim medallia de se & ex instituto largientis indulgentiam symbolum personale, pro eo qui eam gestat, velut in civilibus & ecclesiast[icis] distributionibus plumbum, ad cujus repræsentationem personæ repræsentanti panis pecunia vel aliud distribuitur.

TITVLVS II.

De Effectu Indulgentiarum.

Hic titulus similiter ad explicationem diffinitionis indulgentiarum pertinet, & necessarius est propter varias formas & modos indulgentias concedendi: Aliæ enim dicuntur de injunctis pœnitentiis: Aliæ simpliciter dantur: Et quæ de injunctis pœnitentiis, ordinariè ad certos dies vel annos restringuntur: Aliæ iterum dantur sub nomine plenariæ, plenioris, plenissimæ: Aliæ dantur sub nomine Jubilei: Aliæ in forma Jubilei: Aliæ temporales sub titulo Remissionis 4. vel 4. partis peccatorum: Aliæ sub nomine Quadragenæ, Carenæ, &c. prout ex Bullis & Auctorum tractatibus patere potest: pro quibus omnibus elucidandis pono sequentes quæstiones.

QVÆSTIO I.

Quæ Pœna, & qualiter virtute Clavium per Indulgentias remittatur?

CONCLUSIO UNICA.

Per indulgentias nō remittitur culpa aut pœna æterna, sed temporalis. *Numquam virtute clavium per largitionem indulgentiarum formaliter & per se culpa sive reatus culpæ aut pœnæ æternæ remittitur, sed tantum pœna temporalis peccatis jam remissis debita.*

Ratio petenda est ex piissima diffinitione & natura Indulgentiæ, quæ est remissio temporalis pœnæ, &c. per applicationem satisfactionum Christi, B. Mariæ & Sanctorum, &c. supponitque hominem virtute Sacramenti Pœnitentiæ vel Contritionis justificatum, & à reatu pœnæ æternæ liberatum.

Ex qua Conclus. infero 1. Quod, si quando reperiantur indulgentiæ datę à Culpa & pœna, illæ ut apocryphæ repudiandæ sunt. Et quamvis nominis culpæ possit intelligi pœna respondens culpæ, præter ineptam locutionem continet intolerabilem errorem; nam pœna æterna, quæ culpæ mortali respondet, intelligeretur per indulgentiam remitti. quod hæreticum est, cum per solam justificationem illa remittatur.

Dixi (*formaliter & per se, seu virtute Clavium*) per accidens enim ratione majoris fervoris & pœnitentiæ, operâ indulgentiæ comitantis, culpæ remitti possunt, sed hæc remissio ad indulgentiam non pertinet.

Infero 2. quando in indulgentiis exprimitur remissio tertiæ, quartæ partis peccatorum intelligi de pœna illis partibus post absolutionem debita: Nomen enim peccati supponit non tantum pro culpa, sed etiam pro pœna.

QUÆSTIO II.

Quid intelligatur per indulgentiam de injunctis Pœnitentiis?

Corduba noster l. 5. q. 9 de Indulgentiis totus est, ut probet indulgentiam datam de *injunctis Pœnitentiis*, tantum referri ad eas pœnitentias quę actualiter per Sacerdotem in Sacramento Pœnitentiæ injunctæ. *Corduba.*

CONCLUSIO I.

Indulgentia de injunctis pœnitentiis non possunt intelligi de illis solis quæ actu a Sacerdote in foro conscientiæ sunt injuncta.

Ratio est: Quia concessio illa hoc tempore esset planè frustranea & ridicula: Cum indulgentiæ ab Episcopis aliæ 40. aliæ 100. dierum dentur, ut supra dictum est: A Pontifice autem 7. 40. 100. imò 1000. annorum de injunctis pœnitentiis; certum autem sit tales pœnitentias nō injungi, imò illas quæ sunt 100. vel 1000. impertinens esset & fatuum à Sacerdote imponi, cum homo tot annis non vivat.

CONCLUSIO II.

Indulgentia data de injunctis Pœnitentiis intelligi debent de Injunctis à jure vel Canonibus, seu de iis, quæ antiquitus injungebantur. Ita enim pro uno peccato mortali interdum 7. anni pœnitentiæ imponebantur, aliquando imponebatur Pœnitentia totius vitę, pro gravissimis peccatis. Et ita moderni passim cum Paludano, Antonino & aliis.

Petes: Quis sit valor Indulgentiarum 40. 100 dierum, 7. 100. 1000 annorum, qui de injunctis pœnitentiis conceduntur? ℞. Æquivalere pœnæ correspondenti in judicio Dei Pœnitentiis illis expressis, ut à Canone imponuntur, si fierent in hoc mundo. Quæ vero & qualis sit illa, inscrutabilis judicii est. Illud igitur Deo remittendum, & quæstiones de illis non generant, nisi humanas opiniones & speculationes. Eadem hic ratio reddi debet de septenis, quadragenis, vel Carenis. Septena enim dicitur 7. dierum vel annorum pœnitentia, quæ certis ceremoniis antiquitus agebatur: Quarena sive Quadragena pœnitentiam *Quis valor indulgentiæ.*

significat 40. dierum, de qua Clemens I. Carena significat carentiam sive privationem potus, lecti ac conversationis hominum, quibus poenitentes mulctabantur.

Petes: Quid si Pontifex 7. annos, 10.100. &c. indulgentiae absolutè & sine adjuncto concedat? R. Eas intelligendas esse de Poenitentia simpliciter abstrahendo ab omni impositione Canonis, si ab aliquo susciperetur in hoc mundo.

QUAESTIO III.

Quid intelligatur in Bullis sive Concessionibus Pontificum per Indulgentiam plenariam, pleniorem, plenissimam Jubilei vel in forma Jubilei.

Notandum est: Pontifices prout volunt in populum elargiri ampliora beneficia virtute clavium aliquando non solum indulgentiam à poenis in foro Dei debitis concedere; Sed superaddere in quolibet Sacerdote approbato potestatem absolvendi à Casibus reservatis, Censuris & poenis ecclesiasticis, &c. Interdum etiam dispensandi in votis, exceptis castitatis perpetuae & Religionis &c.

Conclusio Unica.

Quotuplex sit indulgentia

Indulgentia (nisi aliter verba Bullae aut Concessionis exprimant) *dicitur plenaria, quando tota poena in foro & judicio Dei debita remittitur, Plenior, quando potestas extraordinaria absolvendi à Casibus reservatis & Censuris superadditur. Plenissima, quando dispensationes in votis & hujusmodi vinculis communicantur.* Et haec est quae in Jubileis, aut datis in forma Jubilei ordinariè conceditur. Dico (ordinariè) attendenda est enim confessionis forma & tenor, non enim semper eadem & eodem modo exprimuntur; sed aliquando amplè, aliquando strictè, prout placet concedenti, & prout suam voluntatem exprimit & explicat.

QUAESTIO IV.

An Indulgentia semper tantum valeat, quantum sonat.

Bon. VIII

Ratio dubitandi sumitur ex Extravagante, Bonifacii VIII. de Poenit. & Remiss. l. 5. Extrav. Com. c. 1. Ubi ait: *Unusquisq; tamen plus merebitur, & indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotiùs frequentabit.*

Conclusio Unica.

Indulgentia tantùm valent, quantum sonant.

Indulgentia tantum valent, quantum sonant, si ex parte concedentis sit auctoritas & rationabilis causa, & ex parte suscipientis sit status gratiae, & operum requisitorum adimpletio perfecta, juxta intentionem concedentis, & naturam essentialem operis impositi. Hoc est quod Doctores antiqui dicunt: *Valent quantum sonant, Clave non errante & Christo non reprobante.*

Clavis errare dicitur, quando sine debita auctoritate & rationabili causa indulgentia conceditur, ut superius diximus: Pontifex enim Dispensator thesauri est, non Dissipator: Intellige tamen sano sensu Clavem errare, non quia in clave sit error, sed in urente & usu clavium illegitimo ad finem & causam illegitimam.

Dices: Sic semper dubitandum erit de indulgentiae efficaci concessione. R. Semper praesumendum esse de concedentis auctoritate & prudentia, & causa rationabili; nisi aliud manifestè constet. Et idcirco piè sentiendum de indulgentiis concessis, & utendum piissimo consilio piissimi Gersonis, ut de verbo ad verbum retulimus sup. tit. 1. q. 6. ibi. *Adverto tamen.*

Dixi etiam (*Christo non reprobante*) reprobat enim Christus indiscretionem conferentis, si aut sine auctoritate, aut sine causa rationabili indulgentiam conferat, quamvis semper, ut dixi, de largiente semper piè sentiendum sit, quamdiu de contrario non constat. Reprobat & actus volentis lucrari indulgentiam, si in numero, pondere & mensura non sint facti: In numero quidem, quoad singula: In pondere, ut si peccaminosè, indignè, vel incongruè fiant, hoc est, contra conditiones à Deo & Ecclesia in opere morali & bono requisitas: In mensura, quoad moralem quantitatem, quae consistit in aestimatione suae condignitatis ex natura rei, vel concedentis intentione requisitae.

Dices: Sic nunquam certus est homo viator se consecutum indulgentiam. Resp. Verum est: Qui enim teste Paulo ad Philipp. 2. voluit nos *cum metu & tremore salutem nostram operari*; qui ad Rom. 11 *in altitudine divitiarum sapientia & scientia sua voluit incomprehensibilia sua judicia & investigabiles vias suas* remanere: non mirum est, si theologicam certitudinem de consecutione indulgentiarum hominibus absconderit, cùm sufficeret moralis: Nec in hoc potestati ejus aut efficaciae indulgentiarum derogat sed nostram infirmitatem admonet, cum teste Salomone Eccl. 9. *Nesciat homo utrum amore an odio dignus sit.* Nec majorem certitudinem dedit Sacramentis, quae à cooperatione vel actibus concomitantibus humanae fragilitatis dependent, quorum defectu effectus actualis eorum saepe praepeditur. Certum tamen habe, Christi Vicarium in largitione indulgentiarum (nisi obicem ponat) a Spiritu sancto dirigi: Certus sis de effectu ex parte Dei, & potestatis clavium: Tuae vel fragilitati vel malitiae adscribendum, si indulgentiam non consequaris. Ad verba Bonifacii initio dubii allegata R. Eum qui amplius & devotius Basilicas visitat, & opera in concessione indulgentiae requisita facit, plus mereri, quia cum supponantur esse opera bona in fide & charitate facta, eis coram Deo majus meritii gratiae & gloriae cedit, ex qualitate operis & quantitate fervoris: Indulgentiam etiam efficacius consequi, quia moraliter certior est de effectu consecutionis, quo in operibus adimplendis attulit plus fidei, diligentiae & fervoris.

Addo pro consolatione fidelium ex D. Bonav. in 4. d. 20. Quod licet homo non faciat in Indulgen-

Philip. 2. 12.
Rom. 11. 33.
Eccl. 9. 1
Quo sensu intelligi debeat verba Bonifacii.
Qui faciè opera requi-

fit aminus devotè, partem indulgentia operi correspondentem consequitur.

dulgentia secundum quod eum decet, propterea tamen non debet dimittere, quin faciet illud secundum quod sibi placet: quia licet non habeat totum de indulgentia illa: plus tamen habebit de remissione pœnæ pro tali facto, quam haberet pro alio simili cæteris paribus, ubi non datur talis indulgentia. Ratio hujus dicti mea est: Quia opera imposita a Vicario Christi vel potestatem habente ad indulgentias promerendas, jam potestate clavium elevata singulariter censentur ad pœnarum in judicio Dei debitarum remissionem: Unde qui eo motivo & in fide Ecclesiæ ea facit, sine dubio pœnarum aliquam remissionem operibus istis sic potestate clavium elevatis ratione elevationis correspondentem, ultra ordinariam satisfactionem operi debitam, sibi lucratur. Et hæc est piissima sententia, & in doctrina Theologica fundata, per quam etiam exponi possunt verba similia Pontificum, si quæ in Bullis vel Doctoribus reperiantur: Quod qui amplius facit in operibus propositis plus vel efficacius indulgentias consequatur, id est, si ad totam indulgentiam non perveniat; partem tamen correspondentem operi consequetur, ob elevationem ejus singulari virtute clavium ecclesiæ factam. Quinimò indicat Angelus V. *Indulgentia*. n. 5. Quod si donans det indulgentiam ultra suam auctoritatem, pono ego & ultra causam, etsi censeatur rescindi in judicio Dei indulgentia quoad excessum quantitatis, quo indulgentia auctoritatem vel causam excedit; non tamen quoad id, quod intra limites potestatis & causæ continetur: Ita ut semper aliqua indulgentia intra terminos discretæ dispensationis lucranda remaneat coram Deo. Nec hoc cum aliqua pietate probabilitate caret. Quod judicio prudentis Censoris relinquo.

TITULUS III.

De potestate Papæ in concedendis indulgentiis pro Defunctis.

QUAESTIO I.

An summus Pontifex Indulgentiam dare possit Animabus defunctorum in Purgatorio existentibus?

CONCLUSIO I.

Papa non potest dare indulgentias animabus defunctorum.

Summus Pontifex non potest dare indulgentiam animabus in Purgatorio existentibus.

Ratio clara est: Quia animæ in Purgatorio existentes extra jurisdictionem Ecclesiæ sunt, nec ad illas claves ecclesiæ se extendunt. Patet ex verbis Christi Matth. 16. *Quodcumq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumq; solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Ubi nota verbum *super terram*: Claves enim ecclesiæ nec in cælum, nec subtus terram, nec extra habitantes, & terræ visibiles incolat extenduntur.

Matt. 16. v. 19.

CONCLUSIO II.

Summus Pontifex potest dare indulgentias vivis in favorem animarum defunctarum, sive ut illis per viam communicationis, sive suffragii applicentur.

Potest dare vivis, ut illis per modum suffragii applicentur.

Pro huius Conclus. declaratione ampliori notandum est: Animas Defunctorum in gratia Christi, etsi ab Ecclesiæ militantis potestate sint sequestratæ, ita ut Ecclesia in illas potestatem juridicam non habeat, non esse tamen separatas a Corpore Christi & charitatis communicatione: Manet & quadripartita illa fundamenti charitativæ communionis ratio. 1. Ut Vivi Vivis. 2. Ut Defuncti Vivis. 3. Ut Defuncti Defunctis. 4. Ut vivi defunctis juxta uniuscujusq; statum operibus charitatis communicare possint. Et quidem Vivi Vivis suffragia & operum satisfactionem communicant. Defuncti, ut sancti in cælis intercessiones suas vivis in hac miseriarum valle propitias faciunt, & beneficia impetrant: Quod & Animabus Purgatorii non mediocris doctrinæ Auctores tribuunt, cum & in l. 2. Machab. cap. 15. Oniæ sacerdoti magno & Jeremiæ in Limbo Patrum existentibus id tribuatur, ut pro populo ibi existentes orarent: Defunctos autem Defunctis prodesse probant Historiæ, quæ & Angelos & Sanctos animabus in purgatorio existentibus solatium afferre docent. Et l. 4. Reg c. 13. Corpus Elizei mortuum Defuncti cadaveri in locum sepulchri projecto vitam restituit, & mortuus mortuo auxilio fuit: Minus igitur negandum est vivos mortuis prodesse Orationibus, satisfactoriis Operibus, Sacrificiis aliisque mediis & remediis, quæ non repugnat Defunctis communicari: *Neq; enim* (ut benè S. Aug. l. 20. de civit. Dei c. 9.) *piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia quæ etiā nunc est regnum Christi alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in Communione Corporis Christi.* Et elegantissime l. Enchirid. ad Laurentium c. 110. *Neque negandum est* (ait) *Defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cùm pro illis Sacrificium Mediatoris offertur, vel eleemosynæ in ecclesia fiunt; sed eis hæc prosunt, qui cum viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt.* Et subjungit distributionem bonam omnis status mortuorum. *Est enim* (inquit) *quidam vivendi modus nec tam bonus, ut non requirat ista post mortem; nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem: Est verò talis in bono ut ista non requirat: Et est rursus talis in malo ut nec his valeat, cum ex hac vita transierit, adjuvari.* Ad quæ verba subjungitur applicatio S. August. distributiva ad singula membra, & qualiter communicatio suffragiorum fiat: *Cùm ergò Sacrificia sive Altaris, sive quarumcumq; eleemosynarum pro Baptizatis defunctis omnibus offeruntur: Pro valde bonis gratiarum actiones sunt: Pro non valde malis propitiationes sunt: Pro valde malis etsi nulla sint adjumenta mortuorum, qualescumq; vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut sit plena remissio, aut certè ut tolerabilior fiat ipsa damnatio* (id est, ut pœna Purga-

2 Mach. 15 v. 12. 13.

4. Reg. 13 21.

S. August.

Purgatorii diminuatur.) Hæc August. His sic prænotatis & suppositis Concluſ. rationem sic reddo.

Dare indulgentiam vivis in favorem animarum Defunctarum applicandum nil est aliud, quiam opera Vivorum ditare satisfactionibus Christi & sanctorum Thesauro ecclesiæ, in solutionem Pœnarum, quas animæ in purgatorio pati debent, Deo offerenda: Atqui opera Vivorum Pontifex in hunc finem ex Thesauro ecclesiæ sic ditare potest: Ergo indulgentiam Vivis, Defunctis per præfata opera communicandam Pontifex largiri potest. Eadem quippe ratio est, sive opera Vivorum hoc privilegio pro se ipsis aut aliis Viventibus donentur, sive donentur pro defunctis, cùm id simpliciter Dispensatione thesauri ejusem per legitimum Dispensatorem fiat.

Dices: Pontifex accepit thesauri dispensationem per Clavium Potestatem sibi traditam: Ergo pro illis solis, ad quos claves sive clavium Potestas extenditur. Resp. Etiam hanc Dispensationem non excedere eos, ad quos claves ecclesiæ extenduntur, nimirū Vivos, quorū opera, accessione thesauri redduntur eminentiora & pretii majoris ad pœnas solvendas: Quòd autem illa in ordine ad juvandas Animas Purgatorii sic Indulgentiarum valore ditentur, charitatis communis est, qua Vivi pretiosioribus & magis efficacibus operibus, quibus possunt, Animas in purgatorio detentas fraternâ obligatione liberare contendunt. Unde potestatis quidem clavium est, quòd opera Vivorum thesauri accessione perficiantur: Obligationis verò charitativæ est, quòd Christo Judici illa ex intentione largientis Indulgentiam per modum suffragii pro Defunctis offerantur. Unde sive Pontifex, sive alius Christianus quicumque sua ordinaria opera, aut alia thesauri accessione sublimata, pro Defunctis applicet; per modum suffragii & charitativæ oblationis applicat, & non alter. Quem modum alii non male vocant *Solutionis*, ut distinguatur contra Juridicam & Potestativam Absolutionem, & *Suffragii*, ut distinguatur contra Juridicam acceptationem.

QUÆSTIO II.

Quid sit Indulgentiam pro defunctis datam prodesse illis per modum suffragij & solutionis?

Conclusio I.

Indulgentia per modum solutionis dari dicitur

INdulgentia pro Defunctis data dicitur per modum solutionis *dari, quia juxta rigorosam justitiam sufficientem continet satisfactionem illius Pœna, quam indicat indulgentia forma.* Explico: Si datur Indulgentia 7. 40. 100. annorum applicanda Animæ Defunctæ, illa continet satisfactionem rigorosam ex ecclesiæ thesauro Pœnæ, quæ correspondere 7. 40. 100. annis in hoc mundo expletæ, Idem: Si continet Indulgentia liberationē Animæ à Purgatorio, continet rigorosam satisfactionem ex ecclesiæ thesauro, quæ sufficit ad satisfaciendum Pœnæ totali, cui secundum Dei Judicium Anima in purgatorio obligata est; quæ omnia proportionaliter explicari debent juxta ea quæ diximus sup. §. 5. de Indulg. pro vivis & earum valore.

Conclusio II.

Per modū suffragii, quia Deo offertur ut illam acceptare dignetur.

INdulgentia pro Defunctis dicitur valere illis tantum per modum suffragii, *quia velut voto & supplicatione ecclesiæ Deo offertur, ut illam per se sufficientem, & ex Christi satisfactionibus oblatam acceptare dignetur, in pœnarum Purgatorii pro animabus ibi detentis satisfactionem.*

Ex quibus constat Indulgentiam vivorum, sive pro vivis, distingui ab illa, quæ datur pro mortuis: Quod vivorum detur per modum juridicæ absolutionis à supremo Ecclesiæ Judice suâ potestate animam à debito pœnarum liberante, qui actus juxta promissum Salvatoris, in cælis ratificatur: Indulgentia pro defunctis detur quidem per modum solutionis sufficientis, sed quæ non tam applicetur, quàm Deo applicanda offeratur juxta ejus beneplacitum, Unde *Indulgentia* vocatur, quia quantum est ex parte ecclesiæ solutio sufficiens, & rigorosa in pœnarum satisfactionem pro anima defuncti ex thesauro ecclesiæ profertur, sicut & indulgentia vivorum: Additur tamen, *per modum suffragii*, ut excludatur actus potestatis judiciariæ & jurisdictionis.

QUÆSTIO III.

Quis sit effectus Indulgentia pro Animabus Defunctorum, & qua ejus certitudo?

Conclusio I.

Idem est effectus indulgentia provivis & defunctis quoad substantiam.

IDem est effectus indulgentia tam pro Defunctis, quàm pro vivis quoad substantiam.

Ratio est: Quia infallibiliter semper alicui animæ solutio illa de thesauris ecclesiæ deprompta prodest; juxta operum à vivis factorum rationem à datore Indulgentiæ præscriptam, & indulgentiæ qualitatem.

Conclusio II.

CErtitudo etiam omnimoda effectus Indulgentia pro defunctis tam ex parte Ecclesiæ, quàm ex parte Dei subsistit, etsi ex diversa radice.

Hanc Concluſ. piè & fundate sumit S. Dionys. Areop. l. Eccles. Hierar. c. 7. p. 3. ex duobus 1. Quod dona & satisfactiones ex parte Ecclesiæ pro animabus oblatæ, sint condignæ tali solutione pœnæ. 2. Quòd Christus promiserit Suffragia & hujusmodi oblationes ab Ecclesia factas acceptare. Verba S. Dionysii agentis de precibus, quæ super defuncto fiunt, sunt hæc: *Venerandus Antistes (ut scriptura ait) interpres est judiciorum divinorum: Angelus enim Domini Omnipotentis est. Didicit igitur de Scripturis divinitus traditis, ut his, qui pie vixerunt, lucidissima divinaq; vita pro merito ab æquissimis lancibus redditur, non recordante divina bonitate per summam clementiam maculas, qua illis ex humana infirmitate adhæserūt: Nullus enim (inquit) est mundus à labe.* Hoc est primum fundamentū orationis vel oblationis pro Defunctis; quia certum

certum est, quòd, qui piè vixerunt, in statu salvationis sunt? Et prosequitur: *Ista* (ait) *novit quidem Pontifex promissa à sanctis eloquiis; petit autē ea fieri, donariq; eis qui piè vixerunt præmia sacra* (en oblatio operum & suffragiorum pro defunctis) *simul quoq; seipsum ad imitationes Dei benignè formans, & aliorum dona quasi proprias expetens gratias* (en præsentatio solutionis) *neque ignorans veras repromissiones futuras, præsentibus etiam apertè demonstrat, quod quæ ab eo sacro Iure postulantur omninò illi consequentur, qui in Divina vita consummati sunt* (ecce promissio ex parte Dei; Unde prosequitur & concludit) *Neq; enim unquam peteret Pontifex Divinæ justificationis Prædicator quæ Deo sciret non esse gratissima, & quæ largiturum se illi nequaquam promisisset.*

Ex quo Discursu de Operibus & precibus, quæ fiunt pro defunctis deduco totam rationē certitudinis indulgentiarum. 1. Itaq. Pontifex novit ex fide & sacra Scriptura Defunctos in statu gratiæ certos de salute sua. 2. Novit nil inquinatum intrare in regnum cælorum, adeoque animas defunctorum ex peccatis præteritis remanentes pœnas solvere debere usque ad ultimum (ut ait scriptura) sive novissimum quadrantem. 3. Novit suffragia, opera, satisfactiones vivorum prodesse Defunctis. 4. Novit se potestatem habere concedendi operibus vivorum indulgentias, applicando eis satisfactiones Christi & Sanctorum, ut in satisfactorio fructu sint eminentiora. 5. Novit Deum promisisse ecclesiæ sacrificiorum, precum, operum bonorum & Meritorum, exauditionem, benedictionem & remunerationem. Ex his omnibus infertur: Ergo Pontifex habet tum ex parte sua, tum ex parte Dei & Christi Domini: Quod & sacrificia, preces, opera bona possit offerre sive per se, sive per fideles suos: Et quod illa promissione fideli Divina (si ex parte operis vel operantis non sit impedimentum) in qualitate & quantitate qua sunt, divina clementia acceptabuntur: Ergo cùm supponatur dispensator Thesauri satisfactionum Christi & Sanctorum, potest illâ dispensatione opera vivorum impinguare & ditare, ut etiam ad æqualitatem pœnarum debitarum in purgatorio pro animabus acceptentur. Et hoc est verum, sanctum, infallibile fundamentum certitudinis Indulgentiarum pro Defunctis.

CONCLUSIO. III.

incertitudo nascitur 1. Ex defectu operantis. 2 ex defectu causæ. 3. ex demerito animæ pro qua offertur.

INcertitudo si quæ sit in Indulgentiis pro Defunctis, nascitur ex tribus radicibus. Nimirum: 1. *Ex defectu operantis*, qui opera imposita legitimè secundum omnes suas conditiones requisitas non implevit 2. Quia *sine causa & indiscretè datæ sunt*, utpote subrepticiè impetratæ. 3. Quia ex secreto Dei judicio pro hac vel illa anima juxta intentionem operantis interdum non acceptantur, sed si subsistant alteri animæ juxta idem Dei judicium applicantur. Hoc ultimum innuit S. Augustin. supra allegatus in Enchirid. Ubi ait Sacrificium & Eleemosynas in ecclesia factas prodesse Defunctis: *Qui cùm viverent, ut hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt*: id est:

S. Aug.

Quæ non singulariter demeruerunt in judicio Dei, ut sibi ista non applicarentur. Porrò Demerita juxta Historias varias & Apparitiones sunt: Neglectus sive negligentia in Testamentorum reali & sincera executione pro Defunctis: Item: Negligentia in Orationibus & sacrificiis pro illis maximè ex debito faciendis: Item: In debitis & piis Legatis ab Heredibus solvendis. Item: In propriis debitis in vita in gravamen creditorum satisfaciendis: Denique: Defectus in eleemosynis pauperibus elargiendis juxta illud Apostoli Jacobi: *Judicium sive misericordia illi qui non fecit misericordiam.* Et: *Qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Cum enim nec sibi, nec defunctis, nec pauperibus misericordiā fecerint, quid mirum, si justo judicio suo justissimus Deus satis pati illos in Purgatorio sinat, & auxilium vivorum ab eis separet, qui nec Defunctis, nec viventibus fecerunt misericordiam.

Demerita hæc enumerantur

Jac. 2. 13. Math. 7. 2 Mar. 4. 24 Luc. 6. 38.

Quæ omnia amore Dei advertant, qui in exequendis Testamentis, Legatis & Dispositionibus mortuorum negligentes sunt; Qui pia Legata, Exequias, Missas &c. aut totaliter relinquunt, aut in longum tempus differunt: Hæredes qui debitis defunctorū non satisfaciunt. &c. quibus hoc judicium grave imminet, ut quamvis Dei misericordiā in gratia decedant, demerentur tamen aliorum suffragiis & indulgentiis in purgatorio adjuvari. Vide apud Historicos apparitiones plurimas.

Resolutiones plurium Quæstiuncularum.

EX dictis patet Resolutio ad Quæstiunculas multas, quæ à variis proponuntur.

1. An Indulgentiæ prosint Animabus, pro quibus à Fidelibus vivis applicantur? Resp. Prodesse, si fecerint, quæ tam ex natura actus boni, quam ex præscripto Indulgentiam largientis sunt requisita, & animæ illæ non demeruerint hoc adjutorium vivorum. Unde indulgentiæ, quæ dantur pro liberatione unius animæ à Purgatorio secundum intentionem operantis, intelligi debent sub istis conditionibus: Quæ cùm sæpenumero fallant, non est mirum, si non liberentur, & sæpius eædem indulgentiæ sive opera, quibus talis Indulgentia applicari debet, repeti debeant.

Vid. ibid.

2. An operā in gratia fieri debeant? Resp. Idem esse sicut supra dictum est de operibus ad indulgentiam pro vivis promerendam.

3. An indulgentia data celebranti Missam pro Defunctis sive pro Defuncto, in cujus virtute anima liberanda est à Pœnis Purgatorii, debeat Missa *de Requiem* celebrari? Resp Distinguēdo: Aut enim Bulla vel concessio indulgentiæ simpliciter requirit Missam de defunctis vel pro Defunctis: Aut explicite ponit Missam *de Requiem.* Si primum, sufficit quamcumque Missam celebrare positâ Collectâ de Defunctis, ista enim Missa vere pro Defunctis celebratur, & à Collecta & Causa potest dici de Defunctis, quia Defuncto applicatur: Si ponatur expresse Missa *de Requiem*, tunc manifestum est,

illam

illam Missam, quae incipit *Requiem aeternam* debere recitari.

EPILOGUS.

De Peccatis in Abusu Indulgentiarum.

UT à scopo non deviem, cùm graves saepè abusus in Indulgentiarum usu non sine peccatis mortalibus interveniant, placuit pro Epilogo aliquam eorum seriem texere.

Mortaliter peccāt qui indiscretas indulgētias promulgant. Clem Religiosi.

1. Itaque mortaliter peccant, qui indiscretas Indulgentias praedicant vel promulgant; quod singulariter prohibetur Religiosis in virtute S. obedientiae, sub poena maledictionis aeternae in Clem. *Religiosi.* de privil. qui termini mortalem culpam indicant: Et quamvis illa Clementina solum loquatur de Religiosis; indicat tamen gravissimam conscientiae culpam etiam pro saecularibus ex ipsa materia, pro qua gladius S. Obedientiae stringitur, & imprecatio maledictionis aeternae infertur.

Indiscretae sunt 1. Non datae 2. revocatae. 3. Male datae.

Dicuntur autem indulgentiae indiscretae variis modis. 1. Quia non datae, sive nullae. 2. Quia revocatae, vel sub revocationibus, de quibus cealiter & absque tergiversatione constat, contentae. 3. Quia male datae, utpote absque rationabili causa, de quo tamen ut dixi praesumendū non est ex parte dantis, nisi evidenter appareat. Et in hoc casu non solum Praedicans, sed etiam Dans peccato involvitur. 4. Si malè & obreptitie impetratae, quo similiter casu impetrans & promulgans peccato involvuntur. 5. Quia malè interpretatae: Solent enim non rarò homines ad placitum & secundum proprium affectū illa contra verba concessionis interpretari, stultà quadam ambitione, vel fatua pietate fingentes per hoc devotionem populi augeri. Verùm sciant Deum & populum non indigere nostris mendaciis vel figmentis; & Ecclesiam, quae est columna veritatis, & sine ruga ac macula ejusmodi figmenta non admittere, nec inde se conscientiae suae maculam eluere. 6. Indiscretae dicuntur, quando verè dubiae sunt: Cùm enim sit res admodum gravis, & quae tangit potestatem Ecclesiae, & supremi Capitis in rē cum haereticis controversa, securè & fundamentaliter in hujusmodi procedendū est, Vide Angelum V. *Indulg. n.* 27. Et quamvis allegent Card. in Clem. *Religiosi.* dicentem peccatum tantum mortale esse, quando promulgantur indulgentiae non verae aut non validae: Illae certè censentur non esse validae, quę malè impetratae vel interpretatae, & illae quae sunt verè dubiae in conscientia promulgantis non sunt verae. Gravitatem rei hujus expressit Trid. sess. 25. in Decreto de Indulgentiis; cùm dicit Abusus, qui in indulgentiis promulgandis irrepserunt, occasionem dedisse, ut insigne hoc indulgentiarum nomen ab haereticis blasphemaretur. Unde sess. 21. cap. 9. Decreti reformationis, ut his malis provideret, decrevit, indulgentias deinceps per Ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus publicandas, ut nimirum per Ordinariorum approbationem de earum veritate constet antequā promulgentur. Quod quidem de 1. earum promulgatione intelligendum est: post 1. enim approbationem quamdiu durant absque alia licentia vel approbatione semper promulgari possunt.

4. Obreptitie impetrata. 5. Male interpretata.

6 Verè dubia.

Angelus.

Trident.

Peccant graviter qui sub titulo Indulgentiarum quaestus pravos faciūt. Trident.

2. Peccant graviter, & pro materia & circūstantia mortaliter, qui ratione Indulgentiarum vel sub earum titulo quaestus pravos faciunt. Unde Trident. suprà sess. 25. generaliter statuit pravos quaestus omnes pro Indulgentiis consequendis, *unde* (inquit) *plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit,* abolendos esse. Ne verò de nomine pravorū quaestuum moveantur quaestiones, Pius V. in motu proprio, qui incipit: *Etsi Dominici Gregis* &c. dato Romę apud S. Petrum ann. 1567. 6. idus Feb. Pontif. an. 1. Et est apud Angelum Cherubinum Bulla 30. revocavit omnes indulgentias, qualescumque quantascumque, pro quibuscumq; & quacumqi causa datas, etiam causa redemptionis captivorum: *Pro quibus* (ait) *consequendis manus sunt porrigenda adjutrices, & qua quaestuandi facultatem quomodolibet continent &c.* Et suum dictum Motum proprium strictissimè executus est in Ecclesia Toletana per aliam Bullam, quae incipit: *Quamvis plenum. &c.* datam Romae an. 1570 4. Non. Jan. Pontif. ann. 3. quae apud Angelum Cherubinum est 99.

Angelus Cherub.

Pius V. in Bulla Etsi Dominici Gregis.

Bulla Quamvis plenum.

Gravissimè peccāt qui sub titulo altaris privilegiati tot Missas recipiūt ut vix uno anno celebrari possint.

3. Arbitror gravissimè peccare, qui sub titulo Altarium privilegiatorum tot simul & successu temporis Missas recipiunt, ut vix in uno anno aut pluribus celebrari possint: Quia non tantùm intentionem Missas postulantium defraudant, sed etiam animabus Defunctorum injurii sunt, & seipsos in graves anxietates conscientiae praecipitant: Intentio enim postulantium est, ut citò Missae celebrentur, ut anima suffragio illius Indulgentiae liberetur: Detrimentum autem grave animae est, si per multum temporis ut per plures menses & amplius pati debeat, donec Solutio Indulgentiae offeratur: Conscientia accipientium torquetur, quia & ratione stipendii oblati Missas celebrandas in altari privilegiato acceptant, & ignorantes tempus, quo illis satisfieri possit, sibi anxietates in praesenti, & tormenta in futuro thesaurizant. Consilium sanum est non plures acceptare, quàm in una aut altera hebdomada persolvi possunt. Non sum in his scrupulosus, sed realis; ad conscientię suae tribunal illos appello.

Item qui occasione indulgentiarum superstitiones inducunt.

4. Indirectè quidem, occasione tamen indulgentiarum peccant juxta materiae gravitatem mortaliter: Qui antiquas & modernas superstitiones damnatas resuscitant, vel distribuunt Orationes, Grana benedicta, Amuleta sacra, sub titulo Indulgentiarum illis concessarum, de quibus non tantum certitudo non est, sed ex adjectis verbis & circumstantiis sunt mera superstitio. Exempla sunt quotidiana, pro quibus pono Regulam Generalem.

REGULA GENERALIS.

Nota.

QUidquid in Indulgentiis non mensuratur ordinaria & clara Pontificum Regula & moderatione ad S. Theologica doctrina limam, id tibi ut superstitiosum, vanum & suspectum sit.

TRA-

TRACTATUS VI.

De Statu Ecclesiastico, sive Clericali

TITULUS I.

De Clericatus natura, obligatione, & peccatu Clericorum.

QUAESTIO I.

Quis dicatur propriè Clericus?

Religiosi ad Chorū deputati, Conversi, Moniales &c. propriè Clerici non sūt. Hic separandi sunt, qui Clericorum Privilegia participant, à veris & propriè dictis Clericis, ut sunt Religiosi ad chorum deputati ante primam Tonsuram, & Religiosi conversi, Moniales, & aliqui alii choro & Ministeriis Ecclesiasticis absque ulla Clericali initiatione servientes. Qui, quamvis officia Clericis convenientia exerceant, & eorum Privilegiis ex Pontificum liberalitate gaudeant, & generali nomine Ecclesiastici dici possint; Clerici tamen non sunt; quamvis eos; S. Hieronymus Epistolâ ad quendam suum Levitam de duobus Generibus hominum, & habetur 12. q. 1. c. *Duo sunt genera*; inter Clericos computet; & utrosque à Laicis distinguat: Quòd Coronam habent ab institutione Romanæ ecclesiæ in signum regni, quod in Christo expectatur, & à rasione capitis, quæ est temporalium omnium depositio: Quia idem S. Pater Epist. ad Heliodorum, & refertur à Gratiano 12. q. 1. c. *Alia causa est Monachi, alia Clerici*; patenter illos ab invicem distinguit. Vide quæ suprà diximus tract. 1. tit. 1. q. 3. ubi ex antiquis ecclesiæ Canonibus Monachorum à Clericis discrimen ostendimus.

S. Hieron. c. Duo genera.

Idē c. Alia causa.

Conclusio Unica.

Clerici propriè dicti definitio. *Clericus propriè dicitur: Qui signaculo Tonsura ab ecclesia instituto insignitus, in sortem Dei est designatus, ad officia, Ministeria, Gradus & ordines in ecclesiâ legitimè assumendus.*

Tonsura Clericalis distinguitur à Monachali. Dicitur (*Qui signaculo Tonsura ab ecclesia instituto insignitus*) ut excludatur Tonsura Monachorum & Religiosorum, quæ etsi in ecclesia fit approbata ad mundi contemptum, & ob alias mysticas significationes, quas habet cum Tonsura Clericali communes, & eatenus dici possit ab ecclesia instituta juxta præcitatum c. *Duo sunt genera*; tamen ab ecclesia institutionem primariam non accepit, sed particulari Monachorum primorum usu & dispositione tradita est. Tonsura verò, quæ Clericum initiat, ab Ecclesiæ institutione universali tam quoad se, quàm quoad personam tonsurantem & tonsurandam, ac sacras ceremonias, nec non finem & causam omnino dependet. Unde Religiosi more Religionis suæ tonsurati, ab episcopo Tonsuram Clericalem suscipere debent, ut ad Officia, Beneficia, & ordines ecclesiasticos apti censeantur.

Dicitur (*in sortem Dei est designatus*) Clericatus enim simplex magis est designatio aliqua aptitudinis, quàm vera & realis in Dei sortem adscriptio sive inscriptio: Unde sicut milites Romani non statim ad militiæ sacramentum sive juramentum admittebantur, nec cingulo militari donabantur, sed primum in tyrocinio exercebantur; ex quo eorum delectus posteà fiebat: Unde nec ante tyrocinium militare solebant, ut videre est apud Ammianum Marcellinum lib. 19. Ulpianum & alios de militia Romana scribentes: Ita in clericali militia Ecclesiæ primò designantur tyrones, & velut ad tyrocinium Clericale per Tonsuram ecclesiasticam admittuntur, ut posteà ad ministeria, Gradus, & ordines ecclesiasticos, juxta eorum idoneitatem, assumi possint: Clerici enim primæ Tonsuræ sunt velut Novitii, priusquàm ad veram militiam per ordinationes & alias institutiones admittantur, & militare incipiant, unde à Clericatu pro libitu & voluntate recedunt. Et à quibusdam Clericatus primæ Tonsuræ vocabatur Seminarium Clericorum, sive quòd in Collegio sive Seminario Episcopali educarentur, ad ordines & Ministeria posteà assumendi; (unde adhuc sunt Seminaria apud ecclesias Cathedrales & Collegiatas) sive quòd semen quoddam essent ad ulteriora, ad quæ non nisi Clericus primæ Tonsuræ promoveri potest, ut posteà dicemus: Super quo meminit Nicephorus lib. 11. Histor. c. 3. cujusdam Decreti Valentiniani Imperatoris, quo mandat Episcopos ex ecclesiæ Præfectis aliis, & Presbyteris eligendos: Presbyteros ex ipso Clericorum ordine, ut omni ex parte irreprehensibiles essent, qui non ex curia vel ex militari magistratu electi fuissent.

Ammianus Marcellinus, Ulpianus.

Nicephorus.

Dicuntur autem (*in sortem Dei designati*) quia, licet communis Christianorum vocatio *Sors Sanctorum* ad Coloss. 1. nominetur: Nihilominùs sicut Levitæ in veteri Lege singulariter in portionem Dei sive in hereditatem transisse censebantur: sic altiori mysterio Clerici ad sortem Domini pertinent: Unde hæc est forma Professionis eorum ex Psalm. 15. *Dominus pars hereditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hereditatem meam mihi.* Præclarè S. Hieronymus Epist. ad Nepotianum: *Clericus, qui servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis diffinitione*

Ad Coloss. 1. 12.

Psal. 15. 5.

S. Hieron.

natione prolatâ nitantur esse quod dicitur : Si enim κλῆρος Gracè, Latinè sors appellatur; propterea Clerici dicuntur ; quia de sorte Domini sunt. vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est ; & quia vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet , talem se exhibere debet. ut ipse possideat Dominum, & ipse possideatur a Domino , &c. quæ elegantissime prosequitur.

Dicitur *(ad officia, Ministeria, Gradus , ordines in ecclesia legitimè assumendus)* hic enim finis est ob quem designantur , & clericatus primæ Tonsuræ est velut janua ad ecclesiæ Ministeria, &c. prout statim dicetur, quam qui ingressus non est , legitime ad ordines & ecclesiastica Beneficia & officia assumi non potest. Et ab hoc fine potissimum distinguitur Tonsura Clericalis à Monachali.

QUÆSTIO II.

Quid sit Tonsura Clericalis, quidvè significet?

Conclusio I.

Tonsura Clericalis descriptio

Tonsura est levis detonsio capitis ab Episcopo ceremoniis ecclesiasticis facta , qua masculus tyrocinio Ministeriorum Dei initiatur.

Dicitur *(levis detonsio capitis)* ut distinguatur prima Tonsura à rasione ampliori , quam aliis Sacri ordinis Ministri gerunt in regalis officii signum : leviter enim depilantur, quasi hoc symbolo vocati ad militarem & regiam coronam sacerdotalem , si velint ad eam per gradus ascendere.

Dicitur *(ab episcopo ceremoniis ecclesiasticis facta)* ut distinguatur à Monachali & alia quacumque.

Dicitur *(quà masculus)* femina enim Tonsuram suscipere non potest ; imò Paulo Apostolo teste 1. ad Corinth. 11. *turpe est mulieri tonderi.* 1.Cor.11.6

Ultima particula , *de tyrocinio ad ministeria Dei* superius explicata est, & de hoc in progressu hujus Tituli plura dicentur.

Conclusio II.

Significat puritatē vitæ, & abjectionem temporalium;

Tonsura Clericalis puritatem vitæ , & abjectionem rerum sæcularium & temporalium significat ; famulitii verò Dei , & devoti animi ac mortificationis Christi Jesu symbolum est : Cui utique servire , regnare est.

Hæc omnia à sanctissimis & antiquissimis Patribus & Conciliis traduntur , quorum testimonia nonnulla subjicio:

De puritate vitæ sic loquitur S. Dionysius Areopagita cap. 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ : *Capillorum* (ait) *detonsio declarat puram nullâq; figurâ adumbratam vitam ; non fictarum figurarum aut colorum inductione deformitatem mentis decorantem ; sed ipsam in seipsa, non humanis speciebus, seu pulchritudinibus; verùm propriis & singularibus ad divinam similitudinem traductam* : Quæ verba mystica indicant veram puritatem vitæ , extra phantasmata & hominum fictiones , adinventiones , & chymeras , quibus modò puritas vitæ adulterata est. Vide Mysticos Theologos.

De abjectione rerum secularium sic scribit Isidorus Hispalensis l. 2. de officiis c. 4. citatus à Concil. Aquisgran. c. 4. *Est autem Clericis Tonsura signum , quod in corpore figuratur, sed in animo agitur , ut hoc signo in Religione vitia resecantur , & criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur* , &c. Unde & Hieron. Epist. ad quendam Levitam, relatus à Gratiano 12. q. 1. c. *Duo sunt genera. Rasio capitis est temporalium omnium depositio.* Addit Liber Contemptus mundi apud August. tom. 9. rationem , cur Clericus in capite tondeatur sive depiletur : *In ea parte* (ait) *pilos capitis incidimus , in quo novam sapientiam , id est , Christum inesse cognoscimus , per hoc signantes malam terrenorum sollicitudinem nostra mentis oculum ad Deum contemplandum impedire.* *Isidorus Hispal.* *Liber cōtemptus mundi apud August.*

Signum verò esse famulitii Dei & mortificationis Christi Jesu , probant , quæ de mysterio spineæ coronæ refert Venerabilis Beda l. 5. Historiarum c. 22. & in vita S. Gaudentii apud Surium 11. August. de eo in Clericum assumpto sic scribitur: *Deinde suis eum manibus . fusa super eum benedictione , idem Episcopus totondit . regiâq; ac sacerdotali coronâ Domino perpetuò famulaturum insignivit.* Hæc ibi. Ubi de regia & sacerdotali corona mentionem facit , quia servire Deo , regnare est, & servitus Christi summa est libertas. Qualiter verò regalem ac sacerdotalem coronam significet Clericalis Tonsura , vide Isidorum Hispalensem lib. 2. de Divinis officiis cap. 4. Et , ut præter intentionem non multiplicemus hanc materiam , de animi devotione & voto figurato in Nazaræorum Consecratione eundem ibidem vide. Et alia plura apud Ceremoniarum & Rituum Ecclesiasticorum Expositores. *Beda.* *Isidorus Hispal.*

Apud quos etiam antiquitatem Tonsuræ legere cum gustu Lector curiosus potest. Illius initium aliquibus referentibus ad tempora S. Petri : Cui (ut scribit Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum , ut habetur Bibliothecæ SS. Patrum tom. 4.) Antiocheni , ob prædicatum nimio fervore Christum Crucifixum , comam capitis in opprobrium abraserunt , ratione cujus , ut opprobrium crucis in suo corpore gestaret , dicitur perpetuò coronam tulisse. Quidquid sit, à temporibus Apostolorum Tonsuram in usu fuisse probant S. Dionysius Areopagita ecclesiasticæ Hierarchiæ c. 6. p. 3. Abdias l. 9. certaminis Apostolici , Anicetus I. Epist. ad Episcopos Galliarum , ut allegat Gratianus dist. 23. c. *Prohibete.* Quibus similia habentur in concilio Carthaginensi 4. can. 44. & consequenter usque ad hæc tempora. *Tonsura antiquitas* *Germa.* *S. Dyonis. Abdias. Anicetus I.* *Conc. Carthag 4.*

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quis sit Minister Tonsuræ Clericalis, quisve ejus in collatione ritus?

CONCLUSIO I.

Ordinarius Minister tonsuræ est proprius Episcopus

Minister Tonsuræ clericalis ordinario jure est solus Episcopus proprius ejus, qui Tonsuram accipit. Est juris communis,& sumitur ex c. Finali de tempore Ord. in 6. & ex Trid. sess. 14. de Reform. c. 2.

Dixi *(ordinario jure)* quia Abbates Benedictini & alii privilegiati per privilegia Tonsuram & Minores Ordines conferunt suis subditis tantum, & in locis suæ jurisdictionis tantum, cap. *Quoniam.* d. 19. Concilium Trident. sess. 23. cap. 10.

Dixi *(Episcopus proprius)* ad excludendum Episcopum alienæ Diœcesis, vel etiam Titulares, qui absque licentia Episcopi neminem Tonsura clericali insignire possunt. Dicitur autem proprius Episcopus, vel a loco nativitatis, vel a loco veri domicili,& habitationis: Dicitur etiam ratione beneficii, quod in Diœcesi etiam aliena quis possidet. sed hoc nihil confert ad tonsuram, cum ante tonsuram nemo sit beneficii ecclesiastici capax. Quamvis verò Concilium Tridentinum supra c. 9. permittat Episcopo ordinare, & multò magis tonsura initiare familiarem sibi non subditum, qui triennio ei cohabitaverit, modò statim reipsa illi beneficium conferat: Non crederem tamen Episcopũ posse alicui alterius Diœcesis tonsuram dare cum intentione simpliciter ei beneficium statim immediate conferendi, Quia reverà ante tonsuram nullo titulo est illi subjectus. Hic etiam excludendi sunt Privilegiati, qui cum licentia suorum Superiorum à quocumque Episcopo Tonsuram & Ordines suscipere possunt, ut Fratres Minores & Mendicantes, ac eorum privilegiis communicantes. Vide compendia Privilegiorum.

c. Finale de tempore ordin.

Petes 1. an Episcopus alieno subdito conferens Tonsuram pœnam aliquam incurrat? Multi affirmant de pœna Suspensionis ex c. *Finali.* de tempore Ordinationum in 6. ubi dicitur: *Nullus Episcopus &c. absque sui Superioris licentia homini Diœcesis aliena clericalem præsumat conferre Tonsuram &c.* sequitur: *Qui verò contra fecerit, ut in eo in quo peccaverit puniatur, per unum annum à Clericalis Tonsuræ dumtaxat noverit se esse suspensum.* Alii negant ob restrictam Legem Concilii Tridentini sess. 23. c. 8. ubi hæc suspensio tantum fertur in Ordinantes; non autem in conferentes Tonsuram. quæ non est Ordo. Et ita docuit Toletus in summa libr. 1. c. 49. num. 4. Zerola, Azorius citati ad Decl Concilii Tridentini: Quamvis verò hæc posterior sententia sit multum probabilis, ab auctoritate negativa, quæ in pœnis excusandis valet: tamen quia Tridentinum non revocat pœnam expressam in dicto c. *Finali.* prior sententia probabilior est ob expressum textum.

Petes 2. an Episcopus in aliena Diœcesi existens possit in secreto Sacello, vel cubiculo subdito suo conferre Tonsuram? Arbitror posse cum nostro Villabolos in Summa tom. 1. tr. 8. diffic. 7 n. 27. Quia hic actus tumultuariæ jurisdictionis non est,& ut supponitur, sine strepitu fit.

CONCLUSIO. II.

Ritus Tonsuræ quis sit?

Ritus Tonsuræ, ut modò confertur, consistit in quinquepartita capillorum detonsione, nimirũ in vertice, in occipite, in sincipite, & super aurem utramq; per modum utiq; Crucis, cujus mortificationem utiq; assumit, & custoditus sæcularibus & mundanis delitiis se initiandus conformat, & per illam Christi famulatui se dedicat. Vide Pontificale Romanum.

Dicuntur etiam proferente primò Episcopo à tonsuram recipiente verba Psalm. 15. *Dominus pars hæreditatis meæ*: eò quòd ad sortem Domini & ejus possessionem tonsuratus transit.

Dixi in Conclusione *(ut modò confertur)* antiquis enim temporibus non semper idem ritus est servatus, quamvis semper aliqua depilatio sit facta: Unde tam verba quam modum tonsionis arbitror ad ceremoniam, non ad substantiam pertinere.

QUÆSTIO IV.

Quæ requirantur ex parte suscipientis Tonsuram?

CONCLUSIO UNICA.

Quinq; conditiones in suscipiente tonsuram requirit Trident.

Quinque potissimum Conditiones requiruntur in suscipiente Tonsuram. 1. Ut Sacramentum Confirmationis receperit. 2. Ut fidei rudimenta norit. 3. Ut legere & scribere sciat. 4. Ut non suscipiat judicii sæcularis fugiendi causa. 5. Ut genus hoc vitæ eligat, ut Deo fidelem cultum præstet. Hæc Conclusio est Concilii Tridentini iisdem fere verbis sess. 23. cap. 4. prohibens eos, qui his qualitatibus non sunt ornati, prima Tonsura initiari.

Porrò hæ conditiones præsupponunt etiam alias, quæ tum ex natura rei, tum ex juribus variis requiruntur; Unde sit

Conditio 6. *Ætas*; nam ante usum rationis infantem tonsurari non tantum est incongruũ; sed etiam Ecclesiæ injuriosum; cùm enim quis Tonsura non initietur, nisi ut ad sacra Ministeria, Ordines vel beneficia promoveatur, quo judicio infans ante rationis usum Tonsura initiari legitimè poterit? Unde est illud Concilii Moguntini sub Carolo Magno can. 23. *Nullus tondeatur sine legitima ætate, & spontanea voluntate.* Et est expressus textus c. *Finalis* de tempore Ordinat. *Nullus* (inquit) *Episcopus vel quivis alius infanti &c. Clericalem præsumat conferre Tonsuram &c.* Irrogaturque

Concilii Mogunt.

 con-

conferenti suspensio à tonsuræ collatione ad annum. Quod vero ibidem additur *(nisi fortè Religionem intraret)* de iis dictum credo, qui ab infantia Religioni mancipabantur, & inter Religiosos educabantur. Quæ verò ætas ad tonsuram requiratur, communis sententia est requiri ad minus septennium.

7. *Vita honesta & Christiana*: Infames enim aut illegitimos, sive quolibet inhonesto thoro natos, aut eos, qui turpis & lascivæ conversationis sunt, ad tonsuram clericalem promoveri omninò scandalosum & indecens est. Unde & in Synodo Lingonensi anno 1404. mandatur, ut tonsurandus examinetur de vita, de gente, de patria, de ætate, de loco, in quo quis conversatur, de fide & aliis, quæ continentur in regula Apostolica. Et Valentinianus in Legibus Novellarum titul. 12. *Nullus Originarius, Inquilinus, vel Colonus ad Clericale munus accedat, &c.*

8. *Ut Pœna Ecclesiastica impedienti non subjaceat.* Unde nec Irregularis, nec Bigamus tonsurari potest. Ratio est: Quia Ordinum & Beneficiorum incapax est, ad quæ tonsura hominem velut dirigit. Unde mihi Regula generalis est: Omne impedimentum, quod a susceptione Ordinum quorumcumq; & possessione beneficiorum, & ecclesiasticis ministeriis arcet, arcere similiter à tonsura clericali. Ratio mea est: quia ex natura sua tonsura clericalis dirigitur ad illa, & ut in definitione dictum est, per tonsuram homo designatur in sortem Domini, ad ecclesiasticos ordines &c. assumendus.

Ut porrò ea, quæ dicta sunt, & obligationes tam ex parte conferentis, quàm ex parte suscipientis plene intelligantur pono Dubia sequentia.

Dubium I.

Sub qua obligatione teneatur suscipiens Tonsuram Sacramento Confirmationis esse munitus?

Antiquissima traditio est, ut tonsurandus sit confirmatus.

RESp. 1. *Antiquissimam esse Ecclesiæ Traditionem, ut qui Clericus initiatur, Sacramento Confirmationis sit ornatus?* Idque probat multis ex Neotericis Scriptoribus Franciscus Hallier libro quem inscripsit de sacris electionibus sect. 2. de examine Ordinandorum §. 7. n. 26 Ubi & ex antiquitate notat statim post Baptismum Confirmationem datam, asseritque quòd sicut non Baptizatum Clericum fieri semper habitũ est pro summo sacrilegio, sic non confirmatum ordinari: quapropter etiam apud Eusebium l. 6. cap. 35. legitur ordinationem Novati tamquam illegitimam reprehensam ab Antiquis, quòd prius Sacramentum Confirmationis non suscepisset.

Resp. 2. *Incongruum maximè & inconveniens esse, si quis ante susceptum Confirmationis Sacramentum Tonsuram recipiat.* Ratio est: Quia præterquam quod antiquum Ecclesiæ ritum & usum novissimè in Concilio Tridentino renovatum transgrediatur, inconveniens est, ut quis ad Statum clericalem & Ordinis tyrocinium initietur, qui necdum perfectus Christianus est, & militiam ecclesiasticam adeat, qui militiæ Christianæ Sacramentum nondum percepit. Hinc & non confirmatis prohibetur Religionis ingressus & professio, & antiquæ Virgines & Monachæ velari prohibebantur, nisi prius Confirmationis Sacramento insignitæ essent.

Resp. 3. *Secluso contemptu peccare saltem venialiter Episcopum Tonsurantem, & Personam suscipientem Tonsuram, ante susceptum sacramentum Confirmationis.* Ratio est: Quia Episcopus prævaricatur decretum Concilii in re satis gravi & antiquo usu ecclesiæ confirmata. Nec obstat, quod Concilium Tridentinum nullum verbum præcepti addat: Ipsa enim præscriptio & Decretum, præceptum est, & verba præcepto æquipollent, cum prohibitiva sint, & absolutè dicant: quòd Nullus talis prima Tonsura initietur.

Dixi *(secluso contemptu)* non enim excusarem à peccato mortali eum, qui in ætate adulta & competenti, sciens & volens ante susceptam Confirmationem, nullâ ratione urgente, Tonsuram susciperet, sive Episcopum, qui illam conferret. Non excusarem quidem Episcopum, quia videretur præceptum contemnere: Non excusarem etiam suscipientem, non ratione tonsuræ, quam suscipit, sed ratione virtualis contemptus Sacramenti Confirmationis, quam habita copia Episcopi non prius suscipit, cum supponatur scire, se debere Confirmationem prius accipere quàm tonsuram.

Dubium II.

Quæ rudimenta fidei debeat scire, qui Tonsurandus est, & sub qua obligatione?

Tonsurandus debet scire rudimenta fidei.

RESp. 1. *Teneri scire illa rudimenta, quæ Christianus quilibet adultus scire tenetur, & quæ Catechismo parvulorum continentur.* Ratio est: quia etiam ad illa obligabantur adulti antiquitus ante Baptismum, ergo magis ante Confirmationem: Et ex obligatione Christianismi scientia illa necessaria est ei, qui ad congruam ætatem pervenit.

Resp. 2. *Non excusarem à mortali peccato Episcopum, qui tonsuram conferret alicui in ætate perfecta & competenti ignoranti necessaria & primaria fidei rudimenta, ut Orationem Dominicam, Articulos fidei, Professionem Trinitatis, Præcepta Decalogi & hujusmodi, quæ in Catechismo proponuntur.* Ratio mea est: Quia in hoc magna inuritur macula Clericali Statui ex natura rei: Cùm enim per tonsuram primam designentur apti ad Ordinum ministeria & Beneficia Ecclesiastica: Quomodo aptus dicendus erit, qui in ætate competenti rudimenta necessaria & primaria suæ fidei discere, aut non voluit, aut neglexit. Sicuti igitur peccat talis mortaliter, ex vi sui Christianismi ob ignorantiam culpabilem eorum, quæ scire tenetur; ita mortaliter pecca-

peccabit Episcopus, si contra Decreta specialia Ecclesiæ talem Clericali Tonsurà insigniat, cùm in materia gravi totaliter sit ineptus ad illam.

Dixi *(qui in ætate perfecta & competenti, &c)* si enim adhuc ætatis minoris sit, in qua ignorantia rudimentorum fidei excusaretur, esset verò spes moralis, quòd posteà illa opportunè disceret, in illo casu & ex isto capite à peccato excusarem Episcopum Tonsurantem, quia, ut suprà dictum est, ætas septem annorum aliquando visa est sufficiens ad Tonsuram, nisi aliud obstet, ut posteà dicemus: Unde etiam antiquitus Tonsura Clericali initiati ante perfectam scientiam, tradebantur magistris in Seminariis vel scholis necessariâ doctrinâ imbuendi, ut educatio & instructio suppleret posteà, quod ætas & infantia antè dare non potuerat.

Dixi *(Episcopum mortaliter peccare)* tacui verò de suscipiente. Quia cùm suscipiens nullis adhuc Legibus Ecclesiasticis per se obligetur, ex vi hujus susceptionis Tonsuræ non peccabit, sed tantùm ratione negligentiæ discendi rudimenta fidei, juxta ætatem in qua reperitur.

Dubium III.

Qualiter obliget conditio requisita à Tridentino, ut Tonsurandus legere & scribere sciat?

Peccat mortaliter episcopus conferens Tonsuram ei, qui legere & scribere nescit.

Resp. 1. *Obligare Episcopum Tonsurantem ex natura rei & fine ad peccatū mortale, nisi aliunde excusetur:* Ratio est ut suprà: Quia cùm per Tonsuram designet eum, cui Tonsuram confert, aptum ad Ministeria, ordines & Beneficia in ecclesia Dei, quomodo illis servire potest, qui legere non novit? Quomodo Clericalibus officiis vacare in ecclesia Psalmos cantare? &c. Tonsura quidem, etsi sacramentum non sit; Sacramentale tamen gravis momenti in ecclesia est, & illud ad personam planè illius incapacem applicare cum precibus sanctis, Deum & ecclesiam ex natura rei est irridere.

c. Finale.

Dixi verò *(obligare ad mortale)* motus textu c. *Finalis* de tempore ordinationum in 6. in quo ob Tonsuram datam ab episcopo alicui illiterato, sicut & infanti pro peccato imponitur suspensio à conferenda Tonsura ad annum, quæ pœna gravis culpæ indicium est.

Dixi tamen *(nisi aliunde excusetur)* Excusatio autem à peccato sufficiens est: si de puero bonæ indolis certò constet, quod brevi litteraturam sufficientem nanciscetur, & quòd brevi tempore legere & scribere addiscet, aut, ut antiquitus fiebat, si statim à Tonsura bonis magistris imbuendus tradatur, ut sup. dictum est.

Resp. 2. *Eum qui Tonsuratur, si sit omnine illiteratus, utpote non sciens scribere, nec legere etsi ex stricto præcepto singulari non obligetur ad peccatum: Ex consequentia tamen & concomitantibus multis se gravissimorum peccatorum periculis exponit ob incapacitatem suam*: De quibus statim dabo Regulam Generalem in Appendice proxima.

Dubium IV.

Quam obligationem includant hæc verba Tridentini, De quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis Judicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent hoc vitæ genus elegisse?

Qui secularis judicii fugiendi fraude Tonsurā suscipit.

Resp. 1. *Eos, qui sæcularis judicii fugiendi fraude Tonsuram suscipiunt, non habentes verè animum Deo cultum fidelem in Clericatu exhibendi, peccare mortaliter.* Ratio est: Quia in gravi injustitiam committunt, utique contra Principum & Magistratuum potestatem à Deo datam, eximentes se injuriosè ab eorum gladio & jurisdictione: Cum enim Exemptio Clericis data à Principibus, ad Ministrorum Dei & cultus divini decorem ex ipsis principiis divinæ dispositionis, ut postea dicemus, Procedat, & non conferatur nisi personis, quæ divino cultui se mancipant; aut sincerè se mancipare intendunt, Deo mentiri, & injuriam Principi ac Reipublicæ in re gravi facere convincuntur, qui animum non habentes ad Dei singularem in Clericatu famulatum, imò & quandoque aversum habentes privant Principem & Rempublicam sua jurisdictione: Unde est mendacium perniciosum in eo, qui taliter Tonsuram suscipit, si id sciat vel scire debeat: Quinimò ubi id posteà advertit, vel animum formare aut renovare debet ad Clericatum, vel Clericatum deponere tenetur.

peccat mortaliter.

Tenetur Clericatū deponere, aut intentione debitam formare.

Addo Clericos etiam primæ Tonsuræ, si in Clericali Habitu & Tonsura incedant, ut posteà dicemus, eximi à gabellis & tributis etiā primariis, quæ jure divino debentur Regibus & Principibus in conscientia, quibus injustè Principes fraudant, cùm Judicii secularis fugiendi fraude Tonsuram suscipiunt; contra quam fraudem Patres antiqui scripserunt: Unde est Stephani Tornacensis episcopi ante quingentos annos ad quemdam magnum Prælatum Epist. 12. ubi reprehendit graviter nonnullos: *Qui, ut* (inquit) *Potestatum secularium jurisdictionem devitent, Tonsura tantum vel Minoribus Ordinibus dolo inter Clericos sese simulant aggregari.* Ubi nota verbum *(simulant)* Non enim vere Clerici sunt, quia Clericatus supponit verum ad Dei famulatum animum, cujus signum Tonsura est. Unde & gravissima antiquorum Patrum querela fuit adversus eos, qui solùm, ut militiam fugerent, in Clericorum numerum se abscribi curabant, etsi verè ad Clericatum animum non haberent. Vide Joannem Diaconum ad vitam S. Gregorii l. 2. c. 15 & 16 & Greg. l. 7. Ep. 11. Quinimò prohibiti sunt milites & curiales immediatè à militia vel curia ad Clericatum ascendere, non alia de causâ, quam quòd conjecturâ esset, quòd fugiendæ militiæ vel curiæ causâ, non vero animo Deo se mancipandi Tonsura Clericali insignirentur. Sed & S. Ambros. l. 1. & 2. contra Symmachum meminit eos, qui Privilegium quærerent Sacerdotii ut onus curiale devitarent, patriâ atque avita omnium facultatū possessione debuisse cedere.

Stepha. Episc. Tornac.

Joannes Diaconus

S. Ambr.

Advertendum tamen 1. Ad hoc ut peccatum mortale incurrant duo requiri 1. Ut in susceptione Tonsuræ animum contrarium habeant, vel totaliter aversum, ita ut volũtatem ad Clericatum non habeant. 2. Ut positivam voluntatem habeant Privilegiis fori gaudendi, Beneficium Ecclesiasticum sibi quærendi, non obstante aversione à statu Clericali. Hæc propriè dicitur fraus, quæ in se gravem malitiam continet, ut superiùs explicatum est. Hinc

Nota. Adverte 2. illos, qui Tonsura initiati sunt, quam diu nec Habitum nec Tonsuram gerunt, nec Ministerio alicujus Ecclesiæ se mancipant; nec Beneficium Ecclesiasticum adipiscuntur (forte quia sentiunt se animum aversum habere, aut alia de causa;) tam diu non peccare. Ratio est: Quia revera nullis gratiis Clericorum gaudent, & supponuntur nolle gaudere: Imò quamdiu tales sunt, sæculares remanent, nec Clerici reputantur, nisi in aptitudine.

Adverte 3. Quibus periculis se & proles exponant parentes, qui filios suos ad Tonsuram adigunt, solùm ut possint Beneficiis & Præbendis Ecclesiasticis frui. De quibus suo loco. Vide Navarrum de oratione & Horis Canoni- *Navarr.* cis c. 7. num. 15.

Peccãt etiã mortaliter Episcopi scienter initiantes, supradictos. Resp. 2. *Episcopos scienter initiantes eos, de quibus probabilis est conjectura, quòd fraude fugiendi sæcularis judicii id faciant, aut animum non habent vel aversum habent à clericatu: peccare mortaliter,* Ratio est: Quia in re gravi exponunt istas animas periculis peccatorum gravium & injustitiarum, de quibus suprà; imò & Ecclesiam multis & gravissimis confusionibus.

Appendix Ad Lectorem.

De ratione totius Doctrinæ superioris.

Ne arbitreris (Candidè Lector) me in superioribus communi Doctorum torrenti contradicere, aut scrupulizare, ubi scrupulus non est faciendus, minùs me conscientias velle in anxietates & laqueos præcipitare, in re, quæ à nonnullis videtur minoris momenti, cùm prima Tonsura verè non sit Ordo nec Sacramentum, sed tantùm Sacramentalis quædam ceremonia, sacra tamen & spiritualibus Ecclesiæ precibus à sacro Episcoporum Ministerio consecrata: Animas enim in veris fundamentis Theologicis & justitiæ Christianæ fundare volo, à laqueis & anxietatibus eripere: & ne ex proprio sensu loqui videar, fundamenta aperio, quæ unusquisque ponderabit pro cujusque natura.

Fundamentum I.

Certum est apud omnes: Collationem Tonsuræ sive Tonsurationem esse actionem sacram, ex institutione Ecclesiæ Pontificali Ministerio annexam, sacris orationibus & ceremoniis instructam, per quam, qui proponit & vult Clericus fieri, & in sortem Domini pro ejus famulatu Clericis adscribi, initiatur, & aptus designatur, ut oportunè ad sacra Ministeria, Officia, Beneficia, ordines assumatur. Hoc fundamentum constat ex definitione, & aliis circa illam superiùs explicatis.

Ex hoc verò fundamento omnibus in confesso esse debet: Huic sacræ actioni repugnare, omnem fictionem & mendacium, omnemque irreverentiam, cùm sit actio Religiosa, ad cultum Dei, & sacrorum Mysteriorum decorem ordinata.

Fundamentum II.

In suscipiente certum etiam est requiri voluntatem & propositum sanctum se Dei famulatui mancipandi: Nemo enim nolens & contradicens ad aliquem Statum initiari potest, cùm liber sit homo ad Status cujuslibet liciti in Christianismo electionem.

Dixi (propositum sanctum) hoc enim propositum est fundamentum totius sacræ actionis, quod se habere protestatur Tonsurandus, quando cum Episcopo dicit *Dominus pars hereditatis meæ &c.* *Psal.15.5.*

Deinde etiam repugnat actioni solemni publicæ & Religiosæ fictio & mendacium; Est enim mentiri Deo & non homini; non minus quàm in actione Ananiæ & Saphiræ, qui retento sibi peculio fingebant se omne pretium suarum possessionum ad pedes Apostolorum attulisse: quæ erat actio quædam sacra. *Act.5.1. &c.*

Fundamentum III.

In suscipiente certum etiam est nullam intervenire promissionem aut votum: Unde possunt assumptum Clericalem Statum relinquere, à requam ad ordines Sacros promoveantur: Possunt & assumpta Tonsura, illa non uti, & Privilegio Clericali renuntiare; ut posteà dicemus.

Hinc antiquitus factum est, ut sicut parentes, pueros etiam ante rationis usum Religioni devovebant, sic & Dei famulatui & Clericatui; ut olim Anna Samuelem: sed cùm pueri perveniebant ad ætatam competentem interrogabantur de propria voluntate, & liberi dimittebantur, si votum parentum non probabant, id est, si voluntarem, vel ad Religionem, vel ad Clericatum, non habebant.

Fundamentum IV.

In suscipiente requiritur aptitudo ad futura Ministeria: quæ debet esse vel actualis & præsens, vel saltem moralis & probabiliter futura, tempore quo ad ordines, beneficia, vel officia ecclesiastica assumetur.

Et ex hac parte, õnia actualis incapacitas vel ineptitudo probabiliter perseverans, vel quæ timetur rationabiliter perseveratura repugnat huic sacræ actioni ex parte suscipientis.

***

Fun-

FUNDAMENTUM V.

Ex defectu requisitorum supradictorum multa peccata, scandala, confusiones, injustitiæ oriuntur, & oriri solent, quæ tum Episcopi, tum Parentes aut alii, ad quos res spectat, avertere in conscientia tenentur. Hoc etiam fundamentum ex natura rei notorium est.

Peccata illa & alia mala, quæ ex defectu requisitorum proveniunt, erudite enarrat Franciscus Hallier supracitatus §. 2. *Ubi* (ait) *Antistitum negligentia cuivis ad Clerum aditus patuit, nulli negatus, nulli præclusus est: statim ordini Clericali Privilegia sua adempta sunt; elanguit disciplina; marcuit præstantissimum ordinis decus; Beneficiorum dissipati sunt reditus; denegata laborantibus Clericis stipendia: patrimonio Christi divites otiosi impinguati: inutilium Clericorum multitudine Ecclesia oppressa non sublevata est: Officii Clericalis deserta munia: vilnerunt Divina officia; contempta est selecta Ecclesiæ portio; Clerus sine disciplina contabuit: populus absque obedientia dissolutè vixit.* Hæc ille.

Ex his fundamentis pono duas Regulas Generales, quibus omnia supradicta regulari debent.

REGULA I. GENERALIS

Qui sciēter cōfert Tonsurā ei, qui animo averso est à Clericatu aut incapax futurus probabiliter pravidetur mortaliter peccat.

Quicumque sciens & volens confert Tonsuram ei, qui animo averso est, aut propositum verum non habet ad Clericatum, aut ad illum incapax futurus probabiliter pravidetur, mortaliter peccat.

Ratio est: Quia fictionem, mendacium, irreverentiam & injustitiam committit in actione sacra & gravi, quæ ad Dei cultum pertinet, & ad Sacramenta sancta & sublimia ex præcepto Ecclesiæ necessaria dispositio est, aperitque vias ad multa peccata & mala, quæ ecclesiæ & tertio eveniunt. Et fictio quidem est & mendacium in re sacra, quòd adscribatur per Ecclesiæ auctoritatem Divino famulatui, qui per omnia indignus & incapax judicio ecclesiæ futurus est: Demum irreverentia gravis, quòd mendaciter invocetur scienter nomen Dei, per sacras preces & ceremonias, super eo, qui per ecclesiæ Concilia reprobatur. Tandem injustitia est, quòd ad Privilegia, exemptiones, Beneficia & Ordines Sacros, quibus jus multa decernit, aptus pro tempore judicetur, qui tamen per conditiones ab Ecclesia præscriptas incapax & indignus futurus scitur, aut probabiliter prævidetur. Hoc sit speculum Tonsuram ministrantium, ut benè examinent, & eam discretè conferant, quia ex consequentia res magni momenti est. Unde & nervosè fundamentaliter supracitatus Doctor Hallier §. 7. num. 31. loquens specialiter de eo, qui animum à Clericali Statu aversum habet: *Si talis* (inquit) *recipitur, sacrilegium committitur,* (utique moderata interpretatione contra reverentiam actionis sacræ) *& injustitia* (quam explicat in periculis consequentibus) *Beneficia* (inquit) *Ecclesiastica indignus, & nolentibus militare in ecclesia Dei, obtinendi facultas datur: Confidentiarum in Beneficiis committendarum via aperitur: hereditaria in iisdem successioni janua recluditur: Privilegiorum Clericalium jactura occasio prabetur: Laicis de illis conquerendi materia suppeditatur: nervi disciplina Ecclesiastica remittuntur ac relaxantur: ad Clericatus contemptum & Clericalis ordinis janua panditur, &c.*

Hallier.

Quæ refero, quia verè his temporibus calamitosis, hæc, ut ab isto Doctore referuntur, ita obvia, pervia, & lippis & tonsoribus (ut dicitur) nota sunt, ut celari nequeant: Nihilominus multi ad illa non attendunt, ex quibus tamen dependet totius Ecclesiasticæ Disciplinæ restitutio.

Dixi tamen (*qui sciens & volens*) Multi enim Episcopos decipiunt & fingunt se velle, qui nec fili bonæ voluntatis habent: vel potius eorum parentes patrimonio Christi inhiantes illos volentes ex nolentibus faciunt, in grave suum & prolium jugum, utinam non damnationis æternæ!

Ex quibus colligi possit futura incapacitas.

Dixi (*aut ad illum incapax futurus probabiliter pravidetur*) Prævisio illa facilis est: Quia plerumque & ab operibus Christianæ vitæ pietatis, & à literis necessariis, & à modestia Clericali prævidentur, & in præsenti cognoscuntur aversi: Ubi tamen aliunde circumstantiæ meliorem frugem; & spem aliquam probabiliter tempore oportuno requisita ad sacras functiones, Beneficia, & alia promitterent, posset absque peccato illis, juxta morem ecclesiæ, Tonsura conferri, ut in superioribus explicatum est.

REGULA II.

Qui sufficienter instructus, absque vero animo Clericatus. Tonsurā suscipit, peccat mortali ter.

Quicumque de obligatione sua sufficienter instructus, absque vero animo Clericatus. Tonsuram suscipit, juxta qualitatem obligationis peccat mortaliter, & à Clericatus Privilegiis ac ulterioribus promotionibus, manente animo averso, tenetur abstinere. Regula ex superioribus patet, ac tantum explicatione indiget.

Dixi itaque (*de obligatione sua sufficienter instructus, absque vero animo Clericatus. Tonsuram suscipit*) Hic enim fictionem & mendacium in actione sacra committit, & (ut diximus) periculis gravissimis peccatorum se sciens & volens exponit, ut suprà declaratum est. Aliud dicendum est de puero, aut alio, qui ista non novit, nec scire tenetur: Ignorantia enim probabili laborat, cùm ista scire non teneatur; imò excusabiliter ignorat, tum ratione ætatis, tum quia, quæ mandantur circa Tonsurandos, magis ad Episcopus Tonsurantes, quàm ad Tonsurandos, quorum non est scire canones, spectant: supposito tamen quòd sciant & advertant, à Tonsura suscipienda tenentur abstinere ob causas jam frequenter in superioribus repetitas.

Dixi (*juxta qualitatem obligationis peccat mortaliter*) expendenda enim hic est obligatio juxta rationem personæ, causam suscipiendæ Tonsuræ, & alias hujusmodi circumstantias, de quibus in Dubiis supra.

Dixi (*& à Clericatus Privilegiis, &c. tenetur abstinere*) a Privilegiis quidem, quia utens animo a Clericatu a vero Privilegio Fori, exemptionum à gabellis & tributis, injuriam facit justitiæ civili: Si etiam Beneficia illo animo suscipiat, injustè suscipit, & se in alia pericula præcipitat.

Conciliatur opiniones Doctorum. Ex his facilè conciliantur opiniones variorum Doctorum, qui, de Episcopis Tonsuram conferentibus, & Clericatum per Tonsuram suscipientibus loquentes, si quid in ceremoniis ad illam spectantibus omittatur, putant non pervenire ad reatum mortalis peccati: Hoc enim est verum considerata sola ceremonia, & aliqua levi omissione ad Tonsurantem spectante: Si tamen considerentur mala & peccata ac pericula, quæ vel concomitantur, vel sequuntur, clare apparet ea, quæ diximus, esse verissima, & in foro Conscientiæ & Dei examinanda.

APPENDIX.

Hic iterum agendum fuisset de requisitis ad Tonsuram quoad Ætatem, Vitam Honestam & Christianam illam suscipientium, & quoad impedimenta Ecclesiastica, ut Irregularitatem, Bigamiam, Præcedens Conjugium: Verùm sufficientia, quoad hanc materiam, dicta sunt supra q. 4. & de iis sæpe mentio recurret.

QUÆSTIO V.

De diversis Gradibus Clericorum, & an omnes Privilegiis Clericalibus gaudeant?

Repetenda quidem essent omnia, quæ de diversis Gradibus Clericorum à Nobis hujus tomi parte 1. tr. 1. tit. 2. q. 4. tractata sunt, ubi & omnes divisiones omnium ferè Graduum, officiorum, Functionum sub Statu Clericali enarravimus, sed ne inutiliter volumen impleatur, Lectorem remitto ut illa relegat, quamvis in sequentibus partialiter sint resumenda. Modò ad rem præsentem pono aliquas divisiones, quarum membra, etsi ab invicem omnino non discrepent, sed se invicem includant, pro claritate tamen totius doctrinæ distingui debent.

CONCLUSIO I.

Clericorũ varii Gradus. Clericorum (quoad præsentem Quæstionem pertinet) Alii sunt *prima Tonsura tantùm*: Alii sunt *Ordinati*: Alii *Beneficiati*

Clericorum prima Tonsura: Alii sunt *Cœlibes*: Alii *Conjugati*.

Clericorum Ordinatorum: Alii sunt *Minorũ Ordinum*: Alii sunt *Majoribus ordinibus insigniti*.

Beneficiatorum, Alii *Beneficium simplex*, Alii *Canonicatum*, Alii *Curatum, sive curam Animarum habens possident*. De his omnibus suis locis.

CONCLUSIO. II.

4. Privilegia Clericorum. Privilegia Clericorum sunt potissimum 4.

Primum est *Immunitas ab omni externa violentia*, ut habetur c. *Si quis suadente Diabolo*; vocaturque *Privilegium Canonis* contra Percussores Clericorum, vel vim aliquam illis inferentes.

Secundum est: *Privilegium Fori*, ratione cujus à Judice sæculari eximuntur, & coram illo conveniri non possunt, ut habetur c. de Foro Competenti, c. Clerici, & c. cùm non ab homine de Judiciis.

Tertium est *Exemptio à Gabellis Principum sæcularium*.

Quartum: *Capacitas ad Beneficia Ecclesiastica*, dum ad ætatem a Concilio Tridentino sess. 23. c. 6. requisitam perveniunt.

CONCLUSIO III.

Omnes Clerici his Privilegiis gaudent si observent Conditiones à Trid. requisitas. Omnes Clerici à prima Tonsura susceptâ gaudent illis Privilegiis, si observent conditiones a Canonibus, specialiter à Concilio Tridentino supra requisitas: nimirum; ut juxta verba Concilii *aut Beneficium Ecclesiasticum habeant, aut Clericalem Habitum & Tonsuram deferentes, alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviant, vel in seminario Clericorum, aut aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad suscipiendos Majores Ordines versentur*. Ita Concilium.

Notandum verò 1. Quòd quamvis Concilium tantùm loquatur de Privilegio Fori; omnia tamen extendenda sunt ad alia Privilegia proportionaliter.

Notandum 2. Tonsuratum gaudere Privilegio Fori & aliis, si notorie Beneficiatus est, etsi Clericalem Habitum & Tonsuram non gestaret. Ratio est, quia notoriè Beneficiatus, ratione Tituli scitur & noscitur Clericus, & Beneficii Titulo alicujus Ecclesiæ servitio adstrictus: Beneficium enim, cujus veram possessionem quis habet, ex natura sua Beneficiatum adscribit & alligat Ecclesiæ, in qua Beneficium est; & cui servire tenetur.

Dixi (notoriè Beneficiatus) sic enim non sit Notorius sine culpâ Judex sæcularis de illo cognoscit, donec probet se Beneficiatum, & Ecclesiæ alicui inscriptum: Majori ratione privatur exemptionibus Cleri: Etsi Habitum Clericalem & Tonsuram non gestet, impunè contra Privilegium Canonis percutitur.

Notandum 3. Tonsuratum non Beneficiatum, qui non defert Habitum Clericalem & Tonsuram, etsi Ecclesiæ alicui inserviat, non gaudere Privilegio Fori, imò nec Canonis aut aliis. Ratio est: Quia Ecclesia in Concilio Tridentino, in pœnam eorum, qui Habitum & Tonsuram non gestant, loco suprà citato censetur Privilegiis illis renuntiasse, & illos Civili Justitiæ

Justitiæ remisisse. Nec refert, quòd Ecclesiæ deserviat; Multi enim hoc tempore Ecclesiis in variis officiis deserviunt, qui clerici non sunt; & concilium utrumque requirit copulativè, nimirum ut quis Habitum clericalem cum Tonsura deferens alicui ecclesię deserviat.

Unde etiam infertur; Quòd, si quis Habitum Clericalem & Tonsuram deferat; nulli autem de episcopi mandato deserviat, Privilegio Fori non gaudeat, consequenter nec Exemptionibus Principum; Gaudet tamen Privilegio Canonis. Ratio Prioris est: Quia Privilegium Fori & Exemptionum in favorem Ecclesiarum, quibus deserviunt, datum est, & Concilium, ut dictum est, non nisi pro istis acceptat, & pro illis, de quibus statim. Ratio Posterioris est: Quia omnis Clericus pro Clerico agnitus Privilegio Canonis, *Si quis suadente*, gaudet, qui autem parenter Habitum Clericalem & Tonsuram defert, notoriè Clericus est.

Notandum 4. Omnem Clericum, qui habitum & Tonsuram Clericalem portat juxta mentem Concilii, modò de licentia Episcopi vivat in Seminario aut aliqua Schola, aut Universitate studeat, etiàm gaudere privilegio Fori & aliis. Cujus rationem innuit Concilium: Quia etsi ecclesiæ actualiter non serviat; in ordine tamen ad ecclesiæ servitium ibi studet, sive (ut inquit) in illis locis & studiis *quasi in via ad suscipiendos Majores ordines versatur*: In quibus verbis indicatur, & Clericum in Seminariis vel Universitate studentem duntaxat Privilegiis gaudere, ex eo, quòd ad finem promotionis ad ecclesiæ Ministeria ibi studeat & educetur, quòd bene advertendum est.

Trident.

Porrò ex dictis nonnulli scrupuli nascuntur & proponi solent.

Petes itaque 1. An Beneficiatus, ut Privilegio Fori gaudeat, teneatur ad Habitum Clericalē & Tonsuram gestandam: Resp. ex Concilii verbis id non colligi, & ideò standum iis, quæ diximus Notabili 1. videlicet. Non teneri ex isto capite. Aliud posteà insinuabimus.

Quis censeatur ecclesiæ alicui ex mandato episcopi inservire,

Petes 2. Quid intelligatur per hoc quod dicitur *Ecclesiæ alicui ex mandato Episcopi inserviat?* Resp. 1. Requiri in primis servitiū aliquod perseverans, non enim sufficit ut aliquoties servierit, sed debet servitio esse addictus. Non requiritur tamen, ut absque aliqua interpolatione, vel absentia inserviat, sed sufficit ut communiter & ordinarię censeatur inservire. Resp. 2 Per mandatum Episcopi intelligi ipsius ordinationem vel consensum, sive ut de consensu & auctoritate Episcopi dictum servitium procedat. Hic autem consensus non debet esse necessariò explicitus, sed sufficit Interpretativus, ut ubi est consuetudo, quòd tales per Rectorem Ecclesiæ assumantur, vel admittantur. Eodem modo interpretanda est licentia Episcopi pro Seminariis, Scholis, ac Universitatibus.

Quis gestare habitum & Tonsurā.

Petes 3. An requiratur gestatio Habitus & Tonsuræ simul? Idem: An continua gestatio? Resp. Utrumque communiter requiri, ita ut diu non omittatur, quia ex causa necessaria vel congrua aliquo tempore relinquere illa, non privat Privilegio Fori: Ex. gr. Petrus ad aliquot dies iter agens, ut lateat, vel expeditiùs vadat, ratione Itineris Habitum relinquit, & posteà resumit: Item: Habitum quidem gerit, sed causa infirmitatis, Tonsuram gestare vel renovare non convenit, & hujusmodi casus morales ex æquo & bono absque scrupulis debent in favorem interpretari.

QUÆSTIO VI.

Quæ sint obligationes Clericorum?

AGo hìc tantùm de Clericis simplicibus sive primæ Tonsuræ in genere: Quia, de obligationibus cujuslibet Gradus, suis singularibus locis agendum erit.

CONCLUSIO I.

Clericus primæ Tonsuræ ex vi Clericatus ad nil tenetur simpliciter.

Clericus 1. Tonsuræ ad nil simpliciter tenetur.

Ratio est: quia Clericatui potest renunciare, & ab omni exercitio Clericatus, omnibusque Privilegiis & prætensionibus ex Clericatu provenientibus abstinere: Ergo ad nil simpliciter tenetur. Unde omnia Præcepta, quæ in sacris Canonibus leguntur data Clericis, intelligi debent de iis, qui Clericalem Statum in Prærogativis, Privilegiis & exemptionibus profiteri volunt.

CONCLUSIO II.

Posito quòd Clericus primæ Tonsuræ, sicut alius quivis Clericus, Privilegiis, exemptionibus Prærogativis gaudere velit, tenetur Habitum Clericalem & Tonsuram gestare, & vitam clericalem & honestam ducere.

Si Clericorū Privilegiis gaudere velit, tenetur gestare habitū & Tonsurā, vitamq́; Clericalē ducere.

Ratio sumenda est ex natura rei; Qui enim aliquem statum assumit, secundùm illum necessariò vivere debet, & juxta ea, quæ in statu isto viventibus Legibus demandata sunt: Quæ quidem ad tria potissimùm capita reducuntur. Nimirum 1. Ad pietatem, ac Dei cultum, & abstractionem a sæcularibus curis & sollicitudinibus: *Nemo* enim (teste Apostolo 2. Ad Tim. 2. *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus.* 2. Ad moderationem usus & acquisitionis rerum temporalium. 3. Ad temperantiam & modestiam in vestimentis, frugalitatem in victu, &c. Quæ omnia in canonibus obvia sunt. Legatur totus Titulus de Vitâ & Honestate Clericorum, qui est 1. lib. 3. Decretalium, & Idem Titulus l. 3. in 6. & alios Titulos habes: De Clericis Peregrinis l. 1. Tit. 22. De Clericis Peregrinantibus l. 2. Tit. 29. de Clericis Conjugatis l. 3. Tit. 3. De Clericis non residentibus ibid. Tit. 4. De Clericis Pugnantibus in Duello l. 5. Tit. 14. De Clerico Venatore ibid. Tit. 24. De Clerico percussore ibid Tit. 25. & alii in eodem libro Tituli huc pertinent. De quibus hoc loco non ago; quia suis locis omnia recurrent.

2. Tim. 2. 4.

Lege jus à hic citata.

Petes

Petes : An Praecepta in Canonibus & Decretis Clericis imposita obligent ad mortale?

8\. *Praecepta Clericis ratione Clericatus jure humano imposita sunt merè pœnalia. Sixtus V. in Bullâ Pastoralis*

Resp. 1. Quæ Clericis ratione Clericatus simpliciter jure positivo humano imposita sunt, præcisa sui ratione non obligant ad mortale; sed merè pœnalia sunt. Id potest colligi ex modo loquendi Legum. Explico: Gestatio Habitus Clericalis & Tonsuræ imponitur sub pœna Privationis Privilegiorum Fori, Canonis, Exemptionum, Immunitatum, Inhabilitatis ad Beneficia &c. juxta Bullam Sixti V. quæ incipit: *Pastoralis*, quæ in Bullario Angeli Cherubini est 96. Unde clericus Mercaturam, artem Iocularotiam, Tabernariam, Macellanam &c. exercens privatur Privilegio Fori, & conveniri potest coram Judice sæculari c. 1. De Vita & honestate clericorum. Et sic de similibus. Quæ omnia cum pœnas dumtaxat juris annexa habeant, non videntur mortale peccatum inducere.

C. 1. de Vita & Honest. clericorum.

Dixi (quæ ratione clericatus simpliciter jure humano positivo sit imposita) multa enim Præcepta sunt juris Divini naturalis vel positivi, imò & juris humani, quæ non ratione clericatus simpliciter, sed ratione Christianæ obligationis, Sacramenti, justitiæ, temperantiæ, scandali clericis imponuntur.

Resp. itaque 2. Præcepta clericis imposita, quæ culpam contra Legem Divinam vel humanam obligantem ad peccatum mortale includunt, etsi Pœnis gravioribus in clericos latis conjuncta sint, à culpa non excusant: imò multò gravius clericum obligant. Unde graviora sunt in clericis Peccata intemperantiæ gravis, ebrietatis, avaritiæ, lubricitatis, excessus in luxu vestimentorum, cohabitatione scandalosa vel periculosa mulierum & similia, quæ scandalum generant: Item ea, quæ contingunt susceptionem vel ministrationem sacramentorum, Divina officia, &c. Contra illa etsi pœnis procedatur, Præcepta tamen illa non sunt mere pœnalia, quia gravissimas culpas includunt, & majoris indecentiæ vel scandali segetem subministrant. De his singulariter suis locis, cùm de particularibus Gradibus & officiis agemus.

Casus in quibus judex sæcularis de Clerico judicat.

Quæ autem spectant ad Pœnas, aut censuras, in superioribus, cùm de censuris egimus, tacta sunt, aut commodiori loco ponentur. Nolo verò prætermittere casus, in quibus coram Judice sæculari clerici conveniri possunt, & à Judice sæculari puniri; sunt autem sequentes.

1\. Si clericus sit Assasinus: cap. 1. de Homicidio, 2. Si procuraverit abortum: Sixtus V. in Bulla quæ incipit: *Effrenatam.* 3. Si Sodomita: Leo X. in Bulla quæ incipit: *Suprema*, & Pius V. in Bulla quæ incipit: *Horrendam.* 4. Clericus infeudatus à principe sæculari, in ratione feudi convenitur: Eadem ratio, ubi titulus causæ est sæcularis. 5. Si incorrigibilis: c. *Cùm ab homine* de Judiciis. 6. In casu reconventionis. 7. In causa mercaturæ vel exercitii artis tabernariæ per annum: c. 1. de Vita & Honestate Clericorum. 8. Si Schismaticus. 9. In defectu Potestatis ecclesiasticæ: c. *Principes saeculi* 23. qu. 5. Hos casus recenset Marchinus tract. 2. de ordinibus p. 1. diffic. 12. Et alii alios referunt. Et hæc de Clericis primæ Tonsuræ in genere sint dicta.

C. principes sæculi. Marchin.

TITULUS II.

De Clerici Ordinatis Minoribus Ordinibus.

PRÆAMBULUM.

De Sacramenti Ordinis Natura & Qualitatibus.

Hic, ne multa ex Theologis cogamur repetere, vel universæ Theologiæ doctrinam amplo nimis circuitu tractare, pauca substantialia summatim pono ulterioris indaginis fundamenta, ne Lector cogatur librorum multorum relectione inutiliter distrahi. Pono igitur pro Præambulo sequentes Paragraphos, antequam præsuppositam materiam me accingam.

§ 1.

De Natura & Definitione Sacramenti Ordinis.

Sacramenti ordinis descriptio

Ordo est Sacramentum novæ Legis irreiterabile, quo potestas spiritualis homini capaci confertur circa Corporis Christi veri Sacrificium & Sacramentum, & Corporis ejus mystici spirituale regimen ac ministerium.

Dixi (*Sacramentum novæ Legis*) ut intelligatur esse invisibilis gratiæ signum visibile à Christo institutum, non autem ceremonia vacua & humana ab Ecclesia instituta: Unde sicut alia sacramenta confert disposito duplicem gratiam: Alteram habitualem, quæ in gratiæ justificantis augmento consistit: Alteram actualem, quæ in auxilio speciali, & dono Dei, efficaci promissione oportunè Ordinatò datur, ad munia sua exercenda.

Dixi (*irreiterabile*) propter Characterem, qui, ut potestatis data indelebile signaculum, animæ imprimitur, ut etiam in Baptismo & Confirmatione, etsi alterius sit rationis.

Dixi (*quo potestas spiritualis confertur*) potestas enim ordinati, etsi corporaliter ut plurimum exerceatur, effectum tamen spiritualem habet, & ad finem spiritualem dirigitur.

Dixi (*homini capaci*) ut excludatur femina illius sacramenti incapax, vel hermaphroditus prævalente sexu femineo. Incapacem etiam aliqui infantem dicunt defectu intentionis suscipiendi sacramentum: de qua incapacitate infrà Tit. 3. q. 4. dub. 1. Addunt contradictoriè & positive involuntarium, seu positivè susceptioni Ordinis contradicentem: sed tales non tam incapaces dijudicandi sunt, quàm impediti, aut obicem ponentes: An verò illis Character ordinis imprimatur, specula-

culativæ & scholasticæ Disputationi ibidem discutiendum relinquo.

Dixi (*circa Corporis Christi veri Sacrificium & Sacramentum*) ad hoc enim Sacrificium & Sacramentum (sub quo comprehendo sanguinē) primariæ Ordinati actiones diriguntur, & velut primariò sive remotè sive propinque illius ministerio vacant, ut in procinctu hujus tituli videbitur.

Dixi (*& Corporis ejus mystici spirituale regimen vel ministerium*) etsi enim hic respectus ordinarie in diffinitionibus Ordinis à Theologis non exprimatur; mihi tamen visum est utilius exprimere, quia nullus est ordo, in quo hujusmodi ministerii vel potestas non interveniat: Ostiarius utq; hac potestate & ministerio homines in ecclesiam aut introumittit aut excludit: Hac potestate & ministerio Lector sacram lectionem fidelibus insinuat: Hac Exorcista Energumenos liberat: Hac Acolythus Subdiaconum adjuvat &c.

§. 2.

De numero Ordinum, & eorum Gradibus & Antiquitate.

Septem Ordines Ecclesia ab antiquo numeravit.

ORdines septem Ecclesia sancta ab antiquissimis temporibus numeravit; de quibus & de quorem numero, etsi non eodem modo Concilia & antiqui Patres semper locuti fuerint, eos tamen suis circumlocutionibus amplexatos fuisse enumerandos ordines septem prudenti Lectori dubium esse non potest.

Adnoto illos nominatim ex Cajo Papa & Martyre ad Felicem. ubi suis nominibus septem ordines sic enumerat, statuens, ut nonnisi his Gradibus ad Episcopatum ascendatur, *& qui Episcopus fieri meretur fiat Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, demum Episcopus ordinetur.*

Cajus Papa.

Eosdem apud Eusebium l. 6. Hist. eccl. c. 35. enumerat Cornelius Papa; Ubi contra Novatum Cleri ministeria sacra, quæ in Romana fulgebant ecclesia, scribens ad Fabium Antiochenū sic refert: *Iste ergo, qui Ecclesiam vindicabit, nesciebat in Ecclesia unum Episcopum esse debere, ubi videbat esse Presbyteros 46. Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acolythos 42. Exorcistas & Lectores cum Ostiariis 52.* His consonat Concilium Trid. sess. 23. de Sacramento Ordinis c. 2. ubi cum docuisset non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacras literas apertam mentionem facere, & quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt gravissimis verbis docere, subdit: *Ab ipso Ecclesiæ initio, sequentium Ordinum nomina, atq; uniuscujusq; eorum propria ministeria Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcistæ, Lectoris & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis nō pari Gradu. Nam Subdiaconatus ad Majores Ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissimè legimus.*

Cornelius Papa.

Ut verò quis fundatam habeat doctrinam horum Ordinum, & intelligere possit Patres & Concilia de illis variè loquentes, ac hæreticorum evitare calumnias, antequam de singulis agam pono sequentes Propositiones.

PROPOSITIO I.

Septem Ordines agnoscit ecclesia.

ECclesia S. Catholica agnoscit communiter septem Ordines, quibus ad Episcopatum supremū in Ecclesia S. Ordinationis Gradum & apicem ascenditur, sub his nominibus; nimirum: Ostiarii, Lectoris. Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi Presbyteri.* De Episcopatu an sit singularis Ordo à Presbyterio distinctus, vel idem cum illo, solo Gradu & Dignitate differens, dicemus infra cùm de Episcopatu dicemus. Propositiō verò patet ex supradictis.

PROPOSITIO II.

Ex his 4. minores 3. majores

HOs Ordines diviserunt Patres in Minores & Majores sive Sacros. Et ad Minores quidē ordinatos dixerunt Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos; tum quia à fine principali, qui est consecratio Corporis & Sanguinis Christi, remotiores sunt, & tantùm velut quædam præviæ dispositiones ad Altare & Vasa sacra; tùm quia à plurimis inter Sacramentalia tantum recepta sunt velut præambula ministeria, quæ omninò sacram actionem non contingunt, sed ab aliis etiam laicis absq. alia ordinatione usurpari possunt, ut pōstea videbitur.

Vocantur autem Ordines Majores speciali nomine *Sacri*: Quia personæ per illos sub perpetua continentia, aut etiam impositione manuum Deo in perpetuum consecrantur. Et sunt Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, ut etiam suō locō expendemus.

PROPOSITIO III.

De his Scriptura clare locuta est.

DE Diaconis & Presbyteris, ac Episcopis, eorumq; Ordinatione Scriptura sancta clarè locuta sunt.*

1 Tit. 1. 5.

De Presbyteris quidem ad Tit. 1. *Constitue per civitates Presbyteros.* 1 ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Jacobi 5. *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ & orent super eum* Et alia vide Actor. 14. & 15. nec non 1 ad Timoth. 5. de *Episcopis.*

De Diaconis & eorum Ordinatione ac moribus 1 ad Timoth. 3. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium Fidei in conscientia pura.* Et ad Philip. 1. *Paulus & Timotheus servi Jesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis.* Phil. 1. 1.

PRO-

PROPOSITIO IV.

Alios ex variis eorum ministeriis sub indicavit 1Cor. 12. 28.

Etsi Scriptura aperte de aliis Ordinibus, proprio nomine expressis, non sint locuta; ex variis tamen eorum ministeriis illos subindicarunt. 1. ad Corinth. 12. *Quosdam* (ait Paulus) *posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur?* In quibus etsi de gratiis gratis datis loquatur: Quia tamen porisſimùm qui gratiis illis pollebant, tamquam à Deo positi & demonstrati, ad ministeria principalia Ecclesiæ Dei, quæ sunt Ordinum, assumebantur, ipsa ordinum ministeria per ea insinuari, tamquam ad Ecclesiæ utilitatem à Deo posita, nil vetat, imò probabilissimum est, eò maximè quod isti ibidem dicantur constituere Corpus Christi & membra de membro. Nec ab his discrepat S. Ambrosius Comment. in c. 4. ad Ephesios ad illud: *Et dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, &c.* Ubi per Apostolos Episcopos; per Prophetas Explanatores Scripturarum (sub quibus Sacerdotes) per Evangelistas Diaconos; per Magistros Exorcistas intelligit; Sed ad priorem locum ad Corinthios redeamus: Quis inficias ibit, quin per Apostolos Episcopi, super quibus Ecclesiæ fundamenta consurgunt; per Prophetas Presbyteri, qui arcanorum fidei mysteriorum, Corporis & Sanguinis Christi Custodes & Enarratores, conscientiarum peculatores & Judices sunt; per Doctores Diaconi, quorum officium est Evangelizare; per Virtutes Subdiaconi, quorum est Diaconis in sacris Altaribus assistere; per Gratias Curationum habentes Exorcistæ; Per Opitulationes Acolythi; per genera linguarum & interpretationes sermonum Lectores legendis Propheris & sacris Scripturis coram populo mancipati; per Gubernationes Ostiarii, quibus gubernatio ædium sacrarum & sacræ supellectilis commissa est, intelligi possint. Eodem sane modò illis applicari possent gratiæ gratis datæ, quæ eodem loco ad Corinthios 12. prius referuntur, nimirum sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, &c. quæ relinquo speculationi cujuslibet: Adsero verò illa, non ut ex iis probem simpliciter ordines septem, sed ut ostendam ex variis illis Spiritus sancti operationibus, quibus aliqui in Ecclesia primitiva patenter donabantur, Ecclesiam meritò ministeriis iis correspondentibus ornatam à principio fuisse, imò ex illis capaces ad ministeria Ministros Deo sic demonstrante sibi delegisse: Quinimò & illis ministeriis à Christo ad ædificationem Corporis sui mystici ecclesiam ornatam & instructa fuisse: Ita ut illa loca ita gratias varias Spiritus exprimerent ad ædificationem Ecclesiæ necessarias, ut eadem ratione ministeria Ordinum illis proportionata, ecclesiæ necessaria demonstrarent.

Eph. 4. 11.

S. Ambr.

1Cor. 12. 8

PROPOSITIO V.

Cur Patres interdum plures interdum pauciores recensuerint.

Patres antiqui circumlocutionibus ordines illos insinuarunt: interdum plures recensuerunt: interdum aliquos ex illis omiserunt: interdum pauciorum mentionem fecerunt. Omnium verò rationes ad eorum intelligentiam hic subnecto.

S. Dionys.

1. Circumlocutionibus eos indicarunt: Ita Dionysius c. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ p. 2. ubi sic ministeria Ordinum circumscribit: *Ministrorum verò alii stant pro templi foribus, quæ occlusæ sunt; alii autem quæ sunt Ordinis proprii agunt, in administratorio verò Ordine præcipui una cum Sacerdotibus in Divino Altari proponunt panem & benedictionis poculū.* In his sane verbis primo explicantur Ostiarii pro foribus stantes, Lectores, Exorcistæ & Acolythi agentes remotius quæ sunt Ordinis sui, Subdiaconi & Diaconi una cum Sacerdotibus in Divino Altari panem & benedictionis poculum proponentes: Qui etiam dicuntur super alios in administratorio Ordine præcipui.

S. Ignat.

2. Interdum plures recensuerunt. Unde Ignatius Epistola 12. ad Antiochenos: *Saluto* (ait) *sanctorum Presbyterorum Collegium, saluto sacros Diaconos, &c. Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores, saluto Custodes sacrorum vestibulorum, &c.* Rationem autem hujus multiplicationis aliam dare non possumus, nisi quia officia & munia aliqua cum Ordinibus confundebantur, quia enim Clerici pluribus ministeriis deputabantur, quæ etiam ad ipsos Ordines non pertinebant, ad Ecclesiastica tamen munia spectabant, Ordinari Minoribus, vel clericali Tonsura insigniri ab Ecclesiarum Rectoribus in illis occupabantur, vel illi ex charitate se occupabant: Hinc Laborantes ponuntur, qui piis laboribus pro Ecclesia se dedicabant: Hinc & Confessores in gradu singulari recensentur, quia qui coram Tyrannis pro Fide & Ecclesia publicè steterant, cujuscumque tandem Ordinis essent, in singulari Gradu honoris habebantur, etsi specialem Ordinem non obtinerent. Unde & alibi invenies Custodes Martyrum: Nec rarò Psalmista & Cantor recensentur, quia quidam peritiores ad ea munia ex Ordinatis assumebantur ex Presbyteris: Unde est illud c. *Psalmista* 23. d. 23. *Psalmista* (ait) *& Cantor potest absque scientia Episcopi Officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide quod ore cantes, corde credas & quod corde credis operibus comprobes.* Ex quo apparet Cantoris & Psalmistæ nomina esse nomina Officii non Ordinis. Idem dicendum de Officiis Fossariorum, qui mortuos sepeliebant; Notariorum, qui res gestas Martyrum adnotabant: Defensorum, qui in causis pauperum, & pusillorum advoca-

c. Psalmi.

advocabant. Quae Officia cùm singularis pietatis essent à Clericis etiam Ordinatis assumebantur, non tamen Ordines erant, sed quia ordinatis ea officia ut plurimum competebant, inter ordines interdum à Patribus & Conciliis referuntur.

3. Quòd si Patres interdum ex ordinibus aliquos omittunt, interdum pauciorum mentionem faciunt, id attribuendum est rei, de qua loquuntur, vel circumstantiis temporum & locorum. Certum est enim illos ordines variè pro ecclesiae necessitate vel utilitate, vel pro temporum varietate fuisse collatos & susceptos: aliter enim in Ecclesiae pace, aliter persecutionis tempore, aliter in paucitate Clericorum, aliter in multitudine oportuit de illis disponere: Et quamvis omnes ordines Minores cuilibet ordinato conferrentur, quia tamen aliquorum ordinum duntaxat exercitium pro tempore necessarium aut utile erat ecclesiae, illorum tantùm ordinum Patres nomina retulerunt, quorum Ministeria exercebantur. Unde & modò fere in exercitio communi in Ecclesia, extra tempora ordinationis, subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum tantùm fit mentio, nisi fortè rarò Lectoris vel Acolythorum, non autem ostiariorum vel Exorcistarum: Quia nullum jam exercitium illorum ordinum, ut olim, à solis exorcistis &c. habetur: Et Exorcistarum officium soli Presbyteri exercent: Unde S. Ambr. bene S. Ambrof. l. 1 de officiis c. 44. *Quia (inquit) alius distinguendae lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu sollicitior, alius sacrario opportunior habetur. Haec omnia spectet sacerdos, & quod cuique congruit, id officii deputet.* Haec ibi; ubi magis officia attendisse, quam ordines ipsos constat.

§. 3.

An septem Ordines sint vera Sacramenta?

De Diaconatu & Presbyterio hactenus dubitatum non est; cùm omnia requisita ad verum Sacramentum probentur habere ex Scripturis suprà allatis. De subdiaconatu nonnulli dubitarunt, ab eo tamen tempore, quo inter sacros ordines & Majores annumeratus est, & Voto Continentiae obligatus, inter Catholicos cessavit illa Quaestio.

De quatuor Minoribus adhuc lis & controversia durat, cùm plurimi ad Sacramentalia eos referant & ecclesiae institutionem, nec aliquid hucusque diffinitum fuerit ab Ecclesia. Ut meam mentem aperiam pono duas Propositiones.

PROPOSITIO I.

Ordines Minores ad Sacramentum Ordinis spectant.

Ollatur Ordines Minores ad Sacramentum ordinis spectant, & cum Sacramento Ordinis connumerantur. Haec Conclusio ex communi sensu ecclesiae & Doctorum clara est: Quia enim, ut in Diffinitione dictum est, Potestatem aliquam & Ministerium quamvis remotum dicunt in ordine ad eucharistiae Sacramentum & Sacrificium, & ordinibus Majoribus deserviunt, inter ordines Ministrantium Christo Salomoni Regi Pacifico, quos admirata est Regina Saba, meritò computantur. Et hanc rationem clarissime indicat, & in illa fundatur Concilium Tridentinum sess. 23. c. 2. dum causam multiplicationis Ordinum Minorum assignat, ut nimirum *Tam Sancti sacerdotii Ministerium dignius & majori cum veneratione exerceri posset, &c.* 3. Reg. 10 Trid.

PROPOSITIO II.

Probabilius est Sacramenta Cc. Flor.

Probabilius est quatuor Minores ordines esse vera Sacramenta. Aliam rationem non habeo, nisi quia Florentinum Concilium in Instructione Armenorum ita supponere videtur, dum materiam & formam cuilibet assignat: cui consonat Tridentinum sess. 23. c. 2. omnes ordines simul enumerans, & ordinem simpliciter c. 3. Sacramentum verum esse affirmans: Unde & canone 2. dicit. *Si quis dixerit, praeter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & Majores & Minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tenditur, anathema sit:* Ubi tamen notandum est, quòd etsi definiat esse ordines quibus ad Sacerdotium ascenditur, numquam tamen absolutè definivit esse vera sacramenta cùm possint esse Sacramentalia: Quia tamen absolute sub eodem termino de illis loquitur, sensum communem Ecclesiae inferre possumus, ut etiam Sacramenta subordinatè ad sacerdotium reputentur. Relinquo tamen suum pondus sententiae aliorum, qui usque ad haec tempora aliter senserunt. Malo ego ecclesiae universalis sensum amplecti. Si quae amplius dicenda occurrunt, dum de singulis agetur, illa in medium producemus. Trident.

Dices: Si sint vera Sacramenta, ex opere operato gratiam conferent, & consequenter Lector legens Epistolam, vel Acolythus ministrans ampullas ad Sacrificium in peccato mortali, mortaliter peccabit: eâ ratione quòd gratiam in Sacramento datam ad Ministerium resuscitare debeat. Resp. Dissimulatâ ratione quae additur, negando consequentiam. Ratio est: Quia cùm non Ordinati possint etiam eadem Ministeria exequi, quae Ordinati Minoribus faciunt, nullatenus simpliciter ministrans & exercens illorum ordinum Officia in peccato mortali dici potest peccato mortali obnoxius, cùm diverso titulo ministrare possit, & actionem, quae etiam à laicis communiter exercetur, exerceat. An verò ratio illa de resuscitatione gratiae in ordinatione acceptae ad actus Ministerii, concludat aliquid de peccato mortali vel veniali, dicemus, cùm de Subdiaconi & Diaconi obligationibus agemus. Nota.

Aliud dicendum esset de suscipiente Minores ordines in peccato mortali; supposito quod

quòd sint Sacramenta vera conferentia gratiam; tunc enim conferent obicem gratiæ ponere, &, ut de suscipientibus alia Sacramenta dictum est, consequenter peccare mortaliter asserendum esset: Quia tamen, ut dixi, Quæstio illa, an sint vera Sacramenta, necdum ab ecclesia diffinita est, etiam quod consequitur sub opinione remanet. Hoc Præambulo sic posito pro doctrina generali, descendo in speciali ad ordines Minores.

QVÆSTIO I.

Quid Ostiarius, vel Ostiariatus, & quæ ejus Munia?

CONCLUSIO I.

Ostiariatus Descriptio. Ostiariatus sic describi potest: *Ordo, per quem potestas Clerico datur, dignos in Ecclesiam admittendi, indignos arcendi, sacras ædes & supellectilem conservandi*: His fere particulis ostiarii officia comprehenduntur, quæ sunt tria potissimùm, sub quibus alia subintelliguntur. Vide c. *Perlectis* 25. & c. 1. 21. dist. in fine. *c. Perlect.* Unde Isidorus Ethimologiarum l. 7. c. 12. *Ostiarii id est Ianitores in veteri Testamento electi sunt ad custodiam Templi, ut non ingrederetur immundus ab omni re. Dicti sunt ostiarii, eò quod præsunt ostiis templi. Ipsi enim tenentes claves omnia intus extraq; custodiunt, atque inter bonos & malos habentes judicium, fideles recipiunt, respuunt infideles.* *Isidorus.* Vide Magistrum in 4. Sent. dist. 24. Ubi & actum ostiariatus Christo attribuit, dum flagello de funiculis facto vendentes & ementes è templo ejecit. *Magister*

1. Officiū. Dignos in ecclesiam admittere. Primum itaque officium ostiariorum fuit: *Dignos in sacras ædes advocare & admittere*: hac enim ratione claves eis dabantur, ut dignos introducerent: hac ratione initio nascentis Ecclesiæ ad sacras Synaxes Catholicos convocabant: Hac ratione vel tintinnabulum illis datur, vel ad campanam in ordinatione sua deducuntur; ut sciant sui Muneris esse signo campanæ vel alio ad Missas, conciones & Divina officia populum convocare. Dignitas porro intrantium ab ostiariis debebat æstimari. Unde Clerici & Sacerdotes ad chorum & sanctuarium, cæteri ad communem locum fidelium admittebantur; Quinimò & feminæ à viris segregabantur; &, ut habet Laodicenum Concilium can. 44. mulieres ad altaria vel circa accedere ab ostiariis non permittebatur. *Côc. Laodicenum.* Tantaque in ostiariis diligentia requirebatur, ut in eodem Concilio can. 43. prohiberentur ostiarii; etiam causa vacandi orationi, ab ostiis abesse. *Cornelius Papa.* Et hoc fuit causa, quòd tot ostiarii in Ecclesia Romana ponerentur; ut ostenditur superiùs ex Epistola Cornelii ad Fabium: Et in Ecclesia Constantinopolitana tres fuisse ostiarios refert Ioannes Cypri Episcopus in Responsis ad Capasilam ad 8. Interrogationem. *Ioan. Cypri episcopus.* Ita juxta necessitatem majoribus Ecclesiis plures, minoribus pauciores ostiarii præfigebantur.

Magnum sanè decorem haberet domus Dei, si plures ostiarii ipsi præficerentur, & per illos cuilibet suus locus & ordo assignaretur, ut olim in lib. 1. Paralip. c. 23. scribitur, quòd omnes filii Levi à viginti annis & suprà supputarentur, essentque *sub manu filiorum Aaron, in cultum domus Domini in vestibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in sanctuario*; ut nimirum omnibus invigilarent. *1. Paral. 23. 27. 28.* Unde 2. Paralip 35. dicitur, quòd in magno illo Phase, quod solemnissimum celebravit Rex Iosias *Janitores per portas singulas observabant, ita ut nec punctò quidem discederent a ministerio: Quamobrem & fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibos.* *2. Paral. 35. 15.*

2. Indignos arcere Secundum officium ostiariorum erat *Indignos arcere*: Indigni autem censebantur, 1. Infideles sive ethnici, qui nec permittebantur sacra conspicere. 2. Hæretici. 3. Excommunicati seu interdicti. 4. Publici peccatores, vel etiam publicam pœnitentiam agentes, qui in vestibulo ecclesiæ tempore pœnitentiæ remanebant. 5. Catechumeni, qui tamen admittebantur tota Missa, quam Catechumenorum vocant, scilicet usque ad offertorium.

3. Sacras ædes & supellectilem cõservare. Tertium officium ostiariorum erat *Sacras ædes & supellectilem conservare*. 1. In munditie & reverentia: Eorum enim erat curare ut Ecclesiæ verrerentur, ornamenta Ecclesiæ munda servarentur, & ministris juxta cujuslibet ministerium integra & ornata custodirentur. 2. A tineis, furibus & profanis usibus conservarentur: Unde interdum sacrarii Custodes, vel Thesaurarii nuncupantur: sub se verò habebant Adjutores; quos Laborantes Antiqui vocabant. Porrò eadem ratione quia supellectilem ecclesiæ, etiam deposita sacra debebant custodire & conservare. Vide Alcuinum lib. de divinis officiis cap. 23. *Alcuinus*

CONCLUSIO II.

Ejus materia & Forma. pontifical. Rom. Materia remota ordinationis ostiariorum sunt *Claves*: Proxima *earum Traditio*, Forma: *Sic age quasi Deo redditurus rationem pro his rebus*. Vide Pontificale Romanum. Quòd verò ad ostia aperienda & claudenda, & ad campanam pulsandam ducuntur, symbolum est eorum quæ ad officium, ut dixi, spectant, & ad ceremonias accidentales potiùs pertinet, quam ad primariam Materiam vel Formam.

ADNOTATIO.

Magna decessit ab ecclesiis reverentia à tempore, quo officia hujus ordinis per personas Deo dicatas non exercentur: Hinc tot irreverentiæ, confusiones, fabulæ, colloquia intollerabilia in ecclesiis: quæ ob defectum personarum vigilantium factæ sunt fabularum, ludorum & schenarum, nec dicam impu-

impudicitiarum apud Aulicos modernos theatra magis, quam fidelium oratoria. Vide Bullam Pii V. quae incipit; *Cum primum Apostolatus.* Pro quibus rationem redditurī fuit, qui istis, deficientibus modò ostiariis Deo dicatis, invigilare ex conscientia deberent. Major fuit ethnicorum in suis delubris vigilantia, qui ad ingressum suorum Pseudo-Sacerdotum impios & profanos à delubris suis arcebant.

Bulla Pii V. Cū primum.

QUÆSTIO II.

Quid Lectoratus? & de Lectoris ordinatione & officio.

CONCLUSIO.

Lectoratus descriptio.

Lectoratus est ordo, in cujus Collatione Potestas spiritualis ordinatè tribuitur ad legendum populo publicè vetus & novum Testamentum. Conclusionem clarè demonstrant tam Materia, quàm Forma, quae in Pontificali Romano ex Antiquis Patribus & conciliis referuntur. Et quidem Materia proxima est Traditio Codicis, in quo Lectiones utriusque Scripturae continentur: Forma autem: *Accipite & estote verbi Dei Relatores, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis, partem cum iis, qui verbum Dei benè ministraverunt ab initio.*

Materia.

Forma.

1. Officiū clara voce legere in ecclesia lectiones ex scriptura.

Porrò hinc primarium officium Lectoris colligitur fuisse *publicè coram populo clara, distincta, & intelligibili voce Lectiones ex sacra Scriptura sive veteris, sive novi Testamenti in Ecclesia legere:* quod fiebat, 1. In Psalmodia tempore officii Nocturni: 2. Tempore Missae, ubi Prophetiae leguntur. 3. Antequam Episcopus vel alius Sacerdos proponeret verbum Dei: Unde & Lector ab Antiquis vocatur est: *Praeco & Expositor Mysteriorum Christi, Doctor audientium:* Ut habetur in vita Cypriani & Justinae apud Lipomanum & Surium: Aliquando *Simplex Papa.*

Quod inter solemnia Missarum ante Praedicationem Lector textum Scripturae, de qua praedicaturus esset Episcopus vel Concionator, legeret, constat ex variis locis *S. Augustini*: Inprimis Serm. 2. de S. Stephano volens de ipsius Passione sermonem facere: *Hanc* (inquit) *modò de Libro Actuum Apostolorum cùm legeretur non solum audivimus, sed etiam oculis spectavimus.* Tanta enim energia Lector illam legebat, & tam attente, ut viderentur Auditores non solùm audire, sed etiam oculis conspicere. In quo notatur, & solertia Lectoris, & devotio Auditorum. Videri etiam potest locus Serm. 8. de verbis Domini: Ubi Augustinus volens explicare populo energiam verbi *Confiteor* Matth. 11. ubi Christus dicit: *Confiteor tibi Pater &c.* reprehendit populum, quòd verbum *Confiteor* ad pronuntiationem Lectoris intellexisset de Confessione peccatorum: *Mox (inquit) ut hoc verbum*

S. August

Mat. 11. 25

sonuit vox Lectoris, secutus est etiam sonus tunsionis pectoris vestri, audito scilicet quod Dominus ait, Confiteor tibi Pater, *pectora tutudistis &c.* ubi apparet Lectorem legisse Evangelium, antequam Episcopus praedicaret.

Modum verò vocis servandum à Lectore optime praescribit Isidorus l. 2. de officiis Ecclesiasticis: *Porro* (inquit) *Lectoris vox simplex erit & clara, ad omne pronuntiationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem & subrusticum effugiens sonum, non humilis, non adeo sublimis, non fracta, nec sonora, nihilque femineum sonans, neque cum motu corporis, sed tantum cum gravitatis specie* Haec ibi: Legenda est etiam Adhortatio, quam facit ante Lectorem ordinandum Episcopus in Pontificali Romano.

Isidorus.

Addunt hic alii etiam ad officium Lectoris pertinuisse, interdum Mysteria Lectionum populo enucleare, unde & ab aliquibus Prophetiae donum & scientiae eis tribuebatur: Quod etiam insinuare videtur Exhortatio Episcopi in Pontificali, ubi dicit: *Lectorem oportet legere ea, quae praedicat.* Verùm hic Praedicationis nomen non accipitur pro Concione, sed pro clara recitatione, quae velut quaedam annuntiatio verbi Dei erat. Quòd verò dicat *Lectorem oportere legere quae praedicat*, nihil est aliud, quàm praelegere, seu praevidere in privato, quod in publico pronuntiandum erat: Unde subjungit: *Studeat verba Dei* videlicet Lectiones sacras, *distinctè & aptè ad intelligentiam & aedificationem fidelium absque mendacio falsitatis proferre &c.*

Pōtificale Rom.

Alterum officium Lectoris fuit: *Catechumenos ante Baptismum de Fidei Mysteriis imbuere in privato*: De quo Catechismus Romanus num. 11. de Sacramento ordinis.

2. Catechumenos ante Baptismum privatim instruere

Quòd verò in Pontificali Romano in Exhortatione saepe citata dicatur: *Lectorem debere panes & novos fructus benedicere*: Hoc potuisse & posse fateri debemus; tamen usus, si quis fuerit, exolevit.

Lectoris sanè officium in Ecclesia semper celeberrimum fuisse tota Antiquitas testatur, ita ut ab illo ordine viri praestantes inciperent, & diu in illo exercerentur, & ad majora probarentur, quinimò & maximi & praestantissimi viri ad maxima idonei in Lectoratu primùm multo tempore deservierant. Praeclara & digna lectu est Epistola Cypriani 33. ad Clerum & plebem de Aurelii ordinatione, qui bis in agone Martyrii certaverat, qui ecclesiae toti conspicuus erat, & *quamvis mereretur* (inquit Cyprianus) *Clericae Ordinationis ulterioris gradus & incrementa majora &c. Placuit, ut ab officio Lectoris inciperet, quia nihil magis congruit voci, quae Dominum gloriosa praedicatione confessa est, quam celebrandis divinis Lectionibus personare: post verba sublimia quae Christi Martyrium prolocuta sunt, Evangelium Christi legere, unde Martyres fiunt: ad pulpitum post catastam venire: illic fuisse conspicuum Gentilium multitudini, hic à fratribus conspici: illic auditum esse cum miraculo*

Lectoris officium celeberrimum.

Cyprian.

tuis circumstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. Hæc ibi, quæ prosequuntur late, & quibus officium Lectoris maxime commendat: Legi etiam potest Epist. 34. de Celerino Lectore.

Cælebre etiam est illud S. Matthæi de Lectoris Officio apud Clementem Papam l. 3. Constit. c. 22. *Ego* (inquit) *Matthæus Levi, qui antea publicanus fui, contestor, ut Lectorem eligas, cui manum imponas, & preces adhibens dicas: Deus æterne multus in misericordia & miserationibus, qui mundi fabricam per ea quæ fiunt patefecisti, & qui numerum Lectorum conservas, & ipse nunc respice hunc famulum tuum, cui Scriptura sacra ad legendum eas populo tuo, committitur: Da ei Spiritum sanctum propheticum qui Esdram famulum sapientem fecisti, ad recitandas leges populo tuo: Et nunc obsecratus a nobis, trade servo tuo sapientiam & da ei, ut munus sibi injunctum recte perficiendo dignior appareat majori gradu: Per Christum Dominum nostrum.*

Clē. Papa.

Hoc officium in templo Judæorum fuisse testantur, quæ à Luca c. 4. narrantur de Christo: *Et venit* (inquit) *Nazareth, & intravit secundum consuetudinem suam die Sabbathi in Synagogam & surrexit legere: Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ &c. Et cum plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit:* & postea cæpit prædicare de eo quod legerat. &c.

Luc.4.16.

Hic tamen notandum puto: Quòd etsi in Antiquis non raro cæpti ordines dicantur à Lectoratu vel exorcistatu, id ita intelligendum non esse, ut simpliciter alios ordines Minores, imò & Tonsuram Clericalem non susceperint, sed quòd aliis susceptis solemni actu cum ordinatione in Lectoris vel Exorcistæ publicum Exercitium & Ministeria singulariter eligebantur & adscribebantur, ac coram toto Clero & Plebe addicebantur, juxta ea quæ ex Ambrosio l. 1. de officiis c. 44. supra in Propositione 5. Præambuli citavimus.

S. Ambr.

ADNOTATIO.

De cantore & Psalmista.

Quia plures Cantoris & Psalmistæ officium Lectoris ordini solent adscribere: Advertendum est cantoris officium sive Psalmistæ ad ordinem aliquem non pertinere, nec ordinem aliquem dicere, sed tantum Ministerium ad Psalmodiam: Unde modò de Clericis non ordinatis sive primæ Tonsuræ, modò de ordinatis Minoribus ordinibus assumebantur; Frequenter autem propter vocem distinctam & canoram de Lectoribus, &, ut non esset confusio, tantum periciores præsidebantur. Unde est Canon 15. Laodiceni Concilii: *Non oportet amplius præter eos qui regulariter Cantores existunt* (id est, qui sunt deputati) *qui & de Codice canunt, alios in pulpitum conscendere, & in Ecclesia psallere.* Et in Concilio Romano sub Gregorio I. cap. 1. prohibetur Ministris Altaris canere, sed ponuntur Subdiaconi Cantores: *Psalmos vero* (inquit) *ac reliquas Lectiones censeo per Subdiaconos, si vel necessitas exigit, per Minores ordines exhiberi &c.* Ex quibus verbis constat Cantores & Psalmistas ex ordinatis Subdiaconatu vel Minoribus ordinibus fuisse indifferenter assumptos. Igitur Psalmista sive Cantor nomen est officii non ordinis, etsi ordinatis pro ratione capacitatis officium committeretur.

Cantor & Psalmista nomē officii non ordinis et si ordinatis committeretur.

Cōc. Laodicenum.

Cōc. Rom. sub Greg. I.

QUÆSTIO III.

Quid Exorcistarum ordo? & de eorum Potestate.

CONCLUSIO I.

E*Xorcistarum ordo dicitur, in cujus collatione Potestas spiritualis ad Dæmones ejurandos sive abigendos, eorumque opera dissolvenda signo sacramentali ordinando traditur.*

Exorcistatus descriptio.

Ut verò tota substantia Potestatis Exorcistarum, & modus, quo hæc Potestas legitimè exerceri possit, innotescat; pono ad majorem claritatem sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO II.

O*Mnibus Apostolis & Discipulis, nec non Credentibus initio Nascentis Ecclesiæ per modum Gratiæ gratis datæ Potestas Dæmones expellendi concessa fuit.*

Initio ecclesiæ Apostolis atque, per Gratiam gratis data potestas dæmones expellendi concessa fuit.

De Apostolis res est clara Matth. 10. ubi Christus mittens electos Apostolos duodecim ad prædicandum, sic loquitur: *Infirmos* (ait) *curate, mortuos suscitate, Leprosos mundate, Dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date.* Et Marci 3. *Dedit illis Potestatem curandi infirmitates & ejiciendi Dæmonia.* Et iterum c. 6. *Et exeuntes* (ait) *prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & Dæmonia multa ejiciebant &c.* Et Lucæ 9. *Convocatis* (ait) *duodecim Apostolis dedit illis Virtutem & Potestatem super omnia Dæmonia, & ut languores curarent.*

Mat.10.8

Marc.3.15

Mar.6.12.

Luc.9.1.

De Discipulis etiam septuaginta duobus à Christo missis, sic loquitur Lucas c. 10. *Reversi* (inquit) *sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo: Et ait illis: Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis Potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici &c.* Subdit: *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subjiciuntur, gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.*

Luc.10.17

De Credentibus demum ampla est Christi promissio Marci 16. *Signa autem* (inquit) *eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent &c.*

Mar.16.17

Hæ autem Gratiæ gratis datæ, etsi pro tempore, quo Evangelii Prædicatio in suis exordiis

diis servebat, ad conciliandam auctoritatem essent magis necessariæ; Quia, teste Gregorio Homil. 29. in Evangelia, *cùm arbusta plantamus tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terra coaluerunt:* Non tamen postea cessarunt, sed, si non in omnibus, in plurimis tamen continuarunt; ut de quibusdam militibus laicis, qui Dæmones verbo ejiciebant, testatur Tertullianus l. de Corona Militis; & lib. de Idololatria c. 11. Quinimò & hoc tempore Deum hanc nonnullis conferre, ex iis, quæ contingunt, dubium non est. Unde & Christus Matth. 7. de futuro judicio loquens: *Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis; Quia nunquam novi vos; discedite a me, qui operamini iniquitatem.* Vide infra in Doctrina fundamentali.

S. Gregor. *Mat. 7. 22.*

CONCLUSIO III.

Præter Gratias gratis datas, & exorcismos, sunt & alia media.

Præter Gratias gratis datas, & Exorcismos, sunt & alia media, quibus Dæmones a Corporibus humanis expelluntur, & eorum opera dissolvuntur.

Plurima media refert, & Historiis authenticis latissimè probat Martinus Del-Rio Disquis. Magicarum l. 6. c. 2. sect. 3. qu. 3. quæ pauci ordinatè referam, remittens Lectorem ad ampliora, quæ ipse latissimè deductis Historiarum variarum narrationibus pertractat.

Primum itaque medium ad expellendos vel impediendos Dæmones est viva Fides. Vide quæ de Cypriano Mago refert Romanum Breviarium in festo Cypriani & Justinæ, & Thomam Bozium l. 15. de Ecclesiæ notis c. 1. V. 5. Et nos effectus vivæ Fidei contra Dæmones non semel spectavimus; Arbitrorque nullum tam sanctum & efficax remedium contra Dæmonum præstigia, quàm vivam Fidem. De qua aliquid aliàs diximus.

Secundum Legitimus Sacramentorum usus. De Baptismo plura refert Delrio suprà: Et nobis in confesso est Dæmonem per Baptismum à pueris fugari, de quo dicemus, dum de Exorcismis Baptizandorum infra loquemur. De Confirmationis sive Unctionis Chrismatis virtute similia refert Lactantius l. 4. Divin. Institut. cap. 27. De Pœnitentia & Peccatorum Confessione celebria miracula refert ad hanc rem Joannes Diaconus l. vitæ D. Gregorii cap. 11. 12. & 13. Per Eucharistiæ sumptionem, imò & præsentiam Hostiæ Sacræ multò magis per Missæ Sacrificium eum pelli quotidiana experientia constat, & amplissimè Historias refert Delrio. Qui & de oleo infirmorum id probat.

Lactant.

Tertium Remedium est recurrere ad Sanctos viros etiam in hac vita mortali degentes, quorum sanctitatem hoc modo per Diabolorum expulsionem non rarò probat Deus: Et hoc sæculum plurimorum ferax fuit, quorum vitæ parantur, ut lucem videant.

4. est Oratio juncta Jejunio & Eleemosynæ. Et quidem de hoc medio authenticum testimonium reliquit Christus Marci 9. *Hoc genus (inquit) Dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in Oratione & Jejunio:* Et in Libro Tobiæ *Eleemosyna* additur. Scio & ego etiam Disciplinarum pia austeritate Dæmones fugatos ab aliqua Persona Religiosa, cujus tunc Superior fui.

Mar. 9. 28. Tob. 12. 8.

5. Devota Invocatio nominis Jesu: sicut & apud Judæos antiquitus Invocatio nominis Dei Tetragrammaton.

6. Invocatio Deiparæ Virginis Mariæ: & singularis ad illam Devotio per pias Precationes, Peregrinationes, & Cultus speciales: In hoc genere vidi devotam experientiam in versiculo illo Hymni, *Monstra te esse Matrem*, ab obsessa piè pronuntiato.

7. Signum sanctæ Crucis viva Fide impressum vel formatum. De quo etiam infinitæ Historiæ.

8. Sanctorum in cælo viventium Cultus singularis, Reliquiarum ipsorum tactus, Peregrinationes ad eorum sepulchra vel loca ubi coluntur: De quibus infinita miracula in Roinnaco Flandriæ ad S. Hermetem, in Gheel celebri pago Campiniæ Brabantiæ ad S. Dympnam.

9. Sacra Amuleta, inter quæ principium Evangelii sancti Joannis; Symbolum Apostolorum; Agnus Dei: Extraordinariam autem virtutem expertus sum in particulis Corporalium, super quibus sanctum Christi Corpus consecratum fuit, si cum devotione & fide gestentur.

10. Aquæ benedictæ aspersio: De cujus virtute constat ex orationibus Ecclesiæ ad ejus benedictionem adhibitis.

11. Campanarum sacrarum pulsatio usitata est contra aëreas Potestates & Dæmonum præstigia tempore tempestatum: Imo & dies noctesque pulsantur in Germania, dum vineæ florere incipiunt, ut sortilegia avertat Deus.

Hæc sunt remedia, quæ sine superstitione & scrupulo, magnis autem juxta fidem utentium effectibus adhiberi possunt: Super quibus omnibus remitto Lectorem ad Martinum Delrio, in quo cum jucunditate videbit insignes Historias. De superstitiosis remediis dicemus postea.

CONCLUSIO IV.

Præter media & remedia suprà dicta, datur in Ecclesia Potestas specialis & spiritualis per ordinationem Exorcistarum ad Dæmones fugandos, eorum opera & præstigia dissolvenda.

Præter hæc omnia datur in ecclesia potestas spiritualis per ordinationem exorcistarum.

Hoc constat ex antiquissima Traditione Ecclesiæ, Conciliis ac Patribus: Hujus enim ordinis mentionem facit Ignatius, qui Apostolorum tempora vidit; dum, ut in Præambulo hujus Tituli diximus, Epistola 12. ad Antiochenos Exorcistam cum aliis ordinatis salutat: Et Clemens Romanus l. 8. Apost. Constitut. cap. 26. distinguit Exorcistas ha-

bentes Potestatem per gratiam gratis datam, ab iis, qui per ordinationem illam accipiunt. His consonant alii antiquissimi Patres, quos in Præambulo septem ordinum Gradus recensentes retulimus: De iisdem amplam rationem reddit Cyprianus in epistola ad Demetrianum Africæ Proconsulem. Eorum etiam meminerunt Concilium Romanum sub Sylvestro can, 3. Laodicenum can. 23. & 26. Carthag. 4 can. 7. Quinimo ex canone illo 26. Concil. Laodiceni dist. 29. c. *Non oportet*, prohibetur non Ordinatis exorcizare, seu exorcismi uti: *Si* (inquit *qui non sunt ab Episcopis ordinati, tam in Ecclesiis, quàm in domibus exorcizare non possunt.*

Qui vult plura antiquitatis testimonia habere, & Exorcistarum Catholicorum virtutes cognoscere, legat Baronium tom. 1. anno Christi 56. ubi longe & late ex Patribus exorcismos probat.

Materia & forma exorcistatus. Porrò Materia & Forma ordinis Exorcistarum in conc. Carthag. cap. 7. proponitur: Materia quidem remota Liber Exorcismorum, proxima illius traditio, cujus rationem adfert: *Ne quid superstitionis* (inquit) *in Exorcismis irreperet, consultum est, ut ordinandus Exorcista de manu Episcopi Libellum acciperet, in quo scripti essent Exorcismi.* Deinde Formam subjungit: *Dicente* (ait) *sibi Episcopo: Accipe & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super Energumenum, sive Baptizatum, sive Catechumenum.*

Quod vero dicit de Catechumenis ad antiquam Ecclesiæ institutionem respicit, qua nemo ad Baptismum accedebat, quin prius per exorcistam exorcizaretur; ut ad huc modò in ecclesia Leodiensi fit: cùm enim

Eph. 2. 3. constet nos, dicente Paulo, ante Baptismum natura filios iræ, certum est Dæmonem in non Baptizatum tamquam in membrum suum singularem potestatem habere, qualem in Baptizatum non habet, cum asserente eodem Paulo: *Nihil damnationis remaneat iis, qui sunt in Christo* JESU. De his S. Cyrillus Catech. Mystagog. 2. Optatus Milevitanus, Nazianzenus, Basilius, Ambrosius, Augustinus & alii à Baronio suprà citati. Præclaram verò de hac re sententiam profert ex Gennadio de Ecclesiast. Dogmatibus cap 30. quam placet referre. *Illud etiam quod circa Baptizandos in universo mundo sancta Ecclesia uniformiter agit, non otioso contemplemus intuitu, cùm sive parvuli, sive juvenes, ad Regenerationis veniunt sacramentum. non prius fontem vitæ adeant, quam exorcismis & ex sufflationibus Clericorum ab eis spiritus immundus abigatur, ut tunc verè appareat, quoniam Princeps hujus mundi mittatur foras & quommodo priùs alligetur fortis &c.*

Petes: Quid intersit, inter Gratias gratis datas, & alia media suprà relata ad fugandos Dæmones, eorumque maleficia tollenda; & Potestatem ab Exorcista in ordinatione accepiam.

Discrimẽ inter Gratias gratis datas, & alia media, & Potestatem exorcistarum. Resp. 1. Per Gratias gratis datas absque aliqua forma in solo nomine JESU Dæmones pulsos. 1. quidem in Evangelicæ prædicationis exordio ad Evangelii Christi virtutem, auctoritatem, & magnificentiam mundo patefaciendam. 2. Procedente tempore etiam aliquibus Sanctis eam datam à Deo ad eorum sanctitatem in gloriam suam manifestandam, idque virtute divina operante absque aliquo certo signo.

Resp. 2. In mediis aliis suprà relatis velut imperatoriè rem fieri per orationes, peregrinationes, Reliquiarum applicationes, &c. idque potiùs deprecative, quàm per singularem in applicante potentiam.

Resp. 3. Potestatem Exorcistarum relictam Ecclesiæ ad necessitatem illius, & solis personis legitimè ordinatis datam, sub certis modis, & conditionibus ac circumstantiis adhibendam: Quam tamen orationes, Invocationes, & alia media ex instituto ecclesiæ sæpiùs concomitantur. Unde solis exorcistis ordinatis hæc potestas competit & Ecclesiæ sanctis institutis circumstantionata est, ut statim dicemus.

Notat verò Baronius hunc exorcistarum ordinem à Christo præsignatum fuisse in eo, quòd quamvis solo nutu & imperio Dæmones expelleret, voluit tamen interdum uti ceremoniis & signis nonnullis: Ut Marci 7. ejiciens Dæmonium surdum & mutum, apprehendit Energumenum à turba seorsum, misit digitos suos in auriculam ejus, exspuens tetigit linguam ejus & suspiciens in cælum ingemuit, & ait illi, *Ephpheta, quod est, adaperire, &c* Quæ etiam ratione Matth. 17. etsi Apostolis dedisset virtutem & Potestatem plenissimam in Dæmones, nihilominus docuit opus fuisse pro eo, quem expellere non poterant, Oratione & Jejunio ad designandam ordinatam Potestatem Exorcistarum futuram sub certis modis & conditionibus in ecclesia sua. *Nota.* Mar. 7. 34. Mat. 17. 20.

QUÆSTIO IV.

Quæ Qualitates in exorcista requirantur, ad hoc ut officio suo Legitimè satisfacere possit?

CONCLUSIO.

Sex Qualitates requiruntur in exorcista, ut officio suo bene fungatur. SEx potissimum Qualitates requiruntur in Exorcista ad hoc ut Officio suo legitimè satisfacere possit: nimirum: *Bonitas Fides, Scientia, Prudentia, Intentio recta, Modi approbati Exorcismorum.* De his ad clariorem declarationem pono sequentes de singulis Paragraphos.

§. 1.

De Bonitate in Exorcista requisita.

NOn parva quæstio est: An & quæ Bonitas in exorcista requiratur?

Ad quod Resp. 1. *Ad valorem Exorcismi in rigore non requiri, ut sit justus*, id est, ut ab

ab omni peccato mortali sit liber. Ratio est: quia exorcismus non pendet à virtute exorcizantis, sed à virtute Christi in exorcismo operantis secundum ejus divinam providentiam & misericordiam.

℞. tamen 2. *Illegitimè & temerariò exorcistam in peccato mortali, & peccati actuali voluntate existentem tentare exorcismos peragere, ob pericula corporis & animæ illi imminentia, quamvis si debitam reverentiam adhibeat per se, & absque scandalo ad peccatum mortale non sit.*

Ratio est: Quia in sententia communi, quæ tenet ordinem exorcistatum esse verum Sacramentum, ac conferre gratiam, sine dubio, cùm ad hoc officium gratia justificans illi collata supponatur, tenetur illam meliori, quo potest modo in se resuscitare, sive per Pœnitentiæ Sacramentum, sive per contritionem veram, sive per totalem à voluntate peccandi aversionem. Sed quia hæc sententia non est universalis, & plurimi ordines minores sacramentalia tantum arbitrantur: Aliam profero rationem conclusionis, nimirum, quod, qui Dæmonem expellere tentat, Dæmoni adversarius esse debet: Unde

Luc. 11. 18. & dicit Christus Lucæ 11. *Si Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus &c.* Atqui qui in peccato mortali est Diaboli membrum & servus esse convincitur, qualiter igitur adversarius ejus erit, & quâ fronte Dæmonem expugnare tentabit? Sanè perviæ sunt ubique historiæ plenæ irrisionibus Dæmoniorum contra Exorcistas peccatores, qui tentabant ipsos adjurare, dum in peccato mortali existerent. Et

Mat. 17. 19 Matth. 17. Christus asserit Discipulos quoddam Dæmonium ejicere non potuisse: *Propter* (inquit) *incredulitatem vestram.* Quòd si diminuta fides ussit Dæmonem potuit, quamvis à Discipulis Christi adjuratum, quid poterit peccatū mortale, quo Exorcista gravatur? Præclara est Historia Act. 19. de filiis Scevæ Principis Sacerdotum, qui Exorcistæ erant Judæorum, & qui videntes in nomine Jesu Dæmones adjuratos exire; *Tentaverunt* (inquit Scriptura) *invocare*

Act. 19. 13. *super eos, qui habebant Spiritus malos nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum quem Paulus prædicat &c. Respondens autem Spiritus nequam dixit eis: Jesum novi, & Paulum scio: Vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat Dæmonium pessimum & dominatus amborum invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* Et similia leguntur apud Historicos, quæ impiis Exorcistis Catholicis contigerunt.

Non nego sæpius Dæmones efficaciter à peccatoribus ejici, ad confusionem satanæ, & magnificentiam virtutis Dei: Unum dico ejusmodi Exorcistas peccatores se periculis, non tantum nil faciendi, sed etiam sibi ipsis damnationem acquirendi exponere: Quia, ut habetur Matth. 7. multis, qui in judicio dicent se in nomine Christi dæmonia ejecisse, respondebitur: *Quia nunquam novi vos;* & ut *Operarii iniquitatis* discedere, utique in ignem æternum compellentur.

Exorcista peccator se periculis exponit

Alterum apud me certum est: Ex natura rei & actionis requiri personam in charitate Christo (cujus ministerium gerit) conjunctam. Quòd si non obstante peccato Dæmon ejiciatur, aut ejus opera dissolvantur, Dei Majestati, & Ecclesiæ immaculatæ puritati assignandum est, in cujus virtute res geritur, ut confundatur iniquitas, & veritas triumphet, quæ alieno peccato maculari non potest.

ABUSUS.

Videant qui peccatis gulæ, ebrietatis, lasciviæ, & incontinentiæ dediti hujusmodi ministeria sibi assumunt: nec congratulentur sibi de securo effectu frequentiori, quia pars eorum erit cum illis, qui ut Operarii iniquitatis tanquam ignoti Domino foras mittuntur.

Taceo quod ipsis Dæmon illudat, dum in peccata graviora illos prætextu Exorcismorum præcipitat, gaudens magis de ipsorum æterna perditione, quàm de corporali alicujus personę nocumento. Quinimò experientia non rara manifestat & exorcistam & in femineo sexu energumenam, Dæmone à corpore abscedente, sæpius gravissimis peccatis periisse, qui corporalibus tormentis cruciati in die Domini salvi fuissent. De quibus unum verbulum infra.

§. 2.

De Exorcistarum Fide.

Fidem saltem Catholicam desiderari in Exorcista, probant verba Christi generalia Marc. 16. *Signa eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo Dæmonia ejicient &c.* Etsi enim hæc ad eos, qui Gratiis gratis datis donabantur, præcipuè referrentur, quia tamen ejectio dæmonum ex corporibus actus est Fidem Christi, ejusque virtutem approbans, ab hæretico & infideli, qui Christum negat, exerceri non potest, quatndiu nimitum in sensu composito infidelis est. Hoc probat, quod superius de incredulitate Discipulorum allegatum est; magis autem quod de filiis Scevæ Sacerdotis exorcistis Judæorum. Et patuit in Luthero, prout refert Staphilus apud Petrum Thyreum, qui, dum vellet Dæmoniacū exorcizare, suæ infidelitatis & temeritatis pœnas dedisset, nisi effractis fenestris Pseudo-Apostolus evasisset. Quam Historiam alii etiam referunt, & Thyræus p. 3. Disp. de Dæmoniacis cap. 4. alias refert ad hanc rem. De Fide, ut Fiduciam dicit, non ago: Etsi enim multum sit utilis & efficax, non tamen semper necessaria.

Staphilus

Thyræus

⁂

Petes: An Præcepta in Canonibus & Decretis Clericis imposita obligent ad mortale?

Præcepta Clericis ratione Clericatus jure humano imposita sunt merè pœnalia.

Resp. 1. Quæ Clericis ratione Clericatus simpliciter jure positivo humano imposita sunt, præcisa sui ratione non obligant ad mortale; sed mere pœnalia sunt. Id potest colligi ex modo loquendi Legum. Explico: Gestatio Habitus Clericalis & Tonsuræ imponitur sub pœna Privationis Privilegiorum Fori, Canonis, Exemptionum, Immunitatum, Inhabilitatis ad Beneficia &c. juxta Bullam Sixti V. quæ incipit: *Pastoralis*, quæ in Bullario Angeli Cherubini est 96 Unde clericus Mercaturam, artem Ioculatoriam, Tabernariam, Macellanam &c. exercens privatur Privilegio Fori, & conveniri potest coràm Judice sæculari c. 1. De Vita & honestate clericorum. Et sic de similibus. Quæ omnia cum pœnas dumtaxat juris annexa habeant, non videntur mortale peccatum inducere.

Sixtus V. in Bulla Pastoralis

C. 1. de Vita & Honest. clericorum.

Dixi (quæ ratione clericatus simpliciter jure humano positivo sint imposita) multa enim Præcepta sunt juris Divini naturalis vel positivi, imò & juris humani, quæ non ratione clericatus simpliciter, sed ratione Christianæ obligationis, Sacramenti, justitiæ, temperantiæ, scandali clericis imponuntur.

Resp. itaque 2. Præcepta clericis imposita, quæ culpam contra Legem Divinam vel humanam obligantem ad peccatum mortale includunt, etsi Pœnis gravioribus in clericos laris conjuncta sint, à culpa non excusant; imò multò gravius clericum obligant. Unde graviora sunt in clericis Peccata intemperantiæ gravis, ebrietatis, avaritiæ, lubricitatis, excessus in luxu vestimentorum, cohabitatione scandalosa vel periculosa mulierum & similia, quæ scandalum generant: Item ea, quæ contingunt susceptionem vel ministrationem sacramentorum, Divina officia, &c. Contra illa etsi pœnis procedatur, Præcepta tamen illa non sunt mere pœnalia, quia gravissimas culpas includunt, & majoris indecentiæ vel scandali segetem subministrant. De his singulariter suis locis, cùm de particularibus Gradibus & officiis agemus.

Casus in quibus judex sæcularis de Clerico judicat.

Quæ autem spectant ad Pœnas, aut censuras, in superioribus, cùm de censuris egimus, tacta sunt, aut commodiori loco ponentur. Nolo verò prætermittere casus, in quibus coram Judice sæculari clerici conveniri possunt, & à Judice sæculari puniri; sunt autem sequentes.

1. Si clericus sit Assassinus: cap. 1. de Homicidio, 2. Si procuraverit aborsum: Sixtus V. in Bulla quæ incipit: *Effrenatam*. 3. Si Sodomita: Leo X. in Bulla quæ incipit: *Suprema*, & Pius V. in Bulla quæ incipit: *Horrendum*. 4. Clericus infeudatus à principe sæculari, in ratione feudi convenitur: Eadem ratio, ubi titulus causæ est sæcularis. 5. Si incorrigibilis: c. *Cum ab homine* de Judiciis. 6. In casu reconventionis. 7. In causa mercaturæ vel exercitii artis tabernariæ per annum: c. 1. de Vita & Honestate Clericorum. 8. Si Schismaticus, 9. In defectu Potestatis ecclesiasticæ: c. *Principes sæculi* 23. qu. 5. Hos casus recenset Marchinus tract. 2. de ordinibus p. 1. diffic. 12. Et alii alios referunt. Et hæc de Clericis primæ Tonsuræ in genere sint dicta.

C. Princip. sæculi. Marchi.

TITULUS II.

De Clerici Ordinatis Minoribus Ordinibus.

PRÆAMBULUM.

De Sacramenti Ordinis Natura & Qualitatibus.

HIc, ne multa ex Theologis cogamur repetere, vel universæ Theologiæ doctrinam amplo nimis circuitu tractare, pauca substantialia summatim pono ulterioris indaginis fundamenta, ne Lector cogatur librorum multorum relectione inutiliter distrahi. Pono igitur pro Præambulo sequentes Paragraphos, antequam præsuppositam materiam me accingam.

§. 1.

De Natura & Definitione Sacramenti Ordinis.

Sacramenti ordinis descriptio

ORdo est Sacramentum novæ Legis irreiterabile, quo potestas spiritualis homini capaci confertur circa Corporis Christi veri Sacrificium & Sacramentum, & Corporis ejus mystici spirituale regimen ac ministerium.

Dixi (*Sacramentum novæ Legis*) ut intelligatur esse invisibilis gratiæ signum visibile à Christo institutum, non autem ceremonia vacua & humana ab Ecclesia instituta: Unde sicut alia sacramenta confert disposito duplicem gratiam: Alteram habitualem, quæ in gratiæ justificantis augmento consistit: Alteram actualem, quæ in auxilio speciali, & dono Dei, efficaci promissione opportune Ordinato datur, ad munia sua exercenda.

Dixi (*irreiterabile*) propter Characterem, qui, ut potestatis data indelebile signaculum, animæ imprimitur, ut etiam in Baptismo & Confirmatione, etsi alterius sit rationis.

Dixi (*quo potestas spiritualis confertur*) potestas enim ordinati, etsi corporaliter ut plurimum exerceatur, effectum tamen spiritualem habet, & ad finem spiritualem dirigitur.

Dixi (*homini capaci*) ut excludatur femina illius sacramenti incapax, vel hermaphroditus prævalente sexu femineo. Incapacem etiam aliqui infantem dicunt defectu intentionis suscipiendi sacramentum: de qua incapacitate infrà Tit. 3. q. 4. dub. 1. Addunt contradictoriè & positive involuntarium, seu positivè susceptioni Ordinis contradicentem: sed tales non tam incapaces dijudicandi sunt, quàm impediti, aut obicem ponentes: An verò illis Character ordinis imprimatur, specula-

culativæ & Scholasticæ Disputationi ibidem discutiendum relinquo.

Dixi (*circa Corporis Christ: veri Sacrificium & Sacramentum*) ad hoc enim Sacrificium & Sacramentum (sub quo comprehendo sanguinē) primariæ Ordinati actiones diriguntur, & velut primariò sive remotè sive propinque illius ministerio vacant, ut in procinctu hujus tituli videbitur.

Dixi (*& Corporis ejus mystici spiritnale regimen vel ministerium*) etsi enim hic respectus ordinarie in definitionibus Ordinis à Theologis non exprimatur; mihi tamen visum est utilius exprimere, quia nullus est ordo, in quo hujusmodi ministeriū vel potestas non interveniat: Ostiarius utiq; hac potestate & ministerio homines in ecclesiam aut introducit aut excludit: Hac potestate & ministerio Lector sacram lectionem fidelibus insinuat. Hac Exorcista Energumenos liberat: Hac Acolythus Subdiaconum adjuvat &c.

§. 2.

De numero Ordinum, & eorum Gradibus & Antiquitate.

Septem Ordines Ecclesia ab antiquo numeravit. Ordines septem Ecclesia sancta ab antiquissimis temporibus numeravit: de quibus & de quorum numero, etsi non eodem modo Concilia & antiqui Patres semper locuti fuerint, eos tamen suis circumlocutionibus amplexatos fuisse enumerandos ordines septem prudenti Lectori dubium esse non potest.

Adnoto illos nominatim ex Cajo Papa & Martyre ad Felicem. ubi suis nominibus septem ordines sic enumerat, statuens, ut nonnisi his Gradibus ad Episcopatum ascendatur, *& qui* *Cajus Papa.* *Episcopus fieri mereretur fiat Ostiarius, Lector, Exorcista. Acolythus Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, demum Episcopus ordinetur*

Eosdem apud Eusebium l. 6. Hist. eccl. c. 35. enumerat Cornelius Papa; Ubi contra NoVatum Cleri ministeria sacra, quæ in Romana fulgebant ecclesia, scribens ad Fabium Antiochenū *Cornelius Papa.* sic refert: *Is ergo qui Ecclesiam vindicabit, nesciebat in Ecclesia unum Episcopum esse debere, ubi videbat esse Presbyteros 46. Diaconos 7. Subdiaconos 7. Acolythos 42. Exorcistas & Lectores cum Ostiariis 52.* His consonat Concilium Trid. sess. 23. de Sacramento Ordinis c. 2. ubi cum docuisset non solum de Sacerdotibus, sed & de Diaconis sacras literas apertam mentionem facere, & quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt gravissimis verbis docere, subdit: *Ab ipso Ecclesia initio, sequentium Ordinum nomina, atq; uniuscujusq; eorum propria ministeria Subdiaconi scilicet, Acolythi, Exorcista, Lectoris & Ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis nō pari Gradu: Nam Subdiaconatus ad Majores Ordines à Patribus & sacris Conciliis refertur, in quibus & de aliis inferioribus frequentissimè legimus.*

Ut verò quis fundatam habeat doctrinam horum Ordinum, & intelligere possit Patres & Concilia de illis variè loquentes, ac hæreticorum evitare calumnias, antequam de singulis agam pono sequentes Propositiones.

PROPOSITIO I.

Ecclesia S. Catholica agnoscit communiter septem Ordines, quibus ad Episcopatum supremū in Ecclesia S. Ordinationis Gradum & apicem ascenditur, sub his nominibus; nimirum: *Ostiarii, Lectoris, Exorcista, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi. Presbyteri.* De Episcopatu an sit singularis Ordo à Presbyterin distinctus, vel idem cum illo, solo Gradu & Dignitate differens, dicemus infra cum de Episcopatu dicemus. Propositiò verò patet ex suprad ctis. *Septem Ordines agnoscit ecclesia.*

PROPOSITIO II.

Hos Ordines diviserunt Patres in Minores & Majores sive Sacros. Et ad Minores quidē ordinatos dixerunt Ostiarios, Lectores, Exorcistas, Acolythos; cum quia à fine principali, qui est consecratio Corporis & Sanguinis Christi, remotiores sunt, & tantum velut quædam præviæ dispositiones ad Altare & Vasa sacra, tum quia à plurimis inter Sacramentalia tantum recepta sunt velut præambula ministeria, quæ omninò sacram actionem non contingunt, sed ab aliis etiam laicis absq; alia ordinatione usurpari possunt, ut pòstea videbitur. *Ex his 4. minores 3. majores*

Vocantur autem Ordines Majores speciali nomine *Sacri*: Quia personæ per illos sub perpetua continentia, aut etiam impositione inanimum Deo in perpetuum consecrantur. Et sunt Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus, ut etiam suo locò expendemus.

PROPOSITIO III.

De Diaconis & Presbyteris, ac Episcopis, eorumq; Ordinatione Scriptura sancta clarè locuta sunt. *De his Scriptura clare locuta est.*

De Presbyteris quidem ad Tit. 1. *Constitue per civitates Presbyteros.* 1 ad Timoth. 4. *Noli negligere gratiam quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum presbyterii.* Jacobi 5. *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Ecclesia, & orent super eum* Et alia vide Actor. 14. & 15. nec non 1 ad Timoth. 5. de *Episcopis.* *1 Tit, 1.5.*

De Diaconis & eorum Ordinatione ac moribus 1 ad Timoth. 3. *Diaconos similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium Fidei in conscientia pura.* Et ad Philip. 1. *Paulus & Timotheus servus Jesu Christi, omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconis.* *Phil. 1. 1.*

PRO-

Propositio IV.

Alios ex variis eorum ministeriis sub indicavit

Etsi Scriptura apertè de aliis Ordinibus, proprio nomine expressis, non sint locuta; ex variis tamen eorum ministeriis illos subindicarunt. 1. ad Corinth. 12. *Quosdam* (ait Paulus) *posuit Deus in Ecclesia primùm Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Nunquid omnes Apostoli? Nunquid omnes Prophetæ? Nunquid omnes Doctores? Nunquid omnes gratiam habent curationum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur?* In quibus etsi de gratiis gratis datis loquatur: Quia tamen potissimum qui gratiis illis pollebant, tamquam à Deo positi & demonstrati, ad ministeria principalia Ecclesiæ Dei, quæ sunt Ordinum, assumebantur, ipsa ordinum ministeria per ea insinuari, tamquam ad Ecclesiæ utilitatem à Deo posita, nil vetat, imò probabilissimum est, eò maximè quod isti ibidem dicantur constituere Corpus Christi & membra de membro. Nec ab his discrepat S. Ambrosius Comment. in c. 4. ad Ephesios ad illud: *Et dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, &c.* Ubi per Apostolos Episcopos; per Prophetas Explanatores Scripturarum (sub quibus Sacerdotes;) per Evangelistas Diaconos; per Magistros Exorcistas intelligit; Sed ad priorem locum ad Corinthios redeamus: Quis inficias ibit, quin per Apostolos Episcopi, super quibus Ecclesiæ fundamenta consurgunt; per Prophetas Presbyteri, qui arcanorum fidei mysteriorum, Corporis & Sanguinis Christi Custodes & Enarratores, conscientiarum speculatores & Judices sunt; per Doctores Diaconi, quorum officium est Evangelizare; per Virtutes Subdiaconi, quorum est Diaconis in sacris Altaribus assistere; per Gratias Curationum habentes Exorcistæ; Per Opitulationes Acolythi; per genera linguarum & interpretationes sermonum Lectores legendis Prophetis & sacris Scripturis coram populo mancipati; per Gubernationes Ostiarii, quibus gubernatio ædium sacrarum & sacræ supellectilis commissa est, intelligi possint. Eodem sane modò illis applicari possent gratiæ gratis datæ, quæ eodem loco 1 ad Corinthios 12. prius referuntur, nimirum sermo sapientiæ, sermo scientiæ, fides, gratia sanitatum, operatio virtutum, &c. quæ relinquo speculationi cujuslibet: Adfero verò illa, non ut ex iis probem simpliciter ordines septem, sed ut ostendam ex variis illis Spiritus sancti operationibus, quibus aliqui in Ecclesia primitiva parenter donabantur, Ecclesiam meritò ministeriis iis correspondentibus ornatam à principio fuisse, imò ex illis capaces ad ministeria Ministros Deo sic demonstrante sibi delegisse: Quinimò & illis ministeriis à Christo ad ædificationem Corporis sui mystici ecclesiam ornatam & instructa fuisse: Ita ut illa loca ita gratias varias Spiritus exprimerent ad ædificationem Ecclesiæ necessarias, ut eadem ratione ministeria Ordinum illis proportionata, ecclesiæ necessaria demonstrarent.

1Cor. 12. 28. — *Eph. 4. 11.* — *S. Ambr.* — *1Cor. 12. 8*

Propositio V.

Cur Patres interdum plures interdum pauciores recensuerint.

Patres antiqui circumlocutionibus ordines illos insinuarunt. interdum plures recensuerunt: interdum aliquos ex illis omiserunt: interdum paucorum mentionem fecerunt. Omnium verò rationes ad eorum intelligentiam hic subnecto.

1. Circumlocutionibus eos indicarunt: Ita Dionysius c. 3. Ecclesiasticæ Hierarchiæ p. 2. ubi sic ministeria Ordinum circumscribit: *Ministrorum verò alii stant pro templi foribus, quæ occlusa sunt; alii autem quæ sunt Ordinis proprii agunt, in administratorio verò Ordine præcipui, una cum Sacerdotibus in Divino Altari proponunt panem & benedictionis poculū.* In his sane verbis primo explicantur Ostiarii pro foribus stantes, Lectores, Exorcistæ & Acolythi agentes remotius quæ sunt Ordinis sui, Subdiaconi & Diaconi una cum Sacerdotibus in Divino Altari panem & benedictionis poculum proponentes; Qui etiam dicuntur super alios in administratorio Ordine præcipui. *S. Dionys.*

2. Interdum plures recensuerunt. Unde Ignatius Epistola 12. ad Antiochenos: *Saluto* (ait) *sanctorum Presbyterorum Collegium, saluto sacros Diaconos, &c. Saluto Hypodiaconos. Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorcistas, Confessores, saluto Custodes sacrorum vestibulorum, &c.* Rationem autem hujus multiplicationis aliam dare non possumus, nisi quia officia & munia aliqua cum Ordinibus confundebant, quia enim Clerici pluribus ministeriis deputabantur, quæ etiam ad ipsos Ordines non pertinebant, ad Ecclesiastica tamen munia spectabant, Ordinati Minoribus, vel clericali Tonsura insigniti ab Ecclesiarum Rectoribus in illis occupabantur, vel illi ex charitate se occupabant: Hinc Laborantes ponuntur, qui piis laboribus pro Ecclesia se dedicabant: Hinc & Confessores in gradu singulari recensentur, quia qui coram Tyrannis pro Fide & Ecclesia publicè steterant, cujuscumque tandem Ordinis essent, in singulari Gradu honoris habebantur, etsi specialem Ordinem non obtinerent. Unde & alibi invenies Custodes Martyrum: Nec raro Psalmista & Cantor recensentur, quia quidam peritiores ad ea munia ex Ordinatis assumebantur ex Presbyteris: Unde est illud c. *Psalmista* 23. d. 23. *Psalmista* (ait) *& Cantor potest absque scientia Episcopi Officium suscipere cantandi, dicente sibi Presbytero: Vide quod ore cantes, corde credas & quod corde credis operibus comprobes.* Ex quo apparet Cantoris & Psalmistæ nomina esse nomina Officii non Ordinis. Idem dicendum de Officiis Fossariorum, qui mortuos sepeliebant; Notariorum, qui res gestas Martyrum adnotabant: Defensorum, qui in causis pauperum, & pusillorum advoca-

S. Ignat. — *c. Psalm.*

advocabant. Quæ Officia cùm singularis pietatis essent à Clericis etiam Ordinatis assumebantur, non tamen Ordines erant, sed quia ordinatis ea officia ut plurimum competebant, inter ordines interdum à Patribus & Conciliis referuntur.

3. Quòd si Patres interdum ex ordinibus aliquos omittunt, interdum pauciorum mentionem faciunt, id attribuendum est rei, de qua loquuntur, vel circumstantiis temporum & locorum. Certum est enim illos ordines variè pro ecclesiæ necessitate vel utilitate, vel pro temporum varietate fuisse collatos & susceptos: aliter enim in Ecclesiæ pace, aliter persecutionis tempore, aliter in paucitate Clericorum, aliter in multitudine oportuit de illis disponere: Et quamvis omnes ordines Minores cuilibet ordinato conferrentur, quia tamen aliquorum ordinum duntaxat exercitium pro tempore necessarium aut utile erat ecclesiæ, illorum tantùm ordinum Patres nomina retulerunt, quorum Ministeria exercebantur. Unde & modò ferè in exercitio communi in Ecclesia, extra tempora ordinationis, subdiaconorum, Diaconorum, Presbyterorum tantùm fit mentio, nisi fortè rarò Lectoris vel Acolythorum, non autem ostiariorum vel Exorcistarum: Quia nullum jam exercitium illorum ordinum, ut olim, à solis exorcistis &c. habetur: Et Exorcistarum officium soli Presbyteri exercent: Unde (S. Ambr.) benè S. Ambros. l. 1 de officiis c. 44. *Quia* (inquit) *alius distinguenda lectioni aptior, alius psalmo gratior, alius exorcizandis, qui malo laborant spiritu sollicitior, alius sacrario opportunior habetur. Hæc omnia spectet sacerdos, & quod cuique congruit, id officii deputet.* Hæc ibi; ubi magis officia attendisse, quam ordines ipsos constat.

§. 3.

An septem Ordines sunt vera Sacramenta?

De Diaconatu & Presbyterio hactenus dubitatum non est; cum omnia requisita ad verum Sacramentum probentur habere ex Scripturis suprà allatis. De subdiaconatu nonnulli dubitarunt, ab eo tamen tempore, quo inter sacros ordines & Majores annumeratus est, & Voto Continentiæ obligatus, inter Catholicos cessavit illa Quæstio.

De quatuor Minoribus adhuc lis & controversia durat, cùm plurimi ad Sacramentalia eos referant & ecclesiæ institutionem, nec aliquid hucusque diffinitum fuerit ab Ecclesia. Ut meam mentem aperiam pono duas Propositiones.

PROPOSITIO I.

(Ordines Minores ad Sacramentum Ordinis spectant.) Quatuor Ordines Minores ad Sacramentum ordinis spectant, & cum Sacramento Ordinis connumerantur. Hæc Conclusio ex communi sensu ecclesiæ & Doctorum clara est: Quia enim, ut in Diffinitione dictum est, Potestatem aliquam & Ministerium quamvis remotum dicunt in ordine ad eucharistiæ Sacramentum & Sacrificium, & ordinibus Majoribus deserviunt, instar ordines Ministrantium Christo Salomoni Regi Pacifico, quos (3. Reg. 10) admirata est Regina Saba, meritò computantur. Et hanc rationem clarissimè indicat, & in illa fundatur Concilium Tridentinum sess. 23. c. 2. dum causam multiplicationis Ordinum Minorum assignat, ut nimirum *Tam Sancti sacerdotii Ministerium dignius & majori cum veneratione exerceri posset, &c.* (Trid.)

PROPOSITIO II.

(Probabilius est esse vera Sacramenta Conc. Flor.) Probabilius est quatuor Minores ordines esse vera Sacramenta. Aliam rationem non habeo, nisi quia Florentinum Concilium in Instructione Armenorum ita supponere videtur, dum materiam & formam cuilibet assignat: cui consonat Tridentinum sess. 23. c. 2. omnes ordines simul enumerans, & ordinem simpliciter c. 3. Sacramentum verum esse affirmans: (Trident.) Unde & canone 2. dicit. *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines & Majores & Minores, per quos, velut per gradus quosdam, in Sacerdotium tendatur, anathema sit*: Ubi tamen notandum est, quòd etsi definiat esse ordines quibus ad Sacerdotium ascenditur, numquam tamen absolutè definivit esse vera sacramenta cùm possint esse Sacramentalia: Quia tamen absolutè sub eodem termino de illis loquitur, sensum communem Ecclesiæ inferrè possumus, ut etiam Sacramenta subordinatè ad sacerdotium reputentur. Relinquo tamen suum pondus sententiæ aliorum, qui usque ad hæc tempora aliter senserunt. Malo ego ecclesiæ universalis sensum amplecti. Si quæ amplius dicenda occurrunt, dum de singulis agetur, illa in medium producemus.

(Nota.) Dices: Si sint vera Sacramenta, ex opere operato gratiam conferent, & consequenter Lector legens Epistolam, vel Acolythus ministrans ampullas ad Sacrificium in peccato mortali, mortaliter peccabit: eâ ratione quòd gratiam in Sacramento datam ad Ministerium resuscitare debeat. Resp. Dissimulatâ ratione quæ additur, negando consequentiam. Ratio est: Quia cùm non Ordinati possint etiam eadem Ministeria exequi, quæ Ordinati Minoribus faciunt, nullatenùs simpliciter ministrans & exercens illorum ordinum Officia in peccato mortali dici potest peccato mortali obnoxius, cùm diverso titulo ministrare possit, & actionem, quæ etiam à laicis communiter exercetur, exerceat. An verò ratio illa de resuscitatione gratiæ in ordinario òne acceptæ ad actus Ministerii, concludat aliquid de peccato mortali vel veniali, dicemus, cùm de Subdiaconi & Diaconi obligationibus agemus.

Aliud dicendum esset de suscipiente Minores ordines in peccato mortali; supposito quòd

quòd sint Sacramenta vera conferentia gratiam; tunc enim censeretur obicem gratiæ ponere, &c, ut de suscipientibus alia Sacramenta dictum est, consequenter peccare mortaliter asserendum esset: Quia tamen, ut dixi, Quæstio illa, an sint vera Sacramenta, necdum ab ecclesia diffinita est, etiam quod consequitur sub opinione remanet. Hoc Præambulo sic posito pro doctrina generali, descendo in speciali ad ordines Minores.

QVÆSTIO I.

Quid Ostiarius, vel Ostiariatus, & quæ ejus Munia?

CONCLUSIO I.

Ostiariatus Descriptio.

OStiariatus sic describi potest: *Ordo, per quem potestas Clerico datur, dignos in Ecclesiam admittendi, indignos arcendi, sacras ædes & supellectilem conservandi*: His fere particulis ostiarii officia comprehenduntur, quæ sunt tria potissimum, sub quibus alia subintelliguntur. Vide c. *Perlectis* 25. & c. 1. 21. dist. in fine. Unde Isidorus Ethimologiarum l. 7. c. 12. *Ostiarii idest Janitores in veteri Testamento electi sunt ad custodiam Templi, ut non ingrediretur immundus ab omni re. Dicti sunt ostiarii, eò quod præsunt ostiis templi. Ipsi enim tenentes claves omnia intus extraque custodiunt, atque inter bonos & malos habentes judicium, fideles recipiunt, respuunt infideles.* Vide Magistrum in 4. Sent. dist. 24. Ubi & actum ostiariatus Christo attribuit, dum flagello de funiculis facto vendentes & ementes è templo ejecit.

c. Perlect.

Isidorus.

Magister

1. Officium. Dignos in ecclesiam admittere.

Primum itaque officium ostiariorum fuit: *Dignos in sacras ædes advocare & admittere*: hac enim ratione claves eis dabantur, ut dignos introducerent: hac ratione initio nascentis Ecclesiæ ad sacras Synaxes Catholicos convocabant: Hac ratione vel tintinnabulum illis datur, vel ad campanam in ordinatione sua deducuntur; ut sciant sui Muneris esse signo campanæ vel alio ad Missas, conciones & Divina officia populum convocare. Dignitas porro intrantium ab ostiariis debebat æstimari. Unde Clerici & Sacerdotes ad chorum & sanctuarium, cæteri ad communem locum fidelium admittebantur; Quinimò & feminæ à viris segregabantur; &, ut habet Laodicenum Concilium can. 44. mulieres ad altaria vel circa accedere ab ostiariis non permittebatur. Tantaque in ostiariis diligentia requirebatur, ut in eodem Concilio can. 43. prohiberentur ostiarii; etiam causa vacandi orationi, ab ostiis abesse. Et hoc fuit causa, quòd tot ostiarii in Ecclesia Romana ponerentur; ut ostenditur superiùs ex Epistola Cornelii ad Fabium: Et in Ecclesia Constantinopolitana tres fuisse ostiarios refert Ioannes Cypri Episcopus in Responsis ad Capasilam ad 8. Interrogationem. Ita juxta necessitatem majoribus Ecclesiis plures, minoribus pauciores ostiarii præfigebantur.

Cõc. Laodicenum.

Cornelius Papa.

Joan. Cypri episcopus.

Magnum sanè decorem haberet domus Dei, si plures ostiarii ipsi præficerentur, & per illos cuilibet suus locus & ordo assignaretur, ut olim in lib. 1. Paralip. c. 23. scribitur, quòd omnes filii Levi à viginti annis & suprà supputarentur, essentque *sub manu filiorum Aaron, in cultum domus Domini in vestibulis, & in exedris, & in loco purificationis, & in sanctuario*; ut nimirum omnibus invigilarent. Unde 2. Paralip. 35. dicitur, quòd in magno illo Phase, quod solemnissimum celebravit Rex Iosias *Janitores per portas singulas observabant, ita ut nec puncto quidem discederent à ministerio: Quamobrem & fratres eorum Levitæ paraverunt eis cibos.*

1. Paral. 23. 27. 28.

2. Paral. 35. 15.

2. Indignos arcere

Secundum officium ostiariorum erat *Indignos arcere*: Indigni autem censebantur. 1. Infideles sive ethnici, qui nec permittebantur sacra conspicere. 2. Hæretici. 3. Excommunicati seu interdicti. 4. Publici peccatores, vel etiam publicani pœnitentiam agentes, qui in vestibulo ecclesiæ tempore pœnitentiæ remanebant. 5. Catechumeni, qui tamen admittebantur tota Missa, quam Catechumenorum vocant, scilicet usque ad offertorium.

3. Sacras ædes & supellectilem cõservare.

Tertium officium ostiariorum erat *Sacras ædes & supellectilem conservare*. 1. In munditie & reverentia: Eorum enim erat curare ut Ecclesiæ verrerentur, ornamenta Ecclesiæ munda servarentur, & ministris juxta cujuslibet ministerium integra & ornata custodirentur. 2. A tineis, furibus & profanis usibus conservarentur: Unde interdum sacrarii Custodes, vel Thesaurarii nuncupantur: sub se verò habebant Adjutores, quos Laborantes Antiqui vocabant. Porrò eadem ratione qua supellectilem ecclesiæ, etiam deposita sacra debebant custodire & conservare. Vide Alcuinum lib. de divinis officiis cap. 23.

Alcuinus

CONCLUSIO II.

Ejus materia & Forma.

pontificale Rom.

MAteria remota ordinationis ostiariorum sunt *Claves*: Proxima *earum Traditio*, Forma: *Sic age quasi Deo redditurus rationem pro his rebus.* Vide Pontificale Romanum. Quod verò ad ostia aperienda & claudenda, & ad campanam pulsandam ducuntur, symbolum est eorum quæ ad officium, ut dixi, spectant, & ad ceremonias accidentales potius pertinet, quam ad primariam Materiam vel Formam.

ADNOTATIO.

MAgna decessit ab ecclesiis reverentia à tempore, quo officia hujus ordinis per personas Deo dicatas non exercentur: Hinc tot irreverentiæ, confusiones, fabulæ, colloquia intollerabilia in ecclesiis: quæ ob defectum personarum vigilantium factæ sunt fabularum, ludorum & schenatum, nec dicam impu-

impudicitiarum apud Aulicos modernos theatra magis, quam fidelium oratoria. Vide Bullam Pii V. quae incipit; *Cum primum Apostolatus*. Pro quibus rationem reddituri sunt, qui istis, deficientibus modo ostiariis Deo dicatis, invigilare ex conscientia deberent. Major fuit ethnicorum in suis delubris vigilantia, qui ad ingressum suorum Pseudo-Sacerdotum impios & profanos à delubris suis arcebant.

Bulla Pii V. Cũ primum.

QUAESTIO II.

Quid Lectoratus? & de Lectoris ordinatione & officio.

CONCLUSIO.

Lectoratus descriptio. Lectoratus est ordo, *in cujus Collatione Potestas spiritualis ordinate tribuitur ad legendum populo publicè vetus & novum Testamentum.* Conclusionem clarè demonstrant tam Materia, quàm Forma, quae in Pontificali Romano ex Antiquis Patribus & conciliis *Materia.* referuntur. Et quidem Materia proxima est Traditio Codicis, in quo Lectiones utriusque Scripturae continentur: Forma autem: *Forma.* *Accipite & estote verbi Dei Relatores, habituri, si fideliter & utiliter impleveritis, partem cum iis, qui verbum Dei benè ministraverunt ab initio.*

1. Officiũ clara voce legere in ecclesia lectiones ex scriptura. Porrò hinc primarium officium Lectoris colligitur fuisse *publicè coram populo clara, distincta, & intelligibili voce Lectiones ex sacra Scriptura sive veteris, sive novi Testamenti in Ecclesia legere*: quod fiebat, 1. In Psalmodia tempore officii Nocturni: 2. Tempore Missae, ubi Propheticae leguntur. 3. Antequam Episcopus vel alius Sacerdos proponeret verbum Dei: Unde & Lector ab Antiquis vocatus est: *Praeco & Expositor Mysteriorum Christi, Doctor audientium*: Ut habetur in vita Cypriani & Justinae apud Lipomanum & Surium: Aliquando *Simplex Papa.*

Quod inter solemnia Missarum ante Praedicationem Lector textum Scripturae, de qua praedicaturus esset Episcopus vel Concionator, legeret, constat ex variis locis S. Augustini: Inprimis Serm. 1. de S. Stephano volens de ipsius Passione sermonem facere: *Hanc* (inquit) *modò de Libro Actuum Apostolorum* *S. August.* *cum legeretur non solum audivimus, sed etiam oculis spectavimus.* Tanta enim energia Lector illam legebat, & tam attente, ut viderentur Auditores non solum audire, sed etiam oculis conspicere. In quo notatur, & solertia Lectoris, & devotio Auditorum. Videri etiam potest locus Serm. 8. de verbis Domini: Ubi Augustinus volens explicare populo energiam verbi *Confiteor* Matth. 11. ubi Christus *Mat. 11. 25* dicit: *Confiteor tibi Pater &c.* reprehendit populum, quòd verbum *Confiteor* ad pronuntiationem Lectoris intellexisset de Confessione peccatorum: *Mox (inquit) ut hoc verbum sonuit vox Lectoris, secutus est etiam sonus tunsionis pectoris vestri, audito scilicet quod Dominus ait, Confiteor tibi Pater, pectora tundistis &c.* ubi apparet Lectorem legisse Evangelium, antequam Episcopus praedicaret.

Modum verò vocis servandum à Lectore optime praescribit Isidorus l. 2. de officiis Ecclesiasticis: *Porrò* (inquit) *Lectoris vox simplex erit & clara, ad omne pronuntiationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem & subrusticum effugiens sonum, non humilis, non adeo sublimis, non fracta, nec sonora, nihilq; femineum sonans, neque cum motu corporis, sed tantum cum gravitatis specie* Haec ibi: *Isidorus.* Legenda est etiam Adhortatio, quam facit ante Lectorem ordinandum Episcopus in Pontificali Romano.

Addunt hic alii etiam ad officium Lectoris pertinuisse; interdum Mysteria Lectionum populo enucleare, unde & ab aliquibus Prophetiae donum & scientiae eis tribuebatur: Quod etiam insinuare videtur Exhortatio Episcopi in Pontificali, ubi dicit: *Lectorem oportet legere ea, quae praedicat.* Verùm *Pontificale Rom.* hic Praedicationis nomen non accipitur pro Concione, sed pro clara recitatione, quae velut quaedam annuntiatio verbi Dei erat. Quòd verò dicat *Lectorem oportere legere quae praedicat*, nihil est aliud, quàm praelegere, seu praevidere in privato, quod in publico pronuntiandum erat: Unde subjungit: *Studeat verba Dei* videlicet Lectiones sacras, *distinctè & aptè ad intelligentiam & aedificationẽ fidelium absque mendacio falsitatis proferre &c.*

Alterum officium Lectoris fuit: *Catechumenos ante Baptismum de Fidei Mysteriis imbuere in privato*: De quo Catechismus Romanus num. 11. de Sacramento ordinis. *2. Catechumenos ante Baptismum privatim instruere*

Quòd verò in Pontificali Romano in Exhortatione saepe citata dicatur: *Lectorem debere panes & novos fructus benedicere*: Hoc potuisse & posse fateri debemus; tamen usus, si quis fuerit, exolevit.

Lectoris sanè officium in Ecclesia semper celeberrimum fuisse tota Antiquitas testatur, ita ut ab illo ordine viri praestantes inciperent, & diu in illo exercerentur, & ad majora probarentur, quinimò & maximi & praestantissimi viri ad maxima idonei in Lectoratu primum multo tempore deserviebant. Praeclara & digna lectu est Epistola Cypriani 33. ad Clerum & plebem de Aurelii ordinatione, qui bis in agone Martyrii certaverat, qui ecclesiae toti conspicuus erat, & *quamvis mereretur* (inquit Cyprianus) *Clericae Ordinationis ulterioris gradus & incrementa majora &c. Placuit, ut ab officio Lectoris inciperet, quia nihil magis congruit voci, quae Dominum gloriosa praedicatione confessa est, quam celebrandis divinis Lectionibus personare: post verba sublimia quae Christi Martyrium prolocuta sunt, Evangelium Christi legere, unde Martyres fiunt: ad pulpitum post catastam venire: illic fuisse conspicuum Gentilium multitudini, hic à fratribus conspici: illic auditum esse cum mira-* *Lectoris officium celeberrimum.* *Cyprian.*

tuo circumstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. Hæc ibi, quæ prosequitur late, & quibus officium Lectoris maximè commendat: Legi etiam potest Epist. 34. de Celerino Lectore.

Clē. Papæ. Celebre etiam est illud S. Matthæi de Lectoris Officio apud Clementem Papam l. 8. Constit. c. 22. *Ego* (inquit) *Matthæus Levi, qui antea publicanus fui, confestor, ut Lectorem eligas, cui manum imponas, & preces adhibens dicas: Deus æterne multus in misericordia & miserationibus, qui mundi fabricam per ea quæ fiunt patefecisti, & qui numerum Lectorum conservas, & ipse nunc respice hunc famulum tuum, cui Scriptura sacra ad legendum eas populo tuo, committuntur: Da ei Spiritum sanctum propheticum. qui Esdram famulum sapientem fecisti, ad recitandas leges populo tuo: Et nunc obsecratus a nobis, trade servo tuo sapientiam & da ei, ut munus sibi injunctum recte perficiendo dignior appareat majori gradu; Per Christum Dominum nostrum.*

Hoc officium in templo Judæorum fuisse testantur, quæ à Luca c. 4. narrantur de Christo: *Et venit* (inquit) *Nazareth, & intravit secundùm consuetudinem suam die Sabbathi in Synagogam & surrexit legere. Et traditus est illi liber Isaiæ Prophetæ &c. Et cùm plicuisset librum, reddidit ministro, & sedit:* & postea cœpit prædicare de eo quod legerat. &c. *Luc, 4.16.*

Hic tamen notandum puto: Quòd etsi in Antiquis non raro cœpti ordines dicantur à Lectoratu vel exorcistatu, id ita intelligendum non esse, ut simpliciter alios ordines Minores, imò & Tonsuram Clericalem non susceperint, sed quòd aliis susceptis solemni actu cum ordinatione in Lectoris vel Exorcistæ publicum Exercitium & Ministeria singulariter eligebantur & adscribebantur, ac coram toto Clero & Plebe addicebantur, juxta ea quæ ex Ambrosio l. 1. de officiis c. 44. suprà in Propositione 5. Præambuli citavimus. *S. Ambr.*

A D N O T A T I O.

De cantore & Psalmista.

Cantor & Psalmista nomē officii non ordinis etsi ordinatis committeretur.

QUia plures Cantoris & Psalmistæ officium Lectoris ordini solent adscribere: Advertendum est cantoris officium sive Psalmistæ ad ordinem aliquem non pertinere, nec ordinem aliquem dicere, sed tantùm Ministerium ad Psalmodiam: Unde modò de Clericis non ordinatis sive primæ Tonsuræ, modò de ordinatis Minoribus ordinibus assumebantur: Frequenter autem propter vocem distinctam & canoram de Lectoribus, &, ut non esset confusio, tantùm peritiores præficiebantur. Unde est Canon 15. Laodiceni Concilii: *Non oportet ampliùs præter eos qui regulariter Cantores existunt* (id est, qui sunt deputati) *qui & de Codice canunt, alios in pulpitum conscendere, & in Ecclesia psallere.* Et in Concilio Romano sub Gregorio I. cap. 1. prohibetur Ministris Altaris canere, sed ponuntur Subdiaconi Cantores: *Psalmos vero* (inquit) *ac reliquas Lectiones censeo per Subdiaconos. si vel necessitas exigit, per Minores ordines exhiberi &c.* Ex quibus verbis constat Cantores & Psalmistas ex ordinatis Subdiaconatu vel Minoribus ordinibus fuisse indifferenter assumptos. Igitur Psalmista sive Cantor nomen est officii non ordinis, etsi ordinatis pro ratione capacitatis officium committeretur.

Cōc Laodicenum. *Cōc Rom. sub Greg. I*

Q U Æ S T I O III.

Quid Exorcistarum ordo? & de eorum Potestate.

C O N C L U S I O I.

Exorcistatus descriptio.

E*Xorcistarum ordo dicitur, in cujus collatione Potestas spiritualis ad Dæmones ejurandos sive abigendos, eorumq; opera dissolvenda signo sacramentali ordinando traditur.*

Ut verò tota substantia Potestatis Exorcistarum, & modus, quo hæc Potestas legitimè exerceri possit, innotescat: pono ad majorem claritatem sequentes Conclusiones.

C O N C L U S I O. II.

Initio ecclesiæ Apostolis aliisq; per Gratiam gratis datā potestas dæmones expellendi concessa fuit.

O*Mnibus Apostolis & Discipulis, nec non Credentibus initio Nascentis Ecclesiæ per modum Gratiæ gratis datæ Potestas Dæmones expellendi concessa fuit.*

De Apostolis res est clara Matth. 10. ubi Christus mittens electos Apostolos duodecim ad prædicandum, sic loquitur: *Infirmos* (ait) *curate, mortuos suscitate, Leprosos mundate, Dæmones ejicite: gratis accepistis, gratis date.* Et Marci 3. *Dedit illis Potestatem curandi infirmitates & ejiciendi Dæmonia.* Et iterum c. 6. *Et exeuntes* (ait) *prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & Dæmonia multa ejiciebant &c.* Et Lucæ 9. *Convocatis* (ait) *duodecim Apostolis dedit illis Virtutem & Potestatem super omnia Dæmonia, & ut languores curarent.* Mat. 10.8 Marc. 3.15 Mar. 6.12. Luc. 9.1.

De Discipulis etiam septuaginta duobus à Christo missis, sic loquitur Lucas c. 10. *Reversi* (inquit) *sunt septuaginta duo cum gaudio, dicentes: Domine etiam Dæmonia subjiciuntur nobis in nomine tuo: Et ait illis: Vidi Satanam sicut fulgur de cælo cadentem. Ecce dedi vobis Potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici &c.* Subdit: *Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subjiciuntur, gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cælis.* Luc. 10.17

De Credentibus demum ampla est Christi promissio Marci 16. *Signa autem* (inquit) *eos, qui crediderint, hæc sequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent &c.* Mar. 16.17

Hæ autem Gratiæ gratis datæ, etsi pro tempore, quo Evangelii Prædicatio in suis exordiis

diis fervebat; ad conciliandam auctoritatem essent magis necessariæ; Quia, teste Gregorio Homil. 29. in Evangelia, *cùm arbusta plantamus tamdiu eis aquam infundimus, quoadusque ea in terra coaluerunt:* Non tamen posteà cessarunt, sed, si non in omnibus, in pluribus tamen continuarunt; ut de quibusdam militibus laicis, qui Dæmones verbo ejiciebant, testatur Tertullianus l. de Corona Militis; & lib. de Idololatria c. 11. Quinimò & hoc tempore Deum hanc nonnullis conferre, ex iis, quæ contingunt, dubium non est. Unde & Christus Matth. 7. de futuro judicio loquens: *Multi dicent mihi in illa die; Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo Dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis; Quia nũquam novi vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem.* Vide infra in Doctrina fundamentali.

S. Gregor.

Mat. 7. 22

CONCLUSIO III.

Præter Gratias gratis datas, & exorcismos, sunt & alia media.

PRæter Gratias gratis datas, & Exorcismos, sunt & alia media, quibus Dæmones à Corporibus humanis expelluntur, & eorum opera dissolvuntur.

Plurima media refert, & Historiis authenticis latissimè probat Martinus Del-Rio Disquis. Magicarum l. 6. c. 2. sect. 3. qu. 3. quæ paucis ordinatè referam, remittens Lectorem ad ampliora, quæ ipse latissimè deductis Historiarum variarum narrationibus pertractat.

Primum itaque medium ad expellendos vel impediendos Dæmones est viva Fides. Vide quæ de Cypriano Mago refert Romanum Breviarium in festo Cypriani & Justinæ, & Thomam Bozium l. 15. de Ecclesiæ notis c. 1. V. 5. Et nos effectus vivæ Fidei contra Dæmones non semel spectavimus; Arbitrorque nullum tam sanctum & efficax remedium contra Dæmonum præstigia, quàm vivam Fidem, De qua aliquid aliàs diximus.

Secundum Legitimus Sacramentorum usus. De Baptismo plura refert Delrio suprà: Et nobis in confesso est Dæmonem per Baptismum à puerls fugari, de quo dicemus, dum de Exorcismis Baptizandorum infrà loquemur. De Confirmationis sive Unctionis Chrismatis virtute similia refert Lactantius l. 4. Divin. Institut. cap. 27. De Pœnitentia & Peccatorum Confessione celebria miracula refert ad hanc rem Joannes Diaconus l. vitæ D. Gregorii cap. 11. 12. & 13. Per Eucharistiæ sumptionem, imò & præsentiam Hostiæ Sacræ multò magis per Missæ Sacrificium eum pelli quotidiana experientiâ constat, & amplissimè Historias refert Delrio. Qui & de oleo infirmorum id probat.

Lactant.

Tertium Remedium est recurrere ad Sanctos viros etiam in hac vita mortali degentes, quorum sanctitatem hoc modo per Diabolorũ expulsationem non raro probat Deus: Et hoc sæculum plurimorum ferax fuit, quorum vitæ parantur, ut lucem videant.

4. est Oratio juncta Jejunio & Eleëmosynæ. Et quidem de hoc medio authenticum testimonium reliquit Christus Marci 9. *Hoc genus* (inquit) *Dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in Oratione & Jejunio*: Et in Libro Tobiæ *Eleëmosyna* additur. Scio & ego etiam Disciplinarum pia austeritate Dæmones fugatos ab aliqua Persona Religiosa, cujus tunc Superior fuit.

Mar. 9. 29
Tob. 12. 8.

5. Devota Invocatio nominis Jesu: sicut & apud Judæos antiquitus Invocatio nominis Dei Tetragrammaton.

6. Invocatio Deiparæ Virginis Mariæ: & singularis ad illam Devotio per pias Precationes, Peregrinationes, & Cultus speciales: In hoc genere vidi devotam experientiam in versiculo illo Hymni, *Monstra te esse Matrem*, ab obsessa piè pronuntiato.

7. Signum sanctæ Crucis viva Fide impressum vel formatum. De quo etiam infinitæ Historiæ.

8. Sanctorum in cælo viventium Cultus singularis, Reliquiarum ipsorum tactus, Peregrinationes ad eorum sepulchra vel loca ubi coluntur: De quibus infinita miracula in Ronnaco Flandriæ ad S. Hermetem, in Gheel celebri pago Gampiniæ Brabantiæ ad S. Dympnam.

9. Sacra Amuleta, inter quæ principium Evangelii sancti Joannis; Symbolum Apostolorum; Agnus Dei: Extraordinariam autem virtutem expertus sum in particulis Corporalium, super quibus sanctum Christi Corpus consecratum fuit, si cum devotione & fide gestentur.

10. Aquæ benedictæ aspersio: De cujus virtute constat ex orationibus Ecclesiæ ad ejus benedictionem adhibitis.

11. Campanarum sacrarum pulsatio usitata est contra aëreas Potestates & Dæmonum præstigia tempore tempestatum: Imo & dies noctesque pulsantur in Germania, dum vineæ florere incipiunt, ut sortilegia avertat Deus.

Hæc sunt remedia, quæ sine superstitione & scrupulo, magnis autem juxta fidem utentium effectibus adhiberi possunt: Super quibus omnibus remitto Lectorem ad Martinum Delrio, in quo cum jucunditate videbit insignes Historias. De superstitiosis remediis dicemus posteà.

CONCLUSIO IV.

PRæter media & remedia suprà dicta, datur in Ecclesia Potestas specialis & spiritualis per ordinationem Exorcistarum ad Dæmones fugandos, eorum opera & præstigia dissolvenda.

Præter hæc omnia datur in ecclesia potestas spiritualis per ordinationem exorcistarum.

Hoc constat ex antiquissima Traditione Ecclesiæ, Conciliis ac Patribus: Hujus enim ordinis mentionem facit Ignatius, qui Apostolorum tempora vidit; dum, ut in Præambulo hujus Tituli diximus, Epistola 12. ad Antiochenus Exorcistam cum aliis ordinatis salutat: Et Clemens Romanus l. 8. Apost. Constitut. cap. 26. distinguit Exorcistas ha-

ab omni peccato mortali sit liber. Ratio est: quia exorcismus non pendet à virtute exorcizantis, sed à virtute Christi in exorcismo operantis secundum ejus divinam providentiam & misericordiam.

R. tamen 2. *Illegitimè & temerariò exorcistam in peccato mortali, & peccati actuali voluntate existentem tentare exorcismos peragere, ob pericula corporis & animæ illi imminentia, quamvis si debitam reverentiam adhibeat per se, & absque scandalo id peccatum mortale non sit.*

Ratio est: Quia in sententia communi, quæ tenet ordinem exorcistarum esse verum Sacramentum, ac conferre gratiam, sine dubio, cùm ad hoc officium gratia justificans illi collata supponatur, tenetur illam meliori, quo potest modo in se resuscitare, sive per Pœnitentiæ Sacramentum, sive per contritionem veram, sive per totalem à voluntate peccandi aversionem. Sed quia hæc sententia non est universalis, & plurimi ordines minores sacramentalia tantum arbitrantur: Aliam profero rationem conclusionis, nimirum, quod, qui Dæmonem expellere tentat, Dæmoni adversarius esse debet: Unde

Luc. 11. 18. & dicit Christus Lucæ 11. *Si Satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus &c.* Atqui qui in peccato mortali est Diaboli membrum & servus esse convincitur, qualiter igitur adversarius ejus erit, & quâ fronte Dæmonem expugnare tentabit: Sanè perviæ sunt ubique historiæ plenæ irrisionibus Dæmoniorum contra Exorcistas peccatores, qui tentabant ipsos adjurare, dum in peccato mortali existerent. Et

Mat. 17. 19. Matth. 17. Christus asserit Discipulos quoddam Dæmonium ejicere non potuisse: *Propter* (inquit) *incredulitatem vestram.* Quòd si diminuta fides nihil in Dæmonem potuit, quamvis à Discipulis Christi adjuratum, quid poterit peccatū mortale, quo Exorcista gravatur? Præclara est Historia Act. 19. de filiis Scevæ Principis Sacerdotum, qui Exorcistæ erant Judæorum, & qui videntes in nomine Jesu Dæmones adjuratos exire; *Tentaverunt* (inquit Scriptura) *invocare*

Act. 19. 13. *super eos, qui habebant Spiritus malos nomen Domini Jesu, dicentes: Adjuro vos per Jesum, quem Paulus prædicat &c. Respondens autem Spiritus nequam dixit eis: Jesum novi, & Paulum scio: Vos autem qui estis: Et insiliens in eos homo, in quo erat Dæmonium pessimum & dominatus amborum invaluit contra eos, ita ut nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* Et similia leguntur apud Historicos, quæ impiis Exorcistis Catholicis contigerunt.

Non nego sæpius Dæmones efficaciter à peccatoribus ejici, ad confusionem satanæ, & magnificentiam virtutis Dei: Unum dico ejusmodi Exorcistas peccatores se periculis, non tantum nil faciendi, sed etiam sibi ipsis damnationem acquirendi exponere: Quia, ut habetur Matth. 7. multis, qui in judicio dicent se in nomine Christi dæmonia ejecisse, respondebitur: *Quia nunquam novi vos;* & ut *Operarii iniquitatis* discedere, utique in ignem æternum compellentur.

Exorcista peccator se periculis exponit

Alterum apud me certum est: Ex natura rei & actionis requiri personam in charitate Christo (cujus ministerium gerit) conjunctam. Quòd si non obstante peccato Dæmon ejiciatur, aut ejus opera dissolvantur, Dei Majestati, & Ecclesiæ immaculatæ puritati assignandum est, in cujus virtute res geritur, ut confundatur iniquitas, & veritas triumphet, quæ alieno peccato maculari non potest.

A B U S U S.

Videant qui peccatis gulæ, ebrietatis, lasciviæ, & incontinentiæ dediti hujusmodi ministeria sibi assumunt: nec congratulentur sibi de securo effectu frequentiori, quia pars eorum erit cum illis, qui ut Operarii iniquitatis tanquam ignoti Domino foras mittuntur.

Taceo quod ipsis Dæmon illudat, dum in peccata graviora illos prætextu Exorcismorum præcipitat, gaudens magis de ipsorum æterna perditione, quàm de corporali alicujus personę nocumento. Quinimò experientia non rara manifestat & exorcistam & in femineo sexu energumenam, Dæmone à corpore abscedente, sæpius gravissimis peccatis periisse, qui corporalibus tormentis cruciati in die Domini salvi fuissent. De quibus unum verbulum infra.

§. 2.

De Exorcistarum Fide.

Fidem saltem Catholicam desiderari in Exorcista, probant verba Christi generalia Marc. 16. *Signa eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo Dæmonia ejicient &c.* Etsi enim hæc ad eos, qui Gratiis gratis datis donabantur, præcipuè referrentur, quia tamen ejectio dæmonum ex corporibus actus est Fidem Christi, ejusque virtutem approbans, ab hæretico & infideli, qui Christum negat, exerceri non potest, quamdiu nimirum in sensu composito infidelis est. Hoc probat, quod superius de incredulitate Discipulorum allegatum est; magis autem quod de filiis Scevæ Sacerdotis exorcistis Judæorum. Et patuit in Luthero, prout refert Staphilus apud Petrum Thyreum, qui, dum vellet Dæmoniacū exorcizare, suæ infidelitatis & temeritatis pœnas dedisset, nisi effractis fenestris Pseudo-Apostolus evasisset. Quam Historiam alii etiam referunt, & Thyræus p. 3. Disp. de Dæmoniacis cap. 4. alias refert ad hanc rem. De Fide, ut Fiduciam dicit, non ago: Etsi enim multum sit utilis & efficax, non tamen semper necessaria.

Staphilus

Thyræus

***

§. 3.

De Exorcistarum Scientia.

Scientia Exorcistarum talis esse debet, ut possit discernere tam in Energumenis, quàm in exorcismis eorumq; applicatione, vera à falsis, bona à malis. Ex ignorantia enim exorcistarum, vel eorũ inepta simplicitate gravissima nascuntur mala.

ABUSUS.

Cur mulierculæ se Energumenas fingant. Hinc advertant Exorcistæ 1. exorcismis, ex inscitia Exorcistarum, mulierculas sæpe panem quærere, ludicris motionibus apparentiam quandam velut theatricam coram hominibus ambire, consortia sibi plausibilia consectari, ad sui compassionem fideles convertere velle, quinimò lasciviæ alicujus cupidos miros motus, girationes corporis, ululatus, verba confusa, vel alterius idiomatis fingere, & Exorcistas ipsos ad angustias, delitia, hypocondrias & infirmitates deducere; qui ob ignorantiam & inscitiam putant se magni meriti opus & provinciam subire, si isto opere se enervent. Vidi ego plures hujusmodi, monui illos insinuari Episcopis, eorumq; tandem ignorantia, & mulierum illarum fallacia nimis & non sine confusione innotuit.

Advertant 2. ex inscitia & ignorantia Exorcistarum superstitiones, & signa potius magica, quàm Divina aut ecclesiastica exorcismis intermisceri.

3. Aliqua etiam, quæ contra Dei mandata & legem Divinam naturalem & positivam peccata sunt, ex ignorantia exorcistarum, sub prætextu pietatis, charitatis vel necessitatis excusari & sustineri licita. Nolo hic plura dicere nimis eheu multa ex omni genere apud me consulta sunt & reprobata.

§. 4.

De Prudentia Exorcistarum.

Imprudentes Dæmon illudit. Sapientissimi quiq; exorcistarum frequenter imprudentiâ labuntur, & falsa pietate, ac indiscretissimo zelo pereunt, & dum se credunt zelo & affectu Divini amoris in Satanam Dei inimicum maximè fervere, ut creaturam rationalem ab ejus crudeli dominio eripiant, ab astutissimo illo humani generis inimico illaqueantur, & ille, qui mille nocendi artes habet, ipsos cum suis energumenis in gravissima corporis & animæ damna præcipitat. Quinimò coluber tortuosus, qui Evam in proprium virum à principio armavit, mulieres potissimum suis fraudibus instruit, quarum machinamentis exorcistis illudat ut nimis frequentia exempla demonstrant. Vidi ego oppidum unum celebre circa annum 1614. refertum mulierculis, quæ se energumenas vel fingebant, vel fascino quodam ad energumenarum motus & passiones ira abripiebantur, ut singulis pœnè diebus novæ prodirent; quæ & in templum publico spectaculo adducta, velut ad tragicomœdiam exorcizabantur, & acta in exorcismis pro concione referebantur. Quibus intricati plures optimæ notæ viri, postea Dæmonis in sexu illo figmenta experti, eruberunt se temporis multi jacturam passos, ludos Dæmonis fecisse, & mundo, Angelis, & hominibus spectacula ridicula ministrasse. Vidi similia in particularibus & privatis subjectis: Quin & in adita plurium monasteriorum fallacias istas penetrasse, in perniciem totius Religiosæ vitę & disciplinæ, nisi Deus providâ misericordia per viros prudentes errores detexisset. Nolo hic texere historias: Nolo in re intricata, tricas majores miscere, sufficit mihi hic aliqua adnotare, & regulas proponere, quas inveni experientiâ multis Exorcistis profuisse, ad astutiam Satanæ non tam in se, quàm in suis instrumentis detegendam & destruendam.

ADNOTATIONES.

Exorcistis perutiles ad astutiam Satanæ tam in se, quàm in suis instrumentis detegendam & destruendam.

Primò ex orcista advertat, & sibi certò proponat: Muliebrem sexum esse maximè dissimulatum, & fictionibus ac dolis obnoxium: Cum enim ex natura sua mulier curiosa sit, & vana, libenterque appareat, appetit insolita, & mira circa se fieri, vel videri fieri; & quamvis honos & salus ejus periclitetur, sufficit genio muliebri, quòd admirationem causet, concursum faciat, homines ad se trahat, deniq; singularis & mirabilis videatur. *Mulier dissimulata & dolosa quia vana.*

2. Muliebrem sexum deceptioni Dæmonis per omnia subjectum: Cùm enim in mulieribus melancholicus humor prædominetur, & vehementiorem habeant mulieres imaginationem, vi extraordinariæ, & extrema attentantis imaginationis tantas solent interdum alterationes sibi causare in corpore, & organis etiam sensuũ; ut motus ab illis excitari naturam naturæq; vires supergredi videantur, quibus Dæmones pro sua innata naturalium causarum cognitione utuntur, & iis velut insident, & humores in quasvis passiones pro libitu inflectunt. Hoc quotidianis experientiis constat.

3. Dæmonem in muliere interdum agere, non tam per obsessionem, vel illapsum in illam, vel in corpus ejus, quam per commotionem quandam humorum & imaginativæ; ex qua motione, etiam Dæmonis actione cessante, nascitur quidam habitus pravus ad actus omninò similes: quo fit, ut post agitationem primam operâ Dæmonis causatam, motus illi planè fiant naturales, ab habitu vitioso relicto, malitiâ vel imaginationis turbatione mulierem ad hujusmodi excitante.

4. In agitationibus Dæmonis, sive fiant per obsessionem vel illapsum, sive per immissionem specierum, ac humorum commotionem, (his enim ferè modis homines exagitat Dæmon) tantam posse interdum turbationem in-

tervenire, ut persona agitata mentis sit inops & & judicii, etiam quando motus illi cessarunt, ratione nimirum motuum præcedentium, & reliquiarum, quæ ex motibus præcedentibus remanserunt. Unde de suis actionibus, quæ vel præcesserunt, vel ex turbatione prima remanserunt, sæpe judicare non potest.

5. Singulariter advertat Exorcista, si non vult decipi, Dæmonem in obsessionibus non tantum intendere personæ possessæ vel obsessæ afflictionem: sed per illam quammaximè assistentium, & Exorcistarum illusiones, turbationem familiarium, peccata etiam gravia, jacturã temporis, animarum perditionem: Ita ut Exorcista prudens, non tam ad energumenam, etsi vere energumena sit, attendere debeat, quàm ad se ipsum, circumstantias loci, temporis, personarum, & eorum, quæ exorcismos consequuntur.

Cur se personã Religiosa energumenã fingat. 6. Cùm obsessio Dæmonis ficta vel vera causet in Spectatoribus compassionem magnam, misericordiam, assistentiam, consolationis & colloquiorum multiplicationem: Fit ut mulier (maxime Religiosa) sui status, austeritatum, silentii, & exercitiorum Religiosorum tædio facilè delectat in fictiones, ut permittatur agere impune quæ vult, ut cibis lautioribus reficiatur, lectis mollioribus decumbat, colloquio continuo ipsi abblandiatur, viros Exorcistas penes

Cur secularis. se habeat, &c. Ex quibus plura mala. In muliere verò sæculari attendenda sunt, paupertas, quæ per hos modos sibi stipem quærere solet, amor libertatis, curiositas, vanitas, imò & sensualitas, quæ per hæc sibi satisfieri posse gaudet.

REGULÆ.

Informantes Exorcistas, qualiter se circa Energumenas aut à Dæmonibus afflictas, sive prætensas ut tales, gerere debeat.

EX prædictis & sequentibus Regulis informari potest exorcista, qualiter se circa energumenas, aut à Dæmonibus afflictas, sive prætẽsas ut tales gerere debeat.

REGULA I.

EXorcista, aut alius quilibet, qui consulitur, non facilè credat aut judicet personam maximè mulierem, obsessam vel possessam, sed det multum tempori, & tergiversationibus etiam quæsitis graviter deliberet, & diu, adhibita etiam oratione, & Sacrificiis, ut Deus illum illuminare & dirigere dignetur.

Ratio prioris partis est: Quia sexus muliebris fictionibus & dolis multùm obnoxius est, ut suprà diximus: & quia interdum est tantum immissa turbatio, ut videmus in scrupulosis, anxiis melancolicis, & hypocondriacis, ac iis, qui spiritu diffidentiæ, desperationis, formidinis insolitæ ita agitantur, ut videantur in corpore & imaginatione tanta & talia pati, quæ vix possunt æstimari humana virtute fieri posse.

Ratio etiam posterioris est: Quia cum mulier sit inconstans, si ob tergiversationes non adhiberi sibi fidem apprehendat, nec aliquem suis fictionibus moveri, à proposito tandem resiliet, se contemni dolebit, & alia meditabitur, ex quibus fraudes priores deprehendentur.

REGULA II.

QUamvis Exorcistæ signa admodum probantia & velut manifesta possessionis in persona afflicta appareant ita ut ad credendum inducatur, & verè credat: Numquam tamen mulieri possessa ostendat verbo vel signo se omninò credere, sed prudenter dissimulet, & ita se gerat, ut semper videatur inclinari magis in partem contrariam; & si quid circa prætensam Energumenam agat simulet magis explorando & tentando se agere, quam ex judicio definito & determinato.

Ratio est: Quia si sit ficta, superbiæ spiritus illam præcipitabit in tædia, quia, ut supra dixi, apprehendet sibi non credi: Si sit verè possessa, æqualiter, imò magis Dæmon torquebitur, eò quòd ipse horreat multùm prudentiam & discretionem Exorcistarum, & è contra gaudeat illos præcipitare in citos motus, & indiscretos actus & labores, quibus se enervant, & in varias indiscretiones ruunt.

REGULA III.

EXorcista, etsi gravissima & horrenda accidant, quantum fieri potest, non ostendat foris se moveri aut turbari: Sed quieto & sedato spiritu, ac corporis actione procedat, non plus vel foris agens, quàm quod consuetum est morali & sedato viro.

Ratio est: Quia si ostendat se turbari vel nimis apprehendere, & energumena prætensa sit ficta, gaudebit ipsum magis exagitare, & novã & amplam segetem turbationis deinceps subministrabit; si sit vere possessa, gaudebit Dæmon suum exorcistam turbationibus & molestiis conficere.

REGULA IV.

NOn procedat citò & leviter ad Exorcismos, sed prius probet exorcizandum per Confessionem peccatorum, Orationem sacram, jejunia aliqua & austeritates adhibeat sacra amuleta, ut partem corporalis, reliquias sacras, &c. & attendat quid ex iis sequatur.

REGULA V.

SI credat Exorcismos adhibendos, non adhibeat alios quam qui ab Ecclesia sunt approbati, & incipiat a minimis, ut à lectione principii Evangelii Sancti Joannis, Orationibus piis Litaniis &c.

⁂

REGU-

REGULA VI.

QUantum fieri potest Exorcizationes, si putentur necessaria, fiant secretò & extra consortium communium personarum: Nunquam tamen a solo cum sola, etiam in loco libero & aperto, propter periculum, vel scandalum, aut mali speciẽ: sed una aut altera persona prudens aut provida adsit.

REGULA VII.

IN Monasteriis clausis possunt incipi ad Cōfessionale velatum à solo cum sola: Imò à Confessario, Energumena ignorante, possunt secretò legi Exorcismi ad probandam Energumenam. Si tamen motus aliquos nimis graves exerceret, fieri possunt duabus discretis Monialibus præsentibus ad cratem, si nullum sit inconveniens.

REGULA VIII.

CUm aliter fieri potest, non fiant Exorcismi intra Clausuram, sed ad cratem, ut jam dictum est.

Ratio est: Quia inutiliter sæpe contingit aperire Clausuram, & violari leges appositas ab Ecclesia, & alia intercedunt, quæ periculis vel etiam scandalis patent.

REGULA IX.

SI intra clausuram Exorcismi fieri debeant, fiant in loco patenti, præsente una aut altera persona idonea ut dictum est. Statim verò absolutis Exorcismis egrediatur Exorcista, nec ibi hæreat prætextu consilii, consolationis, vel collocutionis; quibus etiam prætextibus cavebit ab ingressu frequenti, sed sufficiet ordinariè unus exorcismus & ingressus de die: Nec producatur exorcismus pro uno tempore ultra novenam: & tunc demum aliquo tempore notabili cessetur, ut videat Exorcista & prudenter advertat, quid circa personam succedat.

REGULA X.

CAveat Exorcista ab adhibendis aliis, quàm quæ universalis Ecclesia approbavit, maximè à tactibus singularibus, & manuum insitatis aut periculosis impositionibus, & contrectationibus, etiam prætextu aliquorum motuum in membris, qua videntur magis exagitari à Dæmone, aut in quibus humores Dæmon excitat.

Job 40. 16. Ratio est: Quia non sunt nisi fomenta sensualitatis & incentiva impudicitiæ, & *calami virides sub quibus Behemoth dormit.* Nec quis glorietur de aliquibus effectibus bonis, quos simulat Dæmon, ut Exorcistam & Energumenam decipiat & foveat.

***

REGULA XI.

SI sint in eodem loco plures Energumenæ, nunquã simul exorcizentur, nec conversari vel loqui ad invicem permittantur.

Ratio est: Quia invicem excitant, docent, & fovent, ac in motibus se invicem æmulantur.

REGULA XII.

OPera pretium est, ubi malum illud serpit, ut Energumenæ separentur à consortio communitatis: In cameris seu locis arctè includantur: In jejunio & disciplinis, maximè quando clamoribus & agitationibus turbationem excitant, mortificentur & subjiciantur: Non visitentur, nec protrahantur colloquia apud illas: Una tantum aut altera prudens & solidi judicii, quæ Energumenas visitet, præficiatur: Ubi sunt plures, sint tota loca abinvicem dissita, ex quibus quantum fieri potest, invicem audire, aut videre non possint.

Ratio eadem est quæ superioris Regulæ.

REGULA XIII.

IIs, quæ Energumena dicunt, vel non credat vel suspendat judicium Exorcista nec facilè aliis referat ad colloquium nisi prudentibus, quorum consilium vel judicium expectat.

REGULA XIV.

NOn examinet inutiliter Energumenas, nisi de iis quæ omnino sunt necessaria & velut essentialia ad rem & volentes mala loqui & narrare, etiamsi bona essent, compescat exemplo Christi, qui non sinebat Dæmonia loqui, quamvis confiterentur eum esse Christum.

REGULA XV.

ACta sub Exorcismis penitus subticeantur, nisi ad consilium capiendum cum prudentibus.

REGULA XVI.

SIgna animæ malitiosæ dolosæ ac fraudulentæ in Energumena sunt: Sensualitas vanitas melancolia simulata effrænis quædam libertas ad loquendum murmurandum convitiandum irridendum, dijudicandum de aliis, &c. Jactantia quædam & velut complacentia in actibus suis, extra abreptionem Dæmonis actualem. *Signa animæ malitiosæ.*

Hæc enim inducunt vehementem suspicionem fictionis, aut malitiæ cooperantis Dæmoni, nam quæ involuntariè abreptitiæ sunt, solent post agitationem Dæmonis quodam afflictæ mentis suspirio ad se reverti, & quandam confusionis seu animæ confusæ speciem præ se ferre, ad pietatem redire, austeritates, jejunia, disciplinas desiderare, nolle coram aliis videri ex sui confusione & contemptu.

De his

De his omnibus miras Historias referre possem, quæ sub meis regiminibus contigerunt, nisi melius esset omnia hujusmodi preuere & supprimere æterno silentio, quamvis plurima sanctum successum habuerint.

Abusus ex singulis Regulis colligat Lector.

§. 5.

De Intentione recta Exorcistarum.

Intentio recta.

I*Ntentio recta Exorcistarum summè necessaria est, ut totius actionis necessarium perpendiculum*: Si enim ad dextram vel sinistram quovis modo declinet, periculis maximis se exponit, & parum est quomodo pereant, si ex defectu rectæ Intentionis Exorcistam perire contingat.

Conditiones igitur ad rectam & puram Intentionem requisitæ sunt.

1. Ut Exorcista purè propter gloriam Dei,
1 Joan. 3. 8 & Filii ejus Christi Jesu, qui *in hoc apparuit, ut dissolvat opera Diaboli*, Exorcizandi munus suscipiat.

2. Ut neutiquam de sua virtute, etiamsi ad ejus nutum Dæmones cederent, confidat;
Luc. 10. 19 minùs glorietur; juxta illud Luc. 10. *Ecce dedi vobis Potestatem calcandi super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici; & nihil vobis nocebit. Verumtamen in hoc nolite gaudere, quia Spiritus subjiciuntur vobis, gaudete autem, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis.*

3. Ut ex sincera & sola charitate procedat, ut creatura Dei a declarato humani generis hoste liberetur: Hanc Intentionem in-
Luc. 13. 15. dicat Christus Lucæ 13. Ubi mulier inclinatâ habens spiritum infirmitatis liberata est in Sabatho: *Unusquisque vestrum*, inquit, *Sabatho non solvit bovem suum*, &c. *Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligavit Satanas, ecce decem & octo annis; non oportuit solvi à vinculo isto die Sabbathi?* In quibus verbis indicat operà contra Diabolum ad eum expellendum ex corporibus humanis, debere esse meræ charitatis, quæ etiam operibus cultus Dei in Sabbatho æquipàrari, vel etiam præponi possint. Hanc etiam intentionem declarat Christus Lucæ 10. Ubi causam reddens, quare dederit Discipulis potestatem in Dæmonia: *Videbam* (inquit) *Satanam sicut fulgur cadentem de cælo: Ecce dedi vobis potestatem &c. super omnem virtutem inimici &c.* quasi dicat: quia potestas Diaboli est frequentior & vehementior, idcirco volui vobis prævidere hanc virtutem, ut ejus potestatem à Fidelibus avertatis.

4. Ut nulla temporalis commoditatis vel fa-
Mat. 10. 8. voris spe moveatur. Matth. 10. *Dæmones* (ait) *ejicite. gratis accepistis gratis date. Nolite possidere, &c.* Unde & illis, qui Matth. 7. Deo objiciebant: *Nonne in nomine tuo Dæmonia ejecimus?* bene respondit Christus: *Quia nunquàm novi vos: Discedite à me qui operamini iniquitatem*, quasi dicat, mea virtus operata est per vos, sed vos ad iniquitatem deflexistis; ob quæstus, vanam gloriam, favores humanos. Et ad horum numerum reducuntur Filii *Scevæ* Principis Sacerdotum, qui & vocantur *Circumeuntes Exorcistæ*, in quos & Dæmon insilit: Quia, ut dicunt Act. 19. 13.
Expositores, erant Exorcistæ quæstuarii, qui ob quæstum & lucrum, quasi circumeuntes sive circumforanei ibant, ut exorcizarent: Qui videntes majorem effectum in invocatione nominis JESU, quem Paulus prædicabat, putaverunt isto exorcismo adhibito majorem quæstum facere. Quibus bene dicit Dæmon: *JESUM novi, & Paulum scio: Vos autem qui estis?*

ABUSUS.

Nota.

CAveant: Qui, ut coram hominibus pii, sancti, virtuosi appareant, opus Exorcistarum sibi assumunt: quos decipit Dæmon, ut miles simulans fugam, & altera via in hostem insiliens.

Caveant: Qui sibi velut de scientia, industria arte expellendi Dæmonem, &c. gloriantur, quasi sua virtute id præstent, unde ad superstitiones, magias, ac pænè ad Idololatrias declinant.

Caveant etiam: qui æmulantur, & Exorcistas bonos & pios impediunt, aut impedire conantur: putantes sibi, aut suis commoditatibus per illos derogari. Quem spiritum æmulationis arguit Christus Luc. 9. Ubi cùm Joannes ei Luc. 9. 49
dixisset: *Vidimus quemdam in nomine tuo ejicientem Dæmonia & prohibuimus eum; quia non sequitur nobiscum ait ad illum JESUS: Nolite prohibere: Qui enim non est adversum vos, pro vobis est*

Caveant: Qui ex Exorcismis quæstum faciunt & lucrum turpissimum. Etsi enim ad gloriam nominis DEI dæmonia fugiant, audituri tamen sunt hujusmodi Operarii iniquitatis: *Quia non novi vos: Discedite &c.*

§. 6.

De Modis approbatis Exorcismorum, & de Exorcismis contra infestationes domorum per apparitiones spirituum contra glires, mures, & animalia venenata contra infectos morbis vel maleficiis.

M*Odi approbati Exorcismorum soli illi censendi sunt, quibus sancta Romana Ecclesia, vel aliquarum Ecclesiarum recepta consuetudo utitur*, adeoque sollicitè cavendum est ab illis, qui absque ulla auctoritate circumferuntur, & sæpe pravis superstitionibus sint inspersi. Sed de his omnibus sigillatim tractare opus immensum foret: De Exorcismis autem contra infestationes domorum, &c. sufficiat hæc pauca adnotare.

In infestationibus domorum ob multiplices fraudes eadem ferè cautela adhibenda.

1. In Infestationibus domorum per apparitiones Spirituum eædem fere cautelæ Exorcistis adhibendæ sunt, quas adhibendas documus in Regulis datis pro Exorcismis Energumenorum: Non raro enim figmenta sunt, ex apprehensione personarum; & turbata

Vide sup. quæ supra diximus in Regulis.

bata imaginatione provenientia. Nonnunquam etiam malitia humana in illis operatur ad finem al quem malum: Aliquando Magia: Aliquando Philtrum amatorium: Aliquando Dæmones infestant ob causas Deo notas: Aliquando Animæ defunctorum. Igitur Exorcista sit prudens, pius, fortis, æquanimis,& omnia cum proportione adhibeat,quę in superioribus de Energumenis sunt dicta.

2. Quoad infestationes glirium, nimirum &c. cum ex duabus potissimum causis oriantur. 1. Ex putredine & corruptione loci. 2. Ex procuratione Dæmonis. Si ex putredine loci & corruptionibus, magis utendum est remediis naturalibus, purgationibus, fumigationibus, odoribus &c. Quamvis enim orationes Ecclesiæ ad hoc prosint: (nam & aquæ benedictionem ad hos effectus pertinere docet in suis orationibus Ecclesia) tamen primò remedia naturalia vel artificialia tentanda sunt, aut certè non omittenda. Si verò operâ Dæmonis, tunc nonnulli Exorcismi & Adjurationes, quæ in libro Exorcismorum ab Ecclesia Romana approbatorum continentur, adhiberi possunt: Hac tamen cautela, ut Exorcismi & Adjurationes non ferantur in glires, aut mures, sed in ipsos Dæmones malignos, qui has Infestationes & vexationes ingerunt.

Signa verò, ex quibus Dæmonum operâ Infestationes istæ fieri deprehendantur, sumi possunt ex duobus capitibus. 1. Ex defectu causæ vel causarum naturalium: ut si in loco non fuerit materia tantæ corruptionis ad animalia illa excitanda; aut si aliunde præter cursum ordinarium naturæ adsportata sint: 2. Si aliqua omnino insolita in istorum animalculorum grassatione intercurrant & fiant, quæ ordinem naturæ prætergrediuntur.

3. In morbis sim[illegible]er attendenda est causa: Aliquando enim ex causis merè naturalibus procedunt: Aliquando ex Hipocondriaca & Melancolica apprehensione & imaginationis perturbatione: Aliquando ex maleficio operâ Dæmonis inducto. Huic soli ultimo ex Potestate præcisa ordinis Exorcistatum adhibendi sunt Exorcismi, directi in ipsum Dæmonem infestantem, ad hoc ut nocere desinat, & maleficium continuare: Quæ omnia ut bene & à fundamentis intelligantur ponohic doctrinam fundamentalem.

DOCTRINA FUNDAMENTALIS.

De virtute Exorcistarum & Exorcismorum.

Ut quis benè se in Exorcismis & orationibus Ecclesiasticis gerat, aliqua sunt doctrinalia supponenda & benè advertenda, quæ iterum suprà docuimus q. 3. concl. 4.

Primò: Ecclesiæ à Christo relictam Potestatem & Virtutem quandam contra omnē adversitatem tam corporalem quam spiritualem, non tantùm à Dæmonibus provenientem, sed etiam à quocumq; contrario: Hæc, ut suprà concl. 2. diximus, fuit concessa Apostolis Math. 10. Marci ult. Luc. 10. quibus universaliter dedit Christus Potestatem curandi morbos, infirmitates, calcandi super serpentes & scorpiones & super omnem virtutem inimici. Ubi per inimicum omnem humanę creaturæ adversarium intelligit, sive sit homo, sive bestia, sive Dæmon: Ut explicant Theophilactus, Euthymius & Beda. Et quidem hæc Virtus per gratiam gratis datam distributa est Apostolis, & eam interdum singulariter concedit Deus aliquibus fidelibus: Verùm permanenter hæc Virtus & Potestas ita concessa est ecclesiæ Dei, ut in illâ remaneat. Mat. 10. & Marc. ult. 17. Luc. 10. 19

2. Ecclesiam uti hâc Potestate in benedictionibus salis & aquæ, cereorum, campanarum, ramorum, Agni benedicti &c. Ut illorum virtute morbos depellat, Dæmones comprimat, tempestates fuget, & mala temporalia quæ spiritualia avertat; quæ omnia in orationibus illorum benedictionum à Deo postulantur. Quomodo & de panis benedictione ante cibūm loquitur Paulus 1. ad Timoth. 4. *Sanctificatur (ait) per verbum Dei & orationem.*

Ecclesia in benedictionibus salis & aquæ, cereorū, &c. utitur Potestate, quæ est Gratia gratis data 1. Tim. 4. 5.

3. Hanc virtutem Ecclesiæ relictam distingui à potestate datâ Exorcistis in sua Ordinatione: Potestas enim Exorcistæ provenit à charactere, & ordinis collatione, inhærerque subjecto, & dirrectè tantùm in Dæmones dirigitur, ut ex forma patet. Virtus autem Ecclesiæ relicta ad omnia fertur, quæ saluti & quieti hominum adversantur, etsi ex naturalibus causis procederent.

4. Exorcistarum officium non propriè referri ad morbos, infirmitates & hujusmodi, nisi in quantum à Dæmone procedere creduntur. Unde fere omnibus Exorcismis orationes & res ab ecclesia benedictæ adhibentur, ut suppleatur ex parte ecclesiæ id, quod ex ordinatione exorcistarum deest, etiam adversus morbos, & eventus ex causis naturalibus ortos, in quos ex vi ordinationis suæ Exorcistæ nullam Potestatem habent.

Cur exorcismis orationes & res ab ecclesia benedicta adhibeantur.

Ex his Dico 1. Circa morbos, infirmitates, corruptiones aëris, tempestates &c. utendum magis esse orationibus, & rebus ab ecclesia ad hoc benedictis & ordinatis, quàm Exorcismis.

Dico 2. Omnem fidelem adhibere posse ea, quæ ab ecclesia ad præfata benedicta & instituta sunt.

Dico 3. Sobriè utendum esse Exorcismis propriè dictis; nisi ubi constat probabiliter infestationem, adversitatem, vel quamcumque operationem damnificam esse à Dæmone.

Dico 4. In infirmitatibus à Dæmone causatis, totam actionem exorcistæ terminari ad hoc, ut Dæmon nocere cesset, & ut maleficium tollatur. Cæterùm morbus jam causatus, & humorum inæqualitas, sive corruptio introducta in corpus infirmi, non pellitur exorcismis, sed medicinæ corporales adhibendæ sunt, vel etiam orationes ecclesiæ ad hoc ordinatæ.

Ratio clara est ex dictis: Potestas enim exorcistæ ad hoc tantùm ordinata est, ut Dæmon fugetur, non ut sanitas conferatur. Vide quæ suprà diximus q. 3. concl. 4.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

An ad Exorcizandum requiratur potestas Jurisdictionis, sive etiam Approbatio & Facultas Episcopi Diœcesani?

RAtio dubitandi sumitur ex aliis ministeriis Sacramentorum: Neque enim licet absque Facultate & Jurisdictione proprii Episcopi vel ejus Superioris alienum confirmare, alienum absolvere, alieno Sacramenta Eucharistiæ, Extremæ Unctionis &c. administrare.

CONCLUSIO I.

Episcoporum est invigilare ut exorciste benè officio fungantur.

EPiscoporum est invigilare super Exorcistis, ut prudenter, piè & castè legitimis & approbatis ab Ecclesia Exorcismis utantur.

Ratio est: Quia ad sollicitudinem pastoralē pertinet hæc vigilantia, estque sollicitudinis pastoralis pars: Et Exorcistæ Clerici sunt ordinati, super quorum vita & ministeriis ex natura officii invigilat Episcopus.

CONCLUSIO. II.

EXorcistam abutentem sua potestate, vel illegitimis exorcismis utentem potest prohibere Episcopus.

Ratio est: Quia ad hoc coercitivam potestatem habet, & Pedum pastorale gerit.

CONCLUSIO III.

Ex natura rei non indiget Approbatione Episcopi.

EX natura rei ordinariè & regulariter non indiget Exorcista aliqua approbatione Episcopi vel Superioris ad exorcizandum.

Ratio est: Quia exorcizare est actus meri Ordinis & Potestatis in ordinatione acceptæ, absque alio respectu, vel potestate concurrente. Unde sicut Sacerdos legitimè ordinatus absque alia facultate celebrare potest: Diaconus Evangelium cantare, &c. ita Exorcista, hoc ipso quo ordinatus est, absque alia Approbatione vel facultate Exorcizare potest, ex vi Potestatis sibi collatæ. Et ita tenet Navarrus de officio ordinarii consil. 5. Hugolinus eodem tit. cap. 47. num. 6. Sanchez l. 2. in Decal. c. 42. n. 18. vide Portel. V. Exorcismus, & alios.

Ad rationem dubitandi Respondeo. In omnibus in illa allegatis concurrere vel aliquam Jurisdictionem, vel singularem Potestatem & actionem in personam subditam: In exorcismis autem sive Exorcizatione nullam: Tota enim virtus & potestas Exorcismi consistit in invocatione virtutis Dei contra Dæmonem; & ejus adjuratione, absque alia Potestate vel actione in personam.

Ex quo infero: Si quæ prohibitiones in hac materia ab Episcopis fiant, illas terminari non ad permittendos vel prohibendos Exorcismos; sed ad cognoscendum de personarum idoneitate, sive potius ad avertendum personarum abusus: Unde posita personarum idoneitate, & prudentia, ac bono usu, Episcopus prohibere Exorcistam non potest: Nec Exorcista regulariter indiget facultate: Estque prohibitio Episcopalis, prohibitio facti, non juris, quæ tantum cadit in actuale regimen subditorum, non in Potestatem. Vide Portellum suprà.

QUÆSTIO VI.

Quis sit ordo Acolythorum, & quæ ejus Materia & Forma?

DE antiquitate ordinis Acolythorum sufficienter egimus suprà; dum de antiquitate Minorum ordinum ageremus: Ubi ostendimus in Epistola Cornelii Papæ ad Fabium Antiochenum: Item in institutione Caii Pontificis recensitos Acolythos: De quibus etiam mentionem facit Cyprianus l. 2. Epist. 8. & Epiphanius Hæresi 80. sub finem, Et aliqua quæ huic antiquitati contraria videbantur ibi resolvimus. Vide hujus Tituli Præambulum Propositione 4. & 5. Sufficiat nunc paucis Naturam illius ordinis explanare. Sic igitur describi potest

CONCLUSIO I.

Acolythatus descriptio.

ACOlythorum ordo: est Potestas spiritualis, per signum Sacramentale Clerico collata ad sacra luminaria accendenda, & præparandam S. Sacrificii Missæ materiam.

Conclusio ex natura terminorum constat: In omni enim ordinatione, aliqua spiritualis Potestas confertur, ut superius fol superque dictum est: Addidi vero (*per signum Sacramentale*) ut ego in opinione mea probabiliori persistam, quâ suppono cum sententia magis communi ordines Minores Sacramenta esse, & gratiam conferre: *Clerico* conferri dixi, quia ad legitimam & licitam susceptionem, Tonsuram Clericalem supponit. Utrumque potissimum officium Acolythorum comprehenditur sub ultimis particulis: Unde fit

CONCLUSIO II.

Materia duplex juxta duplex Ministeriū.

MAteria ordinis Acolythorum juxta duplex Ministerium, duplex est: Porrectio candelabri cum candela extincta, & urceolorum vacuorum. Et quidem candelabrum cum candela extincta porrigituri, quia Acolythorum est luminaria accendere; & portare: Urceoli vacui, quia eorum est providere, ut fideli materia ad Sacrificium impleantur, vino utique, & aqua pura. Hæc intimantur à Concilio Carthaginensi 4. *Acolythus*, ait, *cùm ordinatur ab Episcopo, doceatur, qualiter in officio suo agere debeat: sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo; ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ lu-*

sic luminaria mancipari; *Accipiat & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Eucharistiâ Sanguinis Christi*. Non loquitur de urceolo aquæ, quia tantum ad mysterium pertinet, etsi de eo in forma Sacramenti mentio fiat.

Conclusio III.

Forma duplex.

Sicut materia duplex est, ita & forma in Ordinatione Acolythorum: In porrectione candelabri cum cereo utitur hac forma Episcopus: *Accipe ceroferarium cum cereo, ut scias te ad accendenda luminaria mancipari*: In porrectione autem urceolorum forma sequens usurpatur: *Accipe urceolos, ad suggerendum vinum & aquã in Eucharistiam Sanguinis Christi, in nomine Domini.*

Ex dictis constat: Quare Acolythi ordinatis cæteris Ordinibus minoribus præferantur: Magis enim accedunt ad Sacrificium Corporis & sanguinis Christi, dum & luminaria, quæ fidei nostræ symbola sunt, accendunt & deferunt ac materiam Sanguinis Christi præparant, denique propinquioribus Ministris Altaris Diacono & Subdiacono ministrant: Diacono enim Evangelium cantanti ex antiquissimo Ecclesiæ more luminaria præferunt, Subdiacono autem urceolos, & alia necessaria subministrant. De his ministeriis habetur dist. 21. c. *Cleros.* & dist. 23. c. *Acolythus*. De mystica verò luminarium significatione sic adversus Vigilantium scribit Hieronymus: *Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, præcedunt duo luminaria à duobus Acolythis delata, propter geminam dilectionem Dei, vel propter duo Testamenta, quibus genus humanum illuminatur.*

Disputant hic Theologi ob porrectionem duplicem duplicis Materiæ & prolationem duplicis formæ: Quandonam exprimatur Ordinato character: In re multum incerta sequor ego Regulam S. Bonaventuræ in 4. dist. 24. p. 2. quæst. 4. Ubi sic loquitur: *Hoc pro generali regula* (inquit) *habendum est. Quod in illo signo exteriori imprimitur character in quolibet Ordine, in quo principalis potestas, quam respicit ordo, signatur tradi ordinato.* Unde cùm in Acolythorum ordine principalior potestas videatur, quæ ad præparationem materiæ Sacrificii dirigitur, quia magis & principalius finem respicit, qui est Sacrificium Missæ: Idcircò in porrectione urceolorum & pronuntiatione Formæ correspondentis æstimo characterem imprimi.

Quando imprimatur character. S. Bonav.

TITULUS III.

De Ordinibus majoribus sive Sacris in genere.

QUÆSTIO I.

Qui dicantur Ordines majores & Sacri?

Conclusio Unica.

Tres sunt Ordines majores.

Tres sunt Ordines majores & sacri, nimirum Subdiaconatus, Diaconatus & Presbyteratus ad quem pertinet Episcopatus tamquam eminentior in illo gradus.

Vocantur porrò *majores Ordines*, quia prærogativis & obligationibus majoribus & eminentioribus exornantur, ac Altari & Sacrificio Missæ immediatiùs deserviunt. Dicuntur autem *Sacri*, tùm à sacrosancto Sacrificio, tum à sacris actionibus illis commendatis, tum & singulariter à Voto solemni continentiæ illis annexo.

De eorum institutione & specialibus actionibus, ac obligationibus suis locis infrà agemus: Modò tantum de nonnullis generalibus, quæ istos Ordines concernunt, aliquid dicendum est, ne in singulis repeti debeant.

QUÆSTIO II.

Quæ sint communes obligationes Ordinibus sacris annexa?

Conclusio Unica.

Tres sunt obligationes sacris ordinibus annexæ.

Tres sunt Obligationes, quæ Ordinandos majoribus Ordinibus obligant, & ordinatos consequuntur ex Ecclesiæ instituto.

Prima: Votum solemne continentiæ perpetuæ.

Secunda: Obligatio ad recitandas Horas canonicas.

Tertia obligatio ad sanctè ministrandum in suo officio. De his in quæstionibus sequentibus.

QUÆSTIO III.

Quo jure, quave obligatione Ordinati majoribus Ordinibus ad cœlibatum & continentiam perpetuò observandam teneantur?

Doctorũ variæ sententiæ.

Doctores in materia de Continentia Ministrorum sacris Ordinibus ordinatorum in varias abiere sententias.

Prima sententia fuit eorum, qui saltem Sacerdotio Cœlibatum & continentiam Jure Divino annexam crediderunt. Videndus in hac & pro hac sententia Judocus Clicthovæus l. de Continentia Sacerdotum cap. 4. & sequen-

quentibus. Et cùm de Sacerdotibus Græcis maximè quæstio moveatur; Baronius quidem ad annum Christi 58. num. 23. sustinet nec Sacerdotibus Græcis licuisse usum matrimonii etiam ante sacerdotium contracti, postquam sacerdotio initiati fuissent. Profert verò ad hanc rem probandam testimonia luculenta SS. Epiphanii, Hieronymi, Leonis Papæ: Profertur & canon 3. Concilii Nicæni prohibentis, ne cum Presbytero, Episcopo, Diacono suspectæ mulieres cohabitarent. Inter non suspectas vetò solum enumerat matrem, sororem, aviam, amitam, nullam faciens mentionem de uxoribus ante sacerdotium habitis. Citatur & responsum Nicolai I. ad consulta Bulgarorum: Ubi decernit Presbyteros valde reprehensibiles, qui uxoribus post sacerdotium uterentur.

2. Sententia tenet Ordinarios majoribus Ordinibus solo instituto & Præcepto ecclesiæ ad continentiam teneri, ita ut excludat votum in rigore dictum, vocari tamen Votum, eò quòd illud Præceptum eundem effectum quoad finem operetur, & matrimonium dirimat. Citatur pro hac Sotus in 4. dist. 37. quæst. unica, & alii.

3. Sententia adscribit hanc obligationem voto implicito & solemni castitatis, quod ordinari hoc ipso quo ordinantur, emittunt. Et hæc est sententia magis communis antiquorum Theologorum S. Bonaventuræ, S. Thomæ, Scoti & aliorum.

Conclusio I.

Ordinati S. ordinibus non tenentur ad continentiam.

Ordinati majoribus Ordinibus, etiam Sacerdotes, non tenentur jure Divino ad continentiam.

Ratio mihi fundamentalis prima est; Quia etsi res admodum sancta & congrua sit, eaque puritas multum ordinibus illis, maximè sacerdotio, conveniat: Nullum tamen de continentia perpetua servanda nec in veteri, nec in Novo Testamento Divinum Præceptum reperitur: Quinimo S. Paulus 1 ad Corinthios 7. *De Virginibus* (inquit) *Præceptum Domini non habeo, consilium autem do*, quæ verba pro eo tempore universaliter intelligenda sunt: Quod nullum Juris Divini præceptum datum fuerit, quamvis aliqua, ut dicemus, præcepta circa continentiam Sacerdotum in Ecclesia tunc emerserint.

Ratio secunda, quia diu in Ecclesia Subdiaconatus uxores non exclusit; quin & Diaconis & Sacerdotibus, & Episcopis licuit post ordinationem uxoribus uti, quas ante Ordinationem duxerant, etsi non licuerit post Sacerdotium uxores ducere: Hujus legitimi usus meminit Alexander III. c. *Cum olim.* de Clericis conjugatis; ubi docet Orientalem Ecclesiam non admisisse votum continentiæ: *Quoniam* (inquit) *Orientales in Minoribus Ordinibus contrahunt, & in Superioribus utitur matrimonio jã contracto.* Vide & dist 31 c. *Alter.* & c. *Nicena Synodus.* Ubi Paphnutius, quamvis ipse cœlebs & continens, pro hac causa uxorum peroravit, & Synodo persuasit, ut, qui nollent continere, in conjugio permanerent.

De Subdiaconorum facultate ad retinendas vel ducendas Uxores varia ab Antiquis referuntur: Et 1. Certum est Subdiaconatum multo tempore non fuisse annumeratum inter ordines Sacros: Unde est illud Urbani II. c. *Nullus Episcop.* dist. 70. *Sacros autem ordines dicimus Diaconatum & Presbiteratum, hos si quidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.* Ex quo capite fiebat, ut Subdiaconi sacra vasa prohiberentur attingere: Ut habetur in Concilio Laodicensi c. 1. & habetur c. *Nullus* d. 24. Potestas enim tangendi sacra vasa solum diu post Subdiaconis collata est, ut habetur c. *Non liceat* d. 23. ubi potestas sacra vasa vacua tangendi Subdiacono & Acolytho concessa insinuatur. Dico (vacua) quia non licet ipsis illa tangere, in quibus Dominica Sacramenta Corporis & Sanguinis Christi actu continentur. 2. Constat Subdiaconis licuisse habere Uxores ante tempora Syricii Papæ, qui, ut habetur cap. *Quicumque* dist. 77. solis Presbyteris & Levitis, id est Diaconis Uxores prohibuit, Subdiaconis autem unicam Uxorem virginem ducere permisit; quod & expresse habetur in Concil. Carthagin. 6. c. 3. Quamvis autem usum Uxoris ductæ ante Subdiaconatum illis permissum fuisse communiter Auctores affirment, ut constat ex S. Gregorio l. 1. Epist. 42. Non desunt tamen, qui dicant Subdiaconis indultum fuisse, antequam Continentiam voverent, etiam post Subdiaconatum Uxores ducere, ut videre est apud Basilium Pontium l. 7. de Matrim. c. 24. num. 6.

Conclusio II.

A temporibus Apostolorum præceptũ de continentia cœpit.

A Temporibus Apostolorum Præceptum ecclesiæ cœpit, ut qui Sacris ordinibus initiati essent, Uxoribus non uterentur, ob reverentiam purissimi & sanctissimi Sacrificii ac Sacramenti, ad cujus ministerium singulariter concurrebant.

Conclusio constat ex Concil. Carthag. 2. can. 2. in quo hæc leguntur: *Omnibus placet ut Episcopi, presbiteri, Diaconi, vel, qui Sacramenta contrectant, Pudicitiæ Custodes etiam ab Uxoribus se abstineant; ut, quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit Antiquitas, nos quoque custodiamus:* De hoc Præcepto plura vide apud Baronium & Judocum Clictovæum suprà. Et quidem nemini mirum videatur, hoc Præceptum impositum, cùm rationi & juri naturæ, ob sacrorum reverentiam, ita conforme sit, ut etiam apud Barbaricas nationes usurpatum fuerit, ut sacerdotes & sacri ministri, vel Uxores non ducerent, vel diebus, quibus ministrabant, à concubitu cum Uxoribus abstinerent: Unde est istud apud Tibullium l. 2. Eleg. Eleg. 1.

Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Et de Sacerdotibus Ægyptiis idem affirmat Clemens Alexandrinus l. 1. Stromatum. S. Hieronymus l. 2. contra Jovinianum: Ang. serm. 37. ad Fratres in Eremo. De Sacerdotibus Cereris vide Tertul. l. de Monogamia. Et apud Judæos continentia Sacerdotum res ita sacra fuit, ut Matthiæ summo Sacerdoti non licuisse sacra facere, eò quòd somniasset se cum uxore rem habere, testis sit Josephus lib. 17. Antiq. c. 8. Cui consonat illud Davidis de usu panum sacrorũ, sive de non comedendo panes sacros, nisi per tres dies pueri à mulieribus abstinuissent: quòd si hic scrupulus in laicis, quis in Sacerdotibus sacrificantibus.

Conclusio III.

Pro diversitate temporum immutatum est.

PRæceptum de continentia servanda ab iis, qui Majoribus & sacris Ordinibus initiati essent, pro diversitate nationum, temporum eventuum, & aliarum circumstantiarum variè immutatum fuit, & in eo quidem nonnunquam dispensatum, alias etiam Præceptum rigorosius impositum.

Hæc conclusio concordat diversitatem sententiarum, quæ in Patribus, Ecclesiasticis Historiis, & Canonibus reperiuntur: juxta enim personarum, nationum, temporum varietates, varie se habuit Ecclesia.

Et quidem de Ecclesia Græca constat primò Continentiam in Ministris Altaris semper fuisse commendatam, & laudatam; ita ut plurimi etsi nullo stricto præcepto obligarentur, illam tamen observarent, & à nuptiis ex doctrina Apostolica abstinerent, non tantum ab uxore post sacerdotium ducenda, sed etiam ab uxore quam ante Sacerdotium duxerant. In quo sensu S. Ambrosius exponit illud ad Timotheum. 3.

1Tim. 3. 2. *Unius Uxoris virum*, ita excludere Bigamiam, ut quod subditur: *Filios habentem subditos cum omni castitate &c.* etiam prohibeat usum Uxoris pòst Sacerdotium: *Ne quis* (inquit) *Filios creare in Sacerdotio Apostolica invitetur auctoritate*, Habentem *dixit* Filios, *non facientem.* Cui interpretationi adstipulatur S. Hier. l. 2. contra Jovinianum, Chrysost. Hom. 10. in cap 3. 1. ad Timoth. Epiphanius Hæresi 59. Posteà Continentia etiam in præceptum transiit, aliquando in universa Græcia observatum, aliquando apud certas tantum provincias: Interdum etiam occurrentibus Casibus in præcepto illo dispensatum fuit. Et sub his terminis conciliandæ sunt diversæ sententiæ & Historiæ. Unde quod refert Baronius tom 1. Annal. ad annum Christi 58. numer. 25. id intelligendum venit de temporibus Epiphanii, Hieronymi, Leonis I. quo tempore in Ecclesia Græca Presbyteri & Diaconi ab usu matrimonii etiam ante Ordinationem contracti abstinebant: Quin & Socrates l. 5. c. 22. Nicephorus l. 12. cap. 34. referunt apud Thessalonicenses & Macedonas præceptum Continentiæ tunc in usu fuisse. Unde & Leo I. Epist 83. c. 4. ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem scribens, exhortatur illum, ut Subdiaconos etiam ad servandam Continentiam inducat, eò quòd ita servaretur apud Latinos: *Quod si* (inquit) *in hoc Ordine, qui quartus à Capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo, secundo & tertio servandum est? Ne aut Levitico ministerio, aut Presbyteri honore, aut Episcopi excellentia quisquam idoneus existimetur, qui se à voluptate uxoria necdum frenasse detegitur.* Hæc Ibi.

Cæterùm non semper universam Græciam recepisse Legem Continentiæ in Ordinatis Canones communiter supponunt. Unde Alexander III. c. *Cum olim* de Clericis conjugatis, supponit Orientales matrimonio contracto usos fuisse, & Paphnutius, quamvis ipse cœlebs & continens, in c. *Nicæna Synodus* Præcepto Continentiæ, quod volebant Patres imponere Ordinandis, se opposuit: Et in Concil. Carthag. 3. declaratum est, quoad continentiam Sacerdotum & Ordinatorum, sequendam esse cujuslibet Ecclesiæ consuetudinem. Tandem iterum universaliter in Concilio Constantinopolitano 6. can. 12. determinatum fuit, ut Episcopi, postquam ordinati fuissent, secederent ab uxoribus, quæ quidem separatio erat quoad thorum tantum, sic consentientibus Uxoribus: Unde prohibebatur illis vivente Marito aliud matrimonium inire. Et hæc quidem de Ecclesia Græca.

In Latina tamen Ecclesia, à principio hæc lex intemerata fuit ex Apostolica traditione, ut Diaconi, Presbyteri & Episcopi præcepto continentiæ obligarentur, nec tantum à matrimonio contrahendo, sed etiam à contracto ante ordinationem arcerentur. Quin & in Concilio Illiberitano can. 33. etiam Subdiaconis usus matrimonii inhibetur his verbis: *Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis positis in ministerio, abstinere se à Conjugibus suis.* Ubi particula *in totum* omnem, omni tempore aut eventu, matrimonii usum prohibere clarum est.

Conclusio IV.

Præcepto huic voti solemne castitatis annexum est & cur?

PRæcepto de Continentia & Cœlibatu Clericorum in majoribus Ordinibus existentium, Votum solemne Continentia & castitatis in ipsa ordinatione implicitè emittendum ex instituto Ecclesiæ annexum fuit, ut quæstio omnis evitaretur, & omnes se illi voluntariè adstringerent.

Hujus Voti antiquitas constat ex communi modo loquendi antiquissimorum Canonum, in quibus dum fit mentio de Continentia Sacerdotum, & aliorum sacris Ordinibus initiatorum, semper sub nomine *Voti* proponitur. Ita Canon Alexandri III. sæpè citatus c. *Cùm olim.* de Clericis conjugatis. Vide & Concil. Tolet. 2. can. 10. & Toletanum 4. can. 26. prout allegatur à Gratiano d. 28. c. *Quoniam*, ubi promissio castitatis sive continentiæ inter manus Episcopi expressè exigitur. Estque expressa hæc cautio pro Subdiaconatu, à quo Majores & sacri Ordines incipiunt d. 28. c. 1. & 2. ubi sic legitur

legitur : *Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi , nisi qui se castè victurum promiserit.*

Nota. Ex quibus omnibus sublata est omnis de Continentia Sacrorum Ministrorum difficultas : Constat enim eam ab Apostolis introductam , ut legibus Divinis & naturalibus conformem : Constat enim ut plurimum ab Antiquis observatam , etsi non ab omnibus , & semper , & ubique , Ecclesia ob causas tolerante , vel etiam dispensante : Constat universaliter per Præceptum positivum in Latina ecclesia semper observatam : In Græca etiam sæpiùs Præceptum universaliter invaluisse , & interruptum , resumptum esse. Elegans , & quæ legi ab omnibus meretur , est Epistola Syricii I. ad Taraconensem Episcopum c. 7. allegata à Gratiano d. 82. c. *Plurimos :* Ubi ostendit ex lege Moysi Sacerdotes Catholicos & Ministros Altaris omninò ab Uxoribus sequestrandos , illisque castè vivendum , ex verbis illis : *Sancti estote , quia ego Sanctus sum.* Et subjungit : *Cur* (inquit) *procul à suis domibus anno* Lev.11.44 *vicis sua in templo habitare jussi sunt Sacerdotes ? Hac videlicet ratione , ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium , ut conscientia integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent.* Et addit solam causam , quare in perpetuum ab uxoribus non separerentur , sive cur perpetuæ Continentiæ non adstringerentur , fuisse successionem filiorum in Sacerdotium , quia ex sola tribu Levi debebant assumi. *Quibus etiam* (ait) *explete deservitionis sua tempore , uxoris usus solitus successionis causa fuerat relaxatus , quia non ex alia , nisi ex tribu Levi , quisquam ad Dei ministerium fuerat præceptus admitti.* Ex quo infert Præceptum continentiæ à Christo per Apostolos Ministris Altaris impositum fuisse , ut Christus legem impleret , in eo in quo lex , ob necessitatem successionis in stirpe Levitica , defecerat : *Ideò* (inquit) *Ecclesiam , cujus sponsus est speciosus forma , Castitatis voluit splendore radiare , ut in die judicii cùm rursus advenerit , sine macula & ruga , sicut per Apostolum suum instituit , reperiret.* Et hanc fuisse radicem Ecclesiasticarum sanctionum de continentia docet : *Quarum* (ait) *sanctionum Sacerdotes omnes atque Levitas insolubili lege constringimus , ut à die ordinationis nostra sobrietati ac pudicitia & corda nostra mancipemus & corpora , dummodò per omnia Deo nostro in his , qua quotidie offerimus , placeamus.*

Idem Epistola ad omnes Orthodoxos c. 9. exponens illud Apostoli 1. Ad Corinth. 7. ubi 1.Cor.7. fideles monentur abstinere à concubitu carnali , ut ad tempus orationi vacent : *Si ergo* (inquit) *laicis abstinentia imperatur , ut possint deprecantes audiri : quanto magis Sacerdos utique omni momento paratus esse debet munditia puritatis securus , ne aut Sacrificium offerat , aut baptizare cogatur ? Quid si contaminatus est carnali concupiscentia , quid faciet ?* Infra : *Qua de re hortor , moneo , rogo , tollatur hoc opprobrium , quod potest jure etiam Gentilitas accusare.* Et ne locum Pauli 1. ad Timoth. 3. quis alleget : 1.Tim.3.à *Fortè* (ait) *licere hoc creditur , quia scriptum est , Unius Uxoris Virum ?* Et respondet : *Non permanentem in concupiscentia generandi dixit , sed propter Continentiam futuram ; neque enim integros non admisit , vellem autem omnes homines esse sicut ego , & apertiùs declarat dicens : Qui in carne sunt , Deo placere non possunt.*

QUÆSTIO IV.

Quale sit Votum Continentia , quod ab ordinatis Sacris ordinibus emittitur , & qualiter obliget ?

NOn defuerunt etiam Moderni , qui Continentiam Subdiaconorum à ratione voti omninò excluserunt , & ad solum & nudum Ecclesiæ Præceptum retulerunt : Et quòd ordo Matrimonium impediat & dissolvat , id fieri non ratione Voti , sed quia ordo Sacer est dirimens Matrimonium ex ecclesiæ instituto. Qui vult videat Auctores citatos apud Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 27. q. 2. num. 9.

Conclusio Unica.

COntinentia Ordinibus Sacris annexa obligat ordinatum sub ratione veri & realis Voti solemnis Castitatis , etsi impliciti. *Continentia ordinibus Sacris annexa obligat sub ratione veri voti solemnis etsi impliciti.*

Ratio sumenda est ex ecclesiæ instituto , & communi interpretatione ac sensu. Unde & in Canonibus sæpè citatis maximè conclusione 4. quæst. superiori vocatur passim Votum , promissio , Professio &c. Clarissimum est illud S. Gregorii c. *Nullum* d. 28. *Nullum facere Subdiaconum præsumant Episcopi , nisi qui se castè victurum promiserit* : Et cap. *Diaconi* eadem dist. dicuntur *Professi Continentiam.* Idem indicant verba admonitoria Episcopi in ordinatione Subdiaconorum in Pontificali Romano : *Hactenus liberi estis , licetque vobis pro arbitrio ad sæcularia vota transire : Quod si hunc ordinem susceperitis , ampliùs non licebit à proposito resilire , sed Deo , cui servire , regnare est , perpetuo famulari , & Castitatem illo adjuvante servare oportebit , atque in Ecclesia Ministerio semper esse mancipatos.* Ubi perpetuus famulatus Dei cum observantia Castitatis ex proposito , Votum designat.

Dixi itaque (*sub ratione Voti veri & realis*) ad excludendum nudum Præceptum ecclesiæ , aut conditionem ordini annexum ; Etsi enim hæc sub ratione Præcepti vel conditionis obligationem aliquam dicant , illa tamen externa est , & à beneplacito & voluntate præcipientis manat : imò superveniente alio Præcepto majori , vel Epikeià , cedere deberet : Non sic in continentia ordinibus Sacris annexa : Hæc enim modò perpetua est , ex libera voluntate ordinandi proveniens , famulatui perpetuo Dei in Sacris Ministeriis , non ut conditio , sed ut qualitas absoluta Statum constituens , annexa. Unde hic benè notan-

notandum est Subdiaconatum ex se Statum non constituere, sed Ministerium in Statum Clericali simpliciter: Votum autem Continentiæ Subdiaconatui annexum, Statum constituere perpetuæ Continentiæ, etiam ab ipsa ordinatione formaliter condistinctum, etsi ejus ratione factum. Differt autem à Præcepto, quòd ex mandato solo seu voluntate præcipientis non dependeat, sed ex deliberata voluntate Subdiaconatum suscipientis procedat, Differt à conditione, quòd eo ipso quòd quis vult ordinari Subdiaconus, censeatur velle Continentiam, ut qualitatem illi ex ecclesiæ instituto annexam: quod qualiter intelligi debeat, statim infrà explicabitur.

Dixi (*sub ratione Voti solemnis*) ea enim omnia consequuntur Votum Continentiæ in Subdiaconatu implicitè emissum, quæ consequuntur Votum solemne explicitum in ratione solemnitatis: votum enim solemne tria requirit: 1. Approbationem ecclesiæ: 2. Constitutionem hominis in statu: 3. Matrimonii post illud contracti invaliditatem. De approbatione Voti Continentiæ ab ecclesia, imò ejus institutione satis ex superioribus constat: De constitutione hominis in statu, nemo dubitare potest, in statu enim Continentiæ Subdiaconus per Castitatis Votum constituitur, à quo non potest dimoveri, nisi per dispensationem supremæ potestatis: De Matrimonii post illud demum contracti invaliditate est expressus textus in Conc. Trid. sess. 24. can. 9. *Si quis dixerit, Clericos in Sacris ordinibus constitutos, vel Regulares Castitatem solemniter professos, posse Matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege ecclesiastica vel voto, anathema sit.* Hæc porrò sententia de Voto solemni Continentiæ ordinatorum determinata est velut de cathedra à Bonifacio 8. in 6. Decret. l. 3. tit. 15. ubi scribens Birerensi Episcopo consulenti: *Præsentis* (inquit) *declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum Votum debere dici solemne, quantùm ad post contractum Matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de Religionibus approbatis.* Sed ut prædicta pleniùs explicentur, aliqua restant resolvenda.

Trident.

QUÆSTIO V.

An Votum Continentiæ in Sacris ordinibus obliget ignorantem?

Hic debet 1. distingui ignorantia, in ignorantiam crassam, invincibilem, & probabilem.

2. Ignorantia vel terminatur ad ordinationem ipsam, sive susceptionem ordinis Sacri, vel ad obligationem consequentem, utpote Castitatis vel Continentiæ perpetuæ: Prior ignorantia contingit in eo, qui verè non scit quid suscipiat, vel non advertit se ordinari; ut in puero, amente &c. Posterior est in eo, qui etsi sciat se Sacrum ordinem suscipere, ignorat tamen illi esse annexum Votum continentiæ.

3. Oportet hic similiter advertere duplicem scientiam: Alia est formalis & actualis; Alia virtualis & interpretativa. Prior est, qua quis formaliter & actu scit se suscipere ordinem Sacrum: Posterior virtualis & interpretativa, qua, etsi vel distractus, vel aliàs non advertat sibi ordinem Sacrum conferri; Ex eo tamen quòd priùs sciens & volens se præsentavit, censetur virtualiter id scire & velle. Exempla non desunt, habui enim scrupulosos & turbatos, qui tota ordinatione non adverterant ad ea, quæ circa se fiebant, & de omnibus, etiam in quibus essentia ordinis consistebat dubitabant.

CONCLUSIO I.

Ignorantia quæcumque facti sive ordinationis excusat ab obligatione Voti Continentiæ in ordine Sacro.

Ignorantia facti sive ordinationis excusat ab obligatione Voti Continentiæ.

Ratio 1. est: Quia ignorantia facti tollit omnem libertatem, non tantùm respectu principalis, sed etiam accessorii: Unde qui ignorans ordinatur, nec ad Ministeria ordinis tenetur, minùs ad Votum continentiæ, quod accessorium est.

2. Ratio: Quia apud me talis non censetur validè ordinatus: Susceptio enim ordinis debet esse actus humanus & liber, qui in ignorantia facti sive ordinationis nequaquam reperiri potest.

Mea sanè sententia puer ante usum rationis, amens, vel dormiens ordinatus, cùm in susceptione hujusmodi usu rationis careat, ordinem validè non suscipit.

Dices: Puer ante usum rationis suscipere Baptismum potest, similiter & amens, cur non etiam suscipere ordinem Sacrum? Respondeo disparitatem esse: Quòd Baptismus se habeat per modum secundæ Nativitatis: Cùm igitur Nativitas ex natura sua non dependeat à scientia nascentis, hinc est quòd Baptismus in puero, vel amente non requirat usum rationis, ut sit validus. Unde apud me hæc generalis doctrina certa est: Sacramenta, quæ pro materia vel principali suo fine habent actionem requirentem actum humanum & deliberatum, suscipi non posse ab eo, qui rationis usum non habet: Ut sunt Pœnitentia, quæ pro materia actus deliberatos pœnitentis habet: Ordo, qui ad Ministeria usum rationis requirentia institutus est: Matrimonium, quod in contractu libero & rationali consistit: Alia tamen, quæ in aliqua potius gratiæ passiva receptione suum principalem finem habent, etiam à non utentibus ratione recipi possunt: Ut Baptismus, confirmatio, Eucharistia, Extrema-Unctio.

Ignosce Lector, si hic à communi Doctorum S. Bonaventuræ, S. Thomæ, Scoti, & penè omnium sequacium doctrina & sententia recedo.

Move-

Explicatur c. Tua litera.

Moveor 1, Quòd fundentur in quodam c. *Tua litera*, tit de Clerico per saltum promoto, in quo quidem duo referuntur: Primò enim agitur de eo, qui prætermisso Diaconatu ex ignorantia se curaverat Presbyterum ordinari, qui cum fateretur se nescire, an res ita se haberet, sed se credere bonis viris illud asserentibus, mandavit Innocentius III. Episcopo Bononiensi, ut injuncta pœnitentia illi Diaconatum conferri curaret. 2. Fatebatur ille, quod Ordines inferiores infrà discretionis annos suscepisset: Ex quo inferunt Ordines posse à pueris infrà discretionis annos suscipi, cum illos iterari non mandaverit Pontifex: Verum quàm debile sit hoc fundamentum, ut super eo superstruatur doctrina tam gravis de Ordinatione puerorum ante usum rationis, quilibet rem narratam expendens videre poterit: Nam in primis Ordines minores sive Inferiores apud multos Sacramenta non sunt, sed huc usque etiam à gravissimis Auctoribus inter Sacramentalia nuncupantur: Unde mirum non est, si ea Pontifex non mandarit reiterari. Deinde infra annos plenæ discretionis potest puer habere sufficientem usum rationis, & advertere quid circa se fiat, ut constat ex illa famosa Historia puerorum in vita Athanasii, quos & ipse puer Athanasius per ludum baptizabat, & circa illos Ecclesiasticas ceremonias, quas Episcopi solent, exercebat: Quos cum Alexander Episcopus Alexandrinus interrogasset, & ab iis didicisset, quid interrogati fuissent, quidque respondissent, judicavit eos, quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, verè baptizatos esse, utique usu rationis ætatem præveniente & supplente: Athanasium verò & illos, qui Ministrorum personam gesserant, parentibus sub obtestatione Dei Ecclesiæ nutriendos tradidit. Unde etiam illum, qui cap. *Tua litera* superius allegato fatetur se Minores Ordines ante discretionis annos suscepisse, potuit Papa judicare usum sufficientem rationis tunc habuisse.

Factum Athanasii expenditur.

Moveor 2. Recedere à communi opinione: Quia non constat sibi in omnibus: Nam S. Bonaventura & S. Thomas excipiunt Episcopatus Ordinem, quem dicunt non posse puero ante usum rationis validè conferri, eò quod Matrimonium contineat cum Ecclesia, quam videtur sibi Episcopus despondere, Verùm cur saltem puero Episcopalis character non imprimitur in signum potestatis, & velut per sponsalia sponsæ affidatò, & suo tempore in matrimonium consensurò, tituloque potestatis sibi concessæ Ecclesiam suam administraturo? Alii, inter quos Petrus Soto lect. de Sacramento Ordinis, excipiunt Majores Ordines. Alii, inter quos Paludanus in 4. d. 25. q. 3. requirunt consensum parentum. Quæ omnia concludunt hanc sententiam communem firmo fundamento non niti; Præsertim cùm præcipuum ejus fundamentum sit: Quòd effectus Sacramenti Ordinis sit potestas quædam spiritualis Ordinatio collata, quæ quidem non requirit ejus usum immediatè ab ipsius collatione, sed sufficit, ut suo tempore speretur, cùm puer ad adultam ætatem venerit: Quod fundamentum, etsi secundum speculationem, possibilitatem concludat, cum tamen Sacramentorum valor ex Christi practica & ordinata de facto institutione procedat, non concludit sic Christum instituisse, imò magis concludit sic non instituisse: Quia practica ratione nil absurdum & inordinatum instituisse credendus est: Et cum juxta Apostolum omnis potestas ordinata sit, inordinatum autem sit, puerum ante usum rationis potestate honorari, sub dubio, an erit capax utendi vel non utendi, & quidem in rebus gravissimis ad salutem spectantibus: non video, cui cogar dicere: Puerum, cui materiæ & formæ Sacramenti Ordinis applicarentur ante usum rationis, Ordinis characterem & potestatem suscipere: Imò contrarium mihi potius persuadetur ex ordinata institutione Christi. Addo non solum potestatem conferri, sed illam potestatem multa continere, quæ servitutem annexam habent, utpote Status Ministerii, scientiæ acquirendæ: quibus non bene obligatur, qui ratione non utitur. Et si fateàris puerum ad illa non teneri, jam inordinationem agnoscere debes, in eo, quod quis charactere spiritualis potestatis ex vi institutionis Christi insigniatur, relinquendo tamen illius usum perpetuum ejus beneplacito. Rom.13.1

Hanc porrò nostram sententiam tenet Durandus d. 25. q. 2. Guilielmus de Rubione ibidem q. 1. Petrus à Soto suprà saltem quo ad Majores Ordines. Ordo igitur cum sit adultorum, & ex natura dicat assumptionem ad Officium sive Ministerium, quod ab adulto ratione utente debet exerceri, ideo & scientiam & voluntatem recipientis ad valorem prærequirit.

Conclusio II.

Ignorantia Voti Continentiæ annexi Ordini Sacro, si sit invincibilis aut verè probabilis, in foro conscientiæ excusat ab Obligatione voti, non tamen in foro externo: Explico: Est aliquis adolescens nobilis idiota, qui sub ferula parentum ob multitudinem prolium, vel illius apprehensam inutilitatem, aut interdum odium maternum educatur, ut fiat Ecclesiasticus, unde à pueritia illi Clericales vestes dantur, suavibus verbis, & munusculis fovetur, & ne in dispendium apprehensum familiæ Matrimonium contrahat, deluditur, ac Subdiaconus fit, ignorans penitus quid obligationis incurrat, quid Votum continentiæ pariat, quid Status, &c. Tum quia nunquam sunt ipsi ista explicata, tum quia interdum ipsi libertates proponuntur, ut tegantur obligationes: Ille ad perfectam notitiam veniens obligationis Voti Continentiæ, quam nesciebat, in foro Coscientiæ non tenetur Voto.

Ignorantia invincibilis aut verè probabilis voti continentiæ annexi ordini sacro in foro conscientiæ excusat non in foro externo

Ratio mea est, quam puto claram & evidentem

dentem: Quia Votum est actus humanus liberi arbitrii & voluntatis liberæ; quomodo verò qui non scit quid agat, vel obligationem illius quod agit, libere agere dicetur? vel liberè Deo offerre, qui nescit an offerat, vel quid offerat?

Dixi in Conclusione *(in foro conscientiæ excusat)* quia vere & legitime se non obligavit ad id, quod invincibiliter ignoravit, vel involutū multis fucis, dolis & fraudibus apprehendere aliquo judicio, ad deliberatam voluntatem pertinente, nequivit; quod ad actum liberum obligantem requiritur.

Non excusat ab obligatione præcepti. Dixi *(non tamen in foro externo)* quia cùm ecclesia Ordinibus omnibus sacris Votum continentiæ addixerit: In tali, quod erat Voti manet saltem sub ratione Præcepti ecclesiastici, illum ad minus in foro externo obligantis. Cùm enim Ecclesia de exterioribus judicet, qui Subdiaconatum suscepit saltem Præcepto ecclesiastico in foro externo subjectus judicatur: Unde etiam in hoc casu postulanda est Ecclesiæ declaratio, ut quis ab observantia castitatis sit liber: Declaratio dico, quia vere dispensatio non est, etsi abusive talis vulgò nuncupetur.

Dixi *(aut ignorãtia verè probabilis)* quia (quod dolendum est) omnia jam sub probabilibus quæstionibus, quantumvis sancita & sancta sint proponuntur; etsi a parte rei vere probabilia non sint: Unde requiro ignorantiam vere à parte rei probabilem.

Nota. Dices: Qui profitetur in Religione approbata, etsi Obligationes Regulæ & Votorum ignoret, eo ipso quo in Religione approbata Professionem emisit, censetur Regulæ & Votis obligari ex vi Religionis, quam professus est: Ergo similiter qui Subdiaconatum suscipit, etsi Obligationes Subdiaconatus ignoret. Similiter: Qui ultra annum in Religione approbata permansit & habitum Professorum post annum & terminum Professionis præfixum libere portavit, censetur saltem implicitè professus: Ergo similiter de suscipiente Subdiaconatum, vel Sacros Ordines argumentandum est.

Respondeo negando Consequentiam: Aliud enim est de Professione Religiosa: Aliud de susceptione Ordinum: In Professione enim Religiosa Ordinis approbati ita est annexa ratio Votorum essentialium Religionis, ut sint de essentia, & hoc ipso quo quis vult realiter fieri Religiosus, vel Religionem profiteri, censetur votis essentialibus Religionis se obligare, juxta illud Extrav. de Statu Monachorum cap. *Cùm ad Monasterium. Abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis adeò est annexa Regulæ Monachali, quòd contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Quod intelligendum reor in sensu composito, manente nimirum Regulâ & Statu: Quia qui in his dispensatur, à Monachatu & Regula dispensari censetur, ut suo loco in Parte 2. de Statu Religioso dicendum erit. Aliud est de Ordinum susceptione, cùm enim ex solo Ecclesiæ instituto, & quidem in Subdiaconatu post multa tempora Continentiæ Votum sit Ordinibus illis annexum, potest esse Ordo sine tali Voto, & invincibilis ac probabilis ignorantia Voti Continentiæ subsistere cum Ordinis reali susceptione. Ex quo concluditur, quod quis scienter possit Subdiaconatum &c. suscipere, cum ignorantia excusabili voti Continentiæ annexi, & consequenter ad illud non obligari. Similia contingunt in Votis vel Præceptis Regulæ alicui ex Præcepto Ecclesiæ vel Constitutionibus Religionis annexis, ad quæ verè ignorans post Professionem non tenetur, quia illa non scivit, nec scire debuit.

Resolutiones circa prædicta.

Resolutiones circa prædicta. Ex his resolvo 1. Amenti & puero ante usum rationis, sive etiam dormienti vel aliàs vere inscio Ordines collatos non habere ullum effectum, nec imprimere characterem, nec consequenter ad ulla Ordini accessoria obligare.

Ratio est: Quia deest conditio essentialis in suscipiente, quæ est intentio, juxta ea quæ diximus supra in objectione post Responsionem primam: ubi etiam posuimus distinctionem inter Sacramenta Ordinis, Pœnitentiæ, Matrimonii, in quibus scientia & intentio suscipientis essentialiter requiritur ad eorum effectum, & ea, in quibus talis scientia vel intentio non requiritur; neq; enim intentio absq; scientia aliqua subsistere potest, cùm nemo in incognitum feratur, & hæc Sacramenta meræ libertatis sint, & in libertate suscipientis posita; ut supra explicavimus.

Resolvo 2. Ad susceptionem Ordinis sacri, & Obligationes ex eo nascentes sufficere scientiam virtualem & interpretativam, quæ oritur ex eo quod priùs informati fuerint, & sub ista informatione ordinari postulaverint, & se præsentaverint: Etsi in actu ex distractione & turbatione mentis non attendant ad ea, quæ circa se fiunt. Unde scrupulosi illi & afflicti similia proponentes audiendi non sunt, sed si acquiescere nolunt responsis, ut insipientes repellendi.

Resolvo 3. Gravissimè peccare parentes, quà adulationibus, favoribus, furis, dolis, dissimulationibus inducunt filios ad Ordines sacros suscipiendos, non curantes primò, imò non permittentes, ut instruantur de rei gravitate & magnitudine, de obligationibus & similibus. Super quibus deberent Episcopi summopere invigilare, maxime in filiis nobilium familiarum, quos ad familiæ exonerationem inidóneos & incapaces in perniciem animæ in Ordines sacros & Monasteria intrudunt. Sed de his iterum postea.

***

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

An inductus per vim, metum, fraudes & imposturas ad Sacros ordines, teneatur ad Votum Continentiæ illis annexum?

Hic distinguendum est 1. de vi & metu. Alia est enim vis & metus gravis, quem in constantem virum cadere dicunt: Alia est vis & metus levis sive tolerabilis.

Vis & metus in constantem virum cadens dicitur? qui respectu personæ, cui infertur, tantam violentiam imprimit, ut veram libertatem & voluntarium tollere censeatur.

Quis metus cadēs in cōstantē virum dicendus sit.

Dico (respectu personæ) Non enim in his terminis *vir constans* in rigore sumendus est à virilitate & virtute constantiæ, qua quis etiam extremis malis resistit, & metum superat: Sed *vir constans* accommode sumi debet respectu personæ, quæ patitur, & ejus complectionis: Unde in puella, filio-familias sub parentum tutela degente, persona timidæ naturæ metus, qui forti viro aliàs levis esset, gravis censetur, intollerabilis, & æquiparatur metui in constantem virum cadenti, eo quòd consideratà personæ mobilitate, & imbecillitate, quòd gravissimus metus in viro constante causaret, id ipsum multò minor metus in femina vel puero causat, tollitque voluntarium. Explico: Puellula timida, vel filius sub rigore parentum educatus, torvum vultum, verba dura, minas aliàs contemptibiles, plùs timet, quàm vir aliquis constans verbera & graves persecutiones.

Vis & metus levis & tolerabilis dicitur: qui respectu personæ etsi affligat, non tamen ita graviter, quin à persona etiam imbecilli, consideratis circumstantiis, superari valeat, & contemni.

2. Distinguendus est metus in metum injustè, & metum justè incussum: metus injustè incuti dicitur, quando absque causa justa & rationabili sua libertate quis ex metu privatur: Metus justè incuti censetur, quando quis ex causa rationabili & æqua, ut pro bono publico & communi utilitate, vel ad evitandum gravius malum proprium, metu gravi urgetur: Quomodo pro publico Ecclesiæ bono & necessitate multi inviti ad Episcopatum antiquitus ordinabantur.

CONCLUSIO I.

Metus gravis cadens in cōstantem virum injustè incussus excusat ab obligatione Voti.

Metus gravis cadens in constantem virum injustè incussus in suscipiente Subdiaconatum, excusat ab obligatione Voti Continentiæ.

Hanc sententiam plurimi tenent, quos vide citatos apud Sanchez l. 2. de Matrim. disp. 29. n. 5. quamvis ferè paris numeri abeodem pro contraria sententia citentur. n. 4.

Ratio verò mea fundamentalis est: Quia Votum, maximè solemne, quantumvis implicitum ita plenam libertatem & animi deliberationem requirit, & plenè voluntarium esse debet, ut si verè voluntarium & ex plena animi libertate & deliberatione non fiat, Votum esse, & obligare desinat: Atqui hic metus tollit veram libertatem, & quod verè dicitur voluntarium: Ergo tollit & Votum ac ejus obligationem. Vide quæ in hac materia diximus tom. 2. tract. 3. tit. 4. quæst. 1. dub. 2. ex cap. *Perlatum* & ex cap. *Abbas de his qua vi* &c. ubi & rationem dedimus etiam ex parte Dei non acceptantis hujusmodi Vota; & circumstantias explicavimus, ex quibus gravitas metus expendi debeat. Et huic Conclusioni consonat quòd Matrimonium gravi metu exortum irritetur cap. *Virum* de Regularibus & c. *Ventens* de Sponsalibus.

Ut verò distinctè proponamus ea, quæ in hac re tam gravi & tam frequenter occurrente penetranda sunt sciendum: Metum cadentem in virum constantem: juxta explicata ex tribus mensurari debere.

1. Ex persona metum inferente: utpote: Si ei debeatur magna obligatio, & is cui metus infertur, multum ab illa dependeat; ut est parens, vel qui in muniis pro parente habetur, maximè si magna auctoritate, animositate, austeritate, gravitate polleat in filium, vel clientem cui metus incutitur, ex quibus iis timor gravis & formido suboriatur.

2. Ex persona metum patiente, si fortè de se timida sit & pusillanimis, ut de nonnullis filiis-familias, qui sub gravi ferula parentum educati sunt, constat, qui interdum plùs timent oculum aversum parentum, plusque feriuntur apprehensione indignationis, molestiæ, aversionis ipsorum, quàm gravissimis malis à persona externa inferendis vel illatis.

3. Ex objecto vel modo metum inferendi: Etsi enim interdum nec minæ, nec verbera interveniant; torvus tamen vultus, indignatio, verba dura, maximè si continua, timor diminutæ dilectionis, affectus vel favoris paterni vel materni (unde formidari solent exheredationes, damna gravia in distributione bonorum, in promotionibus) in electione Status sæpissime causant metum ex apprehensione vehementi cadentem in constantem virum, ut indies experimur in iis, qui inviti ad Religiones & Monasteria inducuntur, quorum postmodum lachrymæ clamant in cælum, & perpetuo maledicentes parentibus tædio & tristitia consumuntur. Ego frequentiùs illa deprehendens in novitiatu, dum Superioris officia obirem, pluribus egressum persuasi, & cùm à Parentibus gravi metu injustè continerentur, illis variis modis, prout ratio exigebat, opitulatus sum, ut egrederentur, & libertati suæ restituerentur: Una quidem die tribus simul eam libertatem procuravi.

In quie

In quibus etiam advertendum est : Maternum metum sæpe prævalere paterno , tum quia mulier importuna est , dolosa , fraudulenta , plena inventionibus maritum & alios incitans , unde proles ad extrema deducuntur.

Sanchez. Ne egrediar limites meos, vide Sanchez & alios apud eundem Auctores citatos l. 4. de Matrim. disp. 6. num. 5. 7. & 8.

Dixi in Conclusione (*injustè incussum*) Potest enim interdum justè incuti, ut superiùs explicatum est.

Conclusio II.

Dolo vel fraude libertatem verâ adimente inductus ad Votū Continētiæ nō tenetur.

QUi dolo vel fraudibus ad Majores ordines inductus est , ita ut fraus & dolus libertatem veram ad Votum requisitam sustulerint , ad Votū Continentiæ non tenetur.

Hæc iterum Conclusio eadem ratione firmatur : Quia vera libertas ad Votum solemne sive Voti obligationem ex natura rei requiritur. Unde in fraude & dolo singulariter attendendum erit , an verè libertas ad Votum solemne sufficiens violata fuerit. Quis autem dolus aut fraus libertatem adimat, id prudentis Judicis vel Confessarii judicio relinquendum est , qui ex personis , circumstantiis, & objectis illud discernere debent.

Conclusio III.

QUi dolo vel fraude suscipit Ordinem Majorem in præjudicium tertii , vel prioris obligationis ; ita Voto Continentiæ obligatur , ut tamen obligationis qualitati satisfacere teneatur.

Explico 1. In Servo , qui ignorante vel renitente Domino suscipit ordines Majores : Talis enim obligatur quidem Voto Continentiæ, sed ob præjudicium Domini non potest in sacris ministrare , sed reclamante & repetente Domino debet illius servituti restitui. Unde quod nonnulli asserunt ipsum se redimere posse dato pretio , vel alio servo , id intelligendum est , si Dominus consentiat , & non aliter.

Explico 2. In Impubere Subdiaconatum pleno usu rationis suscipiente : Hic enim (mea quidem sententia) si Pater reclamet, & Votum illud irritet , ad Continentiæ Votum non tenebitur , donec post pubertatem illud renovet. Vide quæ de Votis Impuberum diximus tom. 2. tract. 3 tit. 4. q. 1. dub. 5.

Explico 3. In Matrimonio juncto : Qui enim Matrimonio rato & consummato est justus, si curet se ordinari Majori ordine Uxore vivente , & non consentiente; Voto quidem tenetur post mortem Uxoris : Vivente autem Uxore & illum repetente tenetur ad illam redire, & debitum Uxori reddere.

Dixi (*Matrimonio rato & consummato* :) de Matrimonio enim rato ante consummationem nonnulli disputant : Ego standum judico Extravag. Joannis 22. *Antiquæ concertationi* tit. 6. c. unico : in qua tria determinantur.

1. Votum solemnizatum per Sacri ordinis susceptionem esse efficax quantùm ad impediendum ac dirimendum Matrimonium contrahendum.

2. Ad dissolvendum Matrimonium priùs contractum , etsi per carnis copulam necdum fuerit consummatum , Votum illud invalidum esse. Cujus rationem reddit : Quia nec jure Divino , nec per sacros canones reperitur hoc statutum, per hoc innuens illud Votum differre à Professione Religiosa , quæ jure Divino Matrimonium ratum non consummatum dissolvit.

3. Postquam prohibuit tales ad ordinem Sacrum suscipiendum admitti : Monet ut, si quis susceperit non permittatur in eo ministrare , nisi Professionem in Religione approbata emittat : Præcipit autem Diœcesano, ut hujusmodi ordines suscipientem ad professionem Religionis post ratum Matrimonium inducat; aliàs enim Uxori suæ reddendus est.

Quæstio VII.

An obligetur ordinatus Majoribus ordinibus ad Horas Canonicas perlegendas, & quando?

Conclusio I.

Clerici tenentur ad Horas Cōc. Basil.

CLerici in Sacris ordinibus constituti tenentur ad Horas Canonicas persolvendas. Colligitur ex Concil. Basiliensi sess. 21. tit. Qualiter extra Chorum Horæ Canonicæ dicendæ sint , ubi æquiparantur qui in Sacris ordinibus constituti sunt cum Beneficiatis, dicunturque teneri ad Horas Canonicas. Et in cap. *Dolentes* , distinguuntur minores Clerici à Prælatis, & utrique innuuntur obligari ad Horas , minores autem Clerici , ut distinguantur à Prælatis, intelliguntur, qui in sacris ordinibus sunt constituti. *c. Dolen.*

Hic verò quæstio non parva exurgit , quo Jure teneantur. Et quidem communiter in Ecclesiæ consuetudinem illam obligationem Auctores referunt : Verùm hic iterum noto (quod aliàs notavi) consuetudinem simpliciter non posse obligare ; nisi vel præceptum vel votum , vel alius titulus interveniat. Etsi enim consuetudine Religiosi soleant communiter feria sexta vel Sabatho jejunare, certum tamen est , ex vi solius consuetudinis non obligari sub peccato mortali ad jejunium: Igitur consuetudini huic debet accessisse formale vel virtuale præceptum , aut imposita ab Ecclesia huic Statui obligatio. Et cùm Auctores à consuetudine obligante argumentantur, non de consuetudine simpliciter intelligendi sunt, sed de consuetudine præceptum supponente: prout docui tom. 2. tract. 2. p. 2. tit. 3. sect. 1. q. 1. & latiùs q. 2. dub. 1. agens. de Obligatione Religiosorum. *Vide ibid.*

Con-

CONCLUSIO II.

Subdiaconi non tenentur ad Horam præcisè ordinationi correspondentē sed moraliter ad succedentes.

Subdiaconi non tenentur statim ab ordinatione ad Horas, quæ horæ post ordinationem immediatè correspondent: sed tantū moraliter ad Horas succedentes, ut Vesperas diei illius, vel Matutinum sequentis. Est contra communem Auctorum opinionem, quam reputo magis scrupulum, & superfluum timorem vel curam in re morali, & quæ moraliter, & non Mathematicè expendi debet. Odi, fateor, istas Mathematicas mensuras in re planè morali & humana, sive quæ ab humana institutione pendet, maximè ubi obligatio peccati concomitatur.

Ratio autem fundamentalis Conclusionis est: Quia præcepta moralia moraliter expendenda sunt, & quidem, ut gravamen & molestiam extraordinariam non inferant; & Mathematicæ interpretationes non nisi confusionem & Judaicam superstitionem sapiunt: Certum est autem hujusmodi præcipitatam obligationem, quam imponunt, Ordinario causare & molestiam extraordinariam & curam. Unde præcepta humana non obligant ad punctum, quo imponuntur, sed ad tempus, quod humana interpretatio commodum & rationabile solet æstimare. Ex. gr. Præcipitur civibus in meridie, ut deinceps arma parent, lumina accendant &c. idque sub gravi mulcta, ille reputaretur fatuus, qui post unam, aut alteram horam, ... qui eadem die vellet mulctam non facienti imponere; sufficit enim ut commodè tempore, utpote sequenti nocte vel altera die, se ad hoc cives disponant. Et quidem in præsenti: subdiaconus suscipit ordines hora 9. matutina, vel hora 11. cui horæ secundum veritatem respondet Tertia, & extenditur usque ad 12. cui respondet Sexta, quam non confusionem sibi pariet, qui vel de hora qua finita est ordinatio dubitabit, vel de tempore obligationis illius horæ, cùm Canonici ante nonam antemeridianam non soleant plerumque incipere Primam, & mille incommoda phantasiæ & vexationes ex istis Judaicis punctis oriri possunt, quæ humanæ moralitati, imò & legi repugnant; & quæ vir prudens à lege humana abiegari debere censebit. Sufficit itaque noviter ordinato, quando manè ordinatus est, si in quiete Vesperas illius diei legat: Imo si ad sequentem diem differret, peccati non condemnarem: Quia tunc officium Divinum, seu Horæ Canonicæ, quæ sunt subjectum præcepti, primo tempore ab obligatione inducta, integraliter à Matutino incipiunt: & cum officium Horarum Canonicarum, totum officium Divinum moraliter non ab aliqua parte, sed ab officio toto unius diei sumi debet.

De obligationibus Horarum Canonicarum Lectionem concernentibus vide quæ latissimè docuimus 2. tom. tract. 3. toto tit. 3.

QUÆSTIO VIII.

An exercens actus Majorum ordinum teneatur esse in statu gratiæ?

NEmini dubitandum est, suscipientes ordines Sacros debere esse in statu gratiæ: Cùm enim extra dubium sit ordines Sacros esse vera Sacramenta, consequenter infertur eum, qui illos ordines in statu peccati mortalis suscipit, obicem ponere gratiæ, quæ per Sacramentum confertur, & peccare mortaliter.

Sed major difficultas est, de ordinatis in Sacris ordinibus ministrantibus: An nimirum teneantur esse in gratia, dum ministrant.

Et quidem Antiquorum penè omnium sententia fuit ipsos peccare mortaliter, si in gratia non ministrent. Fundamenta eorum sunt.

1. Quia sancta sanctè tractanda sunt: Unde & Isaiæ 52. dicitur *Mundamini qui fertis vasa Domini*: Ex quo inferunt. Si mundities requirebatur in Levitis, qui sacra vasa in veteri Lege portabant; multò major cordis mundities requiritur in levitis & Clericis ministrantibus in Sacris ordinibus, ob ministerium quod Sacrosanctis mysteriis & Sancto sanctorum exhibent. Isai. 52. 11

2. Fundamentum sumitur: Ex eo, quod gratia sanctificans illis collata fuerit in ordinatione sua, ut Ministeria ordinis puriùs obirent: Ergo illam tempore ministerii sui resuscitare tenentur juxta illud cap. 1. 2. ad Tim. *Propter quā causam* (inquit) *admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*. Quæ verba de gratia in ordinatione collata intelligunt passim Interpretes. 2. Tim. 1. 6

3. Fundamentum sumunt: Ex multis experientiis vindictæ Divinæ in eos, qui in impuritate vitæ & peccatis sacris ministrarunt: Unde & ob irreverentiam dicuntur indigni ministri Malach. 1. *Despicere nomen Domini & offerre panem pollutum, & dicere mensam Domini despectam & contaminatam.* Malach.

CONCLUSIO I.

Nullū præceptū divinū de in gratia esse excepto ministerio Sacrificii Missæ pro persona Celebrātis.

NUllum reperitur præceptum explicitum Divinum vel humanum obligans ordinatos Sacris ordinibus, ut in gratia ministrent, excepto ministerio Sacrificii missæ pro persona Sacrificantis, ratione sumptionis Sacramenti, quæ est pars integralis sacrificii.

Hanc Conclusionem docuimus tom. 1. tr. 2. tit. 5. q. 2. agentes de puritate Sacerdotis in ministrando Pœnitentiæ Sacramento. Loca enim Scripturæ, quæ circumferuntur, ut: *Mundamini, qui fertis vasa Domini*. Item: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum &c.* Etsi verè puritatem animi & corporis desiderent in

sacris

sectis Ministris ; præceptum tamen explicitum non imponunt. Et alias, ut loco suprà citato docuimus, cùm existere in gratia, loquendo moraliter, in nostra potestate non sit, de hoc præceptum strictum rationabiliter dari non solet, etsi bene existentia in gratia requiratur, ut medium aliquod necessarium ad aliquem finem vel effectum, ut ad susceptionem Sacramenti Eucharistiæ.

DICES : In Historiis tam Sacris quàm Ecclesiasticis legimus gravissimas punitiones, imò & pœnam horrendæ mortis, comminatas, imo & inflictas iis, qui immundi ad Ministeria sacra accederent : Unde est illud
Lev.22.3. Levit. 22. *Omnis homo qui accesserit de stirpe vestra, ad ea quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt Filii Israël Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino* : Cujus rationem addens
Vers.9. infrà ibidem : *Custodiant* (ait) *præcepta mea, ut non subjaceant peccato, & moriantur in sanctuario cùm pollutrint illud : Ego Dominus qui sanctifico eos.* Ex quibus verbis & præceptum, & transgressio, & pœna intelligitur, & causa datur : Quia Deus ad hoc Ministerium eos sanctificavit. Et alia plurima loca reperiun-
Lev.10.2. tur : Unde & qui in alieno igne incensum offerebant percussi sunt: In Historiis etiam Ecclesiasticis exempla non desunt.

Respondeo : Mortes corporales non semper inflictas à Deo pro peccato mortali, imò nec pro veniali : Sed in dura illa Lege Moysi, quæ Lex timoris erat, Deum sæpius morte percussisse populum duræ cervicis etiam pro re minima, ut eum intra terminos timoris & reverentiæ contineret, ut patet in percussio-
2.Reg.6.7 ne Ozæ 2. Reg. 6. ob solam aliquam diffidentiam, quia extendit manum ad Arcam, timens ne ob calcitrantes boves, qui eam declinave-rant, de plaustro caderet. Etsi enim Rabbini somnient ipsum ob pollutionem nocturnam percussum : Clarior tamen est Scriptura, quòd ob solam humanam diffidentiam, quasi Deus casum Arcæ, cui præsidebat, impedire calcitrantibus bobus nequisset. Et clarius 1. Reg.
1.Reg.6.19. 6. *Percussit* (ait Scriptura) *de Viris Bethsamitibus, eò quòd vidissent Arcam Domini : Et percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis.* Quid enim peccaverant Bethsamitæ, qui metebant triticum in valle, & elevantes oculos suos viderunt Arcam, & gavisi sunt cùm vidissent. Aliqui curiositatem aliquam in iis fingunt, quæ tamen non nisi venialis fuit. Ad judicia Domini refero, quibus duræ cervicis populum in timore & tremore continere volebat, ad sui reverentiam & observantiam : unde est ista eorum exclamatio :
Vers.20. *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus ? & ad quem ascendet a nobis ?*

Ex quo infero : Sententias Scripturæ comminatorias mortis in Ceremonialibus, & nonnullis etiam Judicialibus, quæ non sunt Legis Divinæ & naturalis, non inferre aliquod peccatum mortale, sed leges merè pœnales fuisse, nisi in quantum Legem Divinam & naturalem in Cultu Dei & vera Religione tangebant. Imò & in Historiis Ecclesiasticis plurimæ sunt, quæ horrendas mortes continent, quæ non tam mortis æternæ signa fuerunt, quam medicinales pœnæ ad animæ patientis salutem, & aliorum terrorem & correctionem. Et regulæ, quas aliquando dedimus tam 1. Tomo pag. 72. quàm Tomo 3. pag. 33 ubi diximus comminationes mortis à Deo certis actibus illatas, signa esse peccati mortalis, intelligendæ sunt de actibus contra Leges Morales Divinas vel naturales, non contra Leges mere Ceremoniales & Judiciales, in quibus pœna mortis temporalis sæpè infertur etiam absque peccato in foro Dei, sed ob respectus quosdam Politiæ externæ.

CONCLUSIO II.

EX natura actus Religiosi, & susceptione gratia sanctificantis in ordinatione sua, tenentur Diaconus, Presbyter, & episcopus in Ministeriis suis moralem diligentiam adhibere, ut saltem voluntatem ab omni peccato verè aversam habeant cum bono motu cordis in Deum, quod est gratiam resuscitare. Hoc explicavi satis superque loco superius allegato tom. 1. tract. 2. tit. 5. quæst. 2. concl. 3

Ex natura actus Religiosi, & gratia in ordinatione suscepta tenetur Diaconus, presbyter, & Episcopus dum ministrat gratiam resuscitare & quomodo.

Ratio fundamentalis est : Quia qui ad Sacrosancta illa Mysteria in peccato mortali voluntariè perseverans accedit, irreverentiam gravem erga Divinissimum Sacramentum committit, censeturque virtualiter illud contemnere, cùm ad ejus Ministerium gratiam Sacramentalem & sanctificantem acceperit. Et hoc indicant verba Scripturæ in figura Ministris antiquæ Legis pronuntiata, vere autem Levitis & Sacerdotibus novæ Legis competentia, quibus dicuntur 2. Esdræ 13. *polluero Sacerdotium, & Jus Sacerdotale & Leviticum:* Ezech. 22 *polluerunt sanctuaria* : Malach 1. *Dicitis, Mensa Domini contaminata est, & quod superponitur, contemptibile est* &c quæ virtualem contemptum significant, & irreverentiam gravem.
2.Esdræ 13.29. Ezech. 22.26. Malach. 1.12.

Dixi (*Diaconus, Presbyter, & Episcopus*) Illi enim proxime ad Sancta Sanctorum accedunt : Subdiaconus autem non ita propinquè : Unde & Ecclesiastico tantùm jure Subdiaconatus Ordinibus Majoribus sive Sacris annexus est, & ei Continentiæ Votum decretum ; ut aliàs docuimus.

Dixi (*ut saltem voluntatem ab omni peccato verè aversam habeant, cum bono motu cordis in Deum, quod est gratiam resuscitare.*) Hoc enim, ut loco allegato tom. 1. docuimus, cum communi gratiæ Divinæ influentia tantùm in potestate hominis est, & bene dicitur homo isto modo resuscitare gratiam, quia facit quod mortaliter peccator facere consuevit ad resurgendum à peccato. Vide quæ diximus loco jam sæpè citato per hoc satis responsum est ad argumenta contrarie opinantium.

APPEN-

APPENDIX.

De Titulo sustentationis in susceptione Majorum Ordinum.

Tres sunt tituli congrue sustentationis in susceptione majorum Ordinum

NE Clerici Majoribus Ordinibus Ordinati contra dignitatem status ordinis cogerentur aut mendicare, aut secularibus negotiis implicati Ordini dedecus inferre, imò & vilibus ministeriis se mancipare, prout proh dolor! non sine magna sacerdotalis dignitatis irreverentia videmus, sacris Canonibus & Concilii Tridentini Decretis, nec non summorum Pontificum Sanctionibus cautum est, ne quis absque titulo sufficientis sustentationis ad sacros Ordines promoveretur. Tres autem Tituli, ex quibus sustentatio congrua possit Ordinato provideri assignantur, nimirum: *Titulus Patrimonii: Titulus Beneficii, Titulus voluntariæ & Religiosæ paupertatis.* De his tribus sequentibus paragraphis necessariam doctrinam subjungo.

§. 1.

De Titulo Patrimonii.

1. Titulus patrimonii.

TItulus Patrimonii dicitur: *Possessio certa & immobilis aliquorum bonorum temporalium, ad sustentationem Ordinati sufficiens, eique legitimè assignata sive hæreditate, sive ex valida donatione sive ex aliquo legato procedat.*

Dicitur *(possessio)* ad excludendam spem, expectationem, sive prætensiones futuras possessionis: Unde non potest ordinari, qui successionem aliquam futuram expectat post mortem parentum & consanguineorum: vel cujus bona sunt litigiosa: vel qui in promissione tantum possessor est, antequam ipsa promissio sit adimpleta, & habeat verè actuale jus in re, & non tantum ad rem.

Dicitur *(certa)* ad excludendas omnes incertitudines & fictiones, quæ interdum ex natura rerum, ex fide humana & pollicitationibus, ex fictis contractibus antapochis sive recredentialibus, quas quis accipit (ut vulgò dicunt) contra scripturam, sive restituendi obligationem, ex donationibus ementitis &c. Quæ multum attendenda sunt: quia ad illa concurrentes non modò peccant mortaliter, quia Ecclesiam in re gravi decipiunt, sed etiam Clerico ordinato in indigentiam & necessitatem incidente, tenentur illum alere, & Ecclesiæ satisfacere.

Dicitur *(immobilis)* etsi enim pecuniâ reditu redimibili, censibus, pensionibus vitalibus patrimonii Titulus fundari possit, illis tamen non fundatur, nisi aliquam immobilitatem acquirant; ita ut pecunia v. g. firmam hypothecam, pensio vitalis, & census durationem ad vitam Ordinati permanentem, reditus redimibilis conditionem de repositione in alterum annexum habeant.

Dicitur *(ad sustentationem Ordinati sufficiens)* sufficientia verò juxta qualitatem personæ, rationem regionis, temporis circumstantias est expendenda.

Porrò Concilium Tridentinum sess. 21. de Reformat. cap. 2. de Titulo Patrimonii sic decernit: *Patrimonium verò vel pensionem obtinentes, ordinari post hac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, Patrimonium illud vel Pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint antiquorum Canonum pœnas super his innovando.*

In quo decreto omnes conditiones supra dictæ ponuntur: Possessio quidem & certitudo istis verbis: *Eo quoque perspecto Patrimonium illud vel pensionem verè ab eis obtineri*: Immobilitas autem ex eo, quòd illud Patrimonium sive Pensio *sine licentia Episcopi alienari, extingui, aut remitti nullatenus possint, donec Beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti.* De quo sine dubio debet constare Episcopo, antequam alienentur: Unde frustra inter se contendunt Auctores: Ad alienationem eorum posito sufficienti beneficio requiratur licentia Episcopi: Posito enim quod de sufficientia beneficii verè & pacifice possessi constet, jam licentia à Concilio conceditur. Tandem sufficientia concluditur his verbis: *Taliaque esse, quæ eis ad sustentandam vitam satis sint:* Ubi etiam inutiliter disputant Auctores: An sufficientia illa sic attendenda penes decentiam aliquam externã? Cùm Concilium tantùm mentionem faciat de sufficientia sustentationis, vitæ frugalis nimirum & ordinatæ.

Sed hic quæritur 1. cur Episcopus prohibeatur admittere ad Ordines majores eos, qui patrimonio pollent, nisi pro necessitate & commoditate Ecclesiarum suarum?

Respondeo id fieri: Quia tales ordinati, qui alicui Ecclesiæ non sunt obstricti, ordinariè in otiosam vitam & sæcularem declinant, cum pravo exemplo: nisi sint personæ singularis pietatis, quæ seipsas alicui Ecclesiæ addicunt.

Quæritur 2. quæ sint illæ pœnæ antiquorum Canonum, quas innovat Concilium Trident.

Respondeo 1. in c. *Neminem.* & c. *Sanctorum* dist. 70. Ordinatos sine sufficienti Titulo ad sustentationem, fuisse ab Ordine suscepto suspensos, & consequenter in Ordinibus istis ministrantes irregularitatem incurrisse: Verùm Innocentius III. c. *Cùm secundum Apostolum*, de Præbendis, sustulit pœnam Ordinatis impositam, sed ordinantibus eorum que ssoribus imposuit pœnam & obligationem sic ordinatos absque Titulo sufficienti ad sustentationem alendi, donec beneficia Ecclesiastica ad alimentum sufficientia consequantur; Quam eandem pœnam imponit Alexander III. ordinantibus in c. *Episcopus* eod. Titulo de præbendis.

Respondeo 2. Ordinatos sua culpa sine Titulo

vulo sufficienti peccare mortaliter ob injuriam (ut dixi) quam inferunt Ecclesiae, modò tamen non incurrere aliquam pœnam juris: Ordinantes tamen, si scienter vel ex culpa sua talem ordinent, teneri ad ordinati sustentationem: Ita respondit Congregatio Cardinalium ann. 1583. *Ordinatus* (inquit) *contra formam hujus Decreti sine Beneficio vel Patrimonio, non est per hoc suspensus nec aliquam pœnam incurrit, sed cogendus est Ordinarius illi providere juxta caput*, cum secundum Apostolum, *de Præbendis, qui solus Canon, non alii, à Concilio innovatur*.

§. 2.

De Titulo Beneficii.

2. Titulus Beneficii. DE Titulo Beneficii sic sancivit Concilium Trident. supra: *Statuit S. Synodus ne quis deinceps Clericus sæcularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia & ætate ad sacros Ordines promoveatur nisi prius legitimè constet eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat pacificè possidere: Id verò Beneficium resignare non possit nisi facta mentione, quod ad illius beneficii Titulum sit promotus. Neq. ea resignatio admittatur, nisi constito, aliunde vivere commodè posse, & aliter facta resignatio nulla sit.*

Ex quo Decreto tria, quæ ad Patrimonii Titulum requiri supra diximus, proportionaliter ad hunc Titulum Beneficii requiri manifestum est: nimirum, Possessionem veram, realem ac pacificam, certam & immutabilem, ita ut nisi succedat æquivalens provisio, Episcopo sine tergiversatione nota, Beneficium resignari nequeat: Deniq; sufficientiam ad honeste vivendum. Quæ sufficientia mensurari debet, ut supra dictum est, respectu honesti alimenti & vestimenti juxta rationem regionum. Imo si tenuitatem Beneficii, Patrimonium, vel alia Pensio, aut vitalis fructus Beneficiato competens suppleat, modò sufficientia adsit pro illius, qui ordinatur, ordinaria sustentatione, Titulus sufficiens judicandus est.

Ex eodem Decreto etiam clarissimè deducitur: Clericum quovis gradu scientiæ fulgentem ut Licentiatum in S. Theologia, vel Doctorem, ratione illius solius Tituli sacris Ordinibus non posse ordinari: quia verè certum Titulum sustentationis non habet: Quamvis enim fundamentum promotionis ad beneficia habeat: potest tamen ipsi aliunde provenire impedimentum, ut irregularitas, aut alia pœna vel censura, quæ eum incapacem beneficii constituat. & verè juxta Concilium Tridentin. Beneficium ex gradu non habet, quod etiam exprimitur verbis illis: *Quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia, ætate, &c.*

Denique ab Ordinatione excluduntur, qui tantum Vicariam, aut perceptionem fructuum temporariam & amovibilem haberent, aut etiã Coadjutoriam incertam: Tales enim non censentur Beneficium Ecclesiasticum habere aut pacificè possidere. Aliud esset, si certitudo ad vitam his adjuncta esset, & fructus ex his provenientes ad sustentationem honestam sufficerent; ut nonnulli graves Doctores non sine fundamento censent.

§. 3.

De Titulo Paupertatis voluntariæ & Religiosæ.

TItulus Paupertatis voluntariæ & Religiosæ, ratione Voti solemnis in Religione approbata emissi, sufficit ad Ordines suscipiendos. 3. Titulus paupertatis Religiosæ.

Ratio est: Quia ex promissionibus Christi in Evangelio, iis, qui omnia reliquerint & Christum secuti fuerint, certitudo sufficientiæ ad vitæ sustentationem per Divinam providentiam certa & secura facta est, multisq; proventibus & opibus prævalet, ut vita Apostolica & Religiosa in hanc horam testatum & probatum reliquit.

Dixi (*ratione Voti solemnis in Religione approbata emissi*) ob Novitios, quos ante professionẽ Pius V. in Bulla, quæ incipit *Romanus Pontifex* data anno 1568. sub pœna suspensionis sacris ordinibus initiari prohibuit, ita ut si initiati in Ordine assumpto ministrent, Irregularitatem contrahant, quia nimirum Titulus paupertatis ad sustentationem sufficiens ex Voto solemni, cui promissio Christi annexa est, originem ducit. Unde quamvis Gregorius XIII permiserit Clericos Societatis JEsu post simplicia Vota, adhuc solemnem Professionem ordinari: Sacra tamen Congregatio Decretis Concilii Trident. declarandis præposita ad sess. 21. c. de Reform. his Verbis ordinavit: *Quoad Jesuitas, cum post Sacerdotium exire non possint, nisi à superioribus dejiciantur provideatur illis de reditu quadraginta aureorum annuorum ex bonis Religionis: Quoad alios, qui arbitrio suo exire quando volunt, possunt, ne detur illis occasio exeundi, ut frustanter illo reditu, vocentur prius & intelligant, qua alia via proficisci possit, deinde maturè deliberandum.* Hæc Congregatio. Deliberatio verò illa & Declaratio quoad omnes, scribitur à paucis mensibus facta à Sanctiss. D. N. Innocentio V. quæ adhuc ad manus nostras authentica non pervenit.

Adverte porrò quoad ejectos aliarum Religionum à S. Sede provisum esse, tales, qui sic propter culpas tanquam morbida pecora ejiciuntur, post ejectionem perpetuo à sacrorum Ordinum ministerio, & si sint Sacerdotes à celebratione Missarum & aliis muniis, ratione sacerdotii illis competentibus, esse suspensos: Vide Bullam Urbani VIII. de Incorrigibilium Expulsione.

***

TITUL-

TITULUS IV.

De Ordine Subdiaconatus.

QUAESTIO I.

Quid sit Subdiaconatus, & quae Subdiaconorum Ministeria?

UT & descriptio & alia officia clariùs innotescant, rem totam absolvo ex Textu Magistri variis auctoritatibus firmato in 4. dist. 24. tit. de Subdiaconis. *Quintus* (ait) *Ordo est Subdiaconorum Graecè Hypodiacones vocantur: Qui ideò sic appellantur, quia subjacent praeceptis & officiis Levitarum*, id est, quia Levitis, id est, Diaconis in altari deserviunt, & velut eorum in ministerio Ordinis sui, & Altari, immediati ministri sunt. Quae est descriptio quid nominis in singulari, in generali autem, etiam quid rei: ut tamen intelligantur quae sint illa, in quibus praeceptis & Officiis Diaconorum subjacent, consequenter ponit Subdiaconorum ministeria.

Subdiaconi offic. 1. *Oblationes enim* (inquit) *in templo à fidelibus suscipiunt, & Levitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebraeos Nathinaei vocabantur id est in humilitate Domino servientes.*

2. *Ad Subdiaconum* (ait) *pertinet, calicem & patenam ad Altare Christi deferre, & Levitis tradere, eisq, ministrare.*

3. *Urceolum quoque & aquamanile, & manutergium tenere: Episcopo & Presbyteris & Levitis pro Lavandis ante Altare manibus, aquam praebere.*

4. *Ad hos etiam pertinet tantùm de oblationibus ponere in Altari, quantum sufficere possit populo, nec non Corporales & Pallas & substratoria lavare.*

De his etiam vide Isidorum Ethim. l. b. 7. c. 12. & in Decreto d. 21. c. *Cleros.* & d. 25 c. *Perlectis* Hugonem l. 2. p. 3. c. 9.

QUAESTIO II.

Quid de Lectione Epistolae?

RAtio hic magna dubitandi moveri potest de Lectione Epistolarum in Missa, cùm ejus mentionem Antiqui, ante Concilium Rhemense can. 4. non fecerint, nec inter ministeria Subdiaconi etiam in praefatione sive exhortatione Pontificalis recenseatur: & aliàs S. Thomas & Theologi disputant de Lectione Epistolae, ac nonnulli quidem Ordinationis magnam vim ponunt in traditione libri Epistolarum, ita ut etiam in illa traditione Characterem imprimi velint: Ut Tigurius in summa Theologica c. 16. §. 6. Alii ut S. Thomas in addit. 3. p. q. 37. art. 4. ad 3. Lectionem Epistolae saltem pro secundario actu Subdiaconi agnoscunt.

CONCLUSIO I.

Lectio Epistolarum non competit Subdiacono ex vi Subdiaconatus, quatenus a principio Ordo ille institutus fuit. *Lectio Epistolae nō competit Subdiacono.*

Patet ex Conciliis antiquissimis & Patribus, qui nullam hujus actus mentionem fecerunt, etsi ceteros actus referant: & ut notavimus suprà in exhortatione, quam facit Episcopus ante Ordinationem Subdiaconorum, etsi omnia alia munia Subdiaconorum recenseat, nullam tamen Lectionis Epistolarum mentionem facit.

CONCLUSIO II.

Lectio Epistolarum successu temporis in Ecclesia commissa est Subdiacono ex Ecclesiae singulari praecepto. *Successu temporis ei est commissa.*

Hanc Conclusionem indicat Catechismus Romanus, qui agens de Subdiacono: *Epistolam etiam* (ait) *quae olim a Diacono in Missa recitabatur, Subdiaconus legit.* Unde & in Rubricis Missalis Romani Lectio Epistolae committitur interdum Lectoribus: *Si quandoq, (ait) celebrans cantat Missam sine Diacono & Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpellicio indutus, &c.* Unde Lectio Epistolae ne quidem pertinet ad secundarium actum Subdiaconi, nec traditio libri Epistolarum ad materiam secundariam Ordinis Subdiaconatus, ut mox dicemus.

QUAESTIO III.

Quae sit praecisa Materia & Forma Subdiaconatus?

MUlta in Pontificali ponuntur per modum alicujus Materiae & Formae in Ordinatione Subdiaconorum.

1. Porrectio calicis vacui cum patena vacua superposita, quem porrigente Episcopo singuli Ordinandi dextra manu tangunt, & Episcopus dicit: *Videte cujus ministerium vobis traditur, ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis* Et Archidiaconus accipit & tradit eis urceolos cum vino & aqua, aquamanile cum manutergio, quae omnia similiter tangere debent.

2. Imponendo amictum, qui in collo Ordinandorum jacet: *Accipe* (ait Episcopus) *amictum per quem designatur castigatio vocis: In nomine Patris &c.*

3. Immittit Episcopus manipulum in brachium sinistrum Ordinandi dicens: *Accipe manipulum per quem designantur fructus bonorum operum. In nomine Patris &c.*

4. Induens quemlibet tunica dicit: *Tunica jucunditatis & laetitiae induat te Dominus: In nomine Patris &c.*

5. Tradit librum Epistolarum, Ordinato illum tangente dextra manu, dicens: *Accipe librum Epistolarum, & habeto potestatem legendi eas in*

Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quam pro Defunctis, In nomine Patris &c.

CONCLUSIO I.

Materia subdiaconatus. PRaecisa Materia Subdiaconatus & primaria, porrectio calicis vacui cum patena vacua, porrigente ea episcopo, & illa ordinando tangente. Ita communiter antiqua Concilia, Patres, & Theologi, ut notatum est suprà q. 1. & 2. qui nimirum nullam faciunt alterius Materiae mentionem.

Materia secundaria, est porrectio urceolorum &c. manutergii, tamquam appendix Materiae primariae, quae porrectio idcirco fit ab Archidiacono non ab Episcopo, ut concomitantem actum Subdiaconi designet, primarius enim actus est porrigere Diacono Calicem & Patenam, sive illa praeparare in Altari; Secundarius porrigere urceolos ad vinum & aquam infundendam Calici, & aquam, & manutergii ad lotionem. Et hunc actum subjungunt Concilium Carthaginense 4. & Isidorus l. 4. de officiis c. 14.

Ex quibus infero 1. impositionem amictus, manipuli, tunicae, esse ceremonialia pertinentia ad Subdiaconorum jam ordinatorum sacra indumenta in Ministerio suo.

Infero 2. Porrectionem libri Epistolarum insinuare potestatem posteriorem Subdiaconatu, & ex consuetudine Ecclesiae illi adjunctam: unde ne quidem pertinere ad secundarium actum Subdiaconi, qui ipsi ex natura & prima institutione Ordinis conveniat. Ratio manifesta est: quia multò posterius haec potestas legendi Epistolam Subdiacono commissa est, cum ad Diaconum, ut superius dictum est, pertineret.

CONCLUSIO II.

Forma Subdiaconatus. PRaecisa Forma Subdiaconatus sunt verba Episcopi in porrectione Calicis vacui, & Patena vacua: Videte, cujus ministerium vobis traditur, &c.

Ratio clara est: Quia patena vacua & calix vacuus sunt instrumenta primaria & praecipua Ministerii, in quo Subdiaconus Diacono in Sacrificio deservit, & verba formae relata ad illa, perfectam complent significationem.

Hinc quaerunt nonnulli: An calix & patena, quae in ordinatione porriguntur, debeant esse consecrata? Respondeo, sufficere, ut sint cultui Divino & ministerio Altaris deputata: Quod etiam requiritur ad significationem verborum Formae. Ratio est: quia Calix usibus humanis deputatus, non potest verificare verba, quae ministerium sacrum significant.

QUAESTIO IV.

Quae sint Obligationes & Peccata specialia Subdiaconorum?

NOn ago hic de generalibus obligationibus, quae omnes Clericos in sacris Ordinibus constitutos concernunt, & maximè consistunt: In probitate & exemplo bonae vitae: In scientia sui Status accommoda: In vestitu & modestia externa: Sed tantum de iis, quae singulariter ex vi Subdiaconatus oriuntur.

CONCLUSIO UNICA.

TRes sunt Obligationes Subdiaconorum, quarum transgressio in materia gravi est peccatum mortale.

1. *Continentia ex Voto proveniens*; Unde peccata incontinentiae, sive in cogitationibus & delectationibus morosis, sive in verbis obscoenis, sive in tactibus consistant, ad sacrilegii culpas pertinent, & in materia gravi ac sufficiente ad sacrilegium mortale.

2. Obligatio est *Puritas mentis & corporis in ministerio*, ex Ecclesiastico nimirum jure, quo Subdiaconatus est ad sacros Ordines evectus: Ut diximus tit. 3. de Ordinibus majoribus q. 3. Hoc enim ipso quo Subdiaconatus sacris Ordinibus est annexus, ex praecepto Ecclesiastico est impositum, ut cum puritate mentis & corporis (quod commune est Ordinibus sacris) ministraret. Puritas autem mentis in hoc consistit, ut nimirum ab omni affectu actuali ad peccatum mortale tempore ministerii sint aversi cum aliqua mentis ad Deum conversione, prout explicavimus supra tit. 3. q. 8. de iis qui obligantur jure Divino. Ad quam etiam puritatem reducitur immunitas à Censuris & Poenis ministerium impedientibus. Puritas etiam corporis requiritur ut nimirum cum honestate & munditia corporali sacra Vasa tangant, & sacro Altari deserviant. Unde non excusarem à peccato mortali aliquos, qui pleni sordibus crapulae, luxuriae &c. inhonestissimè se Sacris ingerunt: Illa enim, praeter indecentiam & irreverentiam gravem, contemptum quendam Sacramentorum virtualem secum trahunt.

3. Obligatio est *Lectio Horarum Canonicarum*, de qua, & de peccatis illam obligationem concernentibus videnda sunt, quae documus superiori titulo, & quae latissimè proposuimus tom. 2. tract. 2. p. 2. toto tit. 3.

TITU-

TITULUS V.

De Ordine Diaconatus.

QUAESTIO I.

Quid sit Diaconatus, & quæ Diaconorum Officia?

Conclusio I.

Diaconi descriptio

Diaconus describi potest: *Qui ex vi Ordinationis suæ Sacerdoti immediatè in Consecratione Corporis & Sanguinis Christi, ejusq; administratione, aliisq; Sacerdotalibus Officiis & muneris ministrat & assistit.*

Hanc descriptionem probant, quæ à Magistro sententiarum d. 24. ex Patribus & Canonibus referuntur: *Græcè* (inquit) *Diacones, Latinè Ministri dicuntur, quia sicut in Sacerdote Consecratio, ita & in Diacono Ministerii dispensatio habetur. Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Christi, in Baptismo, in Chrismate, in patena & calice oblationes quoq; inferre & disponere in Altari &c.* Ut autem ministeria Diaconorum distinctius intelligantur, pono sequentem Conclusionem.

Conclusio II.

Decem Diaconi officia.

Officia Diaconi ad decem capita reduci possunt.

Primum est, *Sacerdoti offerenti & celebranti singularibus Ministeriis assistere.* Unde & à S. Dionysio Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap.3. Diaconi vocantur *selecti Liturgiæ Administratores sive Ministri*: Et Episcopus ordinans in exhortatione sua vocat illos *Comministros & Cooperatores Corporis & Sanguinis Domini*; ut in Pontificali Romano habetur. Vide Sanctum Chrysostomum Homil. 83. in Matthæum S. Ambrosium l. 1. de Officiis c. 41. constatque ex eorum Ordinatione & Ecclesiæ ceremoniis in hunc diem observatis. Hinc etiam *Levitæ* singulariter nuncupantur, quia sicut Levitæ in veteri Testamento assumpti erant, ut in omnibus Sacerdotibus deservirent: Ita & Diaconi in novo.

2. *Evangelium in Missa legere, illudq; ex Sacerdotis commissione populo annuntiare.* Constat iterum ex antiquissimis Ecclesiæ monumentis: & in exhortatione suprà citata ad Diaconos Episcopus ordinans dicit: *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare & prædicare.* Ibidem: *Curate, ut quibus Evangelium annuntiatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur: Beati pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona.*

Dixi *(ex Sacerdotis commissione)* ita enim antiquissima Ecclesiæ praxis habet, ut non nisi à Presbyteris commissi illud munus subeant: Qua ratione S. Ambrosius in Comment. ad c. 4 ad Ephesios comparat Diaconos Evangelistis sed sine cathedra: *Evangelistæ* (inquit) *Diaconi sunt, sicut fuit Philippus: Quamvis non sint Sacerdotes, Evangelizare tamen possunt sine Cathedra, quemadmodum & Stephanus & Philippus.* In quo Sanctus Ambrosius distinctionem ponit inter Sacerdotes & Diaconos: quod nimirum Sacerdotes Cathedram habeant, id est, stabilem & supremam Evangelizandi auctoritatem: Diaconis verò speciali delegatione hoc committatur. Quinimò in Concilio Vasensi providetur can 5. ut si Presbyter aliqua infirmitate prohibitus per se ipsum non potuerit prædicare, tunc Sanctorum Patrum Homiliæ à Diacono populo recitentur: sine dubio in supplementum prædicationis ipsius Presbyteri: Et observat Rupertus l. 1. de officiis c. 36. Diaconum, ante Lectionē Evangelii à Sacerdote benedictionem petere, ut indicetur Apostolorum à Christo missio ad Evangelium prædicandum. Et, ut postea dicemus, officium Diaconorum fuit Catechumenos de rebus fidei instruere.

3. Officium Diaconorum erat *Sanguinis poculum credentibus distribuere, cùm in primitiva Ecclesia sub utraq; specie fideles communicabant.* Unde est illud Isidori l. 2. de Officiis c. 8. *Sicut in Sacerdote Consecratio, ita & in Ministro dispensatio Sacramenti est: Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat &c.* Et S. Laurentius ad B. Sixtum: *Experire, an fidelem Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis Dispensationem.*

Cur dispensatio Sanguinis non corporis commissa Diaconis.

Advertendum tamen hic, etsi dispensatio Sanguinis sub specie vini Diaconis committeretur, non tamen ita passim dispensatio specierum panis: Cujus quidem rationem assignat S. Thomas 3. p. q. 82. art. 3. Ad 1. quod species vini ministrentur mediante poculo sive calice, ita ut per manus Diaconi non contingantur: quia autem species panis nuda manu tangi & ministrari debent, extra casum necessitatis, præsente Presbytero, vix legimus Diaconos species panis distribuisse: Vide d. 98. c. Diaconos. & c. *Præsente*, Quinimò & in Concil. Nicæn. can. 19. prohibetur Diaconis, ne Presbyteris Eucharistiam administrent. Igitur absente Presbytero, vel nolente Eucharistiam ministrare, ubi necessitas gravis, ut pro viatico immineret; liceret Diacono S. Eucharistiam sub speciebus panis infirmo ministrare.

4. Diaconi officium, *Baptizare, sive potius baptizanti solemniter Presbytero assistere.* Quod quidem explicandum est: Etsi enim, dum multitudo conversorum ad fidem magna erat, Diaconis fuerit permissum etiam solemniter baptizare, ut de Philippo Diacono in Actis Apostolorum legimus, & Pontificale Romanum, ut superius visum est, tribuat Diacono officiū baptizandi: Id tamen ita competit Diacono, ut nonnisi ex commissione singulari Sacerdotis, etiam casu urgente, possit absque peccato mortali solemniter baptizare. Baptizare enim solemniter, tum ex natura rei; tum ex Ecclesiæ jure reservatur Presbytero sive etiam Parocho.

Vide Clementem libr. 8. Constitution. Apostolicarum cap. 32. Dixi tantùm (absque peccato mortali) Puto enim à parte rei improbabilem esse nonnullorum opinionem: Qui asserunt Diaconum absque commissione Sacerdotis solemniter baptizantem non tantum peccare mortaliter, sed etiam incurrere irregularitatem, quasi actum non sui ordinis exerceret: Baptizare enim solemniter etiam actus ordinis Diaconatus est, ut in Pontificali continetur: Si igitur injussus baptizet, contra legem & præceptum facit: Ordinis tamen sui actum exercet, etsi illegitimè & peccaminosè exerceat, quia Baptismi solemnis administratio non est illi concredita, nisi ex commissione Sacerdotis in causâ justa & rationabili, quem tamen quandocumque Diaconus administrat, ordinis actum exercere censetur, sicut etiam cùm absque commissione prædicaret.

Dixi (sive potius baptizandi solemniter Presbytero assistere) Hoc enim unum ex præcipuis Diaconi officiis est, adesse Sacerdoti, disponere baptizandos, offerre aquam, sacrum chrisma, & alia facere, quæ in solemni Baptismo fiunt: Unde Clemens l. lib. 3. Constitut. Apost. c. 10. postquam removit à Ministerio baptismi omnes in minoribus ordinibus & Ministeriis constitutos: *Solos* (inquit) *baptizare permittimus Episcopos, & presbyteros, ministrantibus illis Diaconis*. Ex quibus pono Diaconi officium 5. — Clem. l.

5. Officium Diaconi est, *Catechumenos instruere & docere in fidei rudimentis, & eos ad Baptismum debitè suscipiendum per pænitentiam peccatorum, & cordis motus salutares disponere*: Unde & ordo Diaconorum ab antiquis καθάρτικοι, id est Purgatorius, nominatur, quod suâ cum doctrina & instructionibus Catechumenos purgarent.

6. Officium erat, *temporalibus Ecclesiarum bonis, ærumnâ, ac eleemosinarum distributionibus invigilare*, ut constat ex Actibus Apostolorum, & vita S. Laurentii, de quo S. Leo: *Non solùm* (ait) *Ministerio Sacramentorum, sed etiam Dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præminebat*. — Act. 6. S. Leo in vita S. Laurentii.

7. Officium Diaconorum fuit *Populum in sacris cœtibus certis vocibus & signis ad Deum movere*. Hæc sunt quæ à Magistro Sententiarum referuntur: *Ad ipsum etiam*, inquit, *pertinet officium precum recitatio nominum: Ipse pramonet aures habere ad Deum, Ipse donat pacem, & ipse annuntiat*. Quæ omnia in ceremoniis Diaconorum secundùm diversas Ecclesias, & diversa tempora leguntur. Unde & antiquitus, *Consuetudo* inquit Magister (*inolevit, ut in omni Matrice ecclesia septem Diacones circa Christi aram quasi septem columnæ existant et sunt Angeli tuba canentes* in Apocal. cap. 8. &c. — Magister

8. Officium Diaconorum Antiqui ponebant: *In reconciliatione publicorum peccatorum post actam publicam pænitentiam*. De quo Cyprian. l. 3 Epistola 61. Quæ quidem erat tantùm externa reconciliatio externo foro deserviens, & à pœnis publicè impositis in foro Ecclesiæ absolvens, quam Diaconi in absentia Presbyterorum infirmis pœnitentibus impertiebantur; Sed cum publicis pœnitentiis & ista reconciliatio exolevit. Crederem ego ratione hujus officii in extrema necessitate Diaconum posse pænitentes à vinculo Excommunicationis, quando forum externum Ecclesiæ absolvere, ut sepultura sacra donatentur; idque ex vi hujus Officii, si non prohibeat Ecclesia. — Nota.

9. Officium fuit: *Invigilare super iis, quæ in Ecclesia fiunt & de iis Episcopum monere*. Vide Decretum Gratian. d. 93. c. *Diaconi*: *Diaconi* (inquit) *Ecclesiæ, tanquam oculi sint Episcopi, oberrantes & circumlustrantes eum verecundiâ actu totius Ecclesiæ & perscrutantes diligentiùs, si quem videant vicinum fieri præcipitio, & proximum esse peccato, ut referant ad Episcopum, & commoneri ab eo possit &c.* Unde & apud Clementem Epistola ad Jacobum Fratrem Domini dicitur Diaconus: *Auditus, os, lingua, cor, anima Episcopi*. — c. Diaconi

10. Diaconi officium erat; *Invigilare super infirmis, & peregrinis*: Unde apud Gratianum supra: *Eos, qui secundùm carnem ægrotant sollicitè perquirant, & plebi (si plebs ignorat) indicent de his, ut ipsi visitent eos, & quæ necessaria sunt præbeant illis &c. Sed & de peregrinis similiter Episcopo suggerant referendo: Et cætera his similia quæ ad cultum Ecclesiæ, & disciplinam ejus pertinent, diaconis cura sint*. Similia habentur apud Clementem l. 3. Constit. c. 19.

QUÆSTIO II.

In quibus consistat Materia & Forma ordinationis Diaconorum?

Duplex in Pontificali exprimitur signum, quo Episcopus utitur in ordinatione Diaconi: Prius est, quod fit impositione dextræ manus super caput ordinandi cum hac verborum Forma: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus: In nomine Domini*: Posterius est, traditio libri Evangeliorum cum hac verborum Forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium in ecclesia Dei tam pro vivis quam pro Defunctis: In nomine Domini: Amen*. — Pontificale.

Ex hoc graves Auctores in duas potissimùm partes abierunt: Aliis asserentibus Materiam præcisam & adæquatam ordinationis Diaconorum esse porrectionem libri Evangeliorum: Formam verò verba suprà relata, quæ in traditione illius libri ab Episcopo proferuntur. Fundatur autem hæc sententia in Concil. Florent. in Decreto Eugenii IV. sive Instructione Armenorum, ubi sic legitur: *Sextum Sacramentum est ordo, cujus Materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut &c. Diaconatus per libri Evangeliorum dationem*. Et eandem Materiam assignat Catechismus Romanus, adjungens suprà relatam Formam. — Cōc. Flor.

Alio-

Aliorum non minoris qualitatis & nominis Doctorum sententia est: Materiam consistere in impositione manus, Formam autem in verbis, quæ in impositione manus Episcopus proferre consuevit. Fundatur in sacra Scriptura Act. c. 6. quæ solius impositionis manuum mentionem facit in ordinatione Diaconorum. Quæ etiam impositio conservata est hactenus in ecclesia Græca, nec antiqua Concilia, usque ad Stephanum Papam, alterius Materiæ, quàm impositionis manuum, in ordinationibus meminerunt, nulla facta mentione porrectionis aliorum instrumentorum: Ut clarius videre est in Concil. Toletano XI. & refertur d. 23. c. *Presbyter* & c. *Quorumdam*.

Act. 6. 6.

Pro resolutione vero notanda est doctrina generalis, quam omnino existimo veram, Christum in institutione Sacramenti ordinis Materiam illius ita instituisse, ut eam in singulari non determinaverit, sed tantùm in genere, relinquens determinationem ecclesiæ suæ, quæ successivis temporibus illam magis determinavit pro majori & expressiori significatione, & mysteriorum gloria & decore. Hæc doctrina omnino tenenda est, si diversos ritus & actiones in ordinationibus observatas à principio ecclesiæ usque ad hæc tempora, ritè & piè concordare & explicare velimus. Hac igitur doctrina supposita, prout supponendam censeo, pono sequentes Conclusiones.

Conclusio I.

Impositio manus nō est Materia adæquata.

Impositio manus in ordinatione Diaconi, nō fuit adæquata Materia ordinationis Diaconorum.

Hæc Conclusio supponenda est ad minùs ex Conc. Flor. in Decreto illo sive Instructione Armenorum: Ubi declaratur Sacramentum ordinis conferri per librì Evangeliorum traditionem: Ergo adæquatè non confertur per solam manus impositionem.

Conclusio II.

Neque traditio libri Evangeliorum.

Traditio libri Evangeliorum, non est adæquata Materia ordinationis Diaconorum.

Hanc Conclusionem probant Scriptura, Patres, Concilia, quæ impositionis manuum singulariter meminerunt, nulla etiam mentione facta traditionis libri Evangeliorum. Dicere enim manus impositionē fuisse tantum ritū accidentalem, est ludere in Scriptura, Patribus, & Conciliis: Qui enim veritate, taciris essentialibus Sacramenti ordinis, ritum tantùm accidentalem protulissent, nulla facta vel à longe insinuatione alicujus signi essentialis.

*****

Conclusio III.

Sed utraq; actio ad Materiā essentialē spectat.

Utraque igitur actio tam impositionis manus, quàm traditionis libri Evangeliorum pertinet ad materiam essentialem & adæquatam ordinationis Diaconi, etsi traditio libri Evangeliorum non fuerit semper isto individuo & singulari signo expressa.

Hæc Conclusio infertur ex superioribus: Cùm enim Scriptura, Patres, & Concilia antequa meminerunt impositionis manus, tamquam signi principalioris, eaque adhuc primariò usurpetur in ordinatione Diaconi, non sine temeritate ab ordinationis Materia separaretur: Sicut nec ob auctoritatem Concil. Florent. & usum modernæ Ecclesiæ ipsa traditio Evangeliorum. In hoc ergo conciliandæ sunt diversæ auctorum sententiæ: Ut per impositionem manuum, tamquam partem Materiæ essentialem, conferatur gratia ad Sacra Ministeria, quæ in Sacrificio sancto, distributione Eucharistiæ & Sacri Calicis, Baptismi assistentia, & aliis suprà relatis præstabat Sacerdoti & ecclesiæ Diaconus: Per traditionem autem libri Evangeliorum gratia ad legendum, explicandum, imò in absentia Sacerdotis, vel de ejus mandato prædicandum Evangelium, imbuendos in fide & spirituali doctrina Catechumenos, & alia id genus, quæ Diaconis commissa erant. Vide quæ diximus suprà q. 1. in 2. & 5. Officio Diaconorum.

Et quidem manus impositionem ad essentialem Materiam ordinationis Diaconi pertinere ex ritibus ordinationis Diaconorum amplius declarari potest: Nam dum in impositione manus super unumquemque caput dixit Episcopus: *Accipe Spiritum ad robur*; &c. extensam manum dextram tenens, & velut se explicans, ac præfationem prosequens dicit: *Emitte in eos, quæsumus Domine, Spiritum sanctum, quo in opus Ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere roborentur*: & alia prosequitur, quæ gratiam ad principalia Ministeria Diaconatus necessariam exponunt. Ac tandem, in vim hujus impositionis, illis ornamenta Diaconatus imponit; nimirum, stolam in latere sinistro ad dextram descendente, & Dalmaticam, tanquam jam ad Ministerium Altaris ac Sacrorum Mysteriorum ordinatis. Quæ omnia declarant ritum illum esse primarium, & Diaconatui essentialem, conformiter ad Scripturam, & Patres.

Sed nec alter ritus porrectionis libri Evangeliorum debet ab essentiali parte Materiæ secerni: Cum etiam per Formam specificè significantem alterum officium *Evangelizandi* conferatur, quod est secundum & minùs principale. Ubi tamen per potestatem legendi Evangelium, non intelligitur tantùm recitatio sive cantus Evangelii in Missa, sed etiam & principalius ea omnia, quæ ad Diaconum circa Evangelii prædicationem pertinere docuimus suprà de 2. Officio q. 1.

Objectio notabilis. DICES: Si uterque ritus ad essentiam ordinationis Diaconorum pertinet, ergo mancum administrarunt Sacramentum, qui prius per solam impositionem manus illos ordinarunt: Et Conc. Florent. seu potius Eugenius IV. mancam Materiam in Instructione Armenorum retulit.

Respondeo, Negando utramque Consequentiam: Ad primum itaque dico: Scripturam Patres & Concilia, quæ solius impositionis manuum meminerunt, non negasse alteram Materiam, qua gratia & potestas ad Evangelium legendum & prædicandum pertinens conferebatur: Illam verò non retulisse, quia pro ratione temporis alio fortè æquivalenti signo, non omnino eodem, exprimebatur. Cum enim tempore Apostolorum non haberentur Evangeliorum codices, & multo tempore postea subsuerint alia incommoda, alio sine dubio signo ejusdem gratiæ & potestatis significativo & collativo, cum impositione manuum tradebantur. Quod, quale fuerit, etsi varias conjecturas (ut de charta, in qua initium S. Evangelii scriptum erat &c.) afferri soleant, satius est fateri nos nescire.

Ad 2. similiter dicendum: Eugenium IV. in Instructione Armenorum in Concil. Florent. impositionis manuum, in ordinatione Diaconi, mentionem non fecisse, quia de illa, utpote in ecclesia Græca primariò usurpata, satis instructi erant Armeni: Porrectionem autem libri Evangeliorum apertè declarasse, quia illa pars essentialis, in tali & tam expresso signo, usurpata non erat, & de illa debebant conformiter ad ecclesiam Latinam doceri. Et ex his responsum est sufficienter ad fundamenta utriusque opinionis, jam per doctrinam datam conciliatæ.

QUÆSTIO III.

Quæ sint obligationes Diaconorum?

1.Tim.3.8 OBligationes Diaconorum cognoscuntur ex qualitatibus in Diacono ab Apostolo requisitis 1. ad Timoth. 3. *Diaconos* (ait)
Vers.9. *similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: Habentes*
Vers.10. *mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum*
Vers.12. *crimen habentes.* Infra: *Diaconi sint unius uxoris viri: qui filiis suis benè præsint, & suis domi-*
Vers.13. *bus: Qui enim benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Jesu.* Ex illis enim Apostoli verbis clarè deduci possunt obligationes, quas habent Diaconi ex vi ordinis sive ministerii sui.

Duo sunt Diaconorum ministeria. Ut autem clariùs explicentur, Noto duo præcipua referri Diaconorum Ministeria, ad quæ cætera reducuntur: nimirum primarium & secundarium. Primarium Diaconorum Ministerium dici potest *Sacrum*: Estque illud, quod Sacrificio & Sacerdoti, ac aliis sacris actionibus Diaconus impendit: Ut administrationi Sacramentorum, assistentia in Baptismo, Catechesi, Prædicationi &c.

Secundarium Ministerium nominari potest *quasi Sacrum*: Quod nimirum non tam Sacris impendebatur actionibus, quàm externis aliquibus Ministeriis, Sacris deservientibus: Ut alimento viduarum, conservationi Sacrorum Vasorum, administrationi bonorum Ecclesiasticorum, legationibus piis &c. De quibus vide Auctores, His sic prænotatis sit

CONCLUSIO I.

Ad ministerium Sacrum requiritur in Diacono, Castitas, Sobrietas, Scientia, Puritas, & bona fama. QUinque sunt præcipua Obligationes Diaconorum in ordine ad Ministerium primarium & Sacrum. *Pudicitas sive Castitas, Sobrietas, Scientia Mysteriorum fidei, Puritas conscientia in ministerio, bona fama.*

Hæ obligationes ab Apostolo referuntur sub his verbis: *Diaconos* (inquit) *pudicos & unius Uxoris viros*, ecce Castitas: *Non multo vino deditos*: En Sobrietas: *Habentes mysterium fidei*: En scientia: *In conscientia pura*: En Puritas mysterii: *Nullū crimen habentes* En bona fama.

CONCLUSIO II.

Ad quasi Sacrū Fidelitas & integritas ab avaritia. CÆtera obligationes relata ab Apostolo respiciunt secundarium ministerium suntque potissimum duæ, *Fidelitas*, & *Integritas ab omni avaritiæ studio.* Suppono tamen ex primo ministerio Pudicitatem, Sobrietatē, & bonam famam.

Hæ obligationes indicantur ab Apostolo his verbis: *Diaconos* (ait) *non bilingues non turpe lucrum sectantes*; Conclusionis verò ratio sumenda est ex fine, ad quem Ministerium secundarium dirigitur: Ex eo enim simpliciter quòd administrationem bonorum ecclesiasticorum haberent, in qua varia pacta, conventiones, compositiones, distributiones occurrunt; posito hoc ministerio si bilingues sint, sive, ut S. Chrysost. explicat, *Sub doli aliud in corde, aliud in ore gestantes*, aut, ut alii, *inconstantes sermone, mendaces*, Syriacè, *loquentes duplicia*: Quomodo administrationem tam sanctam obire poterūt. Nec minus periculū fuisset, si avaritiæ & propriis cōmodis debiti turpe lucrum sectati fuissent.

Pro ministerio etiā viduarum, similiter requirebatur ex primario ministerio, Pudicitas, Sobrietas, & bona fama, sine quibus in isto quotidiano misterio periclitarentur animæ plurimorum, Unde & cùm eligerentur septem Diaconi ad hoc ministerium, requirebatur Act. 6. ut essent *Viri boni testimonii, pleni Spiritu sancto, & sapientia*: Bonæ utique famæ & approbatæ vitæ, pleni charitate, & prudentia sive fidelitate in distributionibus, ut Expositores explicant. Sed de his omnibus infrà. Act.6.3.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quæ sint Peccata Diaconorum ex obligationibus sui Gradus & officii provenientia?

Juxta obligationes Diaconorum, expendenda sunt eorum Peccata. Ut igitur clarius patescant, singulas obligationes, ex qualitatibus requisitis natas, expendemus per sequentes Paragraphos.

§. 1.

De Peccatis Diaconorum contra Castitatem sive Pudicitiam.

Obligatio Castitatis 3. habet partes. Castitatis obligatio tres partes habet 1. antecedit, & velut præparatoria est ad ordinationem Diaconi: Nimirum: Ut si Uxoratus fuerit, sit saltem Monogamus, id est, unius Uxoris Vir. Unde si Bigamus in Diaconum se ordinari permittat ante dispensationem legitimam, peccatum mortale, & irregularitatem novam ex delicto incurrit.

2. Pars ipsam ordinationem comitatur: Hoc enim ipso, quo aliquis ordinatur Diaconus, ex vi ordinationis in Diaconum (supposito quòd Diaconatui non esset, ut olim, Votum Castitatis annexum) Votum Castitatis emittere censetur, ac illius Voto perpetuè obligatus manet. Unde in ecclesia Latina: Si qui antiquitus Conjugati ordinarentur, ab usu Uxorum omnino separabantur, & castitati perpetuæ addicebantur, & Uxores Cœlibes remanebant, quæ hoc respectu Diaconissæ ab aliquibus vocabantur; quamvis aliud sit Diaconissarum genus, ut postea dicemus.

Ex hac obligatione nascitur, quòd omne peccatum mortale, cogitatione, verbo, & opere à Diacono post ordinationem contra Castitatem commissum, Sacrilegium sit: & hæc quidem circumstantia (utpote mutans speciem) confitenda & exprimenda est, si Confessarius Pœnitentem in qualitate Diaconi non norit.

Ratione rerum illius Voti & gradus: Scurrilitates, levitates, & insolentiæ nonnullæ in materia carnis à Diacono excitatæ, etsi fortè in se peccata mortalia non essent, ratione tamen ordinis, ob scandalum datum, mortalia fieri possunt, super quo attendere & invigilare tenetur. Unde & in Græco pro *Pudico* ponitur σεμνὸν quod significat, gravem, serium, modestum.

Pro tertia parte, quà Castitas respicit ministerium sacrum, eadem requiritur circumspectio in Diacono, quæ in Sacerdote, ut videlicet, carnali aliqua immunditia, pollutione &c. Diaconus ministrans, culpabiliter maculatus non fuerit. Huic doctrinæ proportionaliter applicari debent omnia, quæ de Immunditia corporali Sacerdotis diximus tom. 2. tract. 2. p. 3. tit 4. q. 2. Examine tertiæ Dispositionis: Quia Diaconus cùm ad Sacra ipsius sacrificii proximè accedat, immundus absque peccato accedere non potest, juxta illud Isaiæ 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Isa. 52. 11. Unde præclare Concilium Turonense 1. c. 1. *Si universis (ait) fidelibus secundum Apostolorum doctrinam Castitas custodienda indicitur &c. Quanto magis Sacerdotes Dei ac Levitæ Divino mancipati Altario custodire debent, ut non solùm cordis verum etiam corporis Puritatem servantes, pro plebe supplicaturi preces illorum ad divinum mereantur introire auditum. Quia secundùm auctoritatem Apostoli, qui in carne sunt, Deo placere non possunt, vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Infrà: *Cum ergo laico imperetur, ut possit orationi vacans, & Deum deprecans exaudiri: Quanto magis Sacerdotibus & Levitis, qui omni momento parati esse debent in omni Puritate & Munditia securi: ne aut Sacrificium offerre, aut baptizare (si id temporis necessitas poposcerit) cogantur imparati aut immundi.* Certè legimus Diacono ferente Sacram Hierothecam, hoc est, Venerabilis Sacramenti Thecam, Ciborium sive Remonstranciam ut dicimus, qui noctu pollutus fuerat, e manibus ipsius sublatam, & ab Angelis in aëre portatam fuisse usque ad Ecclesiam.

Et hæc quidem sententia nostra maximè concludit de Diaconis, qui Sacra illa contingunt, & iis maximè qui Sacrum Corpus & Sanguinem Domini antiquitus dispensabant & distribuebant.

Turpe est hoc tempore, quòd in nonnullis Ecclesiis, sæcularium maxime, Diaconus vix Sacerdoti assistat in principalibus Mysteriis, sed illi sufficiat Evangelium canere.

§. 2.

De Peccatis Diaconorum quoad Sobrietatem

Etsi Sobrietas virtus universalis sit, omnes jure naturali obligans, nec Intemperantia aut ebrietas in Diacono mutet speciem peccati per se: Ex obligatione tamen Sobrietas singulari titulo Diacono imponitur: Quia Intemperantia, Temulentia, Ebrietas in Diacono non tantum turpitudinem auget, sed etiam peccatorum aliquorum causa existit.

Duplicia peccata ex Intemperantia in Diacono oriuntur. Duplicia igitur peccata ex Intemperantia sive sobrietatis transgressione in Diacono oriuntur: Prima respiciunt Ministerium sive officium: Posteriora aliorum offensam & scandalum.

Peccata quæ Ministerium spectant, & ex Intemperantia oriuntur, sunt: Indispositio, ineptitudo sive hebetudo mentis & corporis, irreverentia in Sacris Mysteriis, quæ contingit ex nimio potu nocturno, diurnove, & comessationibus, quæ in primitiva Ecclesia Diaconos reddebant inhabiles ad assistendum Baptismo, ad prandium, ad catechizandum, ad serviendum viduis &c.

Pecca-

culo sufficienti peccare mortaliter ob injuriam (ut dixi) quam inferunt Ecclesiae, modò tamen non incurrere aliquam poenam juris: Ordinantes tamen, si scienter vel ex culpa sua talem ordinent, teneri ad ordinati sustentationem: Ita respondit Congregatio Cardinalium ann. 1584. *Ordinatus (inquit) contra formam hujus Decreti sine Beneficio vel Patrimonio, non est per hoc suspensus nec aliquam poenam incurrit, sed cogendus est Ordinarius illi providere juxta caput*, cum secundum Apostolum, *de Praebendis, qui solus Canon, non alii, à Concilio innovatur.*

§. 2.

De Titulo Beneficii.

2. Titulus Beneficii. DE Titulo Beneficii sic sancivit Concilium Trident. supra: *Statuit S. Synodus ne quis deinceps Clericus saecularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia & aetate ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitimè constet eum Beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat pacificè possidere: Id verò Beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii Titulum sit promotus. Neq; ea resignatio admittatur, nisi constito, aliunde vivere commodè posse, & aliter facta resignatio nulla sit.*

Ex quo Decreto tria, quae ad Patrimonii Titulum requiri supra diximus, proportionaliter ad hunc Titulum Beneficii requiri manifestum est: nimirum, Possessionem veram, realem ac pacificam, certam & immutabilem, ita ut nisi succedat aequivalens provisio, Episcopo sine tergiversatione nota, Beneficium resignari nequeat: Deniq; sufficientiam ad honestè vivendum. Quae sufficientia mensurari debet, ut supra dictum est, respectu honesti alimenti & vestimenti juxta rationem regionum. Imo si tenuitatem Beneficii, Patrimonium, vel alia Pensio, aut vitalis fructus Beneficiato competens suppleat, modò sufficientia adsit pro illius, qui ordinatur, ordinaria sustentatione, Titulus sufficiens judicandus est.

Ex eodem Decreto etiam clarissimè deducitur: Clericum quovis gradu scientiae fulgentem ut Licentiatum in S. Theologia, vel Doctorem, ratione illius solius Tituli sacris Ordinibus non posse ordinari: quia verè certum Titulum sustentationis non habet: Quamvis enim fundamentum promotionis ad beneficia habeat: potest tamen ipsi aliunde provenire impedimentum, ut irregularitas, aut alia poena vel censura, quae eum incapacem beneficii constituat, & verè juxta Concilium Tridentin. Beneficium ex gradu non habet, quod etiam exprimitur verbis illis: *Quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia, aetate, &c.*

Denique ab Ordinatione excluduntur, qui tantum Vicariam, aut perceptionem fructuum temporariam & amovibilem haberent, aut etiã Coadjutoriam incertam: Tales enim non censentur Beneficium Ecclesiasticum habere aut pacificè possidere. Aliud esset, si certitudo ad vitam his adjuncta esset, & fructus ex his provenientes ad sustentationem honestam sufficerent; ut nonnulli graves Doctores non sine fundamento censent.

§. 3.

De Titulo Paupertatis voluntariae & Religiosae.

3. Titulus paupertatis Religiosae. TItulus Paupertatis voluntariae & Religiosae, ratione Voti solemnis in Religione approbata emissi, sufficit ad Ordines suscipiendos.

Ratio est: Quia ex promissionibus Christi in Evangelio, iis, qui omnia reliquerint & Christum secuti fuerint, certitudo sufficientiae ad vitae sustentationem per Divinam providentiam certa & secura facta est, multisq; proventibus & opibus praevalet, ut vita Apostolica & Religiosa in hanc horam testatum & probatum reliquit.

Dixi (*ratione Voti solemnis in Religione approbata emissi*) ob Novitios, quos ante professionẽ Pius V. in Bulla, quae incipit *Romanus Pontifex* data anno 1568. sub poena suspensionis sacris ordinibus initiari prohibuit, ita ut si initiati in Ordine assumpto ministrent, Irregularitatem contrahant, quia nimirum Titulus paupertatis ad sustentationem sufficiens ex Voto solemni, cui promissio Christi annexa est, originem ducit. Unde quamvis Gregorius XIII permiserit Clericos Societatis JESU post simplicia Vota, adire solemnem Professionem ordinari: Sacra tamen Congregatio Decretis Concilii Trident. declarandis praeposita ad sess. 21. c. de Reform. his Verbis ordinavit: *Quoad Jesuitas, cum post Sacerdotium exire non possint, nisi à superioribus dejiciantur provideatur illis de reditu quadraginta aureorum annuorum ex bonis Religionis: Quoad alios, qui arbitrio suo exire quando volunt, possunt, ne detur illis occasio exeundi, ut fruantur illo reditu, vocentur prius & intelligant, qua alia via proficì possit, deinde maturè deliberandum.* Haec Congregatio. Deliberatio verò illa & Declaratio quoad omnes, scribitur à paucis mensibus facta à Sanctiss. D. N. Innocentio V. quae adhuc ad manus nostras authentica non pervenit.

Adverte porrò quoad ejectos aliarum Religionum à S. Sede provisum esse, tales, qui sic propter culpas tanquam morbida pecora ejiciuntur, post ejectionem perpetuo à sacrorum Ordinum ministerio, & si sint Sacerdotes à celebratione Missarum & aliis muniis, ratione sacerdotii illis competentibus, esse suspensos: Vide Bullam Urbani VIII. de Incorrigibilium Expulsione.

***

TITVLVS IV.

De Ordine Subdiaconatus.

QVAESTIO I.

Quid sit Subdiaconatus, & quæ Subdiaconorum Ministeria?

UT & descriptio & alia officia clariùs innotescant, rem totam absolvo ex Textu Magistri variis auctoritatibus firmato in 4. dist. 24 tit. de Subdiaconis. *Quintus* (ait) *Ordo est Subdiaconorum Græcè Hypodiacones vocantur: Qui ideo sic appellantur, quia subjacent præceptis & officiis Levitarum*, id est, quia Levitis, id est, Diaconis in altari deserviunt. & velut eorum in ministerio Ordinis sui, & Altari, immediati ministri sunt: Quæ est descriptio quid nominis in singulari, in generali autem, etiam quid rei; ut tamen intelligantur quæ sint illa, in quibus præceptis & Officiis Diaconorum subjacent, consequenter ponit Subdiaconorum ministeria.

Subdiaconi offic.

1. *Oblationes enim* (inquit) *in templo à fidelibus suscipiunt, & Levitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos Nathinæi vocabantur id est in humilitate Domino servientes.*

2. *Ad Subdiaconum* (ait) *pertinet, calicem & patenam ad Altare Christi deferre, & Levitis tradere, eisq; ministrare.*

3. *Urceolum quoque & aquamanile, & manutergium tenere: Episcopo & Presbyteris & Levitis pro Lavandis ante Altare manibus, aquam præbere.*

4. *Ad hos etiam pertinet tantùm de oblationibus ponere in Altari, quantum sufficere possit populo, nec non Corporales & Pallas & substratoria lavare.*

De his etiam vide Isidorum Ethim. lib. 7. c. 12. & in Decreto d. 21. c. *Cleros*. & d. 25 c. *Perlectis* Hugonem l. 2. p. 3. c. 9.

QUÆSTIO II.

Quid de Lectione Epistolæ?

RAtio hic magna dubitandi moveri potest de Lectione Epistolarum in Missa, cùm ejus mentionem Antiqui, ante Concilium Rhemense can. 4. non fecerint, nec inter ministeria Subdiaconi etiam in præfatione sive exhortatione Pontificalis recenseatur: & aliàs S. Thomas & Theologi disputant de Lectione Epistolæ, ac nonnulli quidem Ordinationis magnam vim ponunt in traditione libri Epistolarum, ita ut etiam in illa traditione Characterem imprimi velint: Ut Tiguerius in summa Theologica c. 16. §. 6. Alii ut S. Thomas in addit. 3. p. q 37. art. 4. ad 3. Lectionem Epistolæ saltem pro secundario actu Subdiaconi agnoscunt.

CONCLUSIO I.

LEctio Epistolarum non competit Subdiacono ex vi Subdiaconatus, quatenus a principio Ordo ille institutus fuit.

Lectio Epistolæ nō competit Subdiacono.

Patet ex Conciliis antiquissimis & Patribus, qui nullam hujus actus mentionem fecerunt, etsi ceteros actus referant: & ut notavimus suprà in exhortatione, quam facit Episcopus ante Ordinationem Subdiaconorum, etsi omnia alia munia Subdiaconorum recenseat, nullam tamen Lectionis Epistolarum mentionem facit.

CONCLUSIO II.

LEctio Epistolarum successu temporis in Ecclesia commissa est Subdiacono ex Ecclesiæ singulari precepto.

Successu temporis ei est commissa.

Hanc Conclusionem indicat Catechismus Romanus, qui agens de Subdiacono: *Epistolam etiam* (ait) *quæ olim a Diacono in Missa recitabatur, Subdiaconus legit.* Unde & in Rubricis Missalis Romani Lectio Epistolæ committitur interdum Lectoribus: *Si quandoq;* (ait) *celebrans cantat Missam sine Diacono & Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpellicio indutus, &c.* Unde Lectio Epistolæ nequidem pertinet ad secundarium actum Subdiaconi, nec traditio libri Epistolarum ad materiam secundariam Ordinis Subdiaconatus, ut mox dicemus.

QVÆSTIO III.

Quæ sit præcisa Materia & Forma Subdiaconatus?

MUlta in Pontificali ponuntur per modum alicujus Materiæ & Formæ in Ordinatione Subdiaconorum.

1. Porrectio calicis vacui cum patena vacua superposita, quem porrigente Episcopo singuli Ordinandi dextra manu tangunt, & Episcopus dicit: *Videte cujus ministerium vobis traditur, ideò vos admoneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possites* Et Archidiaconus accipit & tradit eis urceolos cum vino & aqua, aquamanile cum manutergio, quæ omnia similiter tangere debent.

2. Imponendo amictum, qui in collo Ordinandorum jacet: *Accipe* (ait Episcopus) *amictū per quem designatur castigatio vocis: In nomine Patris &c*

3 Immittit Episcopus manipulum in brachiū sinistrum Ordinandi dicens: *Accipe manipulū per quem designantur fructus bonorum operum. In nomine Patris &c.*

4. Induens quemlibet tunica dicit: *Tunica jucunditatis & lætitiæ induat te Dominus: In nomine Patris &c.*

5. Tradit librum Epistolarum, Ordinato illū tangente dextra manu, dicens: *Accipe librum Epistolarum, & habeto potestatem legendi eas in*

Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quam pro Defunctis, In nomine Patris &c.

CONCLUSIO I.

Materia subdiaconatus. Praecisa Materia Subdiaconatus & primaria, *porrectio calicis vacui cum patena vacua, porrigente ea episcopo, & illa ordinando tangente.* Ita communiter antiqua Concilia, Patres, & Theologi, ut notatum est suprà q. 1. & 2. qui nimirum nullam faciunt alterius Materiae mentionem.

Materia secundaria, est porrectio urceolorum &c. manutergii, tamquam appendix Materiae primariae, quae porrectio idcirco fit ab Archidiacono non ab Episcopo, ut concomitantem actum Subdiaconi designet, primarius enim actus est porrigere Diacono Calicem & Patenam, sive illa praeparare in Altari; Secundarius porrigere urceolos ad vinum & aquam infundendam Calici, & aquam, & manutergium ad lotionem. Et hunc actum subjungunt Concilium Carthaginense 4. & Isidorus l. 4. de officiis c. 14.

Ex quibus Infero 1. Impositionem amictus, manipuli, tunicae, esse ceremonialia pertinentia ad Subdiaconorum jam ordinatorum sacra indumenta in Ministerio suo.

Infero 2. Porrectionem libri Epistolarum insinuare potestatem posteriorem Subdiaconatu, & ex consuetudine Ecclesiae illi adjunctam; unde nequidem pertinere ad secundarium actum Subdiaconi, qui ipsi ex natura & prima institutione Ordinis conveniat. Ratio manifesta est: quia multò posterius haec potestas legendi Epistolam Subdiacono commissa est, cum ad Diaconum, ut superius dictum est, pertineret.

CONCLUSIO II.

Forma Subdiaconatus. Praecisa Forma Subdiaconatus *sunt verba Episcopi in porrectione Calicis vacui, & Patenae vacuae: Videte, cujus ministerium vobis traditur, &c.*

Ratio clara est: Quia patena vacua & calix vacuus sunt instrumenta primaria & praecipua Ministerii, in quo Subdiaconus Diacono in Sacrificio deservit, & verba formae relata ad illa, perfectam complent significationem.

Hinc quaerunt nonnulli: An calix & patena, quae in ordinatione porriguntur, debeant esse consecrata? Respondeo, sufficere, ut sint cultui Divino & ministerio Altaris deputata: Quod etiam requiritur ad significationem verborum Formae. Ratio est: quia Calix usibus humanis deputatus, non potest verificare verba, quae ministerium sacrum significant.

QUAESTIO IV.

Quae sint Obligationes & Peccata specialia Subdiaconorum?

Non ago hic de generalibus obligationibus, quae omnes Clericos in sacris Ordinibus constitutos concernunt, & maximè consistunt: In probitate & exemplo bonae vitae: In scientia sui Statui accommoda: In vestitu & modestia externa: Sed tantum de iis, quae singulariter ex vi Subdiaconatus oriuntur.

CONCLUSIO UNICA.

Tres sunt Obligationes Subdiaconorum, quarum transgressio in materia gravi est peccatum mortale.

1. *Continentia ex Voto proveniens*; Unde peccata incontinentiae, sive in cogitationibus & delectationibus morosis, sive in verbis obscoenis, sive in tactibus consistant, ad sacrilegii culpas pertinent, & in materia gravi ac sufficiente ad sacrilegium mortale.

2. Obligatio est *Puritas mentis & corporis in ministerio*, ex Ecclesiastico nimirum jure, quo Subdiaconatus est ad sacros Ordines evectus: Ut diximus tit. 3. de Ordinibus majoribus q. 3. Hoc enim ipso quo Subdiaconatus sacris Ordinibus est annexus, ex praecepto Ecclesiastico est impositum, ut cum puritate mentis & corporis (quod commune est Ordinibus sacris) ministraret. Puritas autem mentis in hoc consistit, ut nimirum ab omni affectu actuali ad peccatum mortale tempore ministerii sint aversi cum aliqua mentis ad Deum conversione, prout explicavimus supra tit. 3. q. 8. de iis qui obligantur jure Divino. Ad quam etiam puritatem reducitur immunitas à Censuris & Poenis ministerium impedientibus. Puritas etiam corporis requiritur ut nimirum cum honestate & munditia corporali sacra Vasa tangant, & sacro Altari deserviant. Unde non excusarem à peccato mortali aliquos, qui pleni sordibus crapulae, luxuriae &c. inhonestissime se Sacris ingerunt: Illa enim, praeter indecentiam & irreverentiam gravem, contemptum quendam Sacramentorum virtualem secum trahunt.

3. Obligatio est *Lectio Horarum Canonicarum*, de qua, & de peccatis illam obligationem concernentibus videnda sunt, quae docuimus superiori titulo, & quae latissime proposuimus tom. 2, tract. 2. p. 2, toto tit. 3.

TITU-

TITULUS V.

De Ordine Diaconatus.

QUAESTIO I.

Quid sit Diaconatus, & quae Diaconorum Officia?

CONCLUSIO I.

Diaconi descriptio

Diaconus describi potest: *Qui ex vi Ordinationis suae Sacerdoti immediatè in Consecratione Corporis & Sanguinis Christi, ejusq; administratione, aliisq; Sacerdotalibus Officiis & muniis ministrat & assistit.*

Hanc descriptionem probant, quae à Magistro sententiarum d. 24. ex Patribus & Canonibus referuntur: *Graecè* (inquit) *Diacones, Latinè Ministri dicuntur, quia sicut in Sacerdote Consecratio, ita & in Diacono Ministerii dispensatio habetur. Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quae aguntur in Sacramentis Christi, in Baptismo in Chrismate, in patena & calice oblationes quoq; inferre & disponere in Altari &c.* Ut autem ministeria Diaconorum distinctius intelligantur, pono sequentem Conclusionem.

CONCLUSIO II.

Decem Diaconi officia.

Officia Diaconi ad decem capita reduci possunt.

Primum est, *Sacerdoti offerenti & celebranti singularibus Ministeriis assistere.* Unde & à S. Dionysio Ecclesiasticae Hierarchiae cap. 3. Diaconi vocantur *selecti Liturgi, Administratores sive Ministri*: Et Episcopus ordinans in exhortatione sua vocat illos *Comministros & Cooperatores Corporis & Sanguinis Domini*; ut in Pontificali Romano habetur. Vide Sanctum Chrysostomum Homil. 33. in Matthaeum S. Ambrosium l. 1. de Officiis c. 41. constatque ex eorum Ordinatione & Ecclesiae ceremoniis in hunc diem observatis. Hinc etiam *Levitae* singulariter nuncupantur, quia sicut Levitae in veteri Testamento assumpti erant, ut in omnibus Sacerdotibus deservirent: Ita & Diaconi in novo.

2. *Evangelium in Missa legere, illudq; ex Sacerdotis commissione populo annuntiare.* Constat iterum ex antiquissimis Ecclesiae monumentis: & in exhortatione suprà citata ad Diaconos Episcopus ordinans dicit: *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare & praedicare.* Ibidem: *Curate, ut quibus Evangelium annuntiatis, vivis operibus exponatis, ut de vobis dicatur: Beati pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona.*

Dixi *(ex Sacerdotis commissione)* ita enim antiquissima Ecclesiae praxis habet, ut non nisi à Presbyteris commissi illud munus subeant: Qua ratione S. Ambrosius in Comment. ad c. 4 ad Ephesios comparat Diaconos Evangelistis sed sine cathedra: *Evangelistae* (inquit) *Diaconi sunt, sicut fuit Philippus: Quamvis non sint Sacerdotes, Evangelizare tamen possunt sine Cathedra, quemadmodum & Stephanus & Philippus.* In quo Sanctus Ambrosius distinctionem ponit inter Sacerdotes & Diaconos: quod nimirum Sacerdotes Cathedram habeant, id est, stabilem & supremam Evangelizandi auctoritatem: Diaconis verò speciali delegatione hoc committatur. Quinimò in Concilio Vasensi providetur can 5. ut si Presbyter aliqua infirmitate prohibitus per se ipsum non potuerit praedicare, tunc Sanctorum Patrum Homiliae à Diacono populo recitentur: sine dubio in supplementum praedicationis ipsius Presbyteri: Et observat Rupertus l. 1. de officiis c. 36. Diaconum, ante Lectionē Evangelii à Sacerdote benedictionem petere, ut indicetur Apostolorum à Christo missio ad Evangelium praedicandum. Et, ut postea dicemus, officium Diaconorum fuit Catechumenos de rebus fidei instruere.

3. Officium Diaconorum erat *Sanguinis poculum credentibus distribuere, cùm in primitiva Ecclesia sub utraq; specie fideles communicabant.* Unde est illud Isidori l. 2. de Officiis c. 8. *Sicut in Sacerdote Consecratio, ita & in Ministro dispensatio Sacramenti est: Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat &c.* Et S. Laurentius ad B. Sixtum: *Experire, an fidelem Ministrum elegeris, cui commisisti Dominici Sanguinis Dispensationem.*

Cur dispensatio Sanguinis non corporis commissa Diaconis.

Advertendum tamen hic, etsi dispensatio Sanguinis sub speciebus vini Diaconis committeretur, non tamen ita passim dispensatio specierum panis: Cujus quidem rationem assignat S. Thomas 3. p. q. 82. art. 3. Ad 1. quod non correspecies vini ministrentur mediante poculo sive calice, ita ut per manus Diaconi non contingantur: quia autem species panis nuda manu tangi & ministrari debent, extra casum necessitatis, praesente Presbytero, vix legimus Diaconos species panis distribuisse: Vide d. 93. c. *Diacones*. & c. *Praesente*, Quinimò & in Concil. Nicaen. can. 19. prohibentur Diaconis, ne Presbyteris Eucharistiam administrent. Igitur absente Presbytero, vel nolente Eucharistiam ministrare, ubi necessitas gravis, ut pro viatico immineret; liceret Diacono S. Eucharistiam sub speciebus panis infirmo ministrare.

4. Diaconi officium, *Baptizare, sive potius baptizanti solemniter Presbytero assistere.* Quod quidem explicandum est: Etsi enim, dum multitudo conversorum ad fidem magna erat, Diaconis fuerit permissum etiam solemniter baptizare, ut de Philippo Diacono in Actis Apostolorum legimus, & Pontificale Remanum, ut superius visum est, tribuat Diacono officiū baptizandi: Id tamen ita competit Diacono, ut nonnisi ex commissione singulari Sacerdotis, etiam casu urgente, possit absque peccato mortali solemniter baptizare. Baptizare enim solemniter, tum ex natura rei; tum ex Ecclesiae jure reservatur Presbytero sive etiam Parocho.

Vide Clementem libr. 8. Constitution. Apostolicarum cap. 52. Dixi tantùm (absque peccato mortali) Puto enim à parte rei improbabilem esse nonnullorum opinionem: Qui asserunt Diaconum absque commissione Sacerdotis solemniter baptizantem non tantum peccare mortaliter, sed etiam incurrere irregularitatem, quasi actum non sui ordinis exerceret: Baptizare enim solemniter etiam actus ordinis Diaconatus est, ut in Pontificali continetur: *Si igitur injussus baptizet, contra legem & præceptum facit:* Ordinis tamen sui actum exercet. etsi illegitimè & peccaminosè exerceat, quia Baptismi solemnis administratio non est illi concredita, nisi ex commissione Sacerdotis in causâ justa & rationabili, quem tamen quandocumque Diaconus administrat, ordinis actum exercere censetur, sicut etiam cùm absque commissione prædicaret.

Dixi (*sive potiùs baptizandi solemniter Presbytero assistere*) Hoc enim unum ex præcipuis Diaconi officiis est, adesse Sacerdoti, disponere baptizandos, offerre aquam, sacrum chrisma, & alia facere, quæ in solemni Baptismo fiunt: Unde Clemens I. lib. 3. Constitut. Apost c. 10. postquam removit à Ministerio baptismi omnes in minoribus ordinibus & Ministeriis constitutos: *Solos* (inquit) *baptizare permittimus Episcopos, & presbyteros, ministrantibus illis Diaconis.* Ex quibus pono Diaconi officium 5. — *Clem. 1.*

5. Officium Diaconi est, *Catechumenos instruere & docere in fidei rudimentis, & eos ad Baptismum debitè suscipiendum per pænitentiam peccatorum, & cordis motus salutares disponere;* Unde & ordo Diaconorum ab antiquis, *καθάρτικοι*, id est Purgatorius, nominatur, quod suorum doctrina & instructionibus Catechumenos purgarent.

6. Officium erat, *temporalibus Ecclesiarum bonis, eorumq; ac eleemosinarum distributionibus invigilare*, ut constat ex Actibus Apostolorum, & vita S. Laurentii, de quo S. Leo: *Non solùm* (ait) *Ministerio Sacramentorum, sed etiam Dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ preminebat.* — *Act. 6. S. Leo in vita S. Laurētii,*

7. Officium Diaconorum fuit *Populum in sacris cœtibus certis vocibus & signis ad Deum movere* Hæc sunt quæ à Magistro Sententiarum referuntur: *Ad ipsum etiam*, inquit, *pertinet officium precum recitatio nominum: Ipse præmonet aures habere ad Deum, Ipse donat pacem, & ipse annuntiat.* Quæ omnia in ceremoniis Diaconorum secundùm diversas Ecclesias, & diversa tempora leguntur. Unde & antiquitus, *Consuetudo* inquit Magister (*inolevit, ut in omni Matrice ecclesia septem Diacones circa Christi aram quasi septem columnæ existant ei sunt Angeli tuba canentes* in Apocal. cap. 8. &c. — *Magister*

8. Officium Diaconorum Antiqui ponebant: *In reconciliatione publicorum peccatorum post actam publicam pænitentiam.* De quo Cyprian. l. 3. Epistola 61. Quæ quidem erat tantùm externa reconciliatio externo foro deserviens, & à pœnis publicè impositis in foro Ecclesiæ absolvens, quam Diaconi in absentia Presbyterorum infirmis pœnitentibus impertiebantur; Sed cum publicis pœnitentiis & ista reconciliatio exolevit. Crederem ego ratione hujus officii in extrema necessitate Diaconum posse pænitentes à vinculo Excommunicationis, quando forum externum Ecclesiæ absolvere, ut sepultura sacra donarentur; idque ex vi hujus Officii, si non prohibeat Ecclesia. — *Nota.*

9. Officium fuit: *Invigilare super iis, quæ in Ecclesia fiunt & de iis Episcopum monere.* Vide Decretum Gratian. d. 93. c. *Diaconi*: *Diaconi* (inquit) *Ecclesiæ, tanquam oculi sint Episcopi, oberrantes & circumlustrantes cum verecundia altius totius Ecclesiæ, & perscrutantes diligentiùs, si quem videant vicinum fieri præcipitio, & proximum esse peccato, ut referant ad Episcopum, & commoneri ab eo possit &c.* Unde & apud Clementem Epistola ad Jacobum Fratrem Domini dicitur Diaconus: *Auditus, os, lingua, cor, anima Episcopi.* — *c. Diaconi*

10. Diaconi officium erat; *Invigilare super infirmis, & peregrinis:* Unde apud Gratianum supra: *Eos, qui secundùm carnem ægrotant sollicitè perquirant, & plebi (si plebs ignorat) indicunt de his, ut ipsi visitent eos, & quæ necessaria sunt præbeant illis &c. Sed & de peregrinis similiter Episcope suggerant resovendis: Et cætera his similia quæ ad cultum Ecclesiæ, & disciplinam ejus pertinent, diaconis cura sint.* Similia habentur apud Clementem l. 3. Constit. c. 19.

QUÆSTIO II.

In quibus consistat Materia & Forma ordinationis Diaconorum?

DUplex in Pontificali exprimitur signum, quo Episcopus uti solet in ordinatione Diaconi: Prius est, quod fit impositione dextræ manus super caput ordinandi cum hac verborum Forma: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus: In nomine Domini:* Posterius est, traditio libri Evangeliorum cum hac verborum Forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium in ecclesia Dei tam pro vivis quam pro Defunctis: In nomine Domini: Amen.* — *Pōtificale,*

Ex hoc graves Auctores in duas potissimùm partes abierunt: Aliis asserentibus Materiam præcisam & adæquatam ordinationis Diaconorum esse porrectionem libri Evangeliorum: Formam verò verba suprà relata, quæ in traditione illius libri ab Episcopo proferuntur. Fundatur autem hæc sententia in Concil. Florent. in Decreto Eugenii IV. sive Instructione Armenorum, ubi sic legitur: *Sextum Sacramentum est ordo, cujus Materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut &c. Diaconatus per libri Evangeliorum dationem,* Et eandem Materiam assignat Catechismus Romanus, adjungens supra relatam Formam. — *Cōc. Flor.*

Alio-

Aliorum non minoris qualitatis & nominis Doctorum sententia est: Materiam consistere in impositione manus, Formam autem in verbis, quæ in impositione manus Episcopus proferre consuevit. Fundatur in sacra Scriptura Act. c. 6. quæ solius impositionis manuum mentionem facit in ordinatione Diaconorum.

Act. 6. Quæ etiam impositio conservata est hactenus in ecclesia Græca, nec antiqua Concilia, usque ad Stephanum Papam, alterius Materiæ, quàm impositionis manuum, in ordinationibus meminerunt, nulla facta mentione porrectionis aliorum instrumentorum: Ut clarius videre est in Concil. Toletano XI. & refertur d. 23. c. *Presbyter* & c. *Quorumdam*.

Pro resolutione vero noranda est doctrina generalis, quam omnino existimo veram, Christum in institutione Sacramenti ordinis Materiam illius ita instituisse, ut eam in singulari non determinaverit, sed tantum in genere, relinquens determinationem ecclesiæ suæ, quæ successivis temporibus illam magis determinavit pro majori & expressiori significatione, & mysteriorum gloria & decore. Hæc doctrina omnino tenenda est, si diversos ritus & actiones in ordinationibus observatas à principio ecclesiæ usque ad hæc tempora, ritè & piè concordare & explicare volumus. Hac igitur doctrina supposita, prout supponendam censeo, pono sequentes Conclusiones.

Conclusio I.

Impositio manus nō est Materia adæquata.

Impositio manus in ordinatione Diaconi, nō fuit adæquata Materia ordinationis Diaconorum.

Hæc Conclusio supponenda est ad minus ex Conc. Flor. in Decreto illo sive instructione Armenorum: Ubi declaratur Sacramentum ordinis conferri per libri Evangeliorum traditionem: Ergo adæquatè non confertur per solam manus impositionem.

Conclusio II.

Neque traditio libri Evangeliorum.

Traditio libri Evangeliorum, non est adæquata Materia ordinationis Diaconorum.

Hanc Conclusionem probant Scriptura, Patres, Concilia, quæ impositionis manuum singulariter meminerunt nulla etiam mentione facta traditionis libri Evangeliorum. Dicere enim manus impositionē fuisse tantum ritū accidentalem, est ludere in Scriptura, Patribus, & Conciliis: Qua enim veritate, tacitis essentialibus Sacramenti ordinis, ritum tantùm accidentalem protulissent, nulla facta vel à longe insinuatione alicujus signi essentialis.



Conclusio III.

Sed utraque actio ad Materiā essentiale spectat.

Utraque igitur actio tam impositionis manus, quàm traditionis libri Evangeliorum pertinet ad materiam essentialem & adæquatam ordinationis Diaconi, etsi traditio libri Evangeliorum non fuerit semper isto individuo & singulari signo expressa.

Hæc Conclusio infertur ex superioribus: Cùm enim Scriptura, Patres, & Concilia antiqua meminerint impositionis manus, tamquam signi principalioris, eaque adhuc primariò usurpetur in ordinatione Diaconi, non sine temeritate ab ordinationis Materia separaretur: Sicut nec ob auctoritatem Concil. Florent. & usum modernæ Ecclesiæ ipsa traditio Evangeliorum. In hunc ergo conciliandæ sunt diversæ auctorum sententiæ: Ut per impositionem manuum, tam quam partem Materiæ essentialem, conferatur gratia ad Sacra Ministeria, quæ in Sacrificio sancto, distributione Eucharistiæ & Sacri Calicis, Baptismi assistentia, & aliis suprà relatis præstabat Sacerdoti & ecclesiæ Diaconus: Per traditionem autem libri Evangeliorum gratia ad legendum, explicandum, imò in absentia Sacerdotis, vel de ejus mandato prædicandum Evangelium, imbuendos in fide & spirituali doctrina Catechumenos, & alia id genus, quæ Diaconis commissa erant. Vide quæ diximus suprà q. 1. in 2. & 5. Officio Diaconorum.

Et quidem manus impositionem ad essentialem Materiam ordinationis Diaconi pertinere ex ritibus ordinationis Diaconorum amplius declarari potest: Nam dum in impositione manus super unumquemque caput dixit Episcopus: *Accipe Spiritum ac robur*; &c. extensam manum dextram tenens, & velut se explicans, ac præfationem prosequens dicit: *Emitte in eos, quæsumus Domine, Spiritum sanctum, quo in opus Ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratia tuæ munere roborentur:* & alia prosequitur, quæ gratiam ad principalia Ministeria Diaconatus necessariam exponunt. Ac tandem, in vim hujus impositionis, illis ornamenta Diaconatus imponit; nimirum, stolam in latere sinistro ad dextram descendente, & Dalmaticam, tanquam jam ad Ministerium Altaris ac Sacrorum Mysteriorum ordinatis. Quæ omnia declarant ritum illum esse primarium, & Diaconatui essentialem, conformiter ad Scripturam, & Patres.

Sed nec alter ritus porrectionis libri Evangeliorum debet ab essentiali parte Materiæ secerni: Cum etiam per Formam specificè significantem alterum officium *Evangelizandi* conferatur, quod est secundum & minus principale. Ubi tamen per potestatem legendi Evangelium, non intelligitur tantùm recitatio sive cantus Evangelii in Missa, sed etiam & principalius ea omnia, quæ ad Diaconum circa Evangelii prædicationem pertinere docuimus suprà de 2. Officio q. 1.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint Peccata Diaconorum ex obligationibus sui Gradus & officii provenientia?

Juxta obligationes Diaconorum, expendenda sunt eorum Peccata. Ut igitur clarius patescant, singulas obligationes, ex qualitatibus requisitis natas, expendemus per sequentes Paragraphos.

§. 1.

De Peccatis Diaconorum contra Castitatem sive Pudicitiam.

Obligatio Castitatis 3. habet partes. Castitatis obligatio tres partes habet 1. antecedit, & velut præparatoria est ad ordinationem Diaconi: Nimirum: Ut si Uxoratus fuerit, sit saltem Monogamus, id est, unius Uxoris Vir. Unde si Bigamus in Diaconum se ordinari permittat ante dispensationem legitimam, peccatum mortale, & irregularitatem novam ex delicto incurrit.

2. Pars ipsam ordinationem comitatur: Hoc enim ipso, quo aliquis ordinatur Diaconus, ex vi ordinationis in Diaconum (supposito quòd Diaconatui non esset, ut olim, Votum Castitatis annexum) Votum Castitatis emittere censetur, ac illius Voto perpetuò obligatus manet. Unde in ecclesia Latina: Si qui antiquitus Conjugati ordinarentur, à suis Uxorum omnino separabantur, & castitati perpetuæ addicebantur, & Uxores Cœlibes remanebant, quæ hoc respectu Diaconissæ ab aliquibus vocabantur; quamvis aliud sit Diaconissarum genus, ut posteà dicemus.

Ex hac obligatione nascitur, quòd omne peccatum mortale, cogitatione, verbo, & opere à Diacono post ordinationem contra Castitatem commissum, Sacrilegium sit: & hæc quidem circumstantia (utpote mutans speciem) confitenda & exprimenda est, si Confessarius Pœnitentem in qualitate Diaconi non norit.

Ratione etiam illius Voti & gradus: Scurrilitates, levitates, & insolentiæ nonnullæ in materia carnis à Diacono excitatæ, etsi fortè in se peccata mortalia non essent, ratione tamen ordinis, ob scandalum datum, mortalia fieri possunt, super quo attendere & invigilare tenetur. Unde & in Græco pro *Pudico* ponitur *σεμνὸς* quod significat, gravem, serium, modestum.

Pro tertia parte, qua Castitas respicit ministerium sacrum, eadem requiritur circumspectio in Diacono, quæ in Sacerdote, ut videlicet, carnali aliqua immunditia, pollutione &c. Diaconus ministrans, culpabiliter maculatus non fuerit. Huic doctrinæ proportionaliter applicari debent omnia, quæ de Immunditia corporali Sacerdotis diximus tom. 2. tract. 2. p. 3. tit 4. q. 2. Examine tertiæ Dispositionis: Quia Diaconus cum ad Sacra ipsius sacrificii proximè accedat, immundus absque peccato accedere non potest, juxta illud Isaiæ 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Isa. 52. Unde præclare Concilium Turonense 1. c. 1. *Si universis (ait) fidelibus secundum Apostolorum doctrinam Castitas custodienda indicitur &c. Quanto magis Sacerdotes Dei ac Levita Divino mancipati Altario custodire debent, ut non solum cordis verum etiam corporis Puritatem servantes, pro plebe supplicaturi preces illorum ad divinum mereantur introire auditum. Quia secundum auctoritatem Apostoli, qui in carne sunt, Deo placere non possunt, vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Infra: *Cum ergo laico imperetur, ut possit orationi vacans, & Deum deprecans exaudiri: Quanto magis Sacerdotibus & Levitis, qui omni momento parati esse debent in omni Puritate & Munditia securi: ne aut Sacrificium offerre, aut baptizare (si id temporis necessitas popoścerit) cogantur imparati aut immundi.* Certè legimus Diacono terrenæ sacram Hierothecam, hoc est, Venerabilis Sacramenti Thecam, Ciborium sive Remonstrantiam ut dicimus, qui noctu pollutus fuerat, e manibus ipsius sublatam, & ab Angelis in aëre portatam fuisse usque ad Ecclesiam.

Et hæc quidem sententia nostra maximè concludit de Diaconis, qui Sacra illa contingunt, & iis maxime qui Sacrum Corpus & Sanguinem Domini antiquitùs dispensabant & distribuebant.

Turpe est hoc tempore, quòd in nonnullis Ecclesiis, sæcularium maxime, Diaconus vix Sacerdoti assistat in principalibus Mysteriis, sed illi sufficiat Evangelium canere.

§. 2.

De Peccatis Diaconorum quoad Sobrietatem

Etsi Sobrietas virtus universalis sit, omnes jure naturali obligans, nec Intemperantia aut ebrietas in Diacono mutet speciem peccati per se: Ex obligatione tamen Sobrietas singulari titulo Diacono imponitur: Quia Intemperantia, Temulentia, Ebrietas in Diacono non tantum turpitudinem auget, sed etiam peccatorum aliquorum causa existit.

Duplicia igitur peccata ex Intemperantia sive sobrietatis transgressione in Diacono oriuntur: Prima respiciunt Ministerium sive officium: Posteriora aliorum offensam & scandalum. *Duplicia peccata ex Intemperantia in Diacono oriuntur.*

Peccata quæ Ministerium spectant, & ex Intemperantia oriuntur, sunt, Indispositio, ineptitudo sive hebetudo mentis & corporis, irreverentia in Sacris Mysteriis, quæ contingit ex nimio potu nocturno, diurno, &c. & comessationibus, quæ in primitiva Ecclesia Diaconos reddebant inhabiles ad assistendum Baptismo, ad prædicandum, ad catechizandum, ad serviendum viduis &c.

Pecca-

Peccata, quae respiciunt aliorum offensam, sunt, scandalum pusillorum, exempla mala: contemptus personarum Ecclesiasticarum, & id genus, quae causari solent ex Intemperantium & Ebriosorum lasciva vita.

Notandum verò est quod non tantùm Ebrietas Diacono prohibeatur, sed etiam omnis vini Intemperantia, quòd exprimitur hac phrasi, *non multo vino deditos*, quod non tantum ebrietatem, sed quemlibet Temperantiae excessum dicit.

§. 3.

De Peccatis Diaconorum defectu Scientiae debitae.

Scientiam debitam in ordine ad suum Ministerium & officium requiri in Diacono ex natura rei constat: Quomodo enim bene ministrabit, si ad suum ministerium necessaria ignoret? Debitam verò scientiam illius colligunt ex illis verbis Pauli: *Mysterium fidei habentes in conscientia pura*, Patres, Glossa interlinearis, & S. Thomas: *Habentes* (ait) *Mysterium fidei in conscientia pura, id est, scientes illud, quod in fide occultum est.* Latius Oecumenius, Theophylactus, & Haymo apud Salmeronem illud accipiunt pro scientia totius fidei, sive omnium dogmatum fidei: ita ut Diaconi teneantur illa scire, seu praeparata habere ad brevem & compendiariam aliorum instructionem.

Triplex Scientia Diacono competit. Dicendum igitur triplicem Scientiam competere Diacono, nimirum 1. Scientiam praecipuorum dogmatum fidei nosse, ut possit & sibi ipsi satisfacere, & alios instruere: 2. Scientiam eorum, quae ad sua ministeria spectant: 3. Scientiam sanctarum ceremoniarum, quae ministerio Diaconorum ab ecclesia adjunctae sunt. Ex quibus unam pono Regulam Generalem.

Regula Generalis.

Nota. *Diaconus, qui culpabiliter ignorat dogmata fidei, & necessaria ad suum Ministerium, sive spectent ad Substantiam officii sui, sive ad principales ceremonias, quoties ministrat, peccat mortaliter.*

Ratio est: Quia indignè, in re gravi, Sancta tractat, periculo proximo errorum & gravium defectuum se exponit.

Dixi (*quoties ministrat*) si enim culpam lethalem fugere velit, à ministerio abstineat, necesse est, donec necessariam Scientiam habeat. Et hoc innuit Apostolus 1. ad Timoth. 3. dum ait: *Et hi autem probentur primùm; & sic ministrent*, &c. id est, non nisi probati in Scientia, moribus, & vita ministrare permittantur. Et haec quidem maximè necessaria initio ecclesiae fuisse, patet ex tantis & tam gravibus officiis & ministeriis, quae Diaconis commissa erant. *1. Tim. 3. 10.*

§. 4.

De Peccatis Diaconi ex impuritate Conscientiae.

Puritatem Conscientiae: sive ut à peccato saltem mortali sit Diaconus liber, dum officium Sacrum exercet, colligunt Patres ex verbis Apostoli: *Habentes mysterium fidei in Conscientia pura.* Etsi enim illud *Habentes Mysterium fidei* suprà exposuerimus de Scientia: Intelligunt tamen plurimi per *Mysterium fidei* non tantùm dogmata fidei, sed singulariter etiam Eucharistiam, sive poculum Sanguinis, quod sigillatim *Mysterium fidei* à Paulo nuncupatum est, quia totius fidei nostrae compendium in Mysterio complectitur. Ita ut specialiter demandetur Diacono Conscientiae Puritas, quando Altari deservit, vel Mysterium istud distribuit. Unde sit *1. Tim. 3.*

Regula Generalis

Diaconus in mortali exercens actum ordinis sui peccat mortaliter. *Diaconus exercens actum ordinis sui in peccato mortali, peccat mortaliter.*

Est sententia communis fundata in Apostolo. Vide quae aliàs à nobis sunt dicta suprà tit. 3. de Majoribus ordinibus q. 5. & tom. 1. tract. 2. tit. 5. q. 2. ubi expendimus: An teneatur Diaconus peccati mortalis sibi conscius ad actualem Confessionem antequàm ministret.

Dubium Incidentale.

An Diaconus peccet mortaliter exercens singulos actus ordinis sui?

Ratio dubitandi est; ob multitudinem actuum, qui Diacono inscribuntur: de quibus Magist. in 4. Sent. dist. 24. *Ad Diaconum* (ait) *pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quae aguntur in Sacramentis Christi, scilicet, in Baptismo, in Chrismate, in patena & calice, oblationes quoque inferre, & disponere in Altari: componere etiam mensam Domini, & vestire, crucem ferre, & praedicare Evangelium & Epistolam &c. Ad ipsum etiam pertinet officium precum, & recitatio Catechumenorum nominum: Ipse praemonet aures habere ad Dominum: Ipse donat pacem, & ipse annuntiat.* In quibus multa includuntur, quae posteà Subdiacono & aliis sunt commissa: Nam, ut benè notat S. Thomas in Addit. 3. p. q. 38. art. 2. ad 2. *in primitiva ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora Diaconibus committebantur &c. sed postea ampliatus est cultus Divinus, & ecclesia, quod implicitè habebat in uno ordine, explicitè tradidit in diversis.* Haec S. Thomas. *Magister* *S. Thom.*

Respondeo itaque: In actibus tantùm primariis & principalioribus; qui specialiter ex vi ordinis sunt commissi Diacono, contrahitur peccatum mortale, quando illos Diaconi in mortali exercent. Ratio est: Quia alii actus adjectitii sunt, & velut accessorii Diaconis impositi, & ut plurimùm ab aliis exerceri possunt.

Sunt igitur duo principales actus, nimirum,

rum, Lectio solemnis S. Evangelii in Missa, & immediatum Ministerium, quod circa Sacrificium & Sacramentum Corporis Christi exerceret Diaconus, cum Sacerdote offerendo etiam supposita manu, & alia, quæ circa præcipua Missæ Mysteria à Diacono exercentur. Item: Distributio Corporis Christi & hujusmodi, ad quæ cum specialis gratia conferatur per certas formas & adprecationes; dicendum est illa in statu peccati mortalis absque peccato mortali non posse exerceri: Cætera ut plurimum reputantur accessoria.

APPENDIX I.

De Vestibus Sacris Diaconorum.

DE Diaconorum Vestibus sacris nihil speciale hic dicendum occurrit: Sunt autem Amictus, alba, Stola à læva aut sinistra ad dexterum latus ei pendens: *Quia* (inquit Magister) *quidquid laboris & sustinentiæ in hac vita toleratur, quasi in læva portatur, donec in dextra, id est æternitate requies habeatur*: Et Dalmatica, quam vocat Episcopus ordinans, *Indumentum salutis, vestimentum lætitiæ, & Dalmaticam justitiæ*: de quorum aliis significationibus particularibus vide Rationale Divinorum officiorum, & alios libros mysticos.

Hoc solum in præsenti Advertendum est, Diaconum in sacrificio & Sacramenti Eucharistiæ Distributione, non posse sine istis vestibus scienter extra casum necessitatis urgentis, vel sine causa multum rationabili, quæ necessitati æquipolleat, absque peccato mortali ministrare: Ratio est; Quia est materia gravis in Ministerio ordinis Sacri ab Ecclesia ordinata.

APPENDIX II.

De Diaconissis.

Duplices sunt Diaconissæ: Aliæ Uxores Diaconorũ aliæ Viduæ ad certa ministeria circa feminas aliqua prece deputatæ.

DE Diaconissis (de quibus variæ mentiones in Epistolis S. Pauli, & Ecclesia Græca) hoc tantùm sciendum est. Duplices legi Diaconissas: Aliæ quæ uxores erant eorum, qui ad Diaconatum ordinabantur: Et ex tunc Cœlibes, & in Continentia remanebant, quæ ob contractum prius cum Diaconis Matrimonium Diaconissæ dictæ sunt: Aliæ fuerunt Diaconissæ, quæ ad certa ministeria circa feminas in Sacramentalibus, & aliis feminarum necessitatibus, aliqua prece vel benedictione deputabantur. Et hæ ordinariè Viduæ erant & Seniores, & sub nomine Viduarum ab Apostolo earum electiones, & deputationes & qualitates describuntur, ut 1. ad Timoth. 3. *Mulieres similiter pudicas* &c. ubi Chrysostomus Hom. 11. in principio: *Plerique* (inquit) *volunt Apostolum hæc de mulieribus simpliciter præcepisse: Verum nõ ita est. Quid enim consequentia haberet inter ea, quæ de Episcopis, atque Diaconis monuit, mulierum ullam facere mentionem? Sed de iis profectò ait, quæ ministerii*

1. Tim. 3.

dignitate sunt prædita. Idem, Theophylactus, Oecumenius, S. Hieronymus & alii. De his etiam illa dispositio S. Pauli intelligenda est 1. ad Timoth. 5. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt* &c. *Vidua eligatur non minùs sexaginta annorum* &c. cum qualitatibus ibi notatis: Quæ quidem prius Votum Continentiæ emiserant, & in Continentia probatæ erant: ut ibidem S. Paulus innuit conquerens: Quòd *cùm in Christo luxuriatæ fuerint*, interdum *volunt nubere*, quas dicit, *habere damnationem, quia primam fidem* (id est Votum) *irritam fecerunt.* 1. Tim. 5.

Quæ fuerint illa Ministeria?

Quæ verò fuerint Ministeria istarum Viduarum seu Diaconissarum: Certum est primò nullum Sacrum Ministerium fuisse eis concessum: Unde S. Epiphanius in Hæresi Collyridianorum: *Ministrarum quidem Diaconissarum appellatarum* (ait) *Ordo est in Ecclesia, sed non ad sacrificandum, neque ut quidquam aggredi permittantur.* Ad quid ergo? *Verum* (inquit) *reverentiæ gratia muliebris generis aut propter horam balnei, aut visitationis, affectionis, aut laboris. Et quando nudatum fuerit corpus mulieris, ut non à Viris Sacrificantibus conspiciatur, sed à ministrante muliere, cui præcipitur à Sacerdote, ut curam gerat ad tempus, in tempore denudationis corporis ipsius.* Hæc S. Epiphanius.

Ex quibus verbis colligitur Officium, sive Ministerium Diaconissarum, in hoc particulariter constitutum fuisse, ut in sacris actionibus ea circa mulieres agerent, quæ nullatenus expediebat à viris fieri.

1. Cum ante Baptismum consuetum esset ut corpus baptizandæ in balneo lavaretur & abstergeretur: In hac ceremonia assistebant & ministrabant mulieres Diaconissæ.

2. In Baptismo Diaconissæ pro necessitate Baptizantis, eas quæ Baptizabantur mulieres denudabant, & honestè retegebant.

3. Dum Episcopus sive sacerdos oleo sancto, ut in Baptismò & Confirmatione fit, frontem inungerent, Diaconissæ denudabant, & abstergebant. Quod similiter fiebat in extrema-Unctione, dum aliquæ partes corporis denudandæ erant.

4. Ad mulieres infirmas, & earum obsequia mittebantur. Quæ omnia perstringuntur à S. Clemente l. 3. Constitutionum Apost. c. 15. circa finem, & ab Epiphanio Hæresi 79.

Et hæc sufficiant solum ad intellectum Scripturæ & Historiarum Ecclesiasticarum. Diaconissarum enim in ecclesia Latina non fuit usus, & si fuit, statim ob alias rationes ab Ecclesia proscriptæ sunt, ut habetur in Concilio Arausicanò sub Leone I. cap 26. & aliis. Quod verò S. Thomas refert de nonnullis Diaconissis, quibus permissum erat in Choro feminarum Evangelium legere, hoc magis de nomine accommodo & appropriato, ob similitudinem Diaconi interpretandum est, quàm de aliqua speciali institutione. Omnes sane Moniales Choro deputatæ Evangelii initium ante homiliam legunt. Sed de his plùs satis.

TITV-

TITVLVS VI.

De Statu Ordinis Presbyterij.

QVÆSTIO I.

Quid nomine Presbyterii *significetur?*

Nomen Presbyteri, Antiquum, vel Seniorem significat.

SI nominis Ethymologia attendenda est, certum est nomen *Presbyteris* ætatis potius differentiam insinuare, quam Dignitatem aliquam & præeminentiam; πρεσβύτερον enim Græcè idem significat quod *antiquum*, & πρεσβύτερος *Senem* sive *Seniorem* designat: Quia vero Dignitates & Eminentiores Statu in Rebus publicis Senioribus tamquam, cæteris paribus, dignioribus & sapientioribus solebant conferri: Hinc factum est, ut qui aliis præeminebant, *Presbyteri* vocati sint; maxime in Sacris. Hanc usurpationem vide in Scripturis passim. 1. Esdræ 6. & in lib. Judith c. 6. 8. 10. 13. 15. Eccli. cap. 4. 6. 7. 8. 25. Et apud Danielem c. 13. de duobus illis Senibus quos *Presbyteros* vocat. Unde S. Hieronymus l. 2. In Isaiam c. 3. *In scripturis sanctis* (inquit) Presbyteros *merito & sapientia eligi, non ætate.* Et *Senis* nomen per verbum *Presbyteri* à septuaginta Interpretibus explicari in veteri Testamento ibidem testatur, & ita præceptum fuisse Moysi Exodi 18. ut eligeret *Presbyteros* quos sciret esse *Presbyteros*, hoc est, *qui eo honore digni essent.* Ex qua Ethymologia factum est, ut nomen *Presbyteri* in Rebuspublicis appropriate interdum alicui Gradui, Dignitati vel Statui sit attributum.

CONCLUSIO I.

Initio ecclesiæ nomen Presbyteri cõmune fuit Episcopis & Sacerdotibus.

IN primitiva Ecclesia nomen Presbyteri *commune fuit Episcopis, & Sacerdotibus, qui populo præsidebant, & curam Evangelii prædicandi ac Sacramentorum habebant.*

Ita S. Hieronymus in Epistola de septem Gradibus ecclesiæ: *Sextus* (inquit) *Seniorum Ordo est, qui Sacerdotibus datur, qui* Presbyteri *dicuntur, quia præsunt Ecclesiæ Dei, & Christi Sacramenta conficiunt. Ii autem in benedictione cum Episcopis consortes Ministeriorum sunt, nec ulla in conficiendo Corpore & sanguine Christi inter eos & episcopos concedenda distantia est* &c.

Ex quo Hieronymi loco inferendum non est, Episcopatum non differre à Sacerdotio, sive eadem jure Divino posse competere Sacerdotibus, quæ & Episcopis: Sed, quia in initio ecclesiæ omnes fere, qui assumebantur ad Sacerdotium, seu qui ordinabantur Sacerdotes, etiam Episcopi ordinabantur propter necessitatem ecclesiæ, & paucitatem Ministrorum: Sive etiam, quia etsi nonnulli solum essent Sacerdotio insigniti, assumebantur tamẽ ad ecclesiarum regimen & curam: Ideò *Presbyteri*, quasi Superintendentes plebi, cum *Episcopis* in nomine conveniebant; & *Episcopi* in nomine *Presbyteri* quia in Ministerio Presbyterorum omnibus officiis vacabant.

Reconciliãtur variæ Theol. opiniones.

Et ex his conciliandæ sunt variæ opiniones Theologorum, quibus alii tenuerunt eosdem fuisse in primitiva ecclesia Episcopos & Presbyteros: Alii omnino distinctos. Dicendum enim est pro prima Sententia fortè ita fuisse à parte rei: non quia ordo Presbyteratus non distinguatur ab ordine Episcopatus; sed quia, qui ordinabantur Presbyteri, etiam Episcopi ordinabantur ob necessitatem Ecclesiæ, & paucitatem Ministrorum, ut sensit Waldenus in Doctrina fidei l. 2. art. 3. c. 6. & antecum probat Amalarius de Eccl. Officiis l. 2. c. 13. ex S. Ambrosio & Hieronymo.

Pro 2. Opinione concilianda facit, quod in primitiva ecclesia nominum communicatio inter Episcopos & Presbyteros esset, non ab ordinatione eadem, sed quia, excepta ordinatione, omnis potestatis plenitudo & regimen Presbyteris communicaretur, in quantum capaces essent, pro necessitate populi Christiani.

Nec ampliùs indicant verba S. Hieronymi suprà, cùm dicit: *Ii autem in benedictione cum Episcopis consortes sunt Ministeriorum, nec ulla in conficiendo Corpore & sanguine Christi inter eos & Episcopos concedenda distantia est.* Nota Hieronymum in Ministeriis tantùm communibus, & Consecratione Corporis & sanguinis Presbyteros Episcopis comparasse, non in aliis. His consonat S. Isidorus Hispalensis lib. 7. de officiis Divinis c. 7. *Qui* (inquit) Sacerdotes *vocabantur in veteri Testamento, nunc appellantur* Presbyteri *& qui nuncupabantur* Principes Sacerdotum, *modo* Episcopi *nominantur.* Presbyteri *autem interpretantur* Seniores, *quia Seniores ætate Græci* Presbyteros *vocant. His enim, sicut & Episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est: Præsunt enim Ecclesiæ Dei, & in Confectione Corporis & Sanguinis consortes sũt cum Episcopis: Similiter & in Doctrina populorum, & in officio Prædicandi: ac solùm propter auctoritatem Summo Sacerdoti Clericorum ordinatio & Consecratio reservata est, ne à multis disciplina Ecclesiæ vindicata concordiam solveret, scandalum generaret.* Hæc ille. In quibus verbis velim adnotare ordinationem Clericorum, saltem ad Presbyterium, reservatam jure Divino Episcopis, nec posse simplici Sacerdoti committi. Unde iterum S. Isidorus suprà c. 12. ponens distinctionem inter *Presbyteros & Episcopos: Ideò* (inquit) *Presbyteri & Sacerdotes vocantur, quia Sacra dant, sicut Episcopi, tamen Pontificatus apicem non habent, quia nec Chrismate frontem signant, nec Paraclitum Spiritum dant, quod solis deberi Episcopis, Lectio Actuum Apostolorum c. 8 demonstrat. Unde & apud veteres iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis est, non ætatis.* Act. 8. 17.

Ex quibus omnibus, redeo ad primam Sententiam: Nimirum, In principio nascentis ecclesiæ, dum in singulis civitatibus constituerẽtur Presbyteri, eosdem pro majori parte fuisse

etiam

etiam Episcopos consecratos. Et hanc esse rationem cur S. Paulus in Epistolis eos modò Presbyterorum, modò Episcoporum nomine appellet, quia utraque dignitas in eadem persona continebatur. Unde S. Hieronymus in Epistola 85. ad Evagrium, & habetur dist. 93. c. *legimus*: *Quaeris* (inquit) *auctoritatem, audi Testimonium*: Paulus & Timotheus servi Jesu Christi omnibus Sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum episcopis & Diaconis: *Vis aliud exemplum*: *In actibus Apostolorum ad unius Ecclesiae Sacerdotes ita Paulus loquitur*: Attendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit Episcopos, ut regeretis ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo. *Ac ne quis contentiosè in una ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium in quo manifestè comprobatur, eundem esse Episcopum & Presbyterum*. Propter hoc reliqui te Cretae, ut quae deerant corrigeres, & constitueres Presbyteros per civitates. Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriae, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse &c. *Hac ille*. In quibus verbis ostendit in civitatibus singulis ita singulos Sacerdotes sive Presbyteros constituto fuisse, ut iidem ordinarentur episcopi. Unde & 1. ad Tim. 3. statim post qualitates episcoporum subinfert Diaconorum qualitates, nil agens de Presbyteris, quia uterque ordo episcopatus & Presbyteratus in eadem persona conveniebat. Favet his Clemens Romanus Epist. 1. ad Jacobum Fratrē Domini: *In singulis (ait) civitatibus singulos & non binos vel ternos aut plures episcopos constitui praecepit &c. Hoc tamen pravidendū instituit, ne si in villis aut castellis, vel modicis civitatibus instituerentur episcopi, vile nomen eorum fieret*.

Phil. 1. c.

Act. 20. 28.

Titum. 1. 5

1. Tim. 3. 8

Ex hoc iterum colligo Presbyteros praecipuarum civitatum fuisse consecratos episcopos; in villis autem & minoribus oppidis Presbyteros, qui episcopi non essent. Haec latius deduxi, quia deserviunt Scripturae, & variae lectioni Sanctorum Patrum.

Conclusio II.

Multi plicata ecclesia nomen Presbyteri ad solos Sacerdotes restrictum est.

Pullulante & multiplicata in fidelibus & locis ecclesia, ad vitandam confusionem nomen Presbyteri *restrictum est, ut significaret Sacerdotem, Presbyteratus ordine insignitum, ut ab episcopo distinguitur*. Ita usus totius ecclesiae communis à tempore multiplicatae per orbem ecclesiae. Et in hac significatione ordo presbyteratus hic accipiendus est.

Quaestio II.

Quid sit Presbyteratus?

Conclusio.

Presbyteratus descriptio.

Presbyteratus ordo sic describi adaequatè potest: *Sacramentum, quo viro Baptizato ab Episcopo ordinante confertur Gratia & potestas ad conficiendum, & offerendum in vero Sacrificio Corpus & sanguinem Christi, & absolvendum fideles à peccatis*.

Dicitur (*Sacramentum*) est enim genus definiti: Ordo enim Sacerdotalis inter septem novae legis Sacramenta annumeratur.

Dicitur (*Viro Baptizato*) Cum enim Baptismus sit janua Sacramentorum, sicut caetera Sacramenta non possunt valide administrari non baptizatis, ita nec ordo. Dicitur autem (*Viro*) quia sexus faemineus ordinis incapax est.

Dicitur (*Quo confertur Gratia*) In hoc enim convenit cum caeteris Sacramentis, quòd non tantùm Gratiam justificantem, sed etiam Gratiam Sacramentalem, hoc est necessariam ad finem Sacramenti conferat.

Dicitur (*Potestas ad conficiendum &c. & absolvendum*) Haec enim duplex Potestas in Corpus Christi verum & mysticum in ordinatione Presbyterorum confertur.

Dicitur (*Ab episcopo ordinante*) ordinatio enim Sacerdotalis ita est actus proprius ordinis episcopalis, ut inferiori communicari nequeat.

Quaestio III.

Quae sit Materia & Forma ordinis Presbyteris?

Variae autorū sententiae.

De Materia ordinis Presbyterii variant Doctores. Et quidē 1. Sententia est, Materiam illius ordinis esse porrectionem patenae cum pane consecrando, & calicis cum vino: Ita ut horum porrectione prolata hac Forma, quae in Pontificali describitur: *Accipe Potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasq́, celebrare tam pro vivis quàm pro defunctis, in nomine Domini, Amen*, imprimatur Character, & Gratia confertur. Fundatur haec sententia in Conc. Flor. in Instructione Armenorum, ubi sic loquitur Eugen. Papa: *Sextum (ait) Sacramentū est ordo, cujus Materia est illud, per cujus traditionē cōfertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patena cum pane porrectionem*. In quo loco nulla fit mentio manuum impositionis, aut alterius signi, quod pro Materia cōcurrat. Unde consequenter, qui hujus sententiae sunt, impositionem manuum ritum accidentalē esse volunt. Pro qua sententia citatur Capreolus in 4. d. 24. q. 1. a. 2. ad 3. Joan. Major ibidem q. 2. Sotus, Gregorius de Valentia, Ruard. & alii.

2. Sententia idē sentit de porrectione panis & vini, ita tamen ut alterutrum sufficiat, si nimirum, vel panis solitariè, vel vinū porrigatur. Fundamentum videtur esse, quòd in Potestate transsubstantiandi panē in Corpus, continetur virtute Potestas transsubstantiandi vinum in Sanguinem, & econtra: Quia sub utraque specie, post Consecrationem per concomitantiā totus Christus est. Citatur Henriquez, Bonacina, Homobonus, &c. Et S. Thomas, ac alii antiqui favere videntur, eò quòd loquentes de Materia Presbyterii, seorsim modò panis, modò vini faciant mentionem.

3. Sententia utrumque conjungit pro essentiali Materia: Nimirum: Porrectionem instrumentorum patenæ scilicet cum pane, & calicis cum vino, nec non impositionem manuum, tanquam duas Materias partiales, ad essentiam Sacerdotii pertinentes. Fundamentum est: Quod cum Presbyterium sive sacerdotium duplicem contineat Potestatem, scilicet in Corpus Christi verum, & mysticum, sic etiam duplicem habeat Materiam & Formam: Priorem quidem in porrectione panis super patenam, & vini in calice, cum Forma supra citata: posteriorem autem in manuum impositione, prolata Forma: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* Quibus Potestas in corpus Christi mysticum confertur.

4 Sententia est S. Bonaventuræ in 4. d. 24. p. 2. a. 1. qu. 4 Qui totam Materiam essentialem Presbyteratus constituit in impositione manuum: Porrectionem vero patenæ cum pane, & calicis cum vino ab ecclesia posterius superadditam, tanquam signū expressius, & magis explicitum, & velut partem Materiæ integralem. Rationes ejus in procinctu referemus. Ut autem certa ab incertis distinguamus, pono Conclusiones sequentes.

CONCLUSIO I.

Duæ sunt Formæ partiales Presbyteratus.

Duæ sunt Formæ partiales Sacerdotalem ordinationem perficientes. Prior: *Accipe Potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasq; celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis, In nomine Domini, Amen.* Posterior: *Accipe Spiritum sanctū: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.* Hæc est doctrina & sensus communis ecclesiæ, unde & in Pontificali Rom. referuntur.

Ratio verò harum duarum Formarum est: Quia cum in ordinatione Sacerdotis sive Presbyteri conferantur duæ Potestates diversæ, nimirum in Corpus Christi verum, & in mysticum; quarum posterior supponit primam, ideò diversis signis formalibus, pro

Luc.22.19 majori significatione & diverso tempore dari debuerint; exemplo Christi*, qui in ultima cœna consecrans Sacerdotes illis Potestatem

Ioā.20.22 dedit in Corpus suum verū dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem:* Post Resurrectionem verò in Corpus suum mysticum, dicendo: *Accipe Spiritum sanctum &c.*

CONCLUSIO II.

Impositio manuum spectat ad Materiā essentialē.

Impositio manuum pertinet ad Materiam essentialem Ordinis Presbyteratus. Ita sanctus Bonaventura suprà & plurimi Doctores. Et ego salvo meliori judicio hanc Conclusionem puto esse de Fide.

Probatur verò 1. ex Scriptura, quæ non tantum impositionem manuum exprimit; sed etiam per illam Gratiam & Presbyteratum conferri affirmat, tanquam per visibile signum 1. ad Tim. 4. *Noli negligere Gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam,* 1. Tim. 4.
cum impositione manuum Presbyterii. Ubi non 14.
sine fundamento per Prophetiam intelligitur Forma Sacramentalis, invisibilis Potestas dari significatur, sive quæ consistit in Mysteriosis & quasi Propheticis verbis, quæ impositionem manuū ad Presbyterium determinant, & illius significationem explicant, ut distinguitur ab aliis impositionibus, de quibus frequens est mentio in Scriptura. Rursus 2. ad 2. Tim. 1. 6
Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites Gratiam Dei, quæ est in te per Impositionem manuum mearum.*

Concordant antiqua omnia Concilia ante Stephanum Papam, quæ solius semper impositionis manuum in ordinatione Presbyteri meminerunt. Specialiter Carthaginense 4. & Toletanum 11. ut refertur cap. *Presbyter*, & c. *Quorundam Clericorum*, d. 23.

Apertissime hanc docet Conc. Trid. quod nullius materię meminit, præterquam impositionis manuum & singulariter affirmat per illā Presbyterum ordinari. Ita sess. 23. c. 3. *Cum* (inquit) *Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & patrum unanimi consensu perspicuū sit, per sacram ordinationem, quæ verbis & signis exterioribus conficitur, Gratiā conferri dubitare nemo debet ordinem esse verè & propriè unum ex septem sanctæ ecclesiæ Sacramentis.* Dum autē exprimit signum visibile, sive externum & Sacramentale, nullum aliud adfert præter manuum impositionem: Sic enim prosequitur: *Inquit enim Apostolus: Admoneo te, ut resuscites Gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Ex quibus verbis Concilium probat & in ordinatione Gratiam conferri; & conferri per impositionem manuum Episcopi. Clarissime sess. 14. c. 3. de ministro Extremæ Unctionis loquens definit: *Ministrum hujus Sacramenti* (scilicet Extremæ Unctionis) *solum esse Sacerdotem, ab Episcopo per impositionem manuum Presbyterii rite ordinatum.* Quo nihil clarius exprimi potest ad assignandam Materiam ordinationis Sacerdotalis: Nimirum: Impositionem manuum Presbyterii, id est, qua ordinatur Presbyter, ut ab aliis impositionibus discernatur. Et de hac loquuntur passim omnes antiqui Patres ecclesiæ, qui nullius omnino alterius Materiæ meminerunt; quàm manuum impositionis.

CONCLUSIO. III.

Illa sola diu in ecclesia Sacerdotes consecrati sunt.

Sola manuum impositione, absque porrectione patenæ cum pane, & calicis cum vino multo tempore in ecclesia Sacerdotes consecrati sunt.

Hanc Conclusionem docet S. Bonavent. in 4. d. 24. a. 1. q. 4. in Corpore Responsionis ad argumenta, specialiter ad 3. Ubi docet, in primitiva ecclesia ordinationem in duobus ordinibus Majoribus, Presbyterio scilicet & Diaconatu, factam per impositionē manuū. Et in hoc discernit ordines Majores à Minoribus, quòd Majores impositione manuum, Minores verò porre-

porrectione instrumentorum conferrentur. Cujus rei rationem adferens: *Quoniam* (inquit) *Characteres sunt diversi, habentes majorem dignitatem, vel minorem secundum gradus potestatem, ideo tam signa quam verba diversificantur, maximè in Ordinibus sacris & in Minoribus: In Ordinibus enim sacris quoniam datur ibi nobilis & excellens potestas fit manus impositio, non tantum instrumenti traditio, quoniam manus est organum organorum, in quo scilicet principalius residet potestas operandi.* Prosequitur: *Unde sic ordinabant in primitiva Ecclesia, ubi non nisi duo isti Ordines expliciti erant. Sed in Minoribus fit traditio alicujus instrumenti, ut clavis, libri, vel exorcismi.*

Et hanc Conclusionem confirmant Scriptores, qui ante Stephanum Papam usum porrectionis dictorum instrumentorum sive vasculorum negant in Ecclesia fuisse. Inter quos est curiosissimus pariter & sapientissimus Ordinationum antiquarum indagator Franciscus Hallier in tractatu de sacris Electionibus & Ordinationibus tit. de materia & forma ordinationis p. 2 c. 2. a. 1. §. 14. Qui etiam ostendit & probat Ecclesiam Græcam in hanc usque horam non alia materia uti in ordinatione Presbyteri, quam impositione manuum, cum hac forma, vel simili: *Divina gratia creat talem Presbyterum.*

CONCLUSIO IV.

Antiquitùs usus fuit duplicis impositionis manuum.

Antiquitus in primitiva Ecclesia Latina fuit usus utriusq; impositionis manuum: tam prioris cùm Episcopo imponente manus omnes Sacerdotes præsentes imponunt, ut in Pontificali ponitur: quàm posterioris cùm solus Episcopus imponit, quæ fit post communionem. Et quidem in priori pronunciabatur Forma, qua potestas datur in Corpus Christi verum: in posteriori, qua datur potestas in Corpus Christi mysticum, nimirum, absolvendi à peccatis.

Colligitur hæc Conclusio 1. ex S. Ambrosio in 1. ad Tim. 4. ubi prioris impositionis manuum faciens mentionem, sic loquitur: *Prophetia est, qua eligitur quasi Doctor futurus idoneus: Manus verò impositiones verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem teste conscientia sua, ut audeat vice Domini Sacrificium offerre.*

In quibus verbis notandum primò, quod loquatur in plurali impositiones manuũ, quia plures imponebant, prout in priori impositione fit, 2. loquitur de sola potestate offerendi Sacrificium, quæ est potestas in Christi Corpus verum, quæ in priori manuum impositione conferebatur.

Confirmat 2. hanc conclusionem Concilii Carth. 4. cùm ritum consecrandi Sacerdotem refert his verbis: *Presbyter cùm ordinatur Episcopo eum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt manus suas juxta manum Episcopi super caput ejus teneant.* In quibus iterum constat, quod de priori manuum impositione Concilium loquatur. 2. Indicatur aliquâ formâ verborum Episcopum in illa usum fuisse, cùm ait: *Benedicente eum Episcopo*, hoc est, verba formæ proferente.

3. Hanc Conclusionem indicant vetus Ordo Romanus tit. de Ordinibus Presb. Stephanus Eduensis, Ivo Carnotensis, Hugo à S. Victore, citati à Francisco Hallier supra, qui de hac impositione manuum loquuntur conformiter ad prædicta.

CONCLUSIO V.

Porrectio patenæ cũ vino & c. successu temporis præcepta est.

Porrectio patena cum pane, & calicis cum vino ab ecclesia instituta & præcepta est successu temporis ad expressiorem significationem quamvis tamen dictarum porrectionum significatio implicitè in priori signo impositionis manuum continebatur.

Ita S. Bonaventura suprà citatus in Resp ad 4 his verbis: *Ad illud* (inquit) *quod colligitur de libri* (scilicet pro Diaconatu) *& vasis* (id est calicis & patenæ pro sacerdotio) *traditione dicendum: Quod sicut omne instrumentum sive armatura in virtute manus est, sic etiam per impositionem manuum, ubi deessent talia, possent signari: Unde, sicut post videbitur in impositione manuum in primitiva ecclesia cæteri omnes implicabantur qui posmodum processu temporis explicati sunt & quantum ad verbum, & quantum ad signum, & quantum ad personas.* In quibus verbis duo declarat S. Bonav. Primum: In impositione manus, cætera signa implicitè in primitiva ecclesia implicita seu contenta fuisse. Secundum: Ubi talia deessent signa in virtute impositionis manuum sufficienter signari potuisse.

CONCLUSIO VI.

Non est materia essentialis.

Porrectio patenæ cum pane, & calicis cum vino non est materia essentialis Ordinationis Sacerdotalis, sed tantum pars integralis, significationis expressioris gratia superaddita. Hæc Conclusio patet ex superioribus Conclusionibus, ex quibus necessariò deducitur.

Probatur verò 1. sacramentum Ordinationis sacerdotalis non potest absq; sua essentiali materia subsistere: Sed Sacramentum Ordinationis sacerdotalis absque porrectione patenæ cum pane, & calicis cum vino subsistit à tempore primitivæ Ecclesiæ, usq; ad tempora Stephani Papæ, imò & in ecclesia Græca usq modò subsistit: Ergo porrectio hujusmodi &c. non est de essentia materia ordinationis sacerdotalis: Minorem probamus Conclusione 2. 3. & 4. nec opus est ulteriori discursu. Quod enim clamat Tannerus incertum esse de Ecclesia Græca, illi responderi debet: Vade & vide: Credendum enim est Scriptoribus, qui Græcorum ritus scrutati sunt. Sufficit porrò nobis, quod usq; ad Stephanum Papam nec Scriptura nec traditione, nec ullius relatione aliqua mentio positiva istius porrectionis patenæ & calicis fit facta, sed semper sola impositio manuum cum verbis proponatur: Quinimò nec postremum Concilium Trid. aliquam porrectionis hujus-

hujusmodi fecit mentionem, sed, ut ostendimus, solius impositionis manuum meminit.

Ex quo pro 2 probatione Conclusionis infero absurdum: Nimirum: Quòd aliàs in tota ecclesia Græca nunquam fuisset Sacerdos ritè consecratus in hunc diem; nec in ecclesia Latina usque ad tempora Stephani Papæ: cum omnes istis temporibus sola manuum impositione sint ordinati: quod horribilem causaret in ecclesia errorem & confusionem.

Probatur 3. Omnis Materia essentialis Sacramentorum in ecclesia Catholica est stabilis & certa, ex Institutione Christi saltem in genere procedens, & aliqua definitione Ecclesiæ determinata: Sed porrectio patenæ cum pane & calicis cum vino, nec semper in ecclesia fuit, nec aliqua definitione ecclesiæ hactenus tanquam essentialis est determinata; ergo non est Materia essentialis. Minor ex dictis patet: Quia in tota Scriptura, & definitivis Conciliorum Capitibus aut Canonibus usque ad Côn. Trid. inclusivè nunquam alia Materia ut certa, stabilis & essentialis decreta est, præter impositionem manuum, ut suprà probatum est: Quod enim de Conc. Flor. adfertur in Instructione Armenorum: facilis est responsio, Pontificem Eugenium, relicta Materia essentiali, nimirum impositione manuum, de qua inter Græcos & Latinos nulla erat quæstio, retulisse Materiæ partem integralem, quam ecclesia Latina primæ impositioni manuum superaddidit ad expressiorem significationem, quæ eo ipso integralis Materiæ pars est, quòd formæ Sacramentalis prolatio in illam tanquam Materiæ partem integralem modo reservata sit, quamvis si antea non fuerit, ut ex Ambrosio & Conc. Carthaginensi 4. probatum est suprà.

Instabilitas Auctorum contrariæ opinionis. Scotus.

Quanta verò sit instabilitas in assertione istius Materiæ porrectionis patenæ & calicis, constat ex sententiis suprà relatis, dum alii solam illam porrectionem, exclusa manuum impositione, asserunt: Alii cum impositione conjungunt: Alii modò porrectionis calicis solius, modò solius patenæ, modò utriusque mentionem faciunt: Quod signum est porrectionem istam Materiam essentialem non esse. Si enim essentialis est, & ut talis ab ecclesia declarata, unde tanta variatio Scriptorum Ecclesiasticorum, vel tam perfunctoria eorum narratio? Doctor quidem Subtilis noster Scotus in 4. d. 24. q. unica. a. 3. postquam dixit dari in Sacerdotio duas Formas partiales, subdit: *Istis conjunguntur duæ Materiæ, hoc est duo signa visibilia propria: Formæ primæ, traditio calicis & patenæ cum hostia &c.* Ubi nullam facit mentionem vini in calice. Et dist. 19. q. 1. *Sicut* (inquit) *sunt duæ Potestates, ita duo Characteres, & uterque exprimitur in signo proprio sensibili significante illud invisibile, utpotè primus in datione calicis cum illis verbis*: Accipe Potestatem celebrandi &c. Ubi iterum solius porrectionis calicis mentionem facit, nulla facta mentione aut vini, aut hostiæ, aut patenæ. Et adverte Scotum pro altera Potestate conferenda impositionem manuum pro Materia agnoscere.

E X A M E N.

Censura parùm modesta Tanneri contra Sententiam S. Bonaventuræ, & suorum sequacium.

Tanneri assert contra S. Bonavent.

INsiliit parùm modesta, si non insolenti Censura Tannerus tom. 4. disp. 7. de Ordine adversùs S. Bonaventuræ Doctoris Seraphici, & suorum sequacium doctrinam, quam sequimur, de manuum impositione, asserens illam *falsam, improbabilem, erroneam, & contra Conc. Flor. & Trid.* Quod ut probet: Fingit Christum in ultima cœna, cùm Apostolos Sacerdotes ordinavit, tanquam Materiam ordinationis assumpsisse porrectionem panis & calicis; Panis quidem cùm diceret, Mat. 26. 26.
Accipite & manducate, Hoc est Corpus meum: Mar. 14. 22.
Calicis verò, cum porrecto calice diceret: Luc. 22. 19.
Accipite & bibite ex eo omnes: Item, *Hoc facite in meam commemorationem*: Quasi ex eo 1. Cor. 11. 24.
acceptum esset, ut porrectio calicis cum vino & patenæ cum pane sit Materia essentialis hujus Sacramenti à Christo instituta. Et ut fictioni suæ fundamentum præstet, asserit id definitum esse in Concilio Trid. sess. 22. c. 1. & can. 2. Hæc autem sunt verba Concilii c. 1. *Christus Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolis (quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat) ut sumerent tradidit.* Et can 2. *Si quis dixerit his verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinasse ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum. Anathema sit.* Hæc Concilium.

Improbatur fictio Tanneri.

Verùm quantùm à sensu horum verborum Concilii deviet fictio illa Tanneri, quilibet, vel Latinam linguam intelligens, arbiter esto. Concilium sanè Materiam Sacrificii & Sacramenti, prout à Christo tunc oblata sunt & distributa Apostolis, retulit illo c. 1. ex ipso textu Apostoli 1. ad Corinth. 11. nullam tamen de Materia ordinationis Sacerdotalis mentionem fecit: Verba sunt clara: *Corpus* (inquit) *& Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit*: En Materia Sacrificii incruenti, quod designatur per verbum, *obtulit*. Sequitur: *Ac sub earumdem rerum symbolis Apostolis &c. ut sumerent tradidit*. En Materia, sive potiùs signa Sacramenti Eucharistiæ, prout distribuitur, & à Communicantibus sumitur, quod indicant verba, *ut sumerent tradidit*, quæ purè communionem designant. Umbram fortè sumpsit Tannerus ex his verbis Concilii, velut per parenthesim positis: *Quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat*, quasi per hanc traditionem Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus

[sp]eciebus panis & vini sacerdotes ordinarentur. Verum placida fictio est: Advertere enim debuit, quod de sola communione, sive distributione Sacramenti Eucharistici, per quam certum est Sacerdotes non ordinari, Concilium egerit, etsi velut per transennam insinuaverit *tunc*, id est, in ista ultima Cœna, in qua communicaverunt Apostoli, eos fuisse Sacerdotes consecratos, non tamen per istam traditionem Corporis & Sanguinis Christi, quæ fiebat, ut sumerent, non ut Sacerdotes consecrarentur. Rursus verba subsequentia, (*Et iisdem, eorumq; in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba. Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit.*) Non tam Sacerdotum Ordinationem, quàm (supposita Sacerdotis Ordinatione & potestatis collatione,) mandatum expressum de sacrificio offerendo, imò & Sacramento distribuendo sub speciebus panis & vini continent & declarant. ut Concilium expresse affirmat: *ut* (inquit) *offerrent præcepit*: Nec canon 2. contradicit Decreto Concilii, vel aliquid plus urget: Esto enim Christum instituisse Apostolos per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, Sacerdotes & ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, (quod utrumque tamen sub disjunctiva *aut* proponit Canon Concilii credendum:) Quid Concilium circa porrectionem patenæ cum pane, & calicis cum vino ad Ordinationem Sacerdotis ibi conclusit? Aut quid directe vel indirecte de ea dixit? Somniavit sane Tannerus, & somnia sua finxit quibus Seraphico Doctori & antiquis Theologis illuderet.

Quod ut iterum sub compendio repetam: Tria in cap. 1. sess. 22. Concilium decernit. 1. Christum corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulisse. 2. Sub earundem rerum symbolis Apostolis (quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat) ut sumerent, tradidisse. 3. Eisdem Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepisse per hæc verba: *Hoc facite in meam Commemorationem: Uti* (inquit) *semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.* Ex quibus verbis nihil de porrectione patenæ cum pane, vel calicis cum vino in ordinatione Sacerdotis vel à mille leucis insinuavit Concilium. Nec canon 2. aliquid de hac re vel minimum tetigit: quippe qui solum anathemate ferit dicentes Christum his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Apostolos Sacerdotes non instituisse: Aut saltem non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum. An vero porrectio patenæ cum pane, & calicis cum vino sit materia ordinationis, concilii Decretis est parergon, & impertinens Tanneri figmentum. Si enim Ecclesia aliquid circa ordinationem Sacerdotum ibidem definivisset, id maximè Formam ordinationis tangeret, quasi in his verbis Christi consisteret. *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod tamen nec fecit, sed solum fundamentalem institutionem Apostolorum in Sacerdotes illis verbis factam attigit, & mandatum sacrificandi ipsis & eorum successoribus iisdem verbis datum asseruit: Quod tota Ecclesia confitetur.

Non igitur ô Tannere Doctoris Seraphici sententia est falsa, improbabilis & erronea; sed tua est ficta, improbata & Concilio Tridentino injuriosa.

Prudentiùs fecisset Tannerus, si utramque materiam simul conjunxisset, ut jam conjunxit Ecclesia, & superadditam porrectionem panis & vini in patena & calice, ex facto Christi per congruentiam quandam Ecclesiam deduxisse docuisset: Non quasi Christus hac porrectione los in consecratione Sacerdotū usus fuisset, (qui per potestatē excellentiæ quo voluit modo illos consecravit) sed quasi suo facto, materiam scilicet Sacrificii & Sacramenti Eucharistici instituens indicasset, potuisse convenienter eandem assumi ad expressiorem significationem in ordinatione Sacerdotis, quæ ad eundem finem refertur, prout & cam suo tempore assumpsit Mater Ecclesia: Et hæc quidem piam considerationem habet, non firmam conclusionem.

Corollarium I.

Velut Doctrina superioris Synopsis.

Ex dictis infero 1. utramque impositionem manuum, tam priorem, qua imponentibus cum Episcopo Sacerdotibus manus, confertur potestas ad consecrandum & offerendum corpus & sanguinem Christi; quam posteriorem quæ fit ad finem Ordinationis ab Episcopo solo, & qua confertur potestas absolvendi, fuisse à principio, & esse in hunc diem materiam veram & essentialem Consecrationis sive ordinationis Presbyteri; de qua S. Paulus & Patres ac Concilia passim. Vide conclusionem 2. 3. & 4. *Utraque impositio manuum est materia essentialis.*

Infero 2. utramq; materiam sive impositionem manuum habuisse formam sacramentalem sibi assignatam & adjunctam: Priorem quidē: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo &c.* Posteriorem autem: *Accipite Spiritum sanctum &c.* Vide concl. 4.

Infero 3. additam ritè & absq; dubio ductu Spiritus S. per ecclesiam porrectionem patenæ cum pane, & calicis cum vino ad expressiorem significationem, tanquam complementum prioris signi, quod præcedit in impositione prima manuum: ideoq; Ecclesia ordinavit ut pronuntiatio formæ, quæ fiebat antè in impositione manuum, fieret in ultimo signi materialis complemento in porrectione calicis & patenæ, prout modò fit. Ratio fuit: Ut enim cum hæc porrectio intelligeretur pertinere ad materiam, saltem ut pars integralis, quæ signum in ratione signi perficeret, & velut expressiori significato compleret, prout per formam determinatur.

Objectio notabilis.

DICES: Si uterque ritus ad essentiam ordinationis Diaconorum pertinet, ergo mancum administrarunt Sacramentum, qui prius per solam impositionem manus illos ordinarunt: Et Conc. Florent. seu potiùs Eugenius IV. mancam Materiam in Instructione Armenorum retulit.

Respondeo, Negando utramque Consequentiam: Ad primum itaque dico: Scripturam Patres & Concilia, quæ solius impositionis manuum meminerunt, non negasse alteram Materiam, qua gratia & potestas ad Evangelium legendum & prædicandum pertinens conferebatur: Illam verò non retulisse, quia pro ratione temporis alio fortè æquivalenti signo, non omnino eodem, exprimebatur. Cum enim tempore Apostolorum non haberentur Evangeliorum codices, & multo tempore postea subsuerint alia incommoda, alio sine dubio signo ejusdem gratiæ & potestatis significativo & collativo, cum impositione manuum utebantur. Quod, quale fuerit, etsi varias conjecturas (ut de charta, in qua initium S. Evangelii scriptum erat &c.) aliqui referant, satius est fateri nos nescire.

Ad 2. similiter dicendum: Eugenium IV. in Instructione Armenorum in Concil. Florent. impositionis manuum, in ordinatione Diaconi, mentionem non fecisse, quia de illa, utpote in ecclesia Græca primariò usurpata, satis instructi erant Armeni: Porrectionem autem libri Evangeliorum apertè declarasse, quia illa pars essentialis, in tali & tam expresso signo, usurpata non erat, & de illa debebant conformiter ad ecclesiam Latinam doceri. Et ex his responsum est sufficienter ad fundamenta utriusque opinionis, jam per doctrinam datam conciliatæ.

QUÆSTIO III.

Quæ sint obligationes Diaconorum?

1. Tim. 3. 8 OBligationes Diaconorum cognoscuntur ex qualitatibus in Diacono ab Apostolo requisitis 1. ad Timoth. 3. *Diaconos* (ait)
Vers. 9. *similiter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes: Habentes*
Vers. 10. *mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primùm, & sic ministrent, nullum*
Vers. 12. *crimen habentes.* Infrà: *Diaconi sint unius uxoris viri: qui filiis suis benè præsint, & suis domi-*
Vers. 13. *bus: Qui enim benè ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ est in Christo Iesu.* Ex illis enim Apostoli verbis clarè deduci possunt obligationes, quas habent Diaconi ex vi ordinis sive ministerii sui.

Duo sunt Diaconorum ministeria.

Ut autem clarius explicentur, Noto duo præcipua referri Diaconorum Ministeria, ad quæ cætera reducuntur: nimirum primarium & secundarium. Primarium Diaconorum Ministerium dici potest *Sacrum*: Estque illud, quod Sacrificio & Sacerdoti, ac aliis sacris actionibus Diaconus impendit: Ut administrationi Sacramentorum, assistentiæ in Baptismo, Catechesi, Prædicationi &c.

Secundarium Ministerium nominari potest *quasi Sacrum*: Quod nimirum non tam Sacris impendebatur actionibus, quàm externis aliquibus Ministeriis, Sacris deservientibus: Ut alimento viduarum, conservationi Sacrorum Vasorum, administrationi bonorum Ecclesiasticorum, legationibus piis &c. De quibus vide Auctores. His sic prænotatis sit

CONCLUSIO I.

Ad ministerium Sacrum requiritur in Diacono, Castitas, sobrietas, Scientia, Puritas, & bona fama.

QUinque sunt præcipua Obligationes Diaconorum in ordine ad Ministerium primariũ & Sacrum. Pudicitas sive Castitas, Sobrietas, Scientia Mysteriorum fidei, Puritas conscientiæ in ministerio, bona fama.

Hæ obligationes ab Apostolo referuntur sub his verbis: *Diaconos* (inquit) *pudicos & unius Uxoris viros*, ecce Castitas: *Non multo vino deditos:* En Sobrietas: *Habentes mysterium fidei:* En scientia: *In conscientia pura:* En Puritas mysterii: *Nullũ crimen habentes* En bona fama.

CONCLUSIO II.

Ad quasi Sacrũ Fidelitas & integritas ab avaritia.

CÆtera obligationes relatæ ab Apostolo respiciunt secundarium ministerium suntq; potissimum duæ, Fidelitas, & Integritas ab õni avaritiæ studio. Suppono tamen ex primo ministerio Pudicitatem, Sobrietatẽ, & bonam famam.

Hæ obligationes indicantur ab Apostolo his verbis: *Diaconos* (ait) *non bilingues, non turpe lucrum sectantes*: Conclusionis verò ratio sumenda est ex fine, ad quem Ministerium secundarium dirigitur: Ex eo enim simpliciter quòd administrationem bonorum ecclesiasticorum haberent, in qua varia pacta, conventiones, compositiones, distributiones occurrunt, posito hoc ministerio si *bilingues* sint, sive, ut S. Chrysost. explicat, *Subdoli aliud in corde, aliud in ore gestantes*, aut, ut alii, *inconstantes sermone, mendaces, Syriacè, loquẽtes duplicia:* Quomodo administrationem tam sanctam obire potuissẽt. Nec minùs periculũ fuisset, si avaritiæ & propriis cõmodis debiti turpe lucrum sectati fuissent.

Pro ministrio etiã viduarum, summè requirebatur ex primario ministerio, Pudicitas, Sobrietas, & bona fama, sine quibus in isto quotidiano misterio periclitarentur animæ plurimorum, Unde & cùm eligerentur septem Diaconi ad hoc ministerium, requirebatur Act. 6. ut essent *Viri boni testimonii, pleni Spiritu sancto, & sapientia:* Bonæ utique famæ & approbatæ vitæ, pleni charitate, & prudentia sive fidelitate in distributionibus, ut Expositores explicant. Sed de his omnibus infrà. Act. 6. 3.



QUÆ-

QUAESTIO IV.

Quae sint Peccata Diaconorum ex obligationibus sui Gradus & officii provenientia?

JUxta obligationes Diaconorum, expendenda sunt eorum Peccata. Ut igitur clariùs patescant, singulas obligationes, ex qualitatibus requisitis natas, expendemus per sequentes Paragraphos.

§. 1.

De Peccatis Diaconorum contra Castitatem sive Pudicitiam.

Obligatio Castitatis 3. habet partes. CAstitatis obligatio tres partes habet 1. antecedit, & velut praeparatoria est ad ordinationem Diaconi: Nimirum: Ut si Uxoratus fuerit, sit saltem Monogamus, id est, unius Uxoris Vir. Unde si Bigamus in Diaconum se ordinari permittat ante dispensationem legitimam, peccatum mortale, & irregularitatem novam ex delicto incurrit.

2. Pars ipsam ordinationem comitatur: Hoc enim ipso, quo aliquis ordinatur Diaconus, ex vi ordinationis in Diaconum (supposito quòd Diaconatui non esset, ut olim, Votum Castitatis annexum) Votum Castitatis emittere censetur, ac illius Voto perpetuò obligatus manet. Unde in ecclesia Latina: *Si qui antiquitus Conjugati ordinarentur*, illi ab illis Uxorum omnino separabantur, & castitati perpetuae addicebantur, & Uxores Coelibes remanebant, quae hoc respectu Diaconissae ab aliquibus vocabantur; quamvis aliud sit Diaconissarum genus, ut posteà dicemus.

Ex hac obligatione nascitur, quod omne peccatum mortale, cogitatione, verbo, & opere à Diacono post ordinationem contra Castitatem commissum, Sacrilegium sit: & haec quidem circumstantia (utpote mutans speciem) confitenda & exprimenda est, si Confessarius Poenitentem in qualitate Diaconi non norit.

Ratione iterum illius Voti & gradus: Scurrilitates, levitates, & insolentiae nonnullae in materia carnis à Diacono excitatae, etsi fortè in se peccata mortalia non essent, ratione tamen ordinis, ob scandalum datum, mortalia fieri possunt, super quo attendere & invigilare tenetur. Unde & in Graeco pro *Pudico* ponitur σεμνὸν quod significat, gravem, serium, modestum.

Pro tertia parte, qua Castitas respicit ministerium sacrum, eadem requiritur circumspectio in Diacono, quae in Sacerdote, ut videlicet, carnali aliqua immunditia, pollutione &c. Diaconus ministrans, culpabiliter maculatus non fuerit. Huic doctrinae proportionaliter applicari debent omnia, quae de Immunditia corporali Sacerdotis diximus tom. 2. tract. 2. p. 3. tit 4. q. 2. Examine tertiae Dispositionis: Quia Diaconus cùm ad Sacra ipsius sacrificii proximè accedat, immundus absque peccato accedere non potest, juxta illud Isaiae 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Isa. 52. 11. Unde praeclare Concilium Turonense 1. c. 1. *Si universis (ait) fidelibus secundum Apostolorum doctrinam Castitas custodienda indicitur &c. Quanto magis Sacerdotes Dei ac Levitae Divino mancipate Altario custodire debent, ut non solùm cordis verum etiam corporis Puritatem servantes, pro plebe supplicaturi preces illorum ad divinum mereantur introire auditum. Quia secundum auctoritatem Apostoli, qui in carne sunt, Deo placere non possunt, vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Infra: *Cùm ergo laico imperetur, ut possit orationi vacans, & Deum deprecans exaudiri: Quanto magis Sacerdotibus & Levitis, qui omni momento parati esse debent in omni Puritate & Munditia securi: ne aut Sacrificium offerre, aut baptizare (si id temporis necessitas poposcerit) cogantur imparati aut immundi.* Certè legimus Diacono ferente Sacram Hierothecam, hoc est, Venerabilis Sacramenti Thecam, Ciborium sive Remonstrantiam ut dicimus, qui noctu pollutus fuerat, è manibus ipsius sublatam, & ab Angelis in aëre portatam fuisse usque ad Ecclesiam.

Et haec quidem sententia nostra maximè concludit de Diaconis, qui Sacra illa contingunt, & iis maximè qui Sacrum Corpus & Sanguinem Domini antiquitùs dispensabant & distribuebant.

Turpe est hoc tempore, quòd in nonnullis Ecclesiis, saecularium maxime, Diaconus vix Sacerdoti assistat in principalibus Mysteriis, sed illi sufficiat Evangelium canere.

§. 2.

De Peccatis Diaconorum quoad Sobrietatem

ETsi Sobrietas virtus universalis sit, omnes jure naturali obligans, nec Intemperantia aut ebrietas in Diacono mutet speciem peccati per se: Ex obligatione tamen Sobrietas singulari titulo Diacono imponitur: Quia Intemperantia, Temulentia, Ebrietas in Diacono non tantum turpitudinem auget, sed etiam peccatorum aliquorum causa existit.

Duplicia peccata ex Intemperantia in Diacono oriuntur. Duplicia igitur peccata ex Intemperantia sive sobrietatis transgressione in Diacono oriuntur: Prima respiciunt Ministerium sive officium: Posteriora aliorum offensam & scandalum.

Peccata quae Ministerium spectant, & ex Intemperantia oriuntur, sunt. Indispositio, ineptitudo sive hebetudo mentis & corporis, irreverentia in Sacris Mysteriis, quae contingit ex nimio potu nocturno, diurno &c. comessationibus, quae in primitiva Ecclesia Diaconos reddebant inhabiles ad assistendum Baptismo, ad praedicandum, ad catechisandum, ad serviendum viduis &c.

Pecca-

Vide Clementem libr. 8. Constitution. Apostolicarum cap. 32. Dixi tantùm (absque peccato mortali) Puto enim a parte rei improbabilem esse nonnullorum opinionem: Qui asserunt Diaconum absque commissione Sacerdotis solemniter baptizantem non tantum peccare mortaliter, sed etiam incurrere irregularitatem, quasi actum non sui ordinis exerceret: Baptizare enim solemniter etiam actus ordinis Diaconatus est, ut in Pontificali continetur: Si igitur injussus baptizet, contra legem & præceptum facit: Ordinis tamen sui actum exercet, et si illegitimè & peccaminosè exerceat, quia Baptismi solemnis administratio non est illi concredita, nisi ex commissione Sacerdotis in causâ justa & rationabili, quem tamen quandocumque Diaconus administrat, ordinis actum exercere censetur, sicut etiam cùm absque commissione prædicaret.

Dixi (*sive potiùs baptizandi solemniter Presbytero assistere*) Hoc enim unum ex præcipuis Diaconi officiis est, adesse Sacerdoti, disponere baptizandos, offerre aquam, sacrum chrisma, & alia facere, quæ in solemni Baptismo fiunt: Unde Clemens l. lib. 3. Constitut. Apost. c. 10. postquam removerā Ministerio baptismi omnes in minoribus ordinibus & Ministeriis constitutos: *Solos* (inquit) *baptizare permittimus Episcopos, & presbyteros, ministrantibus illis Diaconis.* Ex quibus pono Diaconi officium 5. *Clem. 1.*

5. Officium Diaconi est, *Catechumenos instruere & docere in fidei rudimentis, & eos ad Baptismum debitè suscipiendum per pœnitentiam peccatorum, & cordis motus salutares disponere*: Unde & ordo Diaconorum ab antiquis, *καθάρτικος*, id est Purgatorius, nominatur, quod illorum doctrina & instructionibus Catechumenos purgarent.

6. Officium erat, *temporalibus Ecclesiarum bonis, eorumq; ac eleemosinarum distributionibus invigilare*, ut constat ex Actibus Apostolorum, & vita S. Laurentii, de quo S. Leo: *Non solùm* (ait) *Ministerio Sacramentorum, sed etiam Dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præminebat.* *Act. 6. S. Leo in vita S. Laurētii.*

7. Officium Diaconorum fuit *Populum in sacris cœtibus certis vocibus & signis ad Deum movere* Hæc sunt quæ à Magistro Sanrentiarum referuntur: *Ad ipsum etiam*, inquit, *pertinet officium precum recitatio nominum: Ipse præmonet aures habere ad Deum, Ipse donat pacem, & ipse annuntiat.* Quæ omnia in ceremoniis Diaconorum secundùm diversas Ecclesias, & diversa tempora leguntur. Unde & antiquitus, *Consuetudo* inquit Magister (*inolevit, ut in omni Matrice ecclesia septem Diacones circa Christi aram quasi septem columnæ existant ei sunt Angeli tuba canentes* in Apocal. cap. 8. &c. *Magister*

8. Officium Diaconorum Antiqui ponebant: *In reconciliatione publicorum peccatorum post actam publicam pœnitentiam.* De quo Cyprian. l. 3. Epistola 61. Quæ quidem erat tantùm externa reconciliatio externo foro deserviens, & à pœnis publicè impositis in foro Ecclesiæ absolvens, quam Diaconi in absentia Presbyterorum infirmis pœnitentibus impertiebantur; Sed cum publicis pœnitentiis & ista reconciliatio exolevit. Crederem ego ratione hujus officii in extrema necessitate Diaconum posse pœnitentes à vinculo Excommunicationis, quando forum externum Ecclesiæ absolvere, ut sepultura sacra donarentur; idque ex vi hujus Officii, si non prohibeat Ecclesia. *Nota.*

9. Officium fuit: *Invigilare super iis, quæ in Ecclesia fiunt & de iis Episcopum monere.* Vide Decretum Gratian. d. 93. c. *Diaconi*: *Diaconi* (inquit) *Ecclesiæ, tanquam oculi sint Episcopi, oberrantes & circumlustrantes eum verecundia actus totius Ecclesiæ, & perscrutantes diligentiùs, si quem videant vicinum fieri præcipitio, & proximum esse peccato, ut referant ad Episcopum, & commoneri ab eo possit &c.* Unde & apud Clementem Epistola ad Jacobum Fratrem Domini dicitur Diaconus: *Auditus, os, lingua, cor, anima Episcopi.* *c Diaconi*

10. Diaconi officium erat; *Invigilare super infirmis, & peregrinis*: Unde apud Gratianum supra: *Eos, qui secundùm carnem ægrotant sollicitè perquirant, & plebi (si plebs ignorat) indicent de his, ut ipsi visitent eos, & quæ necessaria sunt præbeant illis &c. Sed & de peregrinis similiter Episcopo suggerant resolvendis: Et cætera his similia quæ ad cultum Ecclesiæ, & disciplinam ejus pertinent, diaconis cura sint.* Similia habentur apud Clementem l. 3. Constit. c. 19.

QUÆSTIO II.

In quibus consistat Materia & Forma ordinationis Diaconorum?

Duplex in Pontificali exprimitur signum, quo Episcopus uti solet in ordinatione Diaconi: Prius est, quod fit impositione dextræ manus super caput ordinandi cum hac verborum Forma: *Accipe Spiritum sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo & tentationibus ejus: In nomine Domini*: Posterius est, traditio libri Evangeliorum cum hac verborum Forma: *Accipe potestatem legendi Evangelium in ecclesia Dei tam pro vivis quàm pro Defunctis: In nomine Domini: Amen.* *Pōtificale.*

Ex hoc graves Auctores in duas potissimùm partes abierunt: Aliis asserentibus Materiam præcisam & adæquatam ordinationis Diaconorum esse porrectionem libri Evangeliorum: Formam verò verba suprà relata, quæ in traditione illius libri ab Episcopo proferuntur. Fundatur autem hæc sententia in Concil. Florent. in Decreto Eugenii IV. sive Instructione Armenorum, ubi sic legitur: *Sextum Sacramentum est ordo, cujus Materia est illud, per cujus traditionem confertur ordo, sicut &c. Diaconatus per libri Evangeliorum dationem.* Et eandem Materiam assignat Catechismus Romanus, adjungens supra relatam Formam. *Cōc. Flor.*

Alio-

Aliorum non minoris qualitatis & nominis Doctorum sententia est: Materiam consistere in impositione manus, Formam autem in verbis, quæ in impositione manus Episcopus profferre consuevit. Fundatur in sacra Scriptura Act. c. 6. quæ solius impositionis manuum mentionem facit in ordinatione Diaconorum. Act. 6.6. Quæ etiam impositio conservata est hactenus in ecclesia Græca, nec antiqua Concilia, usque ad Stephanum Papam, alterius Materiæ, quàm impositionis manuum, in ordinationibus meminerunt, nulla facta mentione porrectionis aliorum instrumentorum: Ut clarius videre est in Concil. Toletano XI. & refertur d. 23. c. *Presbyter* & c. *Quorumdam*.

Pro resolutione verò notanda est doctrina generalis, quam omnino existimo veram, Christum in institutione Sacramenti ordinis Materiam illius ita instituisse, ut eam in singulari non determinaverit, sed tantùm in genere, relinquens determinationem ecclesiæ suæ, quæ successivis temporibus illam magis determinavit pro majori & expressiori significatione, & mysteriorum gloria & decore. Hæc doctrina omnino tenenda est, si diversos ritus & actiones in ordinationibus observatas à principio ecclesiæ usque ad hæc tempora, ritè & piè concordare & explicare velimus. Hac igitur doctrina supposita, prout supponendam censeo, pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Impositio manus nō est Materia adæquata.

IMpositio manus in ordinatione Diaconi, nō fuit adæquata Materia ordinationis Diaconorum.

Hæc Conclusio supponenda est ad minùs ex Conc. Flor. in Decreto illo sive Instructione Armenorum: Ubi declaratur Sacramentum ordinis conferri per libri Evangeliorum traditionem: Ergo adæquatè non confertur per solam manus impositionem.

CONCLUSIO. II.

Neque traditio libri Evangeliorum.

TRaditio libri Evangeliorum, non est adæquata Materia ordinationis Diaconorum.

Hanc Conclusionem probant Scriptura, Patres, Concilia, quæ impositionis manuum singulariter meminerunt, nulla etiam mentione facta traditionis libri Evangeliorum. Dicere enim manus impositionē fuisse tantùm ritū accidentalem, est ludere in Scriptura, Patribus, & Conciliis: Qua enim veritate, taciti essentialibus Sacramenti ordinis, ritum tantùm accidentalem protulissent, nulla facta vel à longe insinuatione alicujus signi essentialis.



CONCLUSIO III.

Sed utraq; actio ad Materiā essentialē spectat.

UTraque igitur actio tam impositionis manus, quàm traditionis libri Evangeliorum pertinet ad materiam essentialem & adæquatam ordinationis Diaconi, etsi traditio libri Evangeliorum non fuerit semper isto individuo & singulari signo expressa.

Hæc Conclusio infertur ex superioribus: Cùm enim Scriptura, Patres, & Concilia antequa meminerint impositionis manus, tamquam signi principalioris, eaque adhuc primariò usurpetur in ordinatione Diaconi, non sine temeritate ab ordinationis Materia separaretur: Sicut nec ob auctoritatem Concil. Florent. & usum modernæ Ecclesiæ ipsa traditio Evangeliorum. In hoc ergo conciliandæ sunt diversæ auctorum sententiæ: Ut per impositionem manuum, tamquam partem Materiæ essentialem, conferatur gratia ad Sacra Ministeria, quæ in Sacrificio sancto, distributione Eucharistiæ & Sacri Calicis, Baptismi assistentia, & aliis suprà relatis præstabat Sacerdoti & ecclesiæ Diaconus: Per traditionem autem libri Evangeliorum gratia ad legendum, explicandum, imò in absentia Sacerdotis, vel de ejus mandato prædicandum Evangelium, imbuendos in fide & spirituali doctrina Catechumenos, & alia id genus, quæ Diaconis commissa erant. Vide quæ diximus suprà q. 1. in 2. & 5. Officio Diaconorum.

Et quidem manus impositionem ad essentialem Materiam ordinationis Diaconi pertinere ex ritibus ordinationis Diaconorum amplius declarari potest: Nam dum in impositione manus super unumquemque caput dixit Episcopus: *Accipe Spiritum ac robur*, &c. extensam manum dextram tenens, & velut se explicans, ac præfationem prosequens dicit: *Emitte in eos, quæsumus Domine, Spiritum sanctum, quo in opus Ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratia tua munere roborentur*: & alia prosequitur, quæ gratiam ad principalia Ministeria Diaconatus necessariam exponunt. Ac tandem, in vim hujus impositionis, illis ornamenta Diaconatus imponit; nimirum, stolam in latere sinistro ad dextram descendente, & Dalmaticam, tanquam jam ad Ministerium Altaris ac Sacrorum Mysteriorum ordinatis. Quæ omnia declarant ritum illum esse primarium, & Diaconatui essentialem, conformiter ad Scripturam, & Patres.

Sed nec alter ritus porrectionis libri Evangeliorum debet ab essentiali parte Materiæ secerni: Cùm etiam per Formam specificè significantem alterum officium *Evangelizandi* conferatur, quod est secundum & minùs principale. Ubi tamen per potestatem legendi Evangelium, non intelligitur tantùm recitatio sive cantus Evangelii in Missa, sed etiam & principaliùs ea omnia, quæ ad Diaconum circa Evangelii prædicationem pertinere docuimus suprà de 2. Officio q. 1.

N 4 DICES:

QUÆSTIO IV.

Quæ sint Peccata Diaconorum ex obligationibus sui Gradus & officii provenientia?

JUxta obligationes Diaconorum, expendenda sunt eorum Peccata. Ut igitur clarius patefiant, singulas obligationes, ex qualitatibus requisitis natas, expendemus persequentes Paragraphos.

§. 1.

De Peccatis Diaconorum contra Castitatem sive Pudicitiam.

Obligatio Castitatis 3. habet partes. CAstitatis obligatio tres partes habet 1. antecedit, & velut præparatoria est ad ordinationem Diaconi: Nimirum: Ut si Uxoratus fuerit, sit saltem Monogamus, id est, unius Uxoris Vir. Unde si Bigamus in Diaconum se ordinari permittat ante dispensationem legitimam, peccatum mortale, & irregularitatem novam ex delicto incurrit.

2. Pars ipsam ordinationem comitatur: Hoc enim ipso, quo aliquis ordinatur Diaconus, ex vi ordinationis in Diaconum (supposito quòd Diaconatui non esset, ut olim, Votum Castitatis annexum) Votum Castitatis emittere censetur, ac illius Voto perpetuè obligatus manet. Unde in ecclesia Latina: *Si qui antiquitus Conjugati ordinarentur*, ab usu Uxorum omnino separabantur, & castitati perpetuæ addicebantur, & Uxores Cœlibes remanebant, quæ hoc respectu Diaconissæ ab aliquibus vocabantur; quamvis aliud sit Diaconissarum genus, ut postea dicemus.

Ex hac obligatione nascitur, quòd omne peccatum mortale, cogitatione, verbo, & opere à Diacono post ordinationem contra Castitatem commissum, Sacrilegium sit: & hæc quidem circumstantia (utpote mutans speciem) confitenda & exprimenda est, si Confessarius Pœnitentem in qualitate Diaconi non norit.

Ratione iterum illius Voti & gradus: Scurrilitates, levitates, & insolentiæ nonnullæ in materia carnis à Diacono excitatæ, etsi fortè in se peccata mortalia non essent, ratione tamen ordinis, ob scandalum datum, mortalia fieri possunt. super quo attendere & invigilare tenetur. Unde & in Græco pro *Pudico* ponitur *σεμνὸς* quod significat, gravem, serium, modestum.

Pro tertia parte, qua Castitas respicit ministerium sacrum, eadem requiritur circumspectio in Diacono, quæ in Sacerdote, ut videlicet, carnali aliqua immunditia, pollutione &c. Diaconus ministrans, culpabiliter maculatus non fuerit. Huic doctrinæ proportionaliter applicari debent omnia, quæ de Immunditia corporali Sacerdotis diximus tom. 1. tract. 2. p. 3. tit 4. q. 2. Examine tertiæ Dispositionis: Quia Diaconus cùm ad Sacra ipsius sacrificii proximè accedat, immundus absque peccato accedere non potest, juxta illud Isaiæ 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini*. Isa. 52. 11. Unde præclare Concilium Turonense 1. c. 1. *Si universis* (ait) *fidelibus secundum Apostolorum doctrinam Castitas custodienda indicitur &c. Quanto magis Sacerdotes Dei ac Levita Divino mancipati Altario custodire debent, ut non solum cordis verum etiam corporis Puritatem servantes, pro plebe supplicaturi preces illorum ad divinum mereantur introire auditum. Quia secundum auctoritatem Apostoli, qui in carne sunt, Deo placere non possunt, vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Infra: *Cum ergo laico imperetur, ut possit orationi vacans, & Deum deprecans exaudiri: Quanto magis Sacerdotibus & Levitis, qui omni momento parati esse debent in omni Puritate & Munditia securi: ne aut Sacrificium offerre, aut baptizare (si id temporis necessitas poposcerit) cogantur imparati aut immundi.* Certe legimus Diacono ferente sacram Hierothecam, hoc est, Venerabilis Sacramenti Thecam, Ciborium sive Remonstrantiam ut dicimus, qui noctu pollutus fuerat, è manibus ipsius sublatam, & ab Angelis in aëre portatam fuisse usque ad Ecclesiam.

Et hæc quidem sententia nostra maximè concludit de Diaconis, qui Sacra illa contingunt, & iis maximè qui Sacrum Corpus & Sanguinem Domini antiquitùs dispensabant & distribuebant.

Turpe est hôc tempore, quòd in nonnullis Ecclesiis, sæcularium maximè, Diaconus vix Sacerdoti assistat in principalibus Mysteriis, sed illi sufficiat Evangelium canere.

§. 2.

De Peccatis Diaconorum quoad Sobrietatem

ETsi Sobrietas virtus universalis sit, omnes jure naturali obligans, nec Intemperantia aut ebrietas in Diacono mutet speciem peccati per se: Ex obligatione tamen Sobrietas singulari titulo Diacono imponitur: Quia Intemperantia, Temulentia, Ebrietas in Diacono non tantum turpitudinem auget, sed etiam peccatorum aliquorum causa existit.

Duplicia igitur peccata ex Intemperantia sive sobrietatis transgressione in Diacono oriuntur: Prima respiciunt Ministerium sive officium: Posteriora aliorum offensam & scandalum. *Duplicia peccata ex Intemperantia in Diacono oriuntur.*

Peccata quæ Ministerium spectant, & ex Intemperantia oriuntur, sunt: Indispositio, ineptitudo sive hebetudo mentis & corporis, irreverentia in Sacris Mysteriis, quæ contingit ex nimio potu nocturno, diurno ve, & comessationibus, quæ in primitiva Ecclesia Diaconos reddebant inhabiles ad assistendum Baptismo, ad prædicandum, ad catechizandum, ad serviendum viduis &c.

Pecca-

Peccata, quae respiciunt aliorum offensam, sunt, scandalum pusillorum, exempla mala: contemptus personarum Ecclesiasticarum, & id genus, quae causari solent ex Intemperantium & Ebriosorum lasciva vita.

Notandum verò est quod non tantùm Ebrietas Diacono prohibeatur, sed etiam omnis vini Intemperantia, quòd exprimitur hac phrasi, *non multo vino deditos*, quod non tantum ebrietatem, sed quemlibet Temperantiae excessum dicit.

§. 3.

De Peccatis Diaconorum defectu Scientiae debitae.

Scientiam debitam in ordine ad suum Ministerium & officium requiri in Diacono ex natura rei constat: Quomodo enim bene ministrabit, si ad suum ministerium necessaria ignoret? Debitam verò scientiam illius colligunt ex illis verbis Pauli: *Mysterium fidei habentes in conscientia pura*, Patres, Glossa interlinearis, & S. Thomas: *Habentes* (ait) *Mysterium fidei in conscientia pura, id est, scientes illud, quod in fide occultum est.* Latine Oecumenius, Theophylactus, & Haymo apud Salmeronem illud accipiunt pro scientia totius fidei, sive omnium dogmatum fidei: ita ut Diaconi teneantur illa scire, seu praeparata habere ad brevem & compendiariam aliorum instructionem.

Triplex Scientia Diacono competit. Dicendum igitur triplicem Scientiam competere Diacono, nimirum 1. Scientiam praecipuorum dogmatum fidei nostrae, ut possit & sibi ipsi satisfacere, & alios instruere. 2. Scientiam eorum, quae ad sua ministeria spectant: 3. Scientiam sanctarum ceremoniarum, quae ministerio Diaconorum ab ecclesia adjunctae sunt. Ex quibus unam pono Regulam Generalem.

Regula Generalis.

Nota.

Diaconus, qui culpabiliter ignorat dogmata fidei, & necessaria ad suum Ministerium, sive spectent ad Substantiam officii sui, sive ad principales ceremonias, quoties ministrat, peccat mortaliter.

Ratio est: Quia indignè, in re gravi, Sancta tractat, periculo proximo errorum & gravium defectuum se exponit

Dixi (*quoties ministrat*) si enim culpam lethalem fugere velit, à ministerio abstineat, necesse est, donec necessariam Scientiam habeat. Et hoc innuit Apostolus 1. ad Timoth. 3. dum ait: *Et hi autem probentur primùm; & sic ministrent*, &c. id est, non nisi probati in Scientia, moribus, & vita ministrare permittantur. Et haec quidem maximè necessaria initio ecclesiae fuisse, patet ex tantis & tam gravibus officiis & ministeriis, quae Diaconis commissa erant. *1. Tim. 3. 10.*

§. 4.

De Peccatis Diaconi ex impuritate Conscientiae.

Puritatem Conscientiae: sive ut à peccato saltem mortali sit Diaconus liber, dum officium Sacrum exercet, colligunt Patres ex verbis Apostoli: *Habentes mysterium fidei in Conscientia pura.* Etsi enim illud *Habentes Mysterium fidei* suprà exposuerimus de Scientia: Intelligunt tamen plurimi per *Mysterium fidei* non tantum dogmata fidei, sed singulariter etiam Eucharistiam, sive poculum Sanguinis, quod sigillatim *Mysterium fidei* à Paulo nuncupatum est, quia totius fidei nostrae compendium in Mysterio complectitur. Ita ut specialiter demandetur Diacono Conscientiae Puritas, quando Altari deservit, vel Mysterium illud distribuit. Unde sit *1. Tim. 3.*

Regula Generalis

Diaconus in mortali exercens actum ordinis sui peccat mortaliter.

Diaconus exercens actum ordinis sui in peccato mortali, peccat mortaliter.

Est sententia communis fundata in Apostolo. Vide quae aliàs à nobis sunt dicta suprà tit. 3. de Majoribus ordinibus q. 5. & tom. 1. tract. 2. tit. 5. q. 2 ubi expendimus: An teneatur Diaconus peccati mortalis sibi conscius ad actualem Confessionem antequàm ministret.

Dubium Incidentale.

An Diaconus peccet mortaliter exercens singulos actus ordinis sui?

Ratio dubitandi est 1 ob multitudinem actuum, qui Diacono inscribuntur: de quibus Magist. in 4. Sent. dist. 24. *Ad Diaconum* (ait) *pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quae aguntur in Sacramentis Christi, scilicet, in Baptismo, in Chrismate, in patena & calice, oblationes quoque inferre, & disponere in Altari: componere etiam mensam Domini, & vestire, crucem ferre, & praedicare Evangelium & Epistolam &c. Ad ipsum etiam pertinet officium precum, & recitatio Catechumenorum nominum: Ipse praemonet aures habere ad Dominum: Ipse donat pacem, & ipse annuntiat.* In quibus multa includuntur, quae postea Subdiacono & aliis sunt commissa: Nam, ut benè notat S. Thomas in Addit. 3. p. q. 38. art. 2. ad 2. *in primitiva ecclesia propter paucitatem ministrorum omnia inferiora Diaconibus committebantur &c. sed postea ampliatus est cultus Divinus, & ecclesia, quod implicitè habebat in uno ordine, explicitè tradidit in diversis.* Haec S. Thomas. *Magister* *S. Thom.*

Respondeo itaque: In actibus tantùm primariis & principalioribus; qui specialiter ex vi ordinis sunt commissi Diacono, contrahitur peccatum mortale, quando illos Diaconi in mortali exercent. Ratio est: Quia alii actus adjectitii sunt, & velut accessoriè Diaconis impositi, & ut plurimū ab aliis exerceri possunt.

Sunt igitur duo principales actus, nimi-

rum, Lectio solennis S. Evangelii in Missa, & immediatum Ministerium, quod circa Sacrificium & Sacramentum Corporis Christi exerceret Diaconus, cum Sacerdote offerendo etiam supposita manu, & alia, quae circa praecipua Missae Mysteria à Diacono exercentur, item: Distributio Corporis Christi & hujusmodi, ad quae cum specialis gratia conferatur per certas formas & adprecationes; dicendum est illa in statu peccati mortalis absque peccato mortali non posse exerceri. Caetera ut plurimum reputantur accessoria.

Appendix I.

De Vestibus Sacris Diaconorum.

De Diaconorum Vestibus sacris nihil speciale hic dicendum occurrit: Sunt autem Amictus, alba, Stola à laeva aut sinistra ad dexterum latus dependens: *Quia* (inquit Magister) *quidquid laboris & fastidientiae in hac vita toleratur, quasi in laeva portatur, donec in dextra, id est aeternitate requies habeatur*: Et Dalmatica, quam vocat Episcopus ordinans, *Indumentum salutis, vestimentum laetitiae, & Dalmaticam justitiae*: de quorum aliis significationibus particularibus vide Rationale Divinorum officiorum, & alios libros mysticos.

Hoc solum in praesenti Advertendum est, Diaconum in sacrificio & Sacramenti Eucharistiae Distributione, non posse sine istis vestibus scienter extra casum necessitatis urgentis, vel sine causa multum rationabili, quae necessitati aequipolleat, absque peccato mortali ministrare: Ratio est, Quia est materia gravis in Ministerio ordinis Sacri ab Ecclesia ordinata.

Appendix II.

De Diaconissis.

Duplices fuere Diaconissae: Aliae lectae ex uxoribus Diaconorum: aliae Viduae ad certa ministeria circa feminas à lione praeta deputatae.

De Diaconissis (de quibus variae mentiones in Epistolis S. Pauli, & Ecclesia Graeca) hoc tantum sciendum est. Duplices legi Diaconissas: Aliae quae uxores erant eorum, qui ad Diaconatum ordinabantur: Et ex tunc Coelibes, & in Continentia remanebant, quae ob contractum prius cum Diacono Matrimonium Diaconissae dictae sunt: Aliae fuerunt Diaconissae, quae ad certa ministeria circa feminas in Sacramentalibus, & aliis feminarum necessitatibus, aliqua prece vel benedictione deputabantur. Et hae ordinariè Viduae erant & Seniores, & sub nomine Viduarum ab Apostolo earum electiones, & deputationes & qualitates describuntur, ut 1. ad Timoth. 3. *Mulieres similiter pudicas* &c. ubi
1. Tim. 3. Chrysostomus Hom. 11. in principio: *Plerique* (inquit) *volunt Apostolum hoc de mulieribus simpliciter praecepisse: Verum aō ita est? Quid enim consequentia haberet inter ea, quae de Episcopis, atque Diaconis monuit, mulierum ullam facere mentionem? Sed de iis profectò ait, quae ministerii dignitate sunt praeditae.* Idem, Theophylactus, Oecumenius, S. Hieronymus & alii. De his etiam illa dispositio S. Pauli intelligenda est
1 ad Timoth. 5. *Viduas honora, quae verè viduae sunt* &c. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum* &c. cum qualitatibus ibi notatis: Quae quidem prius Votum Continentiae emiserant, & in Continentia probatae erant: ut ibidem S. Paulus innuit conquerens: Quòd *cùm in Christo luxuriatae fuerint*, interdum *volunt nubere*, quas dicit, *habere damnationem, quia primam fidem* (id est Votum) *irritam fecerunt*. 1. Tim. 5.

Quae fuerint illa Ministeria? Quae verò fuerint Ministeria istarum Viduarum seu Diaconissarum: Certum est primò nullum Sacrum Ministerium illis fuisse eis concessum: Unde S. Epiphanius in Haeresi Collyridianorum: *Ministrarum quidem Diaconissarum appellatarum* (ait) *Ordo est in Ecclesia, sed non ad sacrificandum, neque ut quidquam aggredi permittantur.* Ad quid ergo? *Verum* (inquit) *reverentiae gratia muliebris generis aut propter horam balnei, aut visitationis, afflictionis, aut laboris. Et quando nudatum fuerit corpus mulieris, ut non à Viris Sacrificantibus conspiciatur, sed à ministrante muliere, cui praecipitur à Sacerdote, ut curam gerat ad tempus, in tempore denudationis corporis ipsius.* Haec S. Epiphanius.

Ex quibus verbis colligitur Officium, sive Ministerium Diaconissarum, in hoc particulariter constitutum fuisse, ut in sacris actionibus ea circa mulieres agerent, quae nullatenus expediebat à viris fieri.

1. Cum ante Baptismum consuetum esset ut corpus baptizandae in balneo lavaretur & abstergeretur: In hac ceremonia assistebant & ministrabant mulieres Diaconissae.

2. In Baptismo Diaconissae pro necessitate Baptizandas, eas quae Baptizabantur mulieres denudabant, & honestè retegebant.

3. Dum Episcopus sive sacerdos oleo sancto, ut in Baptismo & Confirmatione fit, frontem inungerent, Diaconissae denudabant, & abstergebant. Quod similiter fiebat in extrema-Unctione, dum aliquae partes corporis denudandae erant.

4. Ad mulieres infirmas, & earum obsequia mittebantur. Quae omnia perstringuntur à S. Clemente l. 3. Constitutionum Apost. c. 15. circa finem, & ab Epiphanio Haeresi 79.

Et haec sufficiant solum ad intellectum scripturae & Historiarum Ecclesiasticarum. Diaconissarum enim in ecclesia Latina non fuit usus, & si fuit, statim ob alias rationes ab Ecclesia proscriptae sunt, ut habetur in Concilio Arausicanō sub Leone I. cap 26. & aliis. Quod verò S. Thomas refert de nonnullis Diaconissis, quibus permissum erat in Choro feminarum Evangelium legere, hoc magis de nomine accommodo & appropriato, ob similitudinem Diaconi interpretandum est, quàm de aliqua speciali institutione. Omnes sanè Moniales Choro deputatae Evangelii initium ante homiliam legunt. Sed de his plùs satis.

TITV-

TITVLVS VI.

De Statu Ordinis Presbyterij.

QVÆSTIO I.

Quid nomine Presbyterii *significetur?*

Nomen Presbyteri, Antiquum, vel Seniorem significat.

SI nominis Ethymologia attendenda est, certum est nomen *Presbyterie* ætatis potius differentiam insinuare, quam Dignitatem aliquam & præeminentiam; πρεσβύτερος enim Græce idem significat quod *Antiquum*, & πρεσβύτερος *Senem* sive *Seniorem* designat: Quia vero Dignitates & Eminentiores Statu in Rebus publicis Senioribus tamquam, cæteris paribus, dignioribus & sapientioribus solebant conferri: Hinc factum est, ut qui aliis præeminebant, *Presbyteri* vocati sint; maxime in Sacris. Hanc usurpationem vide in Scripturis passim. 1. Esdræ 6. & in lib. Judith c. 6. 8. 10. 13. 15. Eccli. cap. 4. 6. 7. 8. 25. Et apud Danielem c. 13. de duobus illis Senibus quos *Presbyteros* vocat. Unde S. Hieronymus l. 2. in Isaiam c. 3. *In scripturis sanctis* (inquit) Presbyteros *merito & sapientia eligi, non ætate.* Et *Senis* nomen per verbum *Presbyteri* à septuaginta Interpretibus explicari in veteri Testamento ibidem testatur, & ita præceptum fuisse Moysi Exodi 18. ut eligeret *Presbyteros* quos sciret esse *Presbyteros*, hoc est, *qui eo honore digni essent.* Ex qua Ethymologia factum est, ut nomen *Presbyteri* in Rebuspublicis appropriate interdum alicui Gradui, Dignitati vel Statui sit attributum.

CONCLUSIO I.

Initio ecclesiæ nomen Presbyteri cōmune fuit Episcopis & Sacerdotibus.

IN primitiva Ecclesia nomen Presbyteri *commune fuit Episcopis, & Sacerdotibus, qui populo præsidebant, & curam Evangelii prædicandi ac Sacramentorum habebant.*

Ita S. Hieronymus in Epistola de septem Gradibus ecclesiæ: *Sextus* (inquit) *Seniorum Ordo est, qui Sacerdotibus datur, qui* Presbyteri *dicuntur, quia præsunt Ecclesiæ Dei, & Christi Sacramenta conficiunt. Ii autem in benedictione cum Episcopis consortes Ministeriorum sunt, nec ulla in conficiendo Corpore & sanguine Christi inter eos & episcopos concedenda distantia est* &c.

Ex quo Hieronymi loco inferendum non est, Episcopatum non differre à Sacerdotio, sive eadem jure Divino posse competere Sacerdotibus, quæ & Episcopis: Sed, quia in initio ecclesiæ omnes fere, qui assumebantur ad Sacerdotium, seu qui ordinabantur Sacerdotes, etiam Episcopi ordinabantur propter necessitatem ecclesiæ, & paucitatem Ministrorum: Sive etiam, quia etsi nonnulli soluni essent Sacerdotio insigniti, assumebantur tamē ad ecclesiarum regimen & curam: Ideò *Presbyteri*, quasi SuperIntendentes plebi, cum *Episcopis* in nomine conveniebant; & *Episcopi* in nomine *Presbyteri* quia in Ministerio Presbyterorum omnibus officiis vacabant.

Re cōciliātur variæ Theol. opiniones.

Et ex his conciliandæ sunt variæ opiniones Theologorum, quibus illi tenuerunt eosdem fuisse in primitiva ecclesia Episcopos & Presbyteros: Alii omnino distinctos. Dicendum enim est pro prima Sententia forte ita fuisse à parte rei: non quia ordo Presbyteratus non distinguatur ab ordine Episcopatus; sed quia, qui ordinabantur Presbyteri, etiam Episcopi ordinabantur ob necessitatem Ecclesiæ, & paucitatem Ministrorum, ut sensit Waldensis in Doctrina fidei l. 2. art. 3. c. 6. & ante eum probat Amalarius de Eccl. Officiis l. 2. c. 13. ex S. Ambrosio & Hieronymo.

Pro 2. Opinione concilianda facit, quòd in primitiva ecclesia nominum communicatio inter Episcopos & Presbyteros esset, non ab ordinatione eadem, sed quia, excepta ordinatione, omnis potestatis plenitudo & regimen Presbyteris communicaretur, in quantum capaces essent, pro necessitate populi Christiani.

Nec ampliùs indicant verba S. Hieronymi suprà, cùm dicit: *Ii autem in benedictione cum Episcopis consortes sunt Ministeriorum, nec ulla in conficiendo Corpore & sanguine Christi inter eos & Episcopos concedenda distantia est.* Nota Hieronymum in Ministeriis tantùm communibus, & Consecratione Corporis & sanguinis Presbyteros Episcopis comparasse, non in aliis. His consonat S. Isidorus Hispalensis lib. 7. de officiis Divinis c. 7. *Qui* (inquit) Sacerdotes *vocabantur in veteri Testamento, nunc appellantur* Presbyteri *& qui nuncupabantur* Principes Sacerdotum, *modo* Episcopi *nominantur.* Presbyteri *autem interpretantur* Seniores, *quia* Seniores *ætate Græci* Presbyteros *vocant. His enim, sicut & Episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est: Præsunt enim Ecclesiæ Dei, & in Confectione Corporis & Sanguinis consortes sūt cum Episcopis: Similiter & in Doctrina populorum, & in officio Prædicandi: ac solùm propter auctoritatem Summo Sacerdoti Clericorum ordinatio & Consecratio reservata est, ne à multis disciplina Ecclesiæ vindicata concordiam solveret, scandalum generaret.* Hæc ille. In quibus verbis velim adnotare ordinationem Clericorum, saltem ad Presbyterium, reservatam jure Divino Episcopis, nec posse simplici Sacerdoti committi. Unde iterum S. Isidorus suprà c. 12. ponens distinctionem inter *Presbyteros & Episcopos: Ideò* (inquit) *Presbyteri & Sacerdotes vocantur, quia Sacra dant, sicut Episcopi, tamen Pontificatus apicem non habent, quia nec Chrismate frontem signant, nec Paraclitum Spiritum dant, quod solis deberi Episcopis, Lectio Actuum Apostolorum c. 8 demonstrat. Unde & apud veteres iidem Episcopi & Presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis est, non ætatis.* Act. 8. 17.

Ex quibus omnibus, redeo ad primam Sententiam: Nimirum. In principio nascentis ecclesiæ, dum in singulis civitatibus constituerentur Presbyteri, eosdem pro majori parte fuisse

etiam

etiam Episcopos consecratos. Et hanc esse rationem cur S. Paulus in Epistolis eos modò Presbyterorum, modò Episcoporum nomine appellet, quia utraque dignitas in eadem persona continebatur. Unde S. Hieronymus in Epistola 85. ad Evagrium, & habetur dist. 93. c. *legimus*: *Quaris* (inquit) *auctoritatem, audi Testimonium*. Paulus & Timotheus servi IESU Christi omnibus Sanctis in Christo IESU, qui sunt Philippis, cum episcopis & Diaconis: *Vis aliud exemplum: In actibus Apostolorum ad unius Ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur*: Attendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus sanctus vos posuit Episcopos, ut regeretis ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo. *Ac ne quis contentiosè in una ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium in quo manifestè comprobatur, eundem esse Episcopum & Presbyterum*. Propter hoc reliqui te Cretæ, ut quæ deerant corrigeres, & constitueres Presbyteros per civitates. Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim episcopum sine crimine esse &c. *Hæc ille*. In quibus verbis ostendit in civitatibus singulis ita singulos Sacerdotes sive Presbyteros constitutos fuisse, ut iidem ordinarentur episcopi. Unde & 1. ad Tim. 3. statim post qualitates episcoporum subinfert Diaconorum qualitates, nil agens de Presbyteris, quia uterque ordo episcopatus & Presbyteratus in eadem persona conveniebat. Favet his Clemens Romanus Epist. 1. ad Jacobum Fratrē Domini: *In singulis (ait) civitatibus singulos & non binos vel ternos aut plures episcopos constitui præcepit &c. Hoc tamen prævidendū instituit, ne si in villis aut castellis, vel modicis civitatibus instituerentur episcopi, vile nomen eorum fieret*.

Phil. 1. 1.

Act. 20. 28.

Titum. 1. 5.

1. Tim. 3. 8

Ex hoc iterum colligo Presbyteros præcipuarum civitatum fuisse consecratos episcopos; in villis autem & minoribus oppidis Presbyteros, qui episcopi non essent. Hæc latius deducti, quia deserviunt Scripturæ, & variæ lectioni Sanctorum Patrum.

CONCLUSIO II.

Multi plicatæ ecclesia nomen Presbyteri ad solos Sacerdotes restrictum est.

PUllulante & multiplicata infidelibus & locis ecclesia, ad vitandam confusionem nomen Presbyteri restrictum est, ut significaret Sacerdotem, Presbyteratus ordine insignitum, ut ab episcopo distinguitur. Ita usus toriuse ecclesiæ communis à tempore multiplicatæ per orbem ecclesiæ. Et in hac significatione ordo presbyteratus hic accipiendus est.

QVÆSTIO II.

Quid sit Presbyteratus?

CONCLUSIO.

Presbyteratus descriptio.

PResbyteratus ordo sic describi adæquatè potest: *Sacramentum, quo viro Baptizato ab Episcopo ordinante confertur Gratia & potestas ad conficiendum, & offerendum in vero Sacrificio Corpus & sanguinem Christi, & absolvendum fideles à peccatis*.

Dicitur (*sacramentum*) est enim genus definiti: Ordo enim Sacerdotalis inter septem novæ legis Sacramenta annumeratur.

Dicitur (*Viro Baptizato*) Cum enim Baptismus sit janua Sacramentorum, sicut cætera Sacramenta non possunt valide administrari non baptizatis, ita nec ordo. Dicitur autem (*Viro*) quia sexus fæmineus ordinis incapax est.

Dicitur (*Quo confertur Gratia*) In hoc enim convenit cum cæteris Sacramentis, quòd non tantum Gratiam justificantem, sed etiam Gratiam Sacramentalem, hoc est necessariam ad finem Sacramenti conferat.

Dicitur (*Potestas ad conficiendum &c. & absolvendum*) Hæc enim duplex Potestas in Corpus Christi verum & mysticum in ordinatione Presbyterorum confertur.

Dicitur (*Ab episcopo ordinante*) ordinatio enim Sacerdotalis ita est actus proprius ordinis episcopali, ut inferiori communicari nequeat.

QUÆSTIO III.

Quæ sit Materia & Forma ordinis Presbyteris?

Variæ auctorū sententiæ.

DE Materia ordinis Presbyterii variant Doctores. Et quidē 1. Sententia est, Materiam illius ordinis esse porrectionem patenæ cum pane consecrando, & calicis cum vino: Ita ut horum porrectione prolata hac Forma, quæ in Pontificali describitur: *Accipe Potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasq; celebrare tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini, Amen*, imprimatur Character, & Gratia confeatur. Fundatur hæc sententia in Conc. Flor. in Instructione Armenorum, ubi sic loquitur Eugen. Papa: *Sextum* (ait) *Sacramentū est ordo, cujus Materia est illud, per cujus traditionē cōfertur Ordo, sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem*. In quo locò nulla fit mentio manuum impositionis, aut alterius signi, quod pro Materia cōcurrat. Unde consequenter, qui hujus sententiæ sunt, impositionem manuum ritum accidentalē esse volunt. Pro qua sententia citatur Capreolus in 4. d. 24. q. 1. a. 2. ad 3. Joan. Major ibidem q. 2. Sotus, Gregorius de Valentia, Ruard. & alii.

2. Sententia idē sentit de porrectione panis & vini, ita tamen ut alterutrum sufficiat, si nimirum, vel panis solitariè, vel vinū porrigatur. Fundamentum videtur esse, quòd in Potestate transsubstantiandi panē in Corpus, contineatur virtute Potestas transsubstantiandi vinum in Sanguinem, & econtra; Quia sub utraque specie, post Consecrationem per concomitantiā totus Christus est. Citatur Henriquez, Bonacina, Homobonus, &c. Et S. Thomas, ac alii antiqui favere videntur, eò quòd loquentes de Materia Presbyterii, seorsim modò panis, modò vini faciant mentionem.

3. Sententia utrumque conjungit pro essentiali Materia: Nimirum: Porrectionem instrumentorum patenae scilicet cum pane, & calicis cum vino, nec non impositionem manuum, tanquam duas Materias partiales, ad essentiam Sacerdotii pertinentes. Fundamentum est: Quod cum Presbyteratum sive sacerdotium duplicem contineat Potestatem, scilicet in Corpus Christi verum, & mysticum, sic etiam duplicem habeat Materiam & Formam: Priorem quidem in porrectione panis super patenam, & vini in calice, cum Forma supra citata: posteriorem autem in manuum impositione, prolata Forma: *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt:* Quibus Potestas in corpus Christi mysticum confertur.

4. Sententia est S. Bonaventurae in 4. d. 24. p. 2. a. 1. qu. 4. Qui totam Materiam essentialem Presbyteratus constituit in impositione manuum: Porrectionem vero patenae cum pane, & calicis cum vino ab ecclesia posterius superadditam, tanquam signum expressius, & magis explicitum, & velut partem Materiae integralem. Rationes ejus in procinctu referemus. Ut autem certa ab incertis distinguamus, pono Conclusiones sequentes.

CONCLUSIO I.

Duae sunt Formae partiales Presbyteratus.

DUae sunt Formae partiales Sacerdotalem ordinationem perficientes. Prior: *Accipe Potestatem offerre Sacrificium Deo, Missasq; celebrare tam pro vivis, quam pro defunctis, In nomine Domini, Amen.* Posterior: *Accipe Spiritum sanctum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis retenta sunt.* Haec est doctrina & sensus communis ecclesiae, unde & in Pontificali Rom. referuntur.

Ratio verò harum duarum Formarum est: Quia cum in ordinatione Sacerdotis sive Presbyteri conferantur duae Potestates diversae; nimirum in Corpus Christi verum, & in mysticum; quarum posterior supponit primam, ideò diversis signis formalibus, pro

Luc.22.19 majori significatione & diverso tempore dari debuerunt; exemplo Christi, qui in ultima coena consecrans Sacerdotes illis Potestatem

Ioã.20.22 dedit in Corpus suum verũ dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem:* Post Resurrectionem verò in Corpus suum mysticum, dicendo: *Accipe Spiritum sanctum &c.*

CONCLUSIO II.

Impositio manuum spectat ad Materiã essentialẽ.

IMpositio manuum pertinet ad Materiam essentialem Ordinis Presbyteratus. Ita sanctus Bonaventura suprà & plurimi Doctores. Et ego salvo meliori judicio hanc Conclusionem puto esse de Fide.

Probatur verò 1. ex Scriptura, quae non tantum impositionem manuum exprimit; sed etiam per illam Gratiam & Presbyterarum conferri affirmat, tanquam per visibile signum 1. ad Tim. 4. *Noli negligere Gratiam, quae in te est, quae data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterii.* Ubi non 2.Tim.4.14.
sine fundamento per Prophetiam intelligitur Forma Sacramentalis, invisibilis Potestas dari significatur, sive quae consistit in Mysteriosis & quasi Propheticis verbis, quae impositionem manuũ ad Presbyterium determinant, & illius significationem explicant, ut distinguuntur ab aliis impositionibus, de quibus frequens est mentio in Scriptura. Rursus 2. ad 2.Tim.1.6
Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites Gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.*

Concordant antiqua omnia Concilia ante Stephanum Papam, quae solius semper impositionis manuum in ordinatione Presbyteri meminerunt. Specialiter Carthaginense 4. & Toletanum II. ut refertur cap. *Presbyter*, &c. *Quorundam Clericorum*, d. 23.

Apertissime hanc docet Conc. Trid. quod nullius materiae meminit, praeterquam impositionis manuum & singulariter affirmat per illã Presbyterum ordinari. Ita sess. 23. c. 3. *Cum* (inquit) *Scripturae testimonio, Apostolica traditione, & patrum unanimi consensu perspicuũ sit, per sacram ordinationem, quae verbis & signis exterioribus conficitur, Gratiã conferri dubitare nemo debet or.. inem esse verè & propriè unum ex septem sanctae ecclesiae Sacramentis.* Dum autẽ exprimit signum visibile, sive externum & Sacramentale, nullum aliud adfert praeter manuum impositionem: Sic enim prosequitur: *Inquit enim Apostolus: Admoneo te, ut resuscites Gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum.* Ex quibus verbis Concilium probat & in ordinatione Gratiam conferri; & conferri per impositionem manuum Episcopi. Clarissime sess. 14. c. 3. de ministro Extremae Unctionis loquens definit: *Ministrum hujus Sacramenti* (scilicet Extremae Unctionis) *solum esse Sacerdotem, ab Episcopo per impositionem manuum Presbyterii rite ordinatum.* Quo nihil clarius exprimi potest ad assignandam Materiam ordinationis Sacerdotalis: Nimirum: Impositionem manuum Presbyterii, id est, qua ordinatur Presbyter, ut ab aliis impositionibus discernatur. Et de hac loquuntur passim omnes antiqui Patres ecclesiae, qui nullius omnino alterius Materiae meminerunt; quàm manuum impositionis.

CONCLUSIO. III.

Illa sola diu in ecclesia Sacerdotes consecrati sunt.

SOla manuum impositione, absque porrectione patenae cum pane, & calicis cum vino multo tempore in ecclesia Sacerdotes consecrati sunt.

Hanc Conclusionem docet S. Bonavent. in 4 d. 24. a. 1. q. 4. in Corpore Responsionis ad argumenta, specialiter ad 3. Ubi docet, in primitiva ecclesia ordinationem in duobus ordinibus Majoribus, Presbyterio scilicet & Diaconatu, factam per impositionẽ manuũ. Et in hoc discernit ordines Majores à Minoribus, quod Majores impositione manuum, Minores verò porre-

porrectione instrumentorum conferrentur. Cujus rei rationem adferens: *Quoniam* (inquit) *Characteres sunt diversi, habentes majorem dignitatem, vel minorem secundum gradus potestatem, ideo tam signa quam verba diversificantur, maximè in Ordinibus sacris & in Minoribus: In Ordinibus enim sacris quoniam datur ibi nobilis & excellens potestas fit manus impositio, non tantum instrumenti traditio, quoniam manus est organum organorum, in quo scilicet principalius residet potestas operandi.* Prosequitur: *Unde sic ordinabant in primitiva Ecclesia, ubi non nisi duo isti Ordines expliciti erant. Sed in Minoribus fit traditio alicujus instrumenti, ut clavis, libri, vel exorcismi.*

Et hanc Conclusionem confirmant Scriptores, qui ante Stephanum Papam usum porrectionis dictorum instrumentorum sive vasculorum negant in Ecclesia fuisse. Inter quos est curiosissimus pariter & sapientissimus Ordinationum antiquarum indagator Franciscus Hallier in tractatu de sacris Electionibus & Ordinationibus tr. de materia & forma ordinationis p. 2 c. 2. a. 1. §. 14. Qui etiam ostendit & probat Ecclesiam Graecam in hanc usque horam non alia materia uti in ordinatione Presbyteri, quàm impositione manuum, cum hac forma, vel simili: *Divina gratia creat talem Presbyterum.*

CONCLUSIO IV.

Antiquitus usus fuit dupliciti impositionis manuum.

Antiquitus in primitiva Ecclesia Latina fuit usus utriusq; impositionis manuum tam prioris cùm Episcopo imponente manus omnes Sacerdotes praesentes imponunt, ut in Pontificali ponitur: quàm posterioris cùm solus Episcopus imponit, quae fit post communionem. Et quidem in priori pronuntiabatur Forma, qua potestas datur in Corpus Christi verum: in posteriori, qua datur potestas in Corpus Christi mysticum, nimirum, absolvendi a peccatis.

Colligitur haec Conclusio 1. ex S. Ambrosio in 1. ad Tim. 4. ubi prioris impositionis manuum faciens mentionem, sic loquitur: *Prophetia est, qua eligitur quasi Doctor futurus idoneus: Manus verò impositiones verba sunt mystica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipiens auctoritatem teste conscientia sua, ut audeat vice Domini Sacrificium offerre.*

In quibus verbis notandum primò, quod loquatur in plurali impositiones manuũ, quia plures imponebant, prout in priori impositione fit, 2. loquitur de sola potestate offerendi Sacrificium, quae est potestas in Christi Corpus verum, quae in priori manuum impositione conferebatur.

Confirmat 2. hanc conclusionem Conciliũ Carth. 4. cùm ritum consecrandi Sacerdotem refert his verbis: *Presbyter cùm ordinatur Episcopo cum benedicente, & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui praesentes sunt manus suas juxta manum Episcopi super caput ejus teneant.* In quibus iterum constat, quod de priori manuum impositione Concilium loquatur. 2. Indicatur aliquã formã verborum Episcoporum in illa usum fuisse, cùm ait: *Benedicente cum Episcopo*, hoc est, verba formae proferente.

3. Hanc Conclusionem indicant vetus Ordo Romanus tit. de Ordinibus Presb. Stephanus Eduensis, Ivo Carnotensis, Hugo à S. Victore, citati a Francisco Hallier supra, qui de hac impositione manuum loquuntur conformiter ad praedicta.

CONCLUSIO V.

Porrectio patena cũ vino & c. successu temporis praecepta est.

Porrectio patena cum pane, & calicis cum vino ab ecclesia instituta & praecepta est successu temporum ad expressiorem significationem quamvis tamen dictarum porrectionum significatio implicitè in priori signo impositionis manuum continebatur.

Ita S. Bonaventura suprà citatus in Resp ad 3 his verbis: *Ad illud* (inquit) *quod colligitur de libri* (scilicet pro Diaconatu) *& vasis* (id est calicis & patenae pro sacerdotio) *traditione dicendum: Quod sicut omne instrumentum sive armatura in virtute manus est, sic etiam per impositionem manuum, ubi deessent talia, possent signari: Unde, sicut post videbitur in impositione manuum in primitiva ecclesia caetera omnes implicabantur qui postmodum processu temporis explicati sunt & quantum ad verbum, & quantum ad signum, & quantum ad personas.* In quibus verbis duo declarat S. Bonav. Primum: In impositione manus, caetera signa implicitè in primitiva ecclesia implicita seu contenta fuisse. Secundum: Ubi talia deessent signa in virtute impositionis manuum sufficienter signari potuisse.

CONCLUSIO VI.

Non est materia essentialis.

Porrectio patena cum pane, & calicis cum vino non est materia essentialis Ordinationis Sacerdotalis, sed tantum pars integralis, significationis expressioris gratia superaddita. Haec Conclusio patet ex superioribus Conclusionibus, ex quibus necessario deducitur.

Probatur verò 1. sacramentum Ordinationis sacerdotalis non potest absq; sua essentiali materia subsistere: Sed Sacramentum Ordinationis sacerdotalis absque porrectione patenae cum pane, & calicis cum vino subsistit a tempore primitivae Ecclesiae, usq; ad tempora Stephani Papae, imò & in ecclesia Graeca usq modò subsistit: Ergo porrectio hujusmodi &c. non est de essentia materia ordinationis sacerdotalis: Minorem probamus Conclusione 2. 3. & 4. nec opus est ulteriori discursu. Quod enim clamat Tannerus incertum esse de Ecclesia Graeca, illi responderi debet: Vade & vide: Credendum enim est Scriptoribus, qui Graecorum ritus scrutati sunt. Sufficit porrò nobis, quod usq; ad Stephanum Papam nec Scriptura nec traditione, nec ullius relatione aliqua mentio positiva istius porrectionis patenae & calicis sit facta, sed semper sola impositio manuum cum verbis proponatur: Quinimò nec postremum Concilium Trid. aliquam porrectionis hujus-

...ibus panis & vini sacerdotes ordinarentur. Verum placida fictio est: Advertere enim debuit, quod de sola communione, sive distributione Sacramenti Eucharistici, per quam certum est Sacerdotes non ordinari, Concilium egerit, etsi velut per transennam insinuaverit *tunc*, id est, in ista ultima Cœna, in qua communicaverunt Apostoli, eos fuisse Sacerdotes consecratos, non tamen per istam traditionem Corporis & Sanguinis Christi, quæ fiebat, ut sumerent, non ut Sacerdotes consecrarentur. Rursus verba subsequentia, (*Et iisdem, eorumq; in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit.*) Non tam Sacerdotum Ordinationem, quàm (supposita Sacerdotis Ordinatione & potestatis collatione,) mandatum expressum de sacrificio offerendo, imo & Sacramento distribuendo sub speciebus panis & vini continent & declarant. ut Concilium expresse affirmat: *ut* (inquit) *offerrent præcepit*: Nec canon 2. contradicit Decreto Concilii, vel aliquid plus urget: (Si quis dixerit) illo enim Christum instituisse Apostolos per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, Sacerdotes & ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum, quod utrumque tamen sub disjunctiva *aut* proponit Canon Concilii credendum:) Quid Concilium circa porrectionem patenæ cum pane & calicis cum vino ad Ordinationem Sacerdotis ibi conclusit? Aut quid directe vel indirecte de ea dixit? Somniavit sane Tannerus, & somnia sua finxit quibus Seraphico Doctori & antiquis Theologis illuderet.

Quod ut iterum sub compendio repetam: Tria in cap. 1. sess. 22. Concilium decernit. 1. Christum corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulisse. 2. Sub earundem rerum symbolis Apostolis (quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat) ut sumerent, tradidisse. 3. Eisdem Apostolis, eorumque in Sacerdotio Successoribus, ut offerrent, præcepisse per hæc verba: *Hoc facite in meam Commemorationem: Uti* (inquit) *semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.* Ex quibus verbis nihil de porrectione patenæ cum pane, vel calicis cum vino in ordinatione Sacerdotis vel à longe ne ictis insinuavit Concilium. Nec canon 2. aliquid de hac re vel minimum tetigit: quippe qui solum anathemate ferit dicentes Christum his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem.* Apostolos Sacerdotes non instituisse: Aut saltem non ordinasse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum. An vero porrectio patenæ cum pane, & calicis cum vino sit materia ordinationis, concilii Decretis est parergon, & impertinens Tanneri figmentum. Si enim Ecclesia aliquid circa ordinationem Sacerdotum ibidem definivisset, id maximè Formam ordinationis tangeret, quasi in his verbis Christi consisteret, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod tamen nec fecit, sed solum fundamentalem institutionem Apostolorum in Sacerdotes illis verbis factam attigit, & mandatum sacrificandi ipsis & eorum successoribus iisdem verbis datum asseruit: Quod tota Ecclesia confitetur.

Non igitur ò Tannere Doctoris Seraphici sententia est falsa, improbabilis & erronea; sed tua est ficta, improbata & Concilio Tridentino injuriosa.

Prudentiùs fecisset Tannerus, si utramque materiam simul conjunxisset, ut jam conjunxit Ecclesia, & superadditam porrectionem panis & vini in patena & calice, ex facto Christi per congruentiam quandam Ecclesiam deduxisse docuisset: Non quasi Christus hac porrectione los in cōsecratione Sacerdotū usus fuisset, (qui per potestatē excellentiæ quo voluit modo illos consecravit) sed quasi suo facto, materiam scilicet Sacrificii & Sacramenti Eucharistici instituens, indicasset, potuisse convenienter eandem assumi ad expressiorem significationem in ordinatione Sacerdotis, quæ ad eundem finem refertur, prout & cum suo tempore assumpsit Mater Ecclesia: Et hoc quidem piam considerationem habet, non firmam conclusionem.

Corollarium I.

Velut Doctrina superioris Synopsis.

Ex dictis infero 1. utramque impositionem manuum, tam priorem, qua imponentibus cum Episcopo Sacerdotibus manus, confertur potestas ad consecrandum & offerendum corpus & sanguinem Christi; quam posteriorem quæ fit ad finem Ordinationis ab Episcopo solo, & qua confertur potestas absolvendi, fuisse à principio, & esse in hunc diem materiam veram & essentialem Consecrationis sive ordinationis Presbyteri; de qua S. Paulus & Patres ac Concilia passim. Vide conclusionem 2. 3. & 4. *Utraque impositio manuum est materia essentialis.*

Infero 2. utramq; materiam sive impositionem manuum habuisse formam sacramentalem sibi assignatam & adjunctam: Priorem quidē: *Accipe potestatem offerre Sacrificium Deo &c.* Posteriorem autem: *Accipite Spiritum sanctum &c.* Vide conl. 4.

Infero 3. additam ritè & absq; dubio ductu Spiritus S. per ecclesiam porrectionem patenæ cum pane, & calicis cum vino ad expressiorem significationem, tanquam complementum prioris signi, quod præcedit in impositione prima manuum: ideoq; Ecclesia ordinavit ut pronuntiatio formæ, quæ fiebat antè in impositione manuum, fieret in ultimo signi materialis complemento in porrectione calicis & patenæ, prout modo fit. Ratio fuit: Ut nimirum hæc porrectio intelligeretur pertinere ad materiam, saltem ut pars integralis, quæ signum in ratione signi perficeret, & velut expressiori significato compleret, prout per formam determinatur.

Non ut Materia essentialis sed tantum integralis.

Infero 4. Ecclesiam non superaddidisse porrectionem panis & vini, sivæ patenæ & calicis, tanquam Materiam essentialem, sed tantum integralem. Ratio est: Quia inde sequeretur Ordinationem Sacerdotis in primitiva Ecclesia, & multo tempore post caruisse parte essentiali suæ Materiæ, & consequenter invalidam fuisse, nisi aliqua suprema Dei auctoritate dispensatum fuisset (ut de Unctione Chrismatis in Confirmatione asserunt nonnulli ob carentiam vel penuriam balsami:) Non potest autem hic fingi ulla ratio hujus dispensationis tam diuturnæ: Cum omni omnino tempore, ab incunabulis Ecclesiæ, non possit dici defuisse panem & vinum, nec consequenter vasa sacra, in quibus illa offeruntur, nimirum patenam & calicem: Cur ergo si porrectio illa essentialis Materia erat à Christo instituta, à tempore Christi non fuit usus istius Materiæ per porrectionem ab Episcopo ordinante faciendam, cum in præsenti semper obvia essent. Imo Ecclesia suo silentio confitetur hanc porrectionem non esse essentialem, quia cum modernis Græcis dissimulat, nec eorum sacerdotes per impositionem solam manuum rite ordinatos, quando ad Ecclesiæ obedientiam redeunt, reordinari mandat. Et Concil. Trid. pro Ordinatione Sacerdotis solius impositionis manuum meminit, tacitè insinuans, Materiam porrectionis patenæ cum pane, & calicis cum vino a Concil. Flor. sive potius ab Eugenio IV. in instructione Armenorum post Concilium, fuisse tantum integralem partem, ex præcepto tamen Ecclesiæ Latinæ ad expressiorem significationem, ut sæpè dictum, appositam. Eugenius enim volens ecclesiam Græcam Armenorum solidioribus vinculis reunire Latinæ, proposuit ea symbola, in quibus Ecclesia Latina à Græca dissidebat, ut eisdem symbolis uterentur, & simul adunarentur, sive essentialia essent, sive integralia, & ad integralem perfectionem pertinentia.

Illam omittere est mortale & si simul omittatur Forma, articulus invalida est ordinatio.

Infero 5. Non posse omitti porrectionem patenæ cum pane, vel calicis cum vino, vel utriumque absque peccato mortali: Et quia Forma partialis ordinationis in hac porrectione pronuntiatur, si dicta Formæ pronuntiatio simul omittatur, nullam & invalidam reddi ordinationem. Prior pars patet: Quia omittere partem integralem Materiæ infert Sacramento magnam irreverentiam & injuriam in re gravi ipsum Sacramentum concernente. Posterioris autem Ratio est: Quia potestas in ordine ad Corpus Christi verum datur virtute Formæ conjunctæ cum Materia saltem præcedenti, quæ est impositio manuum: Unde si Forma illa omittatur, ordinatio in essentiali deficit, & consequenter nulla est.

Petes. Quomodo Forma illa, quæ in impositione manuum proferebatur, potest ita diu differri usque ad porrectionem patenæ & calicis, cum inter illa multæ preces, orationes, ceremoniæ unctionis & alia intercedant; ita ut moraliter cum impositione manuum conjungi non posse videatur. Respondeo nihilominus optime conjungi, quia quæ interjiciuntur ad eandem actionem pertinent, tam orationes, quàm ceremoniæ & unctio manuum specialiter, quæ ad Consecrationem refertur: Unde omnia per modum complexi moralis idem intendentis complentur in porrectione vasorum, & finiri intelliguntur pronuntiatione Formæ partialis hujus ordinationis; quæ potestatem exprimit per totum complexum intentam.

COROLLARIUM II.

Seu Resolutio quorundam Casuum practicorum huc pertinentium?

EX dictis iterum resolvuntur duo casus mihi aliquando propositi, ob personarum, quos contingebant: perplexitatem: Quatuor Religiosi, inter quos Titius, ab Episcopo eodem tempore sunt ordinati Sacerdotes: Post ordinationem inventum in porrectione calicis vacuum fuisse calicem, sive defuisse vinum: Titius post aliquod tempus super hoc reflectens turbatus est maximis scrupulis: Quærebat: An ordinatio fuisset valida; An nulla & reiteranda?

Non est reordinandus, qui ordinatus fuit cum calice vacuo.

Respondi: Non obstantibus pluribus responsionibus Doctorum in contrarium, qui talem sub conditione reiterandam ordinationem judicabant, vel ut nullam, vel saltem dubiam. Respondi inquam: Ordinationem simpliciter fuisse validam, nec absolutè, aut sub conditione repetendam. Ratio fundamentalis fuit: Quia ex S. Bonaventura & aliis, porrectio calicis cum vino, sicut & patenæ cum pane, pars Materiæ integralis est, quæ ad essentiam non pertinet per se: modò tamen Forma pronuntiata fuerit: Quæ autem tantum ad integritatem & expressiorem significationem spectant, etsi sine culpa omitti non possint, ordinationem tamen & Sacramentum non invalidant: Et plura addidi, quæ certam & securam hanc sententiam reddunt, ita ut dubium practicum in hoc casu generari nequeat. Si Deus dederit ut resolutiones, quas in casibus perplexis aliquando dedi, lucem videant, hæc latissime deducta prodibit: Modo, quæ suprà dicta sunt, sufficienter hanc responsionem probant.

Alter casus erat: Joannes Sacerdos consecrandus accedens ad Episcopum, Patenam & calicem porrigentem, sive turbatus, sive aliunde, non tetigit nuda manu patenam, sive calicem, sed digitos Episcopi, & mediante manica albæ Calicem. Quærebatur: An valida esset ordinatio? An Iteranda;

Itē. Qui nō tetigit immediatè patenā & calicē.

Respondi: Validam esse, nec repetendam: Quia etsi porrectio præcipiatur, de qualitate tamen contactus nihil ab ecclesia decretum est: Unde moralis contactus, qui acceptionem quandam significat, in hac re moralis sufficere censendus est. Præterquam quòd,

quòd, ut docui, porrectio patenæ & calicis ad essentiam non pertineat, modo tamen, ut jam sæpè inculcatum est, non omittatur Forma verborum, quæ Materiam determinat.

QUÆSTIO IV.

Quanta sit Dignitas ordinis Presbyterii?

Dignitatem Sacerdotii Christiani prolixiori & aptiori Tractatu explicaverunt S. Ambrosius l. de dignitate Sacerdotali inter Latinos: Inter Græcos verò S. Chrysostomus Libris 6. de Sacerdotio inscriptis; ad quorum eminentes laudes caligat oculus noster. Quod modò intendo, est aliquot Dignitatis hujus præcipua capita proponere, super quibus obligationes Sacerdotum fundatur, & ex quibus, tanquam ad lucernam solis etiam atomi, defectus dignoscuntur.

CONCLUSIO.

Sacerdotii dignitas unde sumatur. EX *quatuor potissimùm capitibus Sacerdotii Christiani Dignitas & magnitudo æstimanda est.* 1. *A Sacerdotii Auctore.* 2. *A Persona, cujus vicariam potestatem gerunt Sacerdotes.* 3. *A Potestate & Ministerii s, in ordine ad sacrificium.* 4. *A Potestate & Ministeriis in ordine ad Populum Dei*: quæ omnia sic declarantur.

1. *A Sacerdotii Auctore*: Qui fuit Christus Dominus, Filius Dei, Verbum Incarnatum: De quo Sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, ejusque Sacerdote, ac Auctore Christo Apostolus ad Hebr. c. 5. 7. & seqq. latissimè: Cujus Dignitatem etiam *Heb. 5. 10. Vers. 11.* explicare volens, cum dixisset de Christo, quia *Appellatus à Deo Pontifex juxta Ordinem Melchisedech esset*, subdit: *De quo nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum*: q. d. Dignitas hujus Sacerdotii est inexplicabilis sermone, & inintelligibilis propter eminentiam suam.

Christum verò hoc Sacerdotium instituisse in ultima cœna, cùm Corpus suum & Sanguinem sub specie panis & vini consecravit, & Patri æterno offerens Apostolos Sacerdotes consecravit, Fidei nostræ articulus est quem probare non est hujus loci. Vide Conc. Trident. sess. 22. cap. 1. & can. 2. Item *S. Fulgent.* sess. 23. cap. 1. Cui consonat S. Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 19. *Firmissimè tene & nullatenus dubites, ipsum unigenitum Dei, verbum carnem factum, se pro nobis obtulisse Sacrificium, & hostiam Deo in odorem suavitatis &c. Cui nunc, id est, tempore novi Testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est una divinitas, Sacrificium panis & vini in fide & charitate sancta ecclesia Catholica per universum orbem terræ offerre non cessat.*

Quantum vero hæc Institutio Sacerdoti Dignitatis præstet, expendit sanctus Dionysius Areopagita l. Eccl. Hier. c. 1. *Ut enim* (inquit) *qui Sacerdotium dixit, Sacrorum Ordinum uno vocabulo signavit Ordinem: sic qui Sacerdotem seu Pontificem dicit, augustiorem prorsusq; divinum insinuat virum, totius sacræ scientiæ peritissimum, in quo liquidò ac perspicuè sacratus omnis ordo suis & perfectius sit & possit agnosci.* Et ab origine Dignitatem hanc æstimans, subdit: *Hujus profectò sacra functionis initium est fons vitæ, bonitatis essentia, unica rerum omnium causa Beatissima Trinitas, ex qua sola bonitatis causa, quæ sunt omnia, ut & essent, & benè essent acceperunt, &c.* Hæc Dionysius. *S. Dionys.*

Ex quo constat æstimationem Dignitatis Sacerdotalis ex origine ipsius sumi debere; quod à Deo & Sanctissima Trinitate, totius bonitatis & vitæ fonte, & Christo Deo homine procedat. Lege S. Ambrosium l. 4. de Sacramentis c. 4. nec non S. Cyprianum l. 2. Epistolarum, Epistola ad Cæcilium.

2. Æstimanda est Sacerdotalis Dignitas *ex vicaria, quam Sacerdos subit, Dignitate.* In hoc enim Sacerdotio, Presbyter Christi Domini Sacerdotis æterni successor non est; sed Vicarius, ejus Personam ministerialiter gerens, imo actione & verbis ipsis Christi Sacrificium perficiens. Vide S. Ambros. supra Unde & Paulus distinguens Sacerdotium Aaronicum à Sacerdotio Christi ad Hebr. 7. *Heb. 7. 23.* *Et alii* (inquit) *plures facti sunt Sacerdotes, idcircò quod morte prohiberentur permanere: Hic autem* (scilicet Christus) *eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium: Unde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum &c.* Alludit ad verba Psalm. 109. *Juravit Dominus & non* *Psal. 109. 4* *pœnitebit eum, Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: Quæ probat Apostolus intelligi de Christo Sacerdote perpetuo, cui, sicut nec Melchisedech nullus successit, nisi in Ministerio Vicarius seu vices gerente. In Sacrificio itaque incruento Christus sacerdos perpetuus est, quia seipsum cum sacerdote & per sacerdotem offert: Sacerdos autem secundùm ordinem Melchisedech, quia ipse in sacrificio sub speciebus panis vini mysticè consecratur, immutatur, offertur, consumitur. Unde sanctus Chrysostomus Homil. 60. in Matthæum: *Non sunt* (inquit) *humanæ virtutis* *S. Chrysost.* *opera hæc, quæ proponuntur: Qui tunc ipsa fecit in illa Cœna, idem ea nunc quoque facit: Nos ministrorum tenemus locum; qui verò sanctificat ea, & immutat ipse est.* Infra: *Hæc est illa mensa, & minus nihil habet: Non enim illam quidem Christus, hanc homo perfecit, verùm & hanc ipse quoque.* Iterum apertissimè: *Verùm* (inquit) *& tu Laice: Cùm Sacerdotem videris offerentem, ne ut Sacerdotem esse putes hoc facientem, sed Christi manum invisibiliter extensam.* Hæc Chrysostomus.

3. Dignitas Sacerdotalis supremam habet æstimationem à *Potestate & Ministerio primo, quod est conficere, offerre, & distribuere*

bus est tellibus Corpus & Sanguinē Christi: Quod utique merito exclamat S. Augustinus l. de
S. August. eccl. dogm. *O Sacerdos Dei, si altitudinem cæli contemplemur, altior es: Si pulchritudinem Solis, Lunæ & Stellarum pulchrior es: Si discretionem Angelorum, discretior es: Si omnium Dominorū sublimitatem sublimior es, solo Creatore inferior es.* Et S. Gregorius Nazianzenus epistola ad episcopos. *O Sacerdotes Dei incruenta Sacrifi-*
Greg. Naz. *cia mittentes! O Illustriores Animarum Custodes! O magni Dei figmentum in manibus vestris gestantes! O Deum hominibus conciliantes! O mundi fundamenta, vitæ lumina Christianæ Fidei columna, immortalis vitæ Doctores, Christiferi &c.* Plura vide apud sanctum Chrysostomum de Sacerdotio l. 6. ubi & illud. *Sacerdotis animum solaribus radiis puriorem esse oportet, ut dicere illi liceat:* Vivo ego jam non ego, vivit vero in me Christus. Et libr. 3. *Sacerdotium* (inquit) *in terra quidem peragitur, sed inter rerum cælestium classem ordineque referendum est atque id per quam merito quippe non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, sed Deus ipse Ordinem hujusmodi disposuit, qui mortalibus omnibus etiam nunc in carne manentibus auctor fuit, ut Angelorum ministerium animo conciperent. Idcirco necesse est Sacerdotem sic esse purum, ut si in ipsis cælis collocatus, inter cælestes illas virtutes medius staret.*

4. Sacerdotalis Dignitatis eminentia sumitur ex Potestate *secunda solvendi & retinendi peccata.* Sunt sane circa hanc Patres toti admirabundi, toti adgratulabundi: Unde S. Chrysost. l. 3. de Sacerdotio loquens de sacerdotibus, illos præfert Angelis & Archangelis: *Qui terram* (inquit) *incolunt, atque in ea versantur, iis commissum est, ut ea quæ in cælis sunt, dispen-*
Matt. 16. 16. *sent. iis datum est, ut Potestatem habeant, quam Deus optimus, neque Angelis, neque Archangelis, datam esse voluit. Neque enim ad illos dictum est:* Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis. Quam Potestatem amplius declarans eodem libro, præfert Potestati Regum & Principum, qui solum Potestatem in corpora habent: Sacerdotum verò Potestas etiam *animam contingit, atque ad cælos usque pervadit, usque adeò, ut quæcumque Sacerdotes infernè confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat &c.* Subdit: *Quænam obsecro Potestas hac una Major esse queat? Pater omnifariam potestatem filio dedit. Cæterum video ipsam eandem omnifariam Potestatem a Deo Filio Sacerdotibus traditam.* Hæc Chrysostomus, qui & alia eodem libro fuse prosequitur: Et Patres hujusmodi realibus considerationibus sunt pleni.

***

QVÆSTIO V.

Quæ sint Obligationes, & Peccata Sacerdotum, in quantum Sacerdotes sunt?

CONCLUSIO.

Obligationes & Peccata Sacerdotum, quatenus sunt Sacerdotes, ex Titulis Dignitatis eorum deduci possunt & debent. *Obligationes Sacerdotum ex Titulis Dignitatis eorum sunt deducenda.*

Et 1. Cum Sacerdotium sit à *Christo Auctore* patet: Quanta humilitate & circumspectione debeat suscipi, quanta sapientia, & Mysteriorum scientia administrari, quanta solicitudine curari: Hinc sunt sine dubio gravissima peccata indigne ordinem Sacerdotii suscipientium; graviora illud absque debito studio & scientia Mysteriorum Dei administrantium, nec minora eorum, qui ad Sacrum Altare, ut scurræ & histriones ad theatrum accedunt.

2. *Ex Persona Christi quam referunt* similiter colligitur: Quam sanctitatem sibi conciliare debeant, & quibus virtutibus præfulgere, & aliis præire, & cōsequenter quàm graviter peccent Sacerdotes luxui, ebrietati, mensis, lusibus, & sæcularibus negotiis vacantes.

3. *Ex Potestate in Christi Corpus verum* deducitur: Qua Christallina & Angelica puritate nitere debeant, qui sanctum Christi Corpus & Sanguinem conficiunt, afferunt, suscipiunt, contrectant, aliis administrant & distribuunt. Econtra quibus peccatis se polluant, qui conscientia vel etiam corpore polluto ad Altare accedunt: Qui sine reverentia, sine Mysteriorum scientia ignari, dormitabundi, & idiotæ ad sacram Mensam velut ad communes mensas, imò deterius quam ad communes mensas accedunt, sordido Altari, sordido corpore, sordidis vestibus sacris & aliis ornamentis.

4. *Ex Potestate in Corpus Christi Mysticum*, specialiter in administratione Sacramenti Pœnitentiæ infertur: Quanta maturitate, sapientia & instructione debeat accedere ad ista Tribunalia. Econtra quanta peccata committant, dum non tantum seipsos, sed Pœnitentes & ad illos recurrentes in extremum barathrum detrudunt.

De his omnibus nil in hoc loco specifico, quia omnia in prioribus tomis distincte pertractata sunt. Et quidem pro tribus primis obligationibus, & obligationum transgressionibus, Candidum Lectorem remitto ad tom. 2. tract. 2. partis 2. per universos titulos specialiter tit. 4. de Sacrificio Missæ, in quo omnia huc spectantia ad amussim sunt pertractata. Quoad quartam videndus est totus tom. 1. specialiter tract. 2. per titulos septem digestus. Quoad cætera, quia de eis occurret mentio in sequentibus, & non in præcedentibus, dum egimus de Clericis in genere, & de Clericis ordinatis, multa docuimus, ad priora redeat Lector, & sequentia patienter expectet: omnia Deo dante reddemus.

***

TRA-

TRACTATUS VII.

De Statu Episcopali, ac Qualitatibus in Episcopo requisitis.

TITULUS I.

De nomine, natura, dignitate, Gradibus Episcopatus.

QUÆSTIO I.

Quid significet nomen Episcopi?

HIc repetenda sunt omnia superiori tit. 2. q. 1. à nobis dicta, de nominis *Presbyteri*, *& Episcopi* ad invicem communicatione, sive usurpatione communi, ex eo maximè orta, tum quòd initio nascentis Ecclesiæ ob paucitatem Ministrorum, qui Presbyteri sive Sacerdotes ordinabãtur, consecrarentur & Episcopi; tum quia in præcipuis Ministeriis & Potestate in Corpus Christi verum & mysticum conveniebant, Vide ibidem.

CONCLUSIO.

Episcopus, idest, Super Inspector, Super Intendens, vel Speculator.

EPiscopus ex *Ethimologia nominis*, Super-Inspector, Super-Intendens, *vel ab Officio* Speculator *interpretatur*: *Quòd Ecclesia sibi commissæ superinspiciat seu superintendat, & tanquam Speculator invigilet.*

Ita passim SS. Patres S. Amb. l. de Dignitate Sacerdotali c. 6. *Quid aliud* (inquit) *interpretatur* Episcopus *nisi* Super-Inspector? *Maximè cũ solio in ecclesia editiore resideat, & ita cunctos respiciat, ut & cunctorum oculi ipsum respiciant.* Eodem modo S. Hieron. Ep. 1. ad Evagrium. Episcopi (ait) *nomen significantius Græcè dicitur, παρ' ἐπισκοποῦντες id est,* Super-Intẽdentes. *unde & Episcopi nomen tractum est, &c.* S. Aug. l. 19. de Civit. Dei c. 19. *nomen* Episcopatus *est operis* (ait) *non honoris, Græcum est enim ἐπὶ, quippe super, σκοπὸς verò* intentio *est: Ergo ἐπισκοπεῖν si velimus Latinè* superintendere *possumus dicere: ut intelligas non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse &c.*

QUÆSTIO II.

An Episcopatus sit Ordo à Sacerdotio distinctus?

CONCLUSIO I.

Episcopatus describitur

EPiscopatus est Sacramentum, in quo per sensibilia signa Gratia & Potestas spiritualis ex opere operato confertur singulariter ad sacerdotes consecrandos, Baptizatos confirmandos, & alia ad regimen animarum sibi subditarum pertinentia perficienda.

Pertinet ad Sacramentum ordinis.

Dixi (*est Sacramentum*) episcopatus enim pertinet ad Sacramentum ordinis; An autem & qualiter à Sacerdotio distinguatur dicetur sequenti Conclusione.

Dixi (*in quo per sensibilia signa confertur Gratia*) Hoc enim apud me certum est, tum Gratiam sanctificantem, tum Gratiam sacramentalem in ordine Episcopali conferri: Ea quidem ratione, quòd ad tantum onus & dignitatem Gratia maxima requiratur, & maximè quòd per Episcopatum quis fiat minister Sacramentorum, ad quorum administrationem debitam tenetur esse in Gratia, juxta ea, quæ de aliis Sacramentis docet communiter Theologi. Quæ verò sint sensibilia illa signa, arbitror quoad Materiam in unctione, & in impositione manuum; quo ad Formam in verbis: *Accipe Spiritum sanctum &c.* contineri.

Dixi (*& Potestas spiritualis ex opere operato confertur singulariter &c.*) Episcopo enim jure Divino ex vi Sacramenti multæ Potestates conferuntur, quæ ab illis non sunt ulla superioritate amovibiles, & à Charactere indelebili procedunt: Tales sunt, quæ subjiciuntur in definitione: Nimirum: Potestas conferendi ordines, Sacerdotes consecrandi, Confirmationis Sacramentum administrandi, quæ ita ex vi ordinationis Episcopo quantumvis Degradato, Excommunicato, Suspenso, jure Divino competunt, ut si ab illo conferantur, validè & efficaciter conferantur, etsi ratione prohibitionis vel impedimenti Cannonici illicitè.

Et quamvis nonnulli ex Historiis antiquis referant Abbates & simplices Sacerdotes Pontificum concessione Subdiaconos & Diaconos consecrasse, & Sacramentum Confirmationis cum chrismate ab Episcopo confecto ex delegatione Summorum Pontificum administrasse (de quibus non est modò meum longas disputationes texere) In hoc tamen Potestas Episcopo ex vi suæ ordinationis concessa ab illa saltem distinguitur: Quòd Potestas illa delegata (supposito quod etiam ex Institutione Christi delegari potuerit) fuerit semper revocabilis sive per cassationem, sive per suspensionem, aut quamvis prohibitionem, ita ut stante revocatione effectum nullum habuerit: Potestas autem Episcopo in sua ordinatione collata, ita jure Divino ex vi Characteris ei competat, ut nulla humana Potestate tolli aut immutari possit. Unde fiat, quòd ex vi Characteris & ordinationis suæ indelebiliter Episcopus ordines omnes conferat, & Baptizatos confirmet valide,

Dixi

Dixi (*& alia ad animarum sibi subditarum regimen pertinentia perficienda*) ut sunt Dispensatio, & Commutatio votorum, Absolutio vinculorum spiritualium, Confectio Chrismatis, Consecratio Templorum, & Altarium &c. quae Episcopis ex vi ordinationis & jure Divino competunt.

CONCLUSIO II.

Episcopatus Sacerdotium praesupponit: ab illo tamen distinguitur realiter.

EPiscopatus, etsi sacerdotium praesupponat, à Sacerdotio tamen realiter distinguitur.

Ratio fundamentalis est mihi certa & convincens: Quia Potestatem & Ministeria multa spiritualia per suam Consecrationem acquirit Episcopus, quorum aliqua nudo Sacerdotio sunt incommunicabilia, alia etsi communicari per delegationem & dispensationem Sacerdoti possint, ita tamen Episcopo consecrato adhaerent ex vi suae consecrationis, ut nec à Papa possit eorum effectus impediri, etsi quandoque fiant illegitime ratione prohibitionis rationabiliter factae.

Explico primam Rationis partem: Ordinatio Sacerdotum & consecratio Episcoporum ita est propria ordini Episcopali, ut sicut nunquam legitur communicata, sic infertur incommunicabilis: Hoc etiam signo: Quòd ordinatio, sive Sacerdotis, sive Episcopi, nuncupetur in scriptura: *Impositio manuum Presbyterii*, id est, ad ordinandum Presbyterum sive Episcopum ordinata, quam explicat Paulus aliàs *per impositionem manuum mearum*, quia nimirum Apostolus erat, & Episcopus, cui impositio manuum ad cõsecrandos Sacerdotes sive Episcopos competebat. Unde & solis Episcopis imponitur mandatum, ut nemini manus citò imponant.

Explico demum 2. partem Rationis fundamentalis: Etsi enim Confirmatio, ordinum Minorum Collatio, Subdiaconorum ac Diaconorum ordinatio, & alia plura Munia Episcopis propria communicata aliquando fuerint simplicibus Sacerdotibus à Supremo Ecclesiae Hierarcha, ita tamen communicata fuerunt, ut quovis momento illae Potestates & Munia revocari, prohiberi, & auferri possent, etiam cum annullatione attentatorum in contrarium: Episcopis autem ex vi ordinationis sive Consecrationis suae Potestates illae ordinationis, confirmationis &c. ita competunt, ut earum virtute ordinationes &c. ab Episcopo, quantũvis Haeretico, Excommunicato vel prohibito factae teneant & validae sint, etsi (ut dixi illicitè fiant ob prohibitiones & inhabilitates): quae necessario distinctionem realem convincunt inter Potestatem Episcopalem, & simplicem Sacerdotalem.

Rationi huic fundamentali, sequens adjungi potest: Episcoporum Consecratio novam Materiam, novam Formam, novam Promissionem Gratiae habet: Ergo & Sacramenti novum saltem Gradum. Antecedens constat: Alia est enim unctio & impositio manus super Episcopos in Consecratione, alia super Sacerdotes in sua Ordinatione: Nam unctio prima Episcopi fit in capite, cum hac Forma: *Ungatur & consecretur caput tuum caelesti benedictione in ordine Pontificali.* Secunda etiam unctio manuum differt à Sacerdotali: Quòd Sacerdotalis fiat in ordine ad Consecrationem Corporis Christi, & benedictionem populo & rebus impertiendam: Unctio autem manuum Episcopi ad Sanctificationem & Auctoritatem Regalem, & Prophetalem impertiendam: *Ungantur* (inquit Consecrator) *manus istae oleo sanctificato & Chrismate sanctificationis, sicut unxit Samuel David Regem & Prophetam, ita ungantur & consecrentur*: Impositio etiam manuum a Consecrante & Episcopis assistentibus simpliciter fit hac generaliori & universaliori Forma, *Accipe Spiritum sanctum*, sine ulla specificatione singularis Potestatis, prout fit in Sacerdotibus, ut ostendatur Potestas suprema, quae datur Episcopis per Spiritum sanctum ad regendam ecclesiam Dei.

Ex quo iterum infero: Singularem Gratiam Sacramentalem Spiritus sancti per signa illa sacramentalia conferri, qualis necessaria ad regendum, docendum, servandum, corrigendum populum in ecclesia Episcopo commissa. Unde & Paulus Timotheo *Noli negligere Gratiam, quae data est tibi per impositionem manuum mearum* Et Concil. Trident. sess. 23. can. 4. *Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra Episcopos dicere, Accipe Spiritum sanctum Anathema sit.* *Trident.*

Non Sacerdos Episcopus ordinari nequit.

Dixi in conclusione (*etsi Sacerdotium praesupponat*) Constans est enim sententia communis Theologorum, & ecclesiae, neminem nisi Sacerdotem posse ordinari & consecrari in Episcopum, ita ut ei Potestas Episcopalis, quae a Charactere dimanat, communicetur: Etsi enim Episcopi nominati, sive electi non Sacerdotes reperiantur, illi tamen vere Episcopi non sunt, nec Episcopalem Potestatem, quae per ordinationem confertur, accipiunt, sed tantùm administrationem, & jurisdictionem, qualis Clericò in foro externo committi solet.

An verò ordo Episcopalis characterem separatum à Sacerdotali imprimat, & an duplex ordo assignandus sit, Sacerdotalis & Episcopalis? Respondeo absque disputatione: Charactere Sacerdotali saltem aliquod augmentum advenire per ordinationem Episcopalem, sive fiat per intensionem & ampliationem in sua entitate, sive per virtutis novae acquisitionem: Sufficit enim quod ad effectus plures & majores intelligatur protendi. Nec erraveris si sub ordine uno generico duas velut species, quarũ altera alteram praesupponat, assignes; aut duos Gradus ejusdem ordinis, quorum etiam ab intrinseco posterior priore perfectior & excellentior sit: Haec ad concertationes Scholasticas remitto.

***

QUAE

QUAESTIO III.

Quanta sit Dignitas Episcopalis?

CONCLUSIO.

Quanta Dignitas Episcopi.

Dignitas Episcopalis suprema est in terris sub Vicario Christi Pontifice Summo, Petri Successore.

Dignitatem ex Scripturis sanctis, Conciliorum Canonibus, & Patrum sensu, Trid. Conc. variis locis exprimit, illam extollens ab Institutore, a Potestate, à Vita, ab Opere: Quae omnia complectitur D. Paulus Act. 20. dum à Mileto procedens ait: *Attendite vobis & universo Gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

In quibus verbis 1. Operis magnitudo, & & personae qualitas ac vigilantia exprimitur, ibi: *Attendite vobis & universo gregi*: In hoc enim quod dicit, *Attendite vobis*, eminentiam Personae innuit, nimirum, quam sanctis qualitatibus eminere debeat, priusquam tantam dignitatem sibi imponi permittat: In hoc verò quod subjungit, *& universo Gregi*, curam sollicitudinis auget, & supremam vigilantiam insinuat.

2. In hoc quod adjungit: *In quo vos Spiritus sanctus posuit*: Dignitatem Auctoris & Institutoris ponit, qui est Spiritus sanctus, à quo, sub quo, & per quem Episcopus constituitur.

3. In hoc quod sequitur: *Regere Ecclesiam Dei*: Praelaturam supremam designat, quae est: *Regere Ecclesiam Dei*: Unde & benè Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. declarat Episcopos in Apostolorum locum successisse, & ad Hierarchicum Ordinem praecipue pertinere; & ex Caelestino Papa in Epistola ad Episcopos Galliae, eos Presbyteris superiores esse, & sess. 25 de Reform. c. 17 eis praecipit: *Ut tam in Ecclesia quam foris suum Gradum, & Ordinem prae oculis habentes, ubiq, se Patres & Pastores esse meminerint, nec aliis locum cedant.*

4. In hoc quod additur: *Quam acquisivit sanguine suo*. Supremus charitatis gradus, qui in Episcopo eminere debet, declaratur: Ut sicut Christus pro animabus sanguinem proprium effudit, sic & Episcopus pro grege suo debeat animam ponere, & sanguinem fundere, quia & sanguis ovium de manu ejus requirendus est Ezechiel. 33. Sed de his omnibus infrà: Unde non haereo in multis hic, quae Episcopalem dignitatem exprimunt, congerendis: Unus prae omnibus illam Dignitatem, à visceribus rei sumptam, confirmat S. Dionysius, qui l. de Ecclesiastica Hierarchia cap. 5. Episcopos sic depingit: *Divinus* (ait) *Pontificum Ordo primus quidem est eorum Ordinum, qui Deum vident: In eoenim absolvitur & expletur omnis Hierarchia nostra distinctio. Ut enim Hierarchiam omnem videmus in Jesum desinere, sic unamquamq, in suum Pontificem & c. Est igitur Pontificatus Ordo, qui perficiente vi praeditus munera Hierarchiae quae perficiunt, secretius à caeteris, ac cum delectu exequitur sacrorumq, disciplinam interpretando tradit, singulumq, ac consentaneum eorum statum atq, vim docet.* Haec Dionysius. Magnitudinem ejusdem Dignitatis velut Commentator edicat S. Ignatius Epistola ad Smyrnenses: *Honora* (inquit) *Deum, ut omnium Auctorem & Dominum: Episcopum verò, ut Principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem: Dei quidem propter Principatum, Christi vero propter Sacerdotium.* Prosequitur: *Honorare oportet & Regem, nec quisquam similis ei in rebus omnibus creatis; nec Episcopo, qui Deo consecratus est pro totius mundi salute, (nota verba) quidquam majus in ecclesia*: Infra: *Qui honorat Episcopum, a Deo honorabitur. qui ignominia afficit illum, a Deo punietur. Sacerdotium est omnium bonorum, quae in hominibus sunt, Apex.* Haec S. Ignatius. Omnia verò, quae hic per Compendium sunt posita, in sequentibus magis patebunt.

QUAESTIO IV.

An sint diversi Gradus in Episcopatu, & qualiter ab invicem differant?

CONCLUSIO I.

Ordo Episcoporum quadripartitus sive quatuor Gradus habet. Hi sunt Patriarchae, Archi-Episcopi, Metropolitani, Episcopi. Vide Gratianum 1. p. Decretalium. Ordo Episcoporum 4. habet Gradus.

CONCLUSIO II.

Hi Gradus non distinguuntur intrinsecè ratione alicujus interioris Potestatis sed tantum extrinsecè, respectu facto ad Ecclesias, quas Episcopi regunt, & personas, quibus praesident & praeferuntur. Accipe quae de iis ab Isidoro Hispalensi l. 7. Ethim c. 12. traduntur. *Ordo* (ait) *Episcoporum quadripartitus est, id est, in Patriarchis, Archi Episcopis, Metropolitis, atq, Episcopis. Patriarcha Graeca lingua summus Patrum interpretatur, quia primum post Apostolorum tenet locum: Et ideò quia summo honore fungitur, tali nomine censetur sicut Romanus, Antiochenus Alexandrinus,* (cui adjungi debet modò Hierosolymitanus & Constantinopolitanus) *Archi-Episcopus Graeco interpretatur vocabulo, quod sit summus Episcoporum, id est, Primus, tenet enim vicem Apostolicam, & praesidet tam Metropolitanis quam caeteris Episcopis: Metropolitani autem à mensura civitatum vocantur singulis enim provinciis praeeminent, sine quibus nihil reliquis licet agere Episcopis: sollicitudo enim totius provincia Archiepiscopis commissa est.* Haec Isidorus.

Ex quibus quidem verbis constat Archi-Episcopum & Metropolitanum sola voce & quodam respectu distingui. Dicuntur enim Archi-Epis-

Episcopi, qui universitati Episcoporum in aliqua regione præsident, sive Regio illa plures provincias, & diversa etiam Regna contineat, sive unam tantum Provinciam: Metropolitanus autem, qui tantùm in una Provincia, in qua plures sunt Episcopi, præsidet, & ordinariè residet in Civitate principaliori, quæ à medio dicitur Metropolis. Modò autem ista duo confunduntur, & pro iisdem supponunt.

TITVLVS II.

De Episcoporum perfectione, & Qualitatibus in Episcopo requisitis.

QVÆSTIO I.

Quæ Qualitates in Episcopo requirantur, & qualiter obligent?

NOn ago hîc de Sacerdotio, quia non tam est qualitas requisita ad Episcopatum, quàm fundamentum, super quo Ordo Episcopalis consurgit, sive subjectum, cui Ordo & Dignitas Episcopalis inserenda est.

CONCLUSIO I.

17 Qualitates requirũtur in Episcopo.

SEptendecim ferè qualitates ab Apostolo Paulo tum 1. ad Tim. 3. tum ad Tit. 1 referuntur his verbis: *Oportet Episcopum 1 Irreprehensibilem esse. 2. Unius uxoris virum. 3. Sobrium. 4. Prudentem. 5. Ornatum. 6. Pudicum. 7. Hospitalem. 8. Doctorem. 9. Non vinolentũ 10. Non Percussorem, sed modestum. 11. Non litigiosum. 12. Non cupidum 13 Suæ domui benè præpositum. 14. Filios habentem subditos cum omni castitate. 15. Non Neophytum, ne in superbiam elatus in judicium incidat Diaboli. 16. Oportet illum testimonium habere bonũ ab iis qui foris sunt. 17. Amplectentem eum, qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere.*

CONCLUSIO II.

Hæ qualitates obligant ad peccatum mortale, nisi aliud excuset.

QUalitates à S. Paulo in Episcopo requisitæ obligant ad mortale, nisi parvitas materiæ, aut supplementum aliquod excellentis virtutis, aut causa gravis excuset.

Colligo ex verbis: *Oportet enim*, quæ causalitatem dicunt & necessitatem: Velut in Græco & ex Græco legunt SS. Ambros. & Hieron. illativè: *Oportet ergò*; id est, necessarium igitur est: Quæ gravitatem rei indicant, & gravissimè tam ordinantes Episcopos, quam acceptantes Episcopatum monent in re gravissima, à qua salus multarum animarum pendet. Unde est mihi Regula certa.



REGULA GENERALIS.

OMne Decretum in materia gravi ad salutem pertinente æquivalet præcepto, & ad peccatum mortale obligat. Cujus Regulæ veritas clarissimè infra patebit.

CONCLUSIO III.

Quo jure.

NOn omnes hæ qualitates jure divino obligant, sed quædam ex illis jure Divino naturali, quædam jure Apostolico, quædam jure Ecclesiastico positivo.

Hæc Conclusio melius probabitur, dum de singulis infra agemus.

QUÆSTIO II.

Quid importet, Esse irreprehensibilem, *& qualiter obliget?*

CONCLUSIO I.

Quid sit, Irreprehensibilẽ esse.

IRreprehensibilem esse *nihil aliud est, quàm non habere vitium vel crimen foris notum, quod sit objectum justæ reprehensionis.* Ita fere Expositores omnes.

Dixi (*vitium vel crimen*) debet enim esse culpa aliqua, vel habitus pravus, qui hominem despicabilem & contemptibilem reddat: Nam pravus aliquis defectus naturæ, aut immortificati animi ponderandus non est: Nam nemo ex omni parte beatus, & ut benè Horatius, quamvis Gentilis & infidelis

Nam vitiis nemo sine nascitur, Optimus ille est,
Qui minimis urgetur.

Unde bene Theodoretus: *Irreprehensibilis* (ait) *qui nullam dedit occasionem justæ reprehensionis. Illud enim irreprehensibilem non idem dicit quod calumniæ non obnoxium, aut in quem non potest intendi calumnia: Nam & ipse etiam Apostolus subiit omnis generis calumnias &c. Quin etiam jubet Dominus eos contemnere, qui frustra scandalizantur &c.* Igitur juxta S. Theodoretum is simpliciter dicendus est irreprehensibilis, qui aliqua notâ vel vitio non dedit ulli justam reprehensionis occasionem. Et hoc. S. Paulus ad Titum alio nomine expressit: *Sine crimine esse.* Unde benè addidi, *foris notum*, quia pro crimine omninò occulto nemo reprehensibilis verè est in ordine ad conversationem humanam.

Notat verò antiquus ille inter Patres Sedulius, sive etiam S. Hieronymus citatus à Gratiano d. 25. c. *Primum itaque*, in hoc debere intelligi, *Ex eo tempore, quo quis in Christo renatus est.* Multi enim Peccatores ad Christum vocati sunt, qui cum magno exemplo & efficacia Ecclesiæ Dei præfuerunt, ut Paulus, qui Ecclesiam persecutus fuerat; & Petrus, qui ante Adventum Spiritus Sancti Christum negaverat. Excludit autem ab Episcopatu eos, qui post conversionem ad Christum in crimina

mina publica prolapsi sunt: *Esti praeteritas* (inquit) *maculas nova conversatione deleverint*: verba Sedulii refert nomine Innocentii Papae Dionys. Carthus. de Vita & Regimine Episcoporum l. unic. a. 5. *Primò* (inquit) *jubetur Episcopus sine crimine esse, non quod eo tempore tantùm quo ordinandus est sit sine crimine. & praeteritas maculas nova conversatione deleverit, sed quod ex eo tēpore, quo in Christo renatus est, nullo peccati conscientia mordeatur.* Et alia prosequitur.

Die Cart.

Conclusio II.

Irreprehensibilitas quo jure requiratur.

IRreprehensibilitas requiritur in Episcopo non tantùm ex Iure Divino naturali, sive ex Natura ipsius Status, sed etiam quovis Iure positivo. Ita exponit S. Chrysostomus in 1. ad Timoth. hom. 10. in principio: *Eum quippe* (inquit) *qui regendos alios suscipit tanta decet gloria virtutis excellere, ut instar solis caeteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret. Debet hujusmodi vitam habere immaculatam atque compositam, ut omnes in illum, & in ejus vitam, veluti in exemplar aliquod excellens intueantur.*

Dixi (*Iure Divino Naturali*) Crimina enim cognita quandam secum infamiam trahunt, & ordinem tam excellentem à Deo institutum contemptibilē reddunt, & consequenter criminosum, ordine & Statu tali indignum, omni etiam lege positiva circumscripta. Jus quidem Divinum naturale exigit, ut sancta sanctè tractentur, & consequenter Princeps Sacrorum sanctus sit: Dicente Domino: *Sanctus esto quia ego sanctus sum*: Et Jure positivo, si flagitiosi, Maculati, & notam infamiae habentes à saeculari Magistratu apud omnes Nationes excludantur, quanto magis à supremo Principatu sacro, cui Divina omnia Mysteria & Ministeria concredita sunt.

Lev. 11. 44.

Dixi (*ex Natura ipsius Status*) Nam ut benè Sedulius sentit, apud Gratianum supra citat. in hunc locum. *Quo cōmodo enim potest Praeses ecclesiae auferre malum de medio ejus, qui in delictum simile corruit? Aut quâ libertate corripere peccantem, cum tacitus ipsi sibi respondeat, eadem se admisisse quae corripit?* Haec ille.

Dixi (*sed etiam quovis Iure positivo*) super quo videndi sunt Canones apud Gratianum.

Conclusio III.

Peccant mortaliter criminosi Episcopatū acceptantes & alii illos eligentes vel promoventes.

PEccant gravissimo peccato mortali, qui graviter & publicè Reprehensibiles sive Criminosos ad Episcopatum eligunt vel promovent, nisi eminens poenitentia, & virtus maculā abstergat, aut majori bono crimen compensetur: Similiter, qui conscii publicae maculae vel flagitii Episcopatū acceptant. Ratio ex dictis clara est: Quia in re gravissima per talem electionem vel susceptionem Christo Sancto Sanctorum, & pastorum Principi fit injuria: principatus sacer inhonoratur, Ministerium sacrum vilipenditur, ecclesia maculatur, & Animae infinitis periculis exponuntur.

Confirmat Conclusionem Caelestinus Papa Epist. 2. ad Episcopos Galliae, in qua & ordinantem deponendum, & ordinatum privandum honore Episcopali indicat: Habetur apud Gratianum supra c. Tantis &c.

Quae verò sint illa crimina, quae ab Episcopatu excludunt, explicat S. Aug. tract. 4. in c. 5. Joannis, relatus à Gratiano d. 81. cap. *Apostolus*; ubi illud *sine crimine*, docet non intelligendum de quolibet peccato; *Sed* (ait) *sine crimine, sicut est homicidium, Adulterium aut aliqua immunditia Fornicationis furtum fraus, sacrilegium, & caetera hujusmodi Crimen autem est grave peccatum, accusatione & damnatione dignissimum.*

Dixi (*nisi eminens poenitentia & virtus maculam abstergat, aut majori bono crimen compensetur*) Hoc enim in Ecclesiasticis Historiis non rarum est, ut graves peccatores tanta poenitentia, tanto virtutum splendore, tanto publici boni fructu emicuerint, ut non tantum coram Deo, sed etiam hominibus admirationem & honorem sint adepti: Cum talibus licuit aliquando dispensare, & adhuc posset, modò splendor virtutis eminentis & ecclesiae bonum id requireret. Sed eheu quam rara haec avis, ut sperari possit.

Quaestio III.

Quid denotent hae Qualitates. unius Uxoris virum esse, castum, pudicum, sobrium, & non violentum, & qualiter obligent?

HAEc quinque simul jungo, quia ferè ad eundem finem, eandemque materiam spectant. Priora enim ad coercendam carnis concupiscentiam: Posteriora duo ad cibi potusque intemperantiam moderandam, sine autem Cerere & Baccho friget Venus.

Conclusio I.

UNius Uxoris Vir apud Paulum dicitur, qui Bigamus non est; Bigamus autem est, qui plures uxores habuit aut viduam, vel corruptam ab alio duxit. Ita communiter Interpretes & Canonistae. Hic autem praetereo lubens, quae de coelibatu & de Voto continentiae in Sacris ordinibus, plus satis diximus tract. 4. tit. 3. qu. 3. & sequentibus, quae ibi vide, ubi & de uxoribus Sacerdotum post promotionem ad Sacerdotium, & de dispensationibus Graecorum, quae fuerunt necessaria, deduximus.

Unius uxoris Vir dicitur qui Bigamus non est.

Ratio verò cur Bigamia ab ordine Episcopali excludat, praeter legem Ecclesiae, duplex à Patribus & Theologis adferri solet. Prior mystica: Cùm enim Episcopus Christū repraesentet, & Matrimonium mysticè significet conjunctionem Christi cum Ecclesia, quae est Unica & virgo indivisibiliter adhaerēs Sponso; Bigamus videtur huic significationi contraiisse, quia nimirum vel plures duxit, vel

vel viduam & corruptam in Uxorem accepit. Unde locus Tertull. l. de Monogomia maxime Episcopis, Presbyteris & Diaconibus congruit. *Conjungunt(inquit)vos in ecclesia Virginis Unius Christi Unica Sponsa*, S. August. l. de Bono Conjugali c. 18. *Qui excessit Uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisit, sed normam quandam Sacramenti amisit, non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessariam.*

Posterior ratio est moralis, & sumitur ab honore Episcopatus, & quadam puritate ac pudicitia Sacerdoti conveniente & necessaria. ut præclare Epiphanius Hæresi 59. quæ est Catharorum: *Non suscipit (inquit) Sancta Dei prædicatio post Christi adventum, eos qui à Nuptiis mortua Uxore ipsorum, secundis Nuptiis conjuncti sunt, propter excellentem Sacerdotii honorem & dignitatem.* Infra: *Nam quod decentius est, id semper ecclesia per Spiritum sanctum benè disposita videns, statuit apparate: ut cultus divini indistracti Deo perficerentur, & spirituales necessitates cum omni benevola conscientia peragerentur.* Hæc ibi. Et Patres passim innuunt, eos, qui Uxores plures habuerunt, aut viduam vel ab alio corruptam duxerunt, incurrere quandam notam & suspicionem incontinentis animi. Unde Ambros. Epistola 25. ad Vercellensem Ecclesiam circa medium: *Quomodo potest consolari viduam, honorare, cohortari ad custodiendam Viduitatem, servandâ marito fidem quam ipse priori Conjugio non reservaverit: Aut quid interesset inter populum & Sacerdotem, si iisdem adstringerentur legibus?*

Epiphan.

S. Ambr.

Dixi (*qui Viduam vel corruptam ab alio duxit:*) talis enim, verè Bigamus est. Ita Patres & Concilia passim: Unde in Canonibus Apostolorum: *Si quis Viduam & ejectam acceperit aut meretricem &c. non potest esse Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus*, Quos terminos explicans S. Hieronymus Ep. stola ad Fabiolam: *Vidua (inquit) est, cujus maritus mortuus est. Ejecta est est quæ à marito vivente ejicitur. Meretrix, quæ multorum libidini patet.*

Bigamus quis.

Quæ verò sint Bigamorum ordinatorum pœnæ; vide Canonistas & aliquas dedixlmus dum de Censuris & Pœnis in tractatu particulari hoc tomo egimus: Unum est quod maximè hanc nostram materiam tangit. QuodB gamus se Episcopum vel Presbyterum &c. ordinari permittens peccatum mortale cōmittat, & ob irregularitatem suspēsus sit à Divinis.

CONCLUSIO II.

Castū esse & Pudicū in Episcopo, quid dicat

Castitas & Pudicitia summam & Angelicam puritatem, tam animi quam corporis, contra carnis concupiscentias, voluptates veneras, & quaslibet immunditias in Episcopis requirit. Qualiter autem ex Voto ad Castitatem & Pudicitiam obligentur, vide quæ à nobis dicta sunt de cœlibatu eorum, qui in sacris ordinibus sunt constituti. Peccata etiam quæ contra Pudicitiam & Castitatem committi possunt, eorumque gravitatem expende ex iis, quæ diximus tit. 5. de ordine Diaconatus q. 4. §. 1. de peccatis Diaconorum contra Castitatem & Pudicitiam; eadem enim trutina expendenda sunt in substantia in circumstantiis autem eo majori rigore in episcopis, quo excellentiorum dignitatem tenēt. Et qui plura & præclara, & necessaria ad pudicā conversationem legere voluerit: Legat Tit. 2. de Cohabitatione Clericorum & mulierum l. 3. Decretalium Greg. per totum: & in Decreto Gratiani d. 81. circa medium & usque ad finem.

CONCLUSIO III.

Sobrium esse, & non Vinolentum, omnem cibi & potusque intemperantiam & excessum prohibet, quæ sub ebrietatis, & commessationum, ac luxus terminis alias prohibentur. De quibus sufficienter egimus cum de Luxu Conviviorum inter Pompas Diaboli egimus: & de Diaconorum sobrietate, & peccatis Diaconorum contra sobrietatem, eorumque qu... red.-scruimus tit. 5. q. 4. §. 2. quæ omnia proportionaliter, & à minori ad majus Episcopo sunt aptanda.

Quid sit Sobrium esse, & nō Vinolentum

Hic tamen observandum est pro nomine *sobrietatis*, à Theodoreto poni *vigilantiam. Oportet (inquit) Episcopum vigilantem esse*: Sicque in Græco exemplari Interpretes affirmant eo quòd vox νηφάλιος utrumque significet, ea fortè ratione, quò qui parcit cibo & potui, natura vigilans fit & excitatus. Unde & sub utroque vocabulo monet Petrus Apostolus 1. Petri 5. *Sobrii estote, & vigilate &c.* & Lucæ 21. Vigiliam insinuare volens Salvator: *Attendite (ait) vobis, ne graventur corda vestra in crapula & ebrietate.* Verum de vigilantia agemus, cùm de Officio Episcopi agendum erit.

Theodor.

1. Petr. 5. 8.
Luc. 21. 34

QUÆSTIO IV.

Quid de Qualitatibus, Prudentis, Doctoris, Qui potens sit exhortari in doctrina sana &c.?

HÆc iterum conjungo, quia unam constituunt Episcopo necessariam cōditionem, quæ est totius reginimis fundamentum. Doctrina utique illuminat Episcopum: Prudentia Doctrinam ad actionem moderatur & dirigit: Potentia Exhortationis Doctrina sana, & Prudentia firmata fructum adfert cētesimum. Pro quo Conclusionem pono.

CONCLUSIO.

Tria ad regimen populi in Episcopo, ex ut statui, requiruntur, nimirum, Doctrina, Prudentia, & Doctrina Exercitium tam in exhortādo, quam in convincendo, & redarguendo.

Tria ad regimen populi in Episcopo requiruntur.

Conclusionem probant Apostoli verba, qui in Epistolis ad Timoth. & Titum totus in eo

in eo est, ut necessitatem doctrinæ, Prudentiæ, & Exhortationis in Episcopis inculcet. Unde ad Titum 1. Doctorem expetit, qui sit (inquit) *potens exhortari in Doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere.* Et 1. ad Tim. 4. *Bonus* (inquit) *eris Minister enutritus verbis Fidei, & bona doctrina quam assecutus es.* Iterum, *Attende tibi & doctrinæ; insta in illis: hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* Iterum ad Titum 2. *Tu loquere qua decent sanam doctrinam &c. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate. Verbum sanum, irreprehensibile.*

Tit. 1. 9.

Tit. 2. 1.

Sed & Prudentiæ leges statuit, ut non eodem modo Episcopus ad omnes se habeat. Unde 1. ad Timoth. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem; Juvenes, ut Fratres, Anus, ut Matres, Juvenculas, ut Sorores, in omni castitate.* & cap. 6. condemnat, languentes circa quæstiones & pugnas verborũ. & 2. ad Timoth. 2. præcipit: vitari, *Stultas & sine disciplina quæstiones.* Cujus rationem subjungit dicens: *Sciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati: Nequando Deus det illis pœnitentiam &c.* Et cap. 4. *Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* Ubi Glossa: *Argue Juniores, obsecra Seniores, increpa Rebelles*, quæ omnia Prudentiæ modos in regimine & doctrina insinuant.

1. Tim. 5. 1.

Quid de Doctrina, Prudentia, ac Obligatione docendi in Episcopis Patres sentiant, paucis expono: S. Ambros. l. de Dignitate Sacerdotali cap. 4. exponens illa verba: *Ut potens sit exhortari in doctrina sana. Pollet* (inquit) *Episcopus Sapientia, ut non solum populum sibi creditum sufficienter doceat, verum etiam & cunctarum quas hæresum contradictiones à Catholica repellere Ecclesia, ne sua imperitia imperitos minimè doceat, & hujusmodi casu praeventus eveniat illi, quod scriptum est: Cæco cæcus ducatum præbens ambo in foveam cadunt.* Hieronymus in eundem locum non absimilia tradit. Vide & sanctum Chrysost. l. 4 de Sacerdotio prolixius obligationem Doctrinæ in Episcopo prosequentem.

Tit. 1. 9.

Causam hujus obligationis reddit Concil. Toletan. 4. cap. 24. *Ignorantia* (inquit) *mater cunctorum errorum, maximè in Sacerdotibus Dei vitanda est, qui docendi officium in populis receperunt. Sacerdotes enim legere admonentur Scripturas sacras Paulo Apostolo dicente ad Timoth.* Attende Lectioni, exhortationi, & doctrinæ, & semper permane in his. *Sciant ergo Sacerdotes Scripturas sacras & Canones, & omne opus eorum in doctrina & prædicatione consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia quam operum disciplina.* Et in 7. Synodo: *Inquiratur diligenter à Metropolitano, si in promptu habeat Legem scrutabiliter, & non transitoriè tam sacros Canones & sanctum Evangelium quàm Divi Apostoli Librum, & omnem Divinam Scripturam, atque secundum mandata conservare & docere sibi populum commissum. Substantia enim summi Sacerdotis nostri, sunt eloquia divinitus tradita, id est, vera Scripturarum Divinarum Disciplina quemadmodum magnus perhibet Dionysius. Quod si discepta verit, & ita libenter facere & docere minimè spoponderit, nullatenus consecretur. Ait enim Propheta Deus:* Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Hæc ille.

Cc. Tolet.

1. Tim. 4. 13.

17. Synod.

His consonat Conc. Trid. Sess. 22. c. 2. de Reform. mandans, ut promovendus ad episcopatum sit Magister vel Licentiatus in Theologia vel in Canonibus: Si autem Regularis fuerit, ut à Superioribus suæ Religionis testimonium habeat hujusmodi Scientiæ & Doctrinæ.

De Prudentia in episcopo requisita vide præclara apud S. Gregorium in prol. 3. partis sui Pastoralis, quem non refero, ne in immensum excrescat opus. Vide etiam si vis bene informari S. Gregor. Nazianzenum minutatim Prudentiam Episcopi explicantem in Apolog. c. 1. Ad specialia jam transeundum est. Igitur tota breviter Obligatio Episcopalis circa Doctrinam, Prudentiam, & doctrinalem Exhortationem fructuosè exprimatur, pono sequentia dubia cum suis resolutionibus.

Dubium I.

An Episcopus in sua Consecratione teneatur scire totam Scripturam sacram & Canones?

Ratio dubitandi est: Quia id Concilia requirere videntur: Et cùm sit Officium Episcopi cæteros illuminare, quomodo eo illuminabit, qui in seipso lumen Scripturarum non habet? Imò ex vi Status Episcopalis hoc requiri probat: Quòd ab initio instituræ naturæ, qui in sacris præsederunt, pleni Scientia semper habiti sint, Nam & de sacerdote Magno dicitur apud Malachiam: *Labia Sacerdotis custodient Scientiam, & legem ex ore ejus requirent:* Et in Rationali duo sculpti lapides ante pectus Sacerdotis dependebant, quibus insculptum erat, *Doctrina & Veritas*, quasi totam legem & Dei veritatem in pectore retineret. Et S. Dionysius de Ecclesiastica Hierarchia explicans: Cur Episcopo super caput Evangelii liber apertis foliis in sua Consecratione imponatur, hanc causam adfert: Ut significetur, quòd ipse est integrè participaturus totius Hierarchicæ virtutis perfectionem, & quòd non solùm est illuminatus de omnibus, quæ pertinent ad sancta locutiones & actiones, sed etiam quòd hæc aliis tradat: Et in ipsa ordinatione Episcopi id supponitur in prima interrogatione: *Vis* (inquit consecrator) *ea, quæ ex Divinis Scripturis intelligis, plebem, cui ordinandus es, & verbis docere & exemplis:* Respondet: *Volo*: Quæ autem sint ea, submittur ex antiqua interrogatione, quà à consecrando petebatur: An sciret vetus & novum

Rationes dubitandi proponuntur.

Malach. 2. 7.

S. Dionys.

& novum Testamentum ? Et in secunda interrogatione similiter, dum interrogatur: An velit Traditiones Orthodoxas Patrum: ac Decretales sanctæ & Apostolicæ Sedis constitutiones veneranter suscipere, docere, & servare? supponitur ex natura rei illas scire debere.

RESOLUTIO I.

Nō tenetur Episcopus totā Scripturā scire aut memoriâ tenere.

Non tenetur Episcopus totam Scripturam, quoad omnia in ea contenta, scire, aut memoria tenere.

Ratio est: Quia multa sunt in scriptura, quæ neque ad fidelium instructionem, neque ad Officii Episcopalis exercitium & executionem pertinent, ideoque ab episcopo sciri, vel non sciri indifferens est, nec necessariò ea sciri requiritur.

RESOLUTIO II.

Tenetur ea scire quæ ad Officium suum sunt necessaria

Episcopus antequam consecretur, tenetur sub pœna peccati mortalis moraliter scire omnia, quæ in Scriptura & Legibus ac Canonibus Ecclesiæ continentur, ad sui Officii executionem necessaria. Talia sunt mandata Dei,& Ecclesiæ pr maria decreta&præcepta, articuli omnes ad fidem pertinentes, eorumque principia & fundamenta, Materiæ & Formæ Sacramentorum, ac ritus ea administrandi, & alia hujusmodi, sine quibus Munia Episcopi vere exerceri nequeunt.

Ratio clara est: Quia aliàs se & sibi commissos exponit periculo gravium peccatorum & abusuum, sive etiam negligentiæ, & omissionis eorum, ad quæ tam ipse, quam oves ipsi commissæ tenentur.

Dixi (*Moraliter*) ut excludam scientiam Physicam & numeralem, qua ex tempore omnia dici & exprimi possunt: Talis enim scientia sæpissimè etiam in doctissimo viro impossibilis est: Sufficit igitur & requiritur in Episcopo prædictorum Scientia Moralis, Moralem autem voco: Quando sciuntur illa in suis principiis & fundamentis, ita ut addito modico studio & diligentia cætera sciri & penetrari possint, utique inquisitione, consultatione & deliberatione adhibita. Et hoc est quod inquiri mandatur in septima Synodo suprà allegata, *Si in promptu habeat Legem scrutabiliter, & non transitoriè*: Ille enim scrutabiliter Legem habere censetur, qui principia & primas conclusiones Legis habet, ita ut modico studio, inquisitione & diligentia occurrentibus difficultatibus sibi & aliis satisfacere possit: Excedit autem transitivam Scientiam, quæ est eorum, qui audiverunt quidem, & in genere perceperunt, sed ita transitoriè, ut principia & principales conclusiones animo firmiter non inhæreant, ita ut per se ea scrutari non possint: Hi enim verè ignari & inscientes dici debent.

Nota.

Et hoc sensu intelligendum est, quod aliqui ex græco verbo pro *Doctore* ponunt, *διδακτικὸν*, id est, *Docibilem*: Docibilis enim ille est, qui ex primis principiis facilè alia infert, vel modico studio cætera penetrat. Unde Cyprianus ad Pompejum Epistola 74. *Docibilis* (inquit) *ille est, qui est ad discendi patientiam lenis & mitis. Oportet enim Episcopum non tantùm docere, sed etiam discere. Quia ille meliùs docet, qui quotidie crescit, & proficit discendo meliora.* Et sanctus Ambrosius l. 1. de officiis cap. 1. de seipso qui in civilibus fuerat occupatus, nec Theologicis ita potuerat imbui: *Discendum* (inquit) *mihi simul & docendum est, quoniam non vacavit antè discere: Et quantumlibet quisq; profecerit, nemo est qui doceri non egeat, dum vivit.*

Ex quibus infero: Episcopum in consecratione sua debere duo saltem habere: Primùm: Principia & fundamenta Doctrinæ & Scientiæ eorum, quæ in Episcopo ad officii sui executionem requiruntur tam in sacra Scriptura & Theologica Doctrina, quàm in Canonibus. Secundùm: Diligentiam & sedulitatem, promptamque voluntatem se in illis formandi & perficiendi studio, inquisitione, consultationibus. Qui aliter suscipit Episcopatum peccat mortaliter, & si non conetur se in dictis scienter perficere, in periculo continuo peccati mortalis versatur.

Dices: Per alios quos adhibet in consilium, Ignorantiam supplere potest.

Objectio notabilis.

Respondeo 1. Episcopi Officium esse personale, & Pastorem per seipsum, quantùm impedimento urgente non præpeditur, debere gregem pascere: Unde est illud 1. Petri 5. 2. *Pascite qui in vobis est gregem Domini.* Et illud Act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei:* Ubi notanda sunt verba *vobis & vos*, quæ planè personalia sunt, & alienos & Mercenarios excludunt.

Quomodo Cōsiliariis uti debeat Episcopus

Respondeo 2. Conciliorum munus esse, consultationibus suis judicium, & scientiæ, ac consultationis causam depromere: Idcircò sanctum est consilia audire, & consiliis dubia exponere, sed Episcoporum est resolvere, inter consilia discernere, & ex consiliis, quod satius videtur, eligere: si verò Episcopus sit imperitus, & scientiæ fundamenta non habeat, quomodo inter bona & mala, inter utilia & utiliora discernere poterit aut resolvere?

Addo inter Consiliarios frequenter adhiberi, qui vel Chusi, vel Achitophel partes sequuntur, & alii interdum, qui cum Consiliariis Roboam vel inclinationes educationis sequuntur, vel ob juventutem minùs experti sunt, & si fortè multa legerint, nullius unquam praxim sunt adepti, aut qui ventum sequentes, placere volunt magis, quàm veritatem edicere: Ab his quomodo se tutari poterit imperitus Episcopus?

Nec minùs malum in Episcopo non satis docto nimia credulitas sive erga Consiliarios, sive erga Assentatores. Unde gravis illa monitio

S. Hiero. monitio 1. Joann. 4. *Nolite omni spiritui credere.* Et pauli ad Ephes. 4. *Non circumferamur omni vento doctrinae.* Gravis super his monitio Hieronymi, aliis Paulini Epist. 14 ad Celantiam circa medium: *Nihil (ait) tam inquietat animum, quam facile totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis assensu sequi.* Et ut noscantur peccata, quae ex hac nimia credulitate sequuntur, subdit: *Hinc crebrae dissensiones, hinc odia injusta nascuntur: Hoc est quod saepe de amicissimis inimicos facit, dum concordes quidem, sed credulas animas malèloqua lingua dissociat.*

Commune hoc Episcopis vitium deplorat S. Bernard. l. 2. de consid. ad finem. *Facilitas (ait) credulitatis haec est, cujus calidissima vulpecula Magnorum neminem comperi satis cavisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo ira multa, inde innocentium frequens addictio, inde praejudicia in absentes.* Haec Bernard. Universali certè decreto hoc vitium percussit Sapiens Proverb. 29. *Princeps, qui libenter audit verba mendacii, omnes ministros habet impios.* Libenter utique ipsis deferunt, ut suo humori abblandiantur; & occasionem omni adulationi & mendacio praebet nimia credulitas.

Dubium II.

An Episcopus obligetur habere Eloquentiam, quâ per se populo praedicare possit?

Advertendum: Praedicationem dupliciter sumi posse: 1. Pro eloquenti & methodica dictione, quae fit ex cathedra coram auditorum coetu. 2. Pro simplici & sincerâ veritatis doctrina & declaratione, quae etiam in privato haberi potest instruendo, monendo, arguendo &c.

Resolutio I.

Episcopus non tenetur ad praedicationem methodicam.

Episcopus non tenetur ad Praedicationem prout dictionem eloquentem & methodicam ex cathedra dicit, & coram auditorum coetu fieri, solet.

Ratio est. Quia haec paucorum est, & naturale tantùm donum, quod etsi aliquando utile, non est tamen necessarium. Unde & Paulus de seipso testatur, quòd non in sublimitate

1 Cor. 2. 2. sermonis aut Sapientiae ad Corinthios venerit: *Non enim (inquit) judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum & hunc crucifixum. Et Sermo meus, & Praedicatio mea non in persuasibilibus humanae Sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis.* Et 2. ad Cor. 10 refert aliquos de se loquentes arguisse: *Quoniam quidem Epistolae ejus graves essent & fortes, sermo autem contemptibilis*, quasi plus haberet Eloquentiae in Epistolis, quàm in Sermone.

***

Resolutio II.

Episcopo sufficit, si doctrinaliter & resolutoriè credenda, agenda, cavenda intimare possit, & ignorantes docere, ac rebelles convincere. Item: *si Operarios, Praedicatoribus, Catechistis (quos ad edocendam plebem tenetur adhibere) invigilare possit, ut veritatem Evangelicam teneant, quae fidei sunt & morum competenter annuntient, denique si quid difficultatis, dubii, vel doctrinae novae ac periculosae occurrat, sciat resolvere, dissolvere, ac malum sua Doctrina & peritia impedire.* Obviae sunt Historiae magnorum Episcoporum, qui cùm essent impeditioris linguae, aut alio impedimento praepedirentur, alios adhibuerunt Verbi Dei declamatores: Ipsi tamen doctrinae & lectioni institerunt, etiam per se docentes, arguentes, obsecrantes, increpantes tempore, modo, & loco opportunis. Sed de his iterum cùm ad Officia Episcopi descendemus.

Quaestio V.

Quid intelligatur, per esse Ornatum?

Sancti Patres, inter quos Ambrosius hunc locum explicans, l. de Dignitate Sacerdotali cap. 4. reprehendit eos: *Qui (inquit) juxta sensum literae non aliud quaerunt, quam amictum clariorem. Castorina (ait) quaerimus & sericas vestes: Et ille se inter Episcopos arguit esse altiorem, qui vestem induerit clariorem.* (Ambros.) *Sed S. Apostolus taliter se intelligi non vult quia non carne Episcopum, sed mente docet esse ornatum ut ille sacerdos placeat Deo qui animam habuerit compositam Deo.* Haec S. Ambrosius. Verùm etsi id primarium & praecipuum sit, amplius tamen isto verbo *Ornatus* significari videtur. Sit ergo

Conclusio.

Ornatum esse, praeter mentis elegantiam, dicit etiam corporis & externi hominis compositos mores, & honestam inter eos, cum quibus conversatur, amictum, & eorum, quae circumstant Episcopum, dispositionem. (Ornatum esse, quid dicat.) Ita indicant Patres, & ratio ipsa suadet, ut qui virtutibus emicare debent, honestatem etiam, quae hominem in exterioribus commendat, non contemnant: Inde enim in Sacris, Mystericis vestibus splendidioribus utuntur; & cum populo etiam eminere debeant, singulari honestate exterius appareant, ad reverentiam Dignitatis, & Status, necesse est.

Duo itaque dicit *Ornatum esse*: Alterum ut intra terminos honestatis in exteriori homine, vanitatem, levitatem, saecularitatem, superfluitatem Episcopus fugiat: Alterum, ut quae honesta sunt, ex superstitione & contemptu non relinquat. Unde Hieronymus Episto-

Epistola 83. ad Oceanum: *Pessimum* (inquit) *& aliud intelligere ex hoc verbo* Ornatus *juxta illud Tullii: Caput est artis, decere quod facias* (*id est, nihil dedecens facere.*) Et prosequitur vitia: *Sunt enim quidam ignorantes mensuram suam & tanta stoliditatis,ac vecordiae,ut & in motu, & in incessu, & in habitu & in sermone communi, risum spectantibus praebeant, & quasi intelligentes quid sit* Ornatus, *comunt se vestibus & munditiis corporis & lautioris mensae epulas parant, cum omnis istiusmodi Ornatus, & cultus sordibus faedior sit.* Haec Hieronym.

S.Hieron.

Ex quibus verbis à contrario sumitur: Episcopi Ornatum consistere in decoro & honesto motu, incessu, habitu, sermone &c. Et de his nulla quaestio, cùm Romana Ecclesia suis Episcopis certum modum vestium assignaverit. Vide tamen pro majori tua satisfactione, quae scribit S. Gregorius homil. 17. Et quae de Excessibus Episcoporum in vestimentis habet S. Bernardus in Libris de Consideratione.

S.Gregor. S.Bernar. Nota.

Dixi notanter in conclusione (*& eorum, quae circumstant Episcoporum.*) Supellex enim & domus Episcopalis Ornatum aliquem habere debet, non qui pretiositatem aut superfluitatem, sed qui Dignitatem Episcopalem & reverentiam aliquo signo commendet: Hac enim, ut dixi, ratione contineri debent animales spiritus hominum, qui non nisi externis signis, & quadam majestate, aut ad reverentiam Dignitatis Sacerdotalis induci, aut in ea contineri valent.

QUAESTIO VI.

Quid per illa verba in utraque S. Pauli ad Timoth. & Titum, non Iracundum, non Percussorem, non Superbum, non Litigiosum, sed Modestum, Benignum, Sanctum, &c. *intelligatur?*

CONCLUSIO I.

Superbi Praesulis descriptio

OMnia quae in hoc Titulo ponuntur, *unam dicunt Irascibilis mortificationem, & hominis in illius passionibus sedatam compositionem.* Ex superbia enim ut plurimum Ira, Litigium, Clamor, Percussio excitatur in Irascibili: Quibus adversatur Sanctitas, Benignitas, Modestia, quae Irascibilem in suis inordinatis motibus refraenant. Quae omnia sic declaro: Contingit ad Episcopatum electum, fastigium diligere, Dignitatem ut sibi competentem cum honore quaerere, & (ut loquuntur Patres) Episcopi nomen magis honoris, quàm oneris aestimare: Talis itaque appetit caeteris praefulgere, omnibus sine ulla contradictione imperare, sua sensa & judicia suspici, denique ut idolum quoddam adorari: Si igitur à subdito pro sua opinione non satis honoretur, si vel modicum ei, etiam in re justa, contradicatur, si sensa & dicta illius tanquam oracula non suspiciantur, si denique ultra omne meritum non adoretur: Ira effervet, odia concipit, indignationes parturit, aversiones fovet, litigat, clamat, & interdum, si non pugno, verbis tamen, & linguâ percutit. Hunc incompositum animum ab Episcopatu repudiat Apostolus, quia infinita inde mala subditis eveniunt: Commendat autem Sanctitatem, quae aliorum vitiis non inquinatur. Benignitatem, quae infirmis compatitur, Modestiam, quae animo quieto omnia tolerat: Graecus pro *Superbo* ponit: *sui sensus tenacem*: Syrus: *eum, qui sua ducitur propria voluntate*, ut pote qui sibi ita placet, ut quae ad eum ejusque beneplacitum non referuntur, semper displiciant, unde durus, asper, inflexibilis redditur. Eleganter & verè S. Chrysost. l. 3. de Sacerdotio: *Hujusmodi* (inquit) *ingenio praediti, qui ad contumeliam, vim, incommodum, molestum aliquod verbum graviter excandescunt, ab Episcopatus cancellis, a Sacerdotii claustris procul arcendi sunt. Nam Episcopum inedia minimè cruciari extenuarive, tum eundem nudis pedibus non ingredi, id certè nihil incommodabit Ecclesiae universitati: At verò agrestioris animi ferocitas, furorq; tum domino possessoriq; suo, tum etiam proximo ingentium calamitatum auctor saepe fuit. Atque ii quidem, qui virtutes illas non praestant, nulla à Deo comminatio: at temerè excandescentibus gehennae flammas aeternas Deus comminatus est.* Haec Chrysost. Similia habet S. Gregor. quae vide deducta apud Dionys. Carthus. de Regimine Episcoporum a. 23. Sed & Ambrosius l. de Dignitate Sacerdotali c. 4. exponens hunc locum: *Manus* (inquit) *improbas ad caedem non habeat, & suspicionibus pravis minimè percutit conscientias aliorum. &c. Sed magis è diverso illatas ab aliis patienter ferat injurias, ut mentis Modestiam cunctis hominibus tranquillam demonstret, & firmam patientiam cunctis ostendat.* Haec S. Ambros. qui & prosequitur de Litigioso, qui nimirum vel litium venena profert, vel lites fovet, de quo infrà, cum Qualitatem Iusti examinabimus.

S.Chrys. S. Ambr.

CONCLUSIO II.

Ex quibus in Episcopo aestimari debeant Peccata.

PEccata illa Superbiae, *Irae, Litigii, Percussionis, vel quae ex iis oriuntur, debent aestimari in Episcopo non tantùm juxta naturam istorum peccatorum*, de quibus tom. 2. tract. 6. de quinto Decalogi Praecepto: *Sed maximè juxta circumstantias personarum, causa, modi, consequentiae &c.* Unde quae tantùm venialia sunt in aliis inferioris Gradus: in Episcopis & Praelatis mortalia plerumque sunt. 1. Ob scandalum pusillorum: plurimi enim ex passionibus hujusmodi scandalizati retrò abeunt. 2. Ob gravem injuriam subditorum, & curae Episcopalis: Fit enim, ut in quos commoventur Episcopi, ab eis avertantur, odio eos prosequantur, curam & charitatem vel subtrahant, vel negligant, inaccessibiles eis fiant, quinimò eos injustè & injuriosè persequantur. 3. Hinc subditorum pusillanimitates

nimitates, minor ad Episcopos reverentia, afflictorum desperationes, populorum odia & detractiones &c. quae bene trutinari debent, & examinari.

Exemplum veri Episcopi adferò ex Severo Sulpitio Dial. 1. de vita S. Martini: *Nemo (inquit) unquam Martinum vidit iratum, nemo marentem, nemo ridentem: Unus idemq; semper caelestem quodammodo laetitiam vultu praeferens, extra naturam hominis videbatur: Tantam adversùs omnes injurias patientiam assumpserat, ut cùm esset summus Sacerdos, impunè etiam ab infimis Clericis laderetur: Nec propter id eos aut loco unquam amoverit, aut à sua charitate repulerit; Nunquam in illius ore, nisi Christus, nunquam in illius corde, nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia. Plerumque etiam pro eorum, qui obtrectatores illius videbantur, solebat flere peccatis.* Haec Sulpitius: ex quo exemplo caetera disce.

QUAESTIO VII.

Quid per verba non Cupidum, *sive* turpis lucri Cupidum *intelligitur?*

CONCLUSIO.

Quid non Cupidum esse prohibeat. NOmine Cupidi *vel* turpis lucri Cupidi, *omnis Avaritia, & Concupiscentia oculorum, omnisq; nimius temporalium bonorum Amor vel Sollicitudo ab Episcopo propulsatur.*

S.Hieron. Ita Patres & Expositores passim, qui ex Graeco vertunt, *Argenti minimè Cupidum*, Unde S. Hieron. Epistola ad Nepotianum: *Ignominia est Sacerdotis, propriis studere divitiis.* Et Epistola 83. ad Oceanum, sollicitum Episcopum vult: *Non ut (inquit) opes augeat, non ut regias paret epulas, non ut celatas patinas struat &c. sed ut quod populo praecepturus est, priùs à domesticis exigat.* Una porrò sufficiat S. Bernardi ad Eugenium Papam libr. 4.

S.Bernar. de Consideratione, Cupiditatis & Sollicitudinis nimiae temporalium descriptio, à quibus Episcopum abstinere necesse est: *Quid (inquit) turpiùs, indecentiusq; Episcopo, quam quotidie incumbere supellectili. & substantiae sua, scrutari omnia, de singulis sciscitari, suspicionibus morderi & moveri propter singula quaeque deperdita, aut neglecta:* Et exclamat: *Mira res: Satis superq; Episcopi habent ad manum, cui animas credant, & non inveniunt, cui facultates suas committant, &c. Sed, ut liquidè datur intelligi patienter magis ferunt Christi jacturam, quàm suam propriam. & minùs curant animarum perditionem quàm facultatum suarū amissionem. Quotidianas expensas quotidiano investigant scrutinio, & continua Dominici Gregis detrimenta & vitia nesciunt, aut non curant. De p[illegible]carum & numero panum quotidiana c[illegible] discussio est, rarum admodum de p[illegible]orum examen, nisi forsitan propter e[illegible]pecuniam, &c.* Quae graviter prosequitur, & urget eorum correctionem, in eruans districtissimam rationem, quam ab eis exigit Christus. Vide gravissimas querelas quas contra Paulum Samosatenum, Antiochiae Episcopum, propter insatiabilem ejus Cupiditatem deposuerunt Patres Concilii Antiocheni apud Eusebium l. 7. Hist. c. 23. & 24. Et contra turpe Clericorum lucrum, quae habentur 3. qu. 1. cap. *Si quis.* Et 17. qu. 4. c. *Alias.*

QUAESTIO VIII.

Quid nomine Iusti *inter Qualitates Episcopi intelligatur?*

Quid per Iustitiam hic intelligitur. IUstitia definitur, Virtus sive habitus Iustitiae Divinae conformis, inclinans ad reddendum unicuique quod suum est, sive ad dicendum & faciendum Ius unicuique. Ita ferè Gerson de Origine Iuris & Legum. Ab hac *Justitia* propriè in ordine ad proximum homo *Justus* dicitur: Neque enim hic *Justitia* accipienda est pro Sanctitate aut Justificatione, qua homo per gratiam à peccato mundatur, sed pro virtute morali, quae in alterum tendit.

Porrò triplex hic *Justitia* assignari potest: Altera *Distributiva*, quae distributionem mercedis & promotionem alicujus respicit: Altera *Commutativa*, quae in contractibus humanis attenditur: Et demum *Judicialis*, sive *Legalis*, quam Judex & Superior in causis administrat: His sic praenotatis pono sequentem Conclusionem.

CONCLUSIO.

Neophytus antiquitus dicebatur noviter conversus. EPiscopus speciali ratione ad triplicem illam Iustitiam obligatur. Ad *Distributivam* quidem, ut Beneficia, Gradus, Dignitates in personas benè meritas distribuat: Ad *Commutativam* autem, ut in temporalibus bonis sive acquirendis, sive possidendis, sive administrandis, & in contractibus justè se habeat: Denique ad *Judicialem*, ut in judiciis & causis quae coram se vel Officiali suo deduci debent, aequitatem & discretionem servet: De quibus omnibus latiùs cùm de Officiis Episcoporum infrà differemus.

QUAESTIO IX.

Quid intelligatur nomine Neophyti, *qui ad Episcopatum assumi prohibetur?*

CONCLUSIO I.

NEophytus *antiquitus dicebatur, qui ab infidelitate ad Baptismum à pauco tempore transisset, vel noviter conversus esset.* Ita Nicaenum Concilium can. 2. Et S. Hieronymus Epistola 83. ad Oceanum, dans rationem, cur non debeant ordinari Neophyti, & illius-

modi inordinatam ordinationem exaggerās. Hieron. *Heri (ait) catechumenus, hodie Pontifex, heri in Amphitheatro, hodie in Ecclesia, vespere in circo, manè in Altario, dudum fautor histrionum, nunc Virginum consecrator.* Hæc Hieron. Conc. Nicæn. Cujus rationem reddit Concilium Nicænum: *Nam tempore (ait) opus est, ut sit Catechumenus, & post Baptisma probatione multum indiget.*

CONCLUSIO II.

Neophytus modò intelligitur, qui necdum in Sacris exercitatus est. Ita S. Gregorius l. 7. Epistola 112. ad Siagrium: *Sicut tunc (inquit) Neophytus dicebatur, qui in initio in sanctæ fidei erat conversatione plantatus: Sic modò Neophytus habendus est, qui repentè in Religionis habitu plantatus ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinatè ergo ad Ordines ascendendum est: nam ensum appetit, qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus, per abrupta quærit ascensum.* S.Hieron. Eleganter S. Hieron. suprà: *Momentaneus namque Sacerdos nescit humilitatem observare, & modos personarum vel sese, contemnere; non jejunavit, non flevit, non se correxit, non pauperibus erogavit. In arrogantiam quæ est ruina diaboli incidunt, qui necdum in puncto hora discipuli, fiunt Magistri &c.*

QUÆSTIO X.

Quid per domui suæ benè præpositum *intelligatur?*

CONCLUSIO.

Ille domui suæ benè præpositus *dicitur, qui antequam ad Episcopatum ascenderet, domesticos suos, si quos habuit, in timore Dei, mandatorum observantia, moribus bonis instruxit, vel* S.Bernar. *continuit.* Eleganter S. Bernardus de domus Episcopalis disciplina. *Domum (ait) Episcopi decet sanctitudo, modestia, & honestas, quorum custos est disciplina. In vultu, in habitu, in incessu illorum, qui tecum sunt, nil residere impudicum, nil indecens patiaris.* Et suprà: *Omne quod perperam agitur te præsente, id turpius est. Pertinet ad te; ut hi, quos præ oculis habes; ita sint ordinati in vita, & informati in moribus, quatenus totius honestatis ne condecentia speculum sint & forma. Non licet tibi, ut domesticorum tuorum vitia ultimus scias, &c.*

Iterum: *Domus Episcopi quasi in speculo ponitur, & est Magistra publica disciplinæ: Quidquid in ea agitur, putant omnes sibi licere: Idcircò necesse est, ut suos domesticos & ministros inprimis reformet, ac justè gubernet Episcopus, nec comatulos pueros, comptosq; adolescentulos habeat secum. Certè inter mitratos nō decet currere calamistratos.*

*****

QUÆSTIO XI.

Quid per Hospitalem *indicetur, & qualiter Episcopus ad Hospitalitatem obligetur?*

CONCLUSIO I.

Nomine Hospitalitatis, *omnis justa in pauperes & indigentes Liberalitas continetur, etsi primùm, ut Hospitium peregrinis Episcopus provideat, imponitur.* Vide apud Gratianum totam dist. 42. 85. 86. & 87. ubi reperies qualiter Hospitalitas, & Liberalitas in egentes facienda sit, & quis in donationibus ordo ab Episcopis servari debeat. Unde S. Hieronymus in Commentario Epistolæ ad Titum: *Ante omnia Hospitalitas futuro Episcopo denuntiatur: Si enim omnes illud de Evangelio audire desiderant: Hospes fui, & suscepistis me; quantò magis Episcopus, cujus domus commune esse debet Hospitium: Laicus enim unum aut duos aut paucos recipiens implebit Hospitalitatis officium, episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est.* S.Hieron. Mat.25.35

CONCLUSIO II.

Speciali titulo tenetur Episcopus providere peregrinis & pauperibus, si aliter per fundationes non sit provisum. Unde suppetente substantia, & aliunde deficientibus fundationibus juxta necessitates occurrentes graviter peccat, si non provident.

Hæc est Patrum doctrina communis, quæ fundatur potissimum in eo, quòd ad hoc dotata sit ecclesia Cathedralis, ut Episcopus primò sibi, deinde ecclesiæ & Ministris, de reliquo peregrinis & pauperibus provideat: Unde etiam triplici portione Bona ecclesiastica dividuntur, in Ministros, in fabricam, & in pauperes. De quibus posteà.

TITVLVS III.

De Perfectione Status Episcopalis.

QUÆSTIO I.

An Status Episcopalis sit Status Perfectionis: & quare?

Pro resolutione notandum est 1. Perfectionem summam Viatoris consistere in Charitate & sequela Christi, juxta illud 1. ad Corinth. 13. *Si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam; charitatem autem non habuero, nihil sum, &c.* & concludit: *Nunc autem manent, Fides, Spes, Charitas; tria hæc, Major autem horum est Charitas.* Et 1. Joannis 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est, & cognoscit Deum. Qui non diligit, non novit* Perfectio consistit in Charitate 1.Cor.13. 2. 1.Ioa. 4.7

vit Deum quoniam Deus Charitas est : Ita ut secundum mensuram Charitatis mensuranda sit ratio Perfectionis Unde Notandum 2. à Theologis statui duplicem Statum Perfectionis: Alius est perfectionis Religiosæ, sive Perfectionis Evangelicæ, qui est Status Perfectionis acquirendæ: Alius est Status Perfectionis, Dilectionis Dei, & proximi, qui est Status Perfectionis exercendæ.

Duplex status Perfectionis.

Status Perfectionis Religiosæ: *Est constans obligatio voluntatis humanæ ad Evangelicam, sive Religiosam perfectionem quæ in sequela Christi per Dilectionem consistit, acquirendam.*

Dixi (*constans obligatio voluntatis humanæ*) ut excludam actualem tantum prosecutionem perfectionis, qualis est in iis, qui sine aliqua obligatione pro suo beneplacito actualibus perfectionis exercitiis se addicunt: Qui idcircò non dicūtur esse in Statu Perfectionis, etsi ad perfectionem se exerceant, quia actus illos pro voluntate sua admittūt vel dimittūt: Tales sunt multi sancti sæculares, qui in castitatis, obedientiæ,& paupertatis spiritus actibus se exercent; sed cum ad illa nullo vinculo voti, aut perpetuæ obligationis teneantur, ea extra casum præcepti singularis Divini vel humani dimittere possunt. Unde nomen *Status* illis competere non potest, cùm stabiliter (ut dixi) non obligentur ad Evangelicam Perfectionem, quæ in sequela Christi per Dilectionem potissimum consistit,& ad quam tribus votis, tanquam viis Evangelicis, pervenitur: Nimirum: renuntiatione bonorum temporalium per paupertatem: Abnegatione carnalium affectationum, per castitatem: Immolatione propriæ voluntatis, per obedientiam: Juxta illud Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, & vende quæ habes, & veni, sequere me.*

Mat.19.21 Dixi (*acquirendam:*) Non enim tenentur ad perfectionem illam inesse perfectè acquisitam, sed quam diu in via sunt ad illam aspirare, tendere, & adlaborare debent in exercitio votorum suorum.

Status Perfectionis Dilectionis Dei & proximi, qui est Status Perfectionis exercendæ: *Est constās obligatio voluntatis humanæ ad opera Dilectionis Dei, & Proximi, quantùm licet Viatori, exercenda:*

Dixi (*constans obligatio voluntatis humanæ*) ut iterum actuale tantum exercitium Amoris Dei & proximi, ex solo præcepto, absque voto vel stabilitate constantis & obligationis voluntatis, excludatur.

Dixi (*ad opera Dilectionis Dei & proximi:*) Quibus nimirum Deus propter seipsum, proximus propter Deum diligitur: Quatuor porrò sunt in quibus Perfectio Dilectionis in ordine ad Deum consistit: Nimirum 1. Ut omnia quæ homo facit, in Deum ut in finem referat: juxtà illud 1. ad Corinth. 10 *Sive manducatis, sive bibitis, vel aliud quid facitis omnia in gloriam Dei facite*, & hoc est diligere Deum ex toto corde. 2. Ut omnem intellectum suum homo subjiciat Deo, credens omnibus quæ divinitus tradita sunt, secundum illud Apostoli 2. ad Corinth. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*.& hoc est diligere ex tota mente. 3. Ut omnem suum affectum interiorem Divinæ Dilectioni sacrificet: Et hoc est Deum diligere ex tota anima. 4. Ut omnia exteriora corpus, animam, vitam Deo dedicet; & hoc est diligere Deum ex tota fortitudine sua. Tres iterum sunt gradus Dilectionis proximi propter Deum. 1. Quo omnem affectum propter Deum non tantum amicis,sed etiam inimicis impendimus,2.Quo bona temporalia, labores, & sudores proximorum subsidio & saluti impertimur. 3. Quo vitam & sanguinem, ubi necesse est, pro eorum salute profundere parati sumus.

1.Cor. 10. 31.

2.Cor.10.5

Dixi (*quantùm licet viatori*) ut excludatur summus amor comprehensorum, qui continuato actu in Deum, & Dei amorem absorbentur.

Dixi (*exercenda*) Hic enim amor in exercitio maxime consistit, quamvis in habitu per multos actus acquiratur.

Conclusio I.

Episcopi non sunt formaliter in Statu Perfectionis Religiosæ sive Evangelica.

Episcopi non sunt formaliter in statu Perfectionis Religiosa.

Ratio clara est: Quia non tenentur ad paupertatem Evangelicam, cùm possint etiam bona temporalia possidere: Et quamvis obedientiam Sedi Apostolicæ promittant, illa tantùm submissionis est intra terminos certos conclusæ, non verò totalis abnegatio voluntatis propriæ.

Dixi (*non sunt formaliter in Statu Perfectionis Religiosa*) sunt enim, ut statim dicemus, eminenter, & in esse magis perfecto.

Conclusio II.

Episcopi ex vi sua Consecrationis sunt in Statu Perfectionis, Dilectionis Dei & proximi exercenda.

Ratio fundamentalis est: Quia ex vi Status & Consecrationis, tenentur ad supremos actus Dilectionis, qui sunt, se & omnem suam operam & laborem, denique vitam suam profundere pro salute ovium sibi commissarum propter Deum, & Dei Amorem. Hos supremos actus exprimebat S. Paulus, Apostolicam, quæ Episcopalis est, Charitatem extollens ad Rom. 8. *Quis nos* (inquit) *separabit à Charitate Christi? Et respondet: Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli neque Principatus, neque virtutes neque instantia neque futura neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum neque creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei &c.* Quam Charitatem exemplificans c. 9. *Optabam* (inquit) *ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis &c.* In quæ verba S.Chrysost. lib. 1. de compunctione cordis, expendens vim amoris tum Dei, tum proximi, quæ in illis consi-

Rom.8.35.

Rom.9.3.

continebatur. *Ita enim* (inquit) *totam ejus mentem devinxit Amor Christi, ut etiam hoc, quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo, rursus idipsum, quia ita placeret Christo contemneret.*

Ad omnia autem illa Episcopos teneri ex vi
10. Joan. 11. Consecrationis Episcopalis, constat ex cap. 10. Joann. exemplo aliato boni Pastoris, cui proprium & obligatorium est, dare sive ponere animam suam pro ovibus suis. Quod qualiter
sit actus summæ Charitatis ostendit Joannes 1:
1. Joan. 3. 16. Epistola cap. 3. *In hoc* (inquit) *cognovimus Charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere.*

Dixi (*ex vi sua Consecrationis*:) Ita indicat
1. Tim. 6. 12. S. Paulus 1. ad Timoth. ult. *Certa* (ait) *bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, & confessus bonam confessionem*: scilicet *in tua Ordinatione*, inquit Glos-
Gloss. sa: Hoc ipso enim, quo Episcopus ordinatur Pastor: se implicita professione obligat ad omnia veri Pastoris Munia, quorum supremum est dare animam pro ovibus suis, qui est eminentissimus Divinæ Dilectionis actus.

Dices: Religiosus Status obligatur ad paupertatem, & obedientiam: ergo Episcopatu magis perfectus est. Respondeo: Negando Consequentiam; Paupertas enim, quæ in renuntiatione bonorum temporalium, & obedientia, quæ in abnegatione propriæ voluntatis consistit, non sunt formales actus Amoris Dei, sed via ad Amorem: Perfectio enim tota consistit in sequela Christi in unione ad Christum, ad quam abnegationes istæ, tanquam impedimentorum remotiones, disponunt: Unde & Religiosi (ut diximus supra) in statu Perfectionis acquirendæ sunt, quia per vias illas ad purum Dei Amorem continuis exercitiis tendunt. Aliud est de Episcoporum statu: Hic enim non ad actus viæ, sed ad actus termini, qui est Amor Dei supremus, quantùm Viatori licet, tenentur: Qui enim cæteros purgare, illuminare, & perficere ut Hierarchiæ obligantur, ad actus Amoris purgativi, illuminativi, & perfectivi ex consequenti se obligarunt. Pro quorum omnium intelligentia pono tertiam Conclusionē.

CONCLUSIO III.

Actus, ad quos obligantur Episcopi ex vi status, continent eminenter omnem perfectionem Religiosam in executione.

Conclusionem sic declaro: Eminentius imprimis est se & sua Deo in Pauperibus impendere, quàm bonis temporalibus renuntiare; Eminentiùs enim bonis temporalibus renuntiat, qui ea, ut in oves dispendat administrat: Eminentiùs renuntiat, qui non solùm bona temporalia, sed seipsum, vitam, & animam suam pro ovibus donandam exponit.

Rursus in eminentiori perfectione voluntatem suam abnegat, qui omnem voluntatem, propter Deum, in ovium suarum salutem resignat. Benè omnia reliquit, qui in ovibus omnia sua Christo consecravit: Quam eminentiam gradatim declarat S. Paulus 1. ad Corinth. 3. *Omnia* (inquit) *vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive* 1. Cor. 3.
vita sive mors, sive præsentia sive futura; omnia 22.
enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei, quasi dicat: Paulus, Apollo, Cephas, Episcopi vestri vobis in Christo dedicati sunt cum omnibus, quæ in vestram salutem cedere possunt, vos autem Christi, id est, vobis propter Christum, sive ut sitis Christi dedicata sunt, & Christo consecrata, quia Christus Deus est, & Filius Dei.

Gradationem etiam perfectissimæ Dilectionis observavit S. Thomas Opusc. 18. c. 17. in verbis Christi ad Petrum 1. Ioan. ult. *Simon Ioannis diligis me plus his*: ubi ad ejusdem interrogationis trinam repetitionem, & trinam responsionem, trinum mandatum imponit tertio dicens: *Pasce Agnos sive oves meas*, q. d. pasce Joan. 21.
verbo; & spirituali ministerio, pasce exemplo, 15.
pasce temporali subsidio, ut trinam dilectionē, quam trina responsione professus es, opere ostendas, corpus, animam, bona temporalia in ovium pastum impendendo.

Dices: Vita contemplativa majoris Perfectionis, & consequenter Dilectionis est, quam activa: Atqui contemplativa vita Statui Religioso, & non episcopali convenit: Ergo major Perfectio competit Statui Religioso. Major est S. Dyonisii Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. 6. Ubi docet Monachos vocari, ex Dei puro servitio & famulatu, ac indivisibili, ac singulari vita, tanquam uniente ipsos indivisibilium sanctis convolutionibus, id est, ut explicat D. Thomas contemplationibus, ad Deiformem levitatem, & amabilem Deo Perfectionem.

Respondeo: Non deesse vitam contemplativam Episcopis, activæ vitæ nuptam, quæ perfect or est sola se ipsa; Imò eminenter, & majori ratione contemplativam in Episcopis reperiri: *Omnis namque Pontifex* (inquit D. Paulus ad Heb. 5.) *ex Hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Nimirum, ut sicut aliter Moyses Deut. 5. sit seque- Hebr. 5. 1.
ster & medius inter Deum & populum, ut intret in caliginem, ut videat posteriora vidētis se, ut loquatur tanquam amicus cum amico Deut. 5.5.
suo, ut responsa & oracula Dei ad populum referat, quia, ut diximus, purgare, illuminare, & perficere debet: Ordo enim Pontificum te ste S. Dionysio perfectivus est. In actibus itaque suis eminenter contemplativam continēt Episcopi, qui mediatores sunt ad Deum, & doctrina Fidei, ac supremæ dilectionis populo principantur.

Vide præclara apud S. Thomam Opusc. 18 per totum, specialiter tamen c. 16. 17. & 18. &c.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An aliquis Episcopatum sibi appetere, & petere possit?

RAtio dubitandi est: Quia cùm Episcopatus sit status Perfectionis exercendæ, si aliquis possit desiderare Religionem, quæ est status Perfectionis adipiscendæ, multò magis posset desiderare & omni conatu quærere Episcopatum, qui, ut dicitur, est status Perfectionis exercendæ. Unde & Paulus 1. ad Timoth. 3. *Si quis (ait) Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. &c.*

1.Tim.3.1. Pro resolutione advertendum est: Duo in Episcopatu attendi posse; Alterum est Dignitas & Honor, cum Facultatibus, quæ Episcopatum concomitantur: Alterum est Opus, sive potius onus ipsum Episcopale, quod in curam animarum & Ministerium impendere, & in quo desudare & certare usque ad mortem, debet Episcopus. Hoc sic animadverso pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Non licet Episcopatū appetere propter Dignitatem &c.

N*On licet Episcopatum appetere aut quærere ratione Dignitatis, Honoris, Facultatum, quæ Episcopatum concomitantur vel subsequuntur:* Ratio est: Quia illud vitium cupiditatis est, & ambitionis, quod removet Apostolus dum operis mentionem facit, non Honoris. Unde Hieronymus Epistola 83. ad Oceanum. *Si quis Episcopatum desiderat, bonum Opus desiderat; Opus non Dignitatem, Laborem, non Delitias, Opus per quod humilitate decrescat, non intumescat fastigio.* Et Augustinus l. 19. de Civitate Dei c. 19. *Exponere (inquit) voluit quid sit Episcopatus; quia nomen est operis, non Honoris.* Et apud Chrysostomum Homil. 35 in Matth. *Primatum Honoris concupiscere vanitas est, Primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se odit.* Unde & Eccli. 7 *Noli quærere à Domino ducatum, neque à Rege Cathedram Honoris.*

CONCLUSIO II.

I*Ntentione mera charitatis Dei & proximi, & animarum Zelo desiderare Episcopatum, si impuritas intentionis absit, malum non est, sed & meritoriè fieri potest.* Hoc etiam indicant Patres S. Augustinus suprà: *In actione non amandus est Honor in hac vita, sive Potentia, quoniam omnia vana sub sole, sed opus ipsum, quod per Potentiam fit, si rectè atque utiliter fit, ut valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundùm Deum est.* Et Theodoretus in locum Pauli 1. ad Timoth. 3 *Non accusat (ait) simpliciter cupiditatem, sed ambitionem, Magistratus gerendi desiderium; & docet non Honorem, sed Virtutem appetere; non desiderare Dignitatem, sed Dignitatis officium inquirere.*

S. Ambr. Complete Conclusionem docet S. Ambrosius in eundem locum Pauli *Quoniam (ait) Episcopum bona vita esse oportet, ideirco qui Episcopatum cupit, bonum opus desiderat: Hoc enim cupiens bonam vitam appetere videtur.* Intentionem verò modificat verbis sequentibus: *Si tamen non ab iis declinet, quæ in subjectis habentur, ne ambitione, & desiderio peccuniæ hoc egisse videatur.* Hæc Ambrosius.

S. Gregor. Errorem verò, & pallium fucatum intentionis discooperit candidè S. Gregorius in Pastorali 1. par. cap. 8. ubi cùm dixisset, *Tunc laudabile fuit Episcopatum quærere, quando per hunc quemq; dubium non erat ad supplicia graviora* (scilicet Martyrii) *pervenire.* Malitiam intentionis aperiens subdit: *Sacrum quippe officium non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis, cæterorum subjectione pascitur; laude propria lætatur; ad honorem cor elevat; rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant.* Hæc Gregorius.

Alvarus noster Pelagius libro de planctu Ecclesiæ art. 18 ex Hieronymo & Gregorio: *Illo tempore ab Apostolo (inquit) dictum est: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, quo quisquis plebibus præerat, primus ad Martyrii tormenta trahebatur: Tunc ergo fuit laudabile Episcopatum quærere, quando per hoc non dubium erat ad supplicia graviora pervenire.*

CONCLUSIO III.

Id tamen viro etiā perfectè periculosum. S. Thom.

V*Iro etiam perfectè periculosum est ex se Episcopatum quærere, quantumlibet intentione pura.* Est S. Thomæ opusc. 18. cap. 9.

Ratio est: Quia multis periculis se exponit, qui Prælationis statum ex se assumit, sive quærit, etsi sibi sufficiens videatur.

S. Gregor. Præclara similitudine Conclusionem explanat S. Gregorius in Pastorali p. 1. c. 9. *Plerumque (ait) in occupatione regiminis ipse quoque boni operis usus perditur, qui in tranquillitate tenebatur, quia quieto mari rectè navim etiam imperitus Nauta dirigit: perturbato autem tempestatis fluctibus etiam peritus Nauta se confundit. Quid namque est potestas culminis, nisi tempestas mentis? in qua dum cogitationum semper procellis navis quatitur, huc illucq; incessanter impellitur, ut per repentinos excessus oris & operis, quasi per obviantia saxa frangatur.* Hæc Gregorius. Experientia sane constat, & Historiæ tradunt plurimos, qui in inferioribus gradibus vitæ sanctitate, & operibus sapientiæ excellebant, in episcopalibus velut clavo amisso & turbationibus fractos à gradu vitæ sanctæ, & operationis bonæ excidisse.

Petes. Quid ergo agendum? Concilium dat S. Augustinus lib. 19. de Civitate Dei cap. 19. *A studio (ait) cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium, locus vero superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita*

ecessitate teneatur, & administretur, ut decet, indecenter tamen appetitur. Quid ergo? Respondet. *Quamobrem otium sanctum quaerit Charitas Veritatis, Negotium justum suscipit Necessitas Charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit percipienda atque intuenda vacandum est Veritati: Si autem imponitur, suscipienda est propter Charitatis Necessitatem.* Hæc S. Augustinus, cujus aureis verbis & consilio nihil addendũ aut demendum puto.

TRACTATUS VIII.

De variis Episcoporum Officiis, & Potestate.

QUÆSTIO SUMMARIA.

Quæ sint officia, ad quæ obligantur Episcopi?

CONCLUSIO.

Tria Episcopi officia. Pascere Custodire, Regere.

Officia ad quæ Episcopi obligantur tria sunt, quæ his terminis recte exprimi possunt, Pascere, Custodire, & Regere.

Pascere tribus etiam partibus constat, quæ distribui possunt in *Instructione, sive verbo doctrinæ; Sacramentorum administratione; Subsidio temporali & spirituali.*

Custodia tres similiter partes sibi assumit, quæ sunt *Lupos arcere; Errantes in caulam Domini reducere, Ponere animam pro Ovibus.*

Regimini etiam tres potissimum actiones conveniunt: Nimirum: *Præsentia Ovibus adesse; Vultum pecoris agnoscere; Delinquentes corrigere.*

Etsi porrò multa de his dicta sint, ne tamen aliquid omisisse videamur, de singulis nonnulla proponemus, & resolvemus per Titulos & Sectiones sequentes.

TITVLVS I.

De Officio Episcopi, quod est Oves pascere.

Quid ad Pastum Ovium spectet.

AD Pastum Ovium tria spectare jam diximus, nimirum; Instructionem sive verbum Doctrinæ; Sacramentorum Administrationem: & Subsidium tam temporale, quam spirituale, juxta quæ in tres Sectiones hunc titulum partior.

SECTIO I.

De Subditorum Instructione.

RElegenda hic sunt, quæ Titulo 2. Dubio 1. De Doctrina necessaria: & dubio 2. de Eloquentia & Prædicatione, è nobis sunt dicta: unum superest dubium, pro quo sit,

QUÆSTIO UNICA.

In quo consistat Instructio, ad quam Ovibus suis impendendam Episcopus tenetur ex Natura Episcopatus?

CONCLUSIO.

EX vi & natura Episcopatus, tenetur Episcopus sub peccato mortali providere, ut per se, vel per idoneos Ministros plebs instruatur in necessariis ad salutem, & unusquisque eorum juxta vocationem suam.

Ratio fundamentalis sumitur, ex verbis Apostoli Act. 20. *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo.* Et ad Hebr. importantiam rei specificat: *Ipsi pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Et Ezech. 34. *Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum de manu eorum. &c.* Cum igitur primum fundamentum nostræ salutis sit debita Instructio in necessariis ad salutem: *Si necessariorum* scientia ex negligentia Pastoris deficiat in aliquo etiam individuo, perditio ejus in Pastorem redit, & ab illo anima exigetur. Unde S. Gregorius l. 1. hom. 11. in illud Ezech. 3. *Audies de ore meo verbum &c. Præpositus* (inquit) *sine culpa non est, quando verba vita non audiens. ex sua culpa moritur Subjectus: Hunc ipse occidit, quia eum morti tacendo tradidit; ubi enim Subjectus ex sua culpa moritur, ibi is qui præest. quia tacuit, reus mortis invenitur. Tot occidimus, quot ad mortem ire quotidie tepidi & tacentes videmus.* Hæc Gregorius.

Act. 20. 28
Heb. 13. 17
Eze. 34. 10
S. Greger.

Dixi (*per se, vel per idoneos Ministros*) Est Concilii Tridentini sess. 5. de reform. cap. 2. ubi gravissima animadversione utitur in eos, qui in Instructione populi deficiunt, & totum onus in Episcopos revolvit, ut provideant has Instructiones fieri per Pastores &c. curam animarum habentes, vel Ministros idoneos, quibus etiam de honesto stipendio ex proventibus eorum, qui ad id munus tenentur provideri mandat. Et quamvis Concilium utatur nomine Prædicationis, per Prædicationem tamen non intelligit illam dictionis rethoricæ Eloquentiam, sed debitam Instructio-

Cōc. Trid.

ctionem & Doctrinam, quæ ad finem sufficiens sit, sive fiat per Catechismum, sive alio modo competenti, imò ex verbis Concilii aperte colligitur, quòd non teneantur ad illam eloqui elegantiam, quam præ se ferunt Concionatores, sed ad brevem, facilem, & intelligibilem Doctrinam, quæ in forma Catechismi, Instructionis, & admonitionis utilius fit.

Dixi *(in necessariis ad salutem)* Ita Tridentinum suprà, ubi omnibus curam animarum gerentibus mandat; *Ut per se vel alios idoneos, plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis: Docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoq; eis cum brevitate & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.* Quæ verba ex c. 9. Regulæ S.P.N. Francisci desumpta sunt: Ubi S. Franciscus monet Fratres: *Ut in Prædicatione quam faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia, ad utilitatem & ædificationem populi, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam, cum brevitate sermonis.* (*Con. Trid.* / *S. Franc.*)

Quæ autem sunt necessaria ad salutem, quatuor fere terminis concluduntur: nimirum: Mysteriis fidei; Observatione mandatorum Dei & Ecclesiæ; Studio operum misericordiæ, & virtutum; Susceptione Sacramentorum.

Dixi *(Unusquisq; juxta vocationem suam)* diversis enim diversa dogmata conveniunt: Unde Apostolus ad Titum 2. *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam. Senes ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia: Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices &c.* Et subdit: De adolescentulis & juvenibus: Et alibi habet, de officio parentum ad filios, & reverentia filiorum ad parentes, de Dominis respectu famulorum de servis respectu Dominorum &c. Hæc enim Doctrina ad salutem necessaria est unicuique juxta vocationem suam. (*Tit. 2. v. Vers. 2. Vers. 3.*)

Ex quibus omnibus manifestum est: Quòd Episcopi teneantur in conscientia, & sub pœna damnationis æternæ providere efficaciter, non perfunctoriè & per modum quendam consuetudinarium, non tantùm ut Catechismi & conciones fiant, sed etiam ut tali modo fiant, ut populus de facto instruatur, & necessaria ad salutem sciat; alioquin væ, & millies væ, si ex defectu Doctrinæ & Instructionis subditi aliqui pereant, animæ enim eorum de manu Pastorum requirentur. Unde amplius dico: Non esse satis Episcopo præcipere Pastoribus, ut prædicationes & Catechismos faciant, sed debere omnem vigilantiam adhibere & cogere, ut de facto fiant, & competenter ad Instructionem subditorum fiant, etiam per censuras Ecclesiasticas, & alia juris & facti remedia, ut benè urget Conc. Trid. supra. (*Quid faciendum Episcopo ut obligationi satisfaciat?*)

SECTIO II.

De Sacramentorum Administratione & specialiter de Sacramento Confirmationis.

QUÆSTIO UNICA.

Qualiter Sacramentorum Administratio ad Episcopale Officium spectet?

Sacramentorum etiam Administrationem ad Pastum Ovium, & Episcopali Officium pertinere nemo ambigere potest: Ita ut Episcopus providere debeat, ut si nolit, aut non possit per se, per alios tamen Ministros, ut Parochos & Vicarios, Sacramenta ministrentur: Unde est illud Gregorii l. ult. Registri in fine: *Censemus eos, qui Apostolorum figurâ tenent prædicare, baptizare, communionem dare, pœnitentes suscipere peccata solvere.* Unde & Math. ult. mittuntur Apostoli baptizare. Et Ioan. 20. Potestas remittendi & retinendi peccata eis committitur. Prò quo sit (*S. Gregor. Math. ult. Ioan. 20. 23.*)

CONCLUSIO I.

Administratio Sacramentorum quorumcumq. primariè & per se pertinet ad Episcopale Officium. Ita Canon 40. Apostolorum apud Clementem: *Presbyter & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertententi Nam Domini populus illi commissus est & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.* Et Tertullianus l. de Baptismo: *Ius habet dandi Baptismum Summus Sacerdos, qui est Episcopus, debinc Presbyter & Diaconi, sed non sine Episcopi auctoritate.* (*Canon. 40. Apost. apud Clem. Tertull.*)

Hinc processit sanctorum Episcoporum tanta dilligentia in administrandis Sacramentis in civitatibus suis: In qua præfulsit Episcoporum exemplar S. Carolus Borromæus.

CONCLUSIO II.

Multiplicata Ecclesia, & locis in Parochias distinctis, assignatisq; Ministris sufficientibus: *Etsi Episcopi per se conferre Sacramenta, Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, Matrimonii non teneantur Tenentur tamen tantam vigilantiam adhibere, ut Parochi & Ministri constituti administrent Sacramenta maximè necessaria qualia sunt Baptismus, Pœnitentia, Eucharistia & Extrema Unctiò, ut si vel negligentiam Pastorum tolerent, vel in idoneos aut negligentes instituant alienis peccatis gravetur, & peccata illorum sibi imputentur*

Gravissimè id ponderat S. Chrysost. Hom. 3. in acta: ubi de Episcopi cura loquens: *Nihil* (inquit) *dico præterea Si vel unus tantùm decedat non initiatus* (id est non baptizatus:) *Nonne totam ipsius* (id est Episcopi) *subvertit salutē? Unius enim animæ perditio tantam habet jacturam, ut nulla ratione æstimari possit.* Hæc Chrysost. Sed de his ampliora, ubi de Parochorum Officio differemus. (*S. Chryf.*)

Q CON-

CONCLUSIO III.

Multiplicatis Ministris in ecclesia moderna, tantùm Administratio Sacramentorum Confirmationis & ordinis Episcopis de praecepto remansit, nisi fortè in locis persecutionis & infidelium: Ubi defectu Ministrorum in Episcopum administratio Sacramentorum regreditur.

Conclusio patet ex natura rei, & ex duabus prioribus Conclusionibus.

QUÆSTIO IV.

Cõfirmationem tenetur Episcopus opportunè ministrare. *Confirmationis Sacramentorum, etsi de necessitate salutis non sit, tenetur tamen Episcopus illud opportunè ministrare servatis ritibus & dispositionibus necessariis, tam ex parte Ministrantis, quam aerum, quibus ministratur.*

Ut autem compendiariam doctrinam de Sacramento Confirmationis Lector accipiat, pono sequentem Appendicem.

APPENDIX I.

Elucidativa Sacramenti Confirmationis.

De Sacramenti Confirmationis Natura, Materia, Forma, Ministro, & aliis ad illud requisitis.

Ut omnia, quæ ad Sacramenti Confirmationis rationem spectant, simul breviter explicari posfint, pono generalem ejus descriptionem.

DESCRIPTIO

CONFIRMATIONIS.

Descriptio Confirmationis. *Confirmatio est Sacramentum nova Legis, à Christo Domino institutum, quo homo baptizatus Chrismate in fronte, in modum Crucis, cum certa verborum Forma à Ministro idoneo ungitur, gratiam conferens & Characterem imprimens, ad Fidem Christi profitendam.*

Dixi (*Sacramentum nova Legis*) ut excludantur mera signa, & Sacramenta antiquæ Legis, estque genus descripti sive definiti.

Dixi (*à Christo Domino institutum*) omnia enim Sacramenta novæ Legis, à Christo, juxta communem Thologorum sententiam, instituta fuerunt,& Apostolis tradita, tempore opportuno Ecclesiæ declaranda. Unde & Confirmationis Sacramentum, etsi non fuerit ante Christi ascensionem usurpatum, imò & post ascensionem alio quodam ritu per impositionem manuum æquivalenter ab Apostolis ministratum, tamen à Christo fuisse institutum in ultima cœna, cum septem Sacramentorum columnis fulcivit ecclesiam suam Deus, communis Schola docet. Ita D. Thomas, Scotus, Richardus, & alii. *S.Thom.*

Christus igitur Formam & Materiam determinavit, & quamvis per potestatem Excellentiæ supremam eundem effectum impositioni manuum à principio tribuerit; Materiam tamen specialem & Formam Ecclesiæ jam dilatatæ usurpandam servavit, & mandavit, ut de nonnullis aliis Sacramentis etiam Traditione manifestum est.

Dixi (*quo homo baptizatus &c.*) Sacramento enim Confirmationis insigniri nemo potest, nisi Baptismum, qui est janua Sacramentorum, receperit.

Advertendum autem est, hominem baptizatum quacumque ætate, imò & quocumque momento, Sacramento Confirmationis insigniri posse, nec ætatis aut sexus, aut conditionis cujuscumque in baptizato ratio haberi debet. Unde quidam antiquus Theologus ex Urbano Papa de Consecratione distinct. 5. c. *Omnes fideles: Omnes fideles* (ait) *per impositionem manuum Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur.* Convenit utique omnibus, ut in eis gratia baptismalis augeatur, quo majoris præmii in beatitudine sint participes. Convenit etiam omnibus roborari, ad ferendam persecutionem præsentem vel futuram, quia omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur. Et prosequitur: Nec mulieres excluduntur, quæ aptæ sunt ad pugnam spiritualem: Nec pueri, qui licet ante usum rationis non sint in pugna, expectant tamen futuram, & congruit armari ante pugnam: Nec transeuntes, quia enim in morte est pugna gravissima & maxima, necessarium est robur constantiæ in fide & charitate: Nec muti, quia si non in verbo, tamen opere & nutu confiteri possunt fidem, &c. Sufficit igitur ad Sacramentum Confirmationis, ut quis sit baptizatus. Quod enim de infantibus ante usum rationis objici posset, quòd non expediat illos confirmari, eò quòd adulti Confirmationis memoriam non haberent, inutile est. Sicut enim Baptismi suscepti ex parentum & patrinorum testimonio certitudinem habent, ita & Confirmationis acceptæ eadem via assecurari possunt. Unde & infert quidam: non esse in infante differendam Confirmationem, ne si absque ea discederet gradu gloriæ privaretur, qui gratiæ Confirmationis respondet, & accidentali præmio, qui ex Charactere velut elucet.

Dixi

Materia, Unctio cū Chrismate ab Episcopo benedicto.

Dixi (*Chrismate ungitur*) Chrisma enim, quod ex oleo olivarum & balsamo conficitur, & ab Episcopo consecratur feria 5. Cœnæ Domini, Materia remota est, Unctio autem proxima.

Dixi (*in fronte, in modum crucis*) hæc est enim figura illius Unctionis ad Sacramentum Confirmationis requisita; Mystice quidem, quia ad crucis virtutem potestandam crux in apertissima capitis parte, in fronte scilicet, provide signatur: deinde ut verba Formæ verificentur: *Signo te signo crucis &c.* Unde est illud Stephani Papæ ad Quirinlianum Episcopum: *Numquid non omnia Chrismata Sacerdotalis Mysterii, crucis figura perficiuntur.*

Dixi (*cum certa verborum Forma*) Forma autem Sacramenti Confirmationis sunt verba sequentia: *Signo te signo crucis, & Confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: Amen.*

Minister ordinarius Episcopus. Melchiades.

Dixi (*à Ministro idoneo*) is autem ex ordinatione sua solus est Episcopus, ut habetur ex Melchiade Papa d. 5. de consecr. c. *de his.* Et c. *Manus quoque* ex Eusebio Papa Epistola 3. ad Episcopos Tusciæ & Campaniæ: *Manus quoq; impositionis Sacramentum* (ait) *Magna veneratione tenendum est quod ab aliis perfici non potest, nisi à summis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis legitur aut scitur peractum esse, nec ab aliis, quàm ab illis, qui eorum tenent locum, unquam perfici potest, aut fieri debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habeatur & vacuum, nec inter Ecclesiastica unquam reputabitur Sacramenta.* Quæ verba de Potestate Ordinis & ordinaria intelligenda sunt: Ex suprema enim Potestate Summi Pontificis legimus aliquando dispensarum fuisse, ut simplex Sacerdos Confirmationem administraret in regionibus infidelium, ubi Episcoporum copia non erat. Sed qui sic confirmabant, non ex Potestate Ordini annexa, sed ex extraordinaria dispensatione supremi Vicarii Christi, auctoritate ipsi in hoc casu commissa a Christo, confirmabant. Quod ex factis Pontificum juste interpretari possumus.

Ex dispēsatione Papæ simplex Sacerdos.

Dixi (*gratiam conferens*) hoc enim commune est Sacramentis novæ Legis, ut gratiæ quidem justificantis augmentum Sacramenta, quæ dicuntur vivorum, conferant, & aliam gratiam actualem Sacramento convenientem in tempus reservent, quæ in Confirmatione est robur quoddam & fortitudo divinitùs præstita, quando in persecutione vel occasione fides est protestanda, aut tentationi resistendum.

Et hac ratione aliquando à Patribus dicitur Confirmationis Sacramentum baptizato necessarium, non necessitate absoluta salutis, sed ut quis in persecutione aut gravi tentatione persistere in fide & charitate possit. Unde & Melchiades Papa Epistola ad Episcopos Hispaniæ apud Gratianum de Consecrat. one d. 5 cap. *Spiritus sanctus: Spiritus sanctus* (ait) *qui super aquas baptismi salutifero descendit illapsu, in fronte plenitudinem tribuit ad innocentiam, in Confirmatione augmentum præstat ad gratiam. Et quia in hoc mundo tota ætate victuris inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est &c. post Baptismum confirmamur ad pugnam &c. Et quamvis continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia; Victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia.* Infrà: *Confirmatio armat, & instruit ad agones mundi hujus, & prælia reservandos &c.*

Dixi (*Characterem imprimens:*) Est enim ex illis Sacramentis, quæ irreiterabilia sunt ratione Characteris impressi. Vide c. *Dictum est, &c. De homine*, apud Gratianum supra.

Quid in Cōfirmāte requiratur.

Petes 1. Quæ requirantur dispositiones in Sacramento Confirmationis ex parte Confirmantis?

Respondeo: Tres præcipuè requiri conditiones in Confirmante 1. *Ut sit in statu gratiæ*: Cum enim ex vi Ordinationis (ut diximus) Potestas confirmandi illi competat, resuscitare in se debet gratiam, quam ad conferendum hoc Sacramentum accep t: Sicut & de ministerio aliorum Sacramentorum communi schola docet, Ad quos autem actus teneatur, ut censeatur in gratiæ statu ministrare, vide quæ diximus, agentes de ordine.

2. Requiritur, *ut servet ritus essentiales*, qui consistunt in Chrismate, forma verborum, unctione in modum crucis, quorum omissio peccatum mortal. causaret.

Dico (*Ritus essentiales:*) Sunt enim aliqui accidentales, ut parva alapa, quæ datur Confirmato, in signum patientiæ & humiliationis Christianæ, quam omittere ex causa, vix crederem peccatum etiam veniale esse.

3. Ex antiquis Canonibus requirebatur, *ut Episcopus confirmans esset jejunus*, ita habetur c. *ut Episcopi* apud Gratianum suprà ex Concilio Meldensi, sed crederem in necessitate, ubi multus est populus, & magnus labor, Episcopum ad hoc præceptum sub peccato non teneri, quamvis ob reverentiam Sacramenti sit consulendum, ut à jejuno administretur.

Nota.

De Obligationibus autem Episcopi ad Confirmationem administrandam aliud dicere non possumus, nisi quòd attendat, ut juxta rationem Diœcesis suæ, ita frequenter ministret, ut non desit in re tam utili & necessaria populo suo: Negligentia enim gravis excusari non potest à peccato mortali.

Petes 2. Quæ dispensationes requirantur in Confirmando.

Respondeo: Triplicem etiam dispositionē requiri, 1. *Ut sit in gratia*, & Confessionem peccatorum, si sit adultus, præmittat: Ita c. *Ut jejuni* de Consecr. d. 5. ex Concilio Aurel. c. 3. *Ut jejuni* (inquit) *ad Confirmationem veniant perfectæ ætatis, ut moneantur Confessionem facere prius, ut mundi donum Spiritus sancti valeant accipere.* Ex quibus colligitur sub peccato qui-

ro quidem mortali obligari Confirmandum, dum confirmatur, esse in statu gratiæ, aliàs obicem poneret gratiæ sacramentali, & ad hoc monendum, ut confessionem sacramentalem præmittat: Modò tamen, sive per contritionem, sive aliunde, sit in gratia, nō necessariò præmittendam Confessionem, quia nullum hic verbum præcipit est, sed dicitur tantum, ut moneantur Confirmandi Confessionem priùs facere, ad finem, ut in gratia Sacramentum recipiant. Unde si aliunde in gratia sint virtute contritionis, actualis confessio non obligat sub peccato mortali.

2. Dispositio est, *ut sit jejunus*, ita habetur c. *Ut jejuni*, immediatè citato. Huic tamen canoni consuetudine derogatum reor, & sub consilio honestatis & reverentiæ relictum: tum ob raritatem Episcoporum confirmantium; tum ob multitudinem & infirmitates puerorum, qui ad confirmationem præsentantur; tum denique quia quis in infirmitate potest confirmari non jejunus etiam immediatè ante mortem.

3. *Ut Patrinus confirmandum Episcopo repræsentet, eiq; assistat.* Hæc tamen conditio tantum præcepti Ecclesiæ est, nec ad valorem Sacramenti requiritur. Debet autem, qui Patrinus assumitur, Confirmatus esse, alioquin ineptus est ad hoc munus: Debet & Catholicus esse: Quomodo enim pro suo Pupillo ad confitendam fidem Christi respondebit, si hæreticus est? Crederem vero in casu quo quis hæreticum in Susceptorem assumeret, quòd non tantùm Susceptor; sed etiam assumens mortaliter peccaret, ob gravem irreverentiam factam Sacramento in ritu gravi, etsi non essentiali.

Porrò Susceptor unus, aut una esse debet, contrahitque cognationem spiritualem cum Confirmato, & Confirmati Patre & Matre, quam etiam contrahunt, si sint unus & una simul, juxta ea quæ de Baptizandorum Susceptoribus à Concil. Trid. traduntur. Unde *Pastor nō est susceptorū nomina scribere, si fieri possit.* gravirer monendi sunt Pastores in Parochiis, in quibus Episcopi Confirmationis Sacramentum ministrant, ut diligenter advertāt, & si fieri potest, scribant nomina Susceptorum vel Susceptricum: Quia plurimi vel ipsi non advertentes, vel quia non advertuntur ab aliis proles in confirmatione suscepisse, non raro sacrilega Matrimonia contrahunt. Vidi ego aliquando tantam confusionem in confirmationis Administratione, ut ferè impossibile esset ad Susceptores attendere, dum aliqui pueri absque Susceptoribus venirent, & extemplò aliquis absque deliberatione assumeretur. Cui confusioni benè provideri non potest, nisi per Pastores puerorum, qui ad Confirmationem offeruntur.

Peres 3. An Christiani ad Confirmationem suscipiendam sub peccato mortali teneantur.

Respondeo 1. Obligari sub peccato mortali ad non contemnendum, sive ex contemptu illam non omittendum.

Respondeo 2. Gravissimis se periculis animæ & corporis exponere eos, qui non suscipiunt, ut superius exposuimus. Unde de Confirmatione semper Patres loquuntur, tanquam de re ob gravissimas dæmonis infestationes internas & externas multùm necessaria. & Concil. Aurelianense suprà citatum, *Nunquam* (ait) *erit Christianus, nisi in confirmatione Episcopali fuerit chrismatus.* Et Melchiades Papa Epistola ad Episcopos Hispaniæ: *Ita conjuncta sunt* (inquit) *hæc duo Sacramenta* (scilicet Baptismus & Confirmatio) *ut ab invicem nullatenus possint separari, & unum sine altero perfici non potest*: Quod intelligi debet in ratione perfectionis, non autem de necessitate Sacramenti, quia nimirum, Confirmatio quædam Baptismi perfectio est: Nam ut ait idem Melchiades: *In Baptismo abluimur, post Baptismum roboramur.* Et ita explicat Urbanus Papa apud Gratianum de Consecr. d. 5. c. *Omnes fideles*: *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post Baptismum accipere debent, ut pleni Christiani inveniantur; quia, cùm Spiritus infunditur, cor fidele ad prudentiam & constantiam dilatatur.* Et hæc de Confirmatione sint dicta.

APPENDIX II.

De Administratione Sacramenti Ordinis.

DE Sacramenti Ordinis Administratione hic nil particulare repetendum credidi, quia longè & latè omnia, quæ in hac materia dici possunt à nobis, dum de Clericis Ordinatis egimus, tractata sunt, quo Lectorem remitto.

SECTIO III.

De Subsidio temporali & spirituali ab Episcopis Ovibus impendendo.

VAriis nominibus Episcopi, ratione Subsidii Ovibus impendendi, in Scriptura nuncupati sunt.

1. Enim vocati sunt *Pastores*; ita Christus Petro Joan. 21. *Pasce oves meas.* Et omnibus Episcopis, & curam animarum habentibus 1. Petri 5. *Pascite, qui in vobis est gregem Domini.* *Quomodo Episcopi ratione Subsidii Ovibus impendendi vocentur.*

2. Vocati sunt *Patres-familias*; de quo sæpius Christus in Evangelio Lucæ 12. Matth. 24. *Quoniam si sciret Pater-familias, qua hora fur veniret, vigilaret utique, & non sineret perfodi domum suam.*

3. Vocati sunt *Dispensatores.* Lucæ 12.

Quis

Quis est fidelis Dispensator, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam. Et Paulus 1 ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei: Hic jam quaeritur inter Dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.*

4. Vocari sunt *Ministri*, non à servitute aliqua, qua plebi subjiciuntur, sed à ministerio, quod praestant, ut eos ad aeternam salutem perducant.

5. Vocantur *Architecti*, juxta illud Pauli 1 ad Corinthios 3. *Quasi sapiens Architectus fundamentum posui, alius autem superaedificat. Unusquisque autem videat, quomodo superaedificet.*

6. Vocantur *Agricolae*, 1 ad Corinthios 3. *Ego plantavi, Apollo rigavit &c. Dei agricultura estis. Dei aedificatio estis.*

Et haec omnia vocabula designant diversas operationes, quas Episcopi tenentur impendere populis suis, pascendo, providendo, dispensando, ministrando, aedificando, plantando.

QUAESTIO I.

Quae spiritualia subsidia obligentur Episcopi suis ovibus praestare?

CONCLUSIO.

Quid Episcopus teneatur. Episcopus tenetur omnem operam spiritualem per se vel alios adhibere suo gregi, ordinariè necessariam ad salutem.

Ratio fundamentalis sumitur ex verbis Pauli Actor. 20. *Attendite vobis & universo Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Et ad Hebreos 13. *Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Unde non tantum tenentur ad Doctrinam necessariam, aut Administrationem Sacramentorum, sed etiam ad consilia bona, afflictorum consolationem, infirmorum levamen, orationem pro omnibus, omnium sollicitudinem, & universaliter ad omnia, quae spiritualis Pastor Ovibus, Paterfamilias Filiis, Dispensator domesticis, Minister in ministerio, Architectus in aedificio, Agricola in plantis spiritualiter agere debent. Unde & Paulus 2 ad Corinth. 11. Ubi omnes suos labores & miserias retulit ob fideles collatas quasi supra omnia exaltat: *Praeter illa quae extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum: Quis infirmatur, & ego non infirmor, quis scandalizatur, & ego non uror, &c.* *S. Chrys.* Ubi Chrysostomus homil. 25. *Nam si qui uni soli domui praest, ac ministros habet, & dispensatores ac curatores, sapo prae curis neque respirat, &c. Qui ergo non unius domus, sed civitatum ac populorum & gentium curam gerit & quidem pro tantis negotiis, & tam sollicitus, ut Pater pro filiis; cogita quid sustinuerit.*

Episcoporum igitur curae est, non tantum ad generalia attendere, sed videre in singulari, quae vitia in populo regnent, quibus mediis remedium illis adhiberi possit. Unde Episcoporum est, adulteria, fornicationes, ebrietates, vanitates vestimentorum, litigia & Processus, inimicitias, & hujusmodi, quae regnant in populis, exstirpare: & privatas etiam personas illis vitiis laborantes monere; Item, quae ad salutem & bonum populi, & animarum profectum sunt & promoveri possunt, omni sollicitudine promovere. Et ut pulchrè monet S. Bernardus Homil. 76. in Cantica: Attendere debet, *ut mandata imperentur dura, clera dispensationum infirmis, consiliorum solida & fortia quae ex intimis sapientia proponunt, sanis & perfectis.* Vide praeclara apud Nazianzenum in Apologia, & sanctum Bernardum loco supracitato. *S. Bernar.*

Dixi *(per se vel per alios)* si enim per se non possint, tenentur invigilare, ut haec omnia per Curatos & Ministros immediatos fiant. Et in hoc consistit maximè periculum salutis Episcoporum.

QUAESTIO II.

Quae temporalia subsidia teneantur Episcopi suis subditis impendere?

Haec quaestio inter gravissimas de Episcoporum obligatione quaestiones non infima est, cujus clarae responsioni eò diligentius insudandum puto, quod non tantum Episcoporum, sed omnium curam animarum habentium, & Beneficiatorum obligationes involvat.

Sensus igitur quaestionis est: An Episcopus egentibus, infirmis in corporali aliqua necessitate existentibus, teneatur per subsidia temporalia, ut eleemosynas pecuniarias, pharmaca, opitulationes externas subvenire, vel curare subveniri. Quae etiam quaestio aliquo modo Parochos, & alios curam animarum habentes concernit. *Sensus quaestionis*

Rationes autem dubitandi sunt. 1. Quia Episcopis cura animarum, non corporum incumbit; Cura autem corporum Communitates & Magistratus concernere videtur.

2. Quia, si quae bona temporalia habent, illa sunt suorum laborum & sollicitudinis stipendia, tum ad sui, tum ad Status conservationem ordinata. Unde & 12. q. 2. c. *Vobis*, & c. *Quatuor*. Bona Ecclesiastica in quatuor partes divisa sunt, quarum una Episcopo, altera Clero, tertia Fabricae, quarta pauperibus cederet: Unde videntur exempti Episcopi ab obligatione in pauperes, quibus utique sua pars assignata est, nec plus obligari, quàm communiter homines laici, ad eleemosynam faciendam.

***

Pro resolutione accurata totius quæstionis nonnulla prætermittenda sunt:

Ecclesia initio Apostoli habuerunt curã pauperum, &c.

1. In initio Ecclesiæ ab Apostolis habitam fuisse curam pauperum & viduarum ac orphanorum, omniumque indigentium, ita ut nullus fidelis tunc mendicare cogeretur. Hoc patet ex Scripturis, nam ad hoc ipsum fideles vendebant bona sua, & adferebant ea ad pedes Apostolorum, omniaque ita communia erant, ut nemo aliquid proprium diceret, Act. 4. & 5.

Act. 4.32.

Circa quod notandum est, non omnes pretium suorum bonorum ad pedes Apostolorum attulisse, sicut nec bona sua vendidisse, nec ad hoc obligatos fuisse (ut verba Petri sonant Actor. 5. *Nonnè* (ait) *manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?*) Illius tamen tunc Christianos passim fuisse charitatis, ut qui bona non venderent, bonorum omnium fructus communi suæ familiæ, & pauperum sustentationi applicarent, ut bene declarat Driedo de Dogmatibus variis cap. 5. p. 5. Illos verò potissimum vendidisse bona sua, qui collegio Apostolico se sociabant, & in Judæa erant: Cum enim illi Apostolos vellent sequi, ut conversioni omnium ad fidem cooperarentur, ut liberiùs id præstarent, fundos & immobilia vendebant, ut de pretio possent ubique fidelibus inservire. Ita Melchiades Papa, 12. qu. 1. c. *Futuram,* ubi sic loquitur: *Futuram Ecclesiam in Gentibus Apostoli prævidebant: Idcirco prædia in Judæa minimè adepti sunt, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes.* Unde, ut bene notat Driedo supra: Judas Christianus propriam habebat possessionem in Damasco, Actor. 9. Simon Coriarius Petrum hospitio recipiebat; Lydia Philippis domum & familiam bonis propriis alebat, & fidelibus benefaciebat, Act. 16. Et in gentibus universaliter fideles bona sua retinebant, unde & apud illos collectæ fiebant una Sabbatorum per Ecclesias, ut eleemosynæ per Apostolos & discipulos in Judæam mitterentur, ad fideles pauperes ibi

Act. 5. 4.

2. Cor. 8. sustentandos, ut videre est 2 ad Corinth. 8. Quod officium quidem alendi pauperes ex communibus fidelium eleemosynis, tamdiu apud Apostolos resedisse constat, donec murmure excitato, cum per seipsos non possent ratione prædicationis Evangelii, ministerium illud Diaconis committeretur, quamvis Apostoli curam provisionis necessariæ non omnino relinquerent, sed ei intenderent, ut benè per Diaconos distribueretur.

Præmittendum 2. Dilatâ per orbem Ecclesiâ, Regibus, Principibus, & primariis viris ac divitibus sæculi ad Christum conversis, tunc nec per sola rerum pretia, aut venditiones, nec per collectas aut eleemosynas mobiles, Ecclesiæ provisum fuisse: Sed Reges, Principes, primarios viros, & divites, ac omnis generis fideles, fundos, agros, domos, imò dominia, præstationes, decimas, fundationes piorum locorum & Hospitalium, Beneficiorum, &c. Ecclesiæ pro amore Dei contulisse ad sustentandos Episcopos, Clerum, pauperes, & ad alia pietatis officia, quorum omnium dispensatores ut plurimum fuere Episcopi, vel supremus ecclesiæ Pastor. Ita Urbanus 1. epistola ad omnes Fideles. 12. qu. 1. c. *Videntes. Videntes* (inquit) *Summi Sacerdotes & alii, atque Levitæ & reliqui Fideles plùs utilitatis posse conferre, si hæreditates & agros, quos vendebant, Ecclesiis quibus præsidebant Episcopi traderent; eò quòd ex sumptibus eorum, tam præsentibus quã futuris temporibus, plura & elegantiora ministrare possent fidelibus communem vitam ducentibus quam ex pretio ipsorum: Cœperunt prædia & agros, quos vendere solebant, Matricibus Ecclesiis tradere, & ex sumptibus eorum vivere. Ipsa verè res in ditione singularium Parochiarum, Episcoporum (qui locum tenent Apostolorum) erant & sunt usque adhuc, & futuris semper debent esse temporibus. E quibus Episcopi & fideles Dispensatores eorum omnibus communem vitam degere volentibus ministrare cuncta necessaria debent, prout meliùs potuerint, ut nemo in eis egens inveniatur, &c.* Quæ latius prosequitur: Qualiter autem Reges, Imperatores, Principes, ac promiscue Fideles tunc dotaverint ecclesias, refertur apud Gratianum. 12. q. 1. c. *Futuram.* vide & c. *Episcopus,* & c. *Præcipimus;* ibidem.

Præmittendum 3. Cùm & in hac generali rerum oblatione, earumque dispensatione confusio oriretur, sive quòd dissiparentur, sive male administrarentur, aut inadequatè & injustè distribuerentur: Remanente Potestate Dispensatoris apud Episcopum, qui de ea disponebat, Bona Ecclesiæ in quatuor partes sunt distributa, quarum 1. Episcopo, 2. Clero, 3. Fabricæ ecclesiarum, 4. Pauperibus cederet. Ita Gelasius I. Papa, Clero, & Ordini, & plebi Brundusii, ut refertur à Gratiano, 12. qu. 2. c. *Concesso. Reditus & obligationes fidelium in quatuor partes (Episcopus) dividat, quarum unam sibi ipse retineat, alteram Clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, Fabricis tertiam quartam pauperibus & peregrinis habeat fideliter erogandam quarum rationem divinæ est redditurus examini.* Similia & expressiora habentur ex eodem Gelasio 1. Epistola ad Episcopos per Lucaniam & Brutios c. 29. quæ refertur ibidem, c. *Quatuor:* Et ex Simplicio Papa, c. *De reditibus.* & c. *Mos est,* ac c. *Sancimus* apud Gratianum ibidem.

Præmittendum 4. Successu etiam temporis, aliqua fuisse Ecclesiæ relicta specialissimo titulo, nullo facto respectu ad Fabricam, vel pauperes, ut quæ in merum solatium ministrorum sunt fundata ad onera particularia, qualia sunt fundatio altaris, capellæ, anniversarii. &c.

Bona Ecclesiæ à Patrimonialibus Clericorum distincta.

Præmittendum 5. Quod cùm interdum Episcopi & Clerici assumerentur, qui hæreditates & patrimonia habebant, Bona patrimonialia semper fuisse distincta à bonis Ecclesiasticis, eorumque rationem habitam, ut cum Ecclesiasticis non miscerentur: Ita habetur 12. qu. 1. c. *Episcopi,* c. *Manifesta,* & c.

Sint

Sint manifesta: His sic præmissis pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Episcopi tenentur curare, ut provideatur egenis, &c.

E*Piscopi, ex vi & natura Episcopatus, tenentur habere curam ut egenis & pauperibus, qui alio modo necessariam sustentationem habere nequeunt, juxta possibilitatem provideatur, sive id fiat per Magistratus & communes eleemosynas Civium, sive ex bonis Ecclesiasticis, pauperibus assignatis vel relictis.*

Hæc resolutio patet ex primitivæ Ecclesiæ primis fundamentis, & ex Apostolorum (quibus succedunt Episcopi) circa hoc sollicitudine, de qua in primo prænotato suprà: Fundaturque in verbis Christi, *Pasce Oves meas*. Ubi Glossa: *Pascere*, (inquit) *Oves, est fideles confortare, ne deficiant, terrena subsidia, si necesse est, Subditis ministrare, & providere*. Nam ut bene S. Gregorius homil. super illo Joan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro Ovibus suis*: *Qui* (inquit) *non dat pro Ovibus substantiam suam, quomodo pro his daturus est animam suam?* Et S. Hieronymus in Epistolam ad Titum explicans illud 1. ad Timoth. 3. & ad Titum 1. *Oportet Episcopum hospitalem esse. Domus* (ait) *Episcopi debet omnium esse commune hospitium, Episcopus enim nisi omnes receperit inhumanus est.* Addit ad hæc verba Hieronymi, Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus in Speculo Episcoporum l. 2. q. 1. *Sed &* (inquit) *miseriis inopum, ac viduarum, & pauperum in sua diœcesi morantium & advenientiū eleemosinis succurrere tenetur cùm domus Episcopi, tota Diœcesis existimanda sit.*

S.Hieron.

Istam autem curam & sollicitudinem intrinsecam esse Apostulatui, & per consequens Episcopatui, declarat S. Paulus ad Gal. 2. Ubi referens missionem suam Apostolicam: *Qui videbantur* (ait) *columna esse*, nimirum, Petrus, Jacobus, & Joannes, *dexteras dederunt mihi & Barnaba societatis* (scilicet ad Apostoiatū) *tantùm ut pauperum memores essemus*: *Quod etjam sollicitus fui hoc ipsum facere.* Unde & in Concil. Aurelianensi 1. sub Hormisda (ut est apud Gratianum d. 82. c. *Episcopus*) dicitur: *Episcopus pauperibus vel infirmis, qui non possunt laborare, victum & vestitum, in quantum sibi possibile fuerit, largiatur.* Et pro incarceratis in Concil. Aurelianensi 5. can. 7. *Illi qui sunt in carcere ob aliqua debita, ab Archidiacono vel Præposito Ecclesiæ visitentur jussu Episcopi, & Episcopus deputet personam, quæ eos in suis necessitatibus de bonis Ecclesiæ sustentet.* Et can. 8. *Episcopus inter omnes egentes præcipuè curam gerat infirmorum, qui ultra laborem infirmitatis constringuntur inopiâ, illisq; victum & vestitum provideat.*

Gal.2. 9.

Concordant istis Conciliorum decretis passim Patres, quorum nimis longum esset sententias texere. Sufficiant quæ suprà sunt citatæ, & quæ in decursu citabuntur.

Dixi in Conclusione (*tenentur habere curam*) non enim per se id tenentur præstare, sed per personas quibus immediatè cura competit, ut sunt Parochi, hospitalium Magistri, mensarum pauperum Distributores, Eleemosynarii & alii: Ita enim pauperum pater est Episcopus, ut non exercitium, sed tantum universalis solicitudo ei demandata sit, ut pauperibus suæ diœcesis satis fiat.

Dixi (*egenis & pauperibus, qui alio modo necessariam sustentationem habere nequeunt*) sub egenis intelligendo eos, qui honesti sunt, ut aliquando personæ nobiles, & honestæ familiæ cives, quibus cum ob honestatem non liceat ostiatim mendicare, aut vilibus laboribus se mancipare, eorum specialiter cura est habenda; & in omnibus ordo charitatis servandus, ut magis egeni & in extrema necessitate constituti, cæteris præferantur: & Sacerdotes, ob reverentiam status, laicis: propinqui sanguine, extraneis: juxta circumstantias & conditiones necessitatis & subsidii.

Dixi (*juxta possibilitatem*) primò enim Episcopus attendere debet portionem Episcopatui suo & Officio assignatam, sibi, Ministris suis, & status conditioni & decentiæ necessariam. Unde est illud ex Canonibus Apostolicis apud Gratianum 12. q. 1. c. *Ex his. Ex his quibus Episcopus indiget (si tamen indiget) ad suas necessitates, & ad peregrinorum Fratrum usus, ipse percipiat, ut nihil omnino eis deesse possit: Lex enim Dei præcipit, ut qui altari deserviunt, de altari pascantur.* Igitur possibilitas mensuranda est juxta rationem bonorum Episcopalium, necessariorum & congruorū ad status decentiam juxta cordati viri judicium conservandam, & necessitatem egenorum gravem vel extremam, ut postea adnotabimus.

Dixi (*sive id fiat per Magistratus, & communes eleemosynas &c.*) Non enim semper ex Episcopali portione providere tenetur, quæ sine dubio pro omnibus non sufficeret: sed quia & in bonis Ecclesiæ quarta pars pauperibus assignata est, & multæ interdum fundationes, & mensæ pauperum, & aliæ præstationes: item hospitalia, abbatiæ, loca pia, & id genus liberalitate fidelium sunt ad hunc finem instituta: possunt primò procurare quocumque modo legitimo, ut ex illis necessitati pauperum satisfiat: quod verò ex illis deerit, tum ex bonis sibi concreditis, tum per collectas & pios quæstus, per Magistratus & alios faciendos, operam adhibere debent, ne pauperes fame aut miseriis pereant. Unde apud Clementem l. 4. Const. Apostolicarum c. 8. decernitur his verbis: *Idcircò accepistis datum Levitarum, oblationem populi, ut sufficiat vobis & egentibus, & non cogamini accipere ab iniquis, &c.* Infrà: *Sin verò datum non sufficiat, denuntia fratribus, & collectam fac ad ministrandum orphanis & viduis in justitia.* Satisfacit ergo suo Officio Episcopus, qui hanc operam adhibet, etsi fructus desideratus interdum non sequatur.

Quōoda Episcope quoad hoc satisfaciāt suæ obligationi.

CONCLUSIO II.

Episcopus sub mortali tenetur curā adhibere ut portio pauperum vel fūdationes piæ benè administrētur.

TEnetur Episcopus, ubi est assignata portio pauperibus ex bonis Ecclesiæ, aut ubi in sua Diocœsi sunt factæ fundationes aliquæ piæ, pro necessitatibus pauperum aut infirmorum, triplicem circa illa curam adhibere sub mortali peccato. 1. Ut legitimè administrentur, & distribuantur. 2. Ut integra conserventur. 3. Ut quæ perierunt recuperentur.

Ratio fundamentalis est: Quia ipse horum primarius Dispensator, & velut Paterfamilias est, & illa velut in personam & officium sunt deposita: Estque ex Evangelio, *Fidelis Servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore.*

Heu quàm grave jugum, non tantùm super iis, qui bona pauperum administrant, sed multò magis super Episcopis & Parochis, qui iis intendere debent! Videmus enim bona illa paulatim deperire, parvum ex illis fructum veris pauperibus provenire, & iis Administratores & eorum familias ditari, quæ sunt peccata in cælum clamantia, sub oppressione pauperum contenta. Audiunt ii, quorum Officiis, Capellis, Beneficiis illa sunt incorporata; Tremant Receptores & Ministri; Invigilent Episcopi. & ii, quibus ea partialiter competit, ut Magistratus, Executores ultimarum voluntatum, & alii.

CONCLUSIO III.

NOn obstante divisione bonorum Ecclesiasticorum facta, & portione pauperibus assignata, tenentur Episcopi & quilibet Beneficiati, quod superest decentiæ & congruæ conservationi Personæ & Status pauperibus aut Fabricæ distribuere ex justitia. Et si non faciant, non tantùm juxta qualitatem & quantitatem profusionis peccatum mortale committunt sed etiam ad restitutionem tenentur.

Pro probatione hujus Conclusionis, quæ aliàs est inter Modernos controversa, sequentia maturè advertenda sunt.

1. Omnia bona Ecclesiastica, quæ Ecclesiæ tradita sunt & oblata, per fundationes beneficiorum Dotationum, Præstationum &c. esse Deo primùm oblata pro sustentatione Episcoporum, Cleri, erectione fabricarum, opitulatione pauperum, & ad Dei peculium pertinere; ita ut Episcopi & Beneficiati, non tam ista possideant, quàm deposita habeant, suis, ministrorum, Ecclesiæ fabricis, & pauperum necessitatibus impendenda: Unde & ad Apostolorum pedes voluntariè offerebantur, &

Act. 5. 4. reprehendens Petrus Ananiam dicit, eum in fraudatione agri non mentitum hominibus, sed Deo. Hinc Urbanus I. Epistola 1. ad omnes fideles, loquens de his. quæ Ecclesiis offerebantur, sic loquitur: *Ipsæ enim res fidelium, oblationes appellantur, quia Domino offeruntur: Non ergo debent in aliis usibus, quàm Ecclesiasticis, & Christianorum fratrum vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium. & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum, atque ad prædictum opus explendum dono tradita. Si quis autem (quod absit) secus egerit, videat ne damnationem Ananiæ & Saphiræ percipiat, ac reus sacrilegii efficiatur.* Et Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 1. de Reformatione docet res Ecclesiasticas, esse res Dei. Cōc. Trid.

Advertendum 2. Etsi bona Ecclesiastica & Beneficiorum fuerint aliquando distributa in quatuor partes, ut sæpè dictum est; tamen ex hac distributione sive divisione non mutasse naturam, quin semper Dei sint, & Patrimonium Christi, in Ecclesiæ necessitates & pauperum, tanquam in finem præcisum, oblatæ & asservatæ. Unde si aliquid ex portione superfluat illud necessitatibus Episcopi, & Cleri ac Fabricæ sive Ecclesiæ impendendum necessariò est, & consequenter si quid ex portione Episcoporum, Ministrorum & Fabricæ supersit, pauperibus, si necessitatem patiantur, jure & ex fine præciso tribuendum erit. Hoc expressè declarat Urbanus I. suprà: *Quia* (inquit) *res Ecclesiæ non quasi propria, sed ut communes & Domino oblata cum summo timore non in alios, quàm in præfatos usus, sunt fideliter dispensandæ ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt, ubi traditæ sunt, ne pœnam & mortem Ananiæ & Saphiræ incurrant, &. quod pejus est Anathema Maranatha fiant.* Quia igitur bona Ecclesiastica ad hos simpliciter fines tam ex parte Dei & Christi, cui offeruntur, quàm ex voluntate offerentium & Ecclesiæ decretis destinata sunt, illa aliter expendere, ex parte quidem offerentium & Ecclesiæ sic acceptantis, furtum est, ex eo verò quod Deo, & Christo sunt oblata, sacrilegium, ut Canones exprimunt. Unde iterum Concilium Antiochenum c. 25. apud Gratianum 12. qu. 1. sæpè citata c. *Episcopus: Episcopus Ecclesiasticarum rerum habeat potestatem, ad dispensandum erga omnes qui indigent, cum summa reverentia & timore Dei: participet autem & ipse quibus indiget (si tamen indiget) tam in suis, quam in fratrum, qui ab eo suscipiuntur, necessariis usibus pro futuris; ita ut in nullo qualibet occasione fraudentur.* Infrà: *Si autem & aliter accusetur Episcopus. & Presbyteri, qui cum ipso sunt, quòd ea, quæ pertinent ad Ecclesiam, vel ex agris, vel ex alia qualibet Ecclesiastica facultate sibimet usurpent, ita ut ex hoc pauperes affligantur, &c. & hos oportet corrigi &c.* Hæc ibi. Urbanus.

Advertendum 3. Quòd bona Ecclesiastica Episcopo aut Beneficiato possunt esse necessaria tripliciter. 1. Respectu Individui, quæ nimirum necessaria sunt ad conservandam congrue vitam, ut sunt alimenta, vestimenta, medicamenta, habitatio &c. & illa vocantur absolutè necessaria. 2. Respectu familiæ, functionum, occupationum, & eorum, quæ Dignitatem, Statum vel Personæ qualitatem concernunt, id est, sine quibus Dignitas & Status contēptibilis redderetur, aut in honore & reverentia debita conservari non posset,

sive

sive sine quibus vivere non posset, instar aliorum proborum & virtuosorum ejusdem Dignitatis & Gradus. Multa enim sunt, quae Episcopo ut sic necessaria non sunt, Episcopalem tamen Dignitatem circumstant, ut ornatus decens Palatii Episcopalis, famulitium necessarium, &c. Alia, quae etsi Personae necessaria non sunt, functionibus tamen necessaria sunt, ut equi, quadrigae: quo etiam pertinent, quae ad recreationem honestam corporis & animi spectant, & omnia, quae honeste personis qualificatis competere solent. Et haec omnia dicuntur conditionate necessaria. 3. Respectu circumstantiarum temporis, eventuum fortuitorum, ut tempore belli, haeresum, extraordinariarum legationum ad ecclesiae conservationem, &c. In quibus plura & diversa requiruntur, quae per accidens necessaria dici possunt.

Nota. Quae igitur horum trium respectuum latitudinem excedunt, illa Episcopo & Beneficiatis superfluere dicuntur.

Advertendum 4. alia bona Episcopis advenire posse, quae ad ecclesiam nullatenus spectant ut quae ex patrimonio, haereditate, industria, exercitio aliquo singulari, vel in stipendium laboris personae adveniunt. Et haec nec ad episcopatum, nec ad fabricam, nec ad pauperes ordinem dicunt, sed sunt bona propria, de quibus pro libitu in omnem usum Christiano licitum disponere possunt Episcopi.

His sic animadversis conclusionem positam declaro:

Dixi igitur in Conclusione *(non obstante bonorum ecclesiasticorum divisione facta, & portione pauperibus assignata)* Ratio est Quia ut in 2. praenotato declaratum est, ex ratione divisionis, non mutaverunt naturam, sed remanent Christi & Dei, ac ecclesiae, & consequenter quod superest, ordinate distribuendum est in Ministros, pauperes, vel fabricam, modo quo ibidem advertimus: Nam divisio facta quidem est ad commodiorem administrationem, distributionem & usum, nullatenus tamen alicui membro ad proprietatem, ita ut quod superfluit uni membro, alteri magis Indigenti sit applicandum.

Dixi *(quod superest congruae decentiae, & conservationi Personae & status)* quae verba expendenda sunt juxta ea, quae praenotato 3. sunt dicta.

Dixi *(mortale peccatum committunt)* habita scilicet ratione materiae & gravitatis rei retentae, vel in illicitos aut extraneos usus extra totam latitudinem usus honesti expensae, quod prudentis judicio est aestimandum.

Dixi *(ex justitia)* vere enim quod Episcopus dissipat extra terminos decentis & commodi status, aut alios respectus supra positos praenotato 3. suum non est, sed ecclesiae & Christi, cujus singularia membra in hac materia sunt pauperes, adeoque (ut dicitur) fabricae vel pauperibus debentur.

Dixi *(& ad restitutionem tenentur)* supposita enim injustitia in effusione eorum, quae superfluunt, necessario infertur ex natura rei restitutio facienda.

Objectio notabilis. Dices, D. Thomas 2.2.q. 185. a.7. in corpore articuli asserit, non teneri Episcopos & Beneficiatos ex justitia facere eleemosynas ex bonis, quae iis competunt ratione portionis sibi in divisione bonorum adjudicatae, sive (ut inquit) *de his quae sunt specialiter suo usui deputata*: Quia eorum eadem est ratio, quae bonorum patrimonialium, & in eorum proprietatem veniunt. Unde & infert. *Quod per immoderatum affectum & usum, peccant quidem si praedicti sibi immoderata retineant. & aliis non subveniant, sicut requirit debitum charitatis.* Ex quibus verbis colligitur eos non obligari ad eleemosynas ex iis, quae ad suam portionem pertinent, nisi ex debito charitatis. S. Thom.

Respondeo: Duo consideranda esse in bonis ecclesiasticis, quae Episcopo & Clericis, sive in divisione, si quae facta fuerit, sive alias ratione Officii vel Beneficii aut Dignitatis competunt. Alia enim sunt, quae intra terminos congruae sustentationis & requisitae decentiae intra totam usus honesti latitudinem continentur: Et haec ita in proprium Episcopi & Beneficiati usum cedunt, ut intra latitudinem, (ut dixi) usus honesti, possint tam Episcopi quam Clerici illis pro libitu uti: imo & ex illis sibi fructificare, fundos proprios acquirere, & ea agere, quae agunt, qui alicujus rei usumfructum sive dominium habent: Quod si latitudinem usus honesti excedant, aut necessitatibus gravibus egenorum non succurrant hujusmodi portione, peccant juxta rationem excessus contra charitatem tantummodo, quia eorum usibus & sustentationi erant intra hanc latitudinem applicata, & poterant fructus in honestis consumere. Et haec est sententia S. Thomae, cum quo concordant ejus interpretes.

Porro in portione assignata quovis modo Episcopis vel Beneficiatis, alia considerari possunt bona, quae totam latitudinem sufficientiae & decentiae status, attento triplici respectu de quo supra praenotato 3. excedunt, & illa nullo respectu aut fundamento possunt dici illis facta propria, aut usibus eorum applicata, sed illorum sunt meri dispensatores & oeconomi, ita ut si illa dissipent, & in pauperes vel ecclesiae bonum & utilitatem non expendant, censeantur juxta rationem materiae non tantum peccare mortaliter contra charitatem, sed etiam contra justitiam, & teneri ad restitutionem. Et haec est etiam sententia D. Thomae Quodl 6. qu. 7. art. 12. quam indicat loco supra allegato. Ratio est: Quia, quae supra usum sufficientem & decentiam Status sive assignata sunt, sive accrescunt Episcopis & Beneficiatis, illis credita sunt tanquam fidelibus dispensatoribus, (alioquin injusta fuisset divisio in concessione enim, quae ultra omnem decentiam Status superfluunt) in quacunque enim divisione semper amplissima pars Episcopo relicta est, ne in augustiis aliquando, propter varios eventus, relinqueretur, sed ut, quod

ccm. mo-

commodè ad decentiam Status competeret, cum reverentia & timore (ut loquuntur Canones) sibi assumere posset, cætera autem fideli ejus dispensationi remanerent. Quod bene explicatur in Constitutionibus Apostolicis apud sanctum Clementem l. 2. cap. 24. Ubi sic habetur: *Vos Episcopos oportet non magnas expensas facere, neque domus Dei tanquam alienis, sed tanquam propriis Dei uti, ut bonos œconomos & dispensatores Dei decet.* Infra: *Sumat ergò Episcopus alimenti, quantum sufficiat, in indumentum, quantum honestati & necessitati conveniat.* &c. quasi diceret, quæ ultra honestum & decentem usum sunt, in dispensatione eorum, tanquam ecclesiæ bona remaneant.

Nota. Et ne quis temerario judicio de sufficientia, & dispensatione Episcopi competente se intromittat, insignis habetur Constitutio Apostolica eodem libro, cap. 35. *Cave* (inquit) *ne Episcopum ad rationem voces, neque dispensationem ejus observes; Quomodo aut quibus, aut ubi, utrùm benè, an secùs. Habet enim ratiocinatorem Deum, qui hanc illi œconomiam, sive dispensationem in manus tradidit.* Hæc ibi:

Unde sciri possit aliquid superfluere. Petes: Unde scietur ex Episcopi vel Beneficiatorum bonis aliquid superfluere, pauperibus vel fabricæ ex justitia dispensandum?

Respondeo: Id judicio probi & prudentis viri relinqui, ponit autem signa nonnulla hujus rei Cajetanus in Sanctum Thomam suprà: *Quandò* (inquit) *reditus sunt pingues, æstimandum est portionem pauperum confusam, & incorperatam esse portioni Episcopali, & sic tenetur dives Episcopus de justitia pauperibus subvenire: sicut etiam fabricæ Ecclesiæ.* Iterum: *Possessiones donata aut legata in tanta abundantia Ecclesiæ Cathedrali, procul dubio credendum est, quod ut Patri pauperum Episcopo credita sint: Ideò enim Episcopo data sunt, quia occultâ fide perspiciebatur eos esse Patres pauperum, &c.* Hæc Cajetanus. Pono ego confidenter Regulam generalem.

Regula Generalis.

Quando bona Dignitatum, Officiorum, sive Beneficiorum excedunt notabiliter congruam conservationem Personæ & decentia Status: bona autem pauperum seu pauperibus assignata sunt respectivè exigua: Portio superfluens censenda est ex justitia pauperibus vel Ecclesiæ deberi, non obstante quacunque divisione:

Ratio mea est: Quia vel supponitur divisio bonorum facta, vel non facta: Si facta: Ergò proportionaliter se debent habere bona pauperum, ad bona, quæ beneficiatis sunt assignata: Aliàs si non sit proportio, vel fraus præsumi debet, aut compensa facienda ex sibi assignatis Beneficiato relicta est, ut nimirum illam partem, quæ notabiliter congruam sui & Status conservationem (quæ in divisione fuit intenta) excedit, in pauperes refundat, juxta illud Justiniani in Authent. 3. *Si egentes à Patriarcha aut à reliquis Clericis defraudati fuerint, œconomi indemnitatem præstent, quod sine restitutione fieri nequit*: Si autem divisio bonorum non est facta, tunc ex natura bonorum Ecclesiasticorum pars, quæ excedit, pauperibus vel fabricæ debita est. *Justinian.*

Advertendum porrò est: Multa esse, quæ post divisionem beneficiis advenerunt, ex quibus portio pauperibus assignata non est: Quædam etiam alia, quæ obligationem singularem secum trahunt, ut aliqua pars pauperibus detur: Qualia sunt decimæ, quæ non dantur tantùm pro sustentatione Ministrorum, sed etiam pro usu pauperum. Vide c. *Decimæ* 16. qu. 1 ex Sancto Augustino, & c. *Revertimini* ex S. Hieronymo. Unde & libr. 2. Constitutionum Apostolicarum capit. 24 habetur: *Homo Dei* (id est Episcopus) *qua ex decimis & primitiis secundùm mandatum Dei dantur rectè dispenset viduis afflictu & peregrinis egentibus, ut qui habet Deum rerum rationem poscentem*, &c. & libr. 8. cap. 39. *Etiam præcipio decimas efferri ad victum reliquorum Clericorum Virginum, Viduarum, & eorum, qui sunt paupertate oppressi.* *c. Decima c. Revertimini. Clem. Rom.*

Corollarium.

Ex his omnibus constat: Primò Episcopos obligari quacunque via, per idoneas personas, ut pauperibus & egentibus, qui aliter sustentationem acquirere nequeunt, provideatur. Similiter: Ut opera misericordiæ corporalia in egentes exerceantur.

2. Teneri ex bonis ecclesiasticis illa præstare, quando in sua Diœcesi pauperibus aliqua assignata sunt, & pro eis Deo oblata.

3. Teneri ex bonis Episcopatus, sicut & cæteri Beneficiati ex suis, illis providere, ex ea maxime parte, quæ latitudinem congruæ sustentationis, vel decentiæ Status intra terminos honesti, excedunt.

4. Teneri invigilare Hospitalibus, Xenodochiis, Leprosariis, & aliis fundationibus pauperum, ut realiter administrentur, distribuantur, conserventur, & si perdita bona fuerint, recuperentur: Ita ut Administrorum culpæ, si Episcopi negligentes sint, in illos revolvantur.

Rationes autem dubitandi in principio positæ ex dictis sunt resolutæ: Cura enim corporum etiam suo modo est Episcopis commissa, tum ratione bonorum suæ dispensationi concreditorum, tum ratione providentiæ necessariæ charitatis in Oves expendendæ.

***

TITV-

TITULUS II.

De secundo Officio Episcoporum, quod est Oves custodire.

Quid ad Custodiā ovium spectat. CUstodiam Ovium tripartitam posuimus initio tractatus hujus, quæ tribus exercitiis boni Pastoris absolvitur. Nimirum: Arcendo Lupos & Fures; Errantes Oves ad caulam reducendo; Ponendo animam pro ovibus. Hæc tripartita Custodia exprimitur variè in Scripturis, specialiter Ioan. 18. Et I. quidem habetur in comparatione boni Pastoris & Mercenarii: *Mercenarius* (ait) *& qui non est Pastor, cujus non sunt oves pro-*
Ioa. 10. 12. *pria videt Lupum venientem & dimittit oves & fugit, & Lupus rapit & dispergit oves. Mercenarius autem fugit quia Mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.* De II. vero habetur
Luc. 15. 4. Luc. 15. De Pastore, qui relictis nonaginta novem deserto ivit ad eam, quæ perierat, & quæ-
Ioa. 10. 11. sivit donec inveniret eam & portaret in humeris suis. De III. iterum Ioan. 10. *Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis.* De his tribus nonnulla per sequentes Sectiones ad clariorem intelligentiam pono.

SECTIO I.

De Defensione Ovium contra Lupos, Fures & Latrones.

QUÆSTIO I.

Qui dicendi sunt Lupi, Fures, & Latrones?

CONCLUSIO I.

Lupus triplex juxta S. Thom. L*Upum triplicem ponit S. Thomas* Lect. 3. in Cap. 10. Ioan Nimirum *1. Diabolum tentantem. 2. Hæreticum grassantem. 3. Tyrannum persequentem*

Et quidem de *Lupo Diabolo* sic loquitur S. Augustinus Serm. 49. de Verbis Domini,
S. August. cap. 10. *Lupus* (inquit) *Diabolus est, insidiatur ut decipiat.* Conformiter S. Gregorius Hom.
S. Gregor. 14. in Evangelia: *Est* (ait) *alius Lupus, qui sine cessatione quotidie non corpora, sed mentes dilaniat: Malignus videlicet Spiritus, qui caulas fidelium circuit, & mortes animarum quærit.* Hæc Gregorius.

De Lupo verò, ut *Hæreticum* designat, elegantissime philosophatur S. Ambros. in cap.
Luc. 10. 3. 10. Lucæ ad illa verba: *Ecce ego mitto vos sicut Agnos inter Lupos*, ubi & graphice Hæ-
S. Ambr. reticis Luporum proprietates applicat: *Lupi* (ait) *quid significare videantur, debemus advertere: Bestiæ enim sunt, quæ insidiantur ovilibus, habitacula domorum intrare non audent, somnum canum, absentiam aut desidiam Pastoris explorant, ovium guttur invadunt ut cito strangulent, feri, rapaces, iidemq; natura corporis rigidiores &c. si quem priores hominem viderint, vocem ei quadam natura vi feruntur eripere, si autem homo eos priùs viderit, exagitari memorantur.* &c. Et prosequens applicationem similitudinis: *Nonne* (ait) *Lupis istis Hæretici comparandi sunt, qui insidiantur Ovibus Christi, fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quam diurno: semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi seva nebulis interpretationis obducere, & quantum in ipsis est fuscare conantur.* Infra: *explorant Pastoris absentiam, & ideò Pastores Ecclesiarum vel negare, vel in exilium agere contendunt, quia præsentibus Pastoribus oves incursare non possunt.* Infrà: *Qui si quem versuta disputationis suæ circumscriptione prævenerint, faciunt obmutescere: Cave ergo ne tibi vocem tollat Hæreticus, si prior enim non deprehenderis; serpit enim, dum latet ejus perfidia: Si autem commenta impietatis ejus agnoveris, jacturam piæ vocis timere non poteris.* Et graviter monens cavendum esse à disputatione, subdit: *Cave igitur versuta disputationis venena: Animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnus affigunt.* Hæc sanctus Ambrosius, quæ valde notanda sunt.

De *Lupo* tandem *Tyranno* Gregorius Homil. 14. in Evangelia; *Lupus super oves venit, cùm quilibet injustus & raptor fideles quosque atque humiles opprimit.* Sunt enim Ty- *S. Gregor.*
ranni illi, de quibus Ezech. 22. *Principes ejus in medio illius quasi Lupi.* Contra hos Lu- Ezech. 22.
pos Episcopo & vero Pastori omnino in- 27.
vigilandum est, ne ovibus noceant, contra hos omnes pugnandum est & verus Pastor in hac salutari pugna tenetur animam suam ponere pro ovibus suis.

CONCLUSIO II.

INter *Furem*, & *Latronem* hoc discrimen constituunt Patres: Ut *Furis* nomen competat eis, *qui hypocrysi, simulatione, corrupta sapientia mundana sæculari, politica vel etiam colore spiritnali & sensuali, & Nicolaitico vel Luciferiano animas sub titulo justitiæ & Dei sibi furantur*: De quibus Apostolus ad Rom. 16. *Qui per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Et 2. ad Timoth. 3. *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis; semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Et apud Iudam dicuntur: *Dei nostri gratiam transferentes in Luxuriam*: *Latronis* autem nomen illis competat, *qui violentia & malitia oves opprimunt, & onere ac austeritate mactant.* Sub *Fure* etiam & *Latrone*, arbitror intelligi eos; qui etsi in Catholica Ecclesia quasi Pastores præfulgeant, non per ostium veritatis Christi intraverunt, sed aliunde per scientias animales, ratiocinativas, philosophicas, politicas, melius dixeris Machavellicas, carnalem hujus mundi sapientiam & prudentiam: Item, qui subditos exemplo malo, vita prava, & asperitate regiminis obruunt

ruunt. De quibus sanctus Ambrosius supra: *Si audias aliquem Sacerdotem dici, & rapinas ejus cognoscis, foris Ovis, intus Lupus est, qui humana ucete insaturabili crudelitate rabiem suam desiderat explere.* Et S. Gregorius Hom. 17. in Evangelia: *Multi cum regiminis jura suscipiunt ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent, & quia charitatis viscera non habent, domini videri appetunt. &c.* Et ponens distinctionem inter *Furem & Latronem* S. Augustinus Tract. 45. in Joan. *Fures* (inquit) *sunt, qui quod alienum est; suum dicunt, Latrones sunt, qui, quod furantur, occidunt.*

S. Ambr. S. Gregor. S. August.

QUÆSTIO II.

Ad quæ teneantur Episcopi in Defensione Ovium contra Lupos, Fures, & Latrones.

UT eadem Methodo hæc prosequamur: 1. Contra *Diabolum Lupum* tenentur Episcopi providere, ne vitia præsertim publica regnent, & ne privata in corruptionem populi se ingerant, maxime peccata carnis, ut adulteria, stupra, fornicationes, impudicitiæ graves, specialiter contra naturam, ut Sodomiæ &c.

Quid Episcopo agendum contra Lupum Diabolum.

Deinde contra pompas Diaboli invehi omni modo possibili debent, ut sunt luxus vestimentorum, & omnia quæ retulimus, tract. 2. tit. 2. q. 3. §. 1. post quæstionem incidentalem.

Vide ibid.

Demum contra justitiæ oppressionem, iniquorum promotiones, usuras publicas, libertates populi, magnatum nefanda duella, &c.

Modus autem illis providendi est per monitiones privatas, publicas prædicationes, implorata auxilia Principum &c.

Contra *Lupum Hæreticum* vigilantiâ & fortitudine opus est, ad illos investigandos, conventicula dissipanda, auctores & cooperatores propulsandos, populum instruendum.

Quid contra Lupū Hæreticū

Modus autem consistit in sedulitate Ministrorum: Qui domorum penetralia norint, personarum qualitatem & conversationem inspiciant, Sacramentorum frequentem vel rarum usum advertant, advenientes externos internosque ad suas Oves observent: Qui investigent, qui libri à bibliopolis vendantur; qui suorum manibus terantur, qui in scholis puerorum doceantur, qui instructores & instructrices pueris præficiantur; qualiter doctrina Christiana instilletur.

Contra *Lupum Tyrannum*, confortatione, consolatione, consilio piis operibus, orationibus grex conservari magis debet, quàm externo molimine, quod violentiæ resistere nequeat.

Quid contra Lupū Tyrānum.

Contra *Fures* invigilandum est super personis, quæ Patrum spiritualium, & Directorum sive Instructorum professionem faciunt, maximè si conventicula teneant, aut domos etiam privatas pervadant.

Quid contra Fures.

Modus autem providendi est examen & sollicita investigatio personarum, quæ singularitate aliqua parent, sive in sensu & proprio judicio, sive sacramentorum & Sacrorum usu & frequentatione, sive in nonnullis contra fundamentales Regulas Scripturæ, & sanctorum Patrum excedunt vel deficiunt.

Contra *Latrones* fortiter agendum est, ut à morte & mortis æterno periculo animæ innocentes eripiantur, & de manibus illorū tollantur & separentur: Ipsi verò innotescant, &, si necesse fuerit, pœnis Ecclesiasticis coerceantur: Modos congruos & oportunos prudentia Pastoris adinvenire, pro ratione circūstantiarum, debet. Sit pro omnibus Regula Generalis.

Quid contra Latrones.

REGULA GENERALIS.

QUandocumque Episcopi, vel eorum, qui curam animarum habent, negligentiâ, dissimulatione, vel pusillanimitate, sive quovis debiti Ministerii defectu, aliquod vitium hæresis insidelitas corrupti mores in populum irrepunt, emula quæ in populo illo fiunt & impediri poterant, in condemnationem Episcopi, vel curam animarum habentis, devolvuntur.

Est Regula Scripturæ totius: Ipsi enim pervigilare tenentur, tanquam rationem reddituri pro animabus.

SECTIO II.

De Reductione Errantium.

HOrribilis est illa querimonia Dei contra Pastores Israel Ezech. 34. *Va* (ait) *Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos. &c. Quod abjectum erat, non reduxistis. & quod perierat non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia: Et dispersæ sunt Oves meæ. eò quod non esset Pastor. & factæ sunt in devorationem bestiarum agri. & dispersæ sunt, &c. Et non erat qui requireret, non erat, inquam, qui requireret.* Quorum pœnas posteà prosequitur, & sequæsiturum repromittit. Ex quibus intelligitur, quanta sit obligatio veri Pastoris & Episcopi, ad illas Oves, quæ abjectæ sunt, & in fide vel moribus errant, requirendas.

Ezech. 34. 2. Vers. 4. Vers. 5. Vers. 6.

QUÆSTIO UNICA.

Quanta cura Episcopo incumbat circa Reductionem Animarum?

CONCLUSIO.

TEnetur Episcopus ex vi Officii Animas errantes omni sollicitudine rationabili requirere.

Constat ex scripturis suprà allegatis, quæ cum negligentibus damnationem imponant, in negligentia gravi peccatum mortale concludunt. Unde ibidem: *Ecce ego ipse super Pastores requiram gregem meum, de manu eorum* &c. Vers. 10.

Porrò

Porrò sollicitudo in reducendis Ovibus in tribus consistit; nimirum, *labore*, *industria*, *patentia*.

Labore: Ut per se, Ministros, Concionatores, Missionarios, & alios operam hanc adhibeat in tota sua Dioecesi, non parcendo sumptibus, vel sudoribus.

Industria. Ut media congrua adhibeat charitatis, beneficentiae, benignitatis.

Patentia, Ut tempori, occasioni, & infirmitati subditae sibi Animae deferat.

SECTIO III.

De Animae Expositione pro ovibus.

Joa.10.v.11. Vers.12. FIrma est sententia Salvatoris Ioan. 10. *Bonus Pastor Animam suam dat pro Ovibus suis: Mercenarius autem, & qui non est Pastor, cujus non sunt Oves propria, videt Lupum venientem, & dimittit Oves & fugit.* Ex his duae oriuntur quaestiones.

QUAESTIO I.

An Episcopi, & consequenter quicumque veri Pastores, teneantur Vitam suam exponere pro suis ovibus sive Subditis?

PRo resolutione advertendum est, duobus modis posse intelligi Episcopum pro Ovibus *Vitam exponere*. 1. Exponendo se morti, vel proximo periculo mortis, ut tyranno, vel haeretico persequenti eum ad mortem: Item tempore pestis infectos personaliter visitando &c. 2. perferendo continuos labores, quibus sensim debilitatur, & ejus mors acceleratur.

Advertendum 2. Illud *pro Ovibus* etiam multipliciter intelligi posse. 1. Respectu subjecti, ut pote pro Ovibus collectivè, id est, pro toto grege: vel pro Ovibus distributivè, id est, pro qualibet Ove in singulari. 2. Respectu causae sive finis: Nimirum pro salure spirituali, vel pro salute temporali, & quolibet Ovis dispendio. His praenotatis, pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Episcopi non tenentur se morti exponere pro singulis ovibus aut singulari populo. EPiscopi non tenentur exponere se morti, vel periculo proximo mortis pro singulis Ovibus, imo nec pro singulorum locorum populo.

Ratio est: Quia omnibus debitor est, & ordine charitatis tenetur universitati Dioecesos, plusquàm singularibus personis, & obligatur bonum & dispendium commune praeferre bono vel dispendio particulari. Unde Pastor, qui reliquit nonaginta novem Oves in deserto, & ivit ad eam, quae perierat, supponitur reliquisse nonaginta novem securas, & absque periculo.

CONCLUSIO II.

EPiscopi tenentur labores & incommoditates corporales subire, etiamsi illis debilitentur, & dies suos abbrevient, in iis, qua ad regimen salutare populi spectant.

Haec Conclusio constat ex natura & vi Officii Episcopalis, Episcoporum enim est pro salute populi consummari; juxta illud Pauli: *Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis mea instat.* 2 Tim. 4. 6.

CONCLUSIO III.

Ubi salus populi periclitatur, si necesse est, exponere vitā. TEnetur Episcopus, ubi salus plurimorum vel populi periclitatur, exponere vitam, si ad salutem populi censeatur necessaria.

Hoc concludit sententia Salvatoris in descriptione veri Pastoris.

Petes: Quando dicetur salus populi ita periclitari, ut sit necessarium Episcopo vitam exponere? Respondeo: Diversis id modis posse contingere. 1. In causa fidei, ut si desint, qui populum in fide contineant, vel ex subtractione praesentiae Episcopi populus scandalizandus sit, & à fide recessurus. 2. In causa Sacramentorum, si ob ejus absentiam desint Ministri & Sacerdotes, qui illa administrent. 3. In causa instructionis necessariae, si eo fugiente, caeteri populum deserant. 4. In causa temporalis protectionis, si causa absentiae Episcopi, populus praeda fiat tyrannorum, haereticorum, & infidelium, ut in Germania saepius evenit.

QUAESTIO II.

An superveniente persecutione liceat Episcopis & Pastoribus fugere?

CONCLUSIO UNICA.

QUaestioni paucis satisfacio ex S. Augustino Epistola 180. ad Honoratum per distinctiones.

1. Aut enim persecutio personalis est, utpote, quia Episcopus sive Pastor solus quaeritur, sive ob causam fidei, sive ob privata odia; & tunc, dummodò periculum fidei & scandali populo non immineat, licere fugere, & se abscondere, docent exempla multorum Patrum, ut S. Athanasii & aliorum, Unde S. Augustinus suprà: *Fugiant* (inquit) *servi Christi, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quaeritur; ut ab aliis, qui non ita quaeruntur, non deseratur Ecclesia*: id est: Modo sufficientes Ministri maneant ad fideles confortandos, fovendos & corroborandos. August.

2. Aut persecutio communis est Episcopo, Pastoribus, & Gregi, & quidem in causa fidei & malorum impendentium, & tunc, aut omni-

omnibus fugiendum, aut necessarii remanere debent. Unde S. Augustinus suprà: *Cùm Episcoporum, & Clericorum* (consequenter & laicorum) *est commune periculum, qui alius indigent, non deserantur ab iis quibus indigent: Aut igitur* (inquit) *ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non derelinquantur ab iis, per quos eorum est supplenda Ecclesiastica necessitas: ut aut pariter vivant, aut pariter sufferant, quae eos Paterfamilias volet perpeti.* Infrà: *Fugam imperavit Dominus, & acceptabile est fugere sed iis, quos Officii Ecclesiastici non tenent vincula.* Haec S. Augustinus: Pro quibus omnibus sit una Regula Generalis.

Regula Generalis.

Quandocumque subest periculum jacturae gravis salutis spiritualis gregis ex absentia Episcopi & pastorum, nullatenus eis licet fugere, vel à grege se absentare.

Unde tempore persecutionis haereticorum, belli, pestis &c. non licet Episcopo vel Pastori fugere, nisi de sufficientibus Ministris ad instructionem, corroborationem, Sacramentorum administrationem, & alia necessaria obsequia & auxilia subditis eorum sit provisum. Haec omnia inferuntur ex supradictis.

TITVLVS III.

De 3. Officio Episcopi, quod est, Regere Oves.

Ad Regimen ovium spectat: Eas adesse: Vultum pecoris agnoscere: Delinquentes corrigere.

Regimen Episcopi in tribus maximè consistere initio Tract. hujus recensuimus: Nimirum. 1. Ut Ovibus adsit. 2. Ut vultum pecoris agnoscat. 3. Ut delinquentes corrigat.

SECTIO I.

De praesentia Episcopi in suo Episcopatu.

Praesentiam quidem Episcopi supponunt ea, quae de Pastu, Custodia, & de fuga superiùs à nobis sunt dicta: Unicam addo quaestionem.

QUAESTIO UNICA.

An & quo Iure teneantur Episcopi in sua Dioecesi residere?

Trident. *Iure tam Divino naturali, quàm humano tenentur Episcopi, & alii curam animarum habentes, in sua Dioecesi aut Ecclesia residere.*

Dixi (*Iure Divino, & humano*) sic enim declarat Concilium Tridentinum sess. 23. de Reformatione cap. 1. & idem ex Scripturis deduxerat sess. 6. de Reformat. cap. 1. In quibus poenas etiam gravissimas addit pro culpabiliter non residentibus: Et de tempore, causis, facultatibus ad se absentandum, ac debita super istis provisione longe lateque disponit. Ad quae, ut Legem scriptam & expressam, Lectorem remitto: Quia Concilium Tridentinum unicuique ad manum esse debet.

SECTIO II.

De Agnitione vultus pecoris.

Agnitionem etiam vultus pecoris, sive Ovium concreditarum, ad Episcopos & animarum Pastores pertinere indicant passim Scripturae: Joan. 10. *Ego sum Pastor bonus, & cognosco Oves meas, & cognoscunt me meae.* Act. 20. *Attendite vobis, & universo gregi* &c. Quomodo enim universo gregi attendere possunt, qui vultum gregis non agnoscunt? Unde & Propheta Zach. 11. exclamat: *O Pastor, & idolum relinquens gregem.* Ioan.10. 14. Act. 20. 28. Zach.11. 17.

QUAESTIO UNICA.

In quo consistat Agnitio vultus pecoris, sive ovium concreditarum in Episcopo?

Conclusio I.

Agnitio vultus pecoris, ad quam obligatur Episcopus, potissimùm in eo versatur: Ut sciat qualiter grex ei commissus se habeat in fide, & doctrina sana, Sacrorum cultu & Sacramentorum susceptione, & moribus Christiano Homine dignis. His enim tribus Hominis Christiani Obligatio absolvitur.

Conclusio II.

Modus, quo vultus gregis agnoscendus est, tribus etiam partibus constat. 1. Visitatione Pastorum, & eorum, quibus cura animarum incumbit: 2. Visitatione Ecclesiarum, & omnium, quae ad Officium Ecclesiasticum & Dei cultum pertinent. 3. Inquisitione seria & matura morum tum Magistratus tum populi, tum personarum singularium, quantùm ad externam conversationem.

Visitatio Pastorum, & eorum, quibus cura animarum incumbit, tribus ferè articulis absolvitur: 1. Ut agnoscat, qualiter Pastor se habeat quoad propriam personam, in vita Clericali, studio, conversatione sive moribus. 2. Qualiter se habeat in Sacramentorum usu, & administratione, Officiis Divinis, doctrina Praedicationum & Catechismi. 3. Qualiter circa domesticam familiam &c. & populum se gerat.

Visitatio Ecclesiarum, consistit etiam in tribus: 1. Ut Ecclesiae structura, ornatus, suppellex

pellex necessaria, maximè in ijs, quæ pertinent ad sanctum Sacrificium & Sacramenta, sive Sacramentorum custodiam & cultum, & ad sacra vasa & ornamenta &c. benè examinentur. 2. Vt immunitatis Ecclesiæ, fundationum, mensæ pauperum &c. ratio stricta habeatur. 3. Vt Æditui & alij Ministri ritè suis munijs satisfaciant.

Visitatio Magistratus, & populi, fieri debet juxta vocationem & obligationes uniuscujusque: Specialiter tamen in *Magistratu* examinandum est: 1. Qualiter se habeat in conservanda fide, obedientia, & reverentia ad S. Romanam Ecclesiam, & in promotione & protectione eorum, quæ ad Religionem spectant. 2. In justitia circa administrationem bonorum pauperum, orphanorum, viduarum, 3. In externo regimine: An admittant histriones, tragicomædos, magos, &c. aut permittant huiusmodi & alia, quæ in corruptionem populi cedunt.

De *populo* Autem: An publicè aliqui mores corrupti, graves inimicitiæ & dissidia in populo, lasciviæ scandalosæ regnent, & an aliqui specialiter eorum sint causa. Pro quibus sint Regulæ Generales.

Regula I.

Episcopus tenetur sub mortali instituere idoneos Pastores, juxta circumstantias locorum &c.

Tenentur Episcopi sub peccato mortali, & restitutione damnorum spiritualium, si qua sequantur, instituere Pastores & Ministros curam animarum habentes, quos sincerâ & morali æstimatione, juxta circumstantias locorum, temporum, & personarum sciunt capaces & idoneos ad erudiendum plebem in fide & doctrina sana, ad Sacramenta ritè & juxta necessitatem administranda.

Ratio sumitur ex natura Officij Episcopalis, ratione cujus Episcopi ex justitia obliganrur, ut per se vel per idoneos Ministros de his Ovibus provideatur, ut in superioribus sæpè repetitum est.

Dixi (*sincerâ*) ut tollatur gravissimus abusus, quo jam non instituuntur capaces & magis idonei, sed qui favoribus, amore privato, & vinculis quibusdā amicitiæ, vel obligationis, imò & adulationibus ac blandimentis prævalent: Ita ut nullā sit judicij sinceritas sed meræ sæpiùs Vicariorum & consiliariorum præstigiæ.

Dixi (*morali æstimatione*) Non enim requiritur omnimoda & Theologica certitudo, sed sufficit cum sinceritate judicij moralis æstimatio ex circumstantia dependens: Sæpè enim eloquentior & doctior in subtilitatibus Theologicis minùs ad regimen animarum idoneus est: Et hic sæpè non minus cavendum à subtili supercilio alicujus elati Theologi, quàm ab idiota & indocto, uterque enim ineptus est.

Vnde dixi (*juxta circumstantias locorum, temporum ac personarum*) videndum enim quis idoneus pro civitate, pro municipio, pro pago, tempore belli & calamitatis, pestilentiæ &c. Item qualibus personis præficiantur: Alius enim, ubi sunt emporia, & mercaturæ vigent, alius, ubi hæretici, alius, ubi mali Christiani prævalent, requiritur. Denique advertendum est: Cuius capacitatis sint, qui se præsentant, & pro ratione circumstantiarum, si capaces non se præsentent, aliunde requirendi sunt, adhibita morali diligentia.

Regula II.

Tenetur Episcopus, sub peccato mortali, & restitutione damnorum, si qua sequantur si deprehendat doctrinam necessariam efficaciter non suppeditari, vel Sacramenta debitè non administrari: Siquidem Pastor sive curam animarum habens sit capax, illum omni modo morali cogere, ut efficaciter satisfaciat Muneri suo Si autem sit insidoneus & incapax, aut illum amovere, aut cogere, ut per alios idoneos, etiam deductis fructibus beneficij ad illum finem necessarijs, efficaciter satisfiat.

Ratio eadem est quæ præcedentis Regulæ, & Canones ecclesiæ manifesti & obvij sunt.

Dixi (*efficaciter*) non enim sufficit monere, aut dicere, & interim permittere se verbis deliniri, sed Episcopus omnem curam seriam, sinceram, & moralem adhibere renetur, ut effectus sequatur. Ratio est: Quia tenetur reddere rationem pro animabus, quæ defectu doctrinæ & Sacramentorum ut plurimum pereunt, nam de facto suprà dictis cessantibus periclitantur.

Regula III.

Tenetur Episcopus invigilare, ut officia Divina celebrētur fundationibus satisfiat &c.

Tenetur Episcopus in visitatione sua aut alias sub peccato mortali, curam vigilantem & moralem adhibere, ut Officia Divina celebrentur, fundationibus satisfiat, Ecclesiā à patronis vel ijs qui obligantur, restaurentur, ornamenta & alia ad divinum cultum necessaria suppeditentur, quæ Æditnis sunt commissa ritè administrentur, etiam adhibito si opus est, brachio sæculari.

Ratio est Quia hæc omnia curam Episcopalem consequuntur, & in illius protectionem & defensionem sunt deposita.

Dixi (*moralem*) non enim tenetur adhibere extremam, quæ omnem vigilantiam superet, sed sufficit, ut, quantum morali cura potest, intendat.

Dixi (*etiam adhibito, si opus fuerit, brachio sæculari*) Cum enim frequenter ratione temporalis tituli illa à curiis sæcularibus dependeant, debet Episcopus curare ea via supplere, quod per potestatem ordinariam evincere non potest.

***

Regula IV.

Aliæ Episcopi obligationes.

Tenetur Episcopus in visitatione sua, aut opportuno tempore, sub peccato mortali invigilare ut mensa pauperum, bona hospitalium, xenodochiorum, tutela pupillorum & viduarum ritè administrentur, ut omnes corruptelæ contra Christianos mores tollantur, ut gravia dissidia & inimicitiæ in populo sedentur, ut Christiana probitas & pietas saltem in externo foro vigeat.

Ratio ex dictis supra clara est.

Sectio III.

De Correctione delinquentium.

Quæstio Unica.

Quæ Correctio ab Episcopis sit delinquentibus adhibenda?

Correctio duplex.

Duplex est Correctio: Alia Paterna: Alia Judicialis.

Paterna dicitur: Quæ simpliciter fit ad emendationem delinquentis, absque specie alicujus vindictæ: Et hæc non requirit denuntiationem juridicam, sed tantum charitatis Fraternæ, sive Evangelicam.

Judicialis est: Quæ fit secundùm leges ad peccati vindictam, etsi ex consequenti respiciat emendationem delinquentis. Et hæc ordinariè requirit inquisitionem juridicam, saltem secundùm substantiam juris, etsi apices omnes non serventur.

Conclusio I.

Correctio Paterna in visitationibus adhibenda est.

Correctio Paterna ordinariè in visitationibus adhibenda est, quæ fit per monitiones, increpationes, objurgationes, & impositiones alicujus emendæ salutaris profuturæ.

Conclusio II.

Correctio Judicialis non potest adhiberi in visitatione, ut visitatio est.

Ratio est: Quia ut adhibeatur, requiritur ut substantia juris opportunè servetur per accusationem sive denuntiationem juridicam, aut famam publicam, sive infamationem citationem & convictionem Rei, quæ perfunctoriè in visitatione fieri non possunt.

Unde dixi *(ut visitatio est)* ex visitatione enim potest interdum judicium formari, & consequenter Juridica Correctio sequi, maximè si Reus publicè & in flagranti delicto sit deprehensus, vel facti evidentia convincatur.

Conclusio III.

Nunquam debet Episcopus procedere ad Correctionem Juridicam, quamdiu Correctioni Paternæ, sive etiam Fraternæ locus datur, & peccatum publicum non est, vel publica utilitati non expedit.

Colligitur expressè ex c. 18. Matth. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* In quibus verbis tres gradus Correctionis, etiam secundum omnes Patres obligatorii in conscientia ponuntur, circa peccata, quæ non sunt publica: 1. est: Ut fiat in secreto inter Corrigentem & Reum solum: 2. Ut si illa Correctio non prosit, fiat coram aliquibus personis, si fieri potest ex gravioribus, ut & testes sint, & verecundia gravior incutiatur. 3. Illa non sufficiente ut à Prælatis coram Ecclesia sive congregatione reprehendatur, & si se non corrigat, ad pœnas judiciales procedatur. Qui quidem gradus non tantùm in Correctione Fraterna privatarum personarum ad invicem, sed in Episcopis & Prælatis maximè necessarii sunt, & defectu quorum ipsi Episcopi & Prælati maxima damna in suis Ovibus cum gravi conscientiæ onere causant.

Mat. 18. 15. Vers. 16. Vers. 17.

Dixi (circa peccata, quæ non sunt publica,) Si enim publica sunt, tolerari non possunt, & publicè argui & corrigi debent, quia non sufficit ut peccans emendetur, sed etiam publicum scandalum infirmorum tolli debet, & de emenda constare, ne alii occasionem inde accipiant delinquendi.

Admonitio.

Videant qui occulta delicta mox indiscretè propalant.

Ex his videant 1. Qui statim audito delicti alicujus rumore, illud publicè prodiunt, ex zelo indiscreto propalant: ita ut magis videantur vitiorum diffamatores & declamatores, quàm vitiosorum correctores: Ex hoc enim fit, ut infirmi & pusillanimes dejiciantur & desperent, audaces contemnant & insurgant, malitiosi sua etiam vitia defendant.

2. Qui statim ad Promotores, officiales & Vicariatus quæcumque remittunt, unde gravamina intollerabilia subditorum, lites, contentiones, & oppressiones parvulorum sequuntur: Quod malum maximè hoc tempore regnat, dum speculatores ponuntur, qui magis proximorum delatores sunt; ita enim, etiam in iis, quæ suspicionem vix in rigore causare possunt, palpones & adulatores audiuntur; imò & detractores, & pacis inimici foventur sub titulo zeli & vigilantiæ. Et hic est ferè abyssus Episcoporum & Prælatorum, in quam ob clamorem innocentium & pauperum à Deo præcipites ruere permittuntur.

3. Qui à delinquentibus affectu, signo, effectu

effectu avertuntur & illis etiam ex suspicione implacabiles fiunt &c. Piget illa recensere, quæ tamen tacere non possum, quia nimius expertus sum, etiam in iis, qui quamvis natura boni, ab aliis tamen permiserunt sibi in his, etiam cum delectatione, illudi.

TITULUS IV.

De Potestate Episcoporum.

QUÆSTIO UNICA.

Qua & quanta sit Potestas Episcoporum?

Duplicem Potestatem in Episcopo astruimus: Ordinis nimirum, & Jurisdictionis. De Potestate Ordinis hic quidpiam innovendum iterarò non est: Satenim superq; in superioribus de hac dictum est, dum de Ordinum Gradibus disseruimus. Unica igitur conclusione absolvimus hanc quæstionem, ne sæpius idem alio modo dictum repetamus.

Conclusio unica.

Potestas Episcoporum respectivè tāta est quāta Papæ.

Potestas Episcopalis respectu gregis sibi commissi, talis & tanta est proportionatè, qualis & quanta Potestas Summi Pontificis, salva supremitate, universalitate & independentia.

Conclusio patebit ex enumeratione partium.

1. Igitur: Sicut Summus Pontifex, Judex est fidei & controversiarum in universali ecclesia: Ita Episcopus Inquisitor & Judex est fidei & controversiarum, prout à Suprema Sede & universali ecclesia sibi concreditum est, & velut suæ protectioni & ministerio depositū. In hoc igitur solùm est distinctio, quòd certitudo & determinatio fidei à prima Sede emanet: In Episcopo autem ejus conservatio & propagatio residear, & discretio, ut à veris falsa ex Regula primæ Sedis discernat.

2. Sicut Papa Magistratum Ecclesiæ universalis instituit in Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis &c. Ita Episcopus proportionaliter Sacerdotes, Pastores, Rectores ecclesiarum, Canonicos & Beneficiatos, ac Ordinum singulorum Ministros &c.

3. Sicut Papa in universali ecclesia est Sacrorum omnium Princeps: Ita Episcopus in Diœcesi sua, Sacramentorum, sacrorum rituum, officiorum Divinorum Princeps est: Ad quem spectat de sacris ritibus, ceremoniis judicare, sacras reliquias approbare, de miraculis judicium ferre &c.

4. Sicut Papa pro ecclesia universali potest Leges & Statuta condere, Concilia convocare: Sic Episcopus, servatis universalibus ecclesiæ Canonibus & Legibus, potest pro singulari sui populi salute & utilitate Leges condere, Synodos cogere, festa & jejunia instituere, & alia cum Clero suo disponere, quæ, ut dixi, ad salutem utilitatem gregis sibi commissi pertinere maturo consilio præhabito dignoscuntur.

5. Sicut Papæ omnes inferiores Ministri in administrationum suarum directione subduntur; Ita Episcopo omnes non exempti subditi sunt.

6. Sicut Papa circa universalem ecclesiam Clavium Potestate utitur, in absolutionibus peccatorum, dispensationibus à votis, ab impedimentis, à pœnis, à vinculis variis juxta exigentiam salutis subditorum: Ita & Episcopus circa Subditos suæ Diœcesis, nisi ei desuper Potestas restricta fuerit.

7. Sicut Papa peccantes censuris cohibet, rebelles & incorrigibiles pœnis reprimit, excommunicando, suspendendo, deponendo, degradando &c. Ita & proportionatè Episcopus.

8. Indulgentias etiam concedunt Episcopi de thesauro Ecclesiæ, juxta limites sibi à S. Sede positos.

Dixi in Conclusione (*salva supremitate, universalitate, & independentia*) ex his enim titulis totū fere restrictio & reservatio Potestatis Episcopalis, sub suprema Vicarii Christi Potestate, provenit, ad magis congruum regimen totius Ecclesiæ sanctæ Dei.

Et ex his patet resolutio illius quæstionis, quæ communiter proponitur: An Episcopus possit in sua Diœcesi, quidquid Papa potest in universali Ecclesia? Respondetur enim: Posse salva supremitate, universalitate, & independentia primæ Sedis: Unde potest quidquid Papa potest, nisi supremitatem Petri contingant; ut sunt definitiones fidei: Vel universalitatem; ut Canones & leges Ecclesiæ universales: Vel independentiam, si nimirum Auctoritas Episcoporum aliqua lege sit restricta; ut sunt reservationes absolutionum, dispensationum, &c.

Animadversio ad Lectorem.

Hic pro complemento totius latitudinis de Episcoporum Potestate, agendum fuisset de eorum Potestate absolvendi à reservatis, à censuris; dispensatione in irregularitate, in votis, in juramentis, in impedimentis matrimonii: sed de his actum est partim in primo tomo de reservatis, partim in 2. de votis, impedimentis, partim in hoc tomo de censuris & pœnis, & de dispensatione in impedimentis Matrimonii dicemus in 3. parte hujus tomi, cùm de Statu Matrimoniali ex professo agemus: Ne tamen materiam omninò relinquam intactam, pono aliquot Regulas generales *Vide loca citata.*

***

REGULA I. GENERALIS.

Episcopus potest absolvere ab omnibus casibus & Censuris Papa non reservatis.

A Bomnibus casibus & censuris, quæ formaliter Papæ reservata non sunt, potest Episcopus absolvere, sicut & in pœnis similiter non reservatis dispensare.

Ratio petenda est ex natura Potestatis Episcopalis: Nemo enim censetur jure suo spoliatus aut restrictus, nisi id lege vel prohibitione constet.

REGULA II.

I Nomnibus votis, vinculis & impedimentis ex causa justa potest Episcopus dispensare, nisi similiter de eorum reservatione clare & manifestè constet.

Ratio eadem est quæ præcedentis.

REGULA III.

I N dubio an casus, vel censura, vel votum aut impedimentum sint Summo Pontifici reservata supposita justa causa, potest Episcopus absolvere & dispensare.

Ratio est: Quia in dubiis melior est conditio possidentis: possidet autem Episcopus Jus absolvendi & dispensandi, quamdiu non constat manifestè quòd in suo Jure sit impeditus. Vide quæ diximus tom. 1. tract. 5. tit. 4. quæst. 4.

REGULA IV.

I N casibus, censuris, pœnis, votis, impedimentis Summo pontifici reservatis, in foro conscientia, Episcopus absolvere & dispensare potest, quando de anima salus periclitatur, nec datur moralis accessus ad S. Sedem. Ita Communiter Canonistæ Angelus V. *Dispensatio* 5. Sylvester eodem verbo q. 4. & alii citati, tum ab Angelo, tum à Riccio in praxi Episcoporum tit. Praxis matrimonialis resol. 228. qui specificant de impedimentis matrimonium dirimentibus, & ad eorum dispensationem requirunt quatuor 1. Quòd matrimonium sit publicè contractum: 2. Quòd impedimentum sit occultum: 3. Quòd separatio non possit fieri absque scandalo gravi: 4. Quòd ob paupertatem, aut alias justas causas non possit adiri Summus Pontifex: Angelus tantùm trium posteriorum mentionem facit.

Ratio fundamentalis & certa hujus Regulæ fundatur in Epikeja, & rationabili interpretatione voluntatis Superioris: Quia Lex positiva Ecclesiastica, sive pœnalis sit, sive regulativa actionis, juris vel Potestatis Ecclesiasticæ, finem habet salutem animarum, & ecclesiæ regimen sincerum: Unde si occurrat periclitatio salutis animarum, aut scandalum grave, non censetur Legislator in casu tali velle restringere Inferiorum Potestatem; quinimo certum est, quòd rogatus positive Potestatem concederet, aut Legem relaxaret. Et generaliter argumento l. *Hominem* ff. Mandat: Episcopus potest contra Jus commune statuere; modò id faciat ex evidenti & necessaria causa quæ Superiorem ad concedendum moveret, si nimirum sine gravi incommodo accedi & requiri posset. Vide Riccium suprà.

TRACTATUS IX.

De Archidiaconis, Archipresbyteris, Officialibus, & Curatis Episcoporum Cooperariis.

QVIA Episcoporum gravissimæ curæ sunt, nec facilè possunt ab uno, quantumvis sapientissimo & fortissimo, omnes sollicitudines plenissimè tolerari, Episcopo clavum tenente & omnia quidem dirigente, sollicitudines & ministeria in plures dispertienda fuerunt, & juxta consilium Iethro Sacerdotis Madian, ne Episcopus stulto labore consumeretur, & levius ipsi fieret partito in alios onere, ab Ecclesia constitutum est, ut providerentur viri prudentes & timentes Deum, in quibus esset veritas, & qui odissent avaritiam, qui constituerentur quasi Tribuni & Centuriones, Quinquagenarii & Decani, & qui, quidquid majus esset, referrent ad Episcopum, & ipsi minora tantùm judicarent &c. Hi potissimùm sunt: Archidiaconi, Archipresbyteri, Officiales & Curati, sub quibus comprehenduntur cæteri, qui in animarum cura impenduntur. De his igitur tanquam Officio Episcoporum subservientibus, singulariter agendum est.

Exo. 18. 18



TITV-

TITVLVS I.

De Archidiaconis, Archipresbyteris & Officialibus.

QVÆSTIO I.

Quod sit Officium Archidiaconi, & quæ ad illius administrationem pertineant;

CONCLUSIO I.

In quibus Archidiaconi officium antiquitus cōsisteret?

ARchidiaconi Officium antiquitus in sequentibus consistebat: quæ recenset Innocentius III. lib. 1. Decretalium tit. 23 c. 7. *Archidiaconus* (ait) *secundùm statuta B. Isidori imperat Subdiaconis & Levitis. Parœciarum sollicitudo, & earum ordinatio ad ipsum pertinet, & audire debet jurgia singulorum: Archipresbyteri, qui a pluribus Decani nuncupantur, ejus jurisdictioni se noverint subjacere. Secundùm vero Romani ordinis constitutionem major post Episcopum, & ipsius Episcopi Vicarius reperitur, omnem sollicitudinem & curam tam in Clericis, quam in Ecclesiis eorum, prout secundùm Deum meliùs poterit impendendo: cùm super his redditurus rationem in districti examinis judicio. Item in epistola B. Clementis Papæ: Oculus Episcopi Archidiaconus appellatur, ut loco Episcopi per Episcopatum prospiciens, quæ corrigenda viderit corrigat, & e atendet nisi adeò fuerint ardua negotia, quæ absque Majoris sui præsentia nequeant terminari. In quadam verò nostra constitutione jam alia vice nos meminimus expressisse: Quod institutio corporalis, tam super beneficiis, quam etiam dignitatibus ad ipsum debeat pertinere. Examinatio etiam Clericorum, si fuerint ad sacros Ordines promovendi, & hoc idem in collationibus beneficiorum eredimus observandum, ut qui beneficiis Ecclesiasticis præficiendi fuerint, à suo priùs examinentur Archidiacono, & per ipsum postmodum Episcopo præsententur.* Hæc ibi: Quæ omnia sunt antiqui quidem Juris, sed modò juxta consuetudines & constitutiones ecclesiarum diversarum multum immutari: Unde eis inhærendum non est. Pono autem Conclusionem alteram.

CONCLUSIO II.

Modo attēdū dusest mos & lex cujusque Ecclesiæ. Hostiensis

MOderno tempore attendenda est consuetudo, & privata lex cujusque Ecclesiæ circa Dignitatem, Officium, Ministerium, & Gradum Archidiaconi. Ita Hostiensis in Summa, de Officio Archidiaconi.

Ratio est, prout jam dixi, quia leges & consuetudines antiquæ sunt immutatæ. Quinimò in aliquibus Ecclesiis Archidiaconatus reperiuntur esse meræ Dignitates absque Officio, vel Officii exercitio, ut de Parmensi Ecclesia refert Innocentius in c. *Multa*, de præbendis: Et in aliis quibusdam Ecclesiis multiplicantur.

CONCLUSIO III.

Ejus qualitates.

QUalitates in Archidiacono requisita, sunt potissimùm sequentes.

1. *Ætas*, nimirum 25. annorum ad minùs.

2. *Gradus*: Quòd scilicet in Clericali Ordine sit versatus, & juxta c. *Nullus* in posterum d. 60. sit Diaconus vel Presbyter ordinatus, ut etiam Eugenius II. decrevit.

3. *Doctrina*: Ut nimirum doctrina polleat ad suum munus exequendum necessaria, utpote sint Doctores sive Magistri in S. Theologia, aut Licentiati in Jure, si nimirum habeant curam animarum.

4. *Ut morum integritate commendentur*. Vide Concilium Tridentinum sess. 24. de Reformatione c. 12.

CONCLUSIO IV.

Obligationes mensuradas ex officiis, quæ eis cōmittuntur.

OBligationes Archidiaconorum mensurandæ sunt ex Officiis & Ministriis, quæ eis committuntur, ut sincerè & justè illa exerceant: Quod maximè in visitationibus Ecclesiarum & superintendentia super vita, conversatione, & Ministeriis Clericorum attendendum est. Benè Petrus de Aillaco S. R. E. Cardinalis, Episcopus Cameracensis l. de Reform. Ecclesiæ: *Adhibenda est* (ait) *diligentia, ut archidiaconi sua Officia exerceant, aut penitus exstirpentur, sicut de Chor-Episcopis factum est*: Officia vero ponit in debita de Clericorum & sibi commissorum vita & moribus informatione, eorum increpatione, correctione, reformatione &c.

Porrò Sacra Concilia multùm urserunt, ut Archidiaconi ab omni avaritiæ nota, & amore pecuniæ exempti essent, & ne munera, præstationes, & procurationes in visitationibus acciperent, vel peccata Clericorum mulcta pecuniaria sibi assignanda punirent: Imò notant singulariter eos, qui Sacerdotes in concubinatu sustinerent, dato velut annuo censu. Unde in Concil. Cabilonensi cap. 15. apud Gratianum d. 94. c. *Dictum est Dictum est* (inquit) *quòd in plerisque locis Archidiaconi super Presbyteros parochianos quandam exerceant dominationem & ab eis censum exigant: quod magis ad tyrannidem, quàm ad rectitudinem ordinem, pertinet.* Famosum est etiam decretum Gregorii X. Concilio Generali Lugdunensi in Decret. tit. de censibus & exactionibus in 6. c. 2. ubi renovat decretum Innocentii IV. de non recipiendis procurationibus in pecuniis, nec muneribus in visitatione, & addit: *Statuētes* (inquit) *ut universi & singuli, qui ob procurationem sibi ratione visitationis debitam, exigere pecuniam, vel etiam à volente dare, recipere, vel alias ea occasione ipsam, recipiendo munera, sive visitationis officio non impenso procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occasione violare præsumpserint duplū ejus quod receperint Ecclesiæ à qua id receptum fuerit, intra mensem reddere teneantur* (quę quidem de Episcopis & Archiepiscopis ponit, posteà vero de

rò de Archidiaconis & aliis) *Inferiores verò ab Officio & Beneficio noverint se suspensos, donec de duplo hujusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem impendant, nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate seu gratia valitura.* Vide Concilium Tridentinum suprà c. 3.

Trident.

A P P E N D I X.

De Peccatis Archidiaconorum.

Peccata Archidiaconorum enumerantur.

EX dictis colligi possunt Peccata Archidiaconorum, juxta rationem Officii sibi competentis, in quo quia non est uniformitas, quilibet secundum suas Obligationes illa expendere & mensurare debet. Sequentia verò potissima sunt.

1. Ignorantia eorum quæ ad debitè exequendum Officium pertinent, quæ sæpe mortalis est, sive ratione periculi, cui se & animas sibi commissas exponit, sive ratione peccatorum ex sua ignorantia emergentium.

2. Negligentia, maximè in iis, quæ visitationes, correctiones, informationes, & disciplinæ Ecclesiasticæ restitutionem & conservationem concernunt.

3. Si odio aut aversione unum deprimat, alium amore & favore aut dissimulatione foveat, vel ultra meritum promoveri curet.

4. Si correctionem fraternam, vel monitionem paternam priùs non præmittat, sed statim eorum maximè quibus non afficitur, peccata publica faciat, aut ad Superiorem deferat, cum aliter corrigi possit.

5. Si munera, pecunias, &c. à Parochis, Sacerdotibus, aut ecclesiis etiam voluntariè oblata accipiat, præter ea, quæ ei jure debentur. Unde notandum est ex Concilio Lugdunensi suprà, nullam condonationem vel liberalitatẽ ei suffragari posse, quin ad restitutionem teneatur: Ex quo infertur quod sit injustitia declarata & manifesta, & consequenter in materia gravi peccatum mortale.

6. Si ob peccata, in mulctam, vel peccandi immunitatem sive dissimulationem, munera vel pecuniam recipiat: Contra quam pestem aliqui Doctores maximè declamant.

QUÆSTIO II.

Quod sit Officium Archipresbyterorum?

C O N C L U S I O I.

Archipresbyteri sunt, qui multitudini Presbyterorũ præsident.

ARchipresbyteri dicuntur, *qui ex Officio multitudini Presbyterorum præsident, & invigilant:* Quorum Officium, Obligationes, & Ministeria Leo Papa in Synodo Ravennæ habita his verbis declarat: *Ut singulæ plebes Archipresbyterum habeant, propter assiduam erga populum Dei curam, qui non solùm imperiti vulgi sollicitudinem gerat: Verum etiam Presbyterorũ, qui per minores titulos habitant, vitam jugi circumspectione custodiat, & qua unusquisque industria Divinum opus exerceat Episcopo suo renuntiet. Nec contendat Episcopus non egere plebem Archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat: Quia et si valde idoneus sit, decet tamen ut sua onera alteri partiatur: Et sicut ipse Matrici præest Ecclesiæ, ita Archipresbyteri præsint plebibus, ut in nullo titubet Ecclesiastica sollicitudo Cuncta tamen referant ad Episcopum, nec aliquid contra ejus decretum ordinare præsumant.*

Est ergò Officium Archipresbyteri proportionate simile Officio Archidiaconi, quavis & ipsi Archipresbyteri Archidiaconis subessent, ut patet ex Cõcilio Toletano, & citatur in Decret. Gregorii l. 1. tit. 24. c. 1. *Ut Archipresbyter* (inquit) *sciat se subdi & subesse Archidiacono, & ejus præceptis, sicut sui Episcopi, obedire: & quod specialiter ad ejus pertinet Ministerium, super omnes Presbyteros in ordine Presbyterali positos curam agere.*

Cõc. Tolet.

Porro sicut de Archidiacono diximus, Archipresbyterorum Potestas & officia variè, juxta consuetudines Ecclesiarum, immutata sunt: Unde omnia, quæ de Obligationibus, & Peccatis Archidiaconorum diximus, proportionatè Archypresbiteris, juxta eorum Officium, applicanda sunt.

C O N C L U S I O II.

Alii Civici alii Rurales.

D*Uplices sunt Archypresbyteri, qui & Decani quandoque nominantur, alii Civici, alii Rurales:* Civici sunt, qui in civitatibus Presbyteris præsunt. Rurales sunt, qui Parochis & Parochiis ruralibus intendunt.

A P P E N D I X.

QUia modò juxta Ecclesiarum differentes constitutiones & mores hæc Officia sunt distributa: ita ut aliqui Vicarii Episcoporum, alii Præpositi alii, Decani &c. nuncupentur, quæ omnia partitionem nonnullam Episcopalis curæ dicunt, juxta prædicta eorum Officia mensuranda & examinanda sunt; ita ut de illis plura dicere sit eadem semper alio respectu, eadem remanente substantia, repetere.

QUÆSTIO III.

Quod sit Officialis Munus & quæ Obligationes?

C O N C L U S I O I.

Officialis est: Qui Tribunal Episcopi subit.

O*Fficialis vulgari vocabulo dicitur Qui Tribunal Episcopi subit, estq; Ordinarius Episcopi Iudex, idem Tribunal cum Episcopo faciens.* Unde nec datur appellatio ab Officiali ad Episcopum, quia, ut dixi, idem Tribunal est, & Officialis in administratione Justitiæ est Vicarius Episcopi ejusque personam repræsentat. Vide c. *Finale* dist. 93.

Dixi *(ordinarius)* ut distinguatur contra Foca-

Foraneos, qui in aliquibus partibus Episcopatus ponuntur, vel ad certas tantùm causas designantur, suntque merè Delegati. In hoc verò probatur Officialis Generalis Episcopatus Ordinarius esse: Quia etsi ad beneplacitum Episcopi ponatur, deponi tamen aut absolvi non potest, nisi morte vel delicto interveniente, aut nisi ipse renuntiet, ut habet Oldradus consil. 4. & alii.

Conclusio II.

Ejus qualitates.

Officialis debet esse persona Ecclesiastica juris canonici, Divini, & naturalis perita, vita integritate spectabilis, pacis & justitiæ tenax, ab omni munere aliena. Hæ conditiones ex natura Officii oriuntur. Nam quod de persona Ecclesiastica dicitur, ex jure quidem canonico constat 16. quæst. 7. c. *In nona*, ex congruentia tamen ordinata sequitur, ut Ecclesiastici, & causæ Ecclesiasticæ ac spirituales, non nisi ab ecclesiastico judicentur. Cæteræ conditiones jure Divino & naturali nituntur. Unde illis nobis immorandum non est, cùm tota materia de Officialibus materiæ Iudicum subordinetur, de qua 3. parte hujus tomi; solum annoto aliquos gravissimos abusus, qui in Curiis Episcoporum serpunt, de quibus S. Bernardus ad Eugenium Papam lib. 1. de Consid. & Gerson I. de Reform. Ecclesiæ.

Appendix.

De causis in Tribunali Ecclesiastico, & earum Reformatione ex S. Bernardo & Gersone.

S. Bernar. reprehendit abusus Curiæ spiritualis.

S. Bernardus suprà ad Eugenium: *Quæso te* (inquit) *quale est illud de manè usque ad vesperam litigare aut litigantes audire? Et utinam sufficeret diei malitia sua: non sunt liberæ noctes.* Infrà: *Quotidie perstrepunt in palatio leges sed Justiniani, non Domini: Justè ne etiam illud: Tu videris. Nam certè* lex Domini immaculata convertens animas: *Hæ autem non tam leges, quàm lites sunt, & cavillationes subvertentes judicium. Tu ergo Pastor & Episcopus animarum, qua mente obsecro sustines silere illam, garrire istas. Fallor, si non movet tibi scrupulum perversitas hæc.*

Ps. 118. 8.

Infra respondens ad objectionem: Quia non potest ministrari justitia, nisi *agitentur causæ audiantur partes &c. Agitentur (ait) causæ, sed sicut oportet. nam is modus, qui frequentatur, execrabilis est planè, & qui non dico Ecclesiam, sed nec forum deceret. Miror namque, quemadmodum Religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionē quam ad inventionem proficiunt veritatis. Corrige pravum morem, & præcide linguas vaniloquas, & labia dolosa claude. Hi sunt, qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, diserti adversùs justitias, eruditi pro falsitate: Sapientes sunt, ut faciant malum, eloquentes, ut impugnent verum. Hi sunt, qui instruunt, à quibus fuerant instruendi, adstruunt non comperta, sed sua, struunt de proprio calumnias innocentiæ, destruunt simplicitatem veritatis, obstruunt vias judicii &c.*

Et concludit: *Ergo illas, quas necesse erit ad te intrare causas (neque enim omnes necesse erit) diligenter velim, sed breviter decidere assuescas, frustratoriasque & venatorias præcidere dilationes: Causa viduæ intret ad te, causa pauperis & ejus, qui non habet quod det.* Hæc S. Bernardus.

Sed & Cancellarius Parisiensis Gerson I. quem scripsit de reformatione ecclesiæ citatus à Dionysio Carthusiano lib. de Vita & Regimine Episcopi a. 36. discooperit abusum quendam, quem, quia non est infrequens, paucis pono: *Dici* (inquit) *non potest quanta mala faciunt illi scelerati Exploratores criminum quos Promotores appellant qui simplices & agrestes pauperculos vitam satis innocuam agentes & fraudis urbanæ ignaros, sæpè injus pro nihilo vocant, causas & crimina contra eos confingunt, eosque vexant terrent, irritant, & ita eos per talia secum componere & pacisci compellunt. Quòd si facere renuerint crebris & quotidie repetitis citationibus eos supra modum infestant. Quòd si qualibet occupatione præpediti comparere desierint, censura anathematis tanquam rebelles feriuntur: Si verò perseveraverint comparere, audientias eorum apud Judicum Tribunalia impediunt, morasque & subterfugia dilationum & interlocutionum captant, quæ per facile in foris Ecclesiasticis obtinentur, quatenus simplices longo tædio fatigati cogantur redimere pactione pecuniæ futuram vexationem, atque impensam, sicque pro levi vel nullo delicto pro exiguo debito fit infinitarum cumulus expensarum.* Hæc ille, qui & plura & infamia prosequitur: Sed ex hoc disce infinitas fraudes, quæ à Promotoribus, Exploratoribus & Procuratoribus in Curiis spiritualibus fiunt &c.

Titulus II.

De curatis sive Parochis

Quaestio I.

Quid Curatus sive Parochus?

Conclusio Unica.

Curatus est: Qui beneficiū, cui cura animarū annexa est, possidet.

Curatus dicitur: Qui beneficium, cui cura animarum annexa est, possidet: Unde & diversa sortiuntur nomina: Aliquando enim dicuntur *Curiones*, à Curiis sive regionibus, in quibus curam animarum gerunt: Aliquando *Parochi*, à Græco παροχὴ quod Præbitionem significat: Quia plebi sibi commissæ Sacramenta præbent, plebs verò illis alimenta suppeditat: Alii *Parochos* vocāt à Græco παροικία quod est Vicinia, quia congregationis populi vicinæ curam gerunt: Aliquando vocantur *Rectores Ecclesiarum*, quia populum

lum sive Ecclesiam in spiritualibus regunt: Nonnunquam vocantur *Plebani*, quia curam plebis habent; quamvis Plebanus & Plebania majoris auctoritatis & dignitatis nomen sit, illi Curato conveniens, qui sub se Capellas & Capellanos plures ex vi Beneficii habet.

Quia verò Beneficia Pastoralia, sive fructus Beneficiorum, alicui Capitulo, Collegio, Monasterio, mensæ Abbatum ob causas annexa fuerunt, inde factum est, ut cura animarum deberet committi alicui in singulari, & inde ortæ Vicariæ perpetuæ, sive Vicarii perpetui, qui officium Parochiale administrant, portionem fructuum congruam recipientes: Dicuntur autem Vicarii, respectu eorum, in quos Beneficium translatum est, quorum vices gerunt; dicuntur verò perpetui, quia perpetuam & stabilem administrationem, stabiliter sibi addictam, habent, approbante & instituente eos Episcopo, & distinguuntur contra Capellanos & Vicarios ad nutum amovibiles.

Porrò sicut Diœcesum distributio in Episcopos est facta; Ita & Parochiarum in Parochos: cujus stabile initium accipio ex Dionysio I. Epistola ad Severum Episcopum apud Gratianum 13. q. 1. c. *Ecclesias*: *Ecclesias singulas* (Inquit) *singulis Presbyteris dedimus Parochias & cœmiteria eis divisimus, unicuique jus proprium habere statuimus; ita videlicet, ut nullus alterius Parochia terminos, aut jus invadat, sed unusquisque suis terminis contentus sit, & taliter Ecclesiam sibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni Iudicis ex omnibus sibi commissis rationem reddat, & non judicium; sed gloriam pro suis actibus percipiat. Hanc quoque normam te & omnes Episcopos sequi convenit, & quod tibi scribitur, omnibus quibuscumque potueris notum facias ut non specialis, sed generalis fiat ista præceptio.* Hæc Dionysius: Ex quibus patet resolutio ad duas subsequentes Quæstiones.

QUÆSTIO II.

An Institutio Parochorum sit Iuris Divini?

Conclusio Unica.

Institutio Parochorum nõ est Iuris Divini.

ETsi Officium Parochi non administretur nisi per Potestatem à Iure Divino originem ducentem, *strictè tamen illius Institutio non est Iuris Divini.*

Ratio est: Quia ab Ecclesia ob multiplicationem populi Christiani, & utilius regimen est institutum: Cùm anteà Episcopi soli essent Rectores totius Diœceseos, quam administrabant per Sacerdotes ad nutum & beneplacitum à se missos, determinato tempore, modo, & limitibus suæ administrationis. Qui quidem modus diu in Ecclesia perseveravit, & modo adhuc (ut refert Henriquez l. 4. de Pœnitentia c. 58.) in Diœcesi Cordubensi & Hispalensi perseverat, & primò circa annum 261. stabiliter institutum est, sive stabili decreto conclusum, ut Diœceses in Parochias dividerentur, & quælibet Parochia suum sortiretur stabilem Parochum, quod est merè Juris humani; ita ut Potestas, quæ Jure Divino originaliter in Petro sive Summo Pontifice & Episcopis est; juxta exigentiam necessariæ administrationis Parochiarum distribueretur inferioribus Ministris, idque Jure humano Ecclesiastico, juxta mensuram ab Ecclesia decretam. Unde quod Pastores dicantur Ordinarii, & habere Ordinariam Potestatem, sic intelligendum est, quòd Potestas, quæ primò tantum fuit Delegata, quando Ministri erant temporarii, & ad nutum amovibiles; constituto jam stabili Officio Parochi, & Potestate stabiliter annexa, facta sit Jure Ecclesiastico Ordinaria.

Henriquez.

QUÆSTIO III.

An Parochi ad Hierarchiam Ecclesiæ pertineant?

ILlos pertinere ad Hierarchiam Ecclesiæ docent, qui Episcopos Apostolis successisse, Parochos autem Discipulis affirmant. Sit nihilominus

Conclusio I.

Parochi ad Hierarchiam Ecclesiæ non pertinent.

PArochi ad Hierarchiam Ecclesiæ, divinitus à Christo institutam, per se non pertinent.

Ratio est: Quia, ut dictum est, Parochi Divino Iure à Christo non sunt instituti, sed Iure humano ab Ecclesia ad regimen assumpti. Nec successio in locum Discipulorum aliquid probat: Neque enim Discipuli alicui loco, ecclesiæ, vel Parochiæ fuerunt affixi, sed sic à Christo in omnem terram erant missi, ut juxta Apostolorum beneplacitum, etiam aliqua eis loca commendarentur, pro tempore, quo necessarii erant.

Conclusio II.

PArochi Iure humano fuerũt ad Hierarchiam assumpti, qua ratione de Hierarchia ancelesiastica dicuntur. *quia nimirum ab Hierarchis stabiliter sunt ad regimen animarum assumpti. Potestati Divini Iuris in ipsos ab Episcopis ad mensuram regiminis influente.* Unde comparantur septuaginta duobus Discipulis, non principaliter, quasi à Christo primariò missi, sed tantùm, quia sicuti Discipuli ad regimen animarum assumebantur sic & Parochi ex numero Sacerdotum. Nam juxta S. Anacletum Epistola 2. ad Episcopos Italiæ, & habetur apud Gratianum d. 21. c. *In novo Testamento*, Sacerdotes sive Presbyteri in locum septuaginta duorum Discipulorum succedunt, qui & Potestatem Ordinis actualem accipiunt, & in habitu Potestatem Jurisdictionis, ut possint ab Episcopis vel Ecclesiis præfici, vel in messem Domini mitti. Vide D. Thomam 2. 2. quæst. 84. art. 6. & 8. ubi docet Parochos non habere curam animarum principaliter, sed administrationem

D.Thom.

tionem quandam, secundùm quod eis ab Episcopo committitur: adeoque assumptos esse. Et subjungit: Ad eos non pertinere principaliter Pastorale Officium, nec Obligationem ponendi animam pro ovibus: sed in quantum participant de Cura: Unde magis (inquit) habent Officium, ad perfectionem pertinens, quàm obtineant perfectionis Statum. q. d. ea, quæ illis competunt similia Officio Episcopi provenire ex pacto, quod virtualiter in Beneficio Parochiali includitur, cui se obligarunt dum Beneficium Parochiale susceperunt, idque ex Iure Ecclesiastico, non Divino.

Quòd autem Officium Parochi dicitur purgare, illuminare, perficere plebes subjectas &c. quæ sunt Hierarchica Munia, id intelligendum est accommodè & analogicè ex debito voluntariè assumpto, & Iure Ecclesiastico, proportione tantùm servata ad Obligationem Hierarchicam, quæ est ex Iure Divino.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint Qualitates in Parocho requisitæ?

CONCLUSIO UNICA.

4. *Qualitates Parochi:* Qualitates *in Parocho sive Curato requisitæ sunt sequentes: Ætas 25. annorum: Sacerdotium vel actu susceptum, vel intra annum à die adepta possessionis Beneficii suscipiendum: Doctrina suo Ministerio proportionata: Vita integra & exemplaris*

Conclusio sumitur ex canonibus & Concilio Tridentino variis locis: Advertendum verò est sub integritate vitæ non tantùm contineri integritatem à vitiis, sed etiam à censuris, pœnis, & impedimentis Ecclesiasticis.

QUÆSTIO V.

Quæ sint Parochi Officia & Obligationes?

CONCLUSIO UNICA.

5. *Obligationes:* Officia *& Obligationes Parochi sequentibus ferè terminis comprehenduntur: Administratione Sacramentorum Celebratione Missarum & Divinorum Officiorum, Prædicatione Verbi Dei, & Instructione populi, Cura singulari pauperum, Residentia &c.*

Ita Concilium Tridentinum sess. 23. de Reformatione cap. 1. Ubi declarat omnia hæc esse præcepti Divini, adeoque indispensabilis: *Cùm* (inquit) *præcepto Divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, Verbiq; Divini Prædicatione, Sacramentorum Administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere, &c.* *Trident.* ratione quorum decernit consequenter eos ad personalem in Ecclesia sua Residentiam obligari. Pro quibus omnibus pono sequentes Paragraphos & Dubia.

§. 1.

De Administratione Sacramentorum.

DUBIUM I.

Ad quid teneatur Parochus in Administratione Baptismi?

Respondeo: *tria potissimùm requiri in Parocho in administratione Baptismi.*

1. *Ut norit & vigilanter adhibeat ea, quæ sunt sacramento essentialia & necessaria:* nimirum: Aquam naturalem, sive sit illa fontis baptismalis, aut aliàs Benedicta, sive in casu importuno non benedicta: Formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen:* Et Intentionem actualem & virtualem habeat conferendi baptismum&c.

Quæstiones Scholasticæ circa Formam & Materiam hic multæ moveri solent inutiles: Ego necessariorum & utilium resolutionem paucis propositionibus absolvo.

PROPOSITIO I.

Aqua naturalis seu elementaris est Materia sufficiens & necessaria ad Baptismum. Unde excluditur omnis alia aqua, quæ elementaris non est, ut rosacea, aut ex quolibet corpore arte extracta. *Propositiones quoad Materiam & Formam Baptismi.*

PROPOSITIO II.

Aqua alterata sive mixta, quamdiu non pervenit ad tantam mixtionem & alterationem, ut naturam aquæ mutet, sufficiens est ad Baptismum: Si autem pervenerit usque ad alterationem tantam, ut aquæ naturam mutet, non erit sufficiens. Prioris exemplum est in lixivio, In aqua, in qua primò leviter carnes bullitæ sunt, & in his in necessitate liceret baptizare, ubi alia Materia non suppeteret. Posterioris: Cerevisia, vel ultimum brodium carnis, in quo caro suam substantiam sive virtutem penè infuderit, & in his nullatenus licet baptizare.

PROPOSITIO III.

Subsistente & parata Materia certa sacrilegium est Materiam opinabilem vel dubiam adhibere.

Ratio petenda est à periculo nullitatis, & gravi irreverentia Sacramenti.

PROPOSITIO IV.

Applicatio Materiæ sive aquæ, quæ est Materia proxima, debet fieri, vel per absolutionem, vel immersionem, vel aspersionem, vel effusionem,

sionem, ita ut fuere intelligatur, & fluide aliquam partem corporis attingere. Hoc judicat verbum *baptizo* quod saltem ordinem ad aliquam intinctionem sive ablutionem dicit. Unde in necessitate, quando foetus secundum aliquam corporis partem animatam apparet, confidenter pars illa aspergenda est, vel super illam aqua fundenda, quolibet possibili modo.

PROPOSITIO V.

UBiopinabilis sive probabilis tantum Materia vel aspersio est facta, supervivente prole vel foetu, debet sub conditione rebaptizari.

Ratio est: Quia quod tantum per Materiam probabilem factum est, tantum probabiliter factum est: Baptismus autem, cum sit Sacramentum necessitatis, quantum fieri potest, debet esse certus.

PROPOSITIO VI.

FOrma debet integrè pronuntiari: Si tamen ob balbutiem vel ignorantiam aliqua particula omittatur, mutetur, vel incongruitas contra latinitatem committatur, quæ substantialem sensum non variet, Baptismus verus est. Propositio est communis Doctorum.

2. Ad quod Parochus tenetur, est: *Ut ritus ab Ecclesia institutos in solemni Baptismo observet:* Ritus illi in Manuali Parochorum habentur: quos in materia gravi transgredi peccatum mortale esset, quamvis Baptismus valeret.

Maximè autem advertere debet Parochus in materia Susceptorum, sive Patrinorum ob cognationem spiritualem, quæ ex illa Susceptione oritur: Ita ut, juxta Concilium Tridentinum sess. 24. c. 2. de Reformatione Matrimonii, tantùm unus sive vir, sive mulier, vel duo vir & mulier Baptizatum suscipientes, cognationem illam spiritualem contrahant cum Baptizato & Baptizati patre & matre. De quo debet Parochus illos benè informare, & nomina illorum in libro scribere, ob impedimenta Matrimonij inde sequentia, ne ignorantiâ ullâ excusari valeant.

Trident.

3. Ad quod parochus tenetur, est: *Vigilantia, ut infantes tempestivè baptizentur*, ne absque Baptismo decedentes à regno excludantur æterno. Unde & ipsi invigilandum est ut obstetrices fideles, & piæ ac probæ vitæ in parochia adhibeantur, quæ super hoc invigilent, & quæ essentialem ritum baptizandi probè & solidè noverint, ut in necessitate ritè baptizare possint: Etsi enim ad hoc non obligentur ex officio suo obstetrices, magnum tamen est solatium Pastori, & necessitas in isto casu, ut ista norint, cùm sæpius in extremis illis necessitatibus vel solæ adsint, vel dispositionem matris & prolis sciant: Unde saltem ex charitatis debito tales providere oportet, quæ debita informatione ad id sint instructæ.

Non ago hic de dispositione spirituali Parochi, ut nimirum sit in statu gratiæ, quia hoc commune est omnibus Sacramentorum Ministris.

APPENDIX.

De Administratione aliorum Sacramentorum Celebratione Missarum ac Divinorum Officiorum, Cura pauperum, ac Residentia Parochorum.

DE Sacramenti Pœnitentiæ Ministerio sufficienter à nobis actum est tom. 1. per totum, ubi omnia requisita longe latèque tractata fuit. Similiter & quæ ad Eucharistiæ Ministerium, & Missarum ac Divinorũ Officiorum Celebrationem pertinent, tom. 2. tract. 2. tit. 4. Ibi require.

Debitæ excusationis vide quæ dicta sunt locis hic citatis

De Administratione Matrimonii quæ necessaria erunt tractabuntur 3. parte hujus tomi, cùm agemus de Statu Matrimoniali.

De Administratione etiam Sacramenti Extremæ-Unctionis agemus eadem 3. parte, tractantes de Statu Morientium.

De Cura pauperum, nihil addendum venit iis, quæ de Episcopis diximus, proportione tamen servatâ ad Curam Pastoralem, quæ multò inferioris Gradus est, suas partes habet Parochus, ut invigilet dispositioni legitimæ bonorum ipsorum pauperum, & eis pro suo modo opituletur.

De Residentia Parochorum hic similiter nõ ago; quia quæ de Residentia Episcoporum dicta sunt, illis proportione servata sunt applicãda. Vide etiam Quæst seq. §. 3. De Peccatis Derelictionis Ovium in necessitate.

§. 2.

De Prædicatione Verbi Dei, & instructione populi

PArochi Officium esse Verbum Dei per se, vel si non possit, per alium idoneum Ministrum populo proponere, omnium Conciliorum docet auctoritas. Unde & in Concilio Tridentino sess. 5. de Reformat. cap. 2. ita habetur. *Archipresbyteri quoque Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, vel alios idoneos si legitimè impediti fuerint diebus saltē Dominicis, & festis solemnibus plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis: docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis vitia quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cælestem gloriam consequi valeant.*

Parochi Officium est per se vel alium prædicare

Tanti verò hoc Munus in Parocho Concilium æstimat, ut etiam per censuras ab Episcopis eos ibidem ad illud cogi velit: Imò obligationem justitiæ Concilium agnoscens, statuit, ut parocho negligente, Episcopus ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præstet, hone-

honestam aliquam mercedem persolvi curet, donec Parochus resipiscens officium suum impleat. Sed hic nonnulla exurgunt dubia.

Dubium I.

An debeat Parochus Conciones habere oratorias & juxta eloquentiæ modos?

Parochus non debet habere conciones oratorias.

Respondeo: *Nequaquam.* Sufficit enim, & sæpè utilius est, simpliciter & sine phaleratа eloquentia annuntiare, quæ ad salutem sunt necessaria: quod indicat Concilium Tridentinum suprà: *Pro sua* (inquit) *& earum capacitate, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, &c. cum brevitate & facilitate sermonis.* Unde & sessione 24. de Reformat. cap. 4. postquam iterum obligationem prædicationis repetiit, mandat in singulis Parochiis, Dominicis & aliis festivis diebus pueros doceri rudimenta fidei, & obedientiam erga Deum & parentes.

Dubium II.

Quænam potissimùm à Parochis populo exponenda sunt?

De quibus tenentur populum instruere.

Respondeo: *Duplicia sunt, de quibus Parochi tenentur sub mortali informare plebem sibi commissam.*

Alia sunt *universalia, & quæ ad omnes spectant:* Ut articuli fidei, Præcepta Decalogi, Usus dignus & legitimus Sacramentorum, modus Deum colendi & orandi, peccata capitalia, opera misericordiæ &c. quæ non tantum debent proponi, ut recitativè vel ex memoria discantur, sed ut juxta cujuslibet capacitatem intelligantur & comprehendantur, ac eis in benè vivendo anima informetur, possitque distinguere inter bonum & malum, & agnoscere obligationes suas. Hæc sparsim in Concilio Tridentino inculcantur ut sess. 24. de reform. c. 7. de usu Sacramentorum à Parochis proponendo, sess. 22. c. 8. de explicatione Mysteriorum Missæ, & aliâ alibi.

Alia sunt *specialia uniuscujusque Status:* Ut nuptis matrimonii obligationes, & legitimum usum, innuptis castimoniam, filiis obedientiã ad parentes, parentibus debitam curam prolium, obligationes servorum ad Dominos, dominorum ad servos &c. Unde pono Regulam Generalem.

Regula Generalis.

Parochi tenentur de omnibus necessariis ad salutem ita populum suum, per se vel per alios instruere, ut si defectu scientiæ, ex negligentia Pastoris anima pereat, de manu Parochi illam requirat Deus.

Regulam probant omnes Scripturæ, quarum catalogum componere, infiniti esset operis, & passim claræ sunt.

QUÆSTIO VI.

Quæ sint peccata Parochorum ex obligatione sui Officii provenientia?

Conclusio Unica.

Singularia parochorũ peccata.

Quamvis *Parochos vitia plurima Clericis & Sacerdotibus communia concernant, aliqua tamen sunt eorum singularia peccata, quæ in quatuor ferè membra secari possunt: Nimirum: Ignorantiam, Negligentiam, Derelictionẽ ovium in necessitate, Exemplum malum.*

§. 1.

De Peccatis ignorantiæ in Parocho.

Peccata ignorantiæ sunt, si moraliter & accommodè non sciat, quæ necessaria sunt ad Officium suum, & directionem spiritualem Ovium suarum: Cùm enim sit ex natura officii sui Pastor, Doctor, Judex, Medicus & Consiliarius in iis, quæ sunt spiritualis salutis animarum sibi commissarum; quoties ex ignorantia culpabili in re gravi errat, sive in administratione Sacramentorum, sive in doctrina, sive in judicio conscientiæ, sive in remediis & consiliis adhibendis, peccat mortaliter. Vide quæ diximus tomo primo dum de Qualitatibus & Scientia Confessariorum egimus: Hic enim proportionaliter omnia resumenda sunt.

Et advertendum: Quòd Parochi ignari non tantum peccent mortaliter, quando ex ignorantia culpabili in re gravi errant, sive respectu sui, sive respectu subditi; sed versari in continuo statu peccati, quia in continuo periculo peccandi sunt, quamdiu debitis modis & mediis per studium, lectiones, informationes virorum doctorum tollere suam ignorantiam non laborant. Heu quòt tales sunt! qui inertia & otio, ac temporalibus vacantes, nunquam student; nunquam lectioni aut doctrinæ vacant, de quibus dicitur Oseæ 4. *Quia tu repulisti Scientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

Dixi (moraliter & accommodè) non enim in omnibus æqualis semper scientia requiritur, sed accommoda & necessaria, ut in extraordinariis casibus dubitare & informare se valeant.

§. 2.

De Peccatis negligentiæ.

Peccata negligentiæ sumuntur respectu sedulitatis & vigilantiæ, quam adhibere tenetur circa animas sibi commissas. Unde quantumvis doctus, prudens & eloquens sit Parochus, si tamen in doctrina, administratione Sacramentorum & aliis sit ita negligens, ut ex negligentia ejus grave damnum animæ ipsi commissæ patiantur, illi damnum imputatur, & mortaliter peccare convincitur. Heu quot

quot animæ defectu instructionis debitæ non tantùm in peccata sed in damnationem æternam abeunt! quot ob consilii, remedii, solatii spiritualis defectum ex Negligentia Pastorum pereunt! Unde sunt illæ querimoniæ apud Ezechielem cap. 34. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis.* Et Negligentias eorum singularibus metaphoris exprimit. *Quod infirmum fuit, non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod perierat non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis & cum potentia.* Quæ prosequitur, abjectionem, quæ est pœna æterna, interminans pastoribus; quæ etiam iisdem ferè modis habentur, Zachariæ 11.

Ezec. 34. 2.

Zach. 11. 16.

§. 3.

De peccatis Derelictionis Ovium in necessitate

AD peccata Derelictionis Ovium pertinent, quæ ad Residentiam demandatam spectant, sive peccata Absentiæ damnosæ; sed quia sufficienter de illis egimus, dum de Residentia sive præsentia Episcoporum: & de fuga eorum suprà tractavimus: ideò hìc inutiliter repeterentur, cùm eadem sit, cæteris paribus, ratio parochorum. Unum tantùm dubium propono.

DUBIUM UNICUM.

An tempore pestis, belli, vel calamitatis gravis, teneatur parochus non tantùm in loco manere, sed etiam propriis manibus peste laborantibus Sacramenta ministrare: Item, in alio casu cùm periculum mortis imminet?

HÆc est maxima difficultas, quæ his temporibus movetur, dum pastoribus ministrantibus pestis imminet, aut aliàs ex bello captivitas, aut aliud grave damnum.

RESOLUTIO I.

Tempore pestis non tenetur Parochus cum damno communis gregis singulis ministrare Sacramenta.

TEmpore grassantis pestis non tenetur parochus, detrimento communis gregis, Sacramenta singularibus individuis ministrare, si probabile periculum sit infectionis

Ratio est: Quia ordine charitatis & justitiæ præferendum est bonum commune, & salus communis bono & saluti particulari. Tenetur igitur parochus se potius conservare populo suo, si ex sua infirmitate vel morte detrimentum pateretur, quàm pro particularis salute suam personam exponere. Et ita Doctores communiter.

Dixi (*cùm detrimento communis gregis*) ubi enim tanta corruptio esset, ut major pars vel communiter & promiscuè subditi corriperentur, tunc parochus teneretur etiam per se ministrare, nisi aliunde omnino esset provisum: Unde est illud S. Augustini ad Honoratum Epistolâ 180. *Cùm Episcoporum & Clericorum* (& consequenter laicorum) *est commune periculum, ii, qui aliis indigent, non derelinquantur ab iis, quibus indigent.*

S. August.

Dixi (*si probabile sit periculum infectionis*) si enim non sit tantum periculum, ut quia infirmus extra domum ad aërem vel fenestram exponi potest, & periculum vitari, non excusaretur parochus ab eo munere.

RESOLUTIO II.

Tenetur tamen providere, ut infirmis ministretur Sacramentũ pœnitentiæ saltem per alium.

TEmpore grassantis pestis tenetur Parochus sub peccato mortali providere, ut infirmis Sacramentum, saltem Pœnitentiæ, administretur, si non per se, saltem per Vicarium vel Ministrum quemcunque idoneum, qui curam in se recipiat Pœnitentiæ Sacramentum administrandi, ita etiam ut eo correpto peste, vel moriente, tot quot necessarius substituat.

Ratio est: Quia ex justitia & beneficio Parochiali tenetur necessaria salutis Ovibus providere: Sacramentum autem Pœnitentiæ adultis ordinariè necessarium reputatur, & qui absque illo suscepto decedit, periculo damnationis exponitur.

Nec refert: Quòd Contritio cum voto Sacramenti Pœnitentiæ ad salutem sufficiat, aut quòd plerique in peccatis tantùm venialibus sint: Providendum enim est in re incerta, & quæ ut plurimum certæ damnationis periculum adjunctum habet, ut per remedia certa, quantùm fieri potest, moraliter periculum tollatur.

Dixi (*Sacramentum Pœnitentiæ*) hoc enim adultis solùm necessarium est, quamvis & Eucharistiæ pro Viatico, & extremæ-Unctionis multùm utile, & de iis etiam, quantùm periculum patitur, providendum, quod maximè in Viatici ministerio fieri potest, si tempestivè fiat. De Baptismo summè necessario Sacramento non dubito, quia quilibet illud ministrare potest. Sciendum tamen, quod si puero peste infecto, vel in domo infecta existenti non esset, qui vellet, aut posset Baptismum ministrare, Parochum similiter, sub peccato mortali, per se, vel per alium ministrare debere. Et in hoc non parva cura Parocho impendet, ne pueri, tempore pestis, absque Baptismo decedant.

Dixi (*per se, vel Vicarium aut Ministrum idoneum*) tota enim salus subditorum ex justitia illi immediatè incumbit, & ideò ipsius est providere. Imò & posito Vicario, vel Ministro idoneo, debet ipse pro sanis in Parochia, vel vicinia remanere, ut Ministro obeunte vel impedito substituere possit, etiam successivè, necessarios.

DICES: Hoc onus intollerabile est: Cùm enim ipse solùm propriam vitam exponere possit, quomodo tot Ministros exhibere tenebitur?

Respondeo: Quamdiu vivit & potest, teneri: Quia ex pacto in beneficio incluso, tene-

tur:

tur: Quod quidem grave est, sed non intollerabile, cùm etiam ex charitate nonnunquam pro salute æterna fratris debeamus animas ponere, teste Ioanne 1. Epistolæ c.3.

1. Joan.3. 16. Dico (quamdiu vivit, & potest; si enim moriatur, tunc redit obligatio in Episcopum, qui jure Divino est totius Diœcesis pastor) cujus est, defuncto vel non valente pastore, de administratione necessaria Ovibus providere.

RESOLUTIO III.

Quando est communis calamitas & periculum tenetur adesse ovibus.

TEmpori belli, vel gravis calamitatis, ubi est commune calamitas nec speciale periculum immineat Parocho magis quàm parochianis; tenetur Parochus adesse Ovibus suis: quòd si, ob speciale periculum, absit, obligatur ipse vel Episcopus de Vicario vel Ministro idoneo providere.

Ratio eadem est quæ suprà: Quia ipsis cura & sollicitudo incumbit, Episcopis quidem jure Divino, Parochis autem jure beneficii & pacti virtualis. Vide quæ diximus suprà de fuga Episcoporum.

Dixi (nec speciale periculum imminet Parocho) quia ubi speciale periculum imminet Parocho, tunc illi fugere licebit, & meliori quo potest modò suo gregi providere: Quomodo tempore retorsionum sive repressaliarum, quas vocant, in parte Diœcesis Gandensis, ad instantiam R. D. Antonii Triestii soli Fratres Minores Recollecti, fugientibus Pastoribus, in habitu dissimulato populo servierunt, mercedem à solo Deo expectaturi.

COROLLARIUM.

PEccant igitur mortaliter; 1. Qui sive ex timiditate, sive defectu charitatis Oves suas tempore pestis aut belli derelinquunt.

2. Qui iis de necessariis Sacramentorum Ministris istis temporibus non provident.

3. Qui quovis tempore, vel per absentiam, vel defectu vigilantis curæ; in causa sunt, ut Parochiani absque Sacramentis & necessariis adminiculis moriantur. Quibus illud Zachariæ 11. competit: *O Pastor, & idolum, derelinquens gregem: gladius super brachium ejus, & super oculum dextrum ejus; brachium ejus ariditate siccabitur, & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.* Zach.11. 17.

ADNOTATIO.

HIc tamen etiam monendi sunt Magistratus, eos teneri in communi calamitate suppetias & auxilium præbere pro sustentatione; medicamentis & antidoris Ministrorum. Item monente Parocho quemlibet teneri, tempore pestis, confiteri & Sacramenta in sanitate suscipere; quia imminente periculo obligantur sibi tempestivè providere, &, *Qui amat periculum, in illo peribit.* Nota. Eccli.3.27

§. 3.

De Peccatis mali Exempli.

DE his nihil occurrit specialiter dicendum præter ea, quæ diximus de Scandalo tom. 2. tract. 2. tit. 4. sect. 2. quæst. 1. §. 6. per totum. Vide ibid.

TRACTATUS X.

De Clericis Beneficiatis; & Beneficiis; ac Simonia.

TITVLVS I.

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natura, & Obligatione eis annexa.

QVAESTIO I.

Quid sit Beneficium?

CONCLUSIO I.

Beneficii descriptio.

BENEFICIUM *est Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, propter aliquod Officium spirituale, auctoritate Ecclesiæ constitutum.* Ita Sylvester V. *Beneficium* I. n. 1. & alii.

Dicitur (*Ius*) qui enim ex liberalitate & charitate percipit fructus, Beneficium habere nō dicitur, ut qui super Beneficiis liberales aliquas præstationes habent titulo alimenti, vel charitatis. Et per hoc etiam excludi credo Monachos, qui etsi dicantur Jus alimenti & sustētationis in fructus bonorum Monasterii habere, illud tamen non est Ius strictum, quod personę cōperit, sed quidā usus fructus, qui exlure monasterio cōpetere, in mebra monasterii diffūditur quatenus opus habent, non aurē ad propriam eorum auctoritatem aut dispositionem.

Dicitur (*Ius perpetuum*) ut excludatur Vicaria temporalis, aut deservitura Beneficii ad beneplacitum Episcopi vel Beneficiarii: Quo etiam titulo ab aliquibus excluduntur Dignitates, & Prælaturæ Regulares, certo tempore definitæ, ut triennio, sexennio, octen-

octennio &c. quia temporariæ sunt: Ego potius excludo per particulam (ius) Regularium enim Prælati, sive sint temporarii, sive perpetui, & ad vitam, si veri Religiosi, & Regulam Ordinis ab ecclesia approbati sint professi, Jus non habent in fructus bonorum Monasterii, sed honorariam administrationem & dispensationem: Jus autem verum penes Monasterium ipsum, sive corpus non moriens remanet: Unde nec possunt disponere vel expendere pro libitu & voluntate, sed rationem administrationis reddere tenentur: Vide Bullam Clementis VIII. de largitione munerum. Quòd si inveniantur, qui Jure strictò de bonis dispenunt, isti veri Monachi aut Regularis in hoc professionem excedunt, quocumque tandem titulo vel colore aut privilegio id sibi licere affirment.

Clem. VIII

Dixi (*percipiendi fructus*) bona enim immobilia Ecclesiæ in Jus Beneficiatorum non cedunt, nec ab illis alienari aut commutari propria auctoritate possunt, sed magis conservare tenentur; Unde si elocationes aliquas Beneficiarii faciunt, ad fructuum perceptionem ita referri debent, ut non cedant in detrimentum bonorum immobilium, vel successoris.

Dixi (*ex bonis Deo dicatis*) si enim dominium bonorum in jure alicujus personæ remaneat, etsi ex his quis, ob spirituale Officium, aliquos fructus percipiat, Beneficium in rigorosa significatione dici non poterit: Ut si Nobilis alicui Sacerdoti, ut Missam quotidie celebret, etiam pro tota vita sua assignet super aliquo agro vel dominio suo annuam dotem & præstationem.

Dixi (*propter aliquod Officium spirituale*) ut est Cura Animarum, Missæ Celebratio, Lectio horarum Canonicarum &c. Si enim quis percipiat fructus ex bonis Deo dicatis propter Officium, aut obsequium temporale, non erit Beneficium: Qua de causa Beneficium non dicuntur habere Capitulorum Receptores, Baillivi, Villici & alii Ministri: etsi enim fructus ex bonis Deo dicatis percipiant, non tamen ob Officium aliquod spirituale, sed ob mere temporale obsequium.

Dixi (*auctoritate Ecclesiæ constitutum*) si enim laica auctoritate constituatur, & Ecclesiastica auctoritas legitimè non interveniat, Beneficium non erit: Ut si quis in perpetuum certam summam, ex certis suis & heredum bonis assumendam, Deo voveret & dedicaret, ut Sacerdos Officium aliquod spirituale subiret, si illud auctoritate Ecclesiastica legitima stabilitum nô esset, Beneficium non esset, sed tantùm præstatio annua diceretur.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Beneficium?

Beneficiũ ratione personarũ dividitur in.

Multiplices divisiones Beneficiorum ex diversis respectibus à Doctoribus assignantur: Alia enim Sæcularia, alia Regularia dicuntur, ex respectu personarum, quibus conferri debent: Si enim ex fundatione sive institutione Sæcularibus, seu non Regularibus, assignatè distribuenda sint, Sæcularia nuncupantur: Si Regularibus tantùm, Regularia. Inæqualis tamen divisio est, cùm dentur indifferentia, quæ tam Sæcularibus, quam Regularibus conferri possunt, ut sunt nonnulla Curata, de quibus c. 5. *Quod Dei timorem*. De Statu Monachorum. Dixi (ex fundatione sive institutione) Hæc enim semper attendenda est, quamvis etiam diuturna possessio, utpote quadraginta annorum, fidem in his faciat.

Sæculare & Regulare.

Alii dividunt Beneficia in Manualia, Electiva, Collativa, Missa, à modo scilicet ea acquirendi. Manualia vocant ad nutum conferentis revocabilia, sed hæc propriè dicta Beneficia non sunt, cùm perpetuitate Juris careant: Electiva vocant, quæ electione; Collectiva, quæ collatione; Missa, quæ Patroni præsentatione acquiruntur. Sed de his suo loco. Unica divisio ex natura Beneficiorum superest, pro qua sit

CONCLUSIO UNICA.

Ratione natura sua in Simplex & Duplex.

Beneficium Ecclesiasticum, *prout in natura sua consideratur, duplex est*: nimirum, *Simplex & Duplex*.

Simplicia Beneficia dicuntur, *quæ præter obligationẽ ad Canonicas Horas & Divina Officia, nullam aliam curam, administrationem, vel singularem eminentiam ex vi Beneficii annexam habent*: Ut sunt Canonicatus, Capellaniæ, facella, Altaria &c.

Duplicia Beneficia sunt, *quæ ad Horas Canonicas & Divina Officia obligant, & ex vi Beneficii curam animarum & spiritualem aliquam administrationem, vel etiam Dignitatem conjunctam habent*: Ut sunt Episcopatus, Præpositura, Decanatus, Archidiaconatus, Scholastica, Thesauraria, Cantoratus, Pastoratus &c.

Dixi (*ex vi Beneficii*) sive illa sint annexa Beneficio ut sic, sive non nisi Beneficiato conferantur.

Dixi (*præter Horas Canonicas & Officia Divina*) propter aliquas in Ecclesia eminentias, quibus Jurisdictiones quidem & Jura Patronatus cõpetunt, ad Horas tamen Canonicas, & Officia Divina non obligant, ut sunt nonnulli Personatus, qui etsi Clericis conferantur, & spiritualem quandam præfecturam dicant, nullam tamen obligationẽ ad Officia Divina habent, & ideò propriè Beneficia non sunt, ut in Belgio Personatus Donfanus, ratione cujus, qui eum possidet, Beneficia plura Jure patronatus habet conferenda.

TITV-

TITULUS II.

De Canonicatu, & Canonicis.

QUÆSTIO I.

Qui dicendi sint Canonici, & quid Canonicatus?

CONCLUSIO UNICA.

Canonici descriptio. Canonicus est Clericus, qui Canoniam in Ecclesia Collegiata vel Cathedrali actu possidet.

Dicitur (Clericus) non enim Canonicus esse potest, qui Clericali tonsurâ insignitus non sit.

Etymologia nominis. Dicitur (qui Canoniam) id est, Beneficium regulatum: juxta præscriptionem Canonum possidet. Canon enim regula est & Canonici dicti sunt ex eo, quòd Clericis Ecclesiæ in Divinis Officiis servientibus sive mancipatis certò vectigal ab Episcopo penderetur, quod Canon dicebatur, quia certum & definitum erat sicut etiam illud, quod Clericis illis pendebatur, in cibis & aliis certâ mensurâ distribuebatur: Sic enim in jure lib. 5. de sacrosancta Ecclesia, & l. 1. de indict. Canon dicitur omnis præstatio, quæ perpetuò, & eodem modo exigitur: Unde etiam Canon frumentarius apud Romanos, & Canon Emphyteuticus. Ex eo itaque quod certa portio ex bonis Ecclesiasticis Clericis Ecclesiæ distribuebatur, portio illa Canonia sive Canonica dicta est, & qui illam accipiebant, Canonici sunt dicti, quia hujusmodi Canonem sive Canoniam & Canonicam præstationem ab Episcopo accipiebant.

Dicitur (in Ecclesia Collegiata vel Cathedrali) Quia enim Clerici Canoniam sive præstationem accipientes, ob multa incommoda singulas præstationes non poterant accipere, quarta pars bonorum Ecclesiæ generaliter illis in communi cessit, & deinceps sub uno Superiore, & certis regulis in communi cœperunt vivere, & collegialiter habitare in locis circa Ecclesias per modum claustri sive Monasterii ædificatus, ex quarta ut dictum est, bonorum Ecclesiasticorum parte communiter viventes: Unde & à quadam regulari secundùm Canones vita, dicti sunt Canonici, & si quidem apud Ecclesias Cathedrales habitabant, vocabantur Canonici Cathedrales, sin minùs, Collegiales. Quod benè exprimitur de Consecrat. d. 5. cap. In omnibus, ex lib. 5. capitulorum: In omnibus, (inquit) quantum fragilitas humana permittit, decrevimus, ut Canonici vel Clerici canonicè vivant, observantes Divinæ doctrinam scripturæ, & documenta sanctorum Patrum; & nihil sine licentia Episcopi sui, vel Magistri eorum incompositè agere præsumant in unoquoque Episcopatu simul manducent, & dormiant, ubi his facultas ad faciendi suppetit. Et subjungitur: Qui de rebus Ecclesiasticis stipendia accipiunt, in uno claustro maneant, & singulis diebus manè primâ horâ ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam verò similiter lectionem audiant, & obedientiam secundùm Canones suis Ministris faciant. Hæc ibi: In quibus verbis clarè ostenditur, qualiter Collegia Canonicorum inceperint. Cùm enim singulis sua præstatio distribuebatur, collegialiter non habitabant: Cùm autem quarta pars bonorum Ecclesiæ eis cessit, communiter & collegialiter vivere cœperunt, & sub regulis & regimine aliquorum vitam ducere. Unde primò à Canonia sive præstatione certi & regulati stipendii Canonici dicti sunt, postmodum autem à Canonica vita.

Advertendum etiam est solos illos collegialiter habitasse, qui de bonis Ecclesiæ communiter sustentari debebant: Erant sine dubio & alii, qui de suis viventes, Ecclesiis proprio stipendio militabant & deserviebant. Sed de his posteà.

QUÆSTIO II.

An Canonici regulariter in collegio ad modum claustralium viventes fuerint Religiosi sive Monachi?

CONCLUSIO I.

Canonici antiquitus regulariter in collegio claustraliter viventes, non fuerunt veri Religiosi sive monachi. *Canonici antiquitus in collegio viventes nō fuerunt Religiosi.*

Ratio mihi certissima & convincens est: Quia erant Clerici, antiquitus autem Monachi Clerici non erant, juxta illud S. Hieron. ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ: Alia causa est Monachorum: Alia Clericorum: clerici oves pascunt, ego pascor; illi de altari vivunt, mihi securis quasi ad radicem infructuosæ arboris ponitur &c. Et S. Gregor. lib. 4. Epistola 1. ad Joannem Ravennatem Archiepiscopum: Nemo potest & Ecclesiasticis obsequiis deservire, & in Monastica regula ordinatè persistere. Et suo loco decebimus multo tempore in Ecclesia Monachos ad Clericatum non fuisse promotos, & non nisi multo examine. *S. Hieron.* *S. Gregor.*

CONCLUSIO II.

Canonici collegialiter, ad modum claustralium, viventes, modes quosdam Religiosos sectabantur, nullo autem voto Deo se devovebant.

Rem totam explicat Dionysius Carthusianus l. de Vita & reformat. Canonicorum art. 1. Ubi postquam explicavit ex S. Hieronymo & Philone antiquorum Christianorum pietatem & continentiam, ita ut plurimi communiter viverent, & in communem stipem omnia conferrent, ita ut nemo aliquid proprium sibi nominaret, ut in A-bus

Dionys. Carthus.

bus Apostolorum legitur, subjungit: *Ex quo factum est, ut multiplicata jam nimis Ecclesia, qui modo prætacto se subtraxerūt à turba fidelium propria possidentium in duo genera sint divisi.* Et divisionem assignans: *Quidam enim* (inquit) *vitam & professionem assumpserunt Monasticam: Alii inter homines sæculares permanserunt, & deservierunt Ecclesiis sub Sanctorum Episcoporum viventes regimine.* Horum narrat originem S. Hieronymus Epistola 16. Cùm enim S. Athanasius Romam ad Julium I. contra Episcopos Arrianos venisset, & inter cætera vivendi modum D. Antonii & Monachorum planè angelicum enarrasset; plurimi Clerici ejus, tam sanctæ vitæ amore capti, illum imitari in clericatu remanentes desiderabant, & Sanctorum Episcoporum exhortationibus & exemplis adjuti, in primis sub Eusebio Vercellensi congregari cœperunt, sub nonnullis legibus & regulis Monachismo quidem conformibus, sed exercitiis clericatibus attemperatis: Et inde, qui primo dicti erant à Canone sæculari sive vectigali & præstatione *canonici*: posteà à Regula, non monachali, sed illam imitante *Canonici* sive *Regulares* vocati sunt: ita tamen ut nomen *Regularis* si non æquivocum, analogum tamen sit ad Canonicum & Religiosum: ex analogia & similitudine, & competat essentialiter quidem Religioso adstricto votis solemnibus, analogicè autem Canonico. Sed de his plura in 2. parte de Statu Religioso.

Dionys. Carthus.

Modum verò, quo Collegia & Congregationes Canonicorum inceperunt, prosequitur Dionysius Carthusianus supra: *Sancti namque* (ait) *Episcopi, qui illis temporibus fuerunt, conjunxerunt sibi fideles devotos & literatos, qui erant Episcoporum domestici, aut propè domum Præsulum commorantes, ac inter se vitam communem & sanctam ducentes, juxta præinductam Apostolicam institutionem, cum addictionibus devotis, quas illis tradiderant Episcopi &c. laudibus Dei vacantes, ac media nocte surgentes, aut paulò pòst ad persolvendum nocturnum & matutinale officium* &c. Et distinguens eos à monachis: *Verumtamen* (inquit) *instar Monachorum non fecerunt vota solemnia, omni Religioni Monasticæ substantialia.* Unde & Concilium Aquisgranense I. cap. 114. ponens distinctionem inter Canonicos regulariter ac collegialiter viventes, & Monachos: *Licebat* (ait) *illis linum induere, carnibus vesci, dare & accipere proprias res, quod Monachis, qui secundùm Regularem institutionem arctiorem ducunt vitam, inhibitum est:* Subdit: *Tamen in cavendis vitiis, & amplectendis virtutibus eorum & Monachorum distare non debet vita.* Hæc ibi.

* *
*

QUÆSTIO III.

Quæ sint Canonicorum Obligationes?

CONCLUSIO UNICA.

Obligationes Canonicorum tribus membris absolvi possunt: Persolutione Horarum Canonicarum & Divinorum Officiorum in Choro: Vita Clericali: Legitimo usu bonorum Ecclesiasticorum. Tres sunt Canonicorum Obligationes

§. I.

De Persolutione Horarum Canonicarum in choro, & aliis Officiis, ad quæ Canonici obligantur juxta gradus suos.

De *Horis* à Canonicis in Choro persolvendis longè lateque à nobis actum est tom. 2. tract. 2. p. 2. tit. 3. sect. 1. quæst. 2. ubi resolutiones dubiorum de Obligatione Canonicorum respectu Horarum Canonicarum positæ sunt, quibus nihil addendum, nihil demendum, nihil mutandum censeo: Restat tantùm ut aliqua dicamus de aliis Officiis.

1. *De Officio Missarum* Horarum Canonicarum persolutionem sequitur assistentia in Missa Collegiata; Cui debet assistere Canonicos. Qua autem obligatione?

Dicendum 1. Si propter absentiam Canonicorum illegitimam, solemnitas Missæ aut omittatur, aut grave detrimentum in ceremoniis & solemni sua celebratione patiatur, non excusantur Canonici illegitimè absentes à peccato mortali. Ratio est: Quia Missa est insignis pars Officii Divini, cui interesse Religiosè Canonici tenentur. Et hoc concludunt omnia, quæ diximus de assistentia in Choro in Horis persolvendis, quæ hic repetenda non sunt.

Dicendum 2. Qui Missæ, in qua & pro qua distributiones dantur, non assistit, etsi in principio aut fine ad modicum compareat, non facit distributiones suas, sed tenetur ad restitutionem. Ratio est: Quia distributiones pro assistentia ad totam Missam dantur, non pro modica, quæ pro nihilo reputatur. Hîc tamen iterum omnia repetenda sunt, quæ de assistentia diversa in Choro diximus loco supracitato.

2. *De Officiis certos Ordinum Gradus concernentibus.* Advertendum Canonicatus aliquos certis Gradibus addictos esse, ut sunt Canonicatus Sacerdotales, Diaconales, Subdiaconales.

Quæritur itaque: An Canonicatus illi possint conferri iis, qui dictis Gradibus, quibus sunt addicti, non gaudent: Ex. g. An Subdiaconales simplici Clerico vel in Minoribus tantùm Ordinibus existenti, Diaconales Subdiacono, & Sacerdotales Diacono.

Respondeo: Canonicatus, qui ex fundatione & origine alicui Ordini sunt addicti,

non

non possunt conferri nisi iis, qui isto Ordine sunt insigniti, aut opportunè insignientur. Ratio petenda est ex contractu virtuali justitiæ, qui est inter Fundatorem ratione Fundationis, & Beneficiatum, cujus virtute beneficiatus obligatur satisfacere voluntati justæ & expressæ Fundatoris, in Fundatione sua: Atqui, ut supponitur, Fundator voluntate justa & expressa requisivit in futuro possessore Beneficii Ordinem assignatum: Ergo obtinens Beneficium obligatur illi ex contractu justitiæ satisfacere.

Dixi (aut opportunè insignientur) Tenetur enim obtinens Beneficium, cui Ordo est annexus, saltem illum intendere opportuno tempore suscipere, & de facto opportunè etiam illo insigniri. Unde sint hæ Regulæ Generales.

Regula I.

Qui t de Beneficii obtinet, sine intentione opportunè Ordinem suscipiendi, peccat mortaliter.

Quicumque obtinet Beneficium, cui ordo ex vi Fundationis est annexus, si non sit isto Ordine insignitus, nec intentionem habeat illum opportunè suscipiendi, peccat mortaliter, & non facit fructus suos, sed tenetur ad restitutionem.

Ratio clara est: Quia Fundationi in re gravi illudit, & illegitimè ac injustè Beneficio potitur, ad quod supposita tali voluntate inhabilis est.

Regula II.

Quod dicatur opportunum tempus.

Quicumque obtento Beneficio, cui Ordo est annexus, opportuno tempore non suscipit requisitum Ordinem, etsi voluntatem habeat suscipiendi, peccat mortaliter, & donec actu susceperit Ordinem in pœnas Juris incurrit, nisi dispensationem obtineat à Summo Pontifice.

Ratio eadem est: Quia voluntatem Fundatoris in re gravi defraudat, & ex tunc Beneficio obtento, saltem ex parte, injustè fruitur.

Dubium I.

PEtes 1. quod dicatur opportunum tempus, in quo quis teneatur Ordinem Beneficio annexum suscipere?

Respondeo 1. In Beneficio curam animarum habente requiri, ut obtinens illud sit istius ætatis, ut possit Sacerdotium suscipere, & intra annum illud de facto suscipiat. Est Juris communis Constitutio à Gregorio X. in Concilio Generali Lugdunensi edita.

Respondeo 2. In Canonicatibus opportunum tempus judicari similiter, ut intra annum promoveantur illos obtinentes ad ordinem annexum, cessante legitimo impedimento. Ita expressè Concilium Tridentinum sess. 22. de Reformatione c. 4. *Is* (inquit) *verò, qui Dignitates, Personatus, Officia, præbendas, portiones, ac qualibet alia Beneficia inductis Ecclesiis* (scilicet Collegiatæ, Cathedrali) *obtinent aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alii Missas, alii Evangelium, alii Epistolas dicant, sive cantent, quocumque privilegio, exemptione, prærogativa, genere nobilitate sint insigniti, teneantur justo impedimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos, alioquin pœnas incurrant, juxta Constitutionem Concilii Viennensis* &c. pœnæ autem illæ sunt: Ut ex tunc, donec ad eos promoti fuerint, nullo modo vocem in Capitulo habeant, ipsique distributionum, quæ dantur iis, qui certis horis intersunt, pars dimidia subtrahatur, non obstantibus quibuslibet consuetudinibus vel statutis, pœnis aliis, quæ contra tales promoveri ad eiusmodi recusantes statuuntur in Jure, nihilominus in suo robore permansuris. Vide Clement. de ætate, qualitate & ordine præficiendorum l. 3.

Trident.

Respondeo 3. impedimentum legitimum, ne quis possit promoveri intra annum ad Ordinem Beneficio annexum, esse defectum ætatis requisitæ ad ordinem prædictum suscipiendum. Decernit verò Concilium Tridentinum sess. 24. de Reformatione c. 12. *Nemini etiam deinceps ad Dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipi, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa Dignitas, prælenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus à Jure & ab hac sancta Synodo statutum initiari valeat.* Et sess. 22. c. 4. *Nec alius* (inquit) *in posterum fiat provisio, nisi iis, qui jam ætatem, & cæteras habilitates integre habere dignoscantur, aliter irrita sit provisio.*

Trident.

Dubium II.

An teneantur per se ipsos Officia ordinis annexi exercere.

PEtes 2. An qui obtinent Canonicatus sive præbendas, quibus ordo aliquis sacer est annexus, teneantur per seipsos in Ecclesia illa Officia Ordinis annexi exercere, ut Missas celebrare, Evangelium, Epistolas &c. cantare.

Respondeo 1. Ex Concilio Tridentino ad id cogendos esse. Ita Concil. sess. 22. c. 4. *Cogantur,* (inquit) *Episcopi cum dictis statutis dictos Ordines per seipsos exercere, ac cætera omnia Officia, quæ debent in cultu Divino præstare, sub iisdem, & aliis etiam gravioribus pœnis, arbitrio eorum imponendis.* Et sess. 24. c. 12. *Omnes vero Divina per se, & non per substitutos, compellantur obire Officia.*

Trident.

Respondeo 2. Impedimento occurrente legitimo ipsos interdum posse per alios illa Officia subire absque culpa. Impedimenta verò non strictè sunt accipienda, sed accommodatione: Rationabilis enim causa semper in legibus humanis subintelligenda est excusare.

§. 2.

De Vita Clericali.

AD Vitam Clericalem Obligari Canonicos, nemini dubium est, quippe qui Ecclesiæ Senatum gerunt. Quæ autem ad Statum

tum Clericalem pertineant, superfluum hic esset recensere; præterquam enim quòd in superioribus multa retulerimus, sufficit cuilibet legere, quæ in Decretalibus Tit. de Vita & Honestate Clericorum ex Conciliis, & Patribus diffusè tractantur: Ut de habitu Clericali gestando, de eorum continentia & pudicitate, de eorum pia & exemplari conversatione, quòd arma non portent, quòd militiam, ut milites, non sequantur, quòd venationibus non vacent, quòd histrionum spectaculis, choreis, ludis &c. non intersint (Trident.) minùs histrionica exerceant, quòd turpe lucrum vel usuram non sectentur, quòd sæcularibus negotiis non vacent, quòd vile opificium non exerceant, quòd aleis non ludant &c. Quæ omnia in concil. o Tridentino sess. 22. c. 1. de reformatione, & alibi confirmantur. Qui a tamen multæ moventur quæstiones de qualitate obligationum, quippe, quòd multa in dissuetudinem abierint, alia ex variis circumstantiis vel distrahantur vel excusentur, aliquot Regulas hic ponendas existimavi.

REGULA I.

Quæcumque mandata Dei aliis christianos obligant sive in se sive in circumstantiis suis ad peccatum mortale, majori ratione obligant clericos, & ratione Status clericalis aggravantem circumstantiam superaddunt: interdum verò ratione gradus etiam speciem peccati mutantem.

Explico: Fornicari, tactus impudicos & carnales habere, inebriari, turpe lucrum sectari, usuram committere, sicut in aliis Christianis per se peccata mortalia sunt, sic & in Clericis, ita tamen ut, quia Clericus dicit Statum Deo singulari titulo mancipatum, hac ratione aggravantem circumstantiam dicant: Ex eo verò quòd Clerico adveniat gradus aliquis superior, ut quòd sit in Ordinibus Sacris impudicitia omnis speciem mutat, & ratione castitatis annexæ sive voti fit sacrilegium &c. similiter: Ludus alearum excessivus ex. gr. ratione dilapidationis bonorum in laico est peccatum mortale: In Clerico Beneficiato addit obligationem restitutionis, si ex tali dilapidatione pauperes suis eleemosynis priventur.

REGULA II.

Quæ in laicis sunt venialia, in clericis sæpè mortalia ratione scandali.

Quæ in laicis sunt peccata tantum venialia, in clericis sæpè sunt mortalia, ratione scandali pusillorum.

Explico: Cohabitatio mulierum inter laicos, etiam cum nonnulla suspicione, sæpè tantùm veniale peccatum est, quæ in Clerico ratione Status causat mortale scandalum: & sæpè levitates in gestibus, verbis impudicis, &c. in laicis tantùm venialia sunt, quæ in Clericis ratione scandali sunt mortalia. Nec se hic excusari credant distinctione scandali accepti, & non dati, passivi & non activi: Quia Status Clericalis, maximè Sacro Ordine decoratus, in similibus scandalum activum & datum causat, ita ut excusari non possit; quo sensu illud S. Bernardi proloquium verificatur: *Inter sæculares nugæ, nugæ sunt; in ore Sacerdotis, blasphemiæ*; nimirum ratione scandali, quia blasphemiis exponunt nomen Dei, cujus obsequio speciali titulo Clericali, maximè in Sacris Ordinibus existentes, mancipati & consecrati sunt. (Bernard.)

REGULA III.

Quotiescumque in virtute S. obedientiæ, vel sub pœna excommunicationis clericis aliquid per conciliares sacros canones prohibitū vel demandatum est, obligat ad mortale peccatum.

Ratio est: Quia termini illi in jure non usurpentur, nisi ut materia peccati mortalis, & præcipiens ad mortale intelligitur obligare. Ex his regulis peccata Clericorum, & præcepta illis imposita justa lance ponderanda sunt, absque blandimento & adulatione conscientiæ: *Væ enim qui dicunt malum bonum, & bonum malum, & consuunt pulvillos, sub omni cubito manus &c.* (Isa. 5. 20. Ezech. 13. 18.)

§. 3.

De legitimo bonorum Ecclesiasticorum usu.

De legitimo bonorum Ecclesiasticorum usu, & qualiter superflua Beneficii pertineant ad Ecclesiam vel pauperes ex justitia, & quantùm peccent, qui Beneficiorum bona dilapidant, fundamentaliter explicavimus tract. 8. de Episcoporum Officiis & Potestate tit. 1. sect. 3. quæst. 2. per totam: Quæ cuilibet Beneficiato, ut diximus, proportionatè sunt applicanda. Videat candidus Lector ibi, & pia proportione in beneficiatos pro beneficii qualitate & valore distribuat, memor semper verborum S. Urbani Papæ & Martyris (cujus hodie 26. Maji anno 1648. quo hæc scribo, Festum agitur) quæ in lectione Vitæ ejus in Breviario Romano inculcantur: *Ipsæ res fidelium (inquit) quæ Domino offeruntur, non debent in aliis usibus quàm Ecclesiasticis & Christianorum fratrum vel indigentium converti, quia vota sunt fidelium & pretia peccatorum, ac patrimonia pauperum.* (Vide ibid.) (S. Urbanus)

Quorum veritatē latè deduximus ubi suprà.

* *
*

TIT V-

TITULUS III.

De Capellanis, & aliis Beneficiatis simplicibus.

QUÆSTIO I.

An omnes possidentes Capellanias sint Beneficiarii?

CONCLUSIO I.

Clerici possidentes Capellanias, auctoritate Papæ vel Episcopi institutas, sunt Beneficiarii.

OMnes Clerici possidentes Capellanias, auctoritate Summi Pontificis, vel Episcopi ritè institutas, sunt Beneficiarii.

Patet ex definitione Beneficii suprà posita: ad quod requiritur Fundatio perpetua ex rebus Deo dicatis, propter Officium, auctoritate Ecclesiæ facta.

CONCLUSIO II.

Præstationes etiam perpetuæ ex bonis Deo dicatis factæ absque auctoritate Episcopali, Ecclesiastica Beneficia dici non possunt, & consequenter qui eas possident non possunt dici Beneficiarii Ecclesiastici.

Explico: nobilis aliquis in Castro suo habet facultatem Capellam aliquam construendi, ut in ea Missa celebretur: Ille igitur ut Missam habeat, constituit annuam Præstationem centum ducatorum in perpetuum, & obligat heredes, ut aliquem Sacerdotem sibi concilient, ut in sua Capella quotidie Missa celebretur, absque alia interventione auctoritatis Ecclesiasticæ: illa Capellania non censetur Beneficium, nec Capellanus Beneficiatus, etsi perpetuus possessor, sed est tantùm Præstatio, & merces annua celebrandi concessa.

Ratio est: Quia non intervenit auctoritas Ecclesiæ nec ad fundationem, nec ad collationem, nec ad fructuũ perceptionem. Tales sũt multæ Capellæ quas *Castrales* nominamus, quæ ab heredibus, etiam non Clericis conferuntur, modò curent Missas celebrari. Unde qui tales Capellanias obtinent, ratione Capellaniæ non tenentur ad Horas Canonicas recitandas: & qui tali Titulo ordinantur, non censentur Titulo Beneficii ordinarii, sed sequentur naturam Tituli Patrimonialis. Vide Riccium Tir. de Praxi Capellaniarum resolut. 343. nũ. 2. & seqq. Idem dicendum est de quibusdam Testatorum Legatis, ut ad aliquod determinatum Altare Missæ celebretur annuatim, hebdomadatim, vel dietim, absque alio titulo vel interventione auctoritatis Ecclesiasticæ.

* *
*

QUÆSTIO II.

An omnes Capellaniæ, quæ pro onere habent celebrationem Missæ, soli Sacerdotibus debeant aut possint conferri?

HIc attendenda venit voluntas expressa Testatoris sive Fundatoris, quæ censetur (ordajunt Juris periti) Regina Testamenti & Fundationis.

1. Igitur: Aut Fundator Beneficium Capellaniæ fundans, illud fundavit in ecclesiæ servitium, & utilitatem, ut nimirum in illa Ecclesia plures Sacerdotes essent, & celebrarent; quod ex tenore verborum & circumstantiarum colligi potest & debet: Aut tantùm expressit, ut pro anima sua & progenitorum &c. in ista Capella Missa toties celebretur.

2. Aut Fundator expressit, ut à Capellano, qui Beneficium obtinebit, Missa celebretur: Aut simpliciter sub his vel æquivalentibus verbis: Fundo Capellam, ut Missa singulis diebus, vel tot Missæ hebdomatim in illa celebrentur &c. His benè perpensis pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Capellania est Sacerdotalis, debetq. conferri Sacerdoti, quando in Fundatione exprimitur, quòd à Capellano Missæ celebrentur.

Fundatio Capellaniæ ad celebrandas certo tempore Missas, cum expressione quòd à Capellano obtinente dictam Capellaniam celebrentur, reputatur Sacerdotalis, & soli Sacerdoti, vel ei, qui intra annum ad Sacerdotium promoveri valeat, conferri potest.

Ratio est: Quia Fundatoris intentio servari debet, quàndo de illa constat, aliàs injustitia committitur, & qui aliter obtinet, etsi Missas dici per alium procuret, fructus Beneficii suos non facit, juxta ea, quæ suprà diximus de Canonicatibus Sacerdotalibus.

CONCLUSIO II.

Quando non exprimitur per quem debeat Missa celebrari, Capellania censetur libera, ut Capellanus per se, vel per alium Missas celebrari faciat, & utrisque Sacerdotibus potest conferri.

Ratio est: Quia quod voluntas Fundatoris non restrinxit, nec non restringere debemus, & in dubiis melior est conditio possidentis; legesque in favorabilibus latè interpretandæ sunt. Vide Riccium suprà resol. 339. n. 3. ubi ex decisione Rotæ deducit Capellaniam non esse dicendam Sacerdotalem, si ex verbis Fundatoris non adstringitur Capellanus ad inserviendum per se.

DICES: Officium, propter quod datur Beneficium, satis indicat mentem Fundatoris: Sed Capellania proximè confertur ob Officium Missæ, sive ut Missa celebretur: Ergo ut à Capellano celebretur. Respondeo negando conse-

consequentiam: Sufficit enim quòd Missa celebretur, à quocumque tandem id fiat: Capellanus tamen, sive qui Capellaniam obtinet, tenetur ex vi beneficii habere firmam voluntatem, ut opportunè Sacerdos fiat; quia hoc Fundatio & officium annexum requirit; sed sive Missa celebretur à Capellano, sive ab alio in loco determinato, cùm sit ejusdem valoris, satisfacit intentioni Fundatoris, si aliud non expresserit.

CONCLUSIO III.

Quando à Fundatore in servitium & utilitatem Ecclesiæ particularis Capellania est fundata, ut in ea plures Sacerdotes serviant, Capellania censetur Sacerdotalis, & debet conferri Sacerdoti, saltem intra annum consecrando.

Ratio est: Quia hæc est mens Fundatoris ex circumstantiis satis cognita. Ex quo etiam infertur Capellanum teneri tunc ad residentiam, quia inservire ecclesiæ absens non potest. Et ita passim Doctores. Vide Vincentium candidum de Beneficiis, disquisit. 18. num. 3. dub. 2.

QUÆSTIO III.

An Capellanus, cui incumbit ex vi Beneficii singulis diebus Missam per se in aliqua capella celebrare, non possit interdum per alium, vel alibi celebrare: vel etiam omittere?

CONCLUSIO I.

Capellanus ordinariè tenetur satisfacere circumstantiis fundationis.

Capellanus, cui incumbit ex vi Beneficii certis diebus, certo tempore, certo loco per se Missam celebrare, tenetur ordinariè & morali obligatione dictis circumstantiis satisfacere.

Ratio est: Quia virtuali contractu, ex vi fundationis, illæ circumstantiæ Capellaniæ annexæ sunt & Capellaniam obtinentem sequuntur, sive illius personæ adhærent. Colligitur ex cap. Significatum; de præbendis

CONCLUSIO II.

Ob rationabile impedimentum absolvitur à totali vel tanta obligatione.

Ubi intervenit justum & rationabile impedimentum, ratione cujus quis per se honestè & moraliter non potest istis circumstantiis temporis, vel loci, satisfacere, juxta rationem impedimenti, absolvitur à totali vel tanta obligatione.

Explico: Obligatur Petrus Capellanus in tali altari singulis, vel talibus diebus, tali horâ celebrare per se: Incidit in morbum, vel inopinato eventu impeditur, ne possit ad locum accedere, non tenetur isto die, istâ horâ, isto loco celebrare, & si celebrare nequeat, absolvitur etiam totaliter à celebratione.

Ratio est: Quia omnis contractus, institutio, fundatio humana, humanè & moraliter ac juxta eventus & casus morales est intelligenda: Ergo fundatio Capellæ obligationis personalis & quotidianæ censetur excludere eventus inopinatos.

Unde infero Capellanum, qui in aliquot dierum, puta decem vel octo, infirmitatem incidit, non teneri quotidianæ Missæ celebrationem simplicem alteri committere, sive per alium curare celebrari, aut etiam in aliud tempus differre. Ratio est: Quia humanâ & morali Epikeiâ, sive interpretatione, casus illi fortuiti censentur ab obligatione exempti: Sicut enim famulum aliquot dierum infirmitas ab obsequio, non obstante mercede quam percipit excusat; sic non minùs sacerdotem ad quotidiana sacra obligatum excusare censenda est. Et ita Riccius suprà resol. 340. num 5. plures citans. Dixi (Missæ celebrationem simplicem) quæ nimirum aliud onus annexum non habet, aut conditionem appositam: Si enim ex.g. ex Fundatione celebrationi Missæ annexa est obligatio, ut populus in Dominica vel Festo Missam audiret; aut si exprimeretur, ut per se vel per alium celebraret, tunc teneretur; si possibilitas moralis esset, de alio providere: Aliàs in casibus suprà dictis non teneretur, quando simpliciter, sine alia obligatione tantùm Missa tali die vel loco celebranda esset, justâ interpretatione illum eximente.

Addit porrò Riccius suprà num. 6. Responsionem Cardinalium: Quòd obligatus personaliter ad Missam quotidianam ex Beneficio Capellaniæ, possit bis in hebdomada abstinere, modò per alium celebrare faciat: Quia humana fragilitas hanc saltem libertatem requirit, nec quis semper dispositus est, ut per se celebret. *Nota.*

Petes: Cur infirmitatem limitemus ad octo vel decem dies, & non complectamur totum tempus infirmitatis, quo impeditur sacerdos? Ratio dubitandi est: Cùm enim Canonicus infirmus toto infirmitatis tempore ab Officio Divino in Choro, & etiam interdum in privato excusetur, & nihilominùs fructus & distributiones suas faciat: Cur non similiter Capellanus?

Respondeo: disparitatem esse: Quòd etsi Canonicus à Choro absit, Officium tamen Divinum simpliciter ab aliis fit, & Chorus absentiam unius supplet: Capellano autem per se vel per alium non celebrante, Missa non celebratur, & eius fructu Fundator privatus manet. Intentio igitur Fundatoris, etsi humanam & moralem patiatur, ob inopinatum eventum, exceptionem & interpretationem, non tamen tam diuturnam, ut vel in grave damnum ipsius, sive Fundationis fiat cedat, vel in suspicionem fraudis vel doli ista cessatio Missæ venire possit. Unde fit Regula Generalis.

REGULA GENERALIS.

Quandocumque Cappellanus ad certum tempus, diem, horam, vel locum obligatus per se cele-

ſi celebrare, prudenti & ſolido judicio, ob eventum fortuitum, moraliter impeditur à perſonali celebratione, ſi aliud grave damnum tertio non ſequatur, abſolutè à celebratione etiam per alium excuſatus eſt. Regula ex ſupradictis expendenda eſt.

Appendix.

Hic agendum fuiſſet de Vita & Converſatione Capellanorum, & fructuum Beneficiorum legitimo uſu, ſed eadem eſt ratio de Capellanis, quæ de aliis Clericis & Canonicis.

TITULUS IV.

De Beneficiorum legitima Acquiſitione.

QUÆSTIO I.

Quibus modis Beneficia legitimè acquirantur?

Conclusio Unica.

7 Modis Beneficia legitimè acquiruntur. *Septem ferè modis Beneficia Eccleſiaſtica legitimè acquiri poſſunt: Patronorum Præſentatione: Legitimorum Superiorum Inſtitutione: Electione: Poſtulatione: Collatione: Reſignatione: Permutatione.*

§. 1.

De Præſentatione.

Præſentatio nihil aliud eſt, quam *Oblatio perſonæ per Patronum, ſive illum, cui Ius Patronatus competit, facta ei ad quem Inſtitutio pertinet: ad finem ut inſtituatur.*

Porrò *Ius Patronatus eſt Poteſtas præſentandi perſonam idoneam ad Beneficium Eccleſiaſticum vacans.* Quod quidem duplex eſt: Aut enim eſt *Ius Patronatus Laicalis*, aut *Ius Patronatus Eccleſiaſtici*: Quæ jura in hoc differunt.

1. Quòd Patronatus Laicalis competat ei, qui ex bonis patrimonialibus ſæcularibus Eccleſiam conſtruxit, vel doravit, vel beneficium aliquod erexit ſeu erigi curavit, & tranſit ad heredes, ſi aliter Fundator non diſpoſuerit: Jus autem Patronatus Eccleſiaſtici competit alicui, aut quia ex bonis Eccleſiaſticis Eccleſiam, ut dictum eſt, fundavit, extruxit, aut dotavit, ſive Beneficium erexit, &c. aut quia poſſidet Dignitatem, Beneficium vel Officium Eccleſiaſticum, cui Ius illud annexum eſt: & iſtud ad heredes non tranſit, ſed Eccleſiæ, ex cujus bonis provenit, remanere cenſetur: niſi de auctoritate aut facultate Romani Pontificis alicui ſæculari concedatur.

2. Differunt: Quod Jus Patronatus Laici ſit firmius: cui ſine juſta causâ derogari non poteſt: Jus Patronatus Eccleſiaſtici non ita firmum, quin pluribus caſibus occurrentibus illud aliquo modo alterari & immutari poſſit. Quia ex bonis Eccleſiaſticis, à perſonis, vel congregatione Eccleſiaſtica cenſetur fundatum, vel Dignitati, Beneficio, aut Officio Eccleſiaſtico annexum, cujus Eccleſiaſtici tantùm adminiſtratores ſunt, Eccleſiæ nomine: In hæc autem directam habet poteſtatem & diſpoſitionem Summus Pontifex nullo jure obſtante: In fundationes verò Juris Patronatus Laici, aliquid Juris naturalis remanet penes Patronum, qui certis conditionibus fundationes beneficii, etiam annuente Pontifice, vel Epiſcopo, oneravit, quæ abſque magna & juſta causâ tolli non poſſunt. Vide quæ in Concilio Tridentino ſeſſ. 23. de Reform. c. 9. & ſeſſ. 24. c. 18. traduntur. Tridentin. Et certa res eſt, quod etſi Pontifex poſſit juſta de causâ derogari in caſu Juri Patronatus Laici, non cenſetur tamen derogare, niſi id apertè dicat: Et Parochialia beneficia Juris Patronatus Laicalis, etſi examen Epiſcopi admittant, non tamen Concurſum: ſufficit enim ut dignus præſentetur.

§. 2.

De Inſtitutione.

Inſtitutio, eſt *Conceſſio Beneficii legitimè præſentato à Patrono ab Epiſcopo facta, ſive de ejus auctoritate, vel alio ad hoc poteſtatem habente.*

Dixi *(Præſentato à Patrono)* Neque enim poteſt inſtitui, qui à Patrono præſentatus non eſt, niſi ob moram vel aliam cauſam Jus præſentandi in alterum ſit devolutum. Debent enim Patroni intra certum tempus ad beneficiū vacans præſentare, Eccleſiaſtici quidem intra ſex menſes, Laici intra quatuor, ut habetur c. Unico §. 1. de Jure Patronatus in 6. quod ſi intra illud tempus non præſentent, pro iſta vice Ordinarius abſque præſentatione liberè confert: Aliàs non præſentante patrono, Epiſcopus beneficium conferre non poteſt. Quomodo Ius præſentandi perdat patronus.

Dixi *(ab Epiſcopo)* ad illum enim pertinet inſtitutio in omni beneficio, niſi illa alicui alteri ſpeciali jure ſit conceſſa, vel reſervata.

§. 3.

De Electione.

Electio, eſt *alicujus perſonæ ad Eccleſiam Paſtore deſtitutam canonicè facta proviſio.* Hæc maximè contingit in Prælaturis, & Dignitatibus, quæ Electione Capitulorum ſive Collegiorum ſubjiciuntur. De qua aliud hîc dicendum non eſt, niſi quod etſi Electio tribuat Electo Jus ad rem, id eſt, ad Beneficium, ut Jure illud proſequi valeat, non tamen in re, niſi Confirmationem ab habente poteſtatem obtineat.

§. 4.

De Poſtulatione.

Nonnulli Beneficia aliqua obtinere dicuntur Poſtulatione, eò quòd communi ſuffra-

ni suffragio à Collegio vel Capitulo apud Superiorem ad illa postulentur: Distinguitur porrò à Præsentatione vel Electione, quod Jure aliquo Patrinatus vel Electionis non fiat, utpote, quòd postulatus voce passiva non gaudear, sed quod de mera voluntate postulantium requiratur, & gratia Superioris conceedatur. De qua vide Jurisperitos.

§. 5.

De Collatione.

Collatio est Concessio Beneficii vacantis liberaliter ab auctoritatem habente facta. Et hæc competit Papæ, Legato, Episcopo juxta dispositionem Juris: Papæ quidem ratione supremæ potestatis in Beneficia sibi reservata, vel quæ jure devolutionis, aut alia juris dispositione in illum devolvuntur: Legato ex delegatione: Ordinario ex simili Legum reservatione: De qua nil aliud ad nostrum intentum pertinens hic dicendum occurrit.

§. 6.

De Resignatione.

Resignatione non tam Beneficium acquiritur, quàm vacat, in ordine ut per præsentationem, Collationem, Institutionem &c. acquiratur. Est autem *Resignatio libera Beneficii in uris in Beneficio dimissio, coram Superiore legitimè facta, in finem, ut alteri absolutè provideatur.*

Conditiones legitimæ Resignationis. Ex qua definitione inferuntur sequentes conditiones ad legitimam resignationem requisitæ.

1. Ut resignans beneficium illius sit pacificus possessor: Non enim resignare potest quis, quod jure non habet, vel non censetur habere.

2. Quod sit libera, non metu, vel aliâ via extorta.

3. Quod coram Superiore fiat, id est, Episcopo, vel Collatore, sive etiam institutore.

4. Quod legitimè fiat; nimirum ex causa legitima, & si sit juris Patronatus, consentiente Patrono, & acceptante Superiore &c.

5. Ut fiat in finem, ut alteri absolutè provideatur; Resignationes enim cum regressu confidentiali prohibitæ sunt, & Simoniam includunt.

6. Ut resignans 20. diebus supervivat, si erat infirmus.

7. Ut Resignario in loco Beneficii publicetur. Vide Canonistas: ista enim nostram professionem excedunt.

Advertendum porrò est, duo Decreta emanasse à Pio V. super Resignationibus, quæ habentur apud Stephanum Quarantam in Summa Bullarum, quorum alterum datum est anno 1567. alterum anno sequenti 1568. Et in primo quidem prohibet Resignationes admitti, donec de modo earum sit aliquid certi determinatum: In altero autem ponit conditiones, sub quibus possunt Resignationes acceptari.

Et primò quidem ex parte personæ resignantis requirit has causas, nimirum, ut resignantes sint *aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiati, aut criminis obnoxii, censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeant, aut non debeant Ecclesiæ aut beneficio inservire, seu qui unum aliud, vel plura Beneficia obtinuerint, seu quos ad aliud contigerit promoveri, Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si postea statim id re ipsa exequantur: Denique cùm quis* (inquit) *ex aliis casibus acciderit, qui Constitutione Fel. Recordationis Innocentii Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesiis edita continentur: Qui etiam ob capitales inimicitias nequeant vel non audeant in loco Beneficii residere* &c. Aliæ Conditiones requisitæ à Pio V. apud Stephanum Quarantam.

2. Ex parte Beneficii requirit, ut no sit darū in titulum ordinationis; vel non sit omninò necessarium ad Resignantis sustentationem.

3. Ex parte eorum, in quorum manibus Resignationes fiunt, sive ad quos spectat resignatorum Beneficiorum provisio, quales sunt *Episcopi, Electores, Præsentatores & Patroni tam Ecclesiastici quàm laici*, requirit, *ne verbo quidem aut nutu, vel signo, futuris inibi usirodi Beneficiis & Officiis successoris, ab ipsis Resignantibus, aut aliis eorum significatione vel hortatu designentur, aut de iis assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat.*

4. *Ne ipsi Episcopi, aut alii Collatores, de Beneficiis, & Officiis resignandis prædictis aut suis, aut admittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum audeant providere.*

5. Annullat omnem Resignationem contra prædictorum observantiam factam, superadditis pœnis in facientes.

Sed advertendum ex Stephano Quaranta: 1. Derogatum esse quartæ conditioni per Gregorium XIII. Ut non comprehendat Beneficia Juris Patronatus, de quibus consanguineis & affinibus &c. provideri potest: Et refertur testimonium authenticum Cardinalis Matthæi de hac derogatione.

2. Per decisionem Rotæ relatam à Cas. Decis. 2. de Simonia declaratum esse circa 3. posse Resignantem, non obstante hac Constitutione, in foro Conscientiæ rogare Collatorem, ut conferat resignatum Beneficium à se nominato, imò remuntiare ea intentione & spe concepta, quòd conferetur Beneficium cui resignans volet, modò nihil sit in pactum vel conventionem deductum. Ratio est: Quia nō censetur Pontifex voluisse injicere conscientiis laqueum communiter inevitabilem, ut habetur c. *De Viduis* 27. p. 1. laqueus autem inevitabilis esset, cùm vix Resignantes reperiantur, qui non habeant respectumad aliquem, & vix Collatores vel Episcopi soleant conferre Beneficia resignata absque aliqua commendatione.

Igitur, meo quidem judicio, in constitutionis verbis attendendum credo verbum, *designentur*, & verbum, *promissio*; & cætera verba durius

ductiùs & rigorosiùs sonantia ad illa referri debent: ut nimirum certa cum promissione, pacto, vel obligatione non addicantur Beneficia alicui commendato ante Resignationem, sive promissio, pactum, vel obligatio formaliter fiat, sive nutu vel signo. Seclusâ itaque promissione, pacto, vel obligatione, non est contra Bullam, si Resignans aliquem commendet, & Patronus vel Collator etiam inclinationem & benevolentiam erga eum ostendat. Citat Quaranta Navarrum in Manuali c. 23. n. 107. & 109. & Concil. 36. & 38. de Simonia in Antiquis. Et reverà hæc explicatio est communi praxi recepta.

Navar.

§. 7.

De Permutatione.

Permutatio est mutua & reciproca Resignatio Beneficiorum inter Personas capaces liberè & legitimè facta, interveniente auctoritate Ordinarii, ac consensu personarum interesse habentium.

Conditiones legitimæ Permutationis.

Ex hac diffinitione colliguntur conditiones sequentes ad legitimam Permutationem requisitæ.

Prima contingit Resignantes: Ut 1. sine dolo aut aliqua fraude fiat vera Beneficiorum Resignatio; ita ut Beneficia verè sint in esse, & ipsi verè eorum possessores: fraus enim & dolus nemini patrocinatur. Unde si alterutrum Beneficium nullum sit aut alteruter Permutantium non sit verus Beneficii possessor. Permutatio cassa est, & qui ex isto defectu damnificatur, ad primum Beneficium redire potest. 2. Ut personæ sint utrimque capaces, quod duplici respectu expendendum est: Altero respectu Beneficii. Unde nemo potest Beneficium Simplex cum Curato permutare, nisi sit capax Beneficii Curati, ad quod necessariò examinari debet, & idoneus judicari: Aliàs tam Permutans incapax, quàm Ordinarius Permutationem admittens peccat mortaliter: quia in re gravi inidoneus se offert, & ab Ordinario admittitur, in gravissimum præjudicium animarum: Alter respectus sumitur à pœnis & inhabilitatibus juris, quibus alteruter Permutantium innodari potest, ut irregularitate, excommunicatione, &c. ratione quarum alteruter redditur ad Beneficia inhabilis.

II. Conditio contingit Ordinarium, cujus auctoritate Permutatio fieri debet, ut nimirum fiat auctoritate Ordinarii utriusque, sive in cujus diœcesi utrumque Beneficium est: si enim in diversis diœcesibus Beneficia existant, aut Permutantes sint diversæ diœcesis, utriusque Ordinarii auctoritas requiritur, nisi per Legatum Apostolicum potestatem habentem, vel per Papam auctoritas illa suppleatur. Ratio est. Quia Ordinarius unus non habet potestatem in Beneficium vel personam alteri Diœcesano subditam.

III. Conditio requiritur ex parte eorum, qui Jus Patronatus, vel aliquod interesse habent. Unde Beneficia, maximè Juris Patronatus Laici, non possunt permutari, nisi de Patronorum consensu, excepto casu magnæ utilitatis, vel necessitatis ecclesiæ, ratione cujus Patronus haberetur omnino irrationabiliter & injustè nolens. Estque sententia communis Doctorum. Ratio est: Quia Jus Patronatus, maximè quod ex dotatione, vel fundatione procedit, includit in se quemdam contractum naturalem, ut Beneficio non provideatur, nisi de persona digna & utili, ac Patrono rationabiliter grata, non odiosa, ad quod saltem explorata ejus voluntas & consensus necessarius est. Unde notat Stephanus Quaranta in Summa Bullarum Apostolicarum V. *Beneficiorum Permutatio* § quos terminos, etiam in Permutationibus, & Renuntiationibus Beneficiorum in manus Papæ debere fieri mentionem Juris Patronatus Laici, cui non intendit derogare Pontifex, nisi specialem & expressam derogationem faciat.

Stephanus Quaranta.

Dixi (excepto casu magnæ utilitatis, vel necessitatis ecclesiæ) in illo enim casu potest ordinarius admittere Permutationes, etiam dissentiente Patrono. Cujus ratio est: Quia ex fine primario providendum est utilitati magnæ & necessitati ecclesiæ, cui si contradicat Patronus, habetur injustè & irrationabiliter nolens, & devians a fine primario fundationis Beneficii, sub quo ecclesia Beneficii fundationem admisit: Vide Stephanum Quarantam suprà de his præcisè disputantem.

IV. Conditio respicit ipsam Permutationem. 1. Ut sit libera, & non coacta. 2. Ut ex causa rationabili fiat. De quibus ordinarius judicare debet, ne facile eam admittere nisi debitis circumstantiis vestiatur. 3. Illius publicatio legitima fieri debet. De quâ publicatione, quia ad juris ceremonias spectat, vide Stephanum Quarantam suprà. V. *Beneficiorum resignatorum Permutatio.*

QUÆSTIO II.

An aliquis plura Beneficia simul obtinere legitimè possit?

PRo resolutione firma & solida intra Auctorum inter se pugnantium varias sententias.

Advertendum est 1. Beneficiorum Ecclesiasticorum fundationem, & dotationem duos habere fines principales: Alter est ecclesiæ necessitas, vel utilitas, aut decor, ut de debitis Ministris sit illi benè provisum: Alter est: Ut Ministri congruam & decentem Statui ecclesiastico sustentationem habeant. Et hi fines ita sunt intenti, ut fine inordinatione præteriri non possint.

Beneficiorum fundatio duos habet fines.

Advertendum 2. Duplicia nos posse Beneficia in hac materia distinguere: Alia sunt compatibilia, alia incompatibilia. Incompatabili dicuntur, quæ regulariter eidem personæ convenire nequeunt; ut sunt duo Pastoratus ab invicem divisi & distantes; duo Episcopatus, & generaliter duo Beneficia in locis dissitis, quorum utrumque requirit residentiam, vel actiones, quæ eadem hora diversis locis exerceri debent. Compatibilia dicuntur, quæ eidem personæ regulariter competere possunt; ut duo Beneficia simplicia, quæ residentiam, vel aliquod exercitium personale, quod eodem tempore, loco, & aliis circumstantiis fieri debet, non includunt.

Conclusio I.

Nemo potest possidere duo Beneficia, quorum unū sufficit ad sustentationem cōgruam.

Regulariter nemo potest possidere duo Beneficia, quorum unum sufficit ad congruā & decentem sustentationem.

Ratio est: Quia contradicit fini fundationis: Nam qui plura Beneficia obtinet, quorum unum ad sustentationem decentem sufficit, privat Ecclesiam numero & pluralitate Ministrorum; diminuit Officium Divinum; defraudat voluntatem Testatorum & Fundatorum; spoliat vivos & defunctos pluralitate precum & suffragiorum: Ut notant Doctores antiqui, sinceriores veræ doctrinæ assertores. Addo multos Clericos Ecclesiæ Ministros in vili indigentia & paupertate vivere & derelinqui, quos patenter contra justitiam distributivam defraudant, qui pluralitatem Beneficiorum ad abundantiam & luxum possidere convincuntur. Contra hos Concilia & Patres passim declamant; inter quos vide sanctum Bernardum l. de Consideratione ad Eugenium Papam, & Epistolā ad Fulconem Canonicum.

Vnde hic disputare nolo cum plurimis Doctoribus, an restrictio ad unum Beneficium sufficiens ad congruam sustentationem, sit de jure Divino vel Canonico: Dico eam fundari in jure positivo naturali, ratione justitiæ virtualis in contractu, ex vi fundationis, inclusæ, quo Patroni Beneficia fundarunt ut juxta rationem congruæ sustentationis, de Ministris, tum ad utilitatem, tum ad decorem, & officiorum divinorum persolutionem, ecclesiis esset benè provisum: cui juri injustè contraveniunt, qui plura beneficia congruam sustentationem excedentia possident.

Conclusio II.

Nemini suffragatur dispēsatio etiā Papæ ad possidendam plura simul Beneficia, nisi ex his causis.

Nemini suffragatur dispensatio, etiam Pontificia, ad possidendum plura simul Beneficia, nisi ex causis subsequentibus vere procedat.

1. Ob congruam & decentem sui status & ministerio sustentationem. Cum enim, qui altari servit, debeat de altari vivere, & sæpe unum Beneficium non suppetat, nisi ad tenuem sustentationem, ex ratione ministerii provenit, ut pluribus saltem compatabilibus Beneficiis unus Minister foveatur. Quinimò in aliquibus locis videmus parochialia Beneficia ita esse exigua, ut cùm singula singulis, non possint sufficere ad honestam vitam, debeant plures Parochiæ uni concedi.

Dixi (*congruam & decentem*) consideratò scilicet ministerio & adjacentibus circumstantiis, nec non dignitate & qualitate Officii ac personæ. De quibus latius egi in superioribus, dum de Officio 1. Episcopi disserui. Cavendus est enim omni Ecclesiastico luxus & excessus, de quibus ibidem.

2. Causa: *Quando unum Beneficium dependet ab alio, sive alteri est unitum.*

3. Causa. *Ob raritatē & paucitatem Ecclesiasticorum, ita ut necessitas postulet, ut unus plurium Ecclesiarum etiam Curatarum accipiat curam.* Quod aliquando vidimus in Flandria post reductionem patriæ ad obedientiam Regis. Cùm enim pauci admodum essent Sacerdotes idiomatis Flandrici gnari, plura necessariò Beneficia Parochialia, etiam sufficientissima ad congruam sustentationem, uni debebant committi.

4. Causa est: *Quando Beneficium, sive Præbenda, est Dignitati, aut Officio alicui conjuncta*, ut Canonicatus Pastoratui, vel Præbenda Præposituræ &c.

5. Causa: *Magna & gravis utilitas Ecclesiæ*: Ut cùm Filiis Regum & Principum Beneficia conferuntur, ut Ecclesiæ conserventur, hæreses propulsentur, personæ Ecclesiasticæ protegantur &c. Addunt hic aliqui causam sextam: Quando alterum Beneficium actu possidetur, & alterum in commendam ad aliquod tempus. Alii septimā: Quando unum Beneficium actu, alterum habitu tantùm possidetur. Verum, quod in commendam tantum ad aliquod breve tempus habetur, non propriè possidetur: Similiter, quod solo habitu: Unde tunc propriè non dicitur quis habēre Beneficia duo: Quia si utrumque actu in perpetuum obtineret, jam hoc ipso alterum jure vacaret.

Et solis supradictis causis dispensat Ecclesia, ut unus plura Beneficia obtineat, & aliter dispensationes concessæ subreptitiæ habendę sūt, nec in foro conscientiæ tutæ sunt, quantumvis Summi Pontificis auctoritatem præ se ferāt: Cùm enim Summus Pontifex sit tantum Ecclesiasticorum Beneficiorum dispensator, illi absque injuria non potest tribui, quod dissipationem magis continet, quàm dispensationem; dispensatio autem, quæ ex aliqua supradictarum causarum non procedit, sensu omnium antiquorum Patrum & Conciliorum, Beneficiorum dissipatio est.

Quæ verò dispensatio requiratur, etiam ex causis supradictis, ex Conclusionibus sequentibus patebit.

CONCLUSIO III.

Compatabilia Beneficia, ad sustentationem decentem ab uno absque dispensatione legitimè possideri possunt, modò sub eodem tecto non sint.

Ratio sumenda est ex consuetudine probata Ecclesiæ, quæ mentis Summorum pontificum est legitima interpres, Et Conc. Trid. sess. 7. c. 4. de Reformatione sola excipit Beneficia incompatibilia Et sess. 24. cap. 17. permittit Episcopis Beneficio insufficienti aliud simplex addere.

Dixi (*modo sub eodem tecto non sint*) hoc enim jure Canonico absque dispensatione expressa Episcopi prohibetur, ut habetur c. *Sanctorum* d. 70. Refert autem Declaratio Cardinalium apud Garziam data ad c. 4. sess. 7. de Reform. Con. Trid. sub his verbis: *Congregatio Concilij censuit, Episcopum ex causa posse dispensare, ut quis possit obtinere duo Beneficia disformia sub eodem tecto, dummodò quodlibet per se non sit sufficiens ad provisi sustentationem.*

Nota. Quod verò Concilium permittat Episcopo alicui non habenti sufficiens Beneficium alterum simplex conferre, id non est dispensationis, sed juris, ita ut Episcoporum conferentium sit iudicare de causa, vel insufficientia beneficij. Vnde crederem ego in foro conscientiæ, absque expressione prioris beneficij insufficientis, licere Clerico alterum compatibile beneficium possidere, & usque ad congruam sustentationem, modò non esset sub eodem tecto, à Collatoribus legitime recipere, quando absque tergiversatione constat unum ex illis insufficiens esse.

Ratio est: Quia id non prohibetur ullo jure, imò positive committitur & permittitur Episcopo (sub quo omnis collator legitimus à paritate rationis intelligi debet) ejusmodi Collatio, & est textus expressus Conc. Trid. sess 24. de Refor. c. 17. vbi sic legitur: *statuit* (Concilium) *ut in posterum unum tantum beneficium Ecclesiasticum singulis conferatr: Quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominùs aliud simplex sufficiens dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferre.* Quæ constitutio formale jus continet, respectu Beneficiati, & omnis Collatoris. (Cc. Trid.)

CONCLUSIO IV.

Nemo absque dispensatione possessionem Beneficia incompatibilia possidere.

Nemo absque dispensatione S. Sedis potest duo beneficia incompatibilia possidere, ita ut altero adepto alterutrum vacet. Est Concilii Tridentini supracitati sess. 4. cap. 4. Vnde & c. 5. coguntur districtè, qui plura posident, suas dispensationes Ordinariis exhibere: Et ratio sumitur ex jure naturali: Sicut enim Domino asserente: *Nemo potest duobus Dominis servire.* Sic nemo potest duobus incompatibilibus oneribus satisfacere. (Mat. 6. 24.)

QUÆSTIO III.

Quanam hominem à Beneficijs Ecclesiasticis excludant & removeant?

ADVertendum tripliciter hominem à Beneficiis Ecclesiasticis excludi. 1. Ob omnimodam Incapacitatem. 2. Ob Inidoneitatem, 3. Ob Indignitatem, Incapacitas dicir propriè inhabilitatem fundamentalem personæ ad beneficium obtinendum: Inidoneitas propriè dicit ineptitudinem defectu alicujus qualitatis in persona: Indignitas defectum alicujus eminentiæ, vel gradus arguit. (... neficiis ecclesiasticis)

CONCLUSIO I.

Incapaces sunt ad beneficia adipiscenda in Ecclesia jure naturali: Mulieres, sive sexus femineus: Hermaphroditi prævalente sexu feminino: Mutilati aliquo membro ad beneficiorum executionem necessario: Amētes &c. Iure autem Canonico Hermaphroditus prævalente sexu virile, Matrimonio juncti, non Clerici, Hæretici, actu Excommunicati. Irregulares, defectum natalium patiens, qui tamen ad simplicia beneficia, dispensante Episcopo, promoveri possunt, non tamen ad Curata vel dignitates. Huc referendæ sunt aliæ si quæ sint censuræ & pœnæ, quę à beneficiis excludunt; De quibus vide nostrum Tractatum. (Qui sint incapaces)

CONCLUSIO II.

Inidonei sunt ad beneficia, qui iis qualitatibus carent qua ad eorū ministeriū, sive ad sufficientem eorum administrationem necessaria sunt: ut ætas, scientia, mores &c. (Qui propriè indigni.)

CONCLUSIO III.

Indigni propriè dicuntur, qui etsi beneficij capaces sint, & ad illa aliquā idoneitatem habeāt, illam tamen eminentiā in qualitatibus non habēt, qua in perfectè beneficium administrante requiritur Ex. g. Ioannes vir ætate maturus, moribus probatus, doctrinā sufficiente præditus, si infamia infecti generis, aut delictorum juventutis laborat, etsi aliàs sit capax & idoneus ad beneficium, ob defectū alicuius eminentiæ in statu requisitæ censetur indignus: Et ita hi termini quidem in rigore ab invicem distinguuntur, usu tamen factum est, ut in communi loquendi modo confundantur, indignusque universali vocabulo dicatur, qui incapax & aliàs idoneus non est.

Inidonei, incapaces, & indigni igitur ad Beneficia censendi sunt, qui qualitatibus requisitis carent: quæ referuntur decem.

1. Torus legitimus.
2. Clericatus vel Ordo.
3. Ætas requisita.
4. Cœlibatus.
5. Immunitas à censuris & pœnis.

 6. Probi-

6. Probitas vitæ.
7. Scientia debita.
8. Carentia vitii corporei, seu aptitudo corporalis ad Ministraria Ordinum.
9. Intentio Ecclesiasticum Statum retinendi.
10. Carentia prioris Beneficii incompatibilis.

QVÆSTIO IV.

An Beneficia dignioribus semper sint conferenda?

CONCLVSIO I.

Beneficia curata & dignitates dignioribus conferri debent.

B*Eneficia annexam curam animarum habentia vel excellentem aliquem Gradum sive exercitium in ecclesia Dei, quantum fieri potest, debent dignioribus (si se offerant) conferri.*

Ratio ex natura rei sumenda est: Cum enim huiusmodi Beneficia salutem animarũ, & Ecclesiæ necessitatem, & conservationem respiciant; magnam jacturam saluti animarũ & Ecclesiæ causat, & magno bono privat, qui, cùm digniorem habeat, minus digno beneficiũ tale confert. Vide Conc. Trid. sess. 24. de reform. c. 18. Vbi Examinatoribus ad Cõcursus præcipit, sub clausulis peccatũ mortale includentibus, ut de idoneitate maiori minorive judicẽt, & ut digniores proponantur, & ab Episcopis eligantur. Et quæ de beneficiis curã animarum habentibus dicuntur, intelligenda sunt etiã de Dignitatibus, & Gradibus superioribus, quæ etsi curam animarũ non habeant, eminentiam tamen ratione Gradus in personis requirunt, & si indignis vel minus dignis conferantur, in re gravi Ecclesia inhonestatur, & vilis redditur: præterquã quòd cùm in negotiis gradus Ecclesiæ, illæ personæ ratione dignitatis cõcurrere debeant, vel ordinarie assumantur, eorũ auctoritas inidoneitati & vilitati coniuncta magnas interdum causet inordinationes. Vnde & gravissima peccata tam propria, quàm aliena.

In his igitur, relicto scienter & sponte notabiliter digniore aut dignissimo, beneficiũ curam animarum & regimen habens, aut Dignitatem cõferre minus digno, ex natura sua peccatum mortale est, non tantũ simplex, sed plura peccata secũ trahens ob malas cõsequentias, quæ prudentis arbitrio & judicio examinãda sunt, quia à circumstantiis maxime pendent.

Et hoc est barathrum Patronorum, Instituentium, Collatorum, Eligentium, & eorum, quibus provisio dictorum Beneficiorum cõpetit, in quod se inconsideratè præcipitant.

Dixi (*si se offerant*) ubi enim digniores deficiunt, possunt conferri dignis, imo fieri potest ut ratione penuriæ minus dignis inculpatè conferantur.

CONCLVSIO II.

B*Eneficia simplicia quæ curam animarum non habent, vel gradum aliquem eminẽtem alicujus in Ecclesia non dicunt (ut sunt dignitates Canonicatus cathedrales &c. possunt absq; culpa conferri verè dignis, etsi occurrerint digniores.*

Ratio est: Quia inde nulla iactura provenit Ecclesiæ, supposito nimirum quòd digni sint, & apti, ut officio per Beneficium requisito satisfacere possint.

Dixi (*verè dignis*) quia nunquam licet indigno & inidoneo conferre Beneficiũ, sed quicumque ad beneficiũ instituitur, debet actualiter idoneus & dignus esse, vel saltẽ in spe certa futurus, ut cùm adolescentibus ingenuis, & bonę spei Beneficia conferũtur, quos in scholis tam ad bonos mores, quàm ad sufficientem scientiam in ordine ad Beneficiũ necessum est educari, ut alibi in superioribus est adnotatũ.

QVÆSTIO V.

Quis censendus sit ad Beneficia curam animarum annexam habentia dignior?

CONCLVSIO I.

Quis dignus censendus sit ad beneficia curata?

D*Ignus sive idoneus ad beneficia curam animarum habentia specialiter censetur, qui præter alias habilitates jure naturali & Canonico in persona requisitas (de quibus sufficienter in superioribus) probitate morum, scientia sufficiente, & dono regiminis sive judicio practico ad regimen animarum pollet.*

CONCLVSIO II.

Q*Vi probitate morum & judicio practico sive gratiâ regiminis excellit, modo sufficientem scientiam habeat, etsi non excellentem præferendus est & dignior censendus, quàm ille qui sciẽtiam theoricam in excellenti gradu habet, in probitate autem morũ, vel judicio practico inferior est.*

Ratio clara est: Quia dignitas judicari debet in ordine ad finem, ad quem beneficium ordinatum est: Atqui supposita sufficienti sciẽtiâ, probitas morum sive vitæ, & judiciũ practicum efficaciora sunt ad curam animarum, quam scientia speculative eminens: Ergo in ordine ad istum finem, qui in illis excellit, dignior censendus est. Sit verò

REGULA GENERALIS.

Quis absolutè alterò dignior?

I*N Beneficijs Curatis ille dignior censendus est, qui consideratis omnibus circumstantijs personarum loci, temporis est apparante aliquo excessu aptior ad finem & ministerium, ob quod beneficiũ institutum est.* Vnde sæpe habenda est ratio non tantùm personæ, cui beneficium conferendum est, sed etiam personarum, quarum curam habere debet, item Regionis, idiomatis, temporis belli, pacis, necessitatis &c. Ex his enim multùm dependet ministerium Pastoris, ejusque actiones, ut sint fructuosæ.

Dixi (*apparente aliquo excessu aptior*) si enim in modico tantum excedat, vix ille excessus attendendus est, cùm apparentia illa modica sæpe fallat.

QVÆ-

QUÆSTIO VI.

Cujus sit de idoneitate, sive dignitate personæ judicium ferre?

CONCLUSIO.

Ejus est de dignitate judiciũ ferre, cujus est de beneficio providere.

EIus est de idoneitate judicium ferre, cujus est de beneficio providere, præmissâ, si opus sit, debitâ consultatione & examine.

Hæc Conclusio patet ex natura terminorum: Quod quidem judicium singulariter in beneficiis, curam animarum habentibus Episcopos, Examinatores, Collatores concernit. Unde in Concilio Tridentino sess. 24. c. 18. decernitur eos, qui se ad parochiale beneficium præsentant, debere examinari ab Episcopo, sive, eo impedito, à Vicario ejus Generali, atque ab aliis Examinatoribus non paucioribus quàm tribus.

Ut autem ostendat Concilium, quanti momenti hoc examen sit. 1. Vult sex Examinatores deputari, & probari à Diœcesana Synodo quot annis, ex quibus tres ab Episcopo eligantur, qui cum eo examen perficiant. 2. Vult, ut sint Magistri seu Doctores, aut Licentiati in sacra Theologia, aut Iure Canonico, vel, si assumuntur Regulares, etiam ex Ordine Mendicantium, aut alii sæculares, ut non assumantur nisi idonei. 3. Ut jurent omnes ad S. Dei Evangelia, se, quâcumque humanâ affectione postpositâ, fideliter munus executuros. 4. Præcipit, ut ab omni munerum acceptione ante & post abstineant, sub peccato Simoniæ, tam ab ipsis, quàm à dantibus incurrendæ, à qua absolvi nequeant nisi dimissis beneficiis, &c. & alia vide ibidẽ.

Quæ omnia non tantùm in concursu observanda, & in beneficiis, quæ sunt Iuris Patronatus Ecclesiastici, sed etiam in iis, ad quæ à Patronis Laicis præsentantur, ut nimirum præsentari ab iisdem deputatis examinari debeant, & non nisi idonei reperti admitti.

Quæ omnia latiùs retuli, ut videant examinatores, quantâ judicii maturitate procedere debeant, cùm ex textu concilii eos coram Deo rationem reddere de provisis ad beneficia curam animarum habentia oporteat. Et quamvis Patroni graviter peccent, si scienter indoneum præsentent; totum tamen jugum & gravitas peccati in Episcopum & examinatores revolvitur, quorum est, testimonium, & velut juridicum judicium de idoneitate complere: Sæpius enim Patroni laici excusantur ob ignorantiam vel aliam præventionem, Episcoporum autem & examinatorum est supplere ipsorum defectum, & non nisi dignum saltem, & idoneũ à Patrono laico acceptare.

Nota.

Tr. Trid.

Petes: Cur quando solùm dignus à Patrono laico præsentatur, ille admitti debeat ad Parochiale beneficium, juxta decretum Concilii Tridentini; à Patrono verò Ecclesiastico, aut aliter præsentatus, non nisi magis idoneus, & dignior admitti possit?

Respondeo: Id fieri per accidens, supposito quod Patronus Laicus unum tantùm, ut fieri solet, præsentet: Si enim plures præsentaret, eadem penitus cautela adhibenda foret, ut dignior per examen repertus provideretur, sicut in concursibus. Quia igitur indultum est Patronis laicis, ut sufficiat, si dignum & idoneum præsentent, nec parochialia beneficia similium Patronatuum concursui pateant: hinc est quòd simpliciter idoneitas & dignitas præsentati ab illis attendatur, cùm plures non teneantur præsentare. In casu tamen quo minùs dignus & sufficiens à Patrono laico præsentaretur, teneretur in conscientia Episcopus & Examinatores, repudiatio illo, tantum efficere, ut verè dignus aliàs offerretur. Quæ omnia in concursibus omninò contingere possunt, quando unus tantum se præsentat; tunc enim, si verè dignus sit, ill conferri beneficium debet, non exspectata plurium præsentatione. Igitur dignioris, vel magis idonei ratio tantùm habetur in pluralitate præsentatorum & concursibus, sicut & in Electionibus; Ubi plures digni & idonei sunt, ex quibus digniores eligendi: Et quia Patronus laicus unum tantum præsentare tenetur, ille si dignus est, admittitur: quia autem beneficia Parochialia Iuris Patronatus Ecclesiastici per concursum dari solent, supposito quod plures concurrant, dignior minùs digno præferri debet.

QUÆSTIO VII.

Quæ sint peccata beneficiatorum?

ETsi ut plurimum peccata beneficiatorum in superioribus sint explicita, pro majori tamen solatio animarum stimulandarum per modum recapitulationis hic subjungo. Pro faciliori autem peccatorum illorum distributione considerari possunt beneficiati quoad tria, nimirum: beneficiorum adeptionem: beneficiorum possessionem & usum, sive ministerium: beneficiorum dimissionem.

§. 1.

De Peccatis in beneficiorum adeptione.

Peccant mortaliter in beneficiorum adeptione, & nec beneficium, nec fructus faciunt suos ac in conscientia tenentur illa dimittere, qui scienter aliquâ Qualitate carent ex iis, quæ jure naturali vel Canonico requisitæ sunt: utpote. *Peccãt mortaliter, qui beneficium adipiscuntur carentes Qualitate ad illud requisita.*

1. Qui legitimo thoro nati non sunt, nisi priùs fuerit cum eis dispensatum.

2. Qui primam tonsuram non habent, aut non habent ordinem necessariò ad beneficium requisitum.

3. Qui ætatem requisitam non habent, juxta rationem beneficii: ad simplex enim requiritur ætas 14. annorum; ad dignitates autem,

autem, & alia, quae, curam animarum habent, 25 annorum: ad dignitates verò personatus absque cura animarum, aetas 22. annorum: ad Episcoporum 30. annorum.

4. Qui matrimonio juncti sunt, aut adepto beneficio junguntur, beneficium acquirentes, vel in matrimonio retinentes, peccant mortaliter, & reddere tenentur.

5. Qui cum sint Haeretici, Excommunicati, aut irregulares, beneficiis se intrudunt.

6. Qui cùm sint vitae dissolutae, infamis, scandalosae, permittunt se ad beneficia promoveri, qui hoc ipso iis privandi sunt.

7. Qui absque debita scientia beneficium sunt adepti, qui etiam in conscientia privati sunt tam beneficiis, quàm fructibus, pro tempore, quo incapacitas scientiae perdurat.

8. Qui cum corporeo vitio sint inhabiles, permittunt se ad beneficia promoveri.

9. Qui veram intentionem Ecclesiastici status retinendi non habuerunt, sed beneficia à proposito acquirunt, donec uxorem divitem inveniant, vel alius eis status occurrat.

10. Qui beneficium acquirit incompatibile, primo retento &c.

11. Peccant mortaliter Collatores, praesentatores, Institutores, qui scienter indignis beneficia conferunt, aut eos praesentant, vel instituunt.

§. 2.

De Peccatis in possessione, Usu, & ministerio beneficiorum.

Qui titulo colorato & improbabili mala fide retinent. PEccant mortaliter 1. Qui beneficia retinent malâ fide, & injuste, etsi titulo aliquo colorato, improbabili tamen & ficto. Quae retentio subjacet restitutioni, & si beneficium jurisdictionem spiritualem annexam habeat, infinitis subjacet abusibus: Dixi (improbabili tamen & ficto) si enim titulus probabilis est, excusat bona Fides illo utentem.

2. Peccant mortaliter, qui in adeptione beneficii peccaverunt, & fortè poenas & censuras incurrerunt, si statim, ubi patet via, non procurant sibi absolutionem vel dispensationem.

3. Peccant mortaliter, qui in re gravi obligationes beneficii transgrediuntur. Utpote: Qui intra annum, vel tempus jure vel consuetudine statutum, non curant promoveri ad ordines, ad quos beneficium illos obligat, etsi per alios curent officiis & ministeriis satisfieri. Item: Qui horas canonicas non legunt. Item: Qui in loco beneficii, ad residentiam obligatis, non residet: Ut Episcopus, Parochus, &c. Item: Canonicus ultra tres menses vel tempus constitutum à sua Ecclesia absque dispensatione absens non facit distributiones suas, & aliis poenis non plectitur: ut in superioribus notatum est. Item: Qui obligati ad missas, illas persolvi non procurant, praeter peccatum mortale ratione injuriae, tenentur ad restitutionem subsidii accepti.

§. 3.

De Peccatis in Dimissione Beneficiorum.

PEccant mortaliter 1. Qui gnari suae insufficientiae & incapacitatis beneficia non dimittunt, maximè ubi subest periculum animarum, & propriae salutis. *Qui suae incapacitatis nō dimittit.*

2. Peccant mortaliter, qui resignationes de facto faciunt cum pacto actuali vel virtuali ut ubi, & non alteri, beneficium conferatur: Aliud est simpliciter aliquem commendare, etiam efficaciter: Aliud etiam, in favorem digni resignare pro necessitate vel magna utilitate Ecclesiae sub conditione, quod Beneficiarius aliàs beneficium retinebit: est enim tunc id potestate ordinarii conditionem acceptare, vel non acceptare.

Pacto etiam mortali peccato subjecta sunt, nec subsistunt, si quis triangulari velut resignatione tertium includat: Ut resigno beneficium in favorem Ioannis ut Ioannes suum beneficium resignet Andreae, Andreas suum mihi. Item: qui renuntiat suo beneficio in favorem Petri, Petrus ut suii resignet in favorē alterius.

3. Peccant mortaliter, qui fraudulenter permutant cum beneficiis aëreis, quae non subsistunt, aut iis, quorum possessores actu non sunt, aut cum gravi proximi deceptione &c.

APPENDIX.

De beneficiorum vel fructuum privatione, ac restitutionibus.

ADvertendum est ad peccata suprapofita saepe à jure addi beneficiorum vel fructuum privationem ac restitutionem: his vel similibus terminis: *Sint ipso jure privati: Sint juris ex ipso facto privati absque alia declaratione: Sint in conscientia privati: Fructus suos non faciat, &c.* *Diversa clausula explicantur.*

QUAERITUR.

Quid supradictae clausulae importent?

REspondeo 1. quandocumque ponitur: *Sint ipso jure privati*, indici poenam juris a Iudicibus omninò imponendam, absque alia mutatione vel tergiversatione. Quando verò ponitur: *Sint ipso facto privati absque alia declaratione*: processum omnē excludi, ita ut, si de ipso facto constet, statim privationem incurrant: Probabiliter tamen dicunt nonnulli ante privationem debere crimen declarari, aut publicum esse, ita ut illud *absque declaratione* tantum excludat declarationem sententiae, non autem declarationem criminis: debet enim constare de crimine, ut publice habetur quis privatus, potest verò beneficium eius, qui poenam sic incurrit, hoc ipso obtineri. Vide Leonardum Lessium l. 2. c. 2. dub. 8. Quando demum ponitur: *Sit in conscientia privatus, vel non possit absolvi nisi beneficium dimittat*, quidquid sit de foro exteriori Beneficiatus tenetur sub peccato mortali illud dimittere. *Lessius.*

Respon-

Respondeo 2. Quoties injure ponitur, quod beneficiatus, sive qui titulo beneficii gaudet, *non faciat fructus suos*, tenetur absque alia declaratione in foro conscientiæ ad illorum restitutionem; nisi alio respectu aliquid ipsi remaneat: Quod dico ob eos, qui titulo saltem colorato beneficium obtinuerunt, & fideliter in illo ministrarunt: possunt enim illi sibi retinere quod pertinebat ad simplicem sustentationem quæ operi & labori debebatur, non titulo quidem beneficii, sed laboris; juxta illud 1. ad Tim.

1. Tim. 5. 18. 5. *Dignus est operarius mercede sua.*

Respondeo 3. Quandocumque committitur manifesta injustitia in re gravi, sive in collatione, sive in adeptione, possessione, vel dimissione beneficiorum, qui committit injustitiam præter peccatum mortale, tenetur ad restitutionem.

Hæc injustitia committi potest respectu diversorum. 1. Respectu Examinatorum & Ordinarii in Concursu: Si enim etiam dignum, relicto manifeste digniore, promoveant, tenentur ad restitutionem, juxta æstimationem juris, quod dignior jam vi concursus & dispositionis juris communis ad rem sive beneficium habebat, à quo injuste prohibitus est. Item si indigno relicto digno tenentur Ecclesiæ, juxta æstimationem damni, quod ex indigni promotione illi advenit.

2. Injustitia committitur ex parte concurrentium per postulationes, consilia, persuasiones, & sæpe detractiones, dum conferuntur beneficia; ut si quis dolo vel fraude & digniorem vel dignum impediat, tunc enim, ut suprà concludendum est, tenetur ad restitutionem juris ad rem parti læsæ in concursibus, vel damni illati ecclesiæ in collationibus, & præsentationibus absque concursu.

3. Injustitia committitur ex parte Collatorum, Patronorum, & Electorum, & hi similiter ad restitutionem tenentur parti læsæ, juxta prudentium judicium. Quę omnia bene ruminanda sunt, cum particularius vix exprimi possint.

TITULUS V.

De Pensionibus Ecclesiasticis.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Pensio Ecclesiastica.

CONCLUSIO I.

Pensio duplex. PEnsio quantum spectat præcisè ad hanc materiam est duplex: *Alia Clericalis, alia Laicalis.*

Pensio Laicalis dicitur: *Quæ Laico ex parte bonorum ecclesiasticorum assignatur, ob aliquod officium, servitium, vel ministerium corporale pro ecclesia factum vel administratum.* Tales sunt, quæ dantur Receptoribus, Oeconomis & aliis Laicis ecclesiæ negotia agentibus, ob bonam operam ecclesię præstitam, vel ut illam fideliter præstent. Tales sunt, quæ etiam aliquando Principibus, & terrarum Dominis rependuntur assignatæ, ut ecclesiam defendant, eique patrocinentur. Huc etiam referri debent; quæ Clericis etiam tribuuntur, non ratione clericatus, sed quia temporalem aliquam operam pro ecclesia navant.

Pensio Clericalis est: quæ Clerico datur titulo spirituali: Ut pote ad sustentationem, compensationem, causa permutationis vel resignationis beneficii &c. Vocaturque Clericalis, quia solis Clericis confertur. Tales sunt, quæ pauperibus Clericis sive Sacerdotibus ad sustentationē dantur, item Concionatoribus & Coadjutoribus Parochorum: Et hæc sola proprie vocatur Ecclesiastica: Etsi enim Laicalis dicatur ecclesiastica ab objecto & materia, quia ex bonis ecclesiasticis & pro opere ecclesiæ impēso datur; quia tamen nec personæ ecclesiasticæ, nec ob titulum spiritualem & ecclesiasticum datur, in rigore Pensio ecclesiastica non est, sed tantum analogice, & externo respectu.

CONCLUSIO II.

PEnsio ecclesiastica propriè dicta sic definiri potest: *Jus percipiendi fructus ex alieno beneficio, Clerico ad tempus legitimè concessum, vel reservatum.* Explico conclusionem per partes. Pensio Ecclesiastica quid?

Dicitur *Jus percipiendi fructus &c.* Ut excludatur mera & gratuita donatio, qua interdum Beneficiarius alit pauperem Clericum vel Sacerdotem, ex portione sui beneficii illi liberaliter assignata.

Dicitur *(ex alieno Beneficio)* si enim fit ex proprio, quod actu quis possidet, Pensio non est.

Dicitur *(Clerico)* ut excludantur pensiones Laicales, de quibus supra.

Dicitur *(ad tempus)* in pensionibus enim nulla est perpetuitas: vel enim ad vitam Pensionarii tantum, vel ad vitam ejus, qui pensionem pendit, concedi potest: Si autem ad vitam Pensionarii, tunc beneficium censetur gravatum, si ad vitam ejus, qui pensionem pendit, persona ejus censetur gravata, quamvis mediante beneficio.

Dicitur *(legitimè concessum, vel reservatum)* Ut autem legitime censeatur cōcessum vel reservatum, debet fieri: 1. Ex justa causa, quales sunt sustentatio Clerici pauperis, infirmi, ad Beneficiū jam inepti, compensatio inæqualitatis Beneficiorum inter permutantes; cōpositio alicujus litis in materia Beneficii. 2. Debet fieri ab habente Potestatē de quo statim. 3. Debet Beneficiatius liberè consentire, quod verū est in Resignationibus, & Permutationibus, quādo Permutātes vel Resignās aliter Beneficia dimittere nolunt: quando enim Papa, vel etiam Episcopus, aliquādo pro utilitate Ecclesiæ aliquos senectutē, vel alias justas causas, à Beneficiis removent, possunt in gratiam ejus qui amovetur, pro sustentatione illius etiā cogere Beneficiariū ad pendendā Pensionē gravādo Beneficium: Unde dixi supra *jus concessum vel reservatum*: ut includantur Pensiones superiori auctoritate concessæ, & illæ, quæ à Permutātibus reservantur. 4. Pensio debet esse moderata quæ tertiam partem fructuum non excedat. Quid requiratur ut legitimè constituatur.

QUÆSTIO II.

Quis possit constituere Pensionem?

CONCLUSIO I.

Solus Papa potest cōstituere Pensiones aut cōstitutas admittere.

Solus Papa suprema auctoritate potest constituere, vel admittere constitutiones Pensionum Ecclesiasticarum. Patet ex cap. 2. de Præbendis in 6. ex ex Clementina I. in fine ; ut lite pendente.

Ratio est, quia suprema & plenaria Beneficiorum dispositio ad Pontificem solum spectat.

CONCLUSIO II.

In certis casibus antiquo jure communi potest Episcopus Pensiones constituere, sive constitutas approbare. Casus autem sunt sequentes.

1. Si seni Parocho, qui non potest amplius Ecclesiæ servire, ad sustentationem assignetur.

2. In causa controversiæ & litis componendæ. Et habetur *c. Nisi esset*, de Præbendis : Et c. *Audivimus*, de Collusione detegenda.

3. Causa Permutationis, ad compensandam, ut jam frequenter dictum est, inæqualitatem fructuum: Et habetur c. *Ad quæstiones* 6. de rerũ Permutatione.

Advertendum tamen est hic, in omni Pensione ab Episcopo constituta, Pensionem primariò non gravare Beneficium, sed Personam, ita ut in Successorem transire nequeat: Excipio, quando ex justitia Pensio imponenda fuit, ut pro sene Parocho deficiente, tunc enim existimo Beneficium ab Episcopo onerari posse : Aliud est de Pensione constitura à Papa, quæ potest ita Beneficio annecti, ut ad Successores durante vita Pensionarii transeat.

QUÆSTIO III.

An possit Pensio redimi, vel alia causa cessare?

CONCLUSIO I.

Auctoritate Papæ redimi Pensio potest 5. annorum solutione.

Accedente Summi Pontificis auctoritate redimi potest Pensio quinque annorum solutione. Est sententia practica Doctorum communis.

Ratio est, quia fructus, qui Pensionario solvuntur, sunt mere temporales, adeoque sub pretium cadunt.

Excipitur à redemptione Pensio data in Titulum Beneficii, Coadjutori Parochi senis, vel alterius curam animarum habentis, nisi aliunde dicto Coadjutori aliter esset provisum. Ratio est: Quia illi illo tempore, quamdiu alium titulum non habet, pensio servit pro Titulo Sacerdotii sive Ordinationis, quæ, cùm sit spirituali annexus, emi vel redimi nequit. Addo Ordinatum renuntiare non posse suo Titulo Ordinationis.

Dixi in Conclusione (*accedente Summi Pontificis auctoritate*), sive consensu) sicut enim consensu Papæ Pensio imponitur, sic non videtur sine eo tolli posse : quamvis Toletus l. 5. cap. 92. putet absque ulla facultate redimi posse Pensionem: quia redemptio Pensionis, non est nisi purgatio & exoneratio Beneficii, quæ cedit in Ecclesiæ & Beneficii favorem : Quam sententiam in puro actu non repudio : quod enim ab aliis consensus Pontificis requiratur, id fieri puto ad evitandas nonnullas simoniæ labes & pericula: Quomodo prohibitum est resignere Beneficium sub Pensione cum pacto ut redimatur, vel conferre Beneficium sub onere redimendi Pensionem.

CONCLUSIO II.

Cessat Pensio variis aliis modis.

Cessat etiam Pensio aliis nonnullis modis. 1. & universaliter, Pensionarii morte. 2. Si Pensionarius Matrimonium ineat. 3. Si liberaliter Pensionarius condonet : 4. Si Pensionarius in alterum legitime Pensionem suam deriver. 5. Hæreticus fiat, aut pœna privante feriatur.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint peccata Pensionariorum?

CONCLUSIO.

Peccata Pensionariorũ recensentur.

Peccata Pensionariorum sunt sequentia.

1. Peccant: Qui sine justa, vel ex falso narratis Pensionem acceperunt, etiam dispensante Pontifice : Fraus enim nemini patrocinatur, nec Papa dispensare intendit sine causa justa, de qua fideliter informandus est ; Unde qui ita pensionem obtinuit, in conscientia securus non est, & ad restitutionem tenetur.

2. Peccant: Si Officium B. Mariæ Virginis omittant, & similiter ad restitutionem, secundum ratam, tenentur : ut constat ex quadam Bulla Pii V. ab Auctoribus passim citata.

3. Peccat: Qui à Beneficiario fructus non recipiente, vel notabiliter gravato integram exigit solutionem: Non enim tenetur Beneficiarius solvere Pensionem, nisi in quantum, & proportionatè ad fructus Beneficii quos recipit, si per se non stet, ut integros recipiat.

***

TITV-

TITVLVS VI.

De Simonia.

QUÆSTIO I.

Quid sit Simonia?

CONCLUSIO.

Simonia definitio. Simoniam sic antiqui definierunt: *Studiosa voluntas vendendi vel emendi spiritualia vel spiritualibus annexa, pretio vel quasi pretio temporali.*

Quæ definitio quatuor complectitur, quibus Simonia consummatur.

4. Concurrunt ad Simoniā. Nimirum 1. Actum voluntatis, ibi, *Studiosa voluntas.*

2. Actum externum sub præcipuis terminis Contractuum venditionis & emptionis, (sub quibus omnes alii contractus non gratuiti comprehenduntur) ibi, *vendendi & emendi.*

3. Materiam sive objectum, ibi, *spiritualia vel quasi spiritualia.*

4. Medium quo; ibi, *pretio vel quasi pretio temporali.* Quæ quidem quatuor ad consummatam exteriori actu Simoniam concurrunt: de quibus singulis in quæstionibus sequentibus.

Porrò ut nominis origo explicetur, sciendum *Simoniæ* nomen à *Simone* Mago, primo in novo Testamento Simoniæ velut auctore, derivari: Quia enim ille Actor. 8. obtulit pecuniam Apostolis, ut quibus imponeret manus acciperent Spiritum sanctum, sine dubio pretio temporali rem planè spiritualem emere voluisse concluditur, & peccatum gravissimum commisit, quod postea ab ipso *Simonia* dicta est; cùm tunc temporis illa turpitudo careret nomine. Unde gravitatem illius iniquitatis volens Petrus aperire: *Pecunia* (inquit) *tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri, &c.* Igitur ex famositate criminis orta Act. 8. 20. est famositas nominis, quod etiam ab antiquissimis Patribus in Ecclesia semper usurpatum est: quamvis etiam illud ipsum vitium in veteri Testamento notatum fuerit: Ut in Genesi 4. Reg. 5. in Baalām Num. 22. & 23. qui tamen potius prophetiam magicam vendebat & donum diaboli, etsi singulari Dei dispositione illi actu speciali concessum fuerit, ut in Benedictionibus ad Israel, etiam divinitus prophetaret.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Simonia?

CONCLUSIO I.

Juxta terminos datæ definitionis, *Simonia triplex assignatur: Mentalis, Conventionalis, Realis.* Simonia triplex.

Mentalis dicitur, *Quæ in animi conceptu remanet, estque propositum sive intentio interna studiosæ voluntati conjuncta, quâ quis, dum confert alicui spirituale vel spirituali annexum, vult & intendit, quantum in se est alterum obligare ad reddendum sibi temporale pro illo spirituali.* Sive: *Intendit dando temporale, obligare alterum ad spirituale, vel quasi spirituale rependendum.*

Ex. g. Mutuo tibi centum ducatos, intentione non repetendi sed dandi, si resignes mihi Canonicatum tuum. Item: in Officio Advocati servio Episcopo, intentione illum obligandi, ut mihi Canonicatum conferat. Item: resigno Canonicatum meum filio ad obligandum Parentem, ut filiam mihi in uxorem tradat: & infinitos modos hujusmodi jam humana prudentia, seu potiùs fallacia, adinvenit, ut turpitudinem Simoniæ, Diaboli filiæ, velo honesto operiat, qui non sunt nisi demonis decipulæ, quibus in æternam damnationem animas præcipitat.

Dicitur autem *Simonia Mentalis*, quia in mente reservatur, & quamvis extrinsecus formaliter nullâ conventione manifestetur, tamen dispositionibus quibusdam remotis & indirectis intendi & parari solet via ut compleatur, & hæc pertinent ad voluntatem studiosam, quæ ex deliberatione studet rem ad effectum perducere.

Conventionalis dicitur: *Quando externa conventio voluntatem consequitur, & utrimque pactum, vel quasi pactum intercedit: etsi necdum plenariè effectus utrimque sit subsecutus.*

Dixi (*pactum, vel quasi pactum*) aliquando enim apertis verbis, vel scripto conventio fit: aliquando indirectis & obscuris signis, nutibus, & insinuationibus analogis: Et prior quidem conventio obtinet rationem pacti; posterior, quasi pacti: Ex. g dono tibi domum, vel diminutissimo pretio vendo, cum indirecta insinuatione, ut mihi resignes Canonicatum, &c.

Realis Simonia est: *Quando mentalis & conventionalis in effectum deducitur:* Ut si collatio Beneficii sit subsecuta, & pretium, vel pars pretii temporalis soluta.

CONCLUSIO II.

Simonia iterum in duo membra secari potest: Nimirum: *in Simoniam juris divini, & Simoniam juris humani.* Simonia in duo mēbra secatur.

Simonia juris divini est: Quæ pro objecto habet rem jure divino sacram & supernaturalem.

Talis

Talis est, quae versatur circa dona Spiritus sancti, Gratias supernaturales etiam gratis datas, Sacramenta, Sacrificia, Sacerdotium &c.

Simonia Iuris humani est: *Qua pro objecto habet rem jure humano sacram, & spiritualem factam, sive spirituali adjunctam*: Ut sunt Beneficia, & Officia Ecclesiastica, & nonnulla alia, quae Deo consecrata sunt, quae omnia commodiùs singularibus quaestionibus examinabuntur.

QUAESTIO III.

*Quid in definitione per (*studiosam voluntatem vendendi vel emendi &c.*) intelligatur, & quae studiosa voluntatis signa?*

CONCLUSIO I.

Studiosa voluntas Simoniaca quae?

STudiosa voluntas dicitur, *voluntas deliberata & absoluta in finem, cum intentione per media illum prosequendi*: Et in proposito *voluntas studiosa simoniaca, est voluntas absoluta acquirendi sibi aliquod spirituale, vel quasi spirituale cū intentione adhibēdi media emptionis vel venditionis, aut similis contractus illiciti, ut de facto acquirat.*

Unde duo requirūtur in voluntate, ut Simoniaca dicatur.

1. Voluntas deliberata in rem spiritualem, modo illicito acquisitam sive acquirendam.

2. Intentio adhibendi per se, vel per alium media illicita, ut venditionis vel emptionis &c. ad rem illam spiritualem acquirendam. Prior voluntas, etsi mala & peccaminosa, quia in rem illicito modo acquisitam, vel acquirendam tendit, non tamen est Simoniaca propriè dicta; quia non intendit per se vel per alium ad media, in quibus Simonia consistit cooperari, vel illa adhibere: Posterior autem voluntas est Simoniaca, & constituit Simoniam mentalem; eò quòd media studiosè adhibere intendat. Distinguuntur verò hae duae voluntates, quòd prior sit simpliciter consentiens in finem; posterior autem non tantùm consentiat, sed etiam de facto media intendat, quae proindè ab officio, & studio mediorum, vocatur studiosa. Quae singulariter notanda sunt ad scrupulos sedandos, & solidum examen conscientiarum.

CONCLUSIO II.

Signa studiosa voluntatis.

SIgna studiosa voluntatis sunt haec: 1. Si deliberate ruminet, & conetur invenire media illicita ad finem 2. Si etiam remota quaedam adhibeat; 3. Si generalibus nutibus, signis, verbis, aliquas tertias personas ad emptionem vel venditionem velut sollicitet, & hujusmodi, quae completae mentalis Simoniae sunt signa.

QUAESTIO IV.

Quid comprehendatur terminis vendendi vel emendi?

CONCLUSIO.

SUb terminis vendendi vel emendi, *comprehenditur omnis contractus non gratuitus, aequivalens pacto, & obligationem inducens, sive sit permutatio, sive locatio, sive cambium, sive reciproca exhibitio rei temporalis pro spirituali, vel quasi spirituali, quocumque tandem nomine vocetur, modo, pactum saltem implicitum, directum sive indirectum intercedat.* Heu quot metaphysicae abstractiones & conceptus finguntur, quibus mentitur iniquitas sibi; fingunt, refingunt, abstrahunt, dividunt, non advertentes quòd Deo, & non hominibus mentiantur. Et nos q. 2. exempla nonnulla posuimus, quibus plura addenda non sunt, cùm fere ubique obviā sint.

QUAESTIO V.

Quae dicantur Res spirituales, & Res quasi spirituales, & spiritualibus annexae?

CONCLUSIO I.

Quid res spiritualis?

REs spiritualis dicitur: *Qua ad supernaturalium bonorum ordinem aliquo modo spectat, & ad salutem hominis ordinatur.*

Triplex Res spiritualis acceptio.

Est porrò triplex: Alia enim est essentialiter spiritualis, ut gratiae, dona supernaturalia, & virtutes Theologicae, Fides, Spes, Charitas &c. quae ex natura & essentia sua spirituales & supernaturales qualitates sunt, excedentes omnem naturalem qualitatem. Alia est res causaliter spiritualis & supernaturalis, quae nimirum, etsi in se sit res materialis, supernaturales tamen effectus supernaturaliter producit: ut sunt Sacramenta, quae gratiam causant, potestas miraculorum, consecrationes, & benedictiones Ecclesiae, quae spirituales & supernaturales effectus producunt. Alia tandem dicitur res spiritualis in actu seu actione, ut est oratio, officium divinum, sacra praedicatio &c. quia spiritu agenda est, & ad animarum fructum ordinatur.

Hic tamen advertendum est: *Rem* non dici, quasi semper aliqua res Physica interveniat, saepissimè enim aliquid tantùm morale intervenit, sive per modum actus, sive per modum habitus; neque *spiritualem* dixi, quasi corporeum aliquid non interveniat: sed *Rem* dici, sive ab esse Physico, sive ab esse mortali; & *spiritualem* nuncupari, sive quia verè spiritualis est, sive quia effectum spiritualem habet, vel ad spiritualia ordinatur.

Quae-

Quapropter in definitione simpliciter in neutro, *spirituale, vel quasi spirituale* posuimus, de quo posteriori fit.

CONCLUSIO II.

Quid Res quasi spiritualis?

RES *quasi spiritualis* dicitur: *Quæ etsi in se corporea sit & sensibilis, spiritualem habet effectum, vel ad spirituales effectus ordinatur.* Et hæc sunt, quæ in superiori Conclusione exemplificata sunt.

CONCLUSIO III.

Quid annexa Rei spirituali?

ANnexum *Rei spirituali* dicitur: *Quod quamvis ex se temporale sit, ratione tamen rei spiritualis, cui conjunctum est, spiritualis rationem obtinet.* Sic Beneficium sive Præbenda Ecclesiastica, etsi in perceptione bonorum temporalium materialiter consistat, quia tamen Clerico datur, propter Officium Divinum, vel ministerium spirituale, spiritualis Rei rationem induit: Quinimò nonnulli id ipsum jus, quod Beneficiarius habet percipiendi dictos fructus temporales, spirituale esse volunt ex vi ministerii spiritualis; quo jure divino positivo ordinatum est, ut qui altari servit, de altari vivat, similiter & qui Evangelio, de Evangelio: Huc pertinet Calix consecratus, & sacræ vestes, sacraque supellex; quæ etsi res purè corporales sint, induunt tamen rationem spiritualium, ratione consecrationis, benedictionis, & sacrificii, cui deserviunt. Quod & asserendum est de Jure Patronatus ratione Beneficii constituti, cùm enim ex constitutione Beneficii, Ecclesia concedente, oriatur, & ad Beneficium conferendum ordinatum sit, tamquam res annexa spirituali, spiritualis conditionem obtinet: Unde nec vendi, nec emi potest, nec contractu oneroso transferri; sed si transferatur in alium, merè gratuito transferri debet, & per modum gratuitæ cessionis.

QUÆSTIO VI.

Quid dicatur pretium, *vel* quasi pretium temporale, *quo vetatur spirituale vendi vel emi?*

CONCLUSIO.

PRetium *temporale, vel quasi pretium* dicitur: *Pecunia, vel quidquid pecuniâ æstimabile est, & interdum æstimari solet, & in pretium ac contractum deduci.*

Triplex pretium.

Triplex porrò ab Auctoribus assignari solet, *Pretium à manu, Pretium à lingua, & ab obsequio.*

Pretium à manu est, quidquid realiter datur pro spirituali, ut pecunia, vestis, domus, equus bos, & hujusmodi, quæ sunt venditionum, emptionum, permutationum, & hujusmodi contractuum instrumenta.

Pretium à lingua, quo officio linguæ præstari solet; ut advocare pro alio, causam in judicio defendere, laudare, vituperare, commendare apud Potentes, quæ æstimantur pretio, & quibus, & pro quibus pecunia vel aliud temporale stipendium dari solet. Unde si ista facias, ut obliges Collatorem, ut tibi Beneficium præstet, Simoniacus es.

Pretium ab obsequio est, quod ratione obsequii temporalis reddi solet, ut quod redditur pro famulatu, opere, scriptura. Si igitur per famulatum, opus, scripturam, obliges aliquem, ut tibi conferat vel resignet aliquod Beneficium, Simoniam committis.

Ratio omnium horum est: Quia Rem spiritualem, vel quasi spiritualem, vel etiam spirituali annexam pretio temporali, vel quasi temporali æstimas, & pactum vel quasi pactum deducis.

Ex dictis pono Doctrinam & Regulam generalem, quæ totius Simoniæ labem & malitiam aperit ac manifestat.

DOCTRINA ET REGULA GENERALIS.

De Simonia.

QUandocumque aliquis præstat rem aliquam *temporalem, vel quæ pretio temporali æstimari potest, & interdum æstimatur, sive à manu, sive à lingua, sive ab obsequio, cum obligatione, vel quasi obligatione, ut ei spirituale aliquid velut ex pacto implicito vel explicito, directè vel indirectè rependatur, Simonia est. Et qui similibus circumstantiis & conditionibus pretium, vel quasi pretium temporale pro re spirituali, vel quasi spirituali, sive spirituali annexa, recipit, Simoniam committit, & pœnas juris incurrit.*

Hæc est summa totius doctrinæ de simonia, quam ampliùs extendere piget: quo enim plura dicuntur, eo conscientiæ magis intricantur, & in hac materia, quam inventiones & speculationes humanæ, & cauteriatæ conscientiæ infinitis laqueis implicaverunt, ad prima principia, & solida fundamenta recurrendum: quæ ut unicuique pateant, subnecto paucas quæstiones, Regulæ, & totius Doctrinæ de Simonia explicativas.

QUÆSTIO VII.

In quo specialiter fundetur iniquitas & macula actus Simoniaci, & ad quam speciem peccati referenda sit?

CONCLUSIO I.

INiquitas & *macula Actus Simoniaci fundatur in irreverentia, & impia tractatione Rei sacræ, & supernaturalis, & ex eo quòd Res sacra, supernaturalis, & spiritualis ordinis pecunia, & re temporali æstimetur, & profanis contractibus subjiciatur.*

Malitia Simoniæ fundatur in eo quòd Res sacra temporali æstimetur.

Hanc

Act. 8. 20. Hanc rationem expressit S. Petrus Act. 8. *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem, quoniam Donum Dei existimasti pecunia possideri*; & subdit: *Poenitentiam itaque age ab hac*
Vers. 22. *nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi haec cogitatio cordis tui. In felle enim*
Vers. 23. *amaritudinis & obligatione iniquitatis video te esse.* Ex quibus verbis & ratio peccati, quae est Donum Dei pecunia aestimare, & gravitas exprimitur. Et quamvis de re essentialiter Supernaturali & sancta, nimirum, de Donis spiritus sancti loquatur, eadem tamen ratione de aliis, quae sanctitatem participant, intelligendum est, quia à Spiritus sancti Donis procedunt. Unde hic advertendum Simonem non postulasse simpliciter pecunia possidere Donum Dei, sed tantùm Potestatem dandi Spiritum sanctum per actionem corporalem, quae est impositio manuum: *Date & mihi* (inquit) *hanc Potestatem ut cuicumque imposuero manus, accipiat Spiritum sanctum*: ad quod obtulerat pecuniam.

Ex his collige eandem subesse rationem in omni Simonia, quae tendit ad rem spiritualem, vel spirituali annexam: ut in Administratione Sacramentorum, Jurisdictione spirituali, Ministeriis ordinum, & officiis Divinis Beneficiis annexis. Consecrationibus, & Benedictionibus, omnique Jure spirituali. Sunt enim haec omnia Dona, Effectus, & operationes Spiritus sancti, sive à Christo, sive ab Ecclesia, potestate data à Christo, instituta sint, nec in illis, quod temporale, vel corporeum, vel naturale invenitur, aliquam dignitatem habet, nisi in ordine ad spiritualia, ad quae ordinatur, vel quibus annexum est. Unde cùm Contractus feratur simpliciter (si aliud realiter non obstet) in id, quod principale est, & quod formam rei donat, quid quid ex Contractu pro eis datur, in ordine ad principale censetur dari; quod cùm sit spirituale, impiè Donum Dei pecunia aestimatur, quidquid sibi humana iniquitas fingat. An verò interdum, possit separari quod temporale est à spirituali, sequenti quaestione explicabimus.

Conclusio II.

Pertinet ad Sacrilegium. **P***Eccatum Simoniae pertinet ad Sacrilegium.* Ratio est: Quia reverà per illud sacra temerantur & profanantur, cùm spiritualia temporali pretio aestimantur & in pacta, & contractus deducuntur.

Advertendum etiam hic est: Quòd, qui obstinatè crederet licitum esse spiritualia temporali pretio emere, haereticus esset; prout I. q. I. cap. *Petrus* ex Ambrosio l. 2. de Poenit. c. 4. refert Gratianus.

Quaestio VIII.

An temporale spirituali in operationibus sacris spiritualibus, & beneficiis, ac aliis ita conexum sit, ut separari nullatenus possit, & in Contractum deduci?

SEnsus quaestionis est: An Ex. g. labor & opera Episcopi vel Sacerdotis in administratione Sacramentorum, celebratione Missarum, consecratione Altarium, ecclesiarum, bona Beneficiorum, argentum in calice consecrato, possint separari ab eo, quod spirituale est, & ut separata in Contractum temporale deduci? *Sensus quaestionis.*

Pro resolutione clara hujus quaestionis:

Notanda est duplex separatio: Alia est purè mentalis sive intentionalis; quâ, re sive physica sive morali manente, mente & intentione separo unum ab alio, cum tamen, ut dixi, re manente in suo esse reali vel morali, separari nequeat: Ex. g. in administratione Sacramentorum, laborem actionis separo mente ab ipsa actione, & intendo vendere laborem, qui pretio aestimabilis est, abstracta actione & operatione sacra, etsi labor sit inseparabilis realiter ab actione. Similiter; in Beneficio jus percipiendi fructus ex ipsa obligatione ad officia Divina, vel administrationem Sacramentorum oriundum &c. est moraliter inseparabile ab ipsa obligatione: abstraho igitur mente jus illud ad fructus percipiendos ab obligatione, & intendo jus illud, quod est ex fine temporale, emere, obligationem autem spiritualem ad Divina Officia & administrationem Sacramentorum gratuitò & liberaliter in me suscipere.

Alia est separatio realis, sive in ente physico, sive in ente morali, qua utrumque realiter separari potest, vel unum altero remanente desinere: Sic fructus Beneficii possunt, & interdum separantur ab ipso Beneficio, imò & à jure Beneficiari, etiam remanente Beneficio apud Beneficiatum: Sic calix aureus potest remanere absque consecratione &c. his sic praenotatis sit

Conclusio I.

Q*Uandocumque temporale potest realiter, juxta rationem entis physici vel moralis separari à spirituali, tunc temporale potest deduci in contractum, quatenus de facto separatum est, vel separari potest, absque Simonia labe.* *Temporale realiter separabile à spirituali potest deduci in Contractum.*

Ex quo infero 1. Posse quem vendere calicem, sive potiùs aurum vel argentum calicis consecrati, imò & industriam artis, abstrahendo à consecratione, & modò ratione consecrationis non pluris vendat, absque Simoniae labe, quod & de aliis sacris vasis & vestibus similiter dicendum est.

Ratio

Ratio est: Quia calix, ratione auri, argenti, sive materiæ ac industriæ artis, est res plane temporalis, & solâ fractione vel ictu mallei tolli potest consecratio. Unde sicut à consecratione separatur & separari potest, sic per se, nullo facto respectu ad consecrationem, materia emptionis & venditionis esse potest. Sci quis emit Ecclesiam constructam, ratione materialium aut artis, nullo facto respectu ad consecrationem; sacras vestes, nullo facto respectu ad benedictiones.

Ratio est: Quia in illis potest realiter separari temporale à spirituali, & in Contractu haberur ratio solius temporalis, nullo facto respectu ad spirituale, cùm temporale per se separatum pecunia æstimetur, & æstimari possit, absque spiritualis læsione vel irreverentia.

Advertendum tamen calices & hujusmodi, quæ venduntur, congruentius debere profanari, nisi fortè qui emit ipso debeat uti: Cavendum est enim à specie mali & scandalo.

Infero 2. Ex hac ratione Pensiones auctoritate eorum, ad quos spectat, posse redimi.

Infero 3. Ex hac causa Beneficiatum posse liberè locare, vendere, permutare, bona & fructus & Beneficio suo provenientes, quia mere temporales sunt, etsi ex jure spirituali proveniant, & ab omni quod spirituale est realiter separantur, & separari possunt.

CONCLUSIO II.

Ea temporalia, quæ à spiritualibus sive re spirituali physica vel morali, realiter separari nequeunt, sed sola mentis actione aut intentione, non posse absque Simonia in Contractum deduci.

Ex quo similiter infero 1. Cùm ens spirituale percipiendi fructus non possit separari à Beneficii essentia, nec ab obligatione ad Officium Divinum, & Ministeria spiritualia Beneficio annexa, nisi mentaliter; illud jus non potest deduci in contractum, sive explicitum sive implicitum: Item; nec labor Episcopi in ordinationibus, consecrationibus Ecclesiarum, Altarium &c. vel Parochi in administratione Sacramentorum in Contractum deduci potest.

Ratio est: Quia labor indivisibiliter comitatur actionem, quæ spiritualis est & sacra, nec nisi mente separari potest. Unde quidquid datur Sacerdori in administratione Sacramentorum, celebratione Missarum, Episcopo in consecratione Ecclesiarum, nec pro actione spirituali datus, nec pro labore, sed pro sustentatione Ministrorum lege positivâ Divinâ, quâ 1. ad Corinth. 9. *Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt, edunt; & qui Altari deserviunt, cum altari participant? Ita (inquit) & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Ex quo S. Pauli discursu constat ea, quæ pro Ministerio Sacerdotum dantur, non dari ex aliquo contractu vel pacto; sed lege divina, quia sic Dominus ordinavit: Lege c. 18. Deut. de portionibus Levitarum.

1. Cor. 9. 13
Vers. 14.

Deut. 18.

Quinimò, & cujusdam juris naturalis obligationem refert 1. Paulus: *Quis* (inquit) *militat suis stipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat.* Infra: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Igitur laborem suum contractibus humanis non subjiciunt, dum subjiciunt, dum pro suis ministeriis temporalia subsidia recipiunt, sed lege divina positiva, & gratitudine naturalis justitiæ utuntur; Unde nec stipendia Missarum propriè dicenda sunt, sed subsidia ministris debita, ad quæ pudor est homines debere interdum velut adstringi & compelli: Aliud fortè est, quando ultra sacrorum ministeria, debent itinera magna confici, & expensæ externæ fieri, illa enim in Contractum deduci possunt.

1. Cor. 9. 7
Vers. 11.

Dices: Convenit aliquis Sacerdos cum aliqua persona decelebranda annua Missa, incerto Altari, pro qualibet Missa pendens novem asses: Numquid saltem hic labor in Contractum deducitur?

Respondeo negativè: Sed ei pro sustentatione temporale subsidium sub honesta consideratione offertur, ex debito legis divinæ. Unde etsi fateamur incongruis sæpe modis, & terminis male sonantibus ista fieri, illa tamen modi ignorantiæ & imprudentiæ facientium imputandi sunt, substantia verò rei conformiter ad ordinationes divinas & gratitudinem debitam est interpretanda.

QUÆSTIO IX.

An Collatio Beneficii vel Officii spiritualis, possit interdum donatione gratuita & liberali pecunia vel rei temporalis compensari?

RAtio dubitandi sumenda est ex resolutione prioris quæstionis: Si enim temporalia possint liberaliter dari ob ministeria spiritualia, ratione sustentationis lege divina positiva Ministris debitæ: cur conferenti mihi Beneficium, non possum aliquod subsidium temporale rependere donatione liberali absque aliquo pacto? Ex. g. quia mihi Beneficium confers gratis, volo tibi subsidium tantæ pecuniæ dare, vel fundum aut domum cedere.

Ratio dubitandi proponitur.

Pro resolutione iterum advertendum est: Donationes illas gratuitas dupliciter considerari posse. 1. Ut omnino ab invicem disgregatæ sunt, tam in causa quàm in effectu: 2. Ut sunt ad invicem reciprocæ, & cum aliqua dependentia relativæ, quæ exprimi possunt, *Do, quia das; vel do, ut des, vel do, quia dedisti*, His sic prænotatis sit

CONCLUSIO I.

NOn licet dare vel recipere aliquid temporale pro Beneficio, vel re spirituali, quantumvis donatione gratuita, si sit donatio reciproca vel relativa.

Ratio est: Quia tales donationes diminuunt per se rationem gratuiti, & includunt quoddam pactum, virtuale saltem retributionis velut debitæ, eò quòd una propter aliam respective fiat, Ex. g. *do quia das*, exprimit donationem unius esse causam donationis alterius, sine qua non daretur: Item *do, ut des*, exprimit obligationem donationis temporalis ob spirituale vel econtra, sine qua donatio non fieret: *Do, quia dedisti*, retrotrahit causam donationis præsentis ad præteritam donationem, ita ut præsens per modum obligationis fiat: ita ut omnia suprad. cta includant, vel designent, sive insinuent obligationes quasdam diminuentes gratuitum, quod in Beneficiorum collatione debet esse purissimum, & defæcatissimum.

CONCLUSIO II.

Licet donationes merè gratuita.

DOnationes merè gratuitas & liberales temporalium, si omnino disgregata sint, non includere aliquam Simoniam, etiamsi fiant ad personas, a quibus quis Beneficium spirituale accepit.

Explico: Petrus mihi purè gratis cessit, vel resignavit Beneficium suum, post aliquod tempus incidit in paupertatem vel necessitatem, ego purè gratis traditione paupertatis vel necessitatis do illi summam pecuniæ, etiam memor Beneficii accepti: non est Simonia.

Ratio est: Quia donationes illæ omnino disgregatæ sunt, nec aliquo debiti vinculo colligantur, aut ab invicem dependent: Etsi enim prior Beneficii cessio sit aliquod motivum gratitudinis meæ, non tamen debiti, & cùm disgregatis omninò causis & actionibus fiant, nullum inter se vinculum dicunt. Item: Joannes Patronus mihi Beneficium Ecclesiasticum aliquando contulit merè gratis, post aliquod tempus, Officio temporali vacante, memor Beneficii mihi præstiti procuro illud pro Ioanne; nulla est Simonia, quia sunt omnino disgregatæ actiones, quæ nullo modo à se invicem dependent, etsi prior collatio sit motivum liberalis gratitudinis, non tamen debiti, quia nullo vinculo ad id tenebar.

Ratio dubitandi satisfit.

Ad rationem dubitandi, Respondeo eam pro 2. parte seipsam destruere: Insinuat enim donationem gratuitam esse, & non gratuitam: Gratuitam quidem, quia donationis fundamenta habet; non gratuitam autem, quia reciprocam donationem alterius intendit; quæ exprimitur in particulis, *do, ut des; do, quia das; do, quia dedisti*: nec est simile de temporali, quod datur pro sustentatione Ministrorum, utrumque enim temporale est; & quod datur, & sustentatio, pro qua datur, estque obligatio non ex contractu, sed ex lege Divina, conformiter ad naturalem, orianda, fateor verò multa speculativo hic posse intercurrere, quæ in speculatione aliquam probabilitatem præ se ferunt; sed in praxi non sine murmure conscientiæ proponuntur, & ut plurimum, si mentiamur nobis & hominibus, non possumus tamen mentiri Deo.

QUÆSTIO X.

An liceat absque Simoniæ labe aliquid recipere ab ingredientibus Religionem.

PLacuit hanc Quæstionem his generalibus verbis proponere, ut omnia ad hanc materiam spectantia, plenius resolvantur. Antequam tamen ad eorum resolutionem descendam, aliqua sunt diligenter advertenda.

In ingressu Religionis aliquid dari potest

Advertendum igitur est. 1. Tripliciter aliquid dari aut recipi posse in gressu Religionis.

1 Pro Dote, alimento sive sustentatione illius, qui Religionem intrat.

2. Pro Pastu, prandio, & nonnullis præstationibus, quæ ad solemnitatem vel quandam consuetudinem pertinent.

3. Pro ipso Ingressu, sive gratia, quæ in receptione ad Religionem præstatur.

A Simonia excusatur Moniales per declarationes Pontificum. Innocent. VIII.

Advertendum 2. Omnes Antiquos tenere generaliter: Quod si opulentum & abundans Monasterium pro sustentatione & alimentis (ut loquuntur) ingredientis aliquid recipiat, non tantùm peccat simpliciter, sed etiam Simoniam committere. Ita S. Thomas in 4. d. 25. qu. 3. a. 2 ad 7. ubi sic loquitur: *Si sine gravamine Monasterii potest recipi* (Novitius,) *Simoniacum est aliquid exigere*: Quem sequuti sunt Doctores communiter ex argumento c. *Veniens ad nos*, & c. *Dilectus*, de Simonia.

Advertendum 3. A Simonia excusari Monialium Monasteria quantumvis opulenta, si paciscantur de Dote pro alimentis & sustentatione, ex declarationibus Pontificum Innocentii VIII. & Clementis VII. Quorum prior declaravit: *Moniales* (*quia nesciunt discernere inter intentionem primariam, quæ causat Simoniam nisi in duobus casibus, scilicet, Quando paciscuntur de aliquo dando vel solvendo pro ingressu Religionis: Et quando recipiunt inhabiles ob spem aliquid habendi, quia tunc illa est principalis intentio.*

Clem. VII

Posterior autem Clemens VII. declarat, *Religiosas, quæ sub cura Fratrum Minorum, degunt, nullam incurrere Simoniam ex pactionibus & conventionibus, quas faciunt in receptione intrantium Ordinem ipsarum, super Doribus*

tibus recipiendarum, pro congruenti & sufficienti sustentatione earum. Ita Clemens. Vide Hieronymum à Sorbo in compendio privilegiorum Mendicantium *V. Moniales* n. 16. & 31.

Advertendum 4. occasione harum declarationum gravissimos Auctores aliter locutos esse de monasteriis virorum, aliter de monasteriis Monialium; inter quos Tamburinus, qui tom. 3. de jure Abbatum disp. 6. q. 9. censet esse peccatum, si in divitibus monasteriis virorum recipiatur aliquid causâ dotis & sustentationis. Ita enim loquitur: *Si monasterium dives est, Abbas non potest quicquam absque simonia recipere.* Et subdit: *Nec Abbas à simonia vulnere tutus est, taxando, ut determinatum quid detur, vel pactum faciendo de servanda consuetudine.* Et nihilominus de jure Abbatissarum disp. 5. q. 3. docet opulentiam monasterii Monialium, in earum receptione non impedire, quò minus de dote pro Monialium sustentatione pacifcantur. Quæ omnia qualiter simul consistant, enucleatius hic examinandum est. Ut igitur distinguamus certa ab incertis, pono sequentes conclusiones.

CONCLUSIO I.

Quando liceat pro sustentatione pacisci?

IN Religionibus possidentibus licitè recipiuntur Dotes, & alia, quæ ad alimentum & sustentationem illius, qui religioni incorporatur, pertinent, si monasterium non sit abundans & dives absque labe simoniæ. Ita Clemens VII. apud Compendium privilegiorum Mendicantium *V. Moniales*. §. ult. & est communis Theologorum, quos longè latèque citatos vide apud Tamburinum de jure Abbatissarum, disp. 5. q. 3. Et quamvis ordinariè loquantur Pontifices de Monialibus; Idem tamen cum proportione intelligendum est de viris, quando monasteria sunt tam tenuia, ut non possint sustentationem præstare illa ingredientibus, nisi ingredientes aliquid secum inferant, vel aliunde tribuatur ut notat Tamburinus tom. 3 de jure Abbatum disp. 6. q. 9. ex glossa in c. *Non satis*. de Simonia.

Ratio verò est: quia si Monialibus accipere dotem pro sustentatione & alimentis (id declarantibus Pontificibus) non sit Simonia, cùm sit par ratio de viris, si quid similiter accipiant pro sustentatione, simonia non erit: neque enim sustentatione emitur ingressus Religionis, sed sustentatione præstita, necessitati Monasterii providetur.

CONCLUSIO II.

NUmquam licuit aut licet pacisci cum ingredientibus Religionem de Dote, vel aliqua donatione, nisi pro causa alimenti & sustentationis congrua, sive, ut loquitur Clemens, pro congruenti & sufficienti sustentatione, *prout sustentatio dicit necessaria vitæ, ut victum, vestitum, medicamenta & alia hujusmodi.*

Hæc est doctrina omnium Doctorum conformis Canonibus; & Pontifices in suis privilegiis & Declarationibus hoc ipsum semper supponunt.

CONCLUSIO III.

In monasteriis opulentis pacisci pro causa alimenti peccatum avaritiæ est

SEmper reputatum est in Ecclesia Dei peccatum grave avaritiæ si opulentum & non indigens Monasterium pacisceretur vel reciperet ex conventione aliqua bona ab ingredientibus, titulo sustentationis & alimenti. Ita doctissime & verè christiane Navarrus l. de redit. Ecclesiæ q. 1. monit. 62. ubi potenter invehitur in Abbatissas monasteriorum opulentorum, quæ etsi plus quam sufficientia possideant ad omnem congruam sustentationem Monialium, nihilominus à singulis intrantibus Dotes eo titulo exigunt: & ut plurimum hæc receptis, nec recipiendis necessaria ad victum, vestitum, minus ad medicamenta donant. Unde non tantum contra justitiam peccant, sed & intentiones Fundatorum & Ecclesiæ defraudant, & prætendentes titulum sustentationis, & sufficientis ac congruæ educationis, Spiritui sancto mentiuntur. Certè ad hæc evitanda provisum fuit in c. *Periculoso*. de Statu Regul. in 6. §. Sanè, ubi Pontifex: *Districtius* (inquit) *prohibemus, ne in Monasteriis Ordinum non Mendicantium aliquæ reperiantur Sorores, nisi quot poterunt de ipsorum monasteriorum bonis sive proventibus absque penuria sustentari; si secus actum fuerit, irritum decernentes.* Quod & in Concilio Tridentino sess. 25. c. 3. De Reformatione Regularium renovatum est, dum mandat, ut *in monasteriis & domibus, tam virorum, quàm mulierum is tantum numerus constituatur, & in posterum conservetur qui vel ex propriis reditibus monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè possit sustentari.* Quæ omnia saltem supponunt obligari monasteria ad alendas personas Religiosas in eis receptas, vel deinceps recipiendas, si sufficientes reditus habent, vel aliunde ipsis suppeditetur. *Trident.*

Ratio verò conclusionis est: Quia cùm monasterium, ut supponitur, abundans & dives, eique divitiæ acquisitæ & traditæ sint sufficientes ad sustentationem Religiosorum, vel Monialium, ad minus peccato indignæ Religiosi Status avaritiæ peccant, & Spiritui Sancto mentiuntur, qui abundante divitiis monasterio ad sustentationem certi numeri Religiosorum, sub titulo necessitatis iterum de alimentis & sustentatione paciscuntur.

Dico (ad sustentationem certi numeri) ubi enim notabiliter excederetur numerus respectivè ad divitias monasterii, liceret pro supranumerariis pacisci de alimentis.

***

CONCLUSIO IV.

Antiquitus imposita fuit poena simoniae.

PActionibus & conventionibus factis cum ingredientibus de Dote vel subsidio dando, extra casum necessitatis, ubi monasterium sufficienter fundatum & opulentum erat, antiquitus imposita sunt poena simoniae, & declarata simonia saltem praesumpta tam juris Divini quam humani.

Hanc conclusionem colligo ex c. *Quoniam*, de Simonia, quod est Concilii Lateranensis, ubi sequentia leguntur: *Quoniam simoniaca labes adeò plerasq. Moniales infecit ut vix aliquas sine pretio in Sorores accipiant, paupertatis praetextu volentes hujusmodi palliare vitium: Ne id de caetero fiat, penitus prohibemus.* Ex quibus verbis constat judicasse Concilium, Moniales recipientes Sorores cum pretio praetextu paupertatis, id est, tenuitatis & indigentiae monasterii, si vere paupertas non erat, sed tantum palliatio, incurrisse Simoniam sive Simoniacam labem. Constat autem monasterium dives & opulentum, si recipiat dotem, vel de illa paciscatur sub titulo alimenti vel sustentationis congruae, praetextu indigentiae illam recipere, & actum de se difformem & peccaminosum velle palliare, & consequenter simoniam incurrere.

Nonminus apertè illud concludit Extravagans I. Urbani IV. quae incipit *Sanè ut in vinea Domini*, tit. de Simonia, in qua pastus, prandia, pecunias, jocalia, & res alias, etiam ad pium usum deputandas, dantes & accipientes pro religionis ingressu, si sint singulares personae excommunicationis poenâ, si verò Conventus vel Capitulum suspensionis Sententia ipso facto feriuntur, cujus utriusq; vinculi absolutio soli Papae reservatur. &c. nisi ingredientes aliquid sponte & sine pactione obtulerint.

Cur actus verò ille, quo mendaciter, sub titulo sustentationis & alimentorum de supradictis transigebatur, vitio simoniae inureretur. Ratio mihi est: Quia cùm alii fines tunc deficiant, nimirum pro victu, vestitu, medicamento, aut vitae commoditatibus, nullus alius finis conveniens assignari potest, quàm pro Religionis ingressu, sive quia ad Religiosarum societatem admittitur, quod cùm sit spirituale, & pro illo temporale censetur dari, interpretativa Simonia juris Divini est: Quia tamen alia posset intentio distrahens intervenire, ut ad pompaticè & sumptuose vivendum, ad monasterii potentiam extollendam, qui tituli quamvis vitiosi, temporales tantum sunt, simoniam saltem juris humani huic perverso de se actui ecclesia adjunxit, sive potius Simoniae poenas; ut jam discuri sumus.



CONCLUSIO V.

POntifices dispensantes cum Monialibus, ne in pactis & conventionibus factis cum ingredientibus Religionem incurrant simoniam, tantùm abstulerunt poenas, non verò aboleverunt peccatū, quod ex natura actus consurgit, quale est avaritia, mendacium, scandalum &c.

Explico: Quando Innocentius VIII. declaravit Moniales non incurrere simoniam, quando de dote paciscuntur, non approbavit pacta, quae absq; necessitate, Conventu abundante & satis opulento, peccaminose fiunt, sed tantum poenam simoniae abstulit. Hoc ex ipsis verbis manifestum est, rationem hujusmodi suae declarationis ponit, ad angustias conscientiarum tollendas: *Quia* (inquit) *Moniales nesciunt discernere inter intentionem primariam quae causat simoniam, & secundam, nunquam incurrant simoniam, nisi in duobus casibus scilicet: Quando paciscuntur de aliquo dando vel solvendo pro ingressu Religionis: Et quando recipiunt inhabiles ob spem aliquid habendi, quia tunc illa est principalis intentio.* Unde non justificat intentiones, nec culpas aut peccata aufert, sed in casu quo tam deformis fuisset intentio, ut ob illam simoniae poenam incurrerent, declarat illas à simoniae poenis liberas, non tamen justificat actus peccaminosos, sed suae relinquit qualitati. Quod etiam Clemens VII. judicavit, dum non ab omni pactione & conventione poenas abstulit, sed tantum ab iis, quę titulo congruentis & sufficientis sustentationis fiunt, ita ut etsi titulo ficto falso vel mendaci fiant, non ob id Moniales simoniae poenas incurrāt, coram Deo tamen non justificentur: Manifestum enim est pacta quae ab opulento & divitiis abundante monasterio cum ingredientibus fiunt pro alimentis & sustentatione congrua, mendaciter & prava intentione fieri, cum illis monasteriū non indigeat. & pallium iniquitatis esse cujuscumque tandem qualitatis sit, quam iniquitatem Pontifex tollere non potest, cum de se & per se peccatum sit contra justitiam, & mandata Dei, ut supra est dictum.

COROLLARIUM.

Conciliatur Doctorum sententia.

EX his concordari possunt Doctores de hac re loquentes.

Conveniunt enim omnes 1. licere, causa vera subsistente, pacisci tam in monasteriis virorum, quàm feminarum, cum ingredientibus pro sufficienti & congrua sustentatione absq; periculo peccati: Causam verò legitimam subsistere, cùm monasterium est tenue, & sine incommoditate sua plures suscipere non potest, & interdum vix susceptos congruè sustentare.

Conve-

Conveniunt 2. nullatenus licere per se opulento & abundanti monasterio, de talibus dotibus cum ingredientibus pacisci; quia conventio illa est in se iniqua, & fictionem ac mendacium saltem implicitum includit, prout superius sæpius declaratum est.

Restat ergo ut & in 3. conveniant: Dispositiones sive dispensationes pro monialibus factas, ut non incurrant simoniam, esse tantum dispensationem in pœnis, non autem in peccato, idq; propter earum fragilitatem, & quod non possint discernere inter suas intentiones. Supponit enim Clemens VII. pacta ista non posse fieri, nisi pro congrua & sufficienti sustentatione, supposito quod desit: Innocentius etiam VIII. vult simoniam incurri, si aliquid pro ingressu detur: imò & pro ingressu dari præsumitur, quando persona aliqua alias incapax & inhabilis propter spem pecuniæ, quam datura est, ad religionem admittitur.

CONCLUSIO VI.

In professionibus licet facere honesta convivia.

IN Professionibus licet liberaliter aliqua honesta convivia in gratiam solemnitatis facere, imò & aliqua munera offerre, modo excessiva non sint, & in pactum vel obligationem non transeant, secundum consuetudinem patriæ & regnorum.*

Ratio est: Quia hujusmodi sunt tantum signa honestæ lætitiæ, quâ Amici sibi invicem, & Religioni congratulantur: Etsi tamen in reformatis Conventibus jam prohibeantur; non quia mala sunt, sed quia inquietudinem causant, & aliquos abusus ordinarie secum trahunt.

Ad Extrav. *Sanè*. Urbani jam sæpè citatam, quæ prohibet pastus, jocalia, &c. dari vel accipi sub pœna excommunicationis.

Respondeo, illam intelligendam esse de quibusdam excessivis conviviis & muneribus, quæ ingredientes religionem ex pacto & conventione, non tantum monasteriis, sed etiam personis debebant offerre, & quæ velut jure exigebantur, quia intuitu ingressus religionis ex obligatione dari censebantur. Qui abusus adhuc in aliquibus monasteriis vigent, quibus coguntur parentes ingredientium aliqua jocalia Abbati, alia Ecclesiæ, & certas pecunias Officiariis offerre, ac taxata convivia ad certos dies celebrare. Et illa sunt, quæ per dictam Extravagantem prohibebantur: Etsi autem dicta Extravagans, quoad pœnas, consuetudine sit abrogata; culpas tamen graves in similibus committi, ecclesiæ quotidianæ prohibitiones ostendunt, & ipsa rei difformitas clamat.

CONCLUSIO VII.

PRo ingressu religionis, sive ipso statu Religioso ineundo, aliquid ex pacto dare vel accipere Simonia est.* Est communis Canonistarum & omnium Doctorum.

Ratio est: Quia status religiosus, ipsiusque ingressus, sive professio est verè aliquid spirituale, pro quo aliquid temporale ex pacto dare vel recipere, sacrilegæ Simoniæ est crimẽ incurrere, ut superius est dictum.

QUÆSTIO XI.

An liceat aliquando obsequium & beneficium aliquod temporale recognoscere beneficio ecclesiastico, vel etiam spirituali?

CONCLUSIO.

SI nullum omnino intercedat pactum aut vinculum obligationis, licitum est beneficio Ecclesiastico, vel etiam spirituali recognoscere Obsequium & beneficium temporale.

Sic licet Episcopo domesticis suis beneficia largiri, ob quandam recognitionem fidelitatis, & honorarium suæ probitatis: Sic benè meriti de aliqua Ecclesia ob servitium etiam temporale præstitum, aliis ordine charitatis & gratitudinis proferuntur, & sæpiùs isto intuitu iis justè & legitimè beneficia præstantur: Quinimò licet iis, qui Ecclesiasticis vel etiam Ecclesiis deserviunt ut Capellani, intendere fideli servitio, aucupari Canonicorum vel Prælatorum gratiam, ut opportunè beneficio aliquo potiri possint: modò non detur in stipendium obsequii præstiti, & nullum pactum vel obligatio etiam indirectа intercedat.

Hic verò notandum est: In omnibus his semper agi de obsequiis temporalibus: licet enim etiam pacisci, si obsequia sint spiritualia. Ex. g. aliquis Vicarius, tempore senectutis vel infirmitatis Pastoris, administrat omnia Sacramenta, & in spiritualibus curæ pastorali desudat, cum obligatione, ut succedat in locum Pastoris: Hic Simonia non est, quia utrumque spirituale est, & beneficium Ecclesiasti cum per actiones sacras & spirituales acquiritur.

QUÆSTIO XII.

An aliquando in Sacramentorum administratione, Beneficiis &c. liceat pecuniam dare ad redimendam gravem vexationem?

SEnsus quæstionis est: Sacerdos, ut me vexet non vult baptizare puerum, vel audire confessionem moribundi, nisi illi aliquot aureos pendam: Item: Obtinui beneficium vexor à Petro se opponente fictis inventionibus, ne possessionem adeam: An possim illi dare pecuniam, *Sensus quæstionis*

niam, ut cesset à molestia inferenda, & pacificam beneficii possessionem adire valeam.

CONCLUSIO.

Ad vexationem redimendā licet pecuniam dare.

AD meram vexationem redimendam tam in Sacramentorum susceptione vel administratione, quàm in beneficiis adeundis, licet absq; simoniæ labe pecuniam dare.

Ratio est: Quia vexationis redemptio est per se quid pecuniâ æstimabile, & bonum mali temporalis privativum: Ergo pecunia redimi potest. Unde in exemplis allatis licet, ut me à molestia Sacerdotis nolentis Sacramenta necessaria administrare, liberem, illeque à molestia injusta cesset, dare aliquot aureos: Hæc enim pecunia nec pro Sacramento, nec pro administratione Sacramenti, nec pro beneficio, aut jure beneficii datur, sed merè ad tollendum injustum impedimentum, aut iniquam vexationem, ut meo bono & jure mihi competente uti possim.

Dices: Qui pecuniam recipit, intendit illam recipere pro administratione Sacramenti, vel beneficio, quod tibi velut cedit, & ut juri, quod prætendit, renunciet. Respondeo: Intendat, quidquid illi malitia suggerit; prava enim ejus intentio non potest vitiare meam, si simplex sit & sincere bona.

Dixi in conclusione *(ad meram vexationem redimendam)* distinguunt enim hic benè Auctores quoad personam, cujus vexatio redimitur: Aut enim tantùm obesse potest, aut etiam potest prodesse. Deinde. Aut id, in quo prodesse potest, est aliquid positivum in ordine ad obtinendum beneficium, aut est remotio aliqua vexationis, vel impedimenti in tertio, qui vexam, vel injustum impedimentum ponit. Quibus benè consideratis: Dico: pecuniam posse dari ad redimendam vexationē meram, sive inferatur ab illo qui pecuniam recipit, sive ejus operatione ab alio: Non licere tamen dare pecuniam alicui vexanti, in ordine ut prosit, utpote, ut suffragium & votum det, ut Collatorem ad conferendum beneficium promoveat: Hæc enim ex fine & ordine ad promotionem, Simoniam continent, vel Simoniæ speciem. Igitur solùm pecunia donari potest ad meram vexationem tollendam, non alio respectu: sive ut desinat nocere, vel ut impedimentum tollat, quod injuriosè ponit.

***

TITULUS VII.

De Simoniæ pœnis, earum Absolutionibus ac Dispensatione.

QUÆSTIO I.

Cui Simoniæ pœnæ jure Canonico decretæ sint?

CONCLUSIO I.

Simonia merè mentalis, & quæ in externum aliquem actum non prodiit, etsi peccatum mortale sit, nullas pœnas à jure Canonico assignatas habet.

Simonia mentalis nulla pœna decreta sunt.

Ratio est: quia ecclesia in judicio externo de merè internis non judicat, ideoque nullas pœnas statuere potest.

CONCLUSIO II.

Simonia conventionalis tantùm, id est, ea, quæ omnino completa non est, sive quādo conventio vel contractus nullum secuta sunt effectum, etiam pœnas a jure statutas non habet.

Ratio est: Quia, ut supponitur, crimen adhuc completum non est, licetque absque Ecclesiæ detrimento ab illo resilire, etsi tamen peccatum etiam gravissimum mortale sit, & multo gravius sola mentali Simoniâ.

Dixi *(quæ omnino completa non est)* fieri enim potest, ut quis, quod spirituale est, dederit, ut beneficium; pecuniam autem, quod temporale est, nondum receperit; aut è contra unus pecuniam, sive quod temporale est, dederit, necdum autem beneficium acceperit: In his casibus existimo, etsi (ut suprà repetitum est) uterque peccaverit, non tantùm paciscendo, sed etiam in vim pacti ex parte complendo, non tamen incurri pœnas simoniæ.

Ratio est: Quia in foro externo necdum simonia completa est: potest enim & qui spirituale dedit, antequam recepit temporale, resipiscere, & temporali omni renuntiare, & qui temporale similiter dedit aut recepit, ab omni receptione spiritualis abstinere, imò & temporale restituere, ita ut conventio destruatur, nec sortiatur effectum: Unde his positis conventio meritoriè destrueretur, quæ peccaminosè fuerat facta, & simoniæ peccatum, quoad effectū, incompletum manebit. Solùm autem completam in effectu simoniam pœnas incurrere traditur in Extrav. *Cùm detestabile*, in qua pœnæ decernuntur iis, *qui conventione facta, quomodolibet dando vel accipiendo Simoniam commiserunt*: Non committitur autem dando vel acci-

accipiendo Simonia, nisi utrumque temporale pro spirituali, & econtrà jam datum & & acceptum sit: In casibus autem supra dictis, utrumque datum & acceptum non est, sed tantùm alterutrum, ita ut à donatione vel receptione alterius, in quibus completur Simonia, resiliri & abstineri possit. Et ita declaratum fuisse in quadam Decisione rotæ refert Quaranta V. *Simonia*, in additione 1.

CONCLUSIO III.

Soli Simoniæ reali decreta sunt pœna jure communi ipso facto incurrenda, idq; in tribus, nimirum: *In ordinum Susceptione vel Collatione, in beneficiis, in Religionis ingressu.*

QUÆSTIO II.

Quæ, & à quibus pœnæ Simoniæ in Ordinum Collatione vel Susceptione incurruntur?

CONCLUSIO I.

Pœnæ simoniacè Ordines conferentium.

Conferens Simoniacè Simoniâ reali Ordines has pœnas incurrit.

1. *Excommunicatus est*. Ita in extrav. *Cum detestabile*, de Simonia.

2. *Suspensus à Collatione cujusvis Ordinis, & primæ Tonsuræ*. Ita Sixtus V. in Bulla, quæ incipit, *Sanctum & salutare*. §. Certum siquis Antistes, quæ etsi per Clementem VIII. quoad cætera sit reducta ad jus commune, quoad prædicta tamen, duæ Simoniacos contingunt, subsistit, & in vigore est, ac per Clementem prædictum confirmata.

3. *Suspenditur ab executione omnium Pontificalium* ibidem.

4. *Interdicitur illi ingressus Ecclesiæ; & si Suspensionē vel Interdictum transgressus fuerit, æternum suspenditur ab administratione sua Ecclesiæ, & perceptione fructuum suorum beneficiorum*. Vide Bullam Sixti allegatam, & Clementis VIII. quæ incipit: *Romanum Pontificē*, datam anno 1595.

CONCLUSIO II.

Pœnæ simoniacè Ordines suscipientium.

Qui ordinem aliquem Simoniacè suscepit, has incurrit.

1. *Excommunicatus est* Extrav. *Cum detestabile.*

2. *Ab executione ordinum susceptorum per decennium suspenditur, cum pœna carceris per annum*. Ita Pius V. in Bulla quæ incipit, *Cum primùm*, data Kalendis Aprilis anno 1566. Sixtus verò V. suprà addit: *suspensionem perpetuam ab ordine suscepto & inhabilitatem ascendendi ad superiores, nec non irregularitatem, privationem omnium dignitatum, beneficiorum, vel officiorum, quæ suscipientes Simoniacè ordines tunc possident: Absolutionem, & dispensationem etiam sibi, sive Romano Pontifici reservat.*

DUBIUM.

An qui pro litteris dimissoriis aut testimonialibus, sive etiam pro Sigillo aliquid accipiunt, vel donant, Simoniam, & Simoniacorum pœnas incurrant?

Ratio dubitandi est: Quia sic videtur innuere Concilium Tridentinum sess. 21. de reformatione c. 1. Vbi postquā illa prohibuit, generaliter subjungit: *Et qui secus fecerint, tam dantes, quàm accipientes, ultra divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant.* *Cōc. Trid.*

RESOLUTIO I.

Textus Concilii Tridentini non solùm facit mentionem de litteris privatis, & sigillo, ut pro illis nihil accipiatur, nec detur, sed etiam de Collatione ordinum, & Tonsura Clericalis, sub eadem prohibitione.

RESOLUTIO II.

Etsi dare vel recipere aliquid pro Collatione Ordinum, & Tonsura Clericalis sit vera Simonia ex natura terminorum, quia est dare & accipere temporale pro spirituali; dare tamen & recipere pro litteris & Sigillo non est Simonia.

Ratio est: Quia ipsa scriptio litterarum, charta sive pergamenum, & impressio Sigilli in rei veritate sunt actiones & res temporales, quæ communiter pretio æstimantur, & quod pro illis datur vel accipitur in stipendium dari censetur. Unde Concilium Tridentinum suprà de illis loquens, permittit Notariis pro dictis litteris dimissoriis & Testimonialibus, ut decimam partem aurei accipere possint, ubi non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi; & ubi prohibuit ne Episcopi ex emolumentis Notariorum aliquid accipiant, cassat quidem omnes omnino consuetudines in contrarium, non tamen dicit Simoniam esse, Sed tantùm Simoniacæ pravitati favere, quasi ad Simoniam viam aperiat, non autem verè sit Simonia. Neque enim si Simonia esset, id Notariis permitti posset, potiùs quàm aliis. Unde sic *Trident.*

RESOLUTIO III.

Secretarii & scribæ Episcoporum, qui aliquid accipiunt pro litteris aut Sigillo, aut illi qui dant, non incurrunt etiam in vim Concilii Tridentini (etsi contra præceptum Concilii graviter ob graves consequentias peccent) pœnas Simoniæ.

Ad verba itaque Concilii Respondeo; Distributivè illa accipienda esse secundum mate-

materiam, in quam cadunt; *Et qui scens fecerint, tam dantes, quàm accipientes, ultra Divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipso facto incurrant*: Collatores quidem Ordinum & Tonsuræ Clericalis; & qui eis pro receptione aliquid donant, pœnas Simoniacorum: Qui verò aliquid pro litteris accipiunt vel donant alias, si quæ in jure reperiantur. Et sanè durum esse pœnas Simoniæ incurri pro eo, quod Simoniæ subjectum non est, & quod in Notariis tolleratur, in Secretariis tanquam Simoniam condemnare. Prohibitio igitur Concilii Tridentini respectu litterarum Dimissorialium & Testimonialium accommodè est intelligenda, ita ut non ratione Simoniæ prohibeatur, sed ratione abusuum, & lucri inhonesti, quod ad Simoniam viam sternere poterat, ut verba ipsa Concilii indicent. Servanda tamen est dicta prohibitio in terminis suis, etsi enim res in se considerata non videatur adeò gravis, pessimas tamen & graves habet consequentias ratione abusuum, quos Mater Ecclesia est experta.

QUÆSTIO III.

Quæ, & à quibus pœnæ Simoniæ in beneficiis incurruntur?

Conclusio I.

Simoniacè promoventes quovis modo sunt Excommunicati.

Collatores, Patroni, Institutores, Electores, Nominatores, qui quivis modo Simoniacè aliquem ad beneficia Ecclesiastica & Dignitates promovent juxta modos directos aut indirectos in superioribus explicatos, sunt Excommunicati. Vide Extrav. *Cùm Detestabile.*

Conclusio II.

Qui procurant, quærunt, consentiunt, sive etiam scienter permittunt se ad aliquod beneficium Ecclesiasticum, vel dignitatem promoveri Simoniacè, ut suprà, *præter excommunicationem, quam incurrunt*, ut suprà.

1. *Collatio sive provisio est nulla, nec ullum jus tribuit sive ad beneficium, sive ad fructus ex beneficio provenientes.* Ita clarè in Extravagante *Cùm detestabile*, suprà, in qua declarantur expressis terminis, *Electiones, Præsentationes, Collationes, & alia Provisiones beneficiorum per Simoniam realem facta esse irrita, & nullum jus tribuere, nec provisos facere fructus suos, sed sub periculo animæ suæ ad eorum restitutionem teneri*, Hæc ibi.

2. *Qui Simoniacè promovetur, inhabilis fit ad idem beneficium obtinendum*, ut habetur c. *Nobis fuit*, de Simonia, & cap. penult. de Electione.

Dixi in conclusione (*qui consentiunt, sive etiam scienter permittunt*) Si quis enim tibi per Simoniam beneficium procuret, te penitus inculpabiliter ignorante, vel si scilveris, te expressè & formaliter contradicente, ita ut tuæ contradictioni paritum fuisse putes, pœnas juris non incurris: In primo tamen casu, etsi non incurras Excommunicationem, fis tamen inhabilis pro ista vice, ut beneficium illud tibi conferatur: Quod intelligendum est, si ante provisionem completam aliquid sciveris: Quamdiu enim ignorantia inculpata durat, tamdiu tutus in conscientia es.

Unde notandum est: Quòd Simoniacè promotus, etsi per ignorantiam inculpatam, ubi de Simonia posteà sibi constiterit, teneatur beneficium resignare nisi secundò sibi legitimè procurer conferri.

Ratio est, quia prima Collatio sive Provisio verè fuit irrita: Etsi, ut dixi, qui Simoniacè provisionem completam inculpabiliter ignoravit, nullam culpam vel pœnam incurrat, ne quidem inhabilitatis. Nam c. *Nobis fuit*, & cap. *sicut tuis litteris*, dum dicunt ignorantem incurrere inhabilitatem ad idem beneficium, ita ut absque dispensatione non possit illud ipsi ista vice conferri; supponunt inhabilitatem tantùm esse ad primam Collationem, & inhabilitatem supervenire ante collationem omni ex parte istâ vice completam; unde cùm absque ulla culpa Possessioni pro prima vice adierit, etsi superveniente scientiâ provisio prima irrita sit, ad secundam tamen inhabilis non est, unde secundâ vice illi absque dispensatione provideri poterit.

c. Nobis fuit. & sicut tuis litteris.

Excusatur verò in cap. *Nobis fuit*, à resignatione beneficii is, cui inimicus aliquis beneficium Simoniacè impetravit, ut ipsi illam vexationem causaret, & invalidâ Provisione inhabilem redderet: Quia fraus & dolus, sicut inimico non potest patrocinari, sic nec debet innocenti nocere. Excusatur etiam, qui expressè contradixit, & omnem movit lapidem ne pecunia daretur, & ut suprà dixi, suis contradictionibus satisfactum omninò credidit, talis enim reverà declaratur ab omni culpa & pœna immunis in cap. *Sicut tuis litteris*, sæpè citato: Nec dolus alienus illi nocere potest, cui nec directè nec indirectè consensit, cùm in manifestam ejus injuriam, ipso contradicente & ignorante, res sit facta: Nam ut benè cit. caput: Ex eo quòd contra prohibitionem & voluntatem tuam (à qua postmodum minimè recessisti) aliquis, te penitus ignorante, pecuniam promisit & exsolvit, nihil debet tibi ad pœnam vel culpam imputari, nisi posteà consenseris pecuniam solvendo promissam, aut reddendo solutam.

Dubium.

Petrus A Joanne, post beneficium adeptum, & plenam possessionem ejus reperitur ab Amico, qui illo contradicente & ignorante beneficium Simoniacè procuravit, expensa in illius bonum & favorem pecunia:

cunia: Vel Parens vult illam pecuniam in partem fortis vel hæreditatis eius deducere: An Ioannes possit pecunias dictas refundere? Aut quia pecunia necdum soluta est, sed tantum promissa, sollicitatur Ioannes, qui beneficium accepit, ut illam solvat: An Ioannes possit solvere, vel in suam sortem deducere absque Simoniæ labe, & incursu pœnarum?

Lessius. Leonardus Lessius l. 2. de justitia cap. 35. dub. 25. Probabile censet Ioannem, etsi absque culpa talem pecuniam refundere nequeat, quia consentire in commissam Simoniam hoc ipso videretur; non incurrere tamen pœnas Simoniæ, nec teneri beneficium resignare: Et pro hac sententia citat Adrianum Quodl. 9. art. 3. Lit. C. Cujus ratio est: Quia cùm jam completa sit Collatio, & ex parte possidentis, ratione ignorantiæ inculpabilis, & apertæ contradictionis, beneficium sit legitimè adeptum, posterior consensus in factum Simoniacum eorum, qui procurarunt, priorem contractum jam absolutum invalidare non potest: *Sicut* (inquit

Adrian. Adrianus) *si quis pro beneficio sibi gratis collato, postea animo mercimoniali pecuniam solveret, non inficeretur, nec irrita redderetur prior Collatio legitimè facta.*

Verum (salva dicentium auctoritate) Respondeo: *Ioannem sic in factam Simoniam per Procuratores, etiam ipso aperte dissentiente, & datam vel promissam pecuniam ignorante, si postea sciens consentiat, & refundat vel solvat non tantum peccare, sed pœnas Simoniæ incurrere, & ad resignationem beneficii ipso facto teneri, nisi aliunde excusetur.*

Ratio mea est: Quia consensus ille & pecuniæ refusio vel solutio est verè moraliter pars Contractus Simoniaci, & velut illius complementum, & ad illum, ut ad suum totum refertur. Quod sic declaro. 1. Quia supponitur vel solutio jam facta pecunia aliena nomine Ioannis, qui refundere illam debeat, vel pecunia Ioannis contractum Simoniacum demum absolvendum, si pecunia necdum data erat. 2. Supponebatur Ioannes consensurus cùm pecuniam daret vel refunderet: Adveniente igitur consensu Ioannis pecuniam refundentis, vel primùm solventis, Contractus Simoniacus de consensu Ioannis absolvitur, cùm quidquid actum est, nomine ejus actum sit, consensu ejus & largitione complendum. Unde qui procurarunt, non tantùm pro Ioanne beneficium procurarunt, sed nomine Ioannis, cum prætensione quòd ipse posteà consentiret, & refusione vel largitione pecuniæ (quæ est potissima pars contractus Simoniaci) ad contractum non tantùm per ratihabitionem, sed etiam per pecuniæ largitionem concurreret.

Nec est simile de eo, qui, beneficio gratis accepto, animo mercimoniali posteà pecuniam largiretur: Cùm enim beneficii collatio & acceptio in illo casu censeatur facta merè gratis, & absque ullo respectu directo vel indirecto ad posteriorem largitionem, posterior largitio beneficii absolutam Collationem & adeptionem inficere non potest, quia omnino disgregata est, & de novo posterius nata, quam nullatenus respexit prior Collatio & adeptio, estque omnino peraccidens, quòd beneficiarius posteà mercimonialem animum incongruè assumat. Unde & aperte cap. *Sicut tuis litteris*, ubi inculpatum asseruisset ignarum Simoniæ & aperte contradicentem, subdit: *Nisi posteà consenseris pecuniam solvendo promissam, vel reddendo solutam*; quasi dicat: Tùnc enim ad pœnam vel culpam, imò ad utrumque, imputabitur, hinc est, juris communis condemnatio te afficiet.

Dixi in responsione (*nisi aliunde excusetur*) Excusaretur autem si per aliquam violentiam, aut vexationem & injustitiam Joannes cogeretur pecuniam solvere, vel in suam sortem deducere, ut de vexationibus suprà diximus.

CONCLUSIO III.

MEdiatores, Procuratores Cooperatores in Simonia reali ad beneficia ut Parentes, Amici & omnes qui cooperantur ut beneficium Simoniacè impetretur, incurrunt excommunicationem. Leg. Extrav. *Cum detestabile.*

QUÆSTIO IV.

Quæ, & à quibus pœna Simoniæ incurrantur in Simonia, pro ingressu Religionis?

SUppositis iis, quæ huc spectantia diximus tit. præcedenti qu. 10. unicâ absolvo Conclusione,

CONCLUSIO UNICA.

SImonia, quæ committitur in ingressu Religionis, hæ pœna jure decretâ sunt.

1. Tàm dantes quàm recipientes aliquid ex pacto directo vel indirecto pro ingressu Religionis ipso facto Excommunicantur, si sint singulares personæ.

2. Conventus aut Capitulum, si in Simoniam consentiat, Suspensionis pœnâ plectitur, Pater utrumque Extrav. *fanè ne in vinea Domini* supra citatâ Concl. 4.

3. Simoniace recepti si ipsis id scientibus factum est, privantur loco suo, & ad solitudinem aut arctius Monasterium relegantur ad agendam pœnitentiam; si ipsis ignorantibus, renuntiare etiam loco coguntur, sed restitui possunt eidem, si sine scandalo fieri possit. Ita c. *de Regularibus*, de Simonia, similia statuuntur c. *Dilectus* eodem tit. Imò c. *Quoniam* idem statuitur quoad Recipientes.

Quæ

Quae jura, an quoad poenas has sint contraria consuetudine abrogata, hic non disputo: Hoc solùm noto: Innocentium VIII. dispensare cum Monialibus ne incurrant Simoniam, vel potiùs Simoniae poenas, nisi in duobus casibus, scilicet: *Quando puniuntur de aliquo dando vel solvendo pro Ingressu Religionis, & quando recipiunt inhabiles ob spem aliquid habendi*, &c. Vide quae supra diximus praenotato 3. & Conclusione 5.

QUAESTIO V.

Quis à Simonia absolvere, vel in poenis Simoniae dispensare possit?

PRo resolutione distinguenda est Simonia realis publica ab occulta, publica est, quae ad forum externum vel contentiosum est deducta: Occulta est, quae ad notitiam fori externi vel contentiosi non pervenit, sed vel qui commisit, sive illi qui commiserunt soli sunt conscii, vel beneficiato ignorante commissa quidem est, posteà tamen ad eius notitiam pervenit.

Rursus distinguendum est inter Censuras, & poenas, Censurae enim absolutione tolluntur; poenae dispensatione, & rehabilitatione eius, qui propter illas inhabilis est redditus. Ex. g. Qui Simoniam committit excommunicationem incurrit, & in ordinibus suspensionem: Haec ad censuras pertinent: praeter has verò censuras privatur beneficio, eique renuntiare tenetur, inhabilitatur ad illud, & ad alia in posterum obtinenda, ut in superioribus est dictum. His sic bene distinctis sit

CONCLUSIO I.

Simonia absolutio & dispensatio jure communi Papae est reservata

SOli Pontifici Romano omnis Absolutio & Dispensatio, sive Habilitatio, in Simonia jure communi reservata est.

Constat ex Extrav. & Bullis saepè citatis.

CONCLUSIO II.

EPiscopus potest ab occulta Simonia & Censuris absolvere, non tamen in poenis dispensare, aut quovis modo Simoniacum rehabilitare. Est Concilii Tridentini sess. 24. cap. 6. & ita declaratum fuisse à sacra congregatione Cardinalium refert Tamburinus de jure Abbatum disp. 14. n. 14. ex Garcia de beneficiis p. 8. c. 1. n. 74. duas declarationes proferens his verbis. Prior: *Episcopus etsi à Simonia occulta absolvere potest, non tamen Simoniacum rehabilitare ad beneficia in posterum obtinenda, nec ad ea retinenda, quae per Simoniam occultam obtinuit.* Posterior: *An Episcopus in vita hujus Decreti vel Capituli* (scilicet Concilii Tridentini sess. 24. cap. 9.) *poterit absolvere Sacerdotem suum subditum à Simonia occulta, & rehabilitare ad ordines & beneficia, tam obtenta, quàm obtinenda?* congregatio censuit, *potuisse absolvere, & ad ordines rehabilitare, non tamen rehabilitare ad beneficia, quibus propter Simoniam privatus fuisset, nec ad obtinenda.*

Ex quibus constat, qualiter Simoniacus pro tranquillitate suae conscientiae se debeat gerere, sive ut absolvatur, sive ut secum dispensetur. In omni enim casu, nisi Papa dispenset, & rehabilitet, debet beneficium vel Officium, quod obtinet, dimittere, nisi de facto ad Sedem recurrat, & dispensationem obtinere speret; eo enim tempore potest retinere beneficium, donec dispensationem obtineat, par tus animo dispensatione negata illud dimittere, & fructus indebitè receptos restituere.

Quid possint Superiores Religionum in subditos suos.

Quod verò Episcopis respectu suorum subditorum in Concilio Tridentino suprà concessum est, ipsum conceditur Praelatis Religionum in subditos suos, iis nimirum, qui potestatem quasi Episcopalem habent, ut sunt Generales, Provinciales, imò & superioribus conventualibus Religionum exemptarum, ut tenent Emanuel Roderiquez tom. 1. qq. Regul. qu. 61. a. 9. ex quadam Bulla Pii V. cujus verba refert, & P. Joannes de la Cruz l. 1. de statu religioso cap. 6. dub. 16.

QUAESTIO VI.

Quomodo in dispensationibus proloquium illud intelligi debeat: Solem pontificium omnes tenebras illustrare; Et de vero examine & intellectu dispensationum.

SOlent, qui dispensationes in beneficiis obtinent, sibi abblandiri, quasi potestas Pontificia in suis dispensationibus omnia illustret, & tollat, cùm saepissimè, vel praecipua impedimenta taceantur, & miris inventionibus Pontifex circumveniatur. Huc igitur revocanda sunt, quae diximus tom. 2. tr. 1. tit. 7. qu. 3. concl. 3. per totam, specialiter in 2. Regula generali, quae est talis: *Summus Pontifex non potest dispensare, virtute clavium sibi concessarum, in aliqua lege divina naturali vel positiva, sive in iis, quae praecisè ad legem Dei pertinent.* Ubi omnia ad hanc regulam spectant à partim probata sunt, partim explicata. Similiter huc revocanda sunt, quae ibidem, tit. 8. qu. 5. de dispensatione in lege Ecclesiastica sunt dicta. Bernard.

CONCLUSIO I.

SOl Pontificius in dispensationibus omnes tenebras illustrat, si tres conditiones adsint.

1. Si per lumen Solis Pontificii sint illustrabiles.

2. Si

2. Si à Sole lumen rationabiliter diffundatur.

3. Si lumini obex non ponatur. Quas conditiones sequentibus Conclusionibus explico.

CONCLUSIO II.

PApa dispensare non potest in iis, quae sunt juris Divini, nisi ratione alicujus substrati potestati Ecclesiasticae, ut in juramentis & Votis, adeoq; Sol Dispensationis Pontificiacae, quae repugnant juri Divino naturali vel positivo, illustrare non potest. Vide quae diximus tom. 2. loco suprà allegato.

CONCLUSIO III.

Non dispensat nisi ex causa rationabili.

BEneficia enim partim juris Divini, partim juris Ecclesiastici sunt; ita in iis, quae sunt juris Ecclesiastici dispensat, ut jus Divinum directè non attingat, ac semper rationabilem causam praesupponat.

Ratio est: Quia Dispensator est, non dissipator, & quamvis sit supremus Administrator, quicquid tamen facit, rationabiliter & ex causa facere praesumitur. Unde Sol Pontificius tenebras Simoniae, etiam quatenus jus Ecclesiasticum contingunt, illustrare non censetur, nisi rationabiliter diffundatur Sensus Conclusionis est Pontifex potest dispensare in Simonia, in quantum jure Ecclesiastico constituta est, sed dispensare non censetur, nisi causa rationabilis subsit. Tres autem Dispensationis causae assignari possunt: Bonum Ecclesiae, Malum Majus evitandum, Necessitas gravis dispensandi. Bonum Ecclesiae: quomodo cum Principibus & Magnatibus varie dispensatur. & Majus malum evitandum, ut in Beneficiis in terris Haereticorum vel Infidelium. Necessitas gvavis dispensandi, Ne peccator in suis peccatis moriatur, aut grave animae periculum incurrat. Et omnes causae rationabiles ad tria haec capita fere referuntur.

Triplex causa rationabilis Dispensationis.

CONCLUSIO IV.

NOn censetur unquam dispensare Pontifex, ubi obex Dispensationi in supplica sive Narratione ponitur.

Triplex autem obex poni solet. 1. Quando ad impetrationem Dispensationis falsum narratur. 2. Quando nonnulla in causae expositione necessaria dissimulantur. 3. Quando aliquod impedimentum, quod debet exprimi, tacetur: Explico: Impetrat Ioannes Dispensationem à Simonia, & cum conscius esset dati pretii, narrat se ignorasse, vel dissimulat singularem malitiam Ex. g. Confidentiae in procuratione Beneficii intervenisse, aut tacet se ad Beneficium inhabilem fuisse &c. Etsi talis Dispensatio cum plenitudine potestatis, & suppletione defectum, ac ex certa sententia da'etur, non tamen censetur valida, nec effectum habere, nec qui obtinuit, in conscientia tutus esse potest

Ratio est, quia *falsitas sicut & dolus nemini patrocinantur*: & omnes concessiones Pontificiae sub hac conditione datae intelliguntur: *Si preces veritate nitantur*; Et: *In generali concessione non veniunt ea, quae non esset quis verisimiliter concessurus si specialiter proponerentur*, de Regul. juris in 6. *De Reg. Iuris 56.*

Et ad has Conclusiones Dispensationes Pontificiae examinandae sunt nimirum: 1. Si objectum Dispensationis potestatis Ecclesiasticae subjacet. 2 Si non repugnet honestati & rationi. 3. Si nil falsum in illa narretur: Nil veritatis necessariae dissimuletur. Nullum impedimentum taceatur. Et haec de Simonia quantum spectat ad institutum nostrum.

Finis I. Partis, Tomi III. Tribunalis Sacramentalis.



TOM. III.

TOMI III. TRIBUNALIS SACRAMENTALIS

ET

VISIBILIS ANIMARUM IN HAC VITA MORTALI

PARS II.

DE STATU RELIGIOSO.

PROOEMIUM.



CCLESIASTICO Clericorum *Statu* examinato, ad alterum *Statum* procedendum est, qui medius inter Clerum & Populum ab antiquo constitutus est, & ab *Ecclesiastico* secundus, quem *Statum Religiosum* dixerunt : *Statum*, quidem ; quia immobilitate animi, & immutabilitate perpetuus est*: Nemo enim mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò* (Domini sententia) *aptus est regno Dei*:
Nec votorum perpetuorum ligatus vinculis seipsum ab eis eximere potest: *Religiosum*
verò *Statum* nuncuparunt; quia quidquid Virtutis *Religionis*, aut *Religiosæ* Vitæ est, Lucæ.9. 68.
sublimiùs in *Statu* illo *Regulari*, & *Religioso* emicat : Sive enim *Religionem* à *Relegendo*; eò quòd sacer Cultus relectione sancta indigeat, derivaveris ; *Religio* quippe (apud S. Augustinum l. 83. qq. q. 31.) *est Virtus, quæ superioris cujusdam naturæ, quam Divinam vocant, curam, ceremoniamque affert*: Sive etiam à *Religando*, eò quòd *Status Religiosus unde dicatur?*
(juxta eundem, l. de Quantitate Animæ, c. 36) *Religio* dicatur, *quæ se uni Deo anima, unde se peccato velut abruperat; sive quem per peccatum rejecerat, reconciliatione* *S. August.*
religat: Et (juxta Isidorum l. 10. Etymolog.) quia animas nostras *religione Deo religamus*, & velut fortissimis loris adstringimus: Sive (juxta Augustinum lib. 10. de Civitate Dei cap. 4.) à Reeligendo, eò quòd Deum, quem peccando dimisimus, velut reeligamus Quocumque (inquam) modo etymologiam nominis explores, quæ *religionis* nomine indicantur, perfectiùs in Statu Religiosorum adimplentur : Quia in Statu Religioso Cultus Divinus singulariùs eminet ; & Divino obsequio, liberali electione, se in *religione* homo consecrat; ac tandem (teste S. Dionysio c. 6. Ecclesiasticæ Hierarchiæ (*individua, & singulari vita, in divinam Deo gratam Monadem, perfectionemque promovet*. Nam, ut bene S. Chrysostomus l. de Comparat. Regis & Monachi, *religiosi totam vitam suam Dei cultui mancipant, & se totos Deo dederunt, & proprietate, ac Dei cultu, cùm dæmonibus bellum gerunt.* *Isidorus.* *S. August.* *S. Dionys.* *S. Chrys.*

Relicta igitur significatione, qua *religio*, Virtutem post Theologicas primum gradum

gradum tenentem indicat, (De qua egimus *Tom. 2. tract. 2. p. 2.*) ac illa; quæ generaliter, omne obsequium in Dei Cultu & servitute, sive laudibus, sive operibus sanctis impensum complectitur; & à quo, qui in illis benè operati sunt, *religiosi Viri* dicuntur: *religio* enim (ait S. Iacobus c. 1.) *munda, & immaculata, apud Deum, & Patrem, hæc est: Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.* Jac. 1. 27. Hic agemus de *religione*, ut *Statum* dicit eorum, qui in Cultu Dei, & in obsequio, ac sequela *Christi Iesu*, speciali ratione eminent, & singulari Nomine antomasticùs *religiosi* appellari meruerunt.

TRACTATUS I.

DE STATU RELIGIOSO IN GENERE.

TITULUS UNICUS.

De Natura & Perfectione STATUS RELIGIOSI, *et religiosorum ad illam obligatione.*

QUÆSTIO I.

Quid sit RELIGIO?

CONCLUSIO UNICA.

Religionis *descriptio.*



RELIGIO, *est Status quorumdam Christianorum ad Evangelicam Perfectionem tendentium, per tria Vota Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis, perfecta sui traditione, & legitima acceptatione firmata, & sub modo vivendi ab Ecclesia approbato.*

Hanc diffinitionem, seu potiùs descriptionem, in *Baculo nostro Pastorali, disp. 1. quæst. 1. concl. 1.* explicavi: Unde breviter illam percurro, latiùs omnia in sequentibus Quæstionibus explicaturus.

Dixi (*Status*) ob immobilitatem, & immutabilitatem propositi, voto perpetuo firmati.

Dixi (*quorumdam Christianorum*) Religio enim, quam *Factitiam* aliqui vocant, & prout *Statum* singularem dicit; supponit Religionem Christianam, quæ est primaria, & generalis Religio omnium, qui salvi fiunt, & Status universalis immutabiliter omnes Baptizatos obligans, ut in 1. parte latè tractatum est. Unde Religio Christiana, genus est quoddam ad omnem veræ Religionis speciem: quã idcircò omnis *Religiosus Status* tamquam fundamentum præsupponit, & super quo fundatur: Neque enim verus Religiosus esse potest, nisi primò Christianus sit, & *Religiosus Status* præsupponit observantiam totius Christianæ disciplinæ, ut posteà dicetur. Unde per hanc particulam (*quorumdam Christianorum*) 1. Excluduntur, qui ante *Christum* fuerunt, ut *Nazaræi*; *Filii Prophetarum*, qui & *Cunei* dicuntur prophetantes in solitudinibus; *Nathinæi*, & alii, qui figura quidem modernorum Religiosorum fuerunt, & exercitus sublimioribus se exercuerunt, in hac tamen stricta significatione, *Religiosi* dici non potuerunt, quia Evangelicam, & Christianam Perfectionem ignorarunt, quamvis in *Christum* venturum crediderint, & speraverint. 2. Excluduntur, quicumque in Paganismo modos Religiosos imitati sunt, vel etiam modò imitantur: sicut enim illorum Fides falsa est; sic & Religio quæcumque. 1. Reg. 10. 10. 1. Reg. 19. 10.

Dixi (*ad Perfectionem Evangelicam tendentium*) propter Concilia Evangelica; quæ etsi à *Christo* sint omnibus proposita, non tamen ab omnibus, & singulis observanda dicente *Christo*, de Castitate: *Non omnes capiunt verbum istud; Sed, qui potest capere capiat:* Unde non tanquam Præcepta, sed tanquam Consilia & media Perfectionis proposita sunt opportuna tendentibus ad Perfectionem. Math. 19. 11. & 12.

Ex quo hic notandum est: Aliud dicere *Evangelicam Vitam*; Aliud *Evangelicam Perfectionem*. *Evangelica* enim *Vita* dicitur, quæ amplectitur Præcepta in Evangelio contenta, & præscriptiones universales omnibus *Christum* sequentibus in Evangelio communiter datas. *Evangelica* autem Perfectio dicitur, quæ se extendit etiam ad ea quæ sunt consilii tantùm, & quibus Perfectio acquiritur. Quod præclarè declarat Christus Matth. 19.

Ubi

Ubi interroganti adolescenti: *Magister bone, quid bon: faciam ut habeam vitam æternam?* Respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Asseveranti autem; *Quia omnia hæc custodivi à juventute mea*; & interroganti, *Quid adhuc mihi deest?* Ait illi *Iesus*: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me.* In quibus verbis, primò ostendit Christus Observantiam Mandatorum omnibus Fidelibus esse sufficientem ad salutem, & vitam æternam consequendam: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: Et in hoc consistit *Vita Evangelica*, quæ nos deducit ad regnum Dei. Secundò *Perfectionis Evangelicæ* viam à communi Vita Evangelica distinguens, supra Observantiam Mandatorum aliquid superesse subjungit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes &c. & veni, sequere me.* Sed de his posteà latiùs.

Religiosi tribus votis essentialibus à Christianis distinguntur. Dixi (*per tria Vota Paupertatis, obedientiæ, & Castitatis*) His enim tribus Votis distinguuntur Religiosi à cæteris Christianis: Etsi enim cæteris Christianis ista sub Consilio proponantur ad Perfectionis exercitiū: Religiosi illa sibi vendicant sub Voto, seque illis ita adstringunt, ut ab eorum observantia, absque peccato apostasiæ, recedere nequeant. De quibus, singulis speciales Tituli & Quæstiones inferius ponendæ sunt.

Dixi (*perfecta sui traditione, & legitima acceptatione firmata*) ad distinguendum Statum Religionis, & vota, à particulari singularium personarum devotione, & actibus particularibus, quibus in singulari Vota simplicia, etiā in manibus Confessariorum, emittunt: Hæ enim personæ, nec se perfectè tradunt, nec vota acceptatione legitima confirmantur, quia absque publica auctoritate fiunt; quæ omnia requiruntur. Unde & Clericorum *Societatis Iesu* Vota post biennium emissa, non alia ratione *Religiosa* ab ecclesia declarantur; quàm; quia tam traditio ex parte Profitentis facta, quàm acceptatio ex parte Recipientis, publica S. Sedis auctoritate confirmata sunt, & hac ratione *Religiosa* judicata: Tradit enim se totum, qui nil sibi reservat (cùm sua sponte egredi & resilire nequeat;) legitimè etiam traditio ejus acceptatur, quia auctoritate S. Sedis acceptatur, etsi aliquando ex causis fortè à Superiore emittendus. Sicut autem nunquam completa donatio censetur, nisi sit acceptata; sic nec traditio perfecta, nisi acceptetur. Unde Professio Religiosa, nonnunquam *Pactum*, nonnunquam *Fœdus*, à Patribus vocatur.

Dixi (*sub vivendi modo ab Ecclesia approbato*) ut tamen Regulæ Cardinales, & Principales SS. Benedicti, Basilii, Augustini, Francisci, sub quibus omnes Religiosi antiqui militarunt, & etiam num militant, includantur; quàm quædam Statura à S. Sede approbata, sub quibus recentiores aliquæ Religiones dirigūtur, ut Religio *Societatis Iesu*, & aliæ de novo inventæ, quæ unā ex Regulis Principalibus non elegerunt, fortè ut eventibus fortuitis, & prudentiæ humanæ laxiores habenas relinquerēt.

Porrò, etsi antiquitus Regulæ Religiosorum ab Episcopis approbarentur, ut constat de Regula Pachomii & aliorum (de quo videri potest *Concilium Calcedonense* 18. q. 2. & Trithemius Abbas *l. de laudibus Carmelitarum*) tamen ne aliquid superstitiosum, novum, vel incongruum, aut aliter minùs rectum hujusmodi Regulis, & Religionibus se immisceret; providè in Concilio Lateranensi, sub Innoc. III. c. 13. ad annum 1216. & Lugdunēsi sub Gregorio X. cautum est: ut nulla Religio, præter jā approbatas, de novo surgere permitteretur, sine approbatione, & auctoritate Romani Pontificis. Causam huic decreto dederūt Pauperes de Lugduno, qui multis hæresibus, & superstitionibus respersum Ordinem suscitarunt, ad annum 1170. qui ordo condemnatus est eum suis erroribus à Lucio III. & Alexandro III.

QUÆSTIO II.

Quæ sit illa perfectio, ad quem Religiosus Status ex natura sua tendit?

PRo accurata Resolutione hujus Quæstionis Advertendum est. 1. Hic agi de Perfectione, non quacumque, sed Hominis Viatoris, in ordine ad finem ultimum, & vitam æternam consequendam.

Perfectio Hominis Viatoris in ordine ad ultimū finem in quo consistat? Advertendum 2. Perfectionem Hominis Viatoris in ordine ad finem ultimum consistere in Charitate; ita ut juxta progressum in gradibus Charitatis homo eò fleatur magis, aut minùs perfectus: Unde & Charitas in Scripturis ponitur velut principium, medium, finis, ac velut scopus totius Vitæ Hominis ad ultimum finem tendentis: Ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus, in Charitate.* Eph. 1. 4. Et c. 3. *In Charitate radicati & fundati* &c. *Ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.* Et c. 4. Eph. 3. 17. *Veritatem autem facientes in Charitate, crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus: Ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit, in ædificationem sui in Charitate.* Ex quibus constat Charitatem esse fundamentum, incrementum, ædificationem, & complementum totius Hominis Christiani; Unde iterum 1. Tim 1. *Finis autem Præcepti est Charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Et ad Rom. 13. *Plenitudo ergo legis est dilectio.* Et ad Coloss. 3. *Super omnia autem hæc Charitatem habete, quod est vinculum Perfectionis.* Et ut unionem perfectam tradat S. Joan. Ep. 1. c. 4. *Deus (inquit) Charitas est, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Advertendum 3. Mandatum de Charitate omnibus omnino Hominibus datum esse, ita ut omnes obliget, & consequenter omnem Viatorem obligari ad Perfectionem aliquam Charitatis, ac Dilectionis Dei, quæ est Perfe-

1.Cor 13. 2. ctio Christiana, dicente Apostolo 1. Cor. 13. *Et si habuero Prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: Et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Unde est illud *primum & maximum Mandatum*, tam in substantia, quàm in universalitate obligationis suæ, Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota* Math. 22. 37. *mente tua.* Et ne excluderetur Charitas ad proximum propter Deum, addidit *Secundum autem, simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Volens autem Christus necessitatem Vers. 39. hujus Mandati exponere: *In his (ait) duobus Mandatis universa lex pendet, & Prophetæ.*

Vers. 40. Advertendum 4. Juxta diversos respectus diversos modos reperiri in perfectione, intra latitudinem Charitatis; juxta quos quinque Perfectionis genera referuntur cum quinque Mat. 5. 48 diversis obligationibus à S. Bonaventura in 3. d. 30. q. 3. *Prima (inquit) est: Perfectio Suffi-* Mat. 19. 21. *cientiæ, quæ consistit in adimpletione mandatorum, & de hac dicitur:* Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est. *Secunda est, Perfectio Religionis, quæ consistit in observantia* Luc. 6. 40 *Consiliorum & de hac dicitur:* Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes &c. *Tertia est, Perfectio Prælationis, quæ cõsistit in regimine sub-* Gen. 6. 9. *ditorum, & de hac dicitur:* Perfectus omnis erit, si sit sicut Magister ejus. *Quarta est, Perfectio Operationis, quæ consistit in ostensione exemplorum, & de hac dicitur:* Noë vir justus, atque perfectus 1. Joã. 4. 18. fuit in generationibus suis. *Quinta est, Perfectio Tranquillitatis, quæ consistit, in consummatione difficiliorum, & optimorum; & de hac dicitur:* Perfecta Charitas foras mittit timorem. *Et Philosophus dicit:* Quòd Perfecta Virtus optimorum est operativa. Hæc S. Bonavent. Qui cuilibet generi, suam attribuit obligationem: & quidem *Perfectioni Sufficientiæ*, obligationem observationis Mandatorum Dei. *Perfectioni Religionis*, obligationem Votorum. *Perfectioni Prælationis*, obligationem Officii, sive quæ ex officii conditione, & modo procedit: *Perfectioni Operationis*, obligationem evitãdi scandali. *Perfectioni Tranquillitatis*, obligationem conscientiæ, quæ tranquillitari debet, & cui juxta causas, & modos debet satisfieri. Quæ omnia apud illũ loco allegato Lector videre potest: His sic Prænotatis sit

Conclusio Unica.

Perfectio Religiosi Status quid?

Perfectio, ad quam Religiosus Status ex natura sua tendit: Est sincerus Dei Amor super omnia, quatenus via Mandatorum Dei, & Consiliorum Evangelicorum Voto & observatione acquiritur. Ita S. Thom. opusc. 18. cap. 6. & seqq. & Doctores sancti communiter.

S. Thom.

Dixi (*sincerus Dei Amor super omnia*) Hic est enim finis omnis Status spiritualis, & salutaris; Unde Marci 12. Scriba, illa repetens & annuens verbis *Christi de primo & secundo* Mandato à se observato: *Benè (inquit) Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, & non est alius præter eum. Et ut diligatur ex toto corde, & ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine, & diligere proximum tamquam seipsum, majus est omnibus holocautomatibus, & sacrificiis.* Q. d. omnia holocautomata, & sacrificia referuntur ad illam Dilectionem, & per illam & propter illam sunt.

Dixi (*quatenus via mandatorum Dei*) Omnis enim Religio, qualiscumque, sit, primò observantiam Mandatorum Dei requirit, & super illa fundata est; ita ut si vel in modico ab illa declinet, Irreligio potius, & irregularis novitas sit dicenda.

Ex quo infero: Professionem Religiosam non excusare à Mandatis Dei observandis, sed præsupponere illorum Observantiam: Et ubi duo concurrunt, Observantia Mandatorum Dei, & alicujus præcepti Regulæ, etiam ex Voto provenientis, si utrumque servari non possit, observantiam Præcepti Regulæ, sive Voti, debere cedere observationi Divini Mandati, ea regula: *Quod Mandatum Consilio præponatur, & obligatio ad Præceptum Dei, obligationi, quâ posterius quis Consilia servare vovit, præponenda est.* Ex. g. Si necessitas gravis vel extrema parentis occurrat, cui aliter succurri non potest, illi teneris satisfacere potiùs, quàm Voto; quia sine detrimento Mandati Dei, Votum quodlibet factum intelligatur; Sed de his posteà.

Dixi (*& Consiliorum Evangelicorum Voto, & observatione acquiritur*) Et hæc est differentia, qua Religiosus Status à communi Christianorum Statu restringitur, & velut ad speciem subalternam constituendam sub communi genere Christianitatis arctatur. Christianus enim, per viam Mandatorum Dei tendit ad *Perfectionem Sufficientiæ* Amoris Dei, *Religiosus Status* superaddit obligationem Voti, & Professionis, semitam Consiliorum Evangelicorum, per quam servatis primùm Mandatis graditur & tendit, ut quis Amorẽ Dei, secudùm *perfectionem Religiosam*, sibi acquirere possit.

Dixi (*acquiritur*) *Religio* enim Status est Perfectionis acquirendæ, non acquisitæ; qua ratione distinguitur à Statu Episcoporum, & Prælatorum, qui sunt in Statu Perfectionis (ut supponitur) acquisitæ, quia illam in alios derivare tenentur, eò quòd eorum munus sit, Subditos *illuminare, purgare, perficere. Status* autem *Religiosus* exercitationem dicit eorum, qui ambulantes viam Mandatorum, & Consiliorum, eundo illuminantur, Purgantur, Perficiuntur: quamvis ad Prælaturas assumpti, debeant & ipsi Officia Perfectionis (ut supponitur) acquisitæ assumere.



QUÆ-

QVÆSTIO III.

An perfectio, ad quam Religiosi tendunt, sit major ea, ad quam caeteri Christiani tendere debent?

Perfectio Hominis Christiani in quo consistat? Ratio dubitandi est: Quia Perfectio Hominis Christiani, sive ad quam Homo Christianus tendere tenetur, consistit in Dilectione Dei, *ex toto corde*, *ex tota anima*, *ex tota mente*, *& ex tota virtute*: Cui subordinatur Amor proximi, tamquam sui ipsius, propter Deum: Atqui non potest dari major Amor Dei, quàm qui *ex toto corde* &c. procedit: Ergo cùm Religiosi Perfectio, ad quam tendere Religiosus obligatur, non nisi sit Amor Dei, non erit major Perfectio, ad quam tendit Religiosus, quam illa, ad quam tendit quilibet Christianus.

Pro Resolutione hujus Quaestionis; quae est totius verae Religionis fundamentum; Advertendum est. 1. *Perfectionem Charitatis* dupliciter intelligi posse: *Primò*, ut in termino est & velut acquisita intelligitur. *Secundò*, ut in via, & quasi in motu est, sive ut acquirenda est, & ut acquiri concipitur; & de hoc secundo modo praesens Quaestio, intelligenda est; non verò de perfectione, quae est Comprehensorum, sive in termino.

Advertendum 2. Varia esse media, quibus acquiritur *perfectio Charitatis*: & alia quidem aliis perfectiora, magisque efficacia, alia minùs; de quibus statim.

Advertendum 3. Perfectionem Charitatis etiam variis gradibus constitui, ita ut unus
Eph.4.15 alterum Charitatis gradibus excedere possit. Unde & S. Paulus ad Ephes. 4. *Veritatem autem facientes in Charitate* (inquit) *crescamus in illo per omnia, qui est Caput Christus*. Et ad Phi-
Phil.3.12. lipp. 3. *Non* (inquit) *quòd jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem si quomodo comprehendam: in quo & comprehensus sum* &c. Et alibi monet: *Aemulamini Charismata meliora.* Quos Charitatis gradus agnoscit Christus,
1.Cor.12. dum Petrum tertiò interrogat: Joan. 21. *Simon Ioannis, diligis me plus his?* Et inter gradus Charitatis illum majorem ponit, quo *quis animam suam ponit pro amicis suis.*

Ioan. 21 15. Advertendum 4. Viam Dilectionis à Dei operatione singulari procedere, & veluti vocante, & dirigente Deo: Solet enim Deus absque discrimine, alios ad perfecti Amoris gradus interdum ab infantia, & teneris annis promovere; alios tardiùs; alios per vias duras, & impedimenta gravissima; alios per vias planas, & directas; *Domini utique est dirigere gressus*
Prou, 16. 9. *nostros.*

CONCLUSIO I.

Omnes Christiani ad Perfectionem Charitatis via tendere debent.

Constat, ex dictis Quaestione superiori: Unde & S. Thomas opusc. 18. cap. 5. explicans Praeceptum Dilectionis Dei, quatuor Perfectiones ejus ponit de necessitate salutis omni Homini Christiano.

1. Quâ Homo actu vel habitu, sive virtute, omnia ad Deum, ut ad ultimum finem, refert, juxta illud 1. ad Cor. 10. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Quod* (inquit) *quidem impletur, cùm aliquis vitam suam ad servitium Dei ordinat* &c. 1.Cor.10 31.
Et sic Homo diligit Deum *ex toto corde.*

2. Quâ intellectum suum Homo Deo subjicit, credens omnibus quae revelata sunt, & credenda Ecclesia proponit, & tradit, juxta illud 2. ad Cor. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Et sic Deus *ex tota mente* diligitur. 2Cor.10.

3. Quâ, quaecumque amat Homo, in Deo, & propter Deum amat, referens omnem suâ Dilectionem in Deum; juxta illud 2. ad Cor. 5. *Sive enim mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis; Charitas enim Christi urget nos.* Et sic Deus *ex tota anima* diligitur. 2.cor.5.13

4. Quâ omnia exteriora nostra opera, & verba in Charitate firmantur? juxta illud 1. ad Cor. ult. *Omnia vestra in Charitate fiant:* 1Cor.ult. 14.
Et sic Deus *ex tota fortitudine* diligitur. Et concludit S. Thomas. *Hic est ergo tertius perfectae Dilectionis Divinae modus, ad quem omnes ex necessitate Praecepti obligantur.* S.Thom.

Porrò ne hi gradus Perfectionis Christianae à S. Thoma relati, laqueum alicui injiciat.

Advertendum est 1. Christiano nō esse semper necessarium actum ad hos gradus requisitum exercere; sed sufficere, non habere actū contrarium, sive contradictorium, seu voluntatem oppositam; sed opportunè in Praeceptis quidem affirmativis ad illos actus paratam: Quod explicant Theologi, per Dilectionem Dei *appretiativè* super omnia, sive omnia excedentem: quae completur per Observantiam Mandatorum, & cordis praeparationem, qua Homo Deo nihil anteponit; sed paratus est in anima virtualiter Deum omnibus rebus creatis, & omni affectioni anteferre, & ejus Praecepta observare: Talis enim *appretiativè* censetur Deum super omnia diligere. Et hoc cōplectitur Professio Christiana (de qua in 1. hujus tomi parte latè egimus) per quam Homo in Baptismo, tertiò renuntiat Diabolo, & omnibus operibus ejus, & omnibus pompis ejus, & se credere in Christū profitetur. Qui enim Diabolo renuntiat; omnis mali principio renuntiat, & consequenter malae voluntati: Qui renuntiat omnibus ejus operibus; peccata abjurat: Qui omnibus pompis; mundo, & omni occasioni peccati nuntium remittit. Qui fidem in Christum profitetur; Spem, Charitatem Christi, & opera ac Mandata Religionis Christianae consequēter profitetur, & se exercendae Perfectioni Christianae ita obligat, ut animum contrarium, & oppositum habere non possit, sed saltem animi habitu in illam tendat. Eleganter S. Augustinus in Psal. 75. ad illum: *Vovete, & reddite Domino Deo* Psal.75.12
nostro:

S. August. nostro Quid (inquit) debemus vovere? Credere in illum, & sperare ab illo vitam aeternam; bene vivere secundùm communem modum. Est enim quidam modus communis omnibus: Furtum non facere, non castimonialis praecipitur & nuptae non praecipitur adulterium non facere, omnibus praecipitur. Non amare vinolentiam, qua ingurgitatur anima, & corrumpitur in se Templum Dei omnibus aequaliter praecipitur. Non hominem occidere, non odisse fratrem, non adversus aliquem tenere perniciem omnibus in commune praecipitur. Hoc totum omnes vovere debemus. Haec S. Augustin. Qui postmodum singularia Vota personarum recenset, ut à communi Christianae Religionis Voto in Baptismo distinguuntur; & vocat illa Vota propria singulorum.

Advertendum 2. Etiam in Charitatis Perfectione, ad quam ex Professione tenetur omnis Christianus tendere, dari gradus diversos, Sicut enim in Mandatorum obligatione, & observantia datur aliqua latitudo diversorum graduum, sic in Perfectione Dilectionis: Alii enim Christiani diligunt Deum perfectius, ferventiùs, singulariùs, & magis effectivè; alii minùs: Omnes tamen censentur sufficienter amare, qui actum vel effectum Amori & Dilectioni Dei oppositum non habent, ut suprà explicuimus.

CONCLUSIO II.

Christianus saecularis quandoque potest esse perfectior, quàm Religiosus.

Potest interdum aliquis Christianus in saeculo remanens ad perfectiorem Amoris gradum pertingere, quàm Religiosus votis adstrictus.

Ratio petenda est ex Praenotato 4. Haec enim Perfectio à Deo dirigente, variis donis promovente, ineffabili sua providentia provenit, qui, cui vult, quomodo vult, dona sua distribuit, non habita ratione Status vel personae; Nec est qui dicere possit: Cur ita facis? Ita in Vita S. Antonii refertur, illum ad quendam Coriarium Alexandrinum missum, ut ab eo perfectionem disceret. Et de aliis in Vitis Patrum sim lia narrantur. Illa verò paucorū sunt, quos in abscondito faciei suae à conturbatione Hominum abscondit Deus.

CONCLUSIO III.

Perfectio Charitatis ad quam Religiosi ex vi Status & Professionis suae tendunt, & tendere tenentur, excedit multis gradibus Perfectionem omnibus Christianis communem. Conclusionem hanc arbitror esse de fide, ex verbis Christi; Si vis perfectus esse, vade & vende quae habes, & veni sequere me. Ubi Consilium Evangelicum

Mat. 19. 21. Paupertatis & Obedientiae Religiosae, parenter distinguit à communi vita & perfectione Observantiae Mandatorum Dei, in qua consistit potissimùm Perfectio Christianorum cōmunis & obligatoria, & Perfectionis nomine

Mat. 19. 28. per antonomasiam Consilium Evangelicum honestat; nec non praemium singulare illi attribuit Matt. 19. Amen dico vobis, quòd vos qui secuti estis me, in regeneratione cùm sederit Filius Hominis in Sede Majestatis suae, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit.

Quapropter etiam Patres communiter Religionis Statum Perfectionis Statum nominant; quòd in ea Perfectionis Exercitatio, & velut Tyrocinium specialibus modis, & mediis exerceatur. Unde S. Gregorius Nazianz. Orat. 8. circa medium in laudem Basilii, Religionis Statum, Ecclesiae partem selectiorem, & sapientiorem appellat: Si saltem (inquit) prae multis Sapientiores sunt, qui seipsos ornatu secernunt, ac Deo vitam consecrant, de Nazaraeis nostris loquor. Nec minoris aestimat Regularium Perfectionem Basilius, qui ut ab aliquibus in Prologo Monasticarum Constitut. citatur: Vitam Religiosorum vocat, divinorem, & à communi sepositam ratione, ut Perfectionem communem Christianorum excludat: A quo sensu non recedit Chrysostomus l. 3. contra Vituperatores Monasticae Vitae, ubi ait: Monachos conversationem planè caelestem elegisse nihilque deterius Angelis affectos esse. S. Dionysius Areopagita excellentiam Religiosi Status, super communem Christianorum vitam, punctatim ab ipsis Ecclesiae incunabilis depingit, cap. 6. Ecclesiasticae Hierarchiae, dum describens Monachorum initiationem: Stat (ait) Sacerdos, ante Divinum Altare Monasticam imprecationem psallens &c. Illa verò finita Sacerdos ad eum accedens interrogat primùm: An renuntiet divisibilibus omnibus, non solùm vitis, verùm imaginibus quoque, ac phantasiis? Deinde Exponit illi Vitam perfectissimam, illud apertè contestans, oportere illum Medio longè antecellere. Ubi verò omnia ista intente promiserit, consignans eum signo Crucis tondet; Trinas Divinae Beatitudinis Personas inclamans exutumque veste omni, aliam induit, & cum sanctis aliis qui adstant, Viris ipsum salutans, Divinorum Mysteriorum participem efficit. Haec S. Dionysius. Ex cujus verbis constat, Religiosos perfectissimam Vitam, Medio, id est Populo Christiano longè antecellentem (quippe, quae in omnium divisibiliū abrenūtiatione cōsistit) profiteri. Sed & Eusebius Caesariensis l. 1. Dem. Evangel. cap. 8. idem agnoscit, dum duos vivendi modos in Ecclesia distinguit. Alterum, naturam nostram, & communem hominum vivendi rationem excedentem, quem Perfectivum in Christianismo Vitae modum indigitat, & qui est religiosorum. Alterum, Remissiorem: & humaniorem, & cui secundus Pietatis gradus attributus est; Et hic est communis Christianorum Status, etiam suo modo perfectus. Sed de his satis.

S. Greg. Nazianz. — S. Basil. — S. Chrys. — S. Dionys.

CONCLUSIO IV.

Triplicter Perfectio Status Religiosi excedit communem Statum Christianae Perfectionis: nimirum, Efficacia Mediorum, Excellentia Operationum, Puritate, & Unitate Finis.

Perfectio status Religiosi tribus excedit communè Statum Christiane Perfectionis.

Efficacia Mediorum in tribus Votis consistit, Paupertatis, Obedientiae, & Castitatis: Cùm enim qui in saeculari vita degunt, tribus maximè Aciebus impetantur, Concupiscentia Carnis, Concupiscentia Oculorum, ac Superbia Vitae, sub triplici Hoste, Carne, Mundo, & Diabolo (qui Job: sensu, Rex est super universos filios Superbiae) quibus Homo vix, aut ne vix quidem nisi singularissima gratia resistere potest; Religiosus tribus Votis se obligans, velut ab eis immunis evadit: A Concupiscentia quidem Oculorum & Mundo; Paupertate, quae omnia relinquit. A Concupiscentia Carnis, & carne; Castitate: A Superbia Vitae & Diabolo; Propriae Voluntatis abrenuntiatione, sub Obedientiae jugo.

Excellentia Operationum in perfectissima sui consecratione in obsequium Dei attenditur. Religiosus enim se totum in Holocaustum offert, & quidem Holocaustum medullatum, quippe qui Mundum, Carnem, & Seipsum in Altari Crucis consumit. Eleganter S. Gregorius Homil. 20. in Ezechielem circa finem; distinguens inter opera bona Hominis Christiani, in saeculo viventis, & opera Religiosorum: *Cùm quis (inquit) suum aliquid Deo vovet, & aliquid non vovet, Sacrificium est; Cùm verò omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo voverit, Holocaustum est: Nam sunt quidam, qui adhuc mente in hoc mundo retinentur, & tamen ex possessis rebus subsidia egentibus ministrant, oppressos defendere festinant. Isti in bonu, quae faciunt, Sacrificium offerunt: quia & aliquid de actione sua Deo immolant, & aliquid sibimetipsis reservant. Et sunt quidam qui nihil sibimetipsis reservant, sed sensum, linguam, vitam atque substantiam, quam acceperunt, omnipotenti Domino immolant. Quid isti, nisi Holocaustum offerunt, imò magis Holocaustum fiunt?* Ex quibus infert: *Quamvis ergo (sicut dictum est) Sacrificium sit etiam Holocaustum, majus tamen est Holocaustum Sacrificio: quia mente, qua hujus mundi delectatione non premitur, totum in omnipotentis Dei Sacrificio incenditur, quod habetur.* Haec S. Gregorius. Unde, & apud S. Dionysiū de Ecclesiastica Hierarchia cap. 6. Religiosi *Therapeuta*, à sincero, & puro Dei Cultu, cui vacabant, dicti sunt. Et de Excellentia Actionum ipsorum, vide quae scribit S. Basilius in Asceticis; S. Hieronymus Epistola 4. ad Rusticum Monachum. S. Bernardus Homil. in illud: *Simile est regnum caelorum homini negotiatori*, & alii passim. S. Gregor.

Puritas, & Unitas Finis in hoc consistit; quòd soli Deo adhaereant; & velut in illum, ut scopum, omnes collimeut; quod paucis verbis Christus confirmat: *Si quis (inquit) vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam & sequatur me.* Ad hoc enim collimat sui Abnegatio per perfectam renuntiationē; Bajulatio Crucis per utriusque hominis mortificationem, Sequela Christi per purissimum Amorem; ut cum Paulo Religiosus dicere possit: *Christo confixus sum Cruci, vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus.* Unde S. Dionysius supra cap. 6. Ecclesiasticae Hierarchiae. *Hic eorum omnium (inquit) qui initiantur & perficiuntur, ordo est Sanctorum Monachorum, qui cùm omni piaculo, tota vi, omnique actionum suarum sanctimonia expiatus fit, & omnis mysterii (quod quidem ei fas sit aspicere) spectator particeps, factus, Perficienti Pontificum Ordini traditur, ut divinis eorum illustrationibus &c. ad summam Perfectionem evehatur.* Quam Perfectionem exprimere volens, postquam *Therapeutas à sincero Dei famulatu, atque Cultu vocatos dixit*; superaddit illos *sanctis Divisibilium complexionibus, in Divinam Deo gratam Monadem, Perfectionemq. promoveri &c.* Galat. 2. 20. S. Dionys.

DIGRESSIO APOLOGETICA.

Contra Eos, qui Vitam Caelibem in Saeculo praeferunt Statui Religioso.

Non defuerunt à principio, quos modò resuscitat crudelis animarum Philautia, suffocatrix vitae voluntatis propriae assertrix, Diaboli decipula: qui bona retinere suadent in pios usus (ut fingunt) voluntariè effūdēda potius, quàm relinquere, aut Voto Paupertatis eis renuntiare: Caelibem in Saeculo Vitam degere potiùs, quàm Virginitatem, sive Castitatem Voto Deo in perpetuum consecrare: Voluntatem sive Arbitrium propriū in operibus piis servare, quàm suam Voluntatem Deo Obedientiae Voto immolare. De his latè S. Thomas opusc. 18. c. 12.

Sunt & modò qui audacia severiore audent persuadere Vota hujusmodi simplicia sibi fieri titulo *Directionis spiritualis* potiùs, quàm ut in Religione ab Ecclesia approbata solemniter emittantur, ut lanam, lacque, & ovem simul depascantur, & pro libitu abutantur. Infelix hominum genus, cui rapina & praeda pro solatio, & gloria est. Super his ponō sequentes Propositiones.

PROPOSITIO I.

Quicunque praefert retentionem bonorum temporalium, etiam praetextu faciendi eleemosynas, & proximo subveniendi, ipsorum renuntiationi, & relictioni per Votum Paupertatis Evangelicae, sive Voluntariam Paupertatem, haereticus est.

Ratio est: Quia repugnat Christo, & Evangelicae Veritati per Christum propositae Matth. 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni sequere me.* Et iterùm Matth. 8. *Vulpes foveas habent, & volucres caeli nidos, Filius* Mat. 19. Mat. 8.

autem hominis non habet ubi caput reclinet.

Dixi (*qui præfert*) in individuo enim, ratione circumstantiarum, expedit aliquando alicui consulere, ut sua retineat potius quàm sic relinquat; non quia melius est, sed quia; etsi minus bonum, ipsi tamen convenientius est, ob causas, & circumstantias singulares.

1. Joã 4. 3. Dixi (*hæreticus est*) quia juxta dictam S. Joannis 1. Epist. c. 4. *Omnis Spiritus qui solvit Iesum, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Ille autem palpabiliter solvit *Iesum*, qui contradicit verbis *Iesu*, apertè in evangelio prolatis: Unde S. Hieronymus Epist. 53. adversus Vigilantium circa finem: *Quòd autem asseris eos melius facere, qui utuntur rebus suis, & paulatim fructus possessionum suarum pauperibus dividunt, quàm illos; qui possessionibus venundatis semel omnia largiuntur: non à me eis, sed à Domino respondebitur:* Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus & veni sequere me. *Ad eum loquitur, qui vult esse perfectus, & qui cum Apostolis Patrem, naviculam, & rete dimittit.* Et loquens conformiter nostræ Propositioni, subdit: *Iste, quem tu laudas, secundus aut tertius gradus est, quem & nos recipimus, dummodò sciamus prima secundis & tertiis præferenda:* Id est, Renuntiationem omnium Bonorum per Paupertatem Evangelicam; aut alio modo propter Deum, retentioni bonorum, etiam intentione benefaciendi Pauperibus, præferendam. Unde clarissimè liber de dogmatibus Ecclesiasticis, qui tribuitur S. Augustino: *Bonum est facultates cum dispensatione Pauperibus erogare, Melius est pro intentione sequendi Dominum in simul omnia donare, & absolutum sollicitudine cum Christo egere.*

S. Hieron.

Mat. 19. 20.

PROPOSITIO II.

Qui præfert, vel æquat Statū Matrimonii Statui Virginitatis, hæreticus est. Math. 19. 11. & 12.

QVi præfert, vel æquat Statum Matrimonii Statui Virginitatis, vel Cœlibatus, hæreticus est.

Ratio est: Quia est cōtra Scripturam apertam Matth. 19. Ubi apertè Christus ostendit, *Non nubere*, esse singulare Donum Dei, *Non omnes capere verbum illud, sed tantùm quibus datum est*; Unde & subjungit: *Sunt Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum Dei*; Et ad sublimitatem hujus animare volens: *Qui potest* (inquit) *capere, capiat.* Et 1. ad Corinth. 7. Apostolus totus in hoc est, ut Virginitatem extollat supra Matrimonium. Et hæc fuit Joviniani hæresis, contra quam scripsit S. Hieronymus, de qua & S. Augustinus l. 2. Retract. c. 22. *Iovinianus* (ait) *hæresis sacrarum Virginum meritum æquando pudicitiæ conjugali tantùm valuit &c.*

S. August.

PROPOSITIO III.

VIrginitatem, aut voluntarium Cœlibatum viventium in sæculo præferre, aut æquare Virginitati, aut Cœlibatui, Voto solemni Deo consecrato, temerarium est, & erroneum.

Ratio sumenda est ex ratione Voti Virginitatis, quod est actus Virtutis Religionis sub Virtutibus Theologicis eminentissimæ, & latriæ Cultus, ac actus summæ Charitatis in Deum, qua quis pudiciciam animæ, ac corporis perfectissimè Deo tradit in Holocaustum perfectum; Unde & Apostolus 2. ad Corinth. 11. dicit: *Æmulor enim vos Dei æmulatione; despondi enim vos uni viro Virginem castam exhibere Christo.* Eleganter S. Augustinus lib. de virginitate c. 8. citatus à S. Thoma suprà: *Neque enim* (inquit) *& ipsa, quia Virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, &c. per hoc spiritualis est etiam Virginitas corporis, quam fovet & servat continentia pietatis.* Et de hac Virginitate, quæ Deo consecrata est, videtur potissimùm loqui Apostolus 1. ad Corinth. 7. dum innuptis & Virginibus singulariter attribuit; *Cogitare, quæ Domini sunt, ut sint sanctæ corpore, & spiritu, & ut facultatem habeant sine impedimento Dominum obsecrandi*, quæ singulariter iis Virginibus, quæ Castitatem voverunt, competunt: Unde & 1. ad Timoth. 5. reprehendit graviter illas, *quæ enim luxuriatæ fuerint in Christo nubere volunt, habentes damnationem, quia* (inquit) *primam fidem irritam fecerunt*, id est, fidelitatem promissionis, qua se ad Castitatem Deo obligaverant.

2. Cor. 11. 2.

S. August.

1. Cor. 7. 14

1. Tim. 5. 11.

PROPOSITIO IV.

Opera Obedientiæ, magis meritoria apud Deū, quàm quæ ex propria voluntate fiunt.

OPera sub Obedientiæ Voluntaria voto facta, multò laudabiliora, & magis meritoria sunt, quàm quæ ex propria Voluntate fiunt: Et quidem contrarium asserere, temerarium est, quia Scripturis repugnat. *Melior est enim Obedientia, quam victima.* Et Eccli. 3. *Filii sapientiæ, Ecclesia justorum; & natio illorum, obedientia & dilectio*, quæ maximè in Monasteriis & Congregationibus Religiosorum vigent. Certè Isaiæ c. 58. ad querulosas illas voces eorum; qui propriâ Voluntate opera sua peragebant. *Quare jejunavimus, & non aspexisti, humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Absolutè à Domino respondetur: *Quia in die jejunii vestri, invenitur Voluntas vestra* &c. Et cōve: so ibidem: *Si averteris à Sabbatho pedem tuum, facere Voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaveris Sabbathum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaveris eum, dum non facis vias tuas, & non invenitur Volnutas tua, ut loquaris sermonem. Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hereditate Iacob Patris tui. Os enim Domini locutum est.* Hæc ibi. Quo autem Schemate aptiori valeant Monastica Vota, & Exercitatio exprimi, non video.

DICES: Quod voluntariè fit, & ex quotidiano arbitrio, magis meritorium est, quàm quod necessitate quis patitur; At qui retinens sua, & potestatem Voluntatis suæ, quidquid facit, & quotiescumque aliquid facit, voluntario & quotidiana suo arbitrio facit; Qui verò semel vovit, jam ex necessitate facere cogitur: Ergo qui sua retinet, magis meritoriè operatur; Unde est illud Apostoli 2. ad Cor. 9.

Vnus-

1. Cor. 9. 7. *Vnusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate; Hilarem enim datorem diligit Deus.*

Respondeo negando Minorem pro 2. parte: Qui enim vovit, sicut plena sua libertate & prout destinavit in corde suo vovit eadem voluntate & libertate votum suum prosequitur: Voluntas enim prima virtute in toto Voto secundùm totam suam extensionem perseverat, & illud afficit, qui enim toto tempore vitæ suæ servandam Obedientiam, Castitatē, & Paupertatem liberè vovit, voluntatem suā ad omnia momenta vitæ extendit, unde & quodlibet momentum virtute voluntatem primam secum vehit. Nec obstat, quòd à prima voluntate resilire non possit; hoc enim non tam necessitatis est, quàm sanctæ perseverantiæ, & immutabilitatis à prima libera voluntate decretæ, & velut infixæ. Eleganter S. Anselmus de Simil. c. 84. Ubi animam sæcularem, & Religiosam duabus arboribus cōparat, quarum utraque fructus profert, & eos possessor Deo dedicat, hoc discrimine: Quòd sæcularis quando, & quantùm vult suos fructus offerat: Religiosa autem anima, non tantùm fructus, sed & arborem fructificantem pro omni tempore donet, & tradat, quod majus, & acceptabilius est.

PROPOSITIO V.

Perfectio Religiosa ab effectibus mettenda est. *PErfectio Religiosa, non à solo actu, vel motu interno, sed ab effectibus simul metienda est.*

Hanc propositionem pono contra quosdam vanos hominum filios, qui eùm mundanam mollitiem sectantes, rebus omnibus ad commoditatem abundent, benè comedant, & bibant, imo, lanaque commodè vestiantur, vix jejunent, parùm vigilent, Orationum pernoctationibus nōn insistant, supèr omnes tamen Religiosos se extollunt, *Mensura* (ut inquiunt) *Charitatis & Amoris Dei interioris se excellentes*: Non attendentes quòd juxta S. Gregorium Hom. 30. in Evang. *Probatio dilectionis exhibitio sit operis*; Et Sapientiæ Divinæ sensu: *A fructibus cognoscenda sit arbor.* Et quamvis in omni opere, juxta eundem Gregorium Hom. 5. in Evang. *Affectum debeamus magis pensare, quàm censum:* Ubi tamen utrumque conjungitur, sic effectus census præponitur, ut utrumque excellat; & census affectum commendet, & augeat. Quemadmodum enim qui fidem simul & opera habet, *fidem suam ex operibus* (teste Jacobo) *probat*: Ita & qui cum Charitate operibus abundat, Charitatis suæ magnitudinem demonstrat. Vade, ô Homo vane, fac & tū similiter, nec tuam Charitatem buccis concrepantibus cōmēda, sed operibus illam expende. Qui his plura desiderat, videat S. Thomam Opusc. 17. contra pestiferam doctrinam retrahentium homines ab ingressu Religionis per totum. Opusc. 18. de Perfectione Vitæ spiritualis, ubi omnes istæ decipulæ manifestantur, & à S. Doctore exagitantur & refelluntur. Cæterùm hæc sufficiant ad nostrum institutum.

S. Gregor. Mat. 12. 33. S. Gregor. Jac. 2. 18. S. Thom.

QVÆSTIO IV.

Qua Obligatione teneantur Religiosi ad Perfectionem tendere?

CONCLUSIO I.

REligiosi ex vi Status non tenentur perfecti esse. Religiosi nō tenetur ex vi Status esse perfecti

Ratio ex dictis clara est: Quia Religio est Status Perfectionis acquirendæ, non acquisitæ, suntque potiùs in Academia exercitationis circa Perfectionem, quàm in termino Perfectionis.

CONCLUSIO II.

REligiosi ex vi Status tenentur ad actus Perfectionis, qui in tribus Votis & Præceptis in sua Regula continentur, & sub obligatione; quæ in illis continentur. Religiosi ad quos actus Perfectionis tenentur.

Conclusio etiam clara est: Quia & singula Vota servare profitentur, & secundùm Regulam vivere, in Votis autem substātiales actus, juxta gravitatem materiæ, ad peccatum mortale obligant; & juxta quoscumque Regulam, & obligationes in illa contentas, peccata eorum mensuranda sunt.

CONCLUSIO III.

REligiosi voluntatem contrariam Perfectioni sui Status habentes, sunt in Statu peccati mortalis, & periculo continuo æternæ damnationis.

Ratio est: Quia qui tenetur observare media in ordine ad finem, tenetur multò magis intendere finem; Sed omnis Religiosus tenetur sub peccato mortali observare media necessaria ad finem, qui est Perfectio; ut sunt vota, & Præcepta Religioni essentialia; Ergo tenetur sub peccato mortali intēdere finem, seu ad minus non habere voluntatem contrariam fini, nimirum perfectioni.

Dixi in Conclusione (*sui Status*) nam ut in diffinitione docuimus; Religio est Status hominum tendētium ad Perfectionem; qui autē vovet Religionem, vovet essentiamReligionis, quæ essentialiter in illa tendētia cōsistit. Unde etsi Religiosus non teneatur semper actum tendentiæ illius formaliter exercere; tenetur tamen cōtrariam voluntatem non habere.

Ex his videant in quo Statu vivant, qui in Religionibus omni Reformationi respectu Essentialium Votorum, & eorum, quæ ad votorum Observantiam necessariò spectant, adversantur, & quæ possunt viā impediūt. Quantumcumque enim sibi de nonnullis accidentalibus, & consuetudinibus etiam non malis, abblandiantur, eo ipso quo hujusmodi Reformationi resistunt; contrariam voluntatem fini Essentiali Religionis (quæ est Perfectio) se habere probant.

TRA-

TRACTATUS II.

De Votis Essentialibus Religionis in particulari.

TITULUS I.

De Paupertate Religiosa, sive de Voto Paupertatis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Paupertas Religiosa?

Paupertas dupliciter sumitur.

PRo Resolutione Notandum est, 1. *Paupertatem* dupliciter sumi. 1. Pro inopia, indigentia rerum necessariarum, aut requisitarum ad sui, vel Status, sive familiæ conservationem. 2. Pro carentia possessionum, & juris in bonis fortunæ, & rerum humanarum.

Notandum 2. Carentiam possessionum & juris dupliciter contingere posse: 1. Nimirum, *Necessitate cogente*, quæ *Paupertas coacta* dicitur, qualem habent quicumque sive ex familiæ penuria, sive casu fortunæ, omni possessionum vel rerum jure carent: ut sunt mundani, & involuntarii pauperes, quibus nullus titulus possessionis, aut juris competit, etsi eleëmosynis, & rebus alienis sustententur, aut etiam abundent. 2. *Voluntate eligente*, quæ *Paupertas voluntaria* nominatur, estque eorum, qui voluntariè possessiones à se abdicarunt, aut non nisi modicas retinuerunt, pro simplici sustentatione, & exercitio Virtutum.

Notandum 3. *Paupertatem voluntariam*, duplicem esse: Aliam *Philosophicam*, sive *Moralem* eorum, qui mundano aliquo respectu divitias, & bona temporalia aspernati sunt: *Hoc enim* (teste Hieronymo lib. 3. in Matth. cap. 19. (*& Crates fecit Philosophus & alii multi divitias contempserunt.* Alia est, *Paupertas Apostolica*, & *Religiosa*, quæ bonorum possessionem relinquit propter Amorem Dei, & ut expeditiùs Christum sequantur. Et de his S. Hieronymus Epistola 4. *ad Rusticum Monachum*; atque de hac sola nobis in præsenti est sermo. *S. Hieron.*

CONCLUSIO I.

Paupertas Religiosa.

P*Aupertas Religiosa, propriè non dicit indigentiam, sive rerum inopiam.*

Hoc Probatur ex Scriptura, Actor. 4. Ubi Apostolicæ & Evangelicæ Paupertatis paradigma describitur: *Multitudinis credentium erat cor unum & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Et ut ostenderet indigentiam, sive inopiam non esse de essentia Paupertatis, subdit. *Neque enim quisquam egens erat inter illos*; Cujus rationem subjungit: *Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum*; Et ut iterum excludat indigentiam adjicit: *Dividebatur autem singulis, prout cuique opus erat.* Indigentia itaque non pertinet ad rationem Paupertatis Religiosæ; sæpe enim fieri solet, ut in publica inopia apud Christi pauperes, Deo sic providente, omnia abundent; quamvis ex consequenti Paupertatis, Pauperes Evangelici debeant parati esse ad inopiam, quæ sæpè, ut effectus, ex Paupertate Religiosa sequitur, & eam comitatur; & Religiosus verè pauper debet cum Apostolo ad Philipp. 4. *Scire, & abundare, & penuriam pati*, id est, in abundantia temperantiam & frugalitatem servare; & in penuria patientiam. Certè Apostolus suam penuriam testatur 1. ad Corinth. 4. dum ait: *Usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus* &c. Et nihilominus collectas factas à se pro Pauperibus fidelibus, & se pro illis manibus laborasse alibi scribit. 1. Cor. 4. 30.

CONCLUSIO II.

P*Aupertas Religiosa, est voluntaria abdicatio omnis possessionis, dominii, & cujuscumque juris civilis & politici, sive actualis sive possibilis, ac etiam usus proprii, ad rem quamcumque temporalem, propter Deum & Christi sequelam.* *Paupertas Religiosa, quid.*

Dixi (*Abdicatio voluntaria*) quæ enim necessitate vel coactione absque vero consensu voluntatis fit, verè Religiosa non est, sed purè mundana, & necessitatis: potest tamen Religiosa esse, si exempli gratia, violentem quis patiatur bonorum omnium abstractionem, modò voluntariè patiatur, & voluntate consentiente imposterum jus omne à se in illa abdicet.

Dixi (*omnis possessionis, dominii: & cujuscumque juris civilis, etiam usus proprii*) Hæc enim omnia in paupertate Religiosa requiruntur: Omnis enim proprietas à Statu Religioso exulare debet, juxta illud Innocentii III. in cap. *Cùm ad Monasterium*, de Statu Monachorum: *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis, adeò est annexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*; Quod qualiter intelligendum sit, posteà distinctiùs examinabimus.

Addi-

Addidi, (*juris civilis, sive politici*) Non enim abdicare potest Religiosus usum juris naturalis, sive Divini, quo quolibet vivens debet uti re qualibet necessaria ad conservationem sui esse, sive vitæ propriæ, quod jus vocatur *Lex Poli*, quà in extrema necessitate vitæ positus potest quodcumque accipere, & quocumque uti ad conservandam propriam vitam.

Pro quo, advertendum est: *Jus politicum*, sive *civile*, etiam quoad usum, illud dici: *Quo (intra terminos rationis, & honesti) potest quis licitè facere de re sua quidquid lubet, dando, vendendo, commutando, immò destruendo, vel quovis modo utendo, sine dependentia ab alterius voluntate* &c. Et hoc jus Religiosæ Paupertati contradicit, nec Monacho concedi potest. Unde notanter exclusi, *jus etiam (usus proprii)* quia quidquid Monacho sive, Religioso ad usum conceditur, dependenter à Regula & voluntate Superioris, sive Administratoris conceditur; ita ut si de eo attentet disponere jure proprio & independenti, contra Paupertatis Religiosæ Votum proprietatis peccatum incurrat. Qualiter autem bona Monasteriorum sint administranda, & quo jure, aut cujus nomine, posteà latiùs dicemus.

Jus politicum, sive civile, quid sit.

Dixi (*actualis vel possibilis*) Hæc enim etiam est Paupertatis Religiosæ quidditas: ut Religiosus non tantùm abdicet à se dominium vel jus in bona, quæ actu possidet, sed etiam omnem spem, & affectum juris civilis in omnia, quæ cum tempore, quovis modo acquirere posset, vel ei obvenire. Unde S. Gregorius Hom. 5. in Evangelia; Quæstione mota super iis, quæ reliquerant Petrus, & Andreas, qui penè nihil præter retia habebant, gradatim ponit perfectionem abdicationis eorum: *Multum (ait) reliquit, qui sibi nihil retinuit; Multum reliquit, qui quantumlibet parum, totum deseruit.* Infrà concludens: *Multum ergo Petrus & Andreas dimisit, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit.* Hæc Gregorius. Et in his consistit perfecta abdicatio Paupertatis Religiosæ. 1. Ut qui Religionem profitetur sibi nihil penitus retineat. 2. Ut totum ita relinquat, ut nihil etiã aliis ex eo, quod relinquit, obveniat ea intentione, & velut conditione, sive cum onere, ut sibi posteà benè fiat, & velut restituatur. 3. Ut omnem affectum, & desiderium habendi etiam in futurum, dimittat. Hæc singula, cum suis casibus, & abusibus, posteà specificativè examinabimus.

S. Gregor.

Abdicatio perfecta Paupertatis Religiosæ in tribus consistit.

Appendix Notabilis.

De Essentia, & Quidditate Religiosæ Paupertatis.

Ex dictis pono insignem distinctionem eorum, quæ ad Paupertatem Religiosam spectant, & varios modos, quibus ad eam spectant, quam desumo ex Libello quodam doctissimo R. & B. Memoriæ Patris, F. Gilberti Nicolai, aliàs Gabriëlis Maria, quem inscripsit *Bonus Pastor*, aliter *Tractatus de decem Plagis Fratrum Minorum.*

Tria igitur distinguit in Paupertate Religiosa: *Quidditatem* sive, *Essentiam*: *Accessoria* sive *Accidentia*, quæ Paupertatem vel comitantur, vel consequuntur: Et *Exemplaritatem.*

Tria distinguuntur in Paupertate Religiosa.

Et quidem ad *Essentiam* Paupertatis Religiosæ pertinere decernit: Abdicationem *omnis dominii politici, possessionis politicæ, proprietatis politicæ, ac usus politici.*

Dominium verò ponit in eo, quòd quis de re sua possit facere quidquid vult, eamque, si impediatur, defendere, & in judicio repetere.

Possessionem, ultra jus *dominii* docet superaddere actualem rei habitionem, sive quòd res in actuali potestate Domini consistat.

Proprietatem tandem *politicam* in eo, quòd quis in dominio, & possessione non habeat patrem, à quo dependeat, sed pleno & totali jure rem possideat.

Usum denique *politicum* in hoc, quòd re sua pro arbitrio suo utatur, absque ullius dependentia, vel dispositione. Quæ benè notanda sunt, ut Paupertas Religiosa, prout quemlibet in singulari contingit, plenè apprehendatur, juxta quæ eam in sequentibus explicabimus.

Accessoria Paupertatis ponit in omnibus, quæ paupertatem Religiosam cõcomitantur, vel consequuntur, etsi ad alias virtutes potiùs spectent, possintque interdum ab illa ex causis separari. Et exemplificat de tribus potissimis virtutibus: *Temperantia, Sufficientia* & *Humilitate*, Addo quartam virtutem, que est *Fidelitas.*

Unde 1. præclarè ponit *Temperantiam* arctare *Paupertatem Religiosam* ab omni excessu, superfluitate, & abundantia nimia, in cibo, potu, conviviis, commessationibus &c. Etsi enim Paupertas abdicaverit dominium, & usum juris in cibis, potibus, & aliis, ita ut alieno semper utatur, alieno vivat &c. Ne tamen quis putaret se posse alieno liberaliter dato, vel oblato cum omni excessu uti. *Temperantia* virtus, ut *Paupertatis* Sotor, moderationem, frugalitatem, sobrietatem &c. in cibo, potu &c. imperat: Ita ut quamvis Religiosus abundanter sibi propositis cibis, & potibus utens, contra *Essentiam* Paupertatis in rigore non peccet, quia planè alieno utitur: Si tamen excedat, contra *Temperantiam* excedit, & juxta rationem excessus, immò & scandali frequentiùs mortaliter peccat. Unde benè supradictus Auctor; *Pauperem (ait) usum nec moderat Paupertas, nec quoad qualitatem, nec quoad quantitatem, sed hoc est alterius virtutis, scilicet* Temperantiæ, *pretiositatem cibi, considerata conditione personæ, & rei qualitate, considerata etiam valetudine, docet cibum moderare.*

Secunda virtus est, *Sufficientia*, & *Contentatio*: Et hæc arctat abundantiam excessivam, numerositatem, & superfluitatem in ædificiis, vestimentis, supellectili, &c. *Habentes* enim

alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus, ait Apostolus. Unde Religiosi, etiam supposita facultate Benefactorum, & consensu Praelatorum, excedentes graviter in aedificiis, vestimentis, supellectili &c. non tam contra *Essentiam* Paupertatis peccant, (cùm alieno, de licentia eorum, ad quos spectat, utantur) quàm contra virtutem *Sufficientiae*, quae excessus tales prohibet, qui excessus quandoque juxta gravitatem materiae & circumstantiarum ad peccatum mortale pertingere possunt.

Tertia virtus, *Humilitas* arctat fastum, superbiam, pretiositatem: Unde fit, ut Religiosi non excusentur, qui in aedificiis, vestimentis, ornatu, fastum & superbiam sequuntur, quae in saecularibus etiam damnanda sunt.

Quarta virtus, *Fidelitas*, dirigit administrationem. Ita enim bona Deo, & Monasteriis data sunt, ut tamen fideli administrationi juxta cujusque Statum concredita supponantur: Et cùm tres sint potissimùm fines bonorum Monasteriis datorum, nimirum: *Sustentatio*, & *Conservatio* congrua Monasterii, & Religiosorum: *Cultus Dei*, & Ecclesiae incrementorum: *Auxilium Pauperum*; quidquid contra hos fines Praelatus, vel Religiosi praesumunt, contra *Fidelitatem* ministerii, vel usus peccant, & non jam Dispensatorum, sed Dissipantium nomen & rem acquirunt, & in foedas interdum prodigalitates, & dispersiones dilabuntur. De quibus suis locis singulariter.

Contra Fidelitatem qualiter peccetur.

Haec porrò proposui, ut fundamenta totius doctrinae sequentis: Hallucinationes enim graves in materia conscientiae & salutis video: Quòd aliqui ita attendant materiam Paupertatis Religiosae, & rigorosae Proprietatis, ut obliviscantur & *Temperantia* divino humanoque jure praeceptae, & *Sufficientiae* moralibus terminis cujusicumque Status limitatae, nec non *Humilitatis Religiosae*, ac *Dispensationis fidelis* & coram oculis Dei accuratae; pro qua strictam reddere rationem oportet in die judicii magni Dei.

Distinxi itaque *Essentiam* strictam *Paupertatis Religiosae*, contra subtilitates metaphysicas: Addidi virtutes Sorores, vel (si mavis) Pedissequas ad veram doctrinam stabiliendam: Addo (si non displicet) *Exemplaritatem Paupertatis*, quae ad ejus ornatum spectat, & absque qua honestè comparere publicè non potest.

Exemplaritas itaque Religiosae Paupertatis in hoc consistit, ut contra id quod interiùs servari debet, aliud contrarium foris non clamet, servetúrque Paupertas ita in publico, ut testimonium reddat Religiosae Observantiae in occulto. Igitur *Exemplaritas* Religiosae Paupertatis in hoc consistit, ut nihil foris appareat, quod contra Paupertatem Religiosam, juxta Monasterii sui conditionem realem, foris clamet. Ex hujus enim transgressione, etsi fortè in substantia Paupertatis non peccetur, peccatum tamen scandali dati meritò incurritur, dum Status Religiosus, excedentibus etiam Statum Nobilium Personarum sumptibus, profusionibus, pompis, & nescio qua praesumpta (ut abusivè loquuntur) magnificentia, magis sordidatur, quàm commendatur. Omnia sub libra Theologica, & pondere Sanctuarii infrà mensurabimus.

Exemplaritas Religiosae Paupertatis in quo consistat?

QUAESTIO II.

Quotuplex sit Paupertas Religiosa?

CONCLUSIO UNICA.

Paupertas Religiosa duplex est.

Paupertas Religiosa Duplex est: Alia *est in particulari dumtaxat obligans*; Alia, *in particulari, & communi.*

Paupertas Religiosa in particulari tantùm obligans, illa est, quae ita abdicat omne jus civile, & politicum ab omnibus singularibus personis per professionem Religiosam, ut tamen admittat dominia, possessiones, & proprietatem bonorum temporalium in communi. Talis est Paupertas Religionum bona in communi possidentium.

Dixi (*quae abdicat omne jus civile à singularibus personis* &c.) Etsi enim (ut statim dicemus) Monasterium possideat, nullus tamen possidet in singulari, & ne quidem Abbas potest aliquod jus civile sibi in bonis retinere, sed purus, & merus Administrator est, & quidquid agit quod jus aliquod civile sapit, nomine Monasterii agit, non proprio, nisi in qualitate Administratoris, quod & de aliis Officiariis intelligendum est.

Paupertas Religiosa in communi, & particulari est, quae omne jus civile, & politicum ad bona temporalia ita abdicat, ut nec Conventui in communi, nec particularibus personis, etiam Superioribus, competere possit. Et haec est *Altissima paupertas*, quam vovent omnes, qui sub Regula Fratrum Minorum S. Francisci in rigorosa sua Observantia militant, quocumque tandem nomine nuncupentur, ut sunt Observantes, Recollecti, Discalceati, Cappucini, & si quae alia Congregatio inveniatur Regulam non Privilegiatam observans. Et ita censuit Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularibus c. 2. & 3.

De hac porrò paupertate non intendo hic agere, quia sufficienter, & latissimè egi in *Expositione nostra literali in regulam S. Francisci* anno 1632. impressa Antverpiae; Cui & addidi hoc anno 1648. in 2. Editione *Relectionem Theologicam & literalem, de legitima Institutione, & usu Syndicorum Apostolicorum*, ut omnem suspicionem juris politici ab Ordine propulsarem. *Trident.*

* *
*

QUAE-

QUAESTIO III.

Ad quem pertineant propriè bona Monasteriorum, & qualiter dicantur esse Monasteriorum?

Pro Resolutione Notandum primò: Monasterium dupliciter sumi. 1. Pro loco, domo, structura, sive habitatione Regularium suis Titulis affecta, ut Fundationibus, Immunitate, Praeeminentiis, Exemptionibus. Et ita sumitur cap. *Luminoso, & c. Pervenit, ac c. Dudum* 18. q. 2. 2. Pro ipsa congregatione actuali, vel habituali Religiosorum, quae actu est vel potentia: Ita ut Monasterium dicat Congregationem non ex his vel illis in individuo cōstitutam, sed quae pro quacumque temporis differentia intelligitur esse posse, etsi quoad individua & varie mutetur, desinat. Quamvis enim supponat Monasteriū pro aggregatione multorum, non determinatur tamen ad haec vel illa individua, sed indeterminate ad ea, quae pro ratione temporis vel sunt, vel esse apprehenduntur. Qualiter Baldus V. *Civitas* dixit *Civitatem à Tyranno, vel Praedonibus destructam, sine ullo corpore materiali vivere, & ejus animam sine corpore extare, proinde sua privilegia retinere.* Et passim Civitas & Monasterium vocatur *corpus non moriens*. Et ut abstrahis à physico, dicitur: *corpus morale*, quia existentiā physicā in ratione corporis non habet.

Monasteriū dupliciter potest sumi.

Baldus.

Unde Notandum secundò: Monasterium non supponere pro Monachis simpliciter, & in individuo; nec pro congregatione simpliciter; sed duo supponere. 1. Habitationem sive locum pro Regularibus constitutum, suis Titulis affectū, id est, Fundationibus, Praelaturis, Jurib9, Jurisdictionibus, &c. 2. Habitatores, qui actu vel potentiā eum inhabitare, & Titulis juxta suam capacitatem gaudere valeant.

CONCLUSIO I.

Bona Monasteriis oblata non pertinent ad Abbatem, vel Monachos, tamquam ad veros Dominos.

Ratio mea Fundamentalis est: Quia simul consistere nequeunt abdicare jus & dominium politicum ad omnes res temporales, & illud jus retinere: Atqui omnis Religiosus professus Paupertatem Religiosam abdicavit à se omne jus civile, & proprietatem ad temporalia bona; Ergo ad nullum temporale bonum jus civile habet, aut proprietatem civilem, quae ad verum dominium requiruntur: Abbas enim est Monachus, & Religiosus professus paupertatem, cui dominium & proprietas è diametro contradicunt.

Quod amplius declaro: *Dominium, est jus disponendi de re aliqua tamquam sua, independenter ab illo.* atqui nec Abbas, nec Regulares cum Abbate possunt disponere pro libitu de rebus Monasterii tamquam suis, & independenter ab aliis: Ergo non habent in Res Monasterii verū dominium. Minorem probant jura communiter: Neque enim possunt alienare, aut permutare Res Monasterii absque licentia Pontificis: Nec aliter quam in majorem utilitatem, & commoditatem Monasterii: Nec in alios usus quàm Monasterii, regulariū, & pauperū, quae arguunt eos verum dominium omnino non habere. Et ita tenet Joannes Major in 4. d. 24. q. 7. Quem sequitur Navarrus Comment. 2. de Regul. n. 3. 34. & alibi:

Qualiter Abbas possit alienare vel permutare res monasterii.

Dices, Nec Abbas, nec Monachi in professione sua abdicaverunt à se dominium bonorū in communi, sed tantùm vovent Paupertatē, sive abdicaverunt proprietatem bonorum temporalium in particulari: Ergo possunt bona temporalia in communi habere, & consequenter possidere, & Domini esse.

Respondeo, *Habere bona temporalia in communi*, posse intelligi duobus modis. 1. Ut *Habere* dicit certum usum, conservationem, administrationem, dispensationem &c. absque dominio perfecto. 2. *Ut habere* dicit dominium verum, possessionem, & proprietatem, quae respicit non tam singulos, quam collective Capitulum, & congregationem. Dico igitur regulares cum Abbate primo modo posse habere, & de facto habere bona tēporalia in cōmuni salvo voto paupertatis promissae: Habent enim ad usum sustentationem, conservationem, dispensationem, administrationem &c. quae & Abbati & Conventui sive Capitulo respective est concredita: Et hoc modo, *Habere*, dicit quidem jus Ministerii, & dispensationis, ac debiti usus, quod Monasterio ex vi Fundationis, & donationum competit. Et eo modo Abbates, & Monachi bona habere in communi dicuntur. Quod tamen spectat ad secundum modum Habendi, qui pertinet ad verum dominium, veramq; proprietatem, tali modo non habent: Quia etsi pro se non repugnet particulari Voto; repugnat tamen Statui Religioso, ad quem essentialiter spectat abdicatio dominii & proprietatis, quia fundatur Status super verbis Christi: *Si vis perfectus esse, vade, & vende quae habes, & c. & veni sequere me.* Item Lucae 14. *Qui non renunciat omnibus quae possidet, non potest esse meus discipulus:* Quomodo autem omnia quae habet vere possidet relinquere dicitur in veritate, qui interdum pinguiorem adit possessionem? Hoc igitur solo sēsu salvatur perfectio Status Religionis in Ordinibus possidentibus: Quòd Regularis omne jus strictum dominii, & Possessionis relinquat, & quamvis adeat Monasterium possidens, alieno tamen, & alienā voluntate vivens, intra terminos congrui alimenti, & sustentationis, dicitur tantùm habere illa, ut Membrum Ordinis, & Congregationis; quia de iis participat, & aliàs suo suffragio & fidelitate ea cum aliis conservare tenetur.

Matt. 19. 21.
Luc. 14. 33.

* *
*

CONCLUSIO II.

Bona monasteriis oblata Deo addicta sunt.

Bona monasteriorum, sive monasteriis donata, oblata, vel quovis modo justo acquisita, stricto dominio ad nullum purum hominem pertinent, sed Deo consecrata & addicta sunt: Porrò titulo tenus certo Ordini, seu monasterio affixa sunt ad tollendam incertitudinem; Sunt etiam fine ac intentione Donantium, vel monasteriorum conditione determinata ad evitandam dissipationem: Abbatum vero & Superiorum sive Officiariorum dispensationi concredita, ad servandam justitiæ distributivæ æquitatem: Suprema deniq; potestati & judicio Ecclesiæ Romanæ subjecta, ad dirimendas omnes difficultates, quæ suboriri possunt.

Hanc conclusionem sic partibus suis dispertitam pono, ad evitandas lites & pugnas verborum, & contentiones Doctorum, ad servandam puritatem Status Religiosi; ad tuendum patrimonium Christi, sub visibili Capite universalis Ecclesiæ; eamque cum omnibus suis partibus sic deduco, per sequentes paragraphos.

§. 1.

Dominium strictum & verum bonorum monasteriis incorporatorum, ad nullum hominem purum pertinet.

PRo cujus intelligentia supponendum est: Dominia rerum post peccatum incepisse, & occasione iniquitatis, & peccati: quamvis postmodum jure Gentium, pro bono publico, & ad evitandam confusionem per certam distributionem regulata fuerint. Unde jure naturæ à principio omnia fuerunt communia, & communi hominum usui tradi à à Deo. Cujus

Ps.23.1. *est & terra & plenitudo ejus, orbis terrarum & universi qui habitant in ea* Ex quo concluditur dominium politicum non necessariò constitui res ipsas, sed res posse à dominio separari, sicut & ususfructus; Antequam enim possessiones dividerentur, res temporales nullius dominio subjiciebantur, & consequenter *Ususfructus & usus simplex* facti à dominio separabantur. Hoc supposito titulus paragraphi sic probatur.

Res monasteriorum, seu monasteriis incorporatæ, ita Deo oblatæ, seu consecratæ censentur, & suis finibus circumstantionatæ, ut nullus hominum de illis plenariè & independenter disponere possit: Ergò illas nullus hominum perfectum dominium habet. Antecedens patet: Sunt enim tantis vestitæ conditionibus, ut nonnisi pro necessitatibus & commoda conservatione monasterii, Regularium vel pauperum usibus applicari possint, aut alias vendi, alienari, vel minari, nisi in monasterii utilitatem &c. idque dependenter à S. Sede Romana, quæ omnia perfecto & stricto dominio repugnant Hac ratione à SS. Patribus bona illa vocantur *Patrimonium Christi, Vota Fidelium, Pretia peccatorum, bona pauperum*, & ita à Domino cujuscumq; separantur, ut si in alios usus quovis modo distrahantur, quàm eos quibus sunt oblatæ vel acquisitæ, sacrilegium committatur, juxta illud Urbani Papæ epist. 1. ad omnes Episcopos: *Res Ecclesiæ, non quasi propriæ, sed ut communes, & Domino oblatæ, cum summo timore non in alios quàm in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ ne sacrilegii reatum incurrant, qui eas inde abstrahunt, quò tradita sunt.*

§. 2.

Bona monasteriis incorporata, titulo tenus Ordini seu monasterio affixa sunt, ut sufficienter ab omni confusione, & alienatione usurpatione vindicentur.

HUnc paragraphum docent jura omnia quæ vel locis monasteriorum vel Ordini alicui bona temporalia adscribunt: Ne enim in incertum bona dilaberentur, affixa velut fuerunt in titulum Domibus religiosis, monasteriis, Dignitatibus, Prælaturis, quarenus hoc modo intelligantur ab aliis separata, & certo usui aut utilitati addicta, sub ministerio eorum, qui in monasteriis incorporati sunt, vel dignitates aut Prælaturas obtinuerunt: *Titulus* enim juxta Rebuffium de pacif. Possessor. n.6. quandoque dicitur *Signum*, & quandoq: *Omnis causa dominii:* Bona igitur monasteriorum monasteriis in *Titulum* data sunt, prout *Titulus* dicit *signum incorporationis invariabilis* monasterio factæ, sub perpetuo usu, administratione, & dispensatione, & hic *Titulus* absque vero dominio sufficiens est ad conservanda bona Deo oblata & consecrata & acquisita ad fines, ab Offerentibus, Donatoribus, & quovis modò acquirentibus, & ab ipsa ecclesia rerentos, absq; violatione Paupertatis religiosæ, statui competentis: salvanturq; eo titulo omnia jura & modi loquendi Canonum, ac religiosæ Paupertatis decus & honestas: Omnia enim quæ ex dominio competere possunt Religiosis, æquivalenter in *Titulo* illo *Signi* continentur, & quæ absq; detrimento Paupertatis religiosæ illis attribui non possunt, illo *Titulo signi* ab eis removentur, ut ex infra dicendis clarius patebit.

§. 3.

Bona monasteriis incorporata, eò quòd ex fine Donantium intentione & conditione monasteriorum determinata sint, ab omni dissipatione sufficienter defenduntur, absque eorum stricto dominio.

RAtio hujus Paragraphi etiam manifesta est: Tres enim (ut supra dixi) sunt fines, ob quos bona monasteriis donata, oblata, vel acquisita censentur. Nimirum: Primus: *Sustentatio Religiosorum.* Secundus: *Conservatio Monasterii & Ecclesiæ.* Tertius: *Pauperum subsidium.* Hos fines si quis graviter excedat, præter peccatum mortale, tenetur ad restitutionem, sicut & alii, qui extra hos fines à Religiosis vel Prælatis

Fines bonorum oblatorum monasteriis.

latis aliqua accipimus, de quibus infrà dum de donationibus & variis dispensationibus illorum bonorum agemus. Unde bona monasteriorum his finibus conclusa melius defenduntur, quàm si vero dominio à monasterio sive Religiosis possiderentur, absque injustitia enim vel injuria possent dissipari, donari vel expendi, etsi non absque peccato.

§. 4.

Bona monasteriis incorporata, ex sola administratione & dissipatione Abbatum & Prælatorum, absque vero dominio majori æquitate & æqualitate distribuuntur.

Ratio iterum hujus Paragraphi est: Quia sanctis Legibus & pœnis Administratores ita arctari sunt, ut etiam in judicio cōveniri possint, si administrationis suæ leges excedant, immò & in judicio repeti, aut regulari, quæ fortè prodigâ effusione, vel illegitima expensione distributa probabuntur. Quod circa veros Dominos fieri nequit: Verus enim Dominus respondere posset: *Aut non licet mihi quod volo facere?*

§. 5.

Omnes difficultates, quæ defectu veri Domini in bonis monasteriorum evenire possent, sufficienter absque vero Religiosorum dominio in illa suprema S. Sedis potestate sedantur.

Quomodo bona monasteriorum subjiciantur dispositioni Papæ.

Ratio est: Quia bona monasteriorum in omni difficultate, cum sint *Bona & Patrimonium Christi*, in Vicarii Christi protectionē, defensionem, & plenissimam inter terminos Honesti dispositionem revolvuntur, cui Suprema Potestas data est à Christo in Ecclesiæ defensionem, & cujus Tribunali universalis Ecclesia subjicitur.

COROLLARIUM.

Ex dictis itaque patet: Frustrà de dominii & Possessionis nomine disputari in ordine ad Statum religiosum: Sufficit illi Paupertas, quæ vero dominio rejecto, ita res omnes temporales à se abdicavit; ut tamen divina providentia illi per pietatem Fidelium, Protectionem Ecclesiæ, administrationem Prælatorum, redundantia etiam subsidia in decorem ecclesiæ & pauperum opitulationem providerit, eddens etiam centuplum in hoc mundo: Unde si quando dicantur monasteria habere dominia, possessiones, jura temporalia &c. ista debent intelligi quoad *Titulum*, quia monasteriis Tituli dominiorum sunt affixi: Quod si referantur termini isti ad Prælatos, vel Regulares, sive Regularium Capitula & Congregationes: tunc illi termini *Analogicè* sumi debent, sive (ut aliqui loquuntur) *administrativè, non possessivè.*

QUÆSTIO IV.

Quibus terminis Paupertas Religiosa in particulari, sive respectu particularis Religiosi concludatur?

CONCLUSIO UNICA.

Quatuor Terminis concluditur Paupertas Religiosa in particulari. 1. Uti rebus tamquam non suis. 2. Uti de voluntate rationabili Superiorum. 3. Uti juxta modos in Regula, vel Constitutionibus cujusque Religionis expressas. 4. Uti intra limites honestatis & modestiæ. *Quatuor termini religiosæ paupertatis.*

DUBIUM I.

Quid sit uti rebus tanquam non suis?

RESOLUTIO I.

Ille dicitur uti rebus tanquam non suis qui nullum jus nullam actionem juris, ne quidem quoad usum sibi vendicat, sed utitur rebus prout sunt aliena, & ad aliū (ex. gr. ad monasterium) spectant.

RESOLUTIO II.

Religiosus utens rebus tamquam suis, verè proprietarius est, contra illud Act. 4. *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia &c.* Et in hoc consistit ratio essentialis paupertatis, ut quis alieno vivat, alieno utatur, & quamvis res aliqua suis usibus sit applicata, non suam tamen reputet, sed alienam; Unde quod suprà Scriptura dicit: *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat*, ly (*quæ possidebat*) debet retrotrahi, hoc est, *quæ possederat*, antequam ad pedes Apostolorum allata erant: Hoc ipso enim quòd jam ad pedes Apostolorum deferebantur à fidelibus, censebantur afferentes renuntiare illorum proprietati, & in communes usus conferre, & devolvere. Unde benè Petrus c. 5. ad Ananiam: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate?* Quasi diceret: Antequam agrum venderes, tuus manebat, & postquam vendidisti, pretium in tua potestate erat: Sed eo ipso, quo Domino ad pedes nostros obtulisti, jam amplius tuum non est, sed applicatum communibus usibus Ecclesiæ: In hoc autem Spiritui sancto mentitus es, quòd totum pretiū asseruisti te afferre, cùm tantùm partem quandam attuleris. Act. 5. v. 3

Ex hoc textu Scripturæ sacræ discooperiuntur mendacia multa contra Spiritum sanctum, ob fraudes palliatas tentatione Satanæ in abdicatione bonorum temporalium ingruentes; quarum sufficiat mihi catalogum texere, posito prius fundamento irrefragabili Paupertatis Religiosæ.

Fundamentum irrefragabile Paupertatis Religiosæ.

1. Cor. 3. 11. **F**undamentum aliud (inquit Paulus 1 ad Cor. 3.) *Nemo ponere potest præter id quod positum est, quod est Christus Jesus.* Hoc est, ipse, & doctrina ac verbum ejus; Igitur in Paupertate Religiosi nemo potest ponere aliud Fundamentum, præter illud, quod, *Christus Jesus* posuit: Hoc autem est:

Nisi quis renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Renũtiare omnibus quæ quis possidet, quid sit? **R**Enuntiare verò omnibus quæ aliquis possidet, nihil est aliud, quàm abdicare à se omne jus politicum, etiam jus utendi, omnemque juridicam & civilem administrationem; sive rem, quæ sua erat, non suam facere, & velut repudium facere omnis juris & dominii. Hoc autem fundamento posito manifestum est varios abusus, & errores contrà Paupertatis votum sub metaphysicis considerationibus irrepere.

Abusus & peccata varia contra primum Terminum Paupertatis Religiosæ, qui est: Uti rebus tamquam non suis,

PRimò igitur peccant mortaliter, juxta rationem gravitatis materiæ, qui ante professionem sibi pecunias, census, reditus, præstationes & similia, quovis nomine nuncupentur, reservant, suo libitu & arbitrio, etiam in prætextus necessarios absque licentia, dependentia & certa ac legitima voluntate Superiorum expendenda, dispensanda, sive disponẽda: Et quamdiu in illis perseverant, sunt in statu damnationis. Ratio est, Quia ista reservatio, & actus inde sequentes, sunt directe contra votum paupertatis, & qui sic reservant, convincuntur in actione sacra & Religiosa votorum *Mentiri Deo, & Spiritui Sancto.* Quod, ut benè intelligatur, latius explico.

Dixi (qui sibi) omnia enim quæ Monachus reservat in professione, non sibi, sed Monasterio, sive in perpetuum, sive ad vitam reservare censetur; sicut & quidquid post professionem acquirit, censetur acquirere Monasterio.

Dixi (sub libitu &c. expendenda, dispensanda, sive disponenda) Hac enim sola ratione censentur non renuntiare omnibus quæ possident, & consequenter mendaciter coram Deo, & hominibus, votum Paupertatis Religiosæ emittunt, quod est contra actionem sacram Religiosæ professionis, ratione profani mẽdacii, merum sacrilegium. *Manens enim* (ait Act. 5. 3. S. Petrus) *tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate.* Quomodo igitur non mentiuntur Spiritui Sancto, dicentes se paupertatem sine proprio vovere, qui nihilominus supra dictorum dispositionem in sua potestate reservant?

Dixi (absque licentia, dependentia, & certa ac legitima voluntate Superiorum) Tria enim requiruntur ut in ordinibus possidentibus aliqua sibi profitens reservare possit. 1. Causa justa & rationabilis. 2. Licentia, & dependẽtia realis, & non ficta à volũtate Superiorũ. 3. Voluntas Superiorũ certa, & legitima. Quibus deficientibus, reservatio profana & sacrilega est.

DUBIUM II.

An possit dari justa causa, ob quam Novitius, vel professurus possit reservare sibi aliquando peculium post professionem?

Sibi aliquid reservare dupliciter intelligi. **A**Dvertendum 1. illos Terminos (*Reservare sibi*) dupliciter posse intelligi. 1. Ut illud *sibi* est *possessivum & possessionem* indicat, quasi reservet sibi peculium possidendũ. 2. Ut illud *sibi* dicit tantum *applicationem vel simplicis facti usum,* quasi reservet peculium sibi, id est suæ necessitati vel usui applicandum. *Peculium* porrò vocamus *pecuniam sive rem quãcumque mobilem vel immobile, ut eleëmosynam, reditum temporarium, sive vitalitium, aut res alias temporales, pretio æstimabiles, quæ privatis usibus cedunt.*

Advertendum 2. Novitium, sive professurum, posse sibi, sive suis usibus aliquid reservare. 1. Dando pecuniam sive rem, aut reditum Monasterio, eâ conditione, ut Monasterium in Reservantis usum & necessitates illam subministret. 2. Obligando bona vel heredes, ut pecuniam, rem, vel reditum stato tempore Monasterio vel professo subministrẽt, sive solvãt. His sic prænotatis pono sequentes Resolut.

RESOLUTIO I.

De Reservatione Possessiva.

SI *accipiatur pronomen sibi possessivè, sive ut possessionem indicat: Non potest Novitius reservare sibi ullum peculium, reservatione possessivâ, nec ulla causa ad hoc illi suffragari potest.*

Ratio est: Quia talis reservatio includit in se meram proprietatem, sive spectetur in dominio rei, sive in usufructu, sive in usu juris.

Abusus & peccata.

UNde 1. Novitius, qui supradicto modo sibi aliquid retinuit, ita ut *possessivè* de te illa disponere, uti, gaudere, absque dependentia vera & totali Superiorum intendat, professionem emittens peccat mortaliter, & quamdiu hujusmodi reservationem à se non abdicat, in continuo statu peccati mortalis est. Ratio est: Quia & in professione Deo mentitus est, & post professionem in proprietatis peccato vivere supponitur.

2. Peccant similiter mortaliter, & in peccato mortali vivunt. Qui heredes, vel hereditatem onerant aliquo simili peculio, suæ Personæ

sonae tamquam Domino, sive usufructuario, sive alio jure ad propriam, & independentem dispositionem vel usum, relicto.

3. Qui legato simili reservatione sibi facta ita in se assumunt, ut non aliter dari, vel solvi sustineant, immò impediant ne solvantur nisi juxta eorum voluntatem; & quamdiu in tali voluntate & statu perseverant, in peccato mortali existunt.

RESOLUTIO II.

De Fratribus Minoribus.

Fratri minori professura omnis reservatio bonorum ex vi Regula interdicta est.

FRatrum Minorum Regulam secundum puritatem Regula profitentibus, omnis reservatio sibi sive a se, sive ab alio, etiam applicativè facta, est illicita & peccatum mortale inducit, absque eo quod aliqua causa justa ei suffragari possit.

Hæc resolutio constat ex ipsa S. Francisci Regula, & Pontificum Declarationibus, Præterquam enim quòd Frater Minor abdicet à se omne dominium, usumfructum, & usum cujuscumque rei, tam in communi, quàm in particulari: singulariter removetur ab omni quod reditum sapit, non tantùm in denariis, & pecuniis sed etiam in omni re usuali, & temporaria, ita ut ne quidem liceat per modum providentiæ in futurum aliquid temporale sibi reservare, nisi subsistente, vel imminente usus convenientis necessitate; ut per Summos Pontifices Nicolaum III. in Extrav. *Exiit qui seminat*, & Clem. V. *Exivi de paradiso*, Liquidò constat. Quinimo cuilibet professuro dici debet à Superiore verbum Evangelicum: *Ut vadat, & vendat, omnia sua, & studeat ea pauperibus erogare.* Quæ verba, etsi in sensu positivo non obligent necdum professum, obligant tamen in sensu ampliato & negativo; nimirùm: Ut sibi nihil retineat, sive in possessionem, sive in usum futurum per modum providentiæ, & mundanæ sollicitudinis.

DICES. Fratres Novitii possunt eleëmosynam facere Conventui in quo recipiuntur, vel etiam aliis conventibus (ut declarat Nicolaus III. Extrav. *Exiit qui seminat*) post suam professionem à Conventibus recipiendam pro cōmunibus necessitatibus: Ergo & sibi, sive pro suis necessitatibus applicandam.

Respondeo distinguendo de necessitate: Aut enim necessitas illa jam subsistit, aut ita imminet, ut ei debeat statim opportunè provideri, & hoc modo potest Novitius elargiri eleëmosynam pro necessitate conventus, vel etiam particularis Fratris à superiore applicandam, & conventus potest acceptare; Aut, necessitas est tantùm generalis, & futura etiam in longum tempus, ut post unum aut alterum annum, &c. cui per viam ordinariam commodè suo tempore provideri potest: & hoc modo non licet Fratri Minori acceptare & consequenter Novitius professurus, qui sciens & volens hoc modo reservat eleëmosynam sive pecuniariam, sive rei alicujus temporalis, sub sua dispositione, vel sibi applicādam, jam consentit in actum peccati mortalis, quod post Professionem ex vi votorum statim exurgit.

Ex quibus infero; licere quidem Novitio elargiri Ordini, sive Conventui juxta Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularibus c. 16. duobus mensibus ante professionem, eleemosynam pro necessitatibus præsentibus vel imminentibus ædificiorum, bibliothecæ, infirmorum &c. immò & pro habitu, vestimentis, & necessariis sibi in professione sua, etiam suis usibus sub beneplacito superioris applicandis; nullatenus tamen licere eleemosinas reservare in futurum, pro studiis, primitiis, infirmitatibus, vel necessitatibus contingentibus, sive aliis suis commoditatibus, etiam sub beneplacito suorum Superiorum sibi, vel aliis applicandas. Consulat Frater Minor Regulam suam, Declarationes Pontificum, & (si velit) *Expositionem nostrā litteralem in Regulam*. Hæc autem posui, ut sciat omnis Theologus *Altissimam Paupertatem* Fratrum Minorum multum excedere Paupertatem aliorum Religiosorum: Et ut interdum, qui Novitiorum Ordinis Minorum Testamentis, & dispositionibus adsunt, eis benè consulere possint. Pono itaque errores aliquos, & lapsus meritò emendandos.

Abusus & peccata.

Novitius Professurus inordinate minorū reservant vel heredes obligās ad eleëmosynas pecuniarias &c. in futurū peccat.

PEccant itaque: Qui reservant, vel heredes obligant, ut eleëmosynam pecuniariam, vel etiam res alias futuris temporibus elargiātur prætextu studiorum, primitiarum, infirmæ valetudinis, recreationum &c. etiamsi reservatio illa fieret sub beneplacito Superiorum. Ratio sufficienter inculcata est, quia hæc sapiunt reditum quemdam, & obligationem in futurū, præterquā quòd obligatio pecuniaria sit omnino in ordine illo damnabilis: Cujus quidem obligationis passivæ Ordo non est capax, multòminus Frater particularis: Heredes autem etsi obligationis activæ sint capaces; illa tamen cessat, termino & correlativo cessante

Nec sibi abblandiantur, qui per modum puræ eleëmosynæ se recipere asserunt: Eleëmosyna enim in futurum contingens reservata, incerto vivendi modo Fratrum Minorum repugnat. Aliud est de certis, & veris necessitatibus, quæ velut incipiunt esse, nec possunt expediri, nisi longo tractu temporis, ut pro ædificiis &c. licetet enim (ut dictum est) eleëmosynas hujusmodi Fratri Minori acceptare, tempore debito applicandas.

Peccant 2. mortaliter Fratres, qui permittunt parentibus sibi legata quædam annua relinqui, suo arbitrio & rogatu disponenda, pro suis vel Conventuum necessitatibus: Hæc enim & proprietatem saltem mentalem annexam habent, vel involucra multa conscientiarum secum trahunt; & ad illa non licet Fratri Minori recurrere, nisi subsistente, vel imminente verā necessitate. Et ita explicanda est intentio legantis, ut non maculetur conscientia Fratris Minoris; nec etiam mentiatur iniquitas sibi.

Adnotatio Pia.

NE verò sæculares personæ, quæ ignorant Statum Religiosorum, aut scrupulis angantur, aut à piis legatis, & eleëmosynis in domos Regulares, vel Religiosas absterreantur, regulanda est earum intentio Regula Generali, quæ sumitur ex Nicolao III. in Extrav. *Exiit qui seminat* &c. de verb. signific. in 6. quæ est.

Regula Generalis.

Quomodo legata pia Fratr. minoribus testamento relicta censentur?

L*Egatum pium relictum Fratribus Minoribus: Sub modo licitè Fratribus intelligitur esse relictum; ita quòd nec legans meritò, nec Fratres ipsi effectu Relicti fraudentur.* Ita Pontifex.

Ex hac igitur Regula Pontifica, legata dubia ex modo, capacitate, vel incapacitate personarum, quibus, vel in quorum utilitatem legata fiunt, interpretanda sunt: ut dum constat de pia, & libera voluntate Testatoris, quæ legantur uni Fratri, vel in favorem unius Fratris, censeantur legata monasterio vel conventui; applicanda quidem Fratri, vel in favorem ejus, eo modo, quo ex judicio Superiorum capax est; ita ut nec legans privetur merito suæ pietatis, & devotionis (quem certò constat non velle ista relinquere alicui in peccatum, vel contra statum suum) & Legatum non careat effectu, quem pietas intendit; ut nimirum: Si Frater, cui, vel in cujus favorem fit, illo modo in Testamento expresso non sit capax, censeatur legatum factum Conventui, sive monasterio, cujus membrum ille Frater est, si monasterium sit capax. & eo modo est coram Deo capax. Quod communi juris axiomate probatur: quo, *Omnis conditio impertinens & vitiosa in contractibus & actibus alias legitimis adhibita censetur ut non adhibita nec annexa.* Et hæc Regula universaliter applicari potest omnibus piis donationibus, legatis, contractibus &c. quando de voluntate & pietate donantis, legantis, vel contrahentium constat &c. In quibus omnibus, quantùm debet cohiberi heredum cupiditas, tantùm debet foveri donantium, vel legantium pietas, ut habeat effectum suum. Dixi notanter (quando de voluntate & pietate donantis &c. constat) si enim è contrariò constet de aliquo dolo vel inductione, quæ similes errores causare non rarò solent, ista sunt magis ponderanda, quàm conditiones aliquando minùs congruæ, sub quibus donationes vel legata fiunt. Conditiones enim interdum ab Episcopis, & iis quorum interest rectificari possunt, voluntates fundamentales non possunt.

* * *

Resolutio III.

De reservatione applicativa & usuali peculii respectu Religiosorum possidentium.

Professum in religione possidente, quandoque sibi peculium reservare posse.

P*Otest dari interdum justa causa indirecta Professo in Religionibus possidentibus reservandi peculium sibi, vel pensionem, de voluntate Superiorũ in fines licitos applicandam.* In hac Resolutione omnia continentur, quæ ad rationem liciti peculii pertinent in Religionibus. Quare breviter expono omnes particulas, infrà suis locis latius explicandas.

Dixi (*interdum*) non enim omni tempore, neque omni circumstantiâ loci vel conditionis personarum hoc licet, ut dicatur justa causa: nam uno tempore, ut tempore belli vel annonæ; unâ loci circumstantiâ, ut inter hæreticos vel infideles; una personæ constitutione, non tantum jure poli, sed etiam jure humano leges interpretante oritur justa causa observandæ pensionis, & usus peculii, quæ alio tempore, circumstantia, vel conditione non subsisteret.

Dixi (*justa causa indirecta*) Illa autem dicitur *justa causa*, quæ juri Divino & humano conformatur, & quæ ex æquitate & principiis justis deducitur. Dicitur verò (*indirecta*) quia non ex directo Religiosi status fine, sed ex obliqua, & velut accidentali circumstantia justificatur. Quæ duo sic explico: Jus divinum naturale inducit obligationem conservandæ vitæ propriæ; Jus humanum conservandi Statum suum modo legitimo: vocatur autem Joannes ad Religionem, & petit recipi in aliquo monasterio possidente, quod vel injuriâ temporis, vel exordii adhuc pauperis, non potest illũ sustentare, sive ei necessaria subministrare, & in quo ob præfatas causas vita communis non viget: Joannes isto casu potest reservare aliquam pensionem super sua hæreditate quam derelinquit, quæ sub beneplacito Abbatis, sive Superioris, ipsius necessitatibus, & congruo usui intra terminos Religiosæ honestatis, post professionem applicatur. Hæc autem justa est causa, tum jure naturali, pro conservatione vitæ; tum jure positivo humano, quo potest uti congruis mediis ad honestatem Religiosam Statûi competentem similiter conservandam. Dicitur autem (*indirecta causa*) quia ab externa causa belli, vel injuriæ temporum per accidens oritur, contra directum finem. Directus enim finis Monasticæ, & Cœnobiticæ vitæ est, ut communis vita, communibus bonis, communi labori, spirituali, vel temporali, communibus velut stipendiis serveatur, juxta textum Act. Apost 4. *Multitudinis credentium erat cor unũ, & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Neque enim erat quisquam egens inter illos.* Cujus causam subnectit, quia cùm afferrent omnia pretia agrorum, & possessionum ad pedes Apostolorum: *Dividebatur singulis* Act. 4. 32.

gulis prout cuique opus erat. Insignis vitæ Monasticæ forma.

Dixi (*de voluntate Superiorum*) quæ debet esse *libera prudens, discreta, charitativa: Libera,* ut non sit coacta, extorta, aut quovis modo impedita: *Prudens & discreta,* ut terminos honestatis, & congruitatis Religiosæ non excedat: *Charitativa,* ut indigentiam subjecti attendat.

Dixi (*in fines honestes applicandam*) Displicet enim cujusdam doctoris, quamvis gravissimi, opinio, quæ à peccato mortali excusat Religiosum, qui de licentia Superioris expendit peculium, sibi ad suum arbitrium concessum, in usus turpes, & velut eos qui accipiunt non teneri ad restitutionem. Quæ opinio juri Divino & humano repugnat: Nam præterquam quod ex natura sua, expendere pecuniam, vel rem aliquam in usus turpes sit peccatum mortale; Prælatus jure administrationis non potest, nec sibi arrogare, nec alteri talem licentiam concedere: minùs inferior potest uti: Et Prælatus dans licentiam generalem peculium concessum expendendi pro beneplacito subditi, censetur ex natura rei excludere turpem usum. Et quidem in Prælato talis licentia repugnat dispensationi, quæ ei concredita est, tam ex ratione bonorum, quæ Monasterio sunt adscripta, quàm ratione finis, propter quem sunt adscripta: Ac tandem impingit in terminos paupertatis Religiosæ, intra quos & bona, & administratio bonorum Monasterii est conclusa: de quibus suprà q. 4. in concl. Sed ad alia procedamus.

Dubium III.

Quando Religiosus ditatur uti Rebus cum rationabili voluntate Superiorum?

Resolutio Unica.

Ut religiosus licitè utatur rebus duo requiruntur.

UT *Religiosus censeatur uti Rebus de voluntate rationabili Superiorum, duo requiruntur.* Alterum: *Ut verè Superior liberà voluntate usum rei concedat, vel in usum consentiat:* Alterum: *Ut voluntas sit justa, nimirum ut causam justam habeat, & voluntas sive consensus ejus potestatem non excedat:* His enim clauditur terminis jus administratorium, sive dispensatorium, quod Prælatis concreditum est, respectu bonorum Monasterii.

Abusus & peccata.

COntra *Primum* itaque peccare convincuntur Religiosi, qui dolo, fraude, falsis informationibus, simulatione necessitatis vel infirmitatis, molestiis, vexationibus, importunitatibus inquietis, voluntatem Superiorum, eorumque licentiam, vel potiùs dissimulationem extorquent. Hæc enim voluntas vere voluntas non est, sed quædam dissimulatio, & permissio mali, sive minoris ne eveniant majora; sive simpliciter mali, ex defectu fortitudinis & constantiæ.

Peccant contra *Secundum*; qui defectu fortitudinis scientiæ, aut ex nimia libertate, & relaxatione permittunt usum rerum Regulatibus subditis, absque justa & rationabili causa, immo sæpè contra justitiam & eorum salutem, suntque non rarò causa damnationis multarum animarum, & relaxationis Religionum: Et tales licentiæ datæ non sunt dispositiones, sed dissipationes, & qui talibus facultatibus Superiorum utuntur, non sunt tuti in conscientia, sed res à se abdicare tenentur, aut saltem talibus facultatibus non uti.

Porrò hic duplex Superioris *voluntas*, sive *licentia* est advertenda: Alia enim est *expressa* sive *explicita*: Alia est *tacita* sive *implicita*, ad quam etiam pertinet *interpretativa*.

Licentia sive *voluntas expressa* Superioris dicitur, quæ verbo, scripto, vel aperto & explicito signo est manifestata: *Voluntas tacita* sive *implicita* censetur, quando ex circumstantiis nõnullis probabiliter usus rei creditur Superiori placere, aut non displicere. *Interpretativa* tandem voluntas & licentia dicitur, quando ex circumstantiis necessitatis, justitiæ & rationis concluditur, quod Superior vellet & licentiam daret, aut etiam dare teneretur, si adesset, & consuli posset.

Notandum etiam est Quod voluntas Superioris aliquando terminetur ad rem ipsam, sive usum rei simpliciter: Aliquando verò ad aliquem modum, vel circumstantiam usus rei. Ex. gr. Superior non vult absolutè ut Petrus utatur pecunia ab amico oblata, libro aliquo singulari &c. Aut vellet quidem Petrum uti, sed non publicè, vel coram aliis, sive aliis scientibus &c. contra voluntatem absolutam Prælati, quæ terminatur simpliciter ad usum vel receptionem rei, sub pœna peccati proprietatis non licet re aliqua uti: contra modum autem contingentem ab extrinseco usum rei agere, est magis agere contra obedientiam, non verò contra votum paupertatis, quia censetur Prælatus consentire in usum rei, dissentire autem tantum à modo aliquo accidentali usus.

Dubium. IV.

An possit Superior Religioso professo ex aliqua causa concedere peculium, reditus, administrationem, dispensationem, vel dispositionem aliquarum rerum mobilium vel immobilium in particulari?

Differentia hujus Dubii à Dubio 2.

HOc Dubium à Dubio 2. differt, quod 2. de Reservatione peculii à necdum Professo, cum adhuc sui juris, & suorum bonorum Dominus est, agat: Hic autem quæratur de peculio, reditu, administratione, quæ post professionẽ advenit: Et quamvis in multis conveniant, in plurimis tamen differunt. Debet tamen utrumque dubium legi & conferri, ob communes aliquas convenientias, ut tota hæc materia bene penetretur. Ut autem

Dubium, quod est gravissimum & fundamentale, clarius resolvatur, aliqua prænotanda, sive etiam præsupponenda sunt.

Primò: hic non agi de proprietate sive reali possessione alicujus peculii, pensionis, sive reditus: Hanc enim repugnare votis & statui religioso suprà docuimus. Et clarum est illud axioma ex Innocentio III. c. *Cum ad monasterii. Abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis adeò est annexa Regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Unde disputent Auctores de reditibus, quos dicunt permitti aliquibus monialibus, & quos aliqui sustinent ipsis concedi in dominium, proprietatem & possessionem: Dicam ego, si quid tale fiat etiam auctoritate Apostolica, hujusmodi Moniales sic possidentes non esse veras Religiosas in essentiali statu religionis ab ecclesia approbatæ, sed tantum accommodè & secundum quid, nomine scilicet generali, quo antiquitus viventes in habitu Religioso, & observantiis nonnullis antiquarum Religiosarum, ut in cœlibatu & obedientia quadam domestica, ampliatione verbi *Sancti-moniales & Religiosæ* dicebantur, ut *Canonissæ Pinzolhere, Conversitæ, Oblatæ, &c.* De quibus videndus est inter alios Tamburinus de jure Abbatiss. tom. 2. disp. 7.

Agitur itaque in hoc dubio tantum de peculio, reditu, pensione usuali, sive quæ ad merum usum facti conceditur, revocabiliter tamen, & juxta beneplacitum Superioris.

Con. Trid. constitutiones pro hac materia. Præsupponendum & notandum 2. Conciliū Tridentinum sess. 25. de Regularib. multa statuisse, quæ ad hanc rem nostram spectant. Postquam enim c. 1. præcepit restitui quæ ad vitam communem, victum & vestitum pertinebant; Cap. 2. decernit,

1. *Nemini Regularium tam virorum quàm mulierum licere bona immobilia vel mobilia, cujuscumq; qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere vel tenere: sed statim ea* (inquit) *Superiori tradantur, Conventuiq; incorporentur.*

2. *Nec deinceps* (ait) *liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem aut commendam.*

3. *Administratio autem bonorum monasteriorum, seu Conventuum, ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.*

4. *Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum Supellex statui paupertatis quā professi sunt, conveniat, nihilq; superflui in ea sit, nihil etiam quod necessarium eis denegetur.*

Notandum 3. Ea quæ Concilium Tridentinum supra decernit & mandat, non esse puri juris Ecclesiastici & positivi; sed desumi, tam ab iis, quæ ad essentiam votorum essentialium Religionis pertinent, quàm quæ ad substantiā Status Religiosi, prout specialiter Cœnobitas spectat, quæ omnia infrascriptis Resolutionibus explicabuntur.

RESOLUTIO I.

De Vita communi.

Vita communis sta tui religioso cœnobitico quā sit necessaria. Vita communis, quam Concil. Trident. suprà conservari aut restitui mandat, *ita ad substantiam status Religiosi Cœnobitici à principio dignoscitur spectare, ut sine illa, etsi in rigore votū Paupertatis servari possit, Status tamen Religiosus Cœnobiticus nullatenus observari valeat, ita ut relaxatio vitæ communis principium fuerit omnis relaxationis, quæ in Religiones hactenus irrepsit.* Hanc resolutionem pono ut lapidem fundamentalem conservandæ religiosæ paupertatis & ad concordiam Doctorum, non tam diversā, quàm diversimode in hac materia loquentium, dum quidam paupertatem religiosam absque communi vita servari posse æstimant, alii negant: Et hi quidem, quia vitæ communis relaxatio, etsi paupertatem per se in essentiā sua non destruat, viam tamen ad omnes abusus & relaxationes aperit & sternit.

Dixi itaque (*Vita communis ad substantiam Status Religiosi Cœnobitici à principio dignoscitur spectare*) Ita enim hæc à tempore Apostolorum Act. 4. velut in sui primordio commendata est, ut recedere ab illa summum piaculum & crimen reputatum sit: Et Ananias & Saphira non tam ob proprietatem pecuniæ alias ad se pertinentis, subita morte mulctati sunt, quàm quia in malum exemplum primæ Communitatis Christianorum, in qua omnia communia erant, viam dissolutioni communis vitæ suo facto aperiebant. Unde S. Augustinus de diversis Serm. 49. de communi vita Clericorum suorum, cap. 4. *Ecce dico* (inquit) *audite: qui societatem communis vitæ jam suscepitam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, & à Professione sanctā cadit. Observet Judicem, scilicet Deum, non me.* Ubi illud, *Cadere à Voto*, inductive, sive causaliter sumendum est: Quia ad violentiam voti viam sternit. *Cadere* autem *à Professione sua* formaliter sumendum est: quia qui profitetur, vitam Religiosam & monasticam sive cœnobiticam vovet, quæ de se & ex instituto suo communis esse debet.

Necessitatem porrò Vitæ communis in Religionibus pulchre demonstrat S. Basilius c. 4. Regulæ suæ, exēplo corporis humani, quod diversa membra habet, omnia autē communi anima vivunt, communi spiritu respirant, communi alimento nutriuntur, & quamvis singula membra non eundem actum habent, nec eandem complexionem, omnes tamen actus in commune totius corporis bonum referuntur. Vide eum ibi, quia fusior est, & omnia bona vitæ communis subtiliter exaggerat. Et cap. 25. explicans illud: *Quia nemo eorū quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia: Si quis ergò* (ait) *proprium sibi esse dicat aliquid sine dubio alienum se facit ab electis, & à charitate Christi, qui docuit* Act. 4. 32.

verbo,

verbo, & opere complevit, & qui animam suam posuit pro amicis suis. Si ergo ipse animam suam posuit pro amicis suis; quomodo nos etiam ea, quæ extra animam sunt propria vendicabimus? Et ne contra solam proprietatem possessionis quis putet communem vitam militare, legat cap. 23. & 24. Regulæ S. Augustini, in qua sic communitatem vitæ leget cõmendatam, ut etiam vestiarium commune esset, ex quo sine delectu personarum vestes distribuebantur, non eædem quas deposuerant, sed primò occurrentes. Et. quòd *si sic* (inquit) *vestra toleratur infirmitas, ut hoc recipiatis quod deposueritis, in uno tamen loco sub communibus Custodibus habete, quod ponitis.* Et cap. 24. *Ita sanè* (ait) *ut nullus sibi aliquid operetur, sed omnia opera vestra in unum fiant* &c. Videatur & Regula S. Benedicti a cap. 31. usque ad cap. 34. & Oresiesis Regulam S. Pachomii professus Institutionem Monachis præbẽs. *Quæ nobis* (ait) *occasio relicta est, ut habeamus quidquam proprium, à funiculo usque ad corrigiam calceamenti, cùm habemus Præpositos qui pro nobis cum timore & tremore solliciti sunt, tam in cibo quàm in vestitu, & corpusculi languore si fortè obvenerit, ut in nullo timeamus, & per occasionem carnis, animæ emolumenta perdamus? Liberi sumus jugum de cervicibus nostris mũdanæ servitutis abjecimus, cur rursum volumus reverti ad vomitũ nostrum & aliquid habere unde solliciti simus & perdere metuamus?* &c.

Dixi (*ut sine illa Status Religiosus Cœnobiticus nullatenus observari valeat*) Status enim Cœnobiticus in hoc consistit, ut sicut est communis Professio, communis Ecclesia, cõmunis Observantia ex vi status promanans, sic sit communis victus, communis vestitus, cõmunis lectus, commune auxilium, & obsequium: Statum enim Cœnobiticum illa constituunt,
Psal. 132.1. ut vere dicatur *bonum & jucundum habitare Fratres in unum,* ut quemadmodũ de Ecclesia
Rom. 12.5. dicit Apostolus: *sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eũdem actum habent;* Sic in statu Religioso *multi unum corpus sumus, Alterius autem alterius membra,* sed de his aliis posteà.

Dixi (*etsi in Rigore Votum Paupertatis servari possit*) Nolo enim hic inutiliter disputare: An ille, cui simplex usus facti rerum in particulari conceditur, ad nutum superioris revocabilis, & omnimodæ dispositioni Superioris subjectus, eam in se quàm in quacumque usus mutatione, dispositione, alteratione, peccet contra paupertatem? Certum est enim quod non peccat contra Paupertatem Evangelicam in se, & essentia sua consideratam, cum non tantum Proprietate professoria, sed etiam omni juris usu careat.

Sed dico peccare contra Paupertatem Religiosam, ut Statui Cœnobitico annexa est, eo modo quo annexa est Paupertas enim, ut Statui Cœnobitico est annexa, *communitatem vitæ* includit, cui omnis particularitas in omnibus approbatis Regulis est interdicta, tamquam contraria, nociva & perniciosa Religioni.

Vnde dixi (*ita ut relaxatio Vitæ communis principium fuerit omnis relaxationis* &c.) Hic est nodus totius doctrinæ hujus. Aliqua enim Religiosis votis adversantur, quia eis formaliter repugnant: Alia, quia etsi formaliter non repugnent, tamen ad votorum relaxationem viam aperiunt: Inter hæc primum ferè locum obtinet usus rerum particularis, sub prætextu necessitatis, commoditatis, & facilioris vitæ introductus: Inde enim proprietates in abscondito, œconomiæ & velut mercaturæ dãnabiles, superfluitates, & ut dicit Oresiesis S. Pachomii Discipulus in institut. Monast. *Superfluum palliolum apud lautiores, melior lectus.* Addo ego: *sordida sollicitudines, acquisitiones, donationes, & id genus dæmoniorum, inventiones ludicra mundo, pœnarum purgatorii, aut inferni detestabilia semina,* Titulis quantumvis honestis mundanæ sapientiæ, & providentiæ vestiantur.

RESOLVTIO II.

De iis quæ per modum pensionis, census, redditus, vel præstationis annuæ conceduntur.

NEmini Regularium possunt à Superioribus, Summo Pontifice inferioribus, permitti bona immobilia, vel mobilia cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo acquisita, ut tamquam propria, etiam nomine conventus possideant, vel teneant, sed statim debent superiori tradi, & Conventui incorporari. Resolutio tota est ex verbis ipsius Concilii Tridentini sess. 25. de Regularibus c. 2. desumpta. Quia verò varie Doctores interpretantur hunc textum, & illum in varias interpretationes nonnulli distrahunt & traducunt. Præmittenda sunt nonnulla, quæ tradit Stephanus Quaranta in Summa Bullarum V. *Casus reservati*, referens declarationes Cardinalium ad hoc cap. 2. Concilii Tridentini in qua septem Quæstiones, septem Responsionibus a S. Cõgregatione subsignante Eminẽtiss. Cardinali Hier. Matthæio, & Sigillo suo eos confirmante, resolvuntur, sequenti modo.

Superiores Regulares non possũt subdito permittere bena immobilia vel mobilia, ut ea tamquam propria etiã nomine cõventus possideat. Trident.

Prima: *An ex dispensatione Inferiorum sub Summo Pontifice liceat Regularibus possidere, vel tenere agros annuos reditus, aliaq; bona immobilia, videlicet & mobilia superflua non obstante decreto Concilii Tridentini sess. 25. de Regul. c. 2.* ℟. ad primum: *Congregatio Concilii respondit non licere.*

Secunda: *An propter talem dispensationem seu scientiam Superiorum possidentes vel tenẽtes immobilia, vel mobilia superflua, a culpa vel pœna excusentur?* ℟. ad. 2. *non excusari, neque à culpa, neque a pœna ipso facto incurrenda.*

Tertia: *An Superioribus asseverantibus hujusmodi licentias se posse concedere, fides adhibenda sit?* ℟. ad 3. *Minimè adhibendam.*

Quarta: *An Superiorum arbitrio, & præfinitioni stare debeant Regulares, quoad mobilium superfluitatem & convenientiam?* ℟. *Nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habitâ*

rior totam curam sustinere non potest; unde non plus possunt, quàm eis committitur; Nec eis alia aut plura committi possunt, quàm quæ communi utilitati deserviunt.

Conclusio IV.

De iis quæ Religiosorum usibus Ordinariis & quotidianis cedunt.

Religiosis licite distribuitur à superioribus, quæ ordinariis usibus deserviunt

Licet, & conveniens est, ut Superiores distribuant sive distribui curent Religiosis particularibus, quæ usibus ordinariis & quotidianis eorum deserviunt, aut deservire solent etiam ad plures annos, juxta modum & rationem usus. Ita intelligendus est textus Concilii Tridentini suprà. *Mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat nihilq; superflui in ea sit, nihil etiam quod necessarium sit, eis denegetur.*

Ex quibus verbis tria ponuntur, quæ usum particularem rerum Religiosis concessarum concomitari debent. 1. Ut statui paupertatis conveniat. 2. Ut nihil superflui eis permittatur. 3. Ut nihil quod necessarium est eis denegetur. Statui sane Paupertatis Religiosæ, etsi non in rigore essentiali, in concomitantibus derogant multiplicitas sive abundantia, curiositas, pretiositas. Unde à superioribus non possunt permitti ex. g. multa mutatoria indumenta; item excessiva in pretio, curiosa in modo. In quo qualibet Religio Statum Paupertatis sui Ordinis attendat. Est enim mihi pro Regula Generali.

Regula Generalis.

Religiosus professus notabiliter excedens in usu rerum sibi cõcessarũ peccat mortaliter.

Religiosus professus quicumque notabiliter modum excedit in usum rerum sibi concessarum, in abundantia sive superfluitate, curiositate pretiositate, peccat mortaliter; sicut & superior, qui sciens & volens id permittit.

Ratio hujus Regulæ sumenda est ex iis, quæ dixi tit. 2. q. 1. in appendice Notabili, de Essentia & Quidditate Paupertatis Religiosæ: Etsi enim Quidditas, & Essentia illius consistat tantùm in abdicatione dominii & juris omnis politici; ipsa tamen cõcomitantes necessario habet velut proprietates, ex Ratione Religiositatis velut emanantes, temperantiam, Sufficientiam, Humilitatem, sive Modestiam, & Fidelitatem, immo & Exemplaritatẽ, Temperantiam utique, quæ tollit nimiam abundantiam & superfluitatem in victu: Sufficientiam, quæ tollit excessum & abundantiam in vestimẽtis, supellectili, ædificiis, juxta

1. Tim. 9. 8. illud Apostoli: *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus:* Humilitatem & modestiam: quæ excludit curiositatem, pretiositatem, fastum, superbiam &c. Fidelitatem, quæ servat intentionem & finẽ bonorum monasterii, quæ Deo & Christo oblata sunt, pro necessariâ & competenti dumtaxat sustentatione Religiosorum DEO famulantium in veritate: Exemplaritatem, ut ab omni, quod scandalum generare potest, & abstineatur.

Quid igitur disputamus in re morali & salutis, de punctis & apicibus philosophicis & metaphysicis? Fateor cum magni nominis Theologis Quidditatem Paupertatis, consistere in Abnegatione & Abdicatione omnis dominii, proprietatis, & juris politici in res; Eumque, qui superfluitate, curiositate, pretiositate, usum simplicem facti excedit in rebus, non peccare mortaliter contra Quidditatem & Essentiam paupertatis religiosæ. Dico porrò peccare mortaliter contra proprietates inseparabiles ab ejus religiositate, & divino, humanoq; Jure ei conjunctas, quæ sunt Temperantia, Sufficientia, Humilitas sive Modestia, si graviter & notabiliter in usu rerum excedat.

Petes Quæ sit mensura illius excessus, ut censeatur Notabilis? Resp. duas esse mensuras potissimum: Fidelitatem & Exemplaritatem. Qui enim excedit contra supradictas Virtutes paupertati Religiosæ annexas, infidelis est Deo & Christo ejus, ac Ecclesiæ, cui bona oblata sunt; infidelis benefactoribus, qui ad sevorum Dei sustentationem, & non in vitiosos usus illa obtulerunt: infidelis est superioribus qui censentur velle ea rite dispensari in usus convenientes; infidelis est Pauperibus; Ea enim quæ superfluunt Religiosis, ex intentione offerentium illis debentur.

Denium, Exemplaritatis mensuram adhibe. Excessus enim illi nati sunt scandalum pusillis generare, quibus exemplum debes vitæ modestiæ, & frugalis.

His mensuris facilè excessus supradicti mensurari possunt, tam ad cognoscendum peccatum, quàm ad obligationes notandas. Igitur apage, qui mensura metaphysicâ, & philosophica conscientias metiri cupis. Quid enim refert, si rigore Metaphysico & Philosophico Anima ab inferis liberetur, quia essentiã paupertatis non est transgressa; & interim æterno igni tradenda est, quia paupertatis religiosæ propietatibus injuriosa fuit, & in paupertatis Religiosæ Temperantia, Sufficientia, Humilitate, Fidelitate, Exemplaritate, enormiter excessit.

Notabilis Animadversio

Animadvertendum verò hic est: Quæstionem aliquando motam fuisse in Ordine nostro Seraphico: *An usus arctus, & pauper includeretur in voto paupertatis?* Aliis asserentibus hæreticum esse docere arctum & pauperem usum non includi: Aliis contrarium affirmantibus hæreticum esse docere arctum & pauperem usum includi in voto paupertatis; quam Quæstionem voluit suffocare Clemens V. in sua Clement. quæ incipit: *Exivi de Paradiso*, de verb. signif. in 6. ubi supponit,

Votũ paupertatis an includeret usũ arctũ & pauperẽ.

1. Fratres Minores teneri ad moderatum usum, intra terminos tẽperantiæ: Quem usum moderatum descripserat prius Nicolaus III.

in Ex-

in Extravag. *Exiit qui seminat* eodem Titulo: ut nimirum mēsuretur *secundùm necessitatem, & officiorum sui status executionem, ad evitandā omnem superfluitatem, divitias seu copiā, quæ deroget Paupertati, vel sapit thesaurizationem;* Ubi etiam mandat superioribus, ut attendant ad exigentiam Personarum & locorum, ut cum discretione disponant. *Cùm* (inquit) *de talibus interdum personarum qualitas, temporum varietas, locorum, conditio, & nonnulla alia circumstantia, plus minùsve, ac aliter provideri requirant.*

2. Clemens V. definit: *Teneri fratres ad arctos usus, qui in ipsorum Regula continentur, & eo obligationis modo, sub quo continet, seu ponit regula dictos usus.*

3. Tandem Concludit: *Dicere autem sicut aliqui asserere prohibentur, quòd hæreticum sit tenore, usum pauperum includi, vel non includi sub voto Evangelicæ Paupertatis, præsumptuosū & temerarium judicamus.*

Ex quibus infero 1. Teneri quemlibet Religiosum ad moderatum usum temperantiæ; Hic enim concomitatur naturam Paupertatis, tanquam proprietas ejus. 2. Moderatum usum expendendum in omni Religione secundùm Regulam, exigentiam personarum, locorum officiorum, temporum & aliàs circumstantias. 3. Teneri quemlibet ad arctus usus, qui in Regula cujuslibet Ordinis, sive in Regula sua respectivè continentur, & eo obligationis modo, quo continentur: Hoc enim sequitur ex natura Regulæ, quæ est lex quædā directiva, & præceptiva. 4. Arctum & pauperum usum non includi, nec excludi à voto Paupertatis, sed ei velut accidens aliquando inesse ex Regulæ præcepto, aliquando abesse, cum moderatus usus permissus est: Nunquam tamen votum Paupertatis permittere usum excessivum, qui respectu voventis censeatur in superfluitate, curiositate & pretiositate excedere.

RESOLVTIO V. & Principalis.

De concessione rerum per modum peculii usualis, sive ad usum duntaxat, & sub beneplacito Superioris.

Superiores sub tribus cōditionibus subditis simplicem usum facti peculii cōcedere possūt,

Licet interdum, Superioribus, etiam post Concilium Tridentinum, concedere suis Regularibus usum simplicem facti peculii in re aliqua mobili vel immobili, ad conventum pertinente, servatis tribus conditionibus,

1. Ut sit causa necessaria & justa.

2. Ut res quæ conceditur ad usū. & modus utēdi, respectu personæ cui conceditur, & causæ propter quam conceditur, moderantiam & modestiam Status Religiosi non excedat.

3. Ut usus sit verè revocabilis ad nutum Superioris, & omnino ab ejus voluntate dependens. In his consistit totus cardo peculiorum, quæ sive ex corruptela, sive ex necessitate, & justa causa conceduntur: Si enim vel modicum ab his terminis declinetur, non sine peccato conceduntur, tam ex parte conditionis, quàm eorum quibus conceduntur: Si verò intra terminos illos concedantur, & eorum usus non declinet, tam concedens, quàm is qui utitur, in conscientia à transgressione liberi sunt. Etsi verò plura de his in superioribus dixerimus, pro clariori tamē explicatione lubet singula particularibus paragraphis explicare.

§. 1.

Licet interdum Superioribus concedere suis Regularibus &c.

Superioribus Regularibus, cur tantùm interdum liceat suis subditis cōcedere peculium usuale.

PArticula (*interdum*) denotat non semper licere, sicut nec semper licuit, sed tantùm suppositis circūstantiis, & cōditionibus in Resolutione expressis, & posteà explicādis. Additur (*Superioribus*) respectu scilicet suorum Regularium; ne quis, usurpet, quod suum non est: Pertinet enim ad superiores Regulares cognoscere de causa necessaria, & justa, de usu certo & religioso, & disponere de qualitate facultatis & usus.

§. 2.

Etiam post Concilium Tridentinum.

Trident.

HÆc particula ponitur propter eos, qui hanc potestatem à Prælatis & Superioribus ablatam credunt per Concilium Tridentinum sess. 25. de Regul. cap 2. Et alios qui putant indifferenter Superiores quāvis causa potuisse peculium ad usum privatum concedere suis Subditis ante Concilium Tridentinum. Priores enim Posterioresque opinantur Concilium Trid. statuisse c. 2. allegato novum Jus, & mandata nova adinvenisse, ad abrogandū Jus commune concedendi peculium usuale, quod penes Prælatos ante concilium erat. De quibus vide latè citatos authores apud Tamburinum *de jure Abbatum Tom.* 2 *disp.* 22. *quæst. & seqq.* Et *de jure abbatissarum disput.* 8. *quæstio* 2.

Dico autem ego Concilium Tridentinum non constituisse jus novum, aut præcepta nova: sed jus antiquum, & præcepta antiqua, in Essentia voti paupertatis, & substantia ac cōcomitantibus statum religiosum ex natura sua contenta innovasse, & contra abusus, qui irrepserant, denuò declarasse: Non enim potuerunt Superiores ante Concilium Tridentinū peculium (de quo in Resolutione) concedere, nisi eodem modo, & iisdem conditionibus, quibus modo possunt, & quas in Resolutione recensuimus: quia talis Concessio aliter facta omninò repugnat vel voto paupertatis, vel ejus proprietatibus, vel statui Religioso, ut in superioribus Resolutionibus sat superque demonstravimus. Quòd si fecerint, abusus erant, prout ex jure cōmuni Doctores multi à Tamburino suprà citati, & Canonibus cap. *Non dicatis*, 12. q. 1. & c. *Monachi*; de statu Monachorum, & cap. *Cùm ad Monasterium* docuerunt.

Dixi

Dixi itaque *Posse*, *etiam post Concilium Tridentinum*, *hujusmodi peculium sic*, ut in Resolutione ponitur, *circumstantionatum concedi*. Ratio autem mea est: Quia sic circumstantionatum vitia vel defectus, quæ sapere possent aliquid proprietatis contra votum Paupertatis, tollit, nec ullatenus Concilio Tridentino adversatur, quod non legem novam statuit, sed jus antiquum renovavit, & explicatius reddidit. Quod enim ex concilio Lateranensi sub Alexandro III. p. 1. cap. 10. relatum est c. *Monachi* de Statu Monachorum quod Monachi non permittantur peculium habere: Item cap. *Cum ad monasterium*, ex Concilio Oxoniensi sub Innocent. III. *Prohibemus districtè in virtute S. obedientiæ, & sub obtestatione Divini judicii; ne quis Monachorum aliquo modo possideat.* Item ibidem in fine capitis: *Nec existimet Abbas, quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare &c.* magis explicitè proposuit Côcil.um Tridentinum, modos quosdã explicans & prohibens, nimirum.

Cõc. Later.

1. Ut *Nemini Regularium tàm virorum quàm mulierum liceat Bona immobilia vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuiq; incorporentur.* Ex quibus verbis constat, quòd prohibeat peculium, quod proprietatem adjunctam habet, scilicet: si proprietativè, sive tamquam proprium possideatur, aut teneatur, extra manus & dispositionem Prælati, ac Conventus jus & potestatem, quod indicant verba quibus mandat, *ut Superioribus tradantur, & Conventui incorporentur*; supponens scilicet ea nec verè superiori tradita, nec conventui incorporata.

2. Prohibet Concilium: *Ne liceat deinceps Superioribus Bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem aut commendam; sed administratio Bonorum Monasteriorum, seu Conventuum, ad solos Officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat &c.* In quibus verbis *deinceps*, non supponit anteà licuisse (cùm idipsum prohibitum fuisset cap. *Cùm ad Monasterium* supra citato) sed (*deinceps*) supponit factum priùs potiùs abusum, & titulo iniquo quamvis colorato, ideò prohibet, ne quovis titulo deinceps fiat.

3. Concedit: Ut *Mobilium usum ita Superiores suis permittant, ut eorum supellex Statui Paupertatis, quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit, nihil etiam quod necessarium eis denegetur.*

Particula deinceps quid dicat?

Ex quibus omnibus manifestè declaro: Peculium usuale, sive ad simplicem facti usum, ut in Resolutione 5. sæpius circumstantionatum est, in nullo adversari aut antiquis canonibus, aut Concilio Tridentino.

1. Quia nullam proprietatem inducit, nec possessionem, aut retentionem aliquam dicit, extra Superioris manus, aut corpus Conventus, sed simplicem facti usum ad nutum Superioris, cum omni dependentia.

2. Quia, qui tali Peculio utitur, propriè non habet rei administrationem, ut de ea disponere possit, sed censetur simpliciter uti re sibi per Superiorem ad usum intra terminos Paupertatis Religiosæ concessâ, vel etiam per Officiales administranda.

3. Quia talis Peculii usus non excedit modum in 3. puncto à Tridentino concessum; supponitur enim ob causam justam, & necessariam, & modo omninò congruenti permissus, de quibus omnibus in sequentibus.

Dubium V.

Quæ dicantur causa justa, & necessaria, ut possit Superior permittere Subdito usum simplicem facti alicujus peculii?

RESOLUTIO.

Causa ad hoc justa, & necessaria, ex pluribus capitibus sumi potest.

Causa justa unde sumatur.

1. *Ex parte personæ*, cui singulariter providendum est, extra rationem communis distributionis; ut quia senex, infirma, pluribus & extraordinariis indigens, cui propterea non sufficiat communis distributio.

2. *Ex parte Officii quod gerit*: Ut quia Scriptor magnus, indigens libris, aut quia munus obit Ex. g. Missionarii, Concionatoris, ad exteros Legati, vel Actoris rerum publicarum, ad quæ expedienda requiruntur varia itinera, expensæ &c.

3. *Ex accidenti*: Ut quia Monasterium ad eantam penuriam devenit, sive ob bella, & calamitates; sive per incuriam, negligentiam aut malitiam Superiorum & officialium, ut jam de Communi ipsis provideri nequeat, sed quilibet teneatur sibi providere. Fateor tamen hanc causam, etsi aliquo tempore justa, & necessaria esse possit, & reverà sit, illi tamen provideri posse per Vitam Communem, si omnes cum Superiore conspirantes, labores suos, mendicationes, industrias in Communem Vitam, & stipem conferant: Hoc enim modo æquè facilè, immò faciliùs omnibus frugaliter providebitur, quàm si quilibet sibi quærar; ut experientiâ didici in Reformationibus Conventuum tam virorum, quàm mulierum, qui cùm pauperrimi essent, dum sibi quisque studebat, restituta Vita Communi, & omnibus labores, industrias, & acquisitiones in commune conferentibus, facti sunt abundantes juxta frugalitatem & sufficientiam Religiosam; ita ut ubi vix viginti alebantur, posteà quadraginta & quinquaginta ali potuerint, sola benedictione Dei, & Vitæ Communis, ac fidelitatis & industriæ habitantium, & conspirantium in unum fructum.

Quare, etsi possit dari casus, & tempus, in quo Communis Vita ex circumstantiis aliquibus non valeat observari: Illud tamen con-

continuum non est, & mutatis circumstantiis facilè restitui potest, nisi ut plurimum inoriretur iniquitas sibi. Et apud me certum est, quòd quamdiu Regulares possunt, & permittuntur simul habitare in eadem domo, non posse eos excusari à Communi Vita, modò velint omnem acquisitionem, industriam, laborem in commune conferre. Quia si singula individua sibi benè providere possunt in particulari, cur eadem provisio in communem massam reducta, & singulis distributa, sufficere non [possit] ? ut Superiùs indicatum est.

4. *Utilitas Monasterii* aliquando justam, & congruam necessitatem peculii induit: Sic permittitur alicui Industrio aliquod peculium, ut suum opificium promovere possit, quia arte aliqua pollet, qua tem Monasterii promovere plurimùm potest. Sic Administratoribus, & Officiariis aliquando ob multam industriam plura permittuntur, quàm requirat ipsum officium, vel administratio, ratione magnæ utilitatis, quæ ex hujusmodi permissione sive usu peculii procedit. Sed hæc & similia ferè sub administratione, & nomine Officialium comprehenduntur, etsi enim communia nomina Officialium ii, quibus ista permittuntur, non sortiantur, sed ut particulares personæ agant; quia tamen partem sollicitudinis pro communi utilitate subeunt, rationem Officialium æquipollenter subire interpretandi sunt.

Dubium VI.

Quæ conditiones requirantur, ut usus peculii legitimè Regulari concedatur?

Resolutio.

Præter causas justas, & congruè necessarias, plures conditiones à S. Sede requiruntur, ut usus peculii, etiam simplicis facti, legitimè Regulari concedatur. Quamvis verò plures ex illis superiùs sint relatæ & explicatæ, placet tamen hic omnes velot recapitulare, ut Lectori magis obviæ sint.

Recapitulatio conditionum requisitarum, ut usus peculii legitimè concedatur.

Prima conditio est: Ut res, quæ per modum peculii datur, sit Conventui aliquo modo incorporata, & dispositioni Superioris tradita.

2. Ut per modum simplicis usus facti concedatur.

3. Ut peculium sit ad nutum Superioris amovibile, & possit auferri.

4. Ut non excedat honestatem & moderantiam Status Religiosi & Regulæ promissæ.

5. Ut subsit causa justa, & congrua necessitatis.

6. Ut in usus superfluos & turpes non insumatur.

7. Ut (nisi aliud necessitas postulet) apud Officialem aliquem Monasterii illud peculium reservetur, & ab illo administretur, & quando illo debet Regularis uti, humiliter ab Abbate vel Officiali facultas postuletur.

Hæ sunt conditiones potissimùm requisitæ, quæ satis explicatæ sunt in superioribus, & abusus contrarii ex terminis obvii sunt, & partim expressi. Solùm examinari debet specialiùs conditio prima de Incorporatione.

Appendix.

Ad 1. conditionem: ut res, quæ conceditur in peculium, sit monasterio aliquo modo incorporata.

Ratio hujus conditionis est: Quia in rem Conventui non incorporatam Superior nullam potestatem habet; Ergo nec illius usum concedere potest, aut aliàs de illa, vel illius usu disponere: Unde & Conc. Trid. suprà vult: *ut res omnes Superiori tradantur, & Conventui incorporentur.* Super qua conditione casus notabiles hic veniunt extricandi, & explicandi, sub quibus communiter latent vulpeculæ parvulæ, quæ Religionis vineas demoliuntur, quos omnes simul proponemus, quia ad eandem ferè Resolutionem spectant.

Superior nō habet potestatē in rē Conventui non incorporatam. Conc. Trid.

Casus Notabiles

Ad primam conditionem de Incorporatione pertinentes.

Joannes Amicus, vel Benefactor Benedicto Regulari commendat aliquam pecuniæ summam, sive apud ipsum deponit, vel etiam apud alium, sub hac liberali concessione, ut illa utatur, sive uti possit pro suis necessitatibus vel aliorum ad placitum, ita tamen ut nec Abbati liceat de illa portione, quā Benedictus Regularis accepit, disponere, nec illum impedire, quò minùs utatur &c. *Item*, Joannes cōcedit Benedicto, usum aliquorum librorū, vestium, utensilium; sub conditione quòd remanente sibi dominio, & proprietate, Benedictus simplicem tantùm usum illorum utensiliū habeat, ita ut si non consumantur, illa Joanni reddi debeant. *Item*, Parens oneiat hereditatem suā, distributam suis prolibus, obligatione dandi quotānis filio suo Joanni, aut Mariæ Filiæ Regularibus tantùm pecuniæ, ad suū placitū expendendæ; ita ut si Joannes vel Maria non possunt pro libitu de ea disponere, non teneantur ipsis illā pecuniam donare. *Item*; Concedit Benefactor Regulari, ut apud mercatorem tantùm vini, cibariorum &c. accipiat, suo beneplacito expendendum, absque ullo Superioris interventu, vel dispensatione &c.

1 Casus notabilis. 2 Casus. 3 Casus. 4 Casus.

Quæritur.

An isti Casus sint liciti, & qualiter in his tam Superior quàm Regularis se gerere debeat?

Ratio dubitandi est. Quia nihil ex omnibus in Casibus illis relatis Monasterio incorporatum censetur. Pro Resolutione.

Adver-

Advertendum est 1. Duplicem hic notari debere Incorporationem. Alia est Incorporatio juris: nimirum, per dominium, proprietatem, usum-fructum, & usum-juris. Alia est Incorporatio, quæ fit Monasterio per simplicem facti usum: Quæ posterior explicari potest ex Paupertate nostra Fratrum Minorum, quæ etsi prioris Incorporationis sit incapax, posterioris tamen non est incapax, cùm multa sint incorporata Ordini Fratrum Minorum quoad simplicem facti usum, ut Conventus, horti, supellectilia tam Ecclesiæ, quàm Conventus, ita ut ex voluntate Dominorum, vel S. Romanæ Ecclesiæ ab illis tolli non possint, in quæ tamen nullum jus proprietatis, dominii, usus-fructus, vel usus juris Incorporatione non sunt Ordini incorporata, sed in alieno semper dominio permanent. Vide Extrav. *Exiit qui seminat*: Et Clement. *Exivi de Paradyso* de verb. signific. n. 6.

Advertendum 2. Sicut datur proprietas in dominio, usu-fructu, & usu-juris: Sic accommodè dari proprietatem in usu simplici facti, si nimirum aliquis utatur quidem re, tanquam non sua, nihil juris prætendens in illam, ut tur tamen independenter à voluntate Superioris, immò contra ejus voluntatem: Hic enim verè proprietarius est, quia suo usui applicat propria voluntate illud, cujus usus dispositio ad Superiorem spectat.

RESOLUTIO

Casuum suprapositorum.

Regularis non potest sibi rendicare simplicem usum facti absque facultate Superioris.

NUllus Regularis potest permittere deponi apud quemcumque pecuniam, aut aliam rem quamcumque; aut illam ad usum suum particularem etiam simplicis facti recipere, aut eam consumere, absque aliqua dispositione & facultate Superioris.

Ratio fundamentalis est; Quia Regularis quilibet in omni Religione etiam accommodà promittit absque proprio vivere; Atqui proprietas non modò excludit dominium, sed etiam usum facti, independentem à Superiore: Ergo qui sine proprio promittit vivere, contra votum peccat, si sibi alicujus rei usum contra voluntatem Superioris applicat, cùm independenter, & propria voluntate sibi applicet, voluntate & facultate Superioris positivè exclusa.

Ex quo infero; Nihil vetitum Dominum circa usum, consumptionem, applicationem dispositionem suæ rei ab aliquo Regulari faciendam disponere posse, absque facultate legitima, explicita, vel implicita Superioris. Ratio est, quia etsi rei suæ sit plenè Dominus, & illius plenissimam dispositionē habeat, omnium tamen actum circa rem illam, supposita quavis voluntate Domini proprii, Regularis incapax est, seclusa legitima facultate Superioris: Ita ut si absq; illa pro se utatur re quovis modo concessa, proprietatis vitium incurrat: Si verò rem recipiat, ut de, voluntate Domini extra Religionē impendat contra voluntatem Superioris, inobedientiæ vitiū incurrat.

Unde ut singula perstringamus; si Benedictus Religiosus recipiat à Joanne Amico, sive Benefactore, aut deponi permittat summā pecuniæ, suis necessitatibus per merum etiā usū facti applicandā contra voluntatem Superioris, vel absq; ejus volūtate: etsi Joannes deponendo non peccet; Benedictus tamen mortaliter peccat, & proprietatis vitium committit. *Similiter*: Si Benedictus utatur libris, veste, supellectili, remanente dominio rerū penes Joānem, supposito quòd contra voluntatē Superioris, & absque ejus facultate utatur, peccat mortaliter, ex eadem ratione antè dicta. *Idem dicendum*: ubi Parens onerat Heredes, ut Joanni vel Mariæ Regularibus aliqua pensio annuè detur in eorū necessitates, cum clausula, ut ita independenter Ioānes & Maria ea utāntur pro libitu, quòd si non permittantur uti, obligatiò pensionis cesset: Joānes enim & Maria Regulares talem pensionē acceptantes contra vel absque voluntate Superioris peccant mortaliter, vitio proprietatis usus. *Item*: Nec minùs eandē rationem peccati proprietatis usus incurrit Regularis, qui apud mercatorem vel quecūque donantem, vinum, cibaria &c. quærit, ut ad libitum, absque Superioris aliquo interventu, ea expendat vel distribuat.

Quid agendum si inscio regulari, Benefactor suæ donationi ānectat conditiones illicitas.

Petes; Quid igitur agendum si Amicus, Benefactor, Testator hujusmodi conditiones suæ donationi, concessioni vel legato adhibeat, etiam inscio Regulari? Respondeo: Vel Benefactor, Amicus &c. intendit simpliciter, non obstante conditione apposita, donatā concessam sive legatā, quoad possessionem aut usum abdicare in favore Religionis, ita ut determinatio ad Regularem sit tantùm determinatio optanus vel desideratis, ut ille utatur: Et tunc intelligi debet clausula specificativè, ut nimirum Benedictus vel Joannes utatur modo licito, & sub Superioris dispositione cōgruā & meritoria, ita ut juxta superiùs allegata ex Nicolao III; *nec donans, concedens, aut legans privetur merito, nec regularis* (si ita videatur Superiori suo) *effectu dati, concessionis vel legati*: Et ita liberè ad dispositionem Superioris recipitur. Vel Amicus, Benefactor &c. contradictoriè, & exclusivè clausulā servari intendit, ut scilicet Benedictus vel Joannes ita re sibi donata, cōcessa, vel legata utantur juxta suum placitū, ut à Superioris facultate vel dispositione nullatenus dependeāt: Et hoc modo, nec Subdito Regulari licet eam recipere, aut illa uti, nec Prælato. Quia ex supposito dispositio rei ad dominium pertinet, contra cujus voluntatē etiam re ipsa uti, est re aliena invito Domino uti: unde à talis rei usu Regulari & Religioni abstinendum est: quia Regularis talis usus est incapax, & de alio usu, invito Domino, Religio disponere nō potest. *Regula* tamen *Generalis* est; Quòd ubi dubitatur de intentione donantis, illa benignè & meritoriè sit interpretanda, nimirum, quòd det, cōcedat, vel leget, eo modo, quo is, cui donatur, est capax; ita ut conditio talis reputetur pro

pro non adjecta, sicut & quando turpis conditio Legato præponitur: & ita Iura, & Canones decernunt, & expressè interpretatur Nicolaus III. Extrav. Exiit qui seminat, Non enim (inquit) verisimile est, aliquem eleemosynæ suæ sine expressione modum illum velle præfigere, per quem & donant merito, vel illi, quorum necessitatibus intendit per donum hujusmodi providere, effectu doni, vel suæ conscientiæ puritate fraudentur.

Ex quibus omnibus constat; Ut usus cujuscumque rei Regulari sit licitus rem illam aliquo modo Religioni debere incorporari: quia ut usus sit licitus, à dispositione & licentia superioris dependere debet: Qui etiam intentionem Benefactoris (si honesta sit, & benè circumstantionata) servare tenetur, Personæ illi primò providendo, in cujus necessitatem eis res conceessa, nisi aliud justa ratio suadeat, quæ in fideli Epikeia contineatur.

ABVSVS.

Abusus proprietariis in generali perstringuntur.

HEu! Quot abusus, procurante fallacia humanæ imaginationis, hic committuntur: dum Regulares procurant subdolis modis sibi dari, concedi, legari nonnulla, sub conditionibus illegitimis, quasi independenter, & exclusa voluntate, ac libera dispositione Superiorum, illis ad placitum uti possent; quæstiones, & lites movent; Amicos & Benefactores ad illicita, vel illegitima concitant, ut sua libertate utentes in proprietatum barathrum se præcipitent. Qui abusus specialiùs Moniales contingunt in donibus, pensionibus, munusculis, & aliis similibus: Nec desunt aliquando in falsis fratribus & Religiosis. Hinc usu simplicem facti in usum juris, & usum fructu convertunt, dum depositum tanquam debitu sibi exigunt, ad nutum suum expendi volunt & in usus quoscumque, etiam extra terminos frugalitatis Religiosæ distrahunt; Aliquid in istis immutari à Superioribus non sustinent; Administratione Officialiù contenti non sunt; quin & ad ultimum usque denarium sibi velut computum reddi inverecundè cupiunt: Fundationes Missarum sibi vel Parentibus ex suis pecuniis ad multos ãnos fieri procurrãt, & monasteria sua gravant, & signa ac incentiva proprietatū exteris post mortẽ relinquunt: Quibus abusibus Superiores condescendunt, sive ex nimia indulgentia, aut obligationis suæ ignorantia, sive pusillanimitate, quia eorum molestias pati nolũt. Grave quidẽ jugum Superioribus, qui & Oves sibi concreditas in peccatis relinquunt, & difformationi Religionum viam aperiunt, eamque prætextu necessitatum fovent. De his omnibus videri potest Joannes Major in 4. d. 38. Cardinalis Turrecremata Tract. 13. in Regulam sancti Benedicti, & alii. Placet verò ad abusuum magis intimam penetrationem, quasdam S. Congregationis Responsiones contra hujusmodi abusus proprietarios hic inserere, præter eos enim quos superiùs retulimus, Stephanus Quarãta V. Casus reservati: hos subnectit, adjuncta Declaratione Cardinalium.

Stephanus Quarãta.

Declaratio certorum Casuum per S. Congregationem ex Stephano Quarãnta suprà.

IN aliquibus Monasteriis Monialium reperiuntur nonnullæ Moniales, quæ censu & annuos quosdam reditus, proventus, seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus, Nam.

Aliquæ in ipsarũ persona emerunt certos reditus à personis Laicis.

Aliquæ ab aliis Monialibus.

Aliquæ ab ipsis Monasteriis.

Aliæ verò dederunt pecuniam Monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine Monasterii ad rationem septem, vel octo pro centenario, & Abbatissæ dabant dictis Monialibus illos reditus, qui ex dictis emptionibus exigebant singulis annis.

Aliquæ Monasteriis, seu eorum Superioribus, certas pecuniarum summas manualiter pro Monasterii indigentiis dederunt, pacto adjecto, vel etiam tacita conventione adhibita, ut Monasterium seu Abbatissa certos reditus ad rationem tot pro centenario earum vita durante concedat.

QVÆRITVR.

Quid in his casibus in pertinet Monialibus

AN in hujusmodi Casibus, liceat Monialibus dictos reditus, fructus, & proventus percipere, absque incursu Proprietatis, vel potius tamquam Proprietariæ incurrant pœnas per Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 2. de Regul. Proprietariis inflictas, etiamsi de licentia Abbatissæ, & ad Abbatissæ nutum, vel Conventus, seu Monasterii nomine percipiant.

Congregatio Concilii censuit: *In nullo supradictorum Casuum licere Monialibus dictos fructus, seu reditus percipere, & si perceperint incidere in pœnas propositas Decreto d. cap. 2. Sess. 25. de regular. Neque ab hujusmodi pœnis excusari ob licentiam Abbatissæ, quæ etiam dictis Concilii Decreto in supra-dictis Casibus conced re quidem prohibetur, sed debet pro suo munere & Monasterii reditibus, & eleemosynis Monialium necessitatibus indies subvenire.* Signatum erat. *Hieronymus Card. Matthæus.* Sigillo adjuncto.

Ex quibus omnibus pono Regulam Generalem.

REGVLA GENERALIS.

QVidquid sapit dominium, proprietatem, usum-fructum, usum juris, dispositionem, sive administrationem liberam & independentem in quacunque re mobili sive immobili, quomodocumque, sive per modum reditus,

ditus, proventus, pensionis, independentis dispositionis, alicui Regulari singulariter advenit: Nec licitè illi concedi potest; Nec sic absque Proprietatis vitio illi convenire.

Regula patet ex omnibus supradictis, quæ hic repeti non debent

ADMONITIO SINGULARIS

AD LECTOREM.

Pro pauper tate religiosa materia scribentes, nimis inter dū declināt ad juris cō-sultorum apices.

ADverte prudens Lector Scriptores in materia Paupertatis sive Proprietatis scribentes, non omnes mensura, seu pondere sanctuarii illam expendisse; sed interdum ad Juris-Consultorum apices declinare, ut pravas consuetudines excusent, & onus (ut ajunt) conscientiarum allevient; non attendentes obligationem voti Paupertatis, esse juris Divini naturalis, quo reddere tenemur Deo Vota nostra, in qualitate, & modo, quo facta sunt. Quamvis enim materia Voti non rarò sit dispositionis juris humani: hoc ipso tamen, quo Paupertas Religiosa determinata est per Regulam, & approbationem legitimam, qui eam in tali determinatione vovit, tenetur in eadem determinatione, qua vovit, illam observare: Ut qualis Paupertas in Regula à S. Sede approbata reperitur, qui illam secundùm dictam Regulam vovet, illam secundùm Regulæ præscriptum servare tenetur, ut satisfaciat suo Voto. Unde Juris-Consultorum apices, & speculationes, quibus in humano jure luditur à Viro Religioso vitandæ sunt: Et Scriptores, qui illis in rebus tanti momenti utuntur, sciant se conscientias gravare, non alleviare; non enim Deo mentiri possumus. Argumenta igitur quæ ex juris Divini naturalis principiis deducuntur in hac materia usui esse possunt, quæ verò ex humanis ratiocinationibus procedunt, non plus concludunt, quàm prout Divino naturali juri conformia sunt.

Alii Scriptores sunt: Qui, quia condescendente Sede Apostolica humanis infirmitatibus, Paupertatem quandam Religiosam accommodam, ac multum modificatam à S. Sede, tamen pro Statu Religioso approbatam, acceperunt. Omnes antiquas Religiones in pura Paupertate primæva Evangelica fundatas ad suos modos (quos non satis piè super omnes primarum Regularum observantiæ exaltare conantur) deducere tentant, & juxta suos mores omnia judicare, quod non parvæ dementiæ est. Vidi, non sine bili nuperrimè Neotericum quendam Scriptorem distinguentem Paupertatem Religiosam à Monachali; & Paupertatem Monachalē quàm Strictiorem noncupat, ad tempora Justiniani Imperatoris reducendam, ac ejus, (ut ajebar) institutione impositam, quamvis consensu Romani Pontificis. In quæ Eheu! tempora devenimus.

Unica itaque in Paupertatis Virtute & Proprietatis vitio deprehendendo Regula est & velut Sanctuarii pondus, ac mensura hominis, quæ est Angeli, *Evangelica*, scilicet, *Paupertas*, ab Apostolis exercita, in Primævis Christianis adumbrata; à Monachis & Regularibus antiquis observata, & regulis eorum expressa: Ad hanc lineam rectitudo justificatur, obliquitas deprehenditur. Denium quilibet Regulam suam, & constitutiones Ordinis sui attendere debet: Et ubi dubitat consulere Scriptores, potissimùm qui vita, doctrina, exemplo in observatione Apostolicæ, Evangelicæ, & primævæ Paupertatis excelluerunt, vel in praxi exercitati sunt.

DUBIUM VII.

Quale sit peccatum Proprietatis, & quas pœnas Proprietarii incurrant?

RESOLUTIO I.

Proprietas in re moraliter & gravi, est peccatū mortale.

PRoprietas in re moraliter reputata notabili & gravi, est peccatum mortale; & ex Decreto Clementis VIII. de casuum Reservatione pro Regularibus, casus reservatus, vel qui reservari potest.

Dixi (*in re moraliter reputata notabili, & gravi*) Levitas enim materiæ excusat à peccato mortali; quod autem peccatum mortale non est, nec est reservatum nec reservabile, ut in primo Tomo latè probatum est.

Quæ verò sit Materia, sive res moraliter reputata notabilis vel gravis, documus aliquando *Dubio 4. Expositionis nostræ in Regulam Fratrum Minorum ad Cap. 7.* Ubi expendimus quantitatem illam materiæ in rebus permanentibus, & quantum valor à sola opinione hominum non dependet, deberé æstimari saltem ad florenum, vel tres aut quatuor Julios, juxta prudentis viri judicium considerata circumstantiis Monasterii, & abundantiæ, vel penuriæ rerum.

Dixi (in rebus permanentibus) propter esculenta & pocul nta, quæ quotidianis usibus cedunt, & de Monasterio accipiuntur; in quibus excessus quantitatis maximè æstimandus est juxta prudentis viri judicium, consuetam in Monasterio administrationem, abundantiam vel penuriam. Aliud enim est, si pecunia ista esculenta & poculenta, aut aliæ rei permanentis campio, debeant procurari, tunc enim Proprietas æstimanda est ex ratione pecuniæ, vel rei permanentis, quæ in comparatione esculentorum, aut poculentorum insumitur: Ibi enim duo peccata Proprietatis committuntur: Prius, quia Regularis pecuniam vel rem aliam contra voluntatem Superioris insumit: Posterius; quia esculenta & poculenta, quæ jam Monasteria censentur acquisita, absque voluntate Superioris consumit. Et prius quidem certam æstimationem habet; posterius usualem & domesticam.

Dixi (quarum valor ab opinione hominũ non dependet) Multa enim sunt, quæ sola opinione hominum æstimationem accipiunt, in se autem indifferentia sunt, ut flores Tulipæ, & alii qui plus à phantasia hominum æstimantur, quàm à veritate. Et hæc in re conscientiæ tanti haberi non debent.

Itaque moralis æstimatio in his multùm necessaria est, ut peccati Proprietatis ratio, & gravitas expendatur, & proprietarius mortalis culpæ condemnetur.

Ad moralem etiam æstimationem gravitatis peccati Proprietatis, multùm facit voluntas Superioris, & ejus contrarietas: Debet enim voluntas Superioris esse omnino contraria, ut nimirum censeatur res contra voluntatem Superioris haberi, vel consumi: Aliquando enim voluntas Superioris detentioni, & consumptioni omnino contradicit: Aliquando detentioni, acquisitioni, vel consumptioni non tam contradicit, quam modo habendi vel consumendi, ita ut æstimetur aliquo modo in rem consentire. Si itaque à rei acquisitione, detentione vel consumptione voluntas Superioris sit simpliciter aversa, in Regulari peccatum Proprietatis completur; Si tantùm à modo habendi &c. tunc in rigore Proprietas non est, quia supponitur quædam voluntas Superioris saltem indirecta.

Dixi (*casus reservatus, vel quia reservari potest*) Casus enim in decreto Clementis VIII. positi sunt illi, qui à Superioribus pro Regularibus reservari possunt, ad tollendam nimiam Superiorum in reservando libertatem, & excessum. Unde quælibet Religio debet attendere, quos & illis reservet, non enim omnes semper reservantur, & fortè in aliquibus peccatum Proprietatis reservatũ non est.

RESOLUTIO II.

Proprietatis peccatũ plura ad peccata possunt comitari.

PLura interdum peccata possunt vitium Proprietatis comitari, multiplicatis etiam formalibus malitiis, quæ omnes explicandæ sunt. Ex.g. Joannes Regularis furatur aliqua mantilia, mappas benedictas, & hujusmodi ex Ecclesia Monasterii, & illa suis usibus aptat, & detinet: In hoc quod rem sacris addictam accipit, non tantùm simplex furtum, sed etiam sacrilegium committit, & in eò quod usibus aptat, & detinet Proprietarius est, & rerum sacrarum profanator. *Similiter*: Rem furto ablatam ab Amico sciens accipit, & illa contra volutatem Superioris utitur, & absque licentia, quinimò mandante Prælato per obedientiam non restituit: In hoc, quòd rem furto acceptam recipit, formaliter furto cooperator, & furtum committit: In eo autem, quòd absque licentia Superioris illa utatur, Proprietarius est: In eo, quòd mandato Superioris per obedientiam præcipientis non obtemperat, inobediens est. Et sic de multis. Non acquiesco tamen dicentibus, quòd qui re à vero Domino concessa ad usum, contra voluntatem Superioris utitur, cum alieno de licentia veri Domini utatur, non committere nisi peccatum Inobedientiæ: verè enim Proprietarius est, quia inviro Superiore rem suis usibus appropriat, etsi simpliei usu facti. Unde etiam quandoque contingit, ut tria peccata reservata quis uno actu committat. Ex.g. Si quis furetur in quantitate notabili aliquid de Monasterii Bonis; illud detineat, & adjuratus mandato Superioris inobedientia contumace resistat. Est enim furtum notabile de rebus Monasterii; Proprietas reservata; Inobedientia contumax; Qui casus seorsim in dicto Decreto ponuntur.

RESOLUTIO III.

Proprietariorũ duæ potissimum pœnæ. Cõc. Trid.

POenæ Proprietariorum duæ potissimùm in jure communi continentur. Altera, privatio vocis activæ & passivæ per biennium, Ex Concilio Tridentino sess. 25. de Regularibus cap. 2. Altera, privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, si nimirum moriatur Proprietarius, & ante mortem non pœniteat, juxta cap. *Cùm ad Monasterium*, de Statu Monachorum, & cap. *Monachi*, eod. Tit. Alia ibidem ponitur pœnæ directionis à Monisterio, sed novo jure correcta est: Hæ verò pœnæ non incurruntur, nisi per sententiam declaratæ sint, & maximè posterior: Ad quam requiritur, ut juridicè & apertè constet de detentione proprietaria rei permanentis post mortem, sive Regulari jam defuncto: Nemo enim hac pœna plectitur ob usum tantùm simplicem; quamvis proprietarium; neque si aliquod dubium de ejus voluntate, vel de detentione voluntaria rei appareat; neque si in morte, vel ante patefecerit, & suum peccatum fassus fuerit. Ratio est, quia pœnæ juris sunt restringendæ, non ampliandæ. Unde, qui post mortem inventus esset aliqua bona Monasterii alienasse, aut proprietariè absumpsisse; etsi in Proprietatis peccato sit mortuus, pœna privationis sepulturæ plecti non potest; quia jura tantùm loquuntur de eo, apud quẽ pecunia, vel res aliqua permanens proprietariè retenta, vel apud aliũ deposita est inventa.

DIGRESSIO.

De Acquisitione rerum, & Alienationibus.

QUÆSTIO I.

Quibus modis res Monasteriis acquirantur, aut à Monasteriis alienentur?

CONCLUSIO I.

Diversis modis res acquiruntur monasteriis

RES Monasteriis diversimodè acquiruntur; nimirum fundatione, ob actionibus Deo, & Monasteriis factis, emptione, permutatione, donatione,

nationibus, successione hereditaria, & quavis juridica ex in Monasterium translatione, accessione.

Conclusio clara est ex terminis: Sicut enim in sæcularibus dominium, possessio, proprietas usufructus, & usus quilibet his ferè modis acquiruntur; sic & Monasteriis acquiri solent, sive titulus acquisitionis cedat Monasterio, sive Ecclesiæ, prout à principio explicavimus: sive illa acquisitio titulo oblationum sacrarum Deo factarum, sive titulo Monasterii, sive titulo Religiosi, aut Monachi fiat. Quidquid enim Monachus legitimè acquirit, quocumque titulo acquirat, acquirit Monasterio.

CONCLUSIO II.

Quibus modis depereunt.

Iisdem modis quibus solent res deperire Secularibus, iisdem solent deperire Monasteriis, & alienari, ut cessatione, venditione, permutatione, donatione, elocatione, emphyteusi &c. in quantum nimirum, aut translatio illarum in Monasterium, & ad tempus facta cessat, vel revocatur, aut res Monasterii per venditionē, donationem &c. alienantur. Pauca autem super his sequentibus quæstionibus sunt resolvenda.

QUÆSTIO II.

An sit Regularibus licita alienatio rerum Monasterii?

Alienatio rerum Monasterii duplex est.

PRo Resolutione magis accurata hujus Quæstionis, Advertendum est: *Alienationem* rerum Monasterii duplicem esse. Alia est *perpetua*, ut quæ fit donatione, venditione, permutatione, emphyteusi perpetuâ. Alia est *temporaria*, ut elocatio, conductio ad tempus, emphyteusis temporaria &c. Et hæc quidem vel ad longum tempus, vel ad breve. His sic prænotatis, sit

CONCLUSIO I.

Res immobiles, & mobiles pretiosa, non possunt etiam per Prælatos alienari, nisi duobus casibus, nimirum existente justa causa & solemnitatibus servatis. Videatur Extrav. Pauli II. quæ incipit: *Ambitiosæ cupiditati*: & habetur inter Extrav. communes Tit. de Rebus Eccles. non alienandis.

Justa causa, in 4. Potissimum conditionibus consistit. 1. *Necessitatis* 2. *Evidentis utilitatis*. 3. *Incommoditatis*. 4. *Pietatis*.

Necessitas dicitur, quæ vix, aut absque gravioris incommodo, & ruina majori Monasterii non potest evitari: Ut imminente gravi periculo vastationis, deprædationis, invasionis, aut pecuniæ sustentationis Religiosorum, vel conservationis Monasterii &c.

Evidens utilitas; Quando multum ex alienatione res Monasterii aut fructus percipiendi incrementum accipient & ex illa notabiliter Monasteriorum meliorabitur.

Incommoditas dicitur, quando res quæ alienari debet, fit monasterio aut Religiosis dispendiosa, perniciosa, aut occasio alicujus incommodi.

Pietas: quando res alienatur, ut Cultus Dei, Fides, Salus proximi, Ecclesiæ dilatatio promoveatur: Ut, ad novum Conventum erigendum, Hospitale, vel Xenodochium fundandum; Scholam piam pro conservanda fide instituendam &c.

Solemnitas consistit in iis, quæ à Summis Pontificibus, & singulariter à Paulo II. sunt constituta, quæ in tribus ferè consistunt.

1. *Conditio est*: Ut Prælatus, vel Superior alienans sit auctorizatus: Auctoritas autem illa moderno tempore consistit in facultate Summi Pontificis obtinenda, ita ut absque illa omnis alienatio cassetur: quamvis nonnulli affirmēt, consensum Apostolicum de necessitate non requiri, ubi clarè & manifestè omnia alia à jure communi requisita concurrunt, & servata sunt: Verùm, etsi à parte rei, & in conscientia ac Scholis id sustineri possit, qui tamen sive consensu Apostolico rem immobilem alienant, in praxi Curiæ Romanæ condemnetur, nisi aliquo generali privilegio, quod æquivaleat facultati generali, contractus justificetur. Qualc est privilegium Syndicis Minorum datum ad alienanda bona, & alia nonnullis Ordinibus concessa videre est in Compendiis Privilegiorum cujuslibet Ordinis. Aut si aliqui casus in jure exprimantur, qui Apostolicæ auctoritatis mentionem non faciunt; Odia enim sunt restringenda, & quod specialiter absque restrictione in jure expressum est, absque restrictione intelligi debet. Porrò conditionem illam de facultate à Papa obtinenda confirmant expressa juramenta Episcoporum, & Abbatum in inauguratione sua, quæ vide in pontificalibus. *Syndici Fratrum Minorum*

2. *Conditio* requisita ad illam solemnitatem est: Consensus Capituli legitimè congregati, sive ad sonum campanæ sive alio modo congregari consuevit ad negotia communia Conventus peragenda. Unde Notandum hic est; 1. Non sufficere si Religiosi seorsim interrogentur, aut consentiant, sed id debet fieri in Congregatione. 2. Religiosos non posse consensum suum committere votis, & suffragiis aliquorum, ut trium aut quatuor, nomine Conventus deputatorum vel deputandorum, sive etiam à Superiore assumendorum. Ratio verò horum est: Quia cum consensus communis requiratur, ad evitandas subreptiones, & dolos, ac simultates; quæ vix evitari possunt, nisi in publica congregatione res proponatur, & de justitia, evidendi utilitate, aut necessitate rei publicè cōstet, & omnibus sit nota, ac ab omnibus admittatur, ideò Congregatio necessaria est.

3. *Conditio est*: ut contractus fiat, & scripto ponatur, atque à singulis Religiosis signetur.

tur, vel saltem per Notarium publicum, accepto singulorum sigillatim verbo, & auctoritate. Vide Stephanum Quarantam *V. Alienatio Rerum Ecclesiae*, qui Jura & Auctores longè & latè citat, quae quia nostrum intentum cedunt, hic repetere absonum reputavi.

Praetereundum tamen non est: Quòd Auctoritas S. Sedis Apostolicae interdum Causas, & Solemnitates suppleat, si in Bullis sufficienter supplementum illud exprimatur: Interdum etiam Privilegia nonnulla permittant Alienationem, modò duae partes conventus Consentiant. Vide Compend. Privileg. A Sorbo *V. alienatio Bonorum*. & Annotationem Capucini, ubi referuntur Privilegia Ordini S. Clarae, Ordini Praedicatorum, ordini S. August. Eremitarum, & Congregationi Cassinensi, nec non Syndicis Fratrum Minorum quoad alienationem immobilium concessa.

Varia Privilegia quoad alienationem.

Porrò, in Conclusione, non solùm *immobilium alienatio* sed etiam *mobilium pretiosorum*, prohibetur. Quae autem dicantur *mobilia pretiosa* variae sunt opiniones. Refertur quorum Responsio Cardinalium, quae pretiositatem restringit ad valorem 25. aureorum. Ego prudentiae proborum relinquendum judico. Cùm enim interdum aestimatio, non tam ex substantia rei, & valore, quàm ex aliqua ratione caritatis, antiquitatis, humanae opinionis nascatur, provide & maturè res aestimanda est. Explico. Vasa aurea, argentea, gemmae, ornamenta pretiosa, tapetes, & similia, quae ex se sint magni valoris, tam quoad substantiam, quàm quoad artem inductam, Juxta aestimationem peritorum; ista non possunt alienari, nisi Causis, & Solemnitatibus suprà alligatis: Sunt autem alia, ut quaedam statuae, imagines, numismata, flores, &c. quae nec in materia pretium habent, sed aestimatio pendet tantùm à caritate, antiquitate aut imaginatione hominum; ista sanè possunt absque solemnitatibus alienari à Superiore in bonum Conventus, sive Monasterii; quia à parte rei pretiosa non sunt.

Ex hoc etiam Capite. Advertunt nonnulli (ut Bonacina disput. 2. qu. unica, puncto 2. n. 31.) probabiliter sine periculo Excommunicationis licere Superioribus, sacras Reliquias alienare absque praefatis solemnitatibus, quia pretio aestimabiles non sunt. Quod mihi probatur, si Reliquiae seorsim considerentur: Et non simul capsae Reliquiarum, quae aliquando sunt pretiosissimae ex parte materiae & artis.

Conclusio II.

Sub alienatione prohibita quae comprehendantur.

Sub alienatione prohibita non tantùm comprehenditur venditio, sed etiam permutatio, conductio activa sive locatio ad longum tempus, emphyteusis, hypotheca, infeudatio, V. Vide Extrav. citatam *Ambitiosa cupiditati* Pauli II.

Dicitur verò, (*locatio ad longum tempus*) Et quamvis longum tempus comprehendat decennium, & consequenter intra decennium, utpote ad novennium, res locari possent, Paulus II. tamen restrinxit tempus locationis ad triennium, ita ut locatio facta ultra triennium absque causis, & solemnitatibus suprasuppositis, censeatur nulla, & Locantes poenas juris incurrunt, nimirum, Excommunicationem &c. Sed haec debent intelligi ubi Extrav. Pauli II. est recepta, ubi contra legem illam longo usu & consuetudine non est praescriptum. Super quo advertant, qui ultra triennium, etiam ad novennium, Bona stabilia elocant. Si enim usus, & consuetudo praevaluit, validae censendae sunt istae locationes, & absque censurarum incursu legitimè Bona sic elocantur; Constat autem teste Navarro cap. 27. n. 150. & cap. 17. num. 545. & Covarruvia 2. *variar. cap. 16. num. 2. & 6.* Hanc Extravag. in multis locis, nec quoad poenas, nec quoad dispositiones ejus fuisse receptam vide Hieronymum Rodriguez *Resol. 7. de Alienationibus*.

Paulus II.

Quaestio III.

An Regulari professo liceant Donationes aliquae intra, vel extra Ordinem: & quae sint Conditiones Legitimarum Donationum?

Ratio verò dubitandi est: Quia Donatio est *juris, quod quis habet in aliquam rem, in alium liberalis translatio.* Cùm verò Regularis, ex vi suae Professionis, jus omne in quamcunque rem per votum Paupertatis ab se abdicaverit, quomodo deinceps illud in aliud legitimè transferre potest? aut quo jure alius rem ab impotente, seu domino, & cujusvis juris incapace, donatam suam facere valebit?

Donatio alicujus rei, quid.

Pro Resolutione *Advertendum est: Duplicem* hic nos distinguere *Donationem*: Alia est *principalis, independens*; seu *potestativa*, quae fit ab eo, qui verum dominium, proprietatem, vel jus sufficiens in rem habet: Alia est *dependens* & velut *ministerialis*, ut quae fit per administratores, nomine dominorum; per proles indulgentia parentum per famulos & domesticos ex honesta condescensione, & communi usu de bonis dominorum. Ita sic tanquam fundamento posito, sit

Conclusio I.

Non licet Regulari, *Donatione independente, & potestativa, aliquid donare, sive sit Abbas, vel Praelatus sive Subditus.*

Donatio independens illicita est omni regulari etiam Abbati.

Ratio est: Quia, ut in Superioribus documus, nullos Regularis professus, quantumvis Praelatus, verum dominium, proprietatem, aut jus ad rem habere potest: *Ergo* nec donare, Donatione independente, & potestativa potest.

Con-

Conclusio II.

Donatiolicita Prælatis & officialibus Monasteriis

PRelati, & Administratores, sive Officiales quilibet, respectivè, & proportionaliter possunt donare, & disponere de rebus Monasterio advenientibus, juxta rationem, & usum communem ac honestum Prælaturæ, Administrationis, & Officii, nisi aliqua restrictione rationabili Superioris sit reservatio facta.

Ratio est; Quia cui committuntur Prælaturæ, Officia, Administrationes, dispositiones; censentur etiam committi, quæ velut ex consequenti, juxta rationem Administrationum, in eleëmosynam, compensam, & salarium alicujus obsequii, honestam & urbanam gratitudinem, promotionem negotiorum, amicorum, & fautorum conciliationem solent dari, pro conditione Monasterii, &c.

Ex quo infero; non tantùm Superiores & Prælatos, sed etiam Oeconomos, Procuratores, Provisores &c. absque expressa licentia posse in supradictis causis donationes facere, absque scrupulo, intra terminos Religiosæ honestatis, & charitatis.

Dixi, (*nisi aliqua, restrictione rationabili Superioris sit reservatio facta.*) Cùm enim ex causa rationabili Superior aliquid prohibet, ipsius judicio standum est; & restrictio observanda. Sicut enim Administratores ex voluntate Superioris potestatem accipere censentur; sic dependent ab ipsorum judicio in donationibus, & aliis gratuitis largitionibus. Additum est tamen (*restrictione rationabili*) quia si manifestè sit irrationabilis, ad communem rationem usus, dispensationis, & donationis recurrendum est: Tenetur enim Superior, si Administrationem committat, illam sub usitatis inter probos conditionibus committere.

Conclusio III.

QVilibet Regularis potest dare intra, & extra ordinem, levia munuscula, quæ pietatis, & honestæ gratitudinis intuitu communiter in Monasteriis benè disciplinatis dari consueverunt, de implicito consensu Superioris.

Ratio est; quia in his principales Domini, sive sit Ecclesia, sive sit Monasterium, sive aliquis Benefactor, censentur se communi honestati accommodare, & regulas Religiosæ gratitudinis, & mutuæ charitatis observari velle. Bonum tamen esset ad abusus vitandos & scrupulos tollendos, ut communi aliquo Statuto Superiores declararent, quid, quantum, & qualiter dari possit, & donationes hujusmodi regulis quibusdam generalibus firmarent. Juxta Decretum Nicolai III. pro nobis Fratribus Minoribus, *Extravag. Exiit qui seminat*, §. de largitione vilium, sic statutum est: *De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus, liceat ex præsenti nostra constitutione fratribus, pietatis seu devotionis intuitu & (obtenta super hoc priùs Superiorum licentia) juxta quod inter fratres in generali, vel in Provincialibus Capitulis tam de ipsis rebus vilibus, seu parum valentibus, & earum valore; quàm præfata licentia, scilicet à quibus, & qualiter sit habenda extiterit ordinatum, intra, & extra ordinem aliis elargiri.*

In quibus verbis valorem rerum, modum licentiæ, & hujusmodi circumstantias relinquit dispositioni Capitulorum supponens de illis disposuisse. Aliàs, communis inter probos & timoratos usus ac consuetudo in qualibet Religione attendenda est. Quamvis Clemens VIII. Reformationibus Religionum providè intentus, pro omnibus Regularibus Bullam quandam ediderit, cui Titulus: *De largitione munerum*, quæ quia à plurimis Scriptoribus ex professo tractatur, nec ubique est recepta, nolui multùm illi inhærere, hoc tamen addito, quòd Urbanus VIII. dictam Bullam innovaverit, & observari jusserit, nonnullis declarationibus & explicationibus additis, quæ quia necessariæ sunt, hic subnecto.

Declarationes Urbani VIII. super Bulla Clementis VIII. de largitione munerum.

Superiores & Subditi quid & qualiter donare possint.

DEclarat Pontifex licere Superioribus Regularibus, & ipsis Subditis cum licentia Superiorum, largiri munera, causa gratitudinis, remunerationis, conciliationis, aut conservationis benevolentiæ erga Conventum, aut Religionem, aut quavis de causa respiciente de sui natura actum virtutis, modestè tamen & discretè.

2. Licentiā requiri, non tamen in scriptis, sed vocalem, nisi concurrat ambitionis, aut alicujus inordinatæ actionis suspicio, qua munera donarentur ad ambitiosè obtinenda officia, beneficia, dignitates.

3. Comestiones & convivia in excipiendis lautè benefactoribus &c. eatenus tantùm prohiberi, quatenus decentiæ Status Religiosi adversarentur.

4. Causam, & modum Largitionum relinquit determinationi Capitulorum Generalium, & consequenter Provincialium, ubi Generalia desunt, vel etiam Superiorum declarationi.

5. Quantitatem Largitionum, & alias circumstantias non specificavit. Mihi certum est, quòd in illis debeat attendi, causa necessitatis, vel finis, ob quem donationes fiunt: Personarum, quibus largitio permittitur; & earum, quibus munera dantur, Status & qualitas, Monasteriorum & Conventuum constitutio; Regulæ rigor, & austeritas &c. Cùm enim finis Bullæ fuerit providere, ne Bona Monasteriorum dissiparentur,

continuum non est, & mutatis circumstantiis facilè restitui potest, nisi ut plurimum mentiretur iniquitas sibi. Et apud me certum est, quòd quamdiu Regulares possunt, & permittuntur simul habitare in eadem domo, non posse eos excusari à Communi Vita, modò velint omnem acquisitionem, industriam, laborem in commune conferre. Quia si singula individua sibi benè providere possunt in particulari, cur eadem provisio in commuunem massam reducta, & singulis distributa, sufficere non possit? ut Superiùs indicatum est.

4. *Vtilitas Monasterii* aliquando justam, & congruam necessitatem peculii inducit: Sic permittitur alicui Industrio aliquod peculium, ut suum opificium promovere possit, quia arte aliqua pollet, qua rem Monasterii promovere plurimùm potest. Sic Administratoribus, & Officiariis aliquando ob multam industriam plura permittuntur, quàm requirat ipsum officium, vel administratio, ratione magnæ utilitatis, quæ ex hujusmodi permissione sive usu peculii procedit. Sed hæc & similia ferè sub administratione, & nomine Officialium comprehenduntur, etsi enim communia nomina Officialium ii, quibus ista permittuntur, non sortiantur, sed ut particulares personæ agant; quia tamen partem sollicitudinis pro communi utilitate subeunt, rationem Officialium æquipollenter subire interpretandi sunt.

Dubium VI.

Quæ conditiones requirantur, ut usus peculii legitimè Regulari concedatur?

Resolutio.

PRæter causas justas, & congruè necessarias, plures conditiones à S. Sede requiruntur, ut usus peculii, etiam simplicis facti, legitimè Regulari concedatur. Quamvis verò plures ex illis superiùs sint relatæ & explicatæ, placet tamen hic omnes velut recapitulare, ut Lectori magis obviæ sint.

Recapitulatio conditionum requisitarum, ut usus peculii legitimè concedatur.

Prima conditio est: Ut res, quæ per modum peculii datur, sit Conventui aliquo modo incorporata, & dispositioni Superioris tradita.

2. Ut per modum simplicis usus facti concedatur.

3. Ut peculium sit ad nutum Superioris amovibile, & possit auferri.

4. Ut non excedat honestatem & moderantiam Status Religiosi & Regulæ promissæ.

5. Ut subsit causa justa, & congruæ necessitatis.

6. Ut in usus superfluos & turpes non insumatur.

7. Ut (nisi aliud necessitas postulet) apud Officialem aliquem Monasterii illud peculium reservetur, & ab illo administretur, & quando illo debet Regularis uti, humiliter ab Abbate vel Officiali facultas postuletur.

Hæ sunt conditiones potissimùm requisitæ, quæ satis explicatæ sunt in superioribus, & abusus contrarii ex terminis obvii sunt, & partim expressi. Solùm examinari debet specialiùs conditio prima de Incorporatione.

Appendix.

Ad 1. conditionem: ut res, quæ conceditur in peculium, sit monasterio aliquo modo incorporata.

RAtio hujus conditionis est: Quia in rem Conventui non incorporatam Superiori nullam potestatem habet; Ergo nec illius usum cōcedere potest, aut aliàs de illa, vel illius usu disponere: Unde & Conc. Trid. suprà vult: *ut res omnes Superiori tradantur, & Conventui incorporentur.* Super qua conditione casus notabiles hic veniunt extricandi, & explicādi, sub quibus cōmuniter latent vulpeculæ parvulæ, quæ Religionis vineas demoliūtur, quos omnes simul proponemus, quia ad eandem fere Resolutionem spectant.

Superior nō habet potestatē in rē Conventui non incorporatam. Cōc. Trid.

Casus Notabiles

Ad primam conditionem de Incorporatione pertinentes.

JOannes Amicus, vel Benefactor Benedicto Regulari commendat aliquā pecuniæ summam, sive apud ipsum deponit, vel etiam apud alium, sub hac liberali concessione, ut illa utatur, sive uti possit pro suis necessitatibus vel aliorum ad placitū; ita tamen ut nec Abbati liceat de illa portione, quā Benedictus Regularis accipit, disponere, nec illum impedire, quò minùs utatur &c. *Item*; Ioannes cōcedit Benedicto, usum aliquorum liberorū, vestium, utensilium; sub conditione quòd remanente sibi dominio, & proprietate, Benedictus simplicem tantùm usum illorum utensiliū habeat, ita ut si non consumantur, illa Joanni reddi debeant. *Item*; Parens onerat hereditatem suā, distributam suis prolibus, obligatione dandi quotānis filio suo Joanni, aut Mariæ Filiæ Regularibus tantùm pecuniæ, ad suū placitū expendendæ; ita ut si Joannes vel Maria non possunt pro libitu de ea disponere, non teneantur ipsis illā pecuniam donare. *Item*; Concedit Benefactor Regulari, ut apud mercatorem tantùm vini, cibariorum &c. accipiat, suo beneplacito expendendum, absque ullo Superioris interventu, vel dispensatione &c.

1 Casus notabilis. *2 Casus.* *3 Casus.* *4 Casus.*

Quæritur.

An isti Casus sint liciti, & qualiter in his tam Superior quàm Regularis se gerere debeat?

RAtio dubitandi est. Quia nihil ex omnibus in Casibus illis relatis Monasterio incorporatum censetur. Pro Resolutione.

Adver-

Advertendum est 1. Duplicem hic notari debere Incorporationem. Alia est Incorporatio juris: nimirum, per dominium, proprietatem, usum-fructum, & usum-juris. Alia est Incorporatio, quæ fit Monasterio per simplicem facti usum: Quæ posterior explicari potest ex Paupertate nostra Fratrum Minorum, quæ etsi prioris Incorporationis sit incapax, posterioris tamen non est incapax, cùm multa sint incorporata Ordini Fratrum Minorum quoad simplicem facti usum, ut Conventus, horti, supellectilia tam Ecclesiæ, quàm Conventus, ita ut ex voluntate Dominorum, vel S. Romanæ Ecclesiæ ab illis tolli non possint, in quæ tamen nullum jus proprietatis, dominii, usus-fructus, vel usus juris Incorporatione non sunt Ordini incorporata, sed in alieno semper dominio permanent. Vide Extrav. *Exiit qui seminat*: Et Clement. *Exivi de Paradyso* de verb. signific. in 6.

Advertendum 2. Sicut datur proprietas in dominio, usu-fructu, & usu-juris: Sic accommodè dari proprietatem in usu simplici facti, si nimirum aliquis utatur quidem re, tanquã non sua, nihil juris prætendens in illam, utitur tamen independenter à voluntate Superioris, immò contra ejus voluntatem: Hic enim verè proprietarius est, quia suo usui applicat propria voluntate illud, cujus usus dispositio ad Superiorem spectat.

Resolutio

Casuum suprapositorum.

Regularis non potest sibi vendicare simplicem usum facti alicujus rei, sine facultate Superioris.

NUllus Regularis potest permittere depom apud quemcumque pecuniam, aut aliam rem quamcumque; aut illam ad usum suum particularem etiam simplicis facti recipere, aut eam consumere, absque aliqua dispositione & facultate Superioris.

Ratio fundamentalis est; Quia Regularis quilibet in omni Religione etiam accommodà promittit absque proprio vivere; Atqui proprietas non modò excludit dominium, sed etiam usum facti, independentem à Superiore: Ergo qui sine proprio promittit vivere, contra votum peccat, si sibi alicujus rei usum contra voluntatem Superioris applicat, cùm inde pendenter, & propria voluntate sibi applicet, voluntate & facultate Superioris positivè exclusa.

Ex quo infero; Nihil verum Dominum circa usum, consumptionem, applicationem dispositionem suæ rei ab aliquo Regulari faciendam disponere posse, absque facultate legitima, explicita, vel implicita Superioris. Ratio est, quia etsi rei suæ sit plenè Dominus, & illius plenissimam dispositionem habeat, omnium tamen actum circa rem illam, supposita quavis voluntate Domini proprii, Regularis incapax est; seclusa legitima facultate Superioris: Ita ut si absq; illa pro se utatur re quovis modo concessa, proprietatis vitium incurrat: Si verò rem recipiat, ut de voluntate Domini extra Religionẽ impendat contra voluntatem Superioris, inobedientiæ vitiũ incurrat.

Unde ut singula perstringamus; si Benedictus Religiosus recipiat à Joanne Amico, sivè Benefactore, aut depoui permittat summã pecuniæ, suis necessitatibus per merum etiã usũ facti applicandã contra voluntatem Superioris, vel absq; ejus volũtate: etsi Joannes deponendo non peccet; Benedictus tamen mortaliter peccat, & proprietatis vitium committit. *Similiter:* Si Benedictus utatur libris, veste, supellectili, remanente dominio terũ penes Joãnem, supposito quòd contra voluntatẽ Superioris, & absque ejus facultate utatur, peccat mortaliter, ex eadem ratione antè dicta. *Idem dicendum:* ubi Parens onerat Heredes, ut Joanni vel Mariæ Regularibus aliqua pensio annuè detur in eorũ necessitates, cùm clausula, ut ita independenter Ioãnes & Maria ea utãntur pro libitu, quòd si non permittantur uti, obligatiò pensionis cesset: Joãnes enim & Maria Regulares talem pensionẽ accepntantes contra vel absque voluntate Superioris peccant mortaliter, vitio proprietatis usus. *Item:* Nec minùs eandẽ rationem peccati proprietatis usus incurrit Regularis, qui apud mercatorem vel quecũque donantem, vinum, cibaria &c. quærit, ut ad libitum, absque Superioris aliquo interventu, ea expendat vel distribuat.

Quid, agendum, si inscio regulari, Ben. factor suadonationi ãnectat conditiones illicitas.

Petes; Quid igitur agendum si Amicus, Benefactor, Testator hujusmodi conditiones suæ donationi, concessioni vel legato adhibeat, etiam inscio Regulari? Respondeo: Vel Benefactor, Amicus &c. intendit simpliciter, non obstante conditione apposita, donatã concessam sive legatã, quoad possessionem aut usum abdicare in favore Religionis, ita ut determinatio ad Regularem sit tantùm determinatio optantis vel desideratis, ut ille utatur: Et tunc intelligi debet clausula specificativè, ut nimirum Benedictus vel Joannes utatur modo licito, & sub Superioris dispositione cõgrua & meritoria, ita ut juxta superiùs allegata ex Nicolao III: *nec donans, concedens, aut legans privetur merito, nec regularis* (si ita videatur Superiori suo) *effectu dati, concessionis vel legati:* Et ita liberè ad dispositionem Superioris recipitur. Vel Amicus, Benefactor &c. contradictoriè, & exclusivè clausulã servari intendit, ut scilicet Benedictus vel Ioannes ita re sibi donata, cõcessa, vel legata utantur juxta suum placitũ, ut à Superioris facultate vel dispositione nullatenus dependeãt: Et hoc modo, nec Subdito Regulari licet eam recipere, aut illa uti, nec Prælato. Quia ex supposito dispositio rei ad dominum pertinet, contra cujus voluntatẽ etiam re ipsa uti, est re aliena invito Domino uti: unde à talis rei usu Regulari & Religioni abstinendum est: quia Regularis talis usus est incapax, & de alio usu, invito Domino, Religio disponere nõ potest. *Regula* tamen *Generalis* est; Quòd ubi dubitatur de intentione donantis, illa benignè & meritoriè sit interpretanda, nimirum, quòd det, cõcedat, vel leget, eo modo, quo is, cui donatur, est capax, ita ut conditio talis reputetur pro

pro non adjecta, sicut & quando turpis conditio Legato præponitur: & ita Iura, & Canones decernunt, & expressè interpretatur Nicolaus III. Extrav. *Exiit qui seminat*. Non enim (inquit) *verisimile est, aliquem eleemosynæ suæ sine expressione modum illum velle præfigere, per quem & donans merito, vel illi, quorum necessitatibus intendit per donum hujusmodi providere, effectu doni, vel suæ conscientiæ puritate fraudentur.*

Ex quibus omnibus constat; Ut usus cujuscumque rei Regulari sit licitus rem illam aliquo modo Religioni debere incorporari: quia ut usus sit licitus, à dispositione & licentia superioris dependere debet: Qui etiam intentionem Benefactoris (si honesta sit, & benè circumstantionata) servare tenetur, Personæ illi primò providendo, in cujus necessitatem est res concessa, nisi aliud justa ratio suadeat, quæ in fideli Epikeia continetur.

ABVSVS.

Abusus proprietarii in generali perstringuntur. HEu! Quot abusus, procurante fallacia humanæ imaginationis, hic committuntur: dum Regulares procurant subdolis modis sibi dari, concedi, legari nonnulla, sub conditionibus illegitimis, quasi independenter, & exclusa voluntate, ac libera dispositione Superiorum, illis ad placitum uti possent; quæstiones, & lites movent; Amicos & Benefactores ad illicita, vel illegitima concitant, ut sua libertate utentes in proprietatum barathrum se præcipitent. Qui abusus specialiùs Moniales contingunt in dotibus, pensionibus, munusculis, & aliis similibus: Nec desunt aliquando in falsis fratribus & Religiosis. Hinc usũ simplicem facti in usum juris, & usum fructũ convertunt, dum depositum tanquam debitũ sibi exigunt, ad nutum suum expendi volunt & in usus quoscumque, etiam extra terminos frugalitatis Religiosæ distrahunt; Aliquid in istis immutari à Superioribus nõ sustinent; Administratione Officialiũ contenti non sunt; quin & ad ultimum usque denarium sibi velut computum reddi inverecundè cupiunt: Fundationes Missarum sibi vel Parentibus ex iis pecuniis ad multos ãnos fieri procurãt, & monasteria sua gravant, & signa ac incentiva proprietatũ cæteris post mortẽ relinquunt: Quibus abusibus Superiores condescendunt, sive ex nimia indulgentia, aut obligationis suæ ignorantia, sive pusillanimitate, quia eorum molestias pati nolũt. Grave quidẽ jugum Superioribus, qui & Oves sibi concreditas in peccatis relinqunt, & difformationi Religionum viam aperiunt, eamque prætextu necessitatum fovent. De his omnibus videri potest Joannes Major in 4. d. 38. Cardinalis Turrecremata *Tract. 13. in Regulam sancti Benedicti*, & alii. Placet verò ad abusuum magis intimam penetrationem, quasdam S. Congregationis Responsiones contra hujusmodi abusus

Stephanus Quarãta. proprietarios hic inferere, præter eos enim quos superiùs retulimus, Stephanus Quarãta V. *Casus reservati*: hos subnectit, adjuncta Declaratione Cardinalium.

Declaratio certorum Casuum per S. Congregationem ex Stephano Quarãnta suprà.

IN aliquibus Monasteriis Monialium reperiuntur nonnullæ Moniales, quæ censũs & annuos quosdam reditus, proventus, seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus; Nam.

Aliquæ in ipsarũ persona emerunt certos reditus à personis Laicis.

Aliquæ ab aliis Monialibus.

Aliquæ ab ipsis Monasteriis.

Aliæ verò dederunt pecuniam Monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine Monasterii ad rationem septem, vel octo pro centenario, & Abbatissæ dabant dictis Monialibus illos reditus, quos ex dicta emptionibus exigebant singulis annis.

Aliquæ Monasteriis, seu eorum Superioribus, certas pecuniarum summas mutualiter pro Monasterii indigentiis dederunt, pacto adjecto, vel etiam tacita conventione adhibita, ut Monasterium seu Abbatissa certos reditus ad rationem tot pro centenario earum vita durante concedat.

QVÆRITVR.

AN in hujusmodi Casibus, liceat Monialibus dictos reditus, fructus, & proventus percipere, absque incursu Proprietatis, vel potius tamquam Proprietariæ incurrant pœnas per Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 2. de Regul. Proprietariis inflictas, etiamsi de licentia Abbatissæ, & ad Abbatissæ nutum, vel Conventus, seu Monasterii nomine percipiant. *Quid in his casibus licitũ sit Monialibus*

Congregatio Concilii censuit: *In nullo supradictorum Casuum licere Monialibus dictos fructus, seu reditus percipere, & si perceperint incidere in pœnas propositas Decreto d. cap. 2. Sess. 25. de regular. Neque ab hujusmodi pœnis excusari ob licentiam Abbatissæ, quæ etiam dicto Concilii Decreto in supra-dictis Casibus concedi re quidem prohibetur, sed debet pro suo munere & Monasterii reditibus, & eleemosynis Monialium necessitatibus indies subvenire.* Signatum erat. *Hieronymus Card. Matthæus.* Sigillo adjuncto.

Ex quibus omnibus pono Regulam Generalem.

REGVLA GENERALIS.

QUidquid sapit dominium, proprietatem, usum-fructum, usum juris, dispositionem, sive administrationem liberam & independentem in quacumque re mobili sive immobili, quomodocumque, sive per modum reditus,

ditus, proventus, pensionis, independentis dispositionis, alicui Regulari singulariter advenit: Nec licitè illi concedi potest; Nec sic absque Proprietatis vitio illi convenire.

Regula patet ex omnibus supradictis, quæ hic repeti non debent

ADMONITIO SINGULARIS AD LECTOREM.

Pro paupertatis religiosæ materia scribentes nimis inter dū declināt ad juris cōsultorum apices.

ADverte prudens Lector Scriptores in materia Paupertatis sive Proprietatis scribentes, non omnes mensura, seu pondere sanctuarii illam expendisse; sed interdum ad Juris-Consultorum apices declinare, ut pravas consuetudines excusent, & onus (ut ajunt) conscientiarum allevient; non attendentes obligationem voti Paupertatis, esse juris Divini naturalis, quo reddete tenemur Deo Vota nostra, in qualitate, & modo, quo facta sunt. Quamvis enim materia Voti non rarò sit dispositionis juris humani: hoc ipso tamen, quo Paupertas Religiosa determinata est per Regulam, & approbationem legitimam, qui eam in tali determinatione vovit, tenetur in eadem determinatione, qua vovit, illam observare: Ut qualis Paupertas in Regula à S. Sede approbata reperitur, qui illam secundùm dictam Regulam vovet, illam secundùm Regulæ præscriptum servare tenetur, ut satisfaciat suo Voto. Unde Juris-Consultorum apices, & speculationes, quibus in humano jure luditur à Viro Religioso vitandæ sunt: Et Scriptores, qui illis in rebus tanti momenti utuntur, sciant se conscientias gravare, non alleviare; non enim Deo mentiri possumus. Argumenta igitur quæ ex juris Divini naturalis principiis deducuntur in hac materia usui esse possunt, quæ verò ex humanis ratiocinationibus procedunt, non plus concludunt, quàm prout Divino naturali juri conformia sunt.

Alii Scriptores sunt: Qui, quia condescendente Sede Apostolica humanis infirmitatibus, Paupertatem quandam Religiosam accommodam, ac multum modificatam à S. Sede, tamen pro Statu Religioso approbatam, acceperunt. Omnes antiquas Religiones in pura Paupertate primæva Evangelica fundatas ad suos modos (quos non satis piè super omnes primarum Regularum observantiæ exaltare conantur) deducere tentant, & juxta suos mores omnia judicare, quod non parvæ dementiæ est. Vidi, non sine bili nupperrimè Neotericum quendam Scriptorem distinguentem Paupertatem Religiosam à Monachali, & Paupertatem Monachalē quàm Strictiorem noncupat, ad tempora Justiniani Imperatoris reducendam, ac ejus, (ut ajebat) institutione impositam, quamvis consensu Romani Pontificis. In quæ Eheu! tempora devenimus.

Unica itaque in Paupertatis Virtute & Proprietatis vitio deprehendendo Regula est & velut Sanctuarii pondus, ac mensura hominis, quæ est Angeli, *Evangelica*, scilicet *Paupertas*, ab Apostolis exercita, in Primævis Christianis adumbrata, à Monachis & Regularibus antiquis observata, & regulis eorum expressa: Ad hanc lineam rectitudo justificatur, obliquitas deprehenditur. Demum quilibet Regulam suam, & constitutiones Ordinis sui attendere debet: Et ubi dubitat consulere Scriptores, potissimùm qui vita, doctrina, exemplo in observatione Apostolicæ, Evangelicæ, & primævæ Paupertatis excelluerunt, vel in praxi exercitati sunt.

DUBIUM VII.

Quale sit peccatum Proprietas, & quas pœnas Proprietarii incurrant?

RESOLUTIO I.

Proprietas in re graviter est peccatū mortale.

P*Roprietas in re moraliter reputata notabili & gravi, est peccatum mortale; & ex Decreto Clementis VIII. decasuum Reservatione pro Regularibus, casus reservatus, vel qui reservari potest.*

Dixi (*in re moraliter reputata notabili, & gravi*) Levitas enim materiæ excusat à peccato mortali; quod autem peccatum mortale non est, nec est reservatum nec reservabile; ut in primo Tomo latè probatum est.

Quæ verò sit Materia, sive res moraliter reputata notabilis vel gravis, documus aliquando *Dubio* 4. *Expositionis nostræ in Regulam Fratrum Minorum ad Cap. 7.* Ubi expendimus quantitatem illam materiæ in rebus permanentibus, & quantum valor à sola opinione hominum non dependet, debere æstimari saltem ad florenum, vel tres aut quatuor Julios, juxta prudentis viri judicium consideratis circumstantiis Monasterii, & abundantiæ, vel penuriæ rerum.

Dixi (in rebus permanentibus) propter esculenta & poculenta, quæ quotidianis usibus cedunt, & de Monasterio accipiuntur; in quibus excessus quantitatis maximè æstimandus est juxta prudentis viri judicium, consuetam in Monasterio administrationem, abundantiam vel penuriam. Aliud enim est, si pecunia ista esculenta & poculenta, aut aliæ rei permanentis cambio, debeant procurari, tunc enim Proprietas æstimanda est ex ratione pecuniæ, vel rei permanentis, quæ in comparatione esculentorum, aut poculentorum insumitur: Ibi enim duo peccata Proprietatis committuntur: Prius, quia Regularis pecuniam vel rem aliam contra voluntatem Superioris insumit; Posterius, quia esculenta & poculenta, quæ jam Monasteria censentur acquisita, absque voluntate Superioris consumit. Et prius quidem certam æstimationem habet; posterius usualem & domesticam.

Dixi (quarum valor ab opinione hominũ non dependet) Multa enim sunt, quæ sola opinione hominum æstimationem accipiunt, in se autem indifferentia sunt, ut flores Tulipi, & alii qui plus à phantasia hominum æstimantur, quàm à veritate. Et hæc in re conscientiæ tanti haberi non debent.

Itaque moralis æstimatio in his multùm necessaria est, ut peccati Proprietatis ratio, & gravitas expendatur, & proprietarius mortalis culpæ condemnetur.

Ad moralem etiam æstimationem gravitatis peccati Proprietatis, multùm facit voluntas Superioris, & ejus cōtrarietas: Debet enim voluntas Superioris esse omnino contraria, ut nimirum censeatur res contra voluntatem Superioris haberi, vel consumi: Aliquando enim voluntas Superioris detentioni, & consumptioni omnino contradicit: Aliquando detentioni, acquisitioni, vel consumptioni non tam contradicit, quam modo habendi vel consumendi, ita ut æstimetur aliquo modo in rem consentire. Si itaque à rei acquisitione, detentione vel consumptione voluntas Superioris sit simpliciter aversa, in Regulari peccatum. Proprietatis completur; Si tantùm à modo habendi &c. tunc in rigore Proprietas non est, quia supponitur quædam voluntas Superioris saltem indirectâ.

Dixi (*casus reservatus, vel quia reservari potest*) Casus enim in decreto Clementis VIII. positi sunt illi, qui à Superioribus pro Regularibus reservari possunt, ad tollendam nimiam Superiorum in reservando libertatem, & excessum. Unde quælibet Religio debet attendere, quos & illis reservet, non enim omnes semper reservantur, & fortè in aliquibus peccatum Proprietatis reservatũ non est.

Resolutio II.

Proprietatis peccatũ plura alia peccata possunt comitari.

Plura interdum peccata possunt vitium Proprietatis comitari, multiplicata etiam formalibus malitiis, quæ omnes explicandæ sunt. Ex.g. Joannes Regularis furatur aliqua mantilia, mappas benedictas, & hujusmodi ex Ecclesia Monasterii, & illas suis usibus aptat, & detinet: In hoc quod rem sacris addictam accipit, non tantùm simplex furtum, sed etiam sacrilegium committit, & in eò quod usibus aptat, & detinet Proprietarius est, & rerum sacrarum profanator. *Similiter*: Rem furto ablatam ab Amico sciens accipit, & illâ contra volutatem Superioris utitur, & absque licentia, quinimò mandante Prælato per obedientiam non restituit: In hoc, quòd rem furto acceptam recipit, formaliter furto cooperatur, & furtum committit: In eo autem, quòd absque licentia Superioris illa utitur, Proprietarius est: In eo, quòd mandato Superioris per obedientiam præcipientis non obtemperat, inobediens est. Et sic de multis. Non acquiesco tamen dicentibus, quòd qui re à vero Domino concessa ad usum, contra voluntatem Superioris utitur, cum alieno de licentia veri Domini utatur, non committere nisi peccatum Inobedientiæ: verè enim Proprietarius est, quia invito Superiore rem suis usibus appropriat, etsi simplici usu facti. Unde etiam quandoque contingit, ut tria peccata reservata quis uno actu committat. Ex.g. Si quis furetur in quantitate notabili aliquid de Monasterii Bonis; illud detineat, & adjuratus mandato Superioris inobedientia contumace resistat. Est enim furtum notabile de rebus Monasterii; Proprietas reservata; Inobedientia contumax; Qui casus seorsim in dicto Decreto ponuntur.

Resolutio III.

Proprietariorũ duæ potissimum pœnæ. Cōc. Trid.

Pœnæ Proprietariorum duæ potissimùm in jure communi continentur. Altera, *privatio vocis activæ & passivæ per biennium*, Ex Concilio Tridentino sess. 25. de Regularibus cap. 2. Altera, *privatio sepulturæ Ecclesiasticæ*, si nimirum moriatur Proprietarius, & ante mortem non pœniteat, juxta cap. *Cùm ad Monasterium*, de Statu Monachorum, & cap. *Monachi*, eod. Tit. Alia ibidem ponitur pœnæ directionis à Monisterio, sed novo jure correcta est: Hæ verò pœnæ non incurruntur, nisi per sententiam declaratæ sint, & maximè posterior: Ad quam requiritur, ut juridicè & apertè constet de detentione proprietaria rei permanentis post mortem, sive Regularis jam defuncto: Nemo enim hac pœna plectitur ob usum tantùm simplicem, quamvis proprietarium; neque si aliquod dubium de ejus voluntate, vel de detentione voluntaria rei appareat; neque si in morte, vel ante patefecerit, & suum peccatum fassus fuerit. Ratio est, quia pœnæ juris sunt restringendæ, non ampliandæ. Unde, qui post mortem inventus esset aliqua bona Monasterii alienasse, aut proprietariè absumpsisse; etsi in Proprietatis peccato sit mortuus, pœna privationis sepulturæ plecti non potest; quia jura tantùm loquuntur de eo, apud quē pecunia, vel res aliqua permanens proprietariè retenta, vel apud alios deposita est inventa.

DIGRESSIO.

De Acquisitione rerum, & Alienationibus.

QUÆSTIO I.

Quibus modis res Monasteriis acquirantur, aut à Monasteriis alienentur?

Conclusio I.

Diversis modis res acquirũtur monasteriis

Res Monasteriis diversimodè acquiruntur; nimirum fundatione, oblationibus Deo, & Monasteriis factis, emptione, permutatione, donatio-

nationibus, successione hereditaria, & quavis juridica et in Monasterium translatione, accessione.

Conclusio clara est ex terminis: Sicut enim in sæcularibus dominium, possessio, proprietas ususfructus, & usus quilibet his ferè modis acquiruntur; sic & Monasteriis acquiri solent, sive titulus acquisitionis cedat Monasterio, sive Ecclesiæ, prout à principio explicavimus: sive illa acquisitio titulo oblationum sacratum Deo factarum, sive titulo Monasterii, sive titulo Religiosi, aut Monachi fiat. Quidquid enim Monachus legitimè acquirit, quocumque titulo acquirat, acquirit Monasterio.

Conclusio II.

Quibus modis depereant. Iisdem modis quibus solent res deperire Secularibus, iisdem solent deperire Monasteriis, & alienari, ut cessatione, venditione, permutatione, donatione, elocatione, emphyteusi &c. in quantum nimirum, aut translatio illarum in Monasterium, & ad tempus facta cessat, vel revocatur, aut res Monasterii per venditionē, donationem &c. alienantur. Pauca autem supest his sequentibus quæstionibus sunt resolvenda.

QUÆSTIO II.

An sit Regularibus licita alienatio rerum Monasterii?

Alienatio rerum Monasterii duplex est. PRo Resolutione magis accurata hujus Quæstionis, Advertendum est: *Alienationem* rerum Monasterii duplicem esse. Alia est *perpetua*, ut quæ fit donatione, venditione, permutatione, emphyteusi perpetuâ. Alia est *temporaria*, ut elocatio, conductio ad tempus, emphyteusis temporaria &c. Et hæc quidem vel ad longum tempus, vel ad breve. His sic prænotatis, sit

Conclusio I.

RES immobiles, & mobiles pretiosa, non possunt etiam per Prælatos alienari, nisi duobus casibus, nimirum existente justa causa & solemnitatibus servatis. Videatur Extrav. Pauli II. quæ incipit: *Ambitiosæ cupiditati*: & habetur inter Extrav. communes Tit. de Rebus Eccles. non alienandis.

Justa causa, in 4. Potissimum conditionibus consistit. 1. *Necessitatis* 2. *Evidentis utilitatis*. 3. *Incommoditatis*. 4. *Pietatis*.

Necessitas dicitur, quæ vix, aut absque gravioris incommodo, & ruina majori Monasterii non potest evitari: Ut imminente gravi periculo vastationis, deprædationis, invasionis, aut pecuniæ sustentationis Religiosorum, vel conservationis Monasterii &c.

Evidens utilitas; Quando multum ex alienatione res Monasterii aut fructus percipiendi incrementum accipient & ex illa notabiliter Monasteriorum meliorabitur.

Incommoditas dicitur, quando res quæ alienari debet, fit monasterio aut Religiosis dispendiosa, perniciosa, aut occasio alicujus incommodi.

Pietas: quando res alienatur, ut Cultus Dei, Fides, Salus proximi, Ecclesiæ dilatatio promoveatur: Ut, ad novum Conventum erigendum, Hospitale, vel Xenodochium fundandum; Scholam piam pro conservanda fide instituendam &c.

Solemnitas consistit in iis, quæ à Summis Pontificibus, & singulariter à Paulo II. sunt constituta, quæ in tribus ferè consistunt.

1. *Conditio est*: Ut Prælatus, vel Superior alienans sit auctorizatus: Auctoritas autem illa moderno tempore consistit in facultate Summi Pontificis obtinenda, ita ut absque illa omnis alienatio cassetur: quamvis nonnulli affirmēt, consensum Apostolicum de necessitate non requiri, ubi clarè & manifestè omnia alia à jure communi requisita concurrunt, & servata sunt: Verùm, etti à parte rei, & in conscientia ac Scholis id sustineri possit, qui tamen sive consensu Apostolico rem immobilem alienant, in praxi Curiæ Romanæ condemnaretur, nisi aliquo generali privilegio, quod æquivaleat facultati generali, contractus justificetur. Quale est privilegium Syndicis Minorum datum ad alienanda bona; & alia nonnullis Ordinibus concessa videre est in Compendio Privilegiorum cujuslibet Ordinis. *Syndici Fratrum Minorum* Aut si aliqui casus in jure exprimantur, qui Apostolicæ auctoritatis mentionem non faciunt; Odia enim sunt restringenda, & quod specialiter absque restrictione in jure expressum est, absque restrictione intelligi debet. Porrò conditionem illam de facultate à Papa obtinenda confirmant expressa juramenta Episcoporum, & Abbatum in inauguratione sua, quæ vide in pontificalibus.

2. *Conditio* requisita ad illam solemnitatem est: Consensus Capituli legitimè congregati, sive ad sonum campanæ sive alio modo congregari consuevit ad negotia communia Conventus peragenda. Unde Notandum hic est; 1. Non sufficere si Religiosi seorsim interrogentur, aut consentiant, sed id debet fieri in Congregatione. 2. Religiosi non posse consensum suum committere votis; & suffragiis aliquorum, ut trium aut quatuor, nomine Conventus deputatorum vel deputandorum, sive etiam à Superiore assumendorum. Ratio verò horum est: Quia cum consensus communis requiratur, ad evitandas subreptiones, & dolos, ac simultates, quæ vix evitari possunt, nisi in publica congregatione res proponantur, & de justitia; evidendi utilitate, aut necessitate rei publicè cōstet, & ōnibus sit nota, ac ab omnibus admittatur, ideò Congregatio necessaria est.

3. *Conditio est*: ut contractus fiat, & scripto ponatur, atque à singulis Religiosis signetur.

tur, vel saltem per Notarium publicum, accepto singulorum sigillatim verbo, & auctoritate. Vide Stephanum Quarantam *V. Alienatio Rerum Ecclesiæ*, qui Jura & Auctores longè & latè citat, quæ quia nostrum intentum cedunt, hic repetere absonum reputavi.

Prætereundum tamen non est: Quòd Auctoritas S. Sedis Apostolicæ interdum Causas, & Solemnitates suppleat, si in Bullis sufficienter supplementum illud exprimatur: Interdum etiam Privilegia nonnulla permittant Alienationem, modò duæ partes conventus Consentiant. Vide Compend. Privileg. A Sorbo *V. alienatio Bonorum*. & Annotationem Capucini, ubi referuntur Privilegia Ordini S. Claræ, Ordini Prædicatorum, ordini S. August. Eremitarum, & Congregationi Cassinensi, nec non Syndicis Fratrum Minorum quoad alienationem immobilium concessa.

Varia Privilegia quoad alienationem.

Porrò, in Conclusione, non solùm *immobilium alienatio* sed etiam *mobilium pretiosorum*, prohibetur. Quæ autem dicantur *mobilia pretiosa* variæ sunt opiniones. Refertur quædam Responsio Cardinalium, quæ pretiositatem restringit ad valorem 25. aureorum. Ego prudentiæ proborum relinquendum judico. Cùm enim interdum æstimatio, non tam ex substantia rei, & valore, quàm ex aliqua ratione caritatis, antiquitatis, humanæ opinionis nascatur, provide & maturè res æstimanda est. Explico. Vasa aurea, argentea, gemmæ, ornamenta pretiosa, tapetes, & similia; quæ ex se sint magni valoris, tam quoad substantiam, quàm quoad artem inductam, juxta æstimationem peritorum; ista non possunt alienari, nisi Causis, & Solemnitatibus suprà alligatis: Sunt autem alia, ut quædam statuæ, imagines, numismata, flores, &c. quæ nec in materia pretium habent, sed æstimatio pendet tantùm à caritate, antiquitate aut imaginatione hominum; ista sanè possunt absque solemnitatibus alienari à Superiore in bonum Conventus, sive Monasterii; quia à parte rei pretiosa non sunt.

Ex hoc etiam Capite. Advertunt nonnulli (ut Bonacina disput. 2. qu. unica, puncto 2. n. 31.) probabiliter sine periculo Excommunicationis licere Superioribus, sacras Reliquias alienare absque præfatis solemnitatibus, quia pretio æstimabiles non sunt. Quod mihi probatur, si Reliquiæ seorsim considerentur: Et non simul capsæ Reliquiarum, quæ aliquando sunt pretiosissimæ ex parte materiæ & artis.

Conclusio II.

Sub alienatione prohibita non tantùm comprehenditur venditio, sed etiam permutatio, conductio activa sive locatio ad longum tempus, emphyteusis, hypotheca, infeudatio, V. Vide Extrav. citatam *Ambitiosæ cupiditati* Pauli II.

Sub alienatione prohibita quæ comprehendantur.

Dicitur verò, (*locatio ad longum tempus*) Et quamvis longum tempus comprehendat decennium, & consequenter intra decennium, utpote ad novennium, res locari possent, Paulus II. tamen restrinxit tempus locationis ad triennium, ita ut locatio facta ultra triennium absque causa, & solemnitatibus suprasuppositis, censeatur nulla, & Locantes pœnas juris incurrunt, nimirum, Excommunicationem &c. Sed hæc debent intelligi ubi *Extrav.* Pauli II. est recepta, ubi contra legem illam longo usu & consuetudine non est præscriptum. Super quo advertant, qui ultra triennium, etiam ad novennium, Bona stabilia elocant. Si enim usus, & consuetudo prævaluit, validæ censendæ sunt istæ locationes, & absque censurarum incursu legitimè Bona sic elocantur; Constat autem teste Navarro cap. 27. n. 150. & cap. 17. num. 545. & Covarruvia 2. *variar. cap. 16. num. 2. & 6.* Hanc Extravag. in multis locis, nec quoad pœnas, nec quoad dispositiones ejus fuisse receptam vide Hieronymum Rodriguez *Resol. 7. de Alienationibus.*

Paulus II.

Quæstio III.

An Regulari professo liceant Donationes aliquæ intra, vel extra Ordinem: & quæ sint Conditiones Legitimarum Donationum?

Ratio verò dubitandi est: Quia Donatio *est juris, quod quis habet in aliquam rem, in alium liberalis translatio.* Cùm verò Regularis, ex vi suæ Professionis, jus omne in quamcunique rem per votum Paupertatis ab se abdicaverit, quomodo deinceps illud in aliud legitimè transferre potest? aut quo jure alius rem ab impotente, seu domini, & cujusvis juris incapace, donatam suam facere valebit?

Donatio alicujus rei, quid.

Pro Resolutione *Advertendum est: Duplicem* hic nos distinguere *Donationem*: Alia est *principalis, independens*, seu *potestativa*, quæ fit ab eo, qui verum dominium, proprietatem, vel jus sufficiens in rem habet: Alia est *dependens* & velut *ministerialis*, ut quæ fit per administratores, nomine dominorum; per prolea indulgentia parentum per famulos & domesticos ex honesta condescensione, & communi usu de bonis dominiorum. Ita sic tamquam fundamento posito, sit

Conclusio I.

Non licet Regulari, Donatione independente, & potestativa, aliquid donare, sive sit Abbas, vel Prælatus sive Subditus.

Donatio independens illicita est omni regulari etiam Abbati.

Ratio est: Quia, ut in Superioribus docuimus, nullus Regularis professus, quantumvis Prælatus, verum dominium, proprietatem, aut jus ad rem habere potest: *Ergo* nec donare, Donatione independente, & potestativa potest.

Con-

CONCLUSIO II.

Donationes Prælatis & officialibus Monasterii

PRælati, & Administratores, sive Officiales quilibet, respectivè, & proportionaliter possunt donare, & dispo nere de rebus Monasterio advenientibus, juxta rationem, & usum communem ac honestum Prælaturæ, Administrationis, & Officii, nisi aliqua restrictione rationabili Superioris sit reservatio facta.

Ratio est; Quia cùm committuntur Prælaturæ, Officia, Administrationes, dispositiones; censentur etiam commissi, quæ velut ex consequenti, juxta rationem Administrationum, in eleemosynam, compensam, & salarium alicujus obsequii, honestam & urbanam gratitudinem, promotionem negotiorum, amicorum, & fautorum conciliationem solent dari, pro conditione Monasterii, &c.

Ex quo infero; non tantùm Superiores & Prælatos, sed etiam Oeconomos, Procuratores, Provisores &c. absque expressa licentia posse in supradictis causis donationes facere, absque scrupulo, intra terminos Religiosæ honestatis, & charitatis.

Dixi, (*nisi aliqua, restrictione rationabili Superioris sit reservatio facta.*) Cùm enim ex causa rationabili Superior aliquid prohibet, ipsius judicio standum est; & restrictio observanda. Sicut enim Administratores ex voluntate Superioris potestatem accipere censentur; sic dependent ab ipsorum judicio in donationibus, & aliis gratuitis largitionibus. Additum est tamen (*restrictione rationabili*) quia si manifestè sit irrationabilis, ad communem rationem usus, dispensationis, & donationis recurrendum est: Tenetur enim Superior, si Administrationem committat, illam sub usitatis inter probos conditionibus committere.

CONCLUSIO III.

QVilibet Regularis potest dare intra, & extra ordinem, levia munuscula, quæ pietatis, & honestæ gratitudinis intuitu communiter in Monasteriis benè disciplinatis dari consueverunt, de implicito consensu Superioris.

Ratio est; quia in his principales Domini, sive sit Ecclesia, sive sit Monasterium, sive aliquis Benefactor, censentur se communi honestati accommodare, & regulas Religiosæ gratitudinis, & mutuæ charitatis observari velle. Bonum tamen esset ad abusus vitandos & scrupulos tollendos, ut communi aliquo Statuto Superiores declararent, quid, quantum, & qualiter dari possit, & donationes hujusmodi regulis quibusdam generalibus firmarent. Iuxta Decretum Nicolai III. pro nobis Fratribus Minoribus, Extravag. *Exiit qui seminat*, §. de largitione vilium, sic statutum est: *De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus, liceat ex præsenti nostra constitutione fratribus, pietatis seu devotionis intuitu & (obtenta super hoc priùs Superiorum licentia) juxta quod inter fratres in generali, vel in Provincialibus Capitulis tam de ipsis rebus vilibus, seu parum valentibus, & earum valore; quàm præfata licentia, scilicet à quibus, & qualiter sit habenda extiterit ordinatum, intra, & extra ordinem alius elargiri.*

In quibus verbis valorem rerum, modum licentiæ, & hujusmodi circumstantias relinquit dispositioni Capitulorum supponens de illis dispositurse. Aliàs, communis inter probos & timoratos usus ac consuetudo in qualibet Religione attendenda est. Quamvis Clemens VIII. Reformationibus Religionum providè intentus, pro omnibus Regularibus Bullam quandam ediderit, cui Titulus: *De largitione munerum*, quæ quia à plurimis Scriptoribus ex professo tractatur, nec ubique est recepta, nolui multùm illi inhærere, hoc tamen addito, quòd Urbanus VIII. dictam Bullam innovaverit, & observari jusserit, nonnullis declarationibus & explicationibus additis, quæ quia necessariæ sunt, hic subnecto.

Declarationes Vrbani VIII. super Bulla Clementis VIII. de largitione munerum.

Superiores & Subditi quid & qualiter donare possint.

DEclarat Pontifex licere Superioribus Regularibus, & ipsis Subditis cum licentia Superiorum, largiri munera, causa gratitudinis, remunerationis, conciliationis, aut conservationis benevolentiæ ergà Conventum, aut Religionem, aut quavis de causa respiciente de sui natura actum virtutis, modestè tamen & discretè.

2. Licentiã requiri, non tamen in scriptis, sed vocalem, nisi concurrat ambitionis, aut alicujus inordinatæ actionis suspicio, qua munera donarentur ad ambitiosè obtinenda officia, beneficia, dignitates.

3. Comestiones & convivia in excipiendis lautè benefactoribus &c. eatenus tantùm prohiberi, quatenus decentiæ Status Religiosi adversarentur.

4. Causam, & modum Largitionum relinquit determinationi Capitulorum Generalium, & consequenter Provincialium, ubi Generalia desunt, vel etiam Superiorum declarationi.

5. Quantitatem Largitionum, & alias circumstantias non specificavit. Mihi certum est, quòd in illis debeat attendi, causæ necessitatis, vel finis; ob quem donationes fiunt: Personarum, quibus largitio permittitur; & earum, quibus munera dantur, Status & qualitas, Monasteriorum & Conventuum constitutio; Regulæ rigor, & austeritas &c. Cùm enim finis Bullæ fuerit providere, ne Bona Monasteriorum dissiparentur,

tur, aut ne Regulares munusculis & largitionibus sibi favores ad officia, & promotiones conciliarent, aut etiam ne muneribus ad proprietates, & actus indecentes, & Religioni incongruos abuterentur, ideò in his maximè causa donandi, facultates Monasteriorum, personarum officia, & munia, utilitas Monasterio ex donationibus proveniens, consideranda veniunt; Et licentiæ Superiorum juxta supradicta restringendæ, moderandæ, aut etiam ampliandæ sunt; Et quamvis constet de licentia implicita, actus tamen ab omni excessu immoderantia sunt conservandi, nec unquam præsumendum est de licentia Superioris extra terminos Religiosæ observantiæ, & honestatis, ac Charitatis.

Corollarium.

Officialibus Monasterii licet interdũ aliquas eleẽmosynas &c. facere.

EX dictis varii casus resolvuntur.

I. An liceat Officialibus Monasterii, ex vi Officii, eleẽmosynas, & gratuitas interdum liberalitates facere?

Respondeo: Licere, juxta ea quæ Conclusione 2. dicta sunt, eum circumstantiis, & conditionibus ibi recensitis.

II. An Religiosi particulares idipsum possint?

Respondeo: Simpliciter non posse, absque licentia expressa, vel tacita Superioris; quæ usu, consuetudine, constitutionibus in Monasteriis benè disciplinatis regulari debet, juxta dicta Conclusione 3.

III. An obligentur Superiores, & alii Regulares ad Bullam Clementis VIII. de largitione munerum?

Respondeo: Obligari, adhibitis declarationibus & interpretationibus Urbani VIII. suprapositis. Et Ratio est: Quia ex dictis declarationibus & interpretationibus nullum novum jus conditur, sed antiquum renovatur, & potissimùm illud, quod ex natura Religiosæ Paupertatis oritur.

IV. An data à Superiore, Officiali ad sustentationem, vel Officii congruam administrationem: Iter-agenti ad itineris sumptus: Studioso, ad alimenta & studia in academia, vel alio loco prosequenda, vel cuilibet Regulari ad aliquas honestas in anno recreationes: si aliquid supersluat (sive quia expensæ non fuerunt tantæ, sive quia frugalitate sua & parcitate, ut pote jejunando, sibi subtrahendo cõmoditates aliquas, expensis pepercit) Possit quod superest donare, sive in eleẽmosynam pauperi, sive in gratitudinem vel remunerationem aliquam amico &c. absque alia licentia Superioris?

Respondeo: Posse nisi interveniat gravis excessus, cui non censeatur consensisse Superior. Ratio est, quia quæ in dictis casibus assignantur, vel dantur Regulari à Superiore, non dantur sub restrictione indivisibili, sive ad expẽsas physicè determinatas, sed moraliter, relinquendo prudenti arbitrio ejus cui assignantur vel dantur, ut eis honestè, & commodè intra terminos sui Status uti possit. Unde si aliquid supersluat, vel subtrahat sibi, censetur permittere Superior, ut illo utatur, vel meritoriè in eleẽmosynam, vel honestè in gratitudinem, vel religiosè ad pietatem; & hæc est sincera interpretatio voluntatis Superioris, quæ aliàs insulsa, & irrationabilis judicaretur.

Dixi tamen (nisi interveniat gravis excessus; cui non videatur consensisse Superior.) Ut si simpliciter abundantem summam pecuniæ ad iter conferret, ad incertas expensas, & evitanda aliqua pericula, aut negotia, quæ contingere possunt; Ut solet fieri erga Procuratores, & eos quibus negotia aliqua peragenda committuntur; Hi enim rationem reddere tenentur pecuniæ, quæ ultra communes itineris expensas superfluit. Hæc enim non censetur data simpliciter ad expensas itineris, sed ad fortuitos eventus & negotiorum expeditionem; aut quia de expensarum qualitate aut quantitate non constabat, illæ pecuniæ ipsi sunt commissæ ad fidelem administrationem. Ex iis itaque, quæ simpliciter in expensas honestas cedere intelliguntur potest de aliquo rationabili residuo disponere (ut dixi) ad eleẽmosynam, honestatem, pietatem: Sed quæ ultra finem honestarũ expensarum superfluunt, sunt Monasterio restituendæ.

V. An quæ conceduntur Religioso à Superiore pro usibus suis, ita censeantur personæ concedi, ut non possint alteri communicari?

Rerum usibus religiosorũ à Superioribus concessarũ duplex differentia.

Respondeo: Res usibus Religiosorum à superioribus concessas esse in duplici differẽtia: Aliæ enim sunt, quæ usu ipso consumuntur, & ad consumptionem conceduntur; ut sunt esculenta, & pocculenta, & id genus: Aliæ sunt permanentes, ut quæ propriè ad consumptionem non dantur, etsi contingat longo usu teri; ut sunt libri, vestes, utensilia, & quæ ad supellectilem pertinent.

Dico itaque 1. Res, quæ ad consumptionem simpliciter dantur alicui particulari Religioso, posse intra terminos communis & honestæ charitatis (nisi obedientia obstet) aliis communicari, ut sunt esca, potus, pharmaca, conservæ &c. Unde si Regulari detur aliqua pitantia vini, ut sibi sumat, potest alteri indigenti illam cedere; immò & ex honestate illam cuilibet præbere, ac etiam in eleẽmosynam pauperi, sibi illã subtrahendo, dare. Ratio est; quia cùm ad consumptionem data sit, jam tota sine restrictione data est honesto usui Regularis, & ejus dispositioni censetur relicta: Et aliquando charitas vel honestatis virtus urget, ut qui accepit ejus usu se privet, & alteri vel communicet, vel cedat. In his enim omnibus, & humana charitas, & societatis naturalis honestas, & Religiosa pietas censetur non excludi, sed in qualibet Superiorum facultate & dispositione includi. Dixi (nisi obedientia obstet) Potest enim Superior interdũ talem communicationem prohibere, sive quia indiferetè Religiosus usu rei se privat; sive quia

quia illi, quibus esculenta, aut poculenta sibi concessa quis communicat, illis abutuntur, aut indiscretè utuntur, aut aliàs indisciplinati mores inde subrepunt. Ubi autem non constat de prohibitione, vel rationabili Superioris contradictione, resolutio data secura est.

Dico 2. Res permanentes sibi concessas non potest Religiosus intra vel extra ordinem alienare, vel per Donationem alteri dare, aut ejus usum absolutè alteri cedere absque vitiò Proprietatis. Ex.g. Librum vel vestimentum suis usibus à superiore concessum non potest Petrus Religiosus alteri dare, vel usum ejus absolutè cedere, aut quovis modo alienare. Ratio est: Quia talis alienatio, cessio, vel absoluta donatio, determinatam facultatem Superioris excedit, & nec directè, nec indirectè, nec explicite nec tacitè ad illã reduci potest: Cùm enim res permanens, sic concessa ad usum alicujus Religiosi, non habeat hoc ipso actu consumi; quãdiu est, & subsistit, pertinet ad Monasterium, & de illa semper sive integra, sive trita Superior disponit & disponere potest: Quæ omnia tolluntur per alienationem, donationem absolutam, & cessionem, quam Religiosus facere non potest cum detrimento Monasterii, & injuria potestatis dispositivæ Superioris, & nisi aliquam Proprietatem sibi arroget; Qui enim simplicem facti usum concessit in re permanenti; nec alienationem, nec donationem, nec cessionem concessisse ullo modo censeri potest.

Dixi tamen (nec ejus usum absolutè cedere) Certum est enim ex usu communi charitatis, & societatis humanæ licere interdum ad aliquod tempus mutuo usui res hujusmodi communicare, si à Superiore non prohibeatur: Ex.g. Libro aliquo, meis particularibus usibus à Superiore applicato, indiget ad aliquot horas, vel dies aliquis confrater, immò etiã persona externa & sæcularis; si mihi prohibitum non sit à Superiore, possum mutuò concedere mihi posteà restituendum. Similiter dicendũ est de vestimentis, & nonnullis utensilibus, quæ etsi usui simplici facti alicujus Religiosi addicta sint, ubi tamen charitas, vel honestas postulat, ad aliquot dies, vel tempus mutuo usui cedi possunt: neque enim facultas Prælati, sive Superioris, actus communis Religiosæ charitatis excludit, nisi ob aliquos abusus avertendos, aut rationabilem causam Superior prohiberet, ut de aliis supradictum est.

VI. Casus: An Religiosus possit suam industriam, operam, vel ea, quæ ex mera sua industria sunt parta, alteri dare sive cedere, absque vitio proprietatis?

Indũ, quæ per industriã fiunt ...

Pro Responsione advertendum [illegible] Industriam, sive ea, quæ per industriam fiunt, in duplici differentia esse: Alia enim in se permanenti consistunt, sive ad rem permanenté terminãtur, ut picturæ, opera fabrilia, medicinæ, scripturæ &c. Alia in sola operatione consistunt, ut obsequia, opitulationes, instructiones, actus liberalium artium, & etiam quarundam mechanicarum. Rursus in rebus permanentibus: Aliquando rem ab industria, sive ab opere per industriam inducto, distingui: Aliquando non distingui. Ex.g. Aliqua persona dat telam sive tabulam aptatã, colores, & omnia quæ ad imaginem pingendã sufficiunt: Regularis autem arte pictor solam artem, & industriam addit: Hîc industria à tota re secernitur. Similiter, dat lignũ, ex quo statuã format Religiosus statuarius, solam industriã, & artem ingenii præstando. His sic prænotatis.

Respondeo 1. Ubi res permanens, in qua suam industriã exercet, vel exercuit Religiosus, pertinet ad conventum sive Monasteriũ, non potest Religiosus, sub prætextu industriæ, illam donare absque licentia Superioris: Alias mortale peccatum proprietatis, si materia sit gravis, committit. Tunc autem dicitur pertinere res illa ad Conventum, quando vel ex rebus Conventus, aut Religiosorum sumpta est, vel etiam operanti, sive industriam applicanti liberaliter data: Quidquid enim datur Religioso, censetur dari & acquiri Monasterio, & cõsequenter illam donare, etiam prætextũ alicujus operis per industriam inducti, Religiosus absque Superioris facultate non potest.

Respõdeo 2. solam industriam, quæ in meris actionibus consistit, ut sunt scribere, pingere, docere, opitulari, mederi &c. si vel materiam conjunctam non habet; vel materiã, sive res permanens est alterius, pro quo industria adhibetur, licet absq; vitio proprietatis alteri dare, sive in emolumentum alterius pendere, etsi absque licentia Superioris fiat. Ratio est, quia scientia, industria, ars, habilitas & hujusmodi dona corporis vel animæ non reputantur inter bona Monasterii, vel Monasterio acquisita, adeoque non sunt materia proprietatis, quamvis possint esse materia obedientiæ, aut charitatis, & ex alio capite sub dispositione Superioris cõtineri; Unde potest prohibere Superior, ne artem, industriã, aut actioné Subditus exerceat in certis casibus, ratione cujus prohibitionis peccabit Religiosus contraveniens, non peccato proprietatis, sed peccato inobedientiæ: Item, Si conventus vel Monasterium eo tempore, quo Religiosus vacat industriæ alteri impendendæ absque licentia, damnum incurrat, peccabit Religiosus peccato contra charitatem, vel etiam justitiam, si eo tempore tenebatur impendere operam suam proprio Conventui, vel confratri, quam alteri absque legitima facultate impendit.

Ars, industria &c. non sunt materia proprietatis.

Et ex his ultimis Resolutionibus consequenter resolvitur: Partus intellectus (ut sunt conciones, lectiones, scripta propriæ manus vel industriæ) censeri esse Religiosorum quamdiu vivunt, nec transire in Monasterii Bona, adeoque posse distribui, donari, alienari à Religioso, de loco ad locum transferri, absque vitio proprietatis, ut declaravit Clemens VIII. unde etsi justa causa possit virtute obedientiæ Religiosus illis privari, aut arctari ne det, aut alienet; si tamen dederit, in hoc casu Proprietatis

prietatis non incurreret ; sed subsistente justa causa impositæ obedientiæ, contra obedientiam impinget.

Dixi (*quamdiu vivunt*) si enim ante mortem ea non distribuerint, incorporata censentur Conventui, nec licet alteri usurpare, aut absque legitima facultate dare, vel alienare. Quod notádum est, ob libros manu-scriptos; continentes tractatus insignes Theologicos, concionum, historiarum, multo pretio ob sapientiam & industriam æstimabiles; qui post Authorum mortem censentur relicti, & incorporati Religioni, vel conventibus, & eorum dispositio penes Religionem manet, unde nec à particularibus absque licentia usurpari possunt, nec absque furto distrahi.

Item, Religiosi Sacerdotes, qui non alligātur ex justitia ad Missas pro Conventu suo celebrandas, possūt (nisi speciali obediétiæ præcepto impediantur) celebrare Missas ex charitate, nullo sibi stipendio proveniente, pro cōsanguineis, parentibus, aut persona quacūque postulante, etiamsi illi, qui petunt, obligarētur procurare celebrationem Missarū. Hæc enim spiritualia manent (salva obedientia, aut alia obligatione) Religiosorum. Addo per modū eleēmosynæ licere Religiosis pro pauperibus in necessitate existentibus Missas aliquas celebrare, ut à personis piis eleēmosynā, quæ dari solet Sacerdoti pro Missæ celebratione, ipsi pauperes recipiāt: quod ordine charitatis pro propinquorū sublevatione meritoriè fieri potest, nisi obedientia aut aliqua alia obligatio obstet.

VII. An aliquo parato, volente, aut etiam offerente dare eleēmosynam, liceat Religioso illam recusare, & rogare, ut det alicui indigēti pauperi, etiam consanguineo, vel amico &c. absque vitio Proprietatis?

Respondeo; Si obedientia, vel aliud nō obsit, ex rei natura licere. Ratio est; Quia quod necdum datum aut acceptatū est, non cēsetur Religioni vel Monasterio incorporatū, adeoque necdum ad Monasterium pertinet; & recusatio rei manifestè Proprietati contradicit.

Dixi tamen (si obedientia vel aliud non obsit) Potest enim fieri, ut 1. Religioso data sit obedientia pro Cōventu eleēmosynas procurandi: 2. Conventū indigere: 3. Religioso incūbere indigentiæ Conventus providere: Unde qui sic eleēmosynam divertit, aut contra obedientiam, aut cōtra charitatē, & charitatis ordinem peccare poterit. His autem cessantibus bonum est, & meritoriū & sanctum alios pauperes cōmendare, quando vel conventus non indiget, aut aliorū penuria prævalet, ut majori necessitati, vel pauperi, qui non habet mediū sibi succurrēdi, succurratur; cū sæpius aliis viis Conventibus subveniri possit. Addo licere, & meritoriū esse Religioso interdū honestas familias pauperes commendare & procurare, ut illis eleēmosynæ fiant, modò ultra conditionē Status aliter iis se non immisceant: Hæc enim ita sunt agēda, ut puritatis Religionis integritas nō inficiatur, & ordinata charitas erga pauperes suum sortiatur effectū. Et hæc sufficiant ut proprietatis vitium intelligatur.

Meritoriū est honestas familias pauperes cōmendare

TITULUS II.

De Obedientia Religiosa.

QUÆSTIO I.

Quid sit Obedientia Religiosa?

Pro Resolutione accurata hujus Quæstionis; Advertendum est, juxta diversas Potestates, diversas posse statui *Obedientias*. Alia enim est *Divina Simpliciter*, quâ obligatur quis Deo, & divinis Mandatis obedire jure Creationis, Conservationis, Redemptionis &c. Alia est *Obedientia Divina naturalis*, quæ ex potestate naturæ à Deo insita originem ducit, ut est Obedientia prolium ad parentes, quæ quidem ex jure naturæ, & generationis ortum habet, Deo sic ordinante, qui est totius naturæ parens, ideoque *Divina* dicitur, quia à Deo naturæ insita est; *Naturalis* autem, quia ex principiis naturalibus oritur; Quò potest referri *Conjugalis*, quæ est uxoris ad maritum, quæ etiam aliquo sensu Naturalis Divina dici potest, quia ad naturæ propagationē à Deo ordinatur. Alia est *Obedientia Ecclesiastica*, quæ est populi respectu Sacerdotum à Deo institutorum; dici potest *Divina Positiva*, quia de Dei immediata institutione procedit. Alia est *Obedientia Civilis, & Politica*, quæ est populi respectu Magistratu: Civilis, quæ utique à Potestate Civili, & principiis Politiæ originem ducit, idque jure gentium, ad conservandam societatem humanam, quæ in Urbibus, Populis, Regnis, & Congregationibus jure gentium introducta est. Et quamvis hæc ex divina ordinatione procedat in genere, in quantum homo, animal sociale, inordinatam societatem convenire nequit, absque aliquo Superioritatis, & subjectionis ordine & jure: Non dicitur tamen, nec Divina, nec Naturalis, quia forma Reipublicæ vel cujuslibet Congregationis immediatè ab hominum dispositione & mutua conventione processit. Unde illud S. Pauli ad Rom. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim Potestas nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit*, accōmodè, & proportionaliter Potestatibus juxta sui naturā & institutionem accōmodari debet; ita ut aliqua Potestas immediatè sit à Deo, ut est parentum in filios seu proles: Itē Sacerdotalis ad populū: Alia mediatè; ut est Potestas Regis & Magistratus, quæ mediantibus conventionibus humanis inchoata est, Deo sic providente & ordinante, ita tamē ut individua ex hominū instituto immediatè in hunc vel illum hominem derivetur.

Obedientia multiplex.

Rom. 13. 1

Alia iterum Obedientia respectu personarum est *despotica*, quæ suum jus obedienti illæsum, & liberum relinquit. Alia *Herilis*, quæ servituti hominem totaliter mancipat.

Alia tandem est obedientia *Religiosa*, quæ Regularibus respectu Superiorum propria est. Et relictis aliis, quæ suo loco vel traditæ sunt, vel tradentur, de hac postrema Religiosa hic quærendum est. Sit ergò

CONCLUSIO UNICA.

Obedientia religiosa quid?

Obedientia religiosa est actus virtutis religionis, quo adultus suo juri & voluntati sponte & voluntariè, quantum potest propter Deū perpetuò renuntiat, seipsum in aliqua Religione approbata legitimis Superioribus tradens ad eis imperandum de eo disponendum, sive eo utendum intra terminos liciti, & regulæ religionis, quam profitetur. Hanc definitionem, sive potius descriptionem, amplioribus terminis dilatatam dare volui, ut quis obedientiæ religiosæ totam naturam pen tus penetrare possit, & ejus excellentiam agnoscere & revereri.

Dicitur (*Actus virtutis religionis*) in hoc enim cum communi consentire non possum, ut obedientia religiosa censeatur actus virtutis moralis: Cùm enim ipsa obedientia Deo voveatur per actum religiosum, quo in Dei obsequium quis abdicat se, & propriam voluntatem, & ejus dispensationem Superiori, Dei locum & vices tenenti tradit juramento, sive voto solemni: Non video quomodo inter virtutes morales absque injuria recenseri possit, quæ pro objecto habet Dei solemnē cultum & obsequium, & actu solemni & religioso Deo consecratur; cujus etiam actus propr i sunt, obedire homini propter Deum, sive Dei locum tenenti. Et hæc est Patrum communis phrasis, ut obedientiam sacrificium & holocaustum nuncupent; Unde & B. Laurentius Justinianus l. de ligno vitę tract. de obedientia, definit obedientiam religiosam *Spontaneum & rationale propriæ voluntatis sacrificium*: Cujus rationem dederat *S. Gregor. 35. Moral. cap. 10* explicans illud 1 Reg. 15. *Melior est enim obedientia quam victima. Quia* (inquit) *per victimam aliena caro, per obedientiam verò propria voluntas mactatur.* Et his similia de holocausto obedientiæ vide apud SS. Patres passim, ne importuni videamur.

Dicitur (*quo adultus*) adultus autem hic dicitur, & ratione ætatis, & potestate ac libertate voluntatis, ut nimirum & ad adultam ætatem pervenerit, & suæ voluntatis ac libertatis compos sit.

Unde subjungitur (*voluntati sponte & voluntariè, quantum potest propter Deum renuntiat.*) In quibus verbis (*propter Deum*) designat causam finalem, & motivam, ex qua, ut suprà dictum est, virtuti Religionis obedientia adscribitur: (*sponte autem & voluntariè*) liberum voluntatis usum indicat, ut nimirum votum obedientiæ non ex necessitate aut coactione procedat. In hoc enim distinguitur à cæteris obedientiis; ut ab obedientia filiorum ad parentes, quæ ex obligatione naturæ; ab obedientia uxoris ad virum, quæ ex contractu matrimoniali, ab obedientia Subditorum ad Magistratus & Principes, quæ ex jure gentium; ab obedientia servi ad Dominum, quæ ex servitutis pœna originē ducit. Obedientia namq; religiosa nullum obligationis titulum habet, nisi ex mera & spontanea ac libera voluntate, quâ quis propter Deum voluntati renuntiat, & illam in alterius dispositionem transfert. Unde à S. Antonino p. 4. tit 5. c. 11. §. 1. hæc obedientia definitur: *Spōtanea & rationalis propriæ voluntatis abnegatio.*

S. Antonin.

Dicitur (*perpetuò*) quia obedientia religiosa perpetua est, sicut & status perpetuus, qui sola morte completur, necessario & indivisibiliter; ejus exemplo, qui factus est pro nobis Patri obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Et nugacem existimo quorumdam Doctorum resolutionem, qui asserunt, si Religiosus mortuus resuscitaretur, eum non obligari ampliùs ad obedientiam, nec ad cætera vota, sumpto exemplo a matrimonio, quod tantum obligat quamdiu (ait Paulus de muliere) *Vir ejus vivit quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult, nubat*: Distinctio enim est, quod matrimoniū fit contractus inter partes mortales, & legi mortis subjectas; in votis autem actu solemni religionis homo se Deo adstringit, qui non moritur, nec intercalari morte spirituale matrimonium solvi potest, quod nec cum vita solvitur, sed in æternitate sublimiori modo perficitur. Unde perpetuitas non tantum ex parte vitæ, sed etiam ex parte voventis est in votis Religionis attendenda.

Vis obedientia religiosa in quo consistat?

Dicitur (*suo juri & voluntati renuntiat*) in hoc enim vis obedientiæ consistit, ut hæc contra certam voluntatem superioris propriam al legare quis possit in exteriori dispositione; nec jure aliquo post professionem religionis juri contrariis, de quo Infrà.

Dicitur (*quantum potest*) non enim potest omni juri & voluntati homo renuntiare, etsi vellet. Jus enim Divinum naturale semper in Religioso illibatum manere debet, sive sit activum, ut est jus seipsum & fundamentale honorē, qui est virtus & probitas, conservandi illæsum item jus in bona, & dona spiritualia &c. sive passivum, ut est obligatio succurrendi parenti in gravi vel extrema necessitate constituto imò & cuilibet proximo in gravi animæ vel vitæ periculo, si media aliqua sibi subsistant, ex. gr. paupertate extrema laborantibus per cōmendationem in priorum eleemosynas; animę periclitanti per spiritualia subsidia &c. Juri etiam herili, sive servituti non potest renuntiare servus sive mancipium in causa religionis, nisi consentiente & manumittente Domino. Nec conjuges post consummatum matrimonium possunt votum obedientiæ alteri remittere absq; pari consensu, & salvo jure educationis prolium, vide quæ diximus in Baculo nostro pastor. disp. 1. q. 4. conc. 1. 2. 3. &c.

Dicitur (*in aliqua religione approbata*) obedientia enim extra Religionem approbatam ut quæ nuncupatur personis particularibus, v.g. Confessariis, præterquam quòd sit periculosa, & frequentiùs etiam à summis Pontificibus

tificibus ob eventus malos aut periculosos prohibita, non facit votum solemne, nec ad Religiosum statum spectat.

Dicitur (*legitimis Superioribus tradens*) Solùm enim illi tradi potest voluntatis, & juris proprii dispositio, qui hominem acceptare potest, & Religioni incorporare, qui debet esse legitimus Superior, vel qui commissionem, vel delegationem sufficientem habeat: Super quo quælibet Religio debet consulere leges suas.

Dicitur (*ad ei imperandum, & de eo disponendum, sive eo utendum*) Hæc enim tria sunt, quæ potest Superior religionis in religiosum subditum exercere. Mandare per obedientiam; Disponere de persona in officiis Religionis: eo uti in oneribus & exercitiis, & Subditus tenetur obedire.

Dicitur (*intra terminos liciti, & Regula Religionis quam profitetur*) professio enim contractus est quidam sanctus, & immaculatus, qui nec potest ad illicita trahi, nec illicita pati: Est & ordinatus, & limitatus, ut profitens nec ultra Regulæ, sive Ordinis quem profitetur onera gravetur, nec inordinate vexetur. De quibus nonnulla specialius sequentibus Quæstionibus examinabuntur.

QUÆSTIO II.

Quæ sit materia Obedientiæ Religiosæ?

Ratio dubitandi est propter actus internos, qui cùm non subsint imperio vel dispositioni externi regiminis, ad quod maximè refertur obedientia, non videtur ad materiam Obedientiæ Religiosæ pertinere.

CONCLUSIO I.

Actus merè interni non sunt materia obedientiæ religiosæ.

Actus merè interni non sunt materia Obedientiæ Religiosæ unde in illis, si præcipiantur, quatenus tales sunt, non tenetur Regularis Superiori, quatenus Superior est, ex vi Obedientiæ Religiosæ obedire.

Ratio est: Quia adultus eo modo cedit propriæ voluntati, & eam dispositioni Superioris tradere censetur, quo modo potest Superior illam regere, & de ea disponere: Atqui non potest Superior actus mere internos regere, aut de iis disponere, prout mere interni sunt (axiomata communiter recepto: *Quòd Ecclesia non judicat de interioribus*, quæ soli Deo reservantur, qui solus scrutatur renes, & corda) Ergo non censetur voluntatem suam tradere quoad actus merè internos.

Unde infero: *Si Superior præcipiat Subdito per horam orationem mentalem in Ecclesia observare*, teneri quidem ire ad Ecclesiam, & ibi per horam se per modum orantis gerere, virtute præcepti obedientiæ; non peccare tamen contra obedientiam, si actualiter mente non oret. Ratio est: Quia orare mentaliter est actus mere internus, qui non est materia Obedientiæ Religiosæ, ut virtute illius obliget: Cæteræ autem circumstantiæ cùm sint externæ, sub obedientiæ præceptum cadunt, adeoque si præcipiantur a Superiori, debent observari, & sic de similibus concludendum est.

Dicitur in Conclusione (*ex vi Obedientiæ, & quatenus Superior est*) obligatio enim ad actus mere internos ex jure Divino potest oriri; quos etsi Superior formaliter ut Superior præcipere non possit; tamen ut Minister Divinæ legis urgere potest, tanquam ex Dei præcepto. In quo hallucinantur multi scioli, & præsumptuosi; qui non attendentes se lege Divina constringi ad actus internos, quos urget Superior; sæpe, sub titulo quòd Superior quasi præcipiens urgeat, in legem Divinam peccant, quasi Superior illos præcipere non possit. Sed de his postea.

CONCLUSIO II.

Actus interni, si necessariò sint conjuncti cum externis, & quatenus conjuncti sunt, sunt materia obedientiæ Religiosæ.

Materia obedientiæ.

Explico: Præcipit Superior Religioso per Obedientiam, ut singulis hebdomadibus, aut mensibus confiteatur, seu Sacramentum Pœnitentiæ subeat: etiam ex vi hujus præcepti tenetur saltem atteri, vel conteri de peccatis: Ratio est: Quia non potest subire sacramentum Pœnitentiæ absque contritione, vel attritione: Cum ergo Superior præcipit Subdito religioso, ut subeat illud sacramentum, censetur sacramenti necessaria præcipere, inter quæ necessaria & essentialis est attritio, vel contritio. Et quamvis attritio sive contritio sit medii, & præcepti Divini, ad remissionem peccatorum, ut tamen tali tempore cum confessione adhibeatur, hoc est præcepti Obedientiæ. Eodem modo, mandet sub obedientia Superior, ut Subditus horas canonicas legat, quibus alias obligatur; censetur præcipere interiorem attentionem, quæ comitatur necessariò Horas Canonicas, ut sint actus Religionis. Et similia multa exempla suppeditari possunt.

Dixi *si necessariò sint conjuncti*) Si enim necessariò non conjungantur, sed absque peccato possint separari; tunc si fiat externus actus Obedientiæ subjectus; ad materialem Obedientiam sufficit, nec peccatum censetur committi, quia Obedientia tantum extenditur pro tali tempore ad ea, quæ actum, ut talis est, necessariò concomitantur.

CONCLUSIO III.

Omnis actus externus honestus, & licitus potest esse materia obedientiæ Religiosæ intra Regulæ, & legum cujuslibet ordinis aut Religionis terminos, & obligationes.

Conclusio per se clara est, ex ipsa natura & explicatione definitionis obedientiæ Religiosæ.

Dixi (*Intra Regulæ & legum cujuslibet ordinis aut Religionis terminos*) Quia non potest a dicti-

disceptatio est: An superior possit imponere præceptum Obedientiæ supra vel ultra Regulam & Religionis cujuslibet leges? Unde sequentes Quæstiones subjungo.

QUÆSTIO III.

An Obedientia Religiosa extendi possit ad ea, quæ sunt supra Regulam?

SIVE,

An Religiosi teneantur, ex vi Voti Obedientiæ, obedire Superiori in iis, quæ sunt supra Regulam;

ADvertendum 1. aliqua dici in religionibus *secundùm Regulam*; Alia *supra Regulam*; Alia *contra Regulam*; Alia *præter Regulam*.

Quæ sunt supra regulam. Illa dicuntur *supra Regulam*, quæ in sui rigore omnem obligationem regulæ, & Status excedunt; Ut si in religione, cui permittuntur reditus & bona stabilia, præciperetur omnium bonorum stabilium & redituum abdicatio. Item, in religione, cui permissus est carnium usus, & quæ ad perpetuam abstinentiam, vel jejunium non obligatur, imponeretur perpetua abstinentia & jejunium. Itē, in religione calceata, discalceatio &c.

Quæ secūdùm Regulam. Illa dicuntur *secundùm Regulam*, quæ vel in regula continentur, vel ea, quæ in regula continentur, sunt concomitantia, cōsequentia, vel ad eorum observantiam multùm conducunt, utique illis conformia; ut sunt quæ Paupertati, Obedientiæ, Castitati, Choro, Pietati &c. observandis communiter subserviunt.

Quæ contra regulam. Illa dicuntur *contra Regulam*, quæ observantiæ regulari omnino adversantur, vel periculum transgressionis inducunt, & ad transgressiones apertam viam sternunt.

Quæ præter Regulam. Illa dicuntur *præter Regulam*, quæ ex genère suo sunt indifferentia ad observantiam regulæ, possunt tamen ad illam rationabiliter ordinari. Quò etiam pertinent, quæ *infra Regulam* sunt, ut quę minoris perfectionis ab iis, quæ in regula exprimuntur, existunt.

Quæ infra regulam. Advertendum 2. Ea quæ pertinent ad observantiam mandatorum Dei, non esse supra regulam, nec extra, aut præter, sed secundùm illam. Ratio est, quia omnis regula cujuscumque religionis supponit pro fundamento observantiam communem mandatorum Dei, & vitam verè Christianam, quæ est omnibus necessariæ, & communis obligationis; & super qua, ut fundamento, perfectio religiosa consurgit, ut in principio hujus Tractatus satis fusè explicatum est.

CONCLUSIO I.

OBedientia religiosa non extenditur ad ea, quæ supra Regulam simpliciter sunt, nec ad ea quæ ad regulæ vel Status observantiam non pertinent, in iisq; religiosus Prælato præcipienti obedire non tenetur.

Ratio est: Quia, ut in definitione explicatum est, Obedientia religiosa terminos suos habet, nec censetur homo cedere voluntati suæ, ejusque dispositionem Superiori tradere, nisi juxta determinatam intentionem verbis expressam intra terminos regulæ, & Status. Unde S. Bernardus l. de Præcepto & dispensatione c. 8. *Nil* (inquit) *me Prælatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigat quàm promisi. Vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate.* Item cap. 7. *Is, qui profitetur, spondet quidem Obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatè secundum regulam.* Infrà: *Proinde si Professo secundum illam Regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentaverit, quod non sit secundùm regulam, aut etiam quod non sit secundùm ista Instituta, v. g. Basilii, Augustini, Pachomii, quænam mihi quæso, in hac re necessitas imminet obsequendi? solùm enim id a me posse exigi arbitror, quod promisi.* Hæc S. Bernardus. Unde si Prælatus, sive Superior præciperet extraordinaria jejunia, austeritates, abstinentiam à carnibus, nuditatem pedum &c. in ordinibus, in quibus religiosi ex regula aut Statu ad ea non obligantur, non tenentur religiosi obedire. Dico, extraordinaria, quia nonnulla, quæ ad aliquem finem ordinarium, ut ad mortificationem, pœnitentiam, remedium peccati imponi solent, etsi supra regulam videantur esse, imponi possunt, & tenetur Subditus obedire. De quibus sit

CONCLUSIO II.

Quæ Homini Christiano possūt imponi ad vitationem peccati & possūt subdito imponi à superiore. *QUæ Christiano Homini ad observantiam mandatorum Dei, vitationem periculorum peccati, passionum mortificationem vel remediū; pœnitentiam, & satisfactionem imponi ex causa possunt; illa etiam legitimè a Superioribus, Subditis suis Religiosis præcipi per Obedientiam possunt etsi videantur a Regula aliena esse.*

Ratio est: Quia Status Religionis, ut suprà dictum est, supponit pro fundamento Statum Hominis Christiani, & consequenter obligationes illius, ac congrua ad observationem Christianam media includit. Et reverà supradicta supra regulam non sunt, quamvis de iis regula mentionem non faciat, sed ad observantiam Status Hominis Christiani, & religiosæ vitæ pertinent.

Ex quo infero: Posse Superiorem præcipere per Obedientiam religioso; ne ad aliquam domum divertat; ne mulieribus loquatur; ne consortium aliquod, quantumvis videatur honestum, frequentet, ad evitanda aliqua pericula, quæ subesse Superior novit, aut justè timet. Item, ne quis religiosus bibat vel comedat, absque facultate speciali, in domibus sæcularium, non solùm ob intemperantiæ periculum, sed etiam cujusdam vilitatis, eò quòd religiosi apud sæculares per hujusmodi comporationes vilescant &c.

CONCLUSIO III.

Quae ad justitiam, & peccatorum vindictam pertinent, etsi Regula Observantiam excedant, sicut juste a superioribus, sive paterne, sive judicialiter imponuntur; ita subditi illis se subjicere, & illa subire tenentur, si per obedientiam imponantur. Ex. g. imponitur Religioso carcer, vel camera disciplinae, jejunium panis & aquae ad aliquod tempus, disciplina subeunda &c. in punitionem delictorum commissorum; si sub mandato Obedientiae fuerint imposita, Religiosus carcerem, vel cameram disciplinae egrediens, aut non jejunans &c. contra Obedientiam peccat, juxta qualitatem praecepti.

Ratio est: Quia sicut in omni Republica aut collegio populi justitia requiritur ad vindicanda peccata, & corrigenda mala, immo ad cogendum ad bona, ita in congregationibus Religiosis ad conservationem Status necessaria sunt, & consequenter si non regulae, censentur tamen statui & congregationi annexa, & potestati Superioris commissa.

CONCLUSIO IV.

Quae sunt mere praeter Regulam, ita ut indifferentia sint, nec ad regula justam observantiam referantur non sunt materia Obedientiae, ideo nec potest Superior sub Obedientia illa praecipere, nec tenetur sub obedientia Subditus obedire. Hoc ponitur propter aliqua parerga, & ad rem non pertinentia, quae interdum inutiliter, si non impertinenter, absque fructu aliquo, immo ridicule, & absque reverentia, sub Obedientia imponuntur, propter imprudentias quae talibus se immiscent; a quibus omnino abstinendum ob sanctae reverentiam actionis.

QUAESTIO IV.

An Superior interdum praecipere aliquid possit contra Regulam?

Revocandum est in memoriam, quod diximus superiori Quaestione, illa dici *contra Regulam*, quae observantiae Regulari omnino adversantur, vel periculum transgressionis inducunt, vel ad transgressiones Regulae viam parant.

In regulis religiosorum varia continentur. Advertendum autem est: In regulis ordinum religiosorum varia contineri. Alia enim ad essentiam votorum, & substantiam status Religiosi spectant: Alia sunt velut Proprietates statui vel ordini annexae: Alia sunt Media quaedam, Observantiae disciplinae Regularis accommoda: Alia ad ornamentum & decorem Religionis servientia, ut sunt Ceremoniae quaedam circumstantes.

Rursus: inter alia aliqua sunt judicio, dispositioni, vel etiam dispensationi Superiorum relicta: Alia simpliciter, absque dispensatione alia ordinata. Rursus: Alia sunt, quae immediate a lege Divina positiva vel naturali procedunt. Alia sunt, quae ex lege Ecclesiastica vel humana positiva oriuntur. His sic praenotatis sit

CONCLUSIO I.

Non potest Superior aliquid praecipere contra Essentiam Votorum, & substantiam status Religiosi, & si praecipiat, non tenetur Religiosus obedire. *Cotra essentiã Votorũ, &c. non potest aliquid praecipere Superior.*

Conclusio per se clara est: Illa enim cum (ut diximus) pertineant ad virtutem Religionis, ex ratione Voti, & traditionis Deo factae transeunt in jus Divinum, contra quod nemo niti potest.

CONCLUSIO II.

Contra Proprietates status vel Regulae Religiosae annexas, occurrente majori bono, vel praecepto superioris ordinis, Superior praecipere potest & tenetur Subditus obedire.

Ratio est: Quia bonum majus eminenter continere censetur bonum minus, & praecepto Superioris ordinis adveniente, cessat respectu ejusdem praeceptum ordinis inferioris. Explico: Habitus Monachalis annectitur Regulae Monachali per modum proprietatis; habitus enim Monachum non facit, sed designat sive demonstrat: pro majori itaque bono, ad conversionem animarum inter infideles, ad conservationem Monasterii, aut Religionis in aliquo loco, potest Superior praecipere Religioso, ut habitum regularẽ, assumpto saeculari, dimittat, & tenetur tali praecepto Religiosus obedire; similiter: frugalis rerum usus est velut proprietas paupertati Religiosae annexa: Non potest Religiosus conservare Monasterium, aut ab incendio liberare, nisi profusis pecuniis, vel aliis Monasterii rebus: Tunc Praelatus profusionem praecipere potest, & tenetur Religiosus obedire; hac etiam ratione pro extrema necessitate pauperum, bona Monasterii profundi possunt; quia praeceptum superius de succurrendo proximo urget.

CONCLUSIO III.

Quando aliqua in Regula exprimũtur tamquam mera media ad observantiam Substantialium ordinata: si in eajn medium aliud efficatius occurrat ad eundem finem, potest ex causa a Superiore per obedientiam imponi; & tenetur subditus obedire.

Ratio ex terminis clara est: Quia illud medium, etsi sit aliud ab iis quae in regula sunt posita, non est tamen contrarium, sed ad finem intentum est efficacius: Sic interdum fructuose orationis hora mutatur in opus manuum, vel e contra, quia magis pro tempore alterutrum competit exercitationi necessariae.

CON-

CONCLUSIO IV.

Quæ in Regula discretioni & sapientiæ Superiorum relinquuntur possunt per obedientiam ab illo injungi.

Quæcumque in Regulis ex institutione, vel usu Religionis bene ordinata relinquuntur Superiorum prudentiæ, discretioni, dispositioni, immo & dispensationi, quodlibet eorū quæ per obedientiā jubet Superior, illi obedire tenetur Subditus. Ita potest ex causa justa & rationabili Superior præcipere Subdito, ut non jejunet, nunabstineat, non legat Officium Divinum, non vadat ad Chorum; & tenetur illi Subditus obedire.

Ratio est: Quia (ut supponitur) pro communi bono, & infirmorum cura sancta, illa judicio Superioris relicta sunt. Censetur autem verus Religiosus, & judicio proprio, & voluntati renuntiasse, ac eam in manus Superioris consignasse. Sed super his multa Dubia à conscientiis sive timoratis, sive scrupulosis, & anxiis proponuntur.

DUBIUM I.

An obedientia Religiosa debeat esse cæca?

Sensus dubii est: An præcipiente Superiore per obedientiam, meritoriè Religiosus obediat, nullâ apprehensione, reflexione, judicio, aut ratiocinatione factâ, an res quæ præcipitur sit licita, aut illicita?

Obedientia Religiosa duplex ex SS. Patribus.

Patres, qui de obedientiâ communiter scripserunt, duplicem obedientiam Religiosam nobis depingunt; Aliam *perfectionis*; Aliam *Necessitatis*.

Obedientiam *perfectionis* dicunt: Quæ ad omnem Superioris nutum, & voluntatem se extendit, de qua S. Bernardus l. de præcepto, & dispens. c. 9. *Perfecta Obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in altitudinem charitatis, & ad omne quod injungitur spontanea, vigore liberalis, alacrnâ animi, modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.* quam ut cæcam describit S. Gregorius l. 2. c. 4. in 1. Regum ad illa verba, *Quæ respondens ait. Ecce ego. Vera (inquit) Obedientia, nec Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ judicium majori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire &c.*

S. Bernar.

S. Gregor.

Obedientiam *Necessitatis* nuncupant: Quæ in obediente necessitatem quandam inducit, ex eo quòd res quæ præcipitur intra terminos Regulæ, & Votorum comprehendatur, quibus se subjicere animus Religiosi professi tenetur. De hac S. Bernardus ubi suprà c. 7. *Is qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatè secundùm Regulam, &c. ut oporteat eum qui præest non fræna sua laxare voluntati super Subditos, sed præfixam ex regula sibi scire mensuram, & sic determinet sua imperia modrari circa id solum quod rectum esse constiterit, nec quodlibet rectum sed hoc tantùm quod prædictus pater (S. Benedictus) instituit, aut certè quod sit secundùm quod instituit.* Addit infrà: *Proinde si professo secundùm illam Regulam Abbas meus mihi aliud fortè imponere tentaverit, quod non sit secundùm Regulam, aut etiam quod non sit secundùm ista Instituta &c. Quanam mihi quæso in hac re necessitas imminet obsequendi? Solùm quippè id à me exigi posse arbitror, quod promisi.*

S.Bernar.

RESOLUTIO I.

Superiori obedire in omnibus absque reflexione & e merè teriis est.

Meritorium est Subdito Religioso obedire Superiori in omnibus, absq; ulla reflexione, judicio, vel discussione, quando nulla apparet ratio, vel suspicio illiciti in obedientia actu.

Ratio clara est; Quia [illegible] nulla ratio illiciti apparet, sanctum & laudabile est Religioso voluntatem suam voluntati Superioris, cui eam consignavit, conformare: In hoc enim abnegatio propriæ voluntatis consistit, ut quis, Christo sic explicante, *non faciat voluntatem suam, sed voluntatem Patris*, qui in cœlis est: In hoc autem facit Religiosus voluntatem Patris, qui in cœlis est, dum se voluntati Superioris, qui Patrem Cœlestem in terris repræsentat, in suis actionibus conformat: In hoc tandem Patris, qui in cœlis est, volūtas nobis innotescit, si à Superiore, quod omnis mali, & illiciti suspicionem apparentem excludit, demandetur. Et hoc modo intelligendæ sunt sententiæ Sanctorum Patrum de Obedientiæ perfectione. Unde Cæsarius Hom. 8. ad Monachos. *Quidquid tibi à senioribus fuerit imperatum accipe tāquam de cælo sicut de ore Dei prolatū &c.* Ubi scilicet non apparet manifeste aliqua ratio illiciti.

Joan. 6. 38.

Cæsarius.

RESOLVTIO II.

Ubi manifestè apparet ratio, vel gravis suspicio illiciti, non licet Subdito, etiam titulo Obedientiæ promissæ, Superiori cæcè obedire. Hæc est communis exceptio SS. Patrum quantumvis cœcam Obedientiam suadentium: Unde S. Bernardus l. de præcepto & dispens. c. 12. *Sive enim Deus (inquit) sive homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit pari profectò obsequendū est curâ, pari reverentia deferendū.* (Excipit) *Ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Et infrà: *Quamobrem quidquid vice Dei præcipit homo,* (excipit) *quod non sit tamen certū displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.* Subdit: *Quid enim interest utrum per se, an per suos Ministros, sive homines, sive Angelos, hominibus innotescat suum placitum Deus?* Quæ omnia verba supponunt mandata Superiorum conformia esse debere mandatis Dei; si igitur apertè, & manifestè dissentiant, & manifesta sit suspicio, & ratio difformitatis, tunc certum est, nec à Deo, nec vice Dei, nec Dei nomine mandatum imponi.

Dixi (*Ubi manifestè apparet ratio, vel gravis suspicio illiciti*) Tunc autem manifeste apparere censetur, quando mandatum Superioris, vel absolutè contradicit mandato Dei

vel ad peccatum inducit; vel in manifestum & proximum peccati periculum præcipitat. Explico: Mandat Abbas Oeconomo suo Religioso, ut contractum injustum faciat; Scripturam falsam supponat; syngrapham in judicio mentiatur; Testimonium falsum dicat, etiam sub titulo conservandi Monasterium, vel bona Monasterii; Religiosus non debet, nec potest obedire, & tenetur super hoc reflectere & advertere, aliàs mortaliter peccat, & damnum injuste illatum tenetur relarcire, vel restituere.

Similiter: Præcipit Superior Religioso suo aliquod obsequium, conversationem, & familiaria consortia cum personis alterius sexus, etiam sub titulo charitatis, ex quibus imminet Religioso, immò forte Superiori, periculum proximum contra castitatem, aut in quibus videt bonorum Monasterii dissipationem in luxus &c. scandala etiam suboriri: Non tenetur, nec potest obedire, quinimmò tenetur abstinere.

Obedientia formalis recusatio interdum licita. Hæc & similia tenetur etiam per Obedientiam imposita Subditus subterfugere, & omni modo declinare; etiam (si opus est) per formalem Obedientiæ recusationem. Ita universaliter S. Bernardus Epist. 7. ad Adam Monachum. *Mala* (inquit) *imperantibus non est* *S. Bernar.* *parendum. præsertim dum pravis obtemperans imperiis, in quo homini videris obediens, Deo planè qui omne, quod perperam agitur, interdixit, inobedientem te exhibes. Valde autem perversum est profiteri te obedientem, eo quo noveris superiorem propter inferiorem, id est, Divinam propter humanam solvere obedientiam. Quid enim? quod jubet homo, prohibet Deus, & ego audiam hominem, surdus Deo?* &c. infrà *Igitur facere malum quodlibet etiam jubente constat non esse Obedientiam sed potius inobedientiam.* Hæc S. Bernardus; qui postea ut tollat e cordibus Subditorum omnem anxietatem, distinguit inter bona, mala, & media: *Quadam* (inquit) *sunt pura bona, quadam pura mala. Et in his nullam deberi hominibus obedientiam. Quoniam* (ait) *nec illa* (nimirum pura bona) *omittenda sunt etiam cùm prohibentur, nec ista vel cùm jubentur committenda.* Addit tertium membrum: *Porrò inter hæc sunt media quadam, qua pro modo loco, tempore, vel persona & mala possunt esse. & bona: Et in his lex posita est Obedientiæ, tanquam in ligno conscientia boni, & mali quod* Gen. 2. & 3. *erat in medio Paradisi. Inh is profectò fas non est, nostrum sensum sententia præserbere Magistrorum, in his omnino prælatorum nec jussio, nec prohibitio contemnenda.*

In quibus verbis solemnis comparatio notanda est, de ligno sententiæ boni & mali, in medio Paradisi posito, quod comparat mediis inter bonum, & malum. Illa enim arbor sub præcepto obedientiæ posita est, ut nimirum non comederent ex illa, in entitate quidem sua bona, ex præcepto autem mala, ita ut à præcepti Dei observantia, vel transgressione penderet scientia mali per experientiam, scientia boni per privationem: Sic de mediis inter bonum & malum, ex præcepto, vel prohibitione Superioris judicandum est. Inter indifferentia autem, sive media recenset S. Bernardus, jejunare, vigilare, legere, quæ juxta rationem temporis, loci, personæ, & aliarum circumstantiarum possunt benè, & male fieri. Subjungit etiam media quædam & indifferentia transire aliquando in pura bona, aliquando in pura mala: Et exemplificat in conjugio, quod per se indifferens est, cùm autem legitimè contractum est, fit purum & meritorium bonum. E contrà possidere bona temporalia indifferens est ad bonum & malum, Monacho verò post vota possidere bona temporalia est purum malum &c.

RESPONSIO

AD SENTENTIAS PATRUM.

AD Sententias itaque Patrum patet Responsio. Nihil enim dijudicandum Obedienti in puris bonis, vel in puris malis, sed Superiori proponenti pura bona, illi omnino obediendum est; quia Deo in his obeditur & purum bonum prosequendum omnino est, nec contemnendum: Superiori autem cuilibet pura mala proponenti, tantum abest ut ejus propositioni deferendum sit, quin illi per omnia renitendum, & jussio quævis in hujusmodi contemnenda: Tandem in indifferentibus & mediis & bonum & malum, quamdiu mali nulla est suspicio, sive quamdiu in circumstantiam malam non declinat, judicium Superioris magis sequendum est: *In puris bonis Superiori obediendũ.*

Quod autem sancti de cæca Obedientia interdum loquuntur, id non simpliciter intelligendum, sed cum distinctione. Oculus enim animæ duplex est: Alius mentis & intelligentiæ interioris, & hic pro objecto habet Deum, & animæ bonum: Alius oculus est naturæ corruptæ, pro potentia habens judicium proprium, concupiscentiam naturalem, amorem sensualem: pro objecto bonum sensus, bonum carnis, bonum naturæ, bonum libertatis propriæ. De utroque Matth. 6. *Lucerna corporis tui & oculus tuus: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Oculus itaque mentis in Religioso obedientiæ debet esse clarus, apertus, sapiens, juxta illud ad Rom. 16 *Volo vos sapientes esse in bono, & simplices in malo.* Unde & Christus Matth. 10. præcipit: *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columba* &c. & ne simplicitatem cum ignorantia aut fatuitate confundamus, qualem perperam in Obediente nonnulli fingunt, Christus Lucæ 11. de oculo simplici loquens, quòd totum corpus lucidum reddat, asserit: *Si ergo* (inquit) *corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.* Hic est oculus mentis in Religioso obediente requisitus, cujus (ut diximus) obje- Luc. 11. 36

objectum est Deus, & animæ salus: Hic est oculus columbinus in Sponsa toties laudatus: Hic est oculus simplex in scripturis commendatus: Hic est oculus Sapientis in capite ejus; De hoc oculo dicitur Proverb. 1. *Frustra autem jacitur rete ante oculos pennatorum*, pennati enim Obedientes sunt, ad omnem Obedientiam volantes, quorum oculi clarissimi retia facilè vident, & prudenter declinant.

Prover. 1.

Oculus verò naturæ corruptæ excæcandus est, ita ut nec proprio judicio, nec proprio sensu, nec proprio amore moveatur. Sit cæcus in considerandis Superiorum defectibus: sit cæcus in examinandis eorum mandatis, ubi nullum mali judicium est. Hæc omnia perstrinxit S. P. N. Franciscus in Regula sua cap. 10. Ubi & terminos posuit imperio Superiorum, *Non præcipientes* (inquit) *eis* (scilicet Subditis) *aliquid, quod sit contra animam suam, & Regulam nostram*. Et Obedientiam Inferiorum describens ibidem: *Fratres* (ait) *qui sunt subditi, recordentur quòd propter Deum abnegaverunt proprias voluntates: Unde firmiter præcipio eis, ut obediant suis Ministris in omnibus, quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ suæ, & Regulæ nostræ*. In quibus verbis termini Obedientiæ continentur.

S. P. N. Franc.

Nimirum 1. *In omnibus, quæ promiserunt Domino observare*. 2. In omnibus, *quæ non sunt contraria animæ*, id est, quæ peccatum non sunt aut peccati incentivum. 3. in omnibus, *quæ non sunt contraria Regulæ*, id est, præceptis monitionibus, instructionibus in Regula positis; vel in legibus, & constitutionibus ex Regula emanantibus, sive ad ejus puriorem observantiam conditis. Et quamvis hæc Fratrum Minorum Obedientia sit amplissima, generalissima, & perfectissima: Aliorum tamen ordinum & Religionum est proportionata, & terminos fere eosdem habet in omnibus appropriatos: Nimirum; Vota, Mandata Dei, & Constitutiones ad Regulæ & Status observantiam accommodas. De quibus infra distincte agemus.

Termini Obedientiæ Fratrum Minorū.

Sed quia omnium mandantium, & obedientium non est semper eadem compositio, in iisque sive ex parte mandantis, sive ex parte obedientis, sæpè intervenit error, scrupulus, dubium; sive erronea, scrupulosa, vel dubia, immò & fatua conscientia, pono sequentia dubia pro informatione, & consolatione plurimorum.

Dubium II.

Quid faciendū cùm subest erronea Conscientia, sive in Superiore mandante, sive in Subdito obediente?

Quandoque error verus vel apprehensus Obedientiæ remoras injicit. Error autem ille 1. potest considerari respectu Superioris præcipientis, quasi erronee præcipiat, sive errore in præcipiendo seducatur. 2. Respectu Subditi, qui conscientia erronea putat malum esse, quod ei præcipitur, adeoque non audet, vel non vult obedire: Et si contra Conscientiam suam agat, peccatum committit.

Error dupliciter cōsideratur.

Advertendum autem est Fatuitatem quandam jam à Dæmone inspersam communiter infirmis spiritibus mulierecularum paulatim serpere non tantum in adolescentes, sed etiam in viros, aloquin probos & bonos, sub titulo Conscientiæ, quæ in hoc sita est, ut quid quid agunt, vel ad agendum inducuntur contra propriam opinionem, æstimationem, imaginationem, judicium proprium, vel instinctum, id putent agi contra conscientiam suam Immò omnem formidinem; timorem, vel anxietatem putant esse conscientiæ remorsum: Et hæc pestis ita invasit animos etiam Religiosas, ut & ab obedientia absterreantur, & ad inutilia, & nociva, ac periculosa inducantur.

Resolutio I.

Quandocumque est apertus & manifestus error in Superiore, ita ut ex errore præcipiat quod malum est vel incentivum mali; 1. Informandus est de errore, quantum fieri potest. 2. Si informationi non cedat, & absque peccato, vel manifesto peccati periculo quod præcipitur à Subdito fieri non possit, vel dissimulanda cum reverentia, vel omnino neganda Obedientia est.

Cùm manifestus error in mandato est quid Subdito agendum.

Explico: Mandat sub obedientia Superior Joanni Sacerdoti, ut audiat Confessiones, erronee credens ipsum legitime ab Episcopo approbatum; scit autem Joannes se legitimè approbatum non esse: Joannes tenetur Superiorem de contrario informare, quod si informari non velit, tenetur Obedientiæ renisti; quia peccaret mortaliter audiendo: Etsi enim Superior ob errorem invincibilem non peccet præcipiendo, peccaret tamen Joannes obediendo.

Resolutio II.

Si Subditus Conscientiâ erroneâ laboret, credens firmiter (erroneè tamen) esse peccatum mortale, quod Superior per obedientiam præcipit, quamvis à parte rei non sit peccatum, immò & meritorium sit; 1. Tenetur informationem accipere, & errorem deponere. 2. Si tamen error sit ita vehemens ut illum deponere non valeat; melius ut non urgeatur, sed tamquam rationis impos relinquatur.

Ratio prioris partis est: Quia supposità Conscientia erroneâ, sive errore Subditi, jam Potestas Superioris in præcipiendo in sua integritate perseverat, cui se subjicere tenetur Subditus, & voluntati Superioris se conformare, & informationem recipere.

Ratio autem posterioris est: Quia supposito quod vel ex debilitate cerebri: vel ex vehementi apprehensione errorem deponere non valeat, jam censetur pervicacia & obsti-

 natio

stinatio involuntaria, non minus quàm in amente, furioso, vel mente capto. Vide quæ lattissimè diximus tomo 1. tract. 5. tit. 3. quæst. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & in regulis: quæ omnino necessaria sunt, nec superfluè hic repeti possunt ob nimiam prolixitatem.

Vide ibid.

DUBIUM III.

Quid agendum cum conscientia dubia laborante, sive sit Superior præcipiēs, sive subditus obedire jussus?

Vide ibid.

Hic repetenda iterum sunt, quæ diximus de conscientia dubia tom. 1. tract. 5. tit. 4. per totum, ubi positâ distinctione inter dubium speculativum & practicum; dubium facti. & juris, ac aliis ad hanc materiam spectantibus, omnia clarè, & distinctè posita sunt, quæ conscienriam dubiam vel sedare, vel dirigere possint. Breviter tantùm & summariè hic igitur respondendum est, & Lector ad prædicta remittendus.

Prius tamen Advertendum est; Dubium, sive dubiam Conscientiam, posse dupliciter considerari, 1. prout est in Superiore, qui dubitat, an ei sit licitum præcipere per Obedienriam; 2. prout est in Subdito, qui dubitat, an liceat, vel debeat Superiori in aliquo præcepto obedire? Rursus: Dubium, vel est 1. de re ipsa, quæ præcipitur, an nimirum sit licita, vel illicita? 2. de potestate Superioris; an habeat potestatem; sive an in tali casu, quo præcipit sit verè Superior?

RESOLVTIO I.

Superior præcipiēs quomodo peccet mort.

Superior in virtute S. Obedientiæ, sive per sanctam Obedientiam præcipiens, dubius practicè, an res quæ præcipit sit licita, vel illicita? manente dubio practico, si præcipiat, peccat mortaliter, & si Subditus eodem dubio practico circa rem præceptam laboret, nec potest, nec tenetur obedire.

Ratio est. Quia Superior in re gravi, quantum in se est, exponit se & Subditum periculo proximo & manifesto peccati mortalis, rem præcipiendo quæ illicita esse potest. & fortè de facto est, & in actum, quem dubitat Practicè an sit illicitus, sive in illius actus commissionem vel omissionem non tantùm consentiendo, sed etiam illam urgendo.

Dixi (*in re gravi*) Gravitas autem rei, hîc non tantùm attendenda est penes materiam rei quæ præcipitur (utpote ex se, & natura, aut circumstantiis (supposito quòd esset illicita) sufficiens ad mortale, sed etiam ex assumpto nomine & virtute S. Obedientiæ, quæ cùm sub peccato mortali ex ratione terminorum urgeant, nec sine gravi irreverentia debeant aliter usurpari; qui per obedientiam sanctam præcipit, Intendere censetur actum præcipere, qui ad peccatum mortale obligat, & consequenter in re practicè dubia se & Subditum periculo manifesto peccati mortalis exponit.

Dixi (*& si Subditus eodem practico dubio circa rem præceptam laboret, nec potest, nec tenetur obedire.*) Eadem enim est ratio periculi in hoc casu, tam ex parte Mandantie, quàm Obedientis, si uterque eodem dubio practico circa eandem rem laboret. Quòd si Subditus sciret, aut probabiliter opinaretur rem omnino licitam esse, posset obedire; quia Obedientia illius in executione respicit rem, & actum ut licitum, & mandatum quatenus ad rem vel actum licitum terminatur; nec dubietas Superioris rem inficit, sed tantùm animum dubitantis, qui jam supponitur præcipiendo periculo se exposuisse. Si tamen Subditus conscius esset dubietatis sui Superioris ante præceptum, teneretur ex charitate illum informare. Explico exemplo: Superior præcipit per Obedienriam Petro Subdito, ut præstet juramentum in aliqua causa controversa, dubitans practicè. An Petrus jurare licitè possit, defectu alicujus conditionis requisitæ, de qua dubitat: Cujus etiam ratione dubitat practicè Petrus? An liceat ei jurare? Superior præcipiens peccat mortaliter, si per Obedientiam jurare præcipiat: Nec Petrus potest licitè ei obedire, manente dubio practico. Ratio est: Quia Superior præcipiene consentit & quantum potest, præcipitat Petrum Subditum in manifestū periculum peccandi. Petrus autem eodem dubio sic anxius, si juret, eidem periculo peccandi se exponit. Si tamen Petrus certus esset se posse jurare, & conditiones juramenti in hoc actu subsistere, non obstante dubio Prælati jurare posset, quia (ut supponitur) certus, est & dubium practicum peccati soli præcipienti nocet in casu. Si tamen posset Petrus ante præceptum datum, informare Prælatum, ex charitate teneretur, ut dubium illud practicum, quod est causa peccati in præcepto per obedientiam, divertat.

RESOLVTIO II.

Quando & quomodo debeat subditus dubiū submere.

Superior de rei quam præcipit honestate, & rectitudine certus, si Subdito practicè dubio rem illam præcipiat; tenetur Subditus dubium, saltem quoad praxim, deponere, & superiori obedire, si res illa sit de ordine illarum, quæ Obedientiæ subjiciuntur. Explico: Superior præcipit per Obedientiam Petro Subdito, ut in die jejunii, ratione infirmitatis sufficientis sibi cognitæ, comedat carnes: Petrus verò practicè dubius est de commissione peccati mortalis, si comedat; tenetur Petrus deponere dubium practicum, & carnes comedere.

Ratio est: Quia in materia Obedientiæ prævalet jus, & potestas Superioris, ejusq; sciētia & judicium præfertur judicio Subditi. Denique melior est conditio possidentis, Superior autem possidet jus imperandi, contrà libertatem voluntatis Subditi.

Dixi (*tenetur dubium, saltem quoad praxim depo-*

deponere.) Parum est enim si maneat adhuc dubium in intellectu, & mens sive potius imaginatio fluctuare videatur, modò se voluntas quoad actum subjiciat Superioris judicio, & res sis de ordine illarum, quæ obedientiæ subjiciuntur, de quibus suprà. Qualiter verò possit, & debeat Subditus dubium deponere, & quomodo se debeat gerere, vide tit. 4. tract. 5. tomi 1. supracitatum per totum specialiter q. 2. & 3.

RESOLUTIO III.

Dubitans de legitima potestate Superioris quid agendum.

SI Inferior practicè dubitet de potestate Legitima Superioris: utpote, quia dubitat: An sit Superior? Vel an potestas ejus sit suspensa, vel impedita? In priori quidem casu potest inculpatè non obedire: In posteriori tamen tenetur obedire, & dubium deponere.

Ratio utriusque est: Quia in dubiis melior est conditio possidentis: In priori autem casu Subditus possidet suam libertatem contra superiorem, necdum in ratione Superioris, sive potestatis sibi cognitum, ideoque obedire non tenetur: Ex. g. Petrus non tenetur obedire Joanni, quem nescit adhuc Abbatem confirmatum. In Posteriori verò casu Superior possidet potestatem, etsi dubitetur de potestatis ejus impedimento vel suspensione: Quia tamdiu pro Superiore Potestatem habente tenendus est, & se tenere potest; quamdiu non constat certò de potestatis suspensione, vel impedimento, adeoque Petrus subditus tenetur dubium practicum deponere, & obedire, quamdiu sibi de impedimento potestatis non constat. Vide locum tomi 1. alligatum q. 4. & seq.

DUBIUM IV.

Quid agendum cum laborante conscientiâ scrupulosa, sive sit Superior præcipiens, sive Subditus obediens.

RESOLUTIO I.

Epikeja in materia obedientiæ quando licita.

SI Superior per obedientiam præcipiens manifestè deprehendatur scrupulo nimio in præcipiendo laborare? Inferior sive subditus potest seclusâ omni contemptu, per justam Epikejam vel interpretationem alicujus confessarii, vel viri probi sibi consulere, ut obedientiam non adimpleat, si in sui, vel in tertii damnum vergat, aut nimis sit onerosa: si tamen nec sibi nec alteri prejudicet, nec gravamen aliquod alicujus considerationis inducat, pro reverentia Superioris & obedientiæ, sub veniali peccato debet illam adimplere maximè, si scrupulus aliquod, etsi leve fundamentum habeat. Explico: Superior prohibet per S. Obedientiam suo Dispensatori, ne ullatenus potum suis Religiosis præbeat extra communem refectionis horam absque expressa licentia, idque scrupulo actus, quòd inde gravis ordinatio oriatur, vel oriri possit: Si aliquis verè siti afflictus, sive necessitatem patiens, ad solam sitis extinctionem petat Potum, interpretari potest Dispensator justè hunc casum excipi communi regulâ necessitatem patientis; & cùm in his semper ad Prælatum recurrere cedat in nimium onus, vel detrimentum tam sitim patientis, quam Dispensatoris, Potest illi charitativè potum merè necessitatis præbere. Ratio est: Quia merus scrupulus Superioris in hoc casu manifestè deprehenditur, cùm non possit deordinatio aliqua inde oriri, & necessitas præsens sufficienter rationabilem mentem Superioris interpretetur, secluso scrupulo quo irrationabiliter agitatur. Etsi tamen casum necessitatis alicujus in subdito, etsi materia sit levis, nec præcepto formali S. Obedientiæ sufficiat, est tamen sufficiens ad peccatum veniale, & ob reverentiam obedientiæ Superioris ipse sub veniali abstinere tenetur.

RESOLUTIO II.

Stantibus scrupulis obedientia parendum.

SUbditus scrupulosus sive scrupulosâ duntaxat Conscientiâ agitatus tenetur ad mandatum S. Obedientiæ scrupulos deponere, si potest, aut stantibus scrupulis Obedientiæ parere.

Ratio est: Quia obedientia Superioris contra scrupulosum jus & potestatem possidet, & ab omni periculo peccati Subditum eximit, adeoque subditus obedire tenetur, non ad depositionem scrupuli, quæ ob turbatam imaginationem ipsi sæpè impossibilis est, sed quomodocumque remanente scrupulo ad actum vel omissionem per obedientiam demandatam. Vide quæ diximus latissime tom. 1. tract. 5. tit. 6. per totum, ubi omnia quæ à scrupulis allegari possunt enarravimus; & in appendice notabili ad calcem tituli clarè docuimus scrupulos frequentiùs dici, qui non sunt nisi imaginationis turbatæ meri motus, & passiones, tremores, nimis stricti cordis angustiæ, anxietates, turbationes, assiditas animi tristitiæ, dolores, inquietudines, plus deliriì habentes quam rationis, & vere ad delirium viæ. Ubi etiam de Conscientia hypocondriaca, & fatua, quæ non rarò in materia obedientiæ miscetur, titulum 6. posuimus. *Vide ibid.*

ADNOTATIO FRUCTUOSA.

Pestis obedientiæ profliganda.

PEstis etiam quædam Obedientiæ omni fortitudine & violentiâ à Superioribus profliganda est, quâ quidem omnem obedientiam proprio judicio, voluntati, vel amori contraria repudians, hoc solo verbo: Quòd sit contra conscientiam, contra salutem &c. Quibus, nisi periculum aliquod majoris mali advertatur, acquiescendum non est, sed Obedientia urgenda. Ee hoc morbo maximè Moniales laborant.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

In quo consistat formalitas Præcepti Obedientiæ Religiosæ, & ejus Obligatio?

ADvertendum hic est: Hominem variis Obedientiæ speciebus alligari, sive ex natura sua, sive ex conditionibus humanæ societatis. Ac *Primaria*, quæ ex naturæ conditæ visceribus oritur ratione Dominii, quod in Deo essentiale est, respectu creaturarum suarum, est Obedientia ad Deum, & omnia mandata ejus. *Secunda*, quæ etiam ex naturæ conditione originem ducit, est Obedientia ad Parentes, & Progenitores, quam in Tabulis Legis post præcepta Divinam Majestatē respicientia posuit Deus. *Tertia*, quæ ad conservationem societatis humanæ post peccatum constituta est, est Obedientia Civilis ad Principes, Magistratus &c. Quam 4. *Loco* pro educatione, & instructione Puerorum secuta est Obedientia ad Magistros. Tandem 5. *Loco*, pro famulitio secuta est Obedientia Servorum, & Mancipiorum ad Dominos, sive ex contractu, & compositione fiat, sive ex originis conditione.

Obediētia ad Deum

Ad Parentes.

Ad Principes &c.

Ad magistros.

Ad Dominos.

Omnes has excedit, & titulo, & formâ, & objecto, Obedientia Religiosa; quia per illam homo libertatem voluntatis suæ Deo excellenti quodā actu Religioso immolat, & hominiprpter Deum subjicit: pro objecto Deum in qualitate Supremi Domini habens: pro formali actu, voti exectionem, pro titulo, mandatum Superioris, ut in principio hujus tituli latius est dictum.

Obediētia Religiosa excellētia super alias.

CONCLUSIO I.

FOrmalitas Obedientiæ Religiosæ, prout ab aliis distinguitur, in hoc singulariter consistit, quòd mandato Superioris, quatenus est Superior, Religiosus ex vi voti Deo nuncupati obediat.

Formalitas obedientiæ religiosæ in quo præcisè sit sita.

Dixi (*Mandato Superioris*) Nutus enim aut voluntas Superioris, sive ejus desiderium, non est sufficiens ad præceptum Obedientiæ; sed debet intervenire Mandatum, sive vi luntas per modum mandati Subdito insinuata. Unde qui ad nutum, desiderium, inclinationem, & voluntatem Superioris, quovis modo cognitam, actiones suas dirigit, meritum quidem Obedientiæ habet, & meritorie operatur; non tamen ex præcepto obedientiæ, sed potiùs ex consilio & inclinatione Obedientiæ Religiosæ.

Ex quo infero: Subditum, etsi Superioris voluntatem & desiderium cognoscat, non peccare contra illius voluntatem simpliciter cognitam faciendo, peccato Inobedientiæ etsi aliunde vel alio titulo peccare possit; utpote si illa omissio, vel actus contrarius fit cōtra mandata Dei, vel Ecclesiæ &c. Ratio est: Quia ad præceptum obedientiæ necessarium est, ut res agenda, vel omittenda imponatur per modum mandati.

Dixi, (*quatenus Superior est*) Si enim alio titulo quàm Superioris Religionis, præcipiat, Subditus non obediens non peccat contra Obedientiam Religiosam. Ex. g. Præcipit Superior nomine principis, vel magistratus Subdito, ut ad fossas civitatis laboret, testimonium reddat prout à Principe vel Magistratu impositum est: Subditus non obediens non peccat peccato inobedientiæ, quia non mandat quatenus Superior Religionis, sed ut executor & exactor mandati Principis vel Magistratus.

Dixi (*ex vi voti Deo nuncupati*) id est: in iis quæ formaliter sub votum cadunt, vel ad votorum, & Regulæ observantiam pertinent, ut in Superioribus explicatum est; quæ enim alio titulo obligant, ad obedientiæ formalitatem non spectant. explico: urget Superior, & præcipit observari mandata Dei, & Ecclesiæ, ad quæ Religiosus obligatur, quà homo, vel Christianus: Si subditus non obediat, præcisè & formaliter non peccat contra obedientiam, sed contra mandata Dei, & Ecclesiæ. Interdum tamen materia Præcepti duobus titulis potest imponi, & consequenter obligare: Explico: Præcipit Prælatus Subdito per obedientiam, ut domum Berthæ non intret, ob periculum proximum fornicationis, vel scandali: Si subditus non obediat, duplici titulo peccat: 1. Contra mandatum Dei, quia sciens se exponit periculo proximo fornicationis, si domum intret. 2. Peccato inobedientiæ, quia formali obedientiæ Superioris in re gravi resistit: Materia enim illa, non tantum ad Dei præcepta, sed etiam ad debitum Religionis regimen pertinet; & illa disgregari ab invicem possunt.

CONCLUSIO II.

NOn omnia peccata contra Regulam sunt peccata inobedientiæ formalis.

Peccata omnia cōtra regulā nō sūt inobediētiæ formalis.

Ratio est: Etsi enim multa præcepta in Regula contineantur, etiam ad peccatum obligantia; illa tamen nōn sunt formaliter à Superiore, ut Superior est, sed merè à voluntate voventis regulam illam præeligentis: prius enim Natura regula eligitur, quàm Superior: & qui vovet regulam observare in manibus superioris, sic se regulæ addicit, ut jam mandatum Superioris non expectet, sed etsi Superior non mandaret, ad regulam se obligat; cujus tamen regulæ executor, & exactor est Superior, non tamquam formaliter præcipiens, sed mandati Regulæ executionem exigens.

CONCLUSIO III.

DIversis modis præceptum obedientiæ à Superioribus imponitur, sicut & diversi sunt Superiores: Aliquando enim verbo; aliquando scripto: aliquando signo aliquo externo sufficienter Mandatum Obedientiæ exprimente: iterò, aliquando

Obediētiæ præceptū quibus modis imponatur.

quando per modum simplicis Mandati; aliquando per modum Legis, & constitutionis concurrentibus personis quae ad Legem stabiliendam, & acceptandam requiruntur. Super quibus pono sequentes Quaestiones.

QUÆSTIO VI.

Quid requiratur ut Mandatum Superioris obliget sub peccato mortali Inobedientiae?

CONCLUSIO UNICA.

Tria ad Inobedientiae peccatum mortale requiruntur.

TRia requiruntur ut quis incurrat peccatum mortale inobedientiae 1. *Intentio praecipientis,* 2. *Signum externum sufficiens talis intentionis & praecepti.* 3. *Materia gravis.*

Et 1. quidem requiritur *Intentio praecipientis,* Cum enim pendeat à voluntate Superioris impositio obedientiae, potest interdum intendere sub obedientiae obligatione obligare in Conscientia; Interdum tantum in foro externo. Interdum ad culpam; Interdum tantum ad poenam externam; Interdum ad culpam mortalem; Interdum tantum ad venialem. Quae omnia benè perpendenda sunt.

Requiritur itaque 2. ad notitiam, & manifestationem intentionis Superioris *signum* aliquod *sufficiens, manifestativum* talis intentionis, & qualitatis praecepti, sive fiat scripto, sive verbo, sive alio signo externo. Et quidem quando scripto, vel verbo haec inseruntur: *Praecipimus strictè, vel praecipio per obedientiam, sive in virtute S. Obedientiae,* signum est mandatum obligare sub culpa, & poena Inobedientiae: Alias verba, signa, scripturae considerandae sunt, ex temporis, rei, & personarum circumstantiis, ut constet de Obedientiae Mandato.

3. Attendenda etiam est *materia gravis,* & quae obedientiae Superioris per se, vel saltem indirectè subjaceat. Sunt enim multa [illegible] ta, quae etsi mandentur à Superioribus, non intelliguntur tamen mandari sub obedientia, sed sub manifestatione tantum voluntatis Superioris, & per modum monitionis & exhortrationis, sive inductioni prudentis, ut sunt quae ad ceremonias aliquas & observantias disciplinae Religiosae spectant: Immò interdum plus clamant Superiores super ceremonia neglecta ob inordinationem externam, quàm super aliqua re graviori. Unde attendendum est ad materiam, quae praecipitur, & modum quo praecipitur, ut peccatum inobedientiae deprehendatur.

QUÆSTIO VII.

Quae sit materia pretiosa obedientiae Religiosae, quatenus Religiosa est?

HIc relegenda sunt 1. quae initio Quaestionis 4. de variis obedientiae speciebus sunt annotata.

2. Advertendum est, Religiosum, quà Religiosus est, nullatenus liberari ab obedientiis aliis, nisi in quantum Religioso statui, & exemptionibus Religiosis adversantur, vel ei in aliquo derogant. Unde 1. Tenetur ad obedientiam in omnibus praeceptis, & mandatis Divinis tam juris naturalis, quam positivi divini, quatenus omnes homines, & eorum conditiones particulares concernunt. 2. Tenetur similiter ad praecepta Ecclesiastica, quae ad omnes fideles extenduntur, vel ad conditiones statui Regulari inclusas pertinent. 3. Tenetur ad obedientiam civilem in iis, quae fidelitatem, & civilitatem concernunt, & Statui Religioso non adversantur. E. g. Tenetur obedire Magistratui in praeceptis fidelitatis debitae, conservationis civitatis, pacis, civium, contractibus civilibus juxta leges civiles, salvis exemptionibus Regularibus & Clericalibus, quibus Regulares communicant. 4. Tenetur obedientiae filiorum ad parentes, in iis quae jure divino, & natural perpetuo proles concernunt: ut sunt obsequia necessaria? suppeditatio necessariorum ad vitam & sustentationem, & alia, ad quae Religiosus, quantumvis professus, tenetur eo modo quo potest, ita ut etiam à Monasterio exire teneatur, si parentem in egestate relinquat, imò etiam si postea in extremam necessitatem deveniat, obligatio enim succurrendi parenti in extrema necessitate non cessat. Et haec sunt ferè obedientiae, quae praeter obedientiam religiosam in regulari post legitimam professionem permanere censentur.

Advertendum 3. Superiores religionum diversimode circa materiam istarum obligationum, sive obedientiarum se habere. Primò enim se habent ut Directores, Per potestatem directivam. 2. Ut executores legum & Mandatorum sicut enim in republica Reges, Principes, Magistratus, sunt Ministri Dei in bonum, quà causa ait Apostolus ad Rom. 13. *Rex Gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit*: indirectè quidem in iis, quae sunt mandatorum Dei, tamquam Director, & Executor justitiae Dei; directè autem in civilibus, tamquam potestatem Dominativam, & Gubernativam habens. Ita, & multò magis Superior religionis respectu legum divinarum, & humanarum quibus (ut dictum est) salvis suis exemptionibus Religiosi subduntur, Directivam & Executivam Potestatem habet, ut à Subditis Regularibus observentur. Rō. 13. 4.

Dixi (*Directivam & Executivam*) Quia respectu illarum non habent potestatem Dominativam, sive Gubernativam: Quandocumque enim praecepta Dei, aut Ecclesiae, sive etiam Civilis Potestatis observari mandant, & curant, in hoc se gerunt ut meri Directores, & executores eorum quae à potestatibus illis ordinata sunt, & in quantum ordinata sunt, ita ut cessante, vel dispensante potestate Superiori, cesset eorum actio, tam in directione, quam in executione eorum, quae sunt

illius

illius Potestatis. Explico Exemplo: Superior Religionis praecipit Regulari Subdito, ut Dominicum diem observet, Pateritin extrema necessitate succurrat; alienum restituat; item, ut Festa ab Ecclesia constituta debito cultu solemnizet; diebus statutis jejunet: In his non utitur potestate Dominativa Religiosa directa, seu Potestate Divina, ac Ecclesiastica, cujus in hac re instrumentum est, & cui tamquam suae congregationis capiti dictorum directio, & executio est commissa. Unde infertur Resolutio Quaestionis propositae.

Conclusio I.

Praecepta Divina &c. ut talia nō sūt praecise materia Obedientia religiosa.

PRaecepta Divina, Ecclesiastica, Civilia &c. quatenus talia sunt, non sunt praecise materia Obedientia Religiosa.

Ratio est: Quia ut talia Regularem observantiam, per se non concernunt, sed ex disparata potestate procedunt; nec Regularem, ut Regularis est, afficiunt, sed ut Christianum, & Civem, sive potestatibus Civilibus in nonnullis subditum. Unde quandocumque illorum observantia à Superiore Regulari urgetur, Superior Regularis in hoc vices Dei, vel Ecclesiae, aut Potestatis civilis agit, non autem Potestatis Gubernativae Religiosae, quatenus Religiosa est. Exempla desume ex praenotatis immediate suprapositis.

Conclusio II.

PRaecepta Divina, Ecclesiastica, Civilia, quatenus ordinantur ad Observantiam Religiosam, possunt interdum aggravari Praecepto Obedientia Religiosa: quo casu, duplici titulo (si disparata rationis sint) obligabunt. Ex. g. Prohibitum est Praecepto Divino cavere ab omni periculo gravi peccati, utpote luxuriae, ebrietatis &c. ratione cujus praecepti tenetur quilibet vitare conversationes pravas, mensas compotationum &c. Superior Regularis advertens aliquas domos similibus conversationibus, sive etiam compotationibus, & commessationibus addictas, prohibet suis Subditis per S. obedientiam, ne quis ad istas domos declinet: Regularis peccat duplici titulo, & malitiâ, si accedat domos illas: Titulo quidem praecepti Divini, quo jubetur conversationes pravas fugere: Titulo etiam Praecepti, seu prohibitionis ex vi Religiosae Obedientiae, quo prohibetur à Superiore hujusmodi domos accedere. Etsi porrò utriusque Praecepti unus sit finis, nimirum vitatio periculi, vel luxuriosae, vel ebriosae societatis, tamen materia praecepti immediata est disparatae rationis: Et quidem materia praecepti Divini est conversatio luxuriosa, vel ebriosa, solumque peccat, qui commessatur aut conversatur actu, cum periculo libidinis, aut ebrietatis; Materia autem prohibitionis Religiosae Obedientiae est non tantum periculum, sed etiam occasio periculi, quae est in accessu ad domos hujusmodi suspectas; ita ut Religiosa Obedientia non tantum à periculo, sed etiam ab occasione, & suspicione periculi Subditum removeat Quod facere potest Superior, & interdum tenetur, & Subditus obligatur ad Obedientiam. Hinc ortum est Praeceptum, sive prohibitio illa per S. Obedientiam apud aliquas Religiones: Ne Religiosi comedant aut bibant in domibus saecularium in Civitatibus, & Oppidis, ubi Monasteria sita sunt; Hoc enim Mandatum sive Lex facta est ad propulsandos abusus, qui in poculis, mensis, & commessationibus contra Christianam & Religiosam temperantiam fiebant. Unde & causa ista generalis, ob experientias variorum abusuum, & scandalorum, sufficiens fuit, ut tale praeceptum Obedientiae emanaret, ultra Divinum prohibens simpliciter excessus contra temperantiam. Quod advertant rogo nonnulli, laxioris ratiocinationis; qui illius praecepti vim enervare, vel potius praecepto illudere volentes, docere attentarunt; Religiosos non peccare mortaliter contra praeceptum Obedientiae, si non ad excessum sed unum, aut alterum haustum biberent, si modicum comederent, mensurantes gravitatem, vel levitatem materiae ex actibus singularibus, sive à materia cibi, vel potus, quae sumitur, & inde de peccato veniali, ob levitatem materiae concludentes. Quibus dicendum est: Materiam praecepti istiusmodi Obedientiae non debere simpliciter sumi à quantitate cibi, & potus, vel actu singulari Petri, vel Joannis; sed materiam illius Praecepti fuisse, abusus, scandala, & pravas consuetudines ac habitus in genere, qui non potuerunt aboleri, nisi omnis causa istorum penitus eradicaretur, & securis ad radicem poneretur, abolendo omnes omnino actus singulares, quod non potuit fieri sine falce Praecepti Obedientiae. Unde in praefatis materia tantae gravitatis est, & aestimari debet; ut non tantum ab illo Praecepto salus multorum Religiosorum; sed etiam Religionis ipsius decor, & honestas dependeat, adeoque vel minima transgressio relaxationi iterum viam sternat, cui proinde per universalem prohibitionem obviandum fuit, & quae per hujusmodi abusus obfuscata erant, restitui. Minus mihi placuit quarundam Neotericorum opinio periculosa; qui non obstantibus Praeceptis S. Obedientiae, quibus à suspectis domibus Religiosi interdum arcentur, affirmat cessante periculo, & scandalo, posse Religiosum illas domos accedere. Cui iterum dicendum est: Praeceptum Obedientiae non respicere tantum hujus accessus singularis periculum vel scandalum, quae sine dubio pro uno actu possunt suspendi, vel cessare, sed commune in genere periculum vel scandalum, à quibus non tantum Petrum & Joannem, sed ipsam Religionem in Subditis omnibus per Mandatum Obedientiae Superior removere intendit. Aliud esset, si Praeceptum altioris ordinis urgeret, ut in tali domo necessarium opus charitatis vel justitiae hic & nunc necessario impenderetur.

Obedientia praeceptū respicit commune periculū.

Dixi

Dixi autem in Conclusione (*Præcepta Ecclesiastica & Civilia*) Idem enim contingere potest in illis, quod in Divinis. Explico: Ecclesia præcepit omnibus in Majoribus Ordinibus constitutis, ut Horas Canonicas legant; Potest Superior Religionis ob causas addere Præcepto Ecclesiæ Præceptum Obedientiæ, ut illas in choro, vel tali hora legant, Item: Mandat Magistratus tempore belli, vel alterius occasionis, ut nemo egrediatur tali tempore Monasterio, vel Civitate: Addere potest Superior Religionis ex causa pro suis Subditis Præceptum Obedientiæ, ne quis egrediatur; & sic de similibus.

CONCLUSIO III.

Obedientia religiosa materia præcisa quæ

MAteria Obedientiæ Religiosa præcisa sunt Regula, Constitutiones & alia omnia, quæ ad Religiosi Status, & Ordinis, cui Regularis per Professionem est incorporatus, observantiam spectant. Hæc ex dictis q. 4. hujus tituli 3. sat superque manifesta sunt, nec diutiùs hærendum.

ADHORTATIO AD PRÆLATOS.

Superior non utatur gladio obedientiæ nisi in gravi

ADvertant itaque Superiores, ne limites Potestatis suæ excedant; ne gladio Obedientiæ, nisi in re gravi utantur; ne ad omne imperium Obedientiæ obligationem adhibeant; ne alios Superiores, vel alterius gradus & ordinis Potestates in suis mandatis confundant; Exhortationibus, monitionibus, obsecrationibus, correptionibus charitativis locum præbeant, antequam per Obedientiam, vel sub obligatione stricta præcipiant; sic enim suas, & Subditorum animas salvabunt. Meminerint quòd Patres sint filiorum, non Domini: Pastores, non Exactores; Custodes Gregis, non Dispersores; Medici, non Laniones: legant, relegantque sæpius illud Ezechielis 34. *Va Pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: nónne greges à Pastoribus pascuntur? &c. Quod* (inquit) *infirmum fuit non consolidastis, & quod ægrotum non sanastis, quod confractum est non alligastis, & quod objectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia.* Hæc ibi. Suaviùs Apostolus ad Timotheum: *Argue* (ait) *obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*: Hæc est methodus imperantis Prælati, *Arguere* Juniores; *Obsecrare* Seniores; *Increpare* duros & rebelles: *In omni patientia* tamè, id est absque ira, turbatione, indignatione, vel passionibus vehementibus; Et *Doctrina*, id est, ita ut reprehensio sit doctrinalis, ira malum cōdemnans, ut simul erudiat ad bonum.

Ezech. 34. 1.

2. Tim. 4. 2.

Sed de his infrà, titulo singulari de Prælatis, & Superioribus Religionum.



QUÆSTIO VIII.

An omnis Superior præcipere possit per S. Obedientiam, sive in virtute S. Obedientiæ?

Potestas Superiorum duplex.

ADvertendum est 1. Juxta duplicem Potestatē, quæ in Superioribus Religionū diversimodè reperiri potest, in Religionibus reperiri Superiores in duplici differentia.

Alii enim Superiores simpliciter tantùm Potestatem Gubernativam, sive Domesticam in Subditos habent; qualis est Patris-familias in Familiam suam; quæ quidem respicit temporale & externum regimen. Tales fuerunt Abbates, Præpositi, & Superiores antiquorū Monachorum, antequam Monachi ad Clericatum, & Sacerdotium assumerentur, qui reverà merè laici erant, & regimen tantùm externum habebant, ac potestatem tam Directivam quàm Coactivam externam, ut Subditi juxta Regulā & Præscriptū Patrum viverent, nec aliqua spirituali Jurisdictione potiebantur. Tales adhuc nonnulli in quibusdam Religionibus reperiuntur. Et hunc Superioritatis modum participant Abbatissæ, & Monialium Prefectæ, sive Superiores.

Alii sunt Superiores, quibus præter Potestatem Dominativam, sive Gubernativam externam, quæ competit omnibus Superioribus Regularibus ex vi Status Religiosi, Potestatē etiam Spiritualem, sive Spiritualis Jurisdictionis in Subditos obtinent, secundùm quam eis competit animarū cura, et regimen Spirituale in ordine ad finem Spiritualem; Et hæc posterior Superioribus Religionum posterius advenit, quando Monachi ad Clerum & Sacerdotium assumpti sunt, & verè Pastoralem animarum curam acceperunt: Primis enim in Spiritualibus ab Episcopo, & designato sibi Sacerdote Monachi in Spiritualibus regebantur. Unde expressè in Regula S. Augustini decernitur: *Præposito tanquam Patri obediatur*, (hæc est Potestas Paterna, & Domestica Superiorum antiquorum) *multò magis* (subdit) *Presbytero, qui omnium vestrum curam gerit.* Et ut usum Potestatis utriusque distinguat, addit: *Ut ergo cuncta ista serventur, & si quid servatum minùs fuerit non negligenter prætereatur, sed ut emendandum, corrigēdumq; curetur, ad Præpositum præcipuè pertinebit*, (En actus Potestatis Gubernativæ externæ, quæ versatur circa observantiam externam Regularum, Constitutionum, & Ceremoniarum.) De Spirituali autem observantia in Presbytero residente, subdit: *Ut* (inquit) *ad Presbyterum, cujus est apud vos major authoritas, referat, quod modum vel vires ejus excedit.*

Obedientia duplex.

Advertendum 2. Juxta rationem duplicis Potestatis relatæ in Superioribus diversi gradus residentis, duplicem etiam debere distingui Obedientiam. Alia enim est domestica, & externa, quæ debetur Superioribus sola Potestate Gubernativa, & Domestica pollen-

 tibus:

tibus: alia Spiritualis, & ad finem Spiritualè ordinata, quæ debetur Superioribus, utraque Potestate, tam Gubernativa & Paterna quàm jurisdictionis Spiritualis gaudentibus, etiam in iis, quæ ad spiritualem animarum directionem & coram pertinent.

Advertendum 3. Etsi in utraque Obedientia quoad regimen Termini iisdem nominibus significentur, ut Præcepti, Prohibitionis, Obedientiæ &c. debere tamen distingui in ratione objectiva & accommoda ad Potestatem à qua nuntur: Ita ut quæ circa regimen tantùm externum versantur, non excedant rationem Præcepti seu Mandati Patris-filios ad Subditos; & obedientia non excedat Obedientiam Filiorum ad Parentes, quoad rationem, ut dico, objectivam, etsi (ut docui) quoad finem & motivum, quibus propter Deum, & ex vi Voti obeditur, superioris meriti sint, & accommodè Spiritualia dici possint. His sic prænotatis sit

CONCLUSIO I.

Præcipere potest sub mortali omni Superior &c.

Omnis Superior Regularis, sive vir, sive femina juxta materiam suæ Potestati substratam præcipere potest Mandato Obedientiæ, obligante ad peccatum mortale.

Ratio est: Quia hæc Obedientia est materia Voti, & voto Religioso alligata, ac consequenter ejus transgressio in materia gravi est peccatum mortale. Unde Superior Regularis laicus, sicut & femina Superior, dans Mãdatum Obedientiæ in ordine ad servandam Regulam, sive Regulare Institutum, in externo suo regimine in materia gravi, si velit, potest ad peccatum mortale obligare, & si indicet se obligare, Subditus vel Subdita tenentur sub peccato mortali obedire. Explico: Notat Abbatissa ex scriptione litterarum, conversatione familiari vitorum, etiam ad crates, nasei perturbationem in Monasterio, suspiciones graves familiaritatum contra castimoniam & modestiam Religiosam, potest sub peccato mortali Inobedientiæ prohibere suis scriptiones literarum, accessus ad crates &c. Hæc enim, etsi ad externum regimen maximè pertineant, cùm tamen ex natura sua ad transgressionem Votorum & Regulæ viam sternant, per Potestatem Gubernativam prohibere possunt.

Advertendum tamen: Vim obligandi in foro conscientiæ in hujusmodi Præceptis, quæ per potestatẽ Gubernativam externam fiunt; non tam provenire ex potestate Gubernativa, quàm ex Statu, Regulæ, ac Votorum observantia, contra quam actus sic prohibiti militant, & quorum observationi per amotionem omnis impedimenti, vel incentivi externi, omnes Superiores, etiã sola Potestate Domestica pollentes, invigilare tenentur, tam per directionem, quàm coactionem. Quod manifestum fit in Potestate Paterna, quæ etiam ad peccatum mortale Filios obligat, quando materia Præcepti respicit observantiam mandatorum Dei aut præcautionem gravis peccati; idque ex vi quidem mandatorum Dei principaliter; derivativè autem, & commissivè ex Potestate Paterna, cui ista sollicitudo est demandata, ut contineat Filios in justitia, & timore Dei.

CONCLUSIO II.

Gaudentes sola potestate Gubernativa non præcipere possint per S. Obedientiam.

Theologicè & in rigore loquendo, qui sola Potestate Gubernativa gaudent, sive viri, sive feminæ, & Iurisdictione Spirituali carent, non possunt præcipere per S. Obedientiam, sive in virtute S. Obedientiæ. Hæc est sententia communior & verissima.

Ratio est: Quia hæc Præcepta, Theologicè & in rigore, procedunt à potestate Iurisdictionis Spiritualis, & urgent Obedientiam, non tantùm quæ externa est, sed etiam quâ simpliciter Religiosus suam voluntatem Deo in manibus Superiorum consecravit, intra Votorum & Regulæ terminos, quam in sua Professione amplexus est: Talis autem Potestatis Jurisdictionis femina eo sensu incapax est: & vir laicus, manens laicus, illam habere non potest.

Porrò, ut manifesta fiat hæc doctrina, benè distinguendi sunt Actus potestatis meræ Gubernativæ, & Actus Iurisdictionis Spiritualis.

Actus enim meræ potestatis Gubernativæ respiciunt tantùm gubernationem, & regimen externum, suntque sequentes: *Vt personis Religiosis, & coram: opera in externo regimine, intra terminos Regulæ: Illos ad disciplinam Regularem, & obligationes Monasticas inducere: Pœnis, & pœnitentiis externis cogere*; eodem ferè modo, quo Pater filios, & Dominus servos inducit, & cogit. Nec in his Subditi, si sint refractarii, censentur in foro conscientiæ peccare mortaliter; nisi in quantum materia gravis ad Regulæ & Votorum observantiam pertinens mandatis dictorum Superiorum substernitur: vel gravis irreverentia, contemptus Superioris, aut scandalum aliorum intervenit.

Actus verò Jurisdictionis Spiritualis sunt: *Curam animarum gerere: Illos in spiritualibus dirigere; Ad Votorum observantiam etiam sub ritualem urgere, ligare, solvere: In virtute Spiritus sancti, & S. Obedientiæ præcipere, Excommunicare, Censuras ferre, Dispensare in Votis* &c. quæ à potestate Clavium proficiscuntur, & potestatem Spiritualis Jurisdictionis consequuntur.

Igitur attendendum est in præcepto Obedientiæ, à quo illud proveniat: Si enim provenit ab eo, qui potestatem tantùm Gubernativam habet, ut est Superior laicus, vel femina; præcepto parendum est quidem, Inobedientiæ tamen culpa non tam ratione personæ præcipientis, quàm juxta materiam substratam externo regimini mensuranda est, in cujus virtute præceptum obligat: Si autem proveniat ab habente utramque, tam Gubernativam, quàm Jurisdictionis Spiritualis potestatem, in eo casu non tantùm à materia, sed à

præ-

præcepti formalis virtute culpa judicari debet. De his porrò lariùs tractavimus in Baculo nostro pastorali disput. 2. & 6. Lector ibi videat.

Corollarium.

De peccato inobedientiæ.

Inobedientiæ gradus quadruplex. Quadruplicem ponunt gradum Inobedientiæ SS. PP. & Doctores. 1. Non facere, sive non adimplere quod præcipitur, vel prohibetur. II. Refragari, seu resistere Superiori præcipienti. III. Contemnere. IV. Irasci etiam, & indignari adversùs præceptum *S. Bernard.* vel præcipientem. De his S. Bernardus serm. 42. super Cantica.

Dico igitur 1. Non facere, sive non adimplere volūtariè, quod à Superiore per præceptum vel legem rigorosè demandatum vel prohibitum est, in materia gravi ad Regularē Observantiam aliquo modo pertinente, peccatum mortale est. Vide dicta in superioribus.

Dico 2. Refragari, resistere, obmurmurare contra Obedientiam Superiorum contumaciter, peccatum mortale est, eò gravius, quò rebellio est gravior, & magis scandalosa.

Dico 3. Contemptus Superioris in omni præcepto & Mandato ex genere suo peccatū mortale est, etiam in materia levi.

Dixi (Contemptus Superioris) Etsi enim interdum materiam præcepti contingat ob levitatem contemni absque peccato; Contemptus tamen personæ Superioris (nisi levitas ipsius contemptus excuset) in omni materia Obedientiæ censetur mortalis. Ratio est: Quia in Superioris persona contemnitur Deus, cujus Superior personam gerit; juxta *Ezech. 3. 7.* illud Ezech. 3. *Nolunt audire te, quia nolunt audire me.* Ubi S. Bernardus loco citato: *Vides* (inquit) *qua Majestas contemnitur? Non te putes me solùm sprevisse; Dominus locutus est. Et quod dixit Propheta, dixit & Apostolus: Qui vos* *Luc. 10. 16.* *spernit me spernit.*

Dico 4. Gravissimo peccato Inobedientiæ peccat; qui contra Superiorem ob Mandatum Obedientiæ, sive correptionem insurgit, & verbis, minis, improperiis obedire renuit. De quibus iterum S. Bernardus: *Plerumq; (ait) etiam impatientia contemptui jungitur, ita ut aliquis non solùm non curet corrigi objurgatus, sed insuper objurganti indignetur more phrenetici manuum medici repellentis. Mira perversitas.* Hæc S. Bernardus.

Et hæc quidem sunt peccata explicitæ Inobedientiæ: Multæ autem sunt Inobedientiæ implicitæ, in quibus, etsi formaliter & exteriùs Obedientiæ actuali non resistatur; Subditi tamen, dolis, tergiversationibus, immò & contradictionibus in tantum agunt, ut vel non audeant illis Superiores aliquid injungere, vel si injunxerint teneantur revocare. Contra quos Alvarus Pelagius l. 2. de planctu Ecclesiæ art. 70. ubi & illos vocat *filios mortis*: quia etsi obedientiæ singulari sibi impositæ actualiter non resistant: cùm tamen suis modis & actionibus, ne præcepta illis imponantur, impediunt, *non in subjectione vivunt; sed in superbia, & elatione, & rebellione* (saltem habituali) Et subdit. *Tales propriè filii Belial sunt*, id est, *absque jugo, sic enim interpretatur Belial* (Reg. 25.) *ita ut nemo, maximè Prælati, possint eis loqui.* Hæc ibi.

Et hoc est speculum eorum; qui sive excusationibus, sive querimoniis, sive obmurmurationibus, sive signis, se ostendunt ita involuntarios; ut Superiores illis, vel illorum opera, pro bono & necessitate communi uti vel nequeant, vel non audeant. Qui verè in statu damnationis vivunt, quia obedientiæ, quam Deo in manibus Prælati voverunt in radice obsistunt; & verè in obedientia, in qua se victuros professi sunt, non vivunt, sed Obedientiæ contrariam voluntatem interpretativè habent. Quæ omnia viro timorato benè ruminanda sunt. Et hæc de obedientiâ sufficiant.

TITVLVVS III.

De Castitate Religiosa.

QUÆSTIO I.

Quid sit Castitas Religiosa?

Conclusio Unica.

Descriptio Castitatis *Castitas Religiosa est: Renuntiatio omnis delectationis voluntariæ libidinosæ, etiam licitæ; propter Deum solemni Voto in perpetuum in Religione approbata confirmata.* Conclusio sive Diffinitio hæc sic declaratur.

Dicitur (*Renuntiatio*) Etsi enim castitas interdum actus positivos concomitantes habeat; ipsa tamen castitas formaliter consistit in quadam negatione, abnegatione, abstinētia; & renuntiatione cujuscumque libidinis: Filia utique temperantiæ ex natura sua, quarenus libidinosos affectus coërcet.

Dicitur (*omnis delectationis voluntariæ libidinosæ*) sive consistat in cogitatione, sive in verbo; sive in actu quocumque. De quibus latè egimus tom. 2. tract. 7. toto tit. 1. Placuit autem uti nomine *delectationis* potiùs quàm actus, aut alio simili, quia tota ratio peccati, pro ut est formaliter contra castitatem, consistit in delectatione inordinata, cùm actus; tactus, oscula, verba, cogitationes non sint peccata, nisi ratione delectationis inordinatæ ex illis subortientis.

Dicitur autem (*Delectationis voluntariæ*) ut nimitum est actus voluntatis consentientis sive per permissionem; quæ est consensus interpretativus, sive per formalem assensum in oblectationem ex libidinosa cogitatione provenientem. De quibus, quomodo & qualiter sint peccata; distinctissimè & fusissimè egi-

egimus tom. 1. tract. 3. tit. 1. quæst. 5. & 6. quò velim Lector recurrat, si plenè de motibus & delectationibus morosis informari velit.

Dicitur (*omnis*) ut excludatur Castitas Conjugalis, quæ etiam in nonnullis Religionibus militaribus vovetur, quæ admittit delectationes, actus carnales matrimonii concomitantes.

Dicitur (*libidinosa*) ut excludantur delectationes naturales partis sensitivæ, quæ ad libidinem & veneream delectationem non tendunt, sed merè naturales sunt, & appetitum sensitivum non excedunt, de quibus suprà tom. 1. tract. 3. tit. 2. quæst. 5. Et tomo 2. tract. 7. tit. 1. §. 5. De osculis amplexibus, & tactibus impudicis dub. 1. per totum: Ubi egimus de osculis & tactibus naturalibus, urbanis, necessariis, licitis, etiam cum aliquo sensuum oblectamento naturali, & in quibus casibus liceant clarè demonstravimus. Dicitur autem *Delectatio libidinosa*; quæ per spiritus animales diffusos ad partes generationi servientes excitatur, & veneream Concupiscentiam excitat, ut distinguitur contra quoddam pruritus carnis, in nervis ex materia tacti subortis.

Dicitur (*etiam licita*) ut excludatur omnis delectatio venerea, quæ inter Conjuges, Procos, & desponsatos post Sponsalia censetur licita, Castitati tamen Religiosæ est omnino contraria, de quibus similiter, & de modo quo licita sunt Conjugatis &c. à nobis disputatum est, tom. 2. tract. 7. tit. 2. § 2. in appendice, & posteà in 3. parte hujus tomi agemus, ubi de Matrimonio Tractatus occurret.

Dicitur (*propter Deum*) Castitas enim, quæ aliàs est temperantiæ filia, & virtus moralis, per votum Deo factum elevatur ad virtutem Religionis, & sicut majus meritum, sic singularem excellentiam acquirit ex objecto, quia propter Deum servatur, & Deo consecratur.

Dicitur (*solemni voto in Religione approbata confirmata*) ut excludatur votum castitatis simplex, quod etsi omni delectationi venereæ renuntiet, & matrimonium impediat, non tamen dirimit, nec propriè & in rigore Castitas Religiosa dici potest.

Dicitur (*in perpetuum*) Ad excludenda vota temporalia Castitatis ad aliquos annos, vel tempus, vel ad arbitrium Superioris.

QUÆSTIO II.

Qualiter Castitas Religiosa distinguatur ab omni Castitate, quæ in variis Statibus observatur?

Divisio castitatis. PRæmittenda est solemnis divisio Castitatis, in virginalem, vidualem, conjugalem. Castitas virginalis est, quâ quis virginitatem perpetuam; Vidualis, quâ castitatem tempore viduitatis; Conjugalis, quâ Castimoniam in usu matrimonii, vel proposito firmo, vel promissione Deo consecravit. Porrò præter hæc membra; Una est omnibus eminentior Castitas Religiosa, quæ etsi interdum & Virginalem & Vidualem complectatur, singulari tamen prærogativâ illas exornat.

CONCLUSIO I.

Castitas religiosa eminentior omni Conjugali. CAstitas Religiosa excellentior est omni Castitate Conjugali.

Ratio est: Quia Castitas Conjugalis, etsi in aliquibus Ordinibus militaribus sub Votum cadat, simpliciter tamen Castitas dici nequit; sed adjectum ipsum, quo Conjugalis dicta est, diminuit plurimum de vera Castitate, quæ ab omni libidinis delectatione (ut dictum est) abstrahit: Illa enim delectationibus, matrimonii actus concomitantibus, licitè utitur.

CONCLUSIO II.

Etiā virginali & viduali si solēni voto non cōfirmetur. CAstitas Religiosa etiam virginali & Viduali præeminent, si hæ solemni Voto non confirmentur.

Ratio est: Quia etsi primum locum inter Virtutes Morales, concupiscentiam refrænantes, obtineat virginitas, quamdiu tamen Voto solemni non est obstricta inter Morales virtutes subsistit, & mutabilis est, sive voluntate propria (si solo proposito confirmata) sive dispensatione, immò & superveniente vinculo matrimonii (si solo voto simplici est Deo nuncupata,) Virgo enim, si nubat absque dispensatione ubi est simplici voto Virginitatis obligata, etsi mortaliter peccet; matrimonii tamen vinculum in ea prævalet, & matrimonio simplex votum cedere debet. Ejus autem quæ Castitatem Religiosam solemni voto Deo nuncupavit, nec dispensationi Castitas Religiosa subjacet, nec matrimonio dissolvitur; quin & ex virtute Morali in gradum Virtutis Religionis sublimius transcendit.

De viduali Castitate, voto solemni non confirmata res clarior est, quia & Castitatis simpliciter detrimenta præsupponit, & (ut de Virginali dictum est) quamdiu sub proposito manet, mutabilis est; & si simplici tantùm voto sit confirmata, dispensationi subjacet, & superveniente matrimonio dissolvitur.

CONCLUSIO III.

Prærogativa castitatis religiosa. CAstitas Religiosa his prærogativis præcellit omnem Castitatem, quæ Deo in Religione approbata consecrata non est.

1. *Excellentiâ virtutis Religionis*: per Votum enim castitatis Religiosæ, Homo corpus & carnem suam Deo in Holocausti hostiam immolat: Corpus suum templum Deo immutabili consecratione dedicat, & (Paulo teste) *Carnem suam cum vitiis, & concupiscentiis crucifigit.* Galat. 5. 26.

2. *Immutabile*; quia (ut frequenter dictum est) nullo superveniente meliori bono muta-

mutatur, dissolubilitatem nescit; dispensationem, manente statu religioso, non admittit; juxta illud cap. *Cùm ad monasterium*. de statu monachorum; *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.*

Nolo hic disputationem texere, An simpliciter in voto solemni castitatis possit dispensari; sive jure naturæ, deficientibus hominibus ad conservationem & propagationem naturæ, sive jure Pontificio ex summis motivis: Certum enim mihi est, statu religioso permanente sive religioso manente religioso, dispensationem dari non posse. Quia essentialibus religiosi status ablatis nec religio permanere intelligitur, nec Religiosus. Itaque dispenset Pontifex cum monacho ut uxorem ducat; de monacho sanè eo ipso non monachum facit, dum à voto solemni castitatis illum absolvit.

3. *Puritate*; Castitas enim conjugalis (ut dictum est) admittit delectationes ordinatas cōjugii. Castitas virginalis & viduatis voto solemni non firmata, potest ad nuptias congruis mediis adspirare. Castitas religiosa nævum quemcumq; excludit, & angelicam puritatem requirit; nullam in cogitatione, verbo, opere vel modicam oblectationem veneream, etiam sub quovis licito titulo, in religioso admittit. Et hanc puritatem ex sui natura fovet omnis approbata religio, dum non tantum objecta removet, sed etiam incentiva quæcumq; arcet, temperantiam præcipiens, abstinentiam & jejunia colens, mortificationem sensibus imperans, à mundanis conversationibus abstrahens. De quibus sancti Patres passim: Inter quos S. Bernardus serm. 66. super Cantica, rationem reddens religiosæ abstinentiæ contra Hæreticos: *Abstineo* (inquit) *à vino quia in vino luxuria est, aut si infirmus sum modico utor juxta consilium Pauli. Abstineo à carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, simul & carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre stare ad orandum tædeat, & ut improperet etiam mihi Propheta. quia panem meum comederim in saturitate. Sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distentio sanè ventris usq; ad titillationem pertingat libidinis.* Infrà: *Si de disciplina abstinentium id est spiritualium medicorum schola etiam virtutem approbamus, qua carnem domat, frænat libidinem.* Hæc S. Bernardus. Quæ & alii Patres, dum de religiosæ vitæ puritate loquuntur, multum exaggerant, ita ut videatur castitatis puritas solùm in religionibus inveniri posse, in quibus omnia lenocinia condemnantur & removentur. Lege S. August. l. 50. Homil. Homil. 35 de modis servandi integram animæ virginitatē, per quinque sensuum custodiam. Lege S. Bonaventuræ l. de modo confitendi, & de puritate conscientiæ c. 14. Benè & aptè 2. p. in vitis Patrum libr. contra fornic. circa medium, de seipso Senior quidam asserebat: *Nunquam sollicitatus sum à fornicatione, quia ex quo factus sum Monachus, non sum satiatus pane, neq; aqua, neq; somno, &*

S. Bernar.

Ezech. 26

appetitu eorum, quibus pascuntur alii; & cruciant me non permittebat sentire fornicationis stimulos. Hæc ibi.

QUÆSTIO I.

An Castitas Religiosa ad plura obliget, quàm ea, quæ voto solemni firmata non est?

PRo Resolutione advertendum est: Castitatem, extra matrimonii ordinatos actus, excludere omnem veneream, & libidinosam delectationem in cogitatione, verbo, vel quovis actu externo, ad illamq; divino naturaliq; præcepto obligari omnes Christianos, juxta illud Christi Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Et postea removens omnem oculorum & tactuū impudicitiam sub pœna gehennæ: *Quod si* (ait) *oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unū membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextra manus tua* (per tactus utique impudicos) *scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te, expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum quam totum corpus tuum eat in gehennam.* Lege Expositores, & inter alios D. Thomam, in catena ad cap. 5. Matthæi. Ad hoc igitur præceptum omnis Christianus obligatur, secundum omnes circumstantias obligationis, extra legitimos actus in matrimonio permissos.

Ad castitatem quomodo omnis Christianus obligetur.

Mat. 5. 27.

S. Thom.

CONCLUSIO I.

PEr se, & in ratione simpliciter obligationis præcepti castitatis, non obligatur religiosus ad plura ex vi sui voti, quàm ad ea ad quæ præceptū castitatis obligat omnes Christianos, etsi altioris Ordinis obligatio ex vi voti voventem consequatur.

Religiosus ex vi voti castitatis ad quid obligetur.

Conclusio hæc magis explicatione, quàm ratione & argumentis indiget. Sic igitur explico: Omnis Christianus juxta declarationem Christi Matth. 5. tenetur non tantùm vitare actus fornicationis, adulterii &c. sed etiam omnem in cogitatione, verbo, opere veneream & voluntariam delectationem, immò & omne periculum, quod ex sensibus externis, imaginatione, &c. imminet: Ad plura autem non tenetur Religiosus ex vi voti, nisi ut sit (Apostolo attestante) *sanctus corpore & spiritu*, id est, ab immundiriis corporalibus & spiritualibus liber. Et ratio est: Quia votum castitatis non extenditur ad plura, quàm ipsa castitas; Castitas autem per se ad plura objecta non se extendit.

1 Cor. 7. 34

***

CONCLUSIO II.

Religiosus peccãs cõtra castitatem gravius offendit, quam cælebs, vel cõjugatus.

GRavieri peccato offendit Religiosus quovis actu, cogitatione, vel verbo libidinoso contra votum Castitatis peccans, quam quilibet cælebs, vel conjugatus contra præcepta Castitatis.

Ratio est: Quia quod in cœlibe est simplex fornicatio, vel etiam in conjugato adulterium, quodque in alijs speciebus peccatorum carnis est vel sodomia, stuprum, vel incestus, in Religioso est sacrilegium, tum ob Votum, quod Deo per virtutem Religionis nuncupatur, tum quod corpus & animus Deo per Votum Castitatis immolatus & consecratus polluatur, & profanetur; quod maximum peccatum est.

CONCLUSIO III.

possũt plura alia peccata in tali actu concurrere

PEccatum carnis in Religioso contra Castitatem potest multiplicibus titulis specie distincta, præter sacrilegium commissum, Religiosum fœdare.

Patet in sodomia, incestu, adulterio à Religioso consensu volũtatis, vel externo etiam actu commisso: Non enim sufficit Religioso agnoscere, vel etiam confiteri se contra votum Castitatis peccasse, sed specificandum ei est, tam de interiori voluntatis quàm exteriori actu carnali; an sodomiã, adulterio, incestu &c. peccaverit: quia etsi peccasse contra votum peccato sacrilegij fit certis gravius, non tamen rationes distinctas specificas, sive speciem mutantes ratio sacrilegij absorbet, sed cùm sint disparatæ species, illæ sunt agnoscendæ & specificè confitendæ. Unde non sufficit Religioso concubitum cum Maritata habenti dicere quòd peccaverit peccato sacrilegij, sed debet etiam specificare adulterij peccatum. Ratio est: Quia peccatum sacrilegij in materia carnali omnes alias peccatorum carnalium species; nimirum simplicis fornicationis, incestus, adulterij, sodomiæ &c. in sua formalitate relinquit, etsi rationem sacrilegij superaddat, & proinde distinguitur sacrilegium adulterij a sacrilegio incestus &c.

CONCLUSIO IV.

EX specialibus Obligationibus cujuslibet Religionis in particulari possunt Religiosi ad plura obligari, quam præceptum ipsum Castitatis ex se obliget. Hæc conclusio ex specialibus præceptis cujusvis regulæ eruenda est. Sic enim in regula S. Francisci sub peccato mortali Fratres prohibentur in ordine ad castitatem *habere suspecta consortia, vel consilia mulierum: Ingredi* (etiam secluso alio præcepto Ecclesiastico) *monasteria monacharum: Fieri Compatres virorum, vel mulierum:* Quæ quidem seclusio manifesto periculo peccati, nec præcepto, nec voto castitatis simpliciter prohibentur, sed speciali præcepto Regulæ Fratribus Minoribus inhibita sunt, præcepto formali ad peccatum mortale obligante. Sic in alijs aliorum ordinum regulis varia sub peccato prohiberi possunt, in ordine ad observantiam voti castitatis, quæ ex se nec in voto nec in præcepto castitatis includuntur, sed pericula removent.

CONCLUSIO V.

EXtrinsecus, ratione scandali, multa in materia castitatis Religiosis sunt interdicta, quæ in alijs vitia non reputantur. Sic quæ inter Sæculares conversatio cum feminis censetur honesta, & urbana, inter Religiosos interdum censetur scandalosa: Et verbum scurrile, quod inter Sæculares in jocum, & hilaritatem interpretari solet, in Religioso reputatur inhonestum, & impudicum; Unde est illud S. Bernardi l. 2. de Consid. ad Eug. Pont. c. 13. Pro cõmuni axiomate ubique usurpatum: *Nugæ, quæ in ore secularium sunt nugæ, in ore Sacerdotis sunt blasphemiæ:* non quia in se tales, sed ob scandalum pusillorum, non tantùm acceptum, sed & datum, ex eo quòd Sacerdotes & Religiosi debeant esse omnis puritatis, & sanctitatis exemplaria. *S. Bernar.*

ADNOTATIO NECESSARIA.

Puritas in Religioso requisita.

EX dictis colligat quilibet Religiosus quãtã puritate debeat conversari, etsi enim mente & corpore sit castissimus: potest tamen signis, verbis, motibus, gestibus immorigeris, vel in alijs libidinem excitare, vel videntes scandalizare, nec se putet excusari securitate Castitatis, quam mente & corpore possidet: cùm enim status religiosus sit puritatis & Castitatis exemplar, etiam in verborum & totius externi hominis compositione se ita castum exhibere tenetur, ut nulli offendiculum præstet; & levitates, gesticulationes, ac etiam affabilitates externæ, quæ communiter inter solutos sunt licitæ, ratione externã scandali, vel alienæ libidinis in alio fortè excitatæ, Religioso sunt mortifera.

EPILOGUS.

De Peccatis Religiosorum contra Castitatem.

EX dictis patet: Peccata omnia, quæ in Sæculari statu sunt peccata contra castitatem, in religiosis esse sacrilegia, & omnes species luxuriæ, supra rationem sacrilegij, eandem rationem libidinis sortiri in religioso, ut in seculari soluto. Multa denique licita esse Sæcularibus solutis in ordine ad Matrimonium, vel Conjugatis in Matrimonio, quæ absolutè religiosis interdicta sunt. Pluribus in his hærere superfluum duco, tantùm recordetur religiosus se in Materia Castitatis teneri ultra Sæcularium obligationes. 1. Ad ea, quæ ex Voto Castitatis per se oriuntur.

2. Ad

1. Ad ea, quæ quælibet Regula vel Ordo præscribit. 2. Ad exemplaritatem, & externam circumspectionem. Qui autem plura desiderat, ad ea quæ diximus tom. 3. tractat. 7. toto titulo 1. recurrat. Huc etiam reducenda sunt quæ de Clausura monialium à nobis infrà tradentur. tr. 5. tit. 2. ex Baculo nostro Pastorali totâ disputatione 8.

TRACTATUS III.

De Novitiatu, ac Novitiorum Professione.

ETsi Novitii non sint Religiosi, quia tamen Religionis Candidati sunt, & ad Religionis Statum ex Ratione Probationis aliquo modo pertinent, immò ipsâ Professione Religiosi fiant, quæ de illis dicenda sunt, hoc Tractatu complectemur, ne illos in hoc opere prætermisisse videamur.

TITULUS I.

De Novitiatu

QUÆSTIO I.

Quid sit Novitiatus, & quæ ad illius substantiam requirantur?

CONCLUSIO I.

Novitiatus, descriptio.

NOvitiatus, *est Probatio Religionis, alicui ad certum tempus ab habente potestatem sub certis legibus concessa, in ordine ad professionem Religiosam, juxta liberam postulationem Novitii probantis, & consensum ac acceptionem eorum, quorum est ad Professionem admittere.*

Dicitur (*Probatio Religionis*) ad hoc enim Novitiatus ordinatus est, tum ut quis Religionis onera probet; tum ut à Religione probetur.

Dicitur (*ad certum tempus*) Neque enim Probatio potest esse perpetua, neque excedere tempus ab Ecclesia constitutum, de quo statim.

Dicitur (*ab habente potestatem concessa*) Neque enim sufficit ad Novitiatum, quòd quis Religionem simpliciter, & ejus onera, disciplinam, austeritates, propriâ voluntate experiatur: sed requiritur, ut facultas ei ad hoc fiat ab habente potestatem Novitios admittendi: Unde qui Probationis annum inchoasset absque legitima admissione, teneretur illum resumere à die admissionis sequentis, vel ratihabitionis, quæ non retrotrahitur in hoc casu, sed tantùm approbat ut Novitiatum inchoet, ut communior sententia affirmat, quãvis nonnulli contrarium censeant.

Dixi (*sub certis legibus concessa*) Quæ autem sint leges sequenti Conclusione expono.

* *
*

CONCLUSIO II.

Novitiatus leges quinque.

LEges Novitiatus quinque articulis comprehenduntur.

I. Ut ætate debitâ inchoetur.

II. Ut persona aliquam inhabilitatem substantialem non habeat.

III. Ut certo loco fiat.

IV. Ut in habitu Religioso perficiatur.

V. Ut per annum continuatum duret.

Hæc ex canonibus & decretis Pontificum clara sunt; quia tamen interdum nonnulla dubia de singulis proponi solent, singulos articulos seorsim examinabo.

QUÆSTIO II.

Quæ ætas ad Novitiatum sit necessaria?

CONCLUSIO UNICA.

Ætas puberitatis requisita ad Novitiatum inchoãdum.

ÆTas pubertatis requiritur in persona Novitiatum in vera Religione inchoante quæ quidem ætas in masculo requirit quatuordecim annos completos, in femina duodecim. Et ita indicatur in Clementina ultima de Regularibus, & passim docent Canonistæ. Unde & Concilium Tridentinū sess. 25. de Regularibus c. 17. decernit: *Ut puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit* (hoc est annum duodecimum completum ætatis habeat) *nec antè eum suscipiat.*

Trident.

Ratio autem hujus decreti ac nostræ cõclusionis est: Quia qui annos pubertatis non est ingressus, congrue non potest experiri austeritates Religionis, immò nec essentialium Votorum observantiam specialiter Castitatis, cujus tentationes adversas necdum pati potest; præterquam quòd deliberatio perfecta status in minori ætate vix haberi possit; unde & vota impuberum per parentes validè irritantur. Et quamvis antiquitus, immò & modo interdum pueri intra Monasteria aliquibus locis admittantur, ut more Re-

 ligioso

ligioso eos vestiri contingat illa tamen habitatio ante pubertatis annos nec pro anno Probationis computari potest, nec habitus ille pro Novitiatus vel Novitiorum habitu reputari. Et ego quidem anno 1622. nomine Reverēdiss. P.N.F. Benigni à genua totius Ord. S. P. N. FRANCISCI Generalis Ministri officio Visitatoris in Provincia Britanniæ fungens, cùm reperirem plures pueros in Conventibus receptos ad annum undecimum, ut Fratres in Choro juvarent; omnes non habentes ætatem a Novitiatu dimisi, illis autem, qui ætatem ad Novitiatum habebant, annum Probationis permisi.

DICES: Quid fiet de eo, qui anno decimoquarto habitum Religionis suscepit, & probationem incepit? Item de puella, quæ anno duodecimo Monasterium est ingressa, cùm nō possint ante decimum sextum annum completum profiteri. Respondeo: Uno anno continuo & completo illos satisfacere legi de probatione & Novitiatu, sive sit annus ultimus ante decimumsextum, utpote decimusquintus; sive sit annus alius intra annos pubertatis: Unde puella potest pro novitiatu experiri anno decimotertio, decimo quarto & decimoquinto, & masculus in decimoquarto, aut decurrente decimoquinto poterit Novitiatum complere; ita ut, quandocunque Novitius intra Pubertatis annos complevetit annum Probationis, possit (nisi aliud obstet) anno decimosexto completo emittere professionem Dico (nisi aliud obstet) potest enim aut mutare propositum, aut ipsi supervenire impedimentum, ratione cujus inhabilis reddatur ad professionem, aut ei Religio neget consensum. Qui verò reliquo tempore, quod residuum erit ab anno Probationis usque ad complementum decimisexti anni, aget, qui Novitiatum (ut dictum est) ante decimũquintum annum completum subiit, id prudentiæ Superiorum relinquitur. Sicut enim is, qui ante completum decimumsextum annum defectu ætatis professionem non potest emittere, cogitur expectare, eàdem ratione, eodemque defectu, cogetur expectare, qui (ut prædictum est) ultimum annum completæ ætatis ad decimumquintum prævenit; qualiter autem reliquo tempore se habere possit, attentâ ejus voluntate & dispositione, Superiores cum eo decernere possunt. Ad evitandas omnes difficultates securius est non permittere Probationis annum nisi sit annus ille qui in completam ad professionem ætatem terminatur.

Quid agendum cum eo tempore isto intermedio.

QUÆSTIO III.

Qua habilitas requiratur in Novitio, ut ad Probationem & Novitiatum legitimè admittatur?

CONCLUSIO UNICA.

Habilitas qua requiratur ad Novitiatum.

OMnis habilitas, *qua requiritur in persona, ut validè & legitimè profiteatur, illa proportionaliter requiratur, ut annum probationis subeat, etsi non eàdem certitudine, vel obligatione.*

Ratio est: Quia qui legitimè annum Probationis init, illum sic inire & subire censetur, ut præsupponatur habere qualitates & habilitates requisitas, cùm quibus possit profiteri, si ita libuerit: qui enim certas inhabilitates haberet ad professionem, frustra probare intenderet, aut probari permitteretur. Probatio itaque in Novitiatu ad duo ordinatur. 1. ad ipsius qui probatur firmandum propositum, per experimentalem cognitionem & scientiam habilitatis suæ ad onera Religionis portanda. 2. ad Religionis securitatem, ut etiam experientiâ cognoscat & experimentum toto anno accipiat de Novitii ad Religionem habilitate: frustra autem quis experimentum quæreret habilitatis in aliquo, quem prius inhabilem nosset. Unde in praxi Religionis, ante susceptionem habitus Novitiorum diligens demandatur inquisitio fieri: An Novitius induendus sit fidelis & Catholicus? Animo promptus; ita ut liberè absque aliqua vi vel metu, sed firmâ voluntate ingrediatur; Matrimonio consummato non ligatus? Ætatis competentis? & aliæ omnes qualitates investigantur, quę ad professionem futuram (si perseveret) pertinere noscuntur. De quibus posteà cùm de professione agemus.

Probatio in Novitiatu ad duo ordinatur.

Dixi (*proportionaliter*) Quia non omnes conditiones in Novitio requiruntur, quæ in professo. Potest enim fieri, ut qui vi vel metu Novitiatum aggreditur, posteà voluntate maturâ in melius Probationis annum prosequetur: Quin immò, qui animo ficto & aliud intendente Novitiatum aggressus est, eo ipso quo onera Novitiatus tulit, & in iis probatus est (etsi voluntate fictâ aut contrariâ) si posteà etiam ad finem anni voluntatem mutet, & liberam ac firmam profitendi habeat, potest profiteri, & annus Probationis etsi sinistrâ voluntate peractus, ei computari debet. Ratio est, quia annus Probationis nil dicit [illegible] experientiam, tam ex parte probantis, quam ex parte Religionis de sufficientia Novitii ad Regulæ observantiam: Ille autem, supposito quòd verè probatus toto anno, ut alii, fuerit, & onera subierit, verè annum probationis subiit, etsi non integrâ intentione, quæ hîc attendenda non est, modò in professione veram intentionem, & liberam ac firmam voluntatem habeat profitendi. Et ita aliæ conditiones proportionaliter sunt expendendæ.

Unde iterum dixi (*etsi non eàdem certitudine vel obligatione*) Non quidem certitudine, quia probationi & experientiæ exponitur in Novitiatu: Non obligatione, quia nullam ex Novitiatu is, qui probatur, obligationem novam habet quamdiu probatur, sed tantùm obligationes novas sortitur, dum

stum professionem emittit. Dico (Novam) Habet enim obligationem Christiani Hominis, vel alterius etiam conditionis particularis, quas prius habebat. Unde sub peccato mortali tenetur qualitates suas ad Religionem requisitas, vel etiam Religioni adversas, aut nocivas (si vult perseverare) aperire, communi obligatione Hominis Christiani, quâ prohibetur mentiri, vel tertium in re gravis momenti decipere. Unde Novitius, qui suas inhabilitates ante professionem tacuit, Spiritui sancto mentitus censetur, & decipiendo Religionem, non tantum peccatum mortale commisit, sed etiam ad damnum compensandum tenetur, nisi ei remissio fiat. Quare si post professionem inhabilitas deprehendatur, siquidem ex dirimentibus sit, tamquam non professus dimitti potest; Si autem inhabilitas professionem non dirimat, vel annullet, potest in pœnam facti & deceptionis ejici à Religione, aut alio modo puniri, ut ordini nostro concessit Leo X.

QUÆSTIO IV.

An Novitii in certo loco probari debeant?

Decretū Clementis VIII. de receptione Novitiorū pro Italia &c.

ADvertendum Clementem VIII. anno 1596. 12. Martii edidisse quoddam Decretum pro Italia & Insulis adjacentibus, quibus interdicit & prohibet, ne Novitij possint recipi deinceps nisi in conventibus à S. Sede designandis; idque sub pœnis privationis officiorum, & vocis activæ & passivæ &c. à Superioribus incurrendis: Annullando & irritando omnes Receptiones & professiones aliter factas, quod Decretum iterum renovavit & explicavit an. 1599. die 20. mensis Junii. Deinde aliud Decretum dedit super modo Receptionis & Educationis in dictis Monasterijs designatis vel designandis anno 1602. die 19. Maij, & constitutiones promulgavit anno 1603. 19. Martij.

Verum cum illæ constitutiones & decreta fuerint tantùm pro Italia & Insulis adjacentibus, de illis disputare superfluum duximus, omnia ad praxim illarum Regionum remittentes, contenti Decretis in his Provincijs & Regionibus receptis & usurpatis.

CONCLUSIO I.

SAnctum & laudabile est Conventus aliquos designatos habere ad institutionem & educationem Novitiorum, extra quos nullus Novitius recipiatur. Ita practicatur in Religione nostra, & Ordinibus Reformatis.

Ratio est: Quia firmiùs, utiliùs & majori fructu, ac uniformitate Novitij sic educantur; aliàs diversa educatio in diversis locis dispares interdum mores & inclinationes causat, non sine multa confusione & animorum dissipatione.

CONCLUSIO II.

NOn minùs fuit rationabile & fructuosum Decretum alterum Clementis VIII. quo voluit, ut in quolibet Conventu, pro Novitiorum educatione designato, locus sequestratus pararetur, propriâ Clausurâ a parte Conventus & Monasterij, in quâ degunt professi, munitus, in quo essent communes cameræ ad spirituales collationes, calefactionem, oratorium ad ceremonias &c. in separatim possent Novitij exerceri, ut bene deducitur in Decreto anni 1603. 19. Martij.

Ratio est, quia ita meliùs Novitij probantur, mortificantur, docentur, nec quod illos offendat videre possunt, cum tantùm in choro, & communi in congregatione compareant; ut experimento discere possunt, qui loca talia pararunt.

CONCLUSIO III.

HAbere igitur Conventus designatos, & Novitiatum à communi conversatione professorum separatum Regularis est forma: Non habere autem & in singulis vel pluribus Novitios communiter probare, magno Religioni detrimento semper extitit. Et quamvis extra Italiam non obligent ista Clementis VIII. Decreta; formam tamen præscripserunt disciplinæ Regulari, pietati, & profectui spirituali aptissimam, & velut necessarium sanctæ reformationis seminarium. Relinquo judicium omni prudenti supradicta decreta Magni Pontificis legenti.

Commēdantur ista decreta.

CONCLUSIO IV.

OMnis Novitiatus debet de necessitate transigi in aliquo Monasterio sive Conventu, nisi dispensatio singularis S. Sedis intercedat.

Ratio est: Quia probatio Novitii est non tantum passiva, sed etiam activa, id est, quâ seipsum probet, & quâ à Religione probetur, ut idoneus ac sufficiens judicetur, & soli illi admittantur, *Qui*, sicut loquitur Nicolaus III. Extrav: *Exiit qui seminat*, circà finem: *suffragantibus eis litteraturâ, idoneitate, vel aliis circumstantijs possint utiles esse Ordini, sibiq; per vitæ meritum, & alijs proficere per exemplum.* Quomodo autem ista probatio extra Monasterium & Congregationem Religiosam fieri possit, non video. Ideo lubens recedo ab ijs, qui ex proprio genio affirmant aliquo saltem tempore Noviriatum posse extra Monasteria fieri; aliquibus magnam partem anni; aliquibus dimidium; alijs tres; alijs duos menses permittentibus: Sed omnino censeo No-

vitiatum

vitiatum debere ex natura sua transigi in aliquo Monasterio, vel congregatione Religiosa, quæ Novitium probare possit: nec dispensari in eo posse, nisi magna & gravi causa. Moveor, quia ex Summorum pontificum, specialiter Clementis VIII. judicio adeò fuerunt necessarii Conventus designati pro Novitiatu, ut Receptiones & professiones extra illos factæ annullarentur, & irritæ redderentur; quid ergo arbitrari & supponere possumus de probatione extra Monasteria quæcumque facienda, nisi illam à pontificibus condemnandam? Hoc unum satis scio, talem probationem & Novitiatum multis periculis, scandalis, & damnis subjacere, ac aperire januam multis relaxationibus. Quapropter meritò existimo Receptiones vel professiones post talem Novitiatum factas nullas esse; & nisi legitima dispensatione firmetur, esse contra essentiam veri Novitiatus, ob rationes suprà citatas, sic extra Monasterium & Congregationem Religiosorum probari. Quin immò censeo Superiores multis peccatis se intricare, & Religiones gravioribus exponere, qui tales Novitiatus absque dispensatione & judicio S. Sedis admittunt, & absque causis urgentibus, ut aliquando permittitur in Missionibus, & locis infidelium, vel hæreticorum dominiis subjectis.

QUÆSTIO V.

An Novitiatus debeat necessariò transigi in habitu Religioso?

Conclusio Unica.

Novitiatus debet necessariò agi in habitu Religioso.

Novitius debet necessariò probari in habitu pro novitiis determinato, & in qualibet religione conflicto.

Hoc probant omnia Decreta Conciliorum & pontificum, quæ dum de Novitiatu loquuntur illum semper computant à die suscepti habitus, Supponendo in ingressu ad Novitiatum singularem habitum, Religioso similem & à Religione approbatum, ac ab habitu professorum aliquo signo distinctum, semper Novitiis concedi. Unde sunt etiam solemnes illæ Quæstiones apud Theologos & Canonistas super gestatione habitus professorum à Novitiis, *An nimirum per hanc gestationem implicitè professi censeantur?* Et in omnibus ordinibus & Religionibus (exceptâ Societate JESU) praxis communis de habitu Novitiorum indicat necessitatem & naturam rei. Addo humilitatem, austeritatem, disciplinam Religiosam non posse benè probari, nisi habitu Religioso simili. Et in Decretalibus l. 3. tit. 14. de Regularibus & transeuntibus ad Religionem in 6. supponuntur omnes transeuntes ad Religionem induere debere habitum, vel similem professorum, vel distinctum, Regularem tamen. Vide cap. *Is qui*, ubi dicitur: *Distinctos quoque, & dissimiles intelligimus esse habitus, sive Novitus, sive Professu dissimiles vestes dentur; sive benedicantur cum professionibus concedantur, sive etiam aliquid aliud fiat, per quod Novitiorum, à Professorum habitu discernatur.* Ex quibus infero, Novitiatum in habitu sæculari transactum non censeri verum Novitiatum, & professionem sequentem irritam esse, nisi legitima dispensatione nitatur.

QUÆSTIO VI.

An annus Novitiatus debeat esse completus, & quæ ad verum anni Probationis complementum requirantur?

Conclusio I.

Annus novitiatus debet esse completus. Trident.

Annus Novitiatus debet esse integer & completus. Textus Concilii Tridentini, sess. 25. de Regularibus, c. 15. clarus est. *In quacumque* (ait) *Religione tam virorum, quam mulierum, Professio non fiat ante decimum sextum annum expletum: nec qui minore tempore quàm per annum post susceptum habitum in Probatione steterit, ad Professionem admittatur.* Et procedens ad annullationem: *Professio autem* (inquit) *antea facta sit nulla, nullamq; inducat obligationem, ad alicujus Regulæ vel Religionis, vel Ordinis Observationē, aut ad alios quoscumque effectus.*

Ex quibus verbis Constat 1. de complemento anni Novitiatus ad professionem validam necessario.

2. Omnia in Decretalibus contenta de professione ante annum completum, contra hoc anni complementum militantia esse cassata & abrogata per novam legem Concilii Tridentini. Unde derogatum est cap. *Is qui Monasterium*, & cap. *Constitutionem*, de Regular. in 6. & aliis, quæ passim reperiuntur.

3. Quæ de professionibus implicitis traduntur à Doctoribus per gestationem habitus professorum, per fixum propositum & Votum Religionis profitendæ &c. jam cessare, nullamque obligationem, ne quidem Voti simplicis, remanere in eo, qui ante completum Novitiatus anni professionem emitteret; Omnes denique effectus cujuscumque professionis cessare, sublato vel deficiente completo probationis anno. Unde iterum censentur omnia abrogata, quæ in Decretalibus Tit: de Regular. passim contra hoc Decretum Concilii Tridentini reperiuntur.

* * *

Con-

Conclusio II.

Quis computus requiratur ad integritatem anni.

Ad annum completum Novitiatus requisitum pro Professione valida sequentia requiruntur.

Primò *Computus integer à die legitimè suscepti habitus usque ad diem anniversariam, quæ quoad numerum dierum annum compleat.*

Dixi, (*à die legitimè suscepti habitus*) Nimirum ad inchoationem Novitiatus, quem diximus suprà inchoari legitimè non posse, nisi consensu & facultate Prælati, ad quem Receptio Novitiorum spectat.

Dixi (*usque ad diem anniversariam, quæ quoad numerum dierum annum compleat*) Ut excludatur computus à festo mobili ad aliud festum mobile, vel à festo translato ad festum non translatum, & è contrà. Dies autem illa debet mathematicè sumi, unde & anni Bissextilis non est ratio habenda, sed dies anniversaria semper sumenda est, dies enim illa superaddita est ad supplementum aliquot horarum cursus solis ex quatuor annis præcedentibus.

An verò etiam habenda sit ratio mathematicæ horæ, ita ut qui hora 10. diei septimæ Martii, anno 1648. suscepit habitum, non possit die septima Martii hora nona sequentis anni 1649. profiteri? Super hac Quæstione respondi in Expositione nostra Regulæ S. P. N. Francisci, ad c. 2. tit. 2. q. 4. non esse attendenda momenta mathematica, aut astrologica horarum, sed sufficere, ut quis die anniversaria simpliciter profiteatur. Ratio mea fuit; Quia in re morali illa non possunt nec debent considerari, utpote ratione horologiorum, immò & astrologicarum observationum fallibilia & incerta, sive ex arte, sive ex instrumentis, sive ex horologiorum, sive eorum, qui illa regunt, defectu. Et (ut ibi notavi) sex ad minùs horæ in quolibet anno superfluunt, quæ in Bissextili reponuntur, quæ ennumerandæ essent & expectandæ. Vide Emmanuelem Rodriguez tom. 3. q. 15. art. 4. & 5. Nostræ Constitutiones jam indixerunt diem Professionis in diem sequentem anniversariam, non ex scrupulo aut approbatione Sententiæ contrariæ, sed ad præcludendas reclamationes dolosas & impertinentes eorum, qui sectari fingerent opinionem alteram de horis & momentis.

Quòd autem ex Privilegio Pii V. permissum sit Novitiis Monialium Ordinis S. Dominici, & demum aliis aliorum Ordinum communicatum, ut si habeant ætatem legitimam liceat ipsis in articulo mortis constitutis non completo anno Probationis Professionem emittere: Intelligendum est tantùm pro solatio & consolatione animæ, ac merito promptæ voluntatis id fuisse concessum, ad finem lucrandi indulgentias, & fruendi privilegiis spiritualibus, quæ professis sunt data; non autem ad aliquam obligationem futuram, si convalescant. Ita enim expressa verba Bullæ continent; Causa enim impetrandi Privilegii proposita fuit: *Quia Novitiæ morientes carerent cælesti merito, quo ex dono & benignitate S. Sedis Apostolicæ cateræ dicti ordinis Moniales professæ in dicta Professione & Regula discedentes gaudent.* Unde juxta postulationem concedit pontifex: *ut quando & quoties aliqua ex iis nondum professa de alicujus medici consilio ab hoc sæculo transitura conspicitur; ipsa pro consolatione animæ suæ Professionem prædictam, ante tempus requisitum (quatenus tamen in ætate legitima constituta sit) in manibus Abbatissæ emittere in articulo mortis liberè valeat.* Effectum autem hujus Professionis unicum exprimit & declarat ibidem: *Ita tamen quòd ipsæ Moniales novitiæ sic decedentes indulgentiam & alias gratias, quas Moniales verè professæ decedentes consequuntur, consequi possint &c.*

Unde Infero 1. Novitias in articulo mortis prætenso sic ex Privilegio Pii V. professas non obligari ad Vota & Regulam, si convaluerint, nisi compleant annum in Probatione, & completo anno Professionem emittant juxta leges Religionum. Ratio est, quia Privilegium Pii V. in nullo derogat legi Concilii Tridentini, nec ad effectum ullum Professionis in externo foro validæ refertur, sed tantùm ad *animæ consolationem, & gratiarum* & indulgentiarum pro felici morte acquisitionem.

Infero 2. Ubi convaluerint, si verè Religiosæ esse velint & Religioni incorporari, debere reliquum tempus probationis absolvere & professionem denuò emittere, estque liberum Religioni eas acceptare, vel causa rationabili ad sæculum remittere: Potest enim contingere illas ex morbo ita infirmas & imbecilles fieri, ut onera Religionis non possint deinceps portare, vel aliàs ad Religionis Statum per præcedentem infirmitatem inhabiles reddi.

Infero 3. Si Novitia sic professa ante annum completum moriatur, Monasterium (aliàs capax) non succedere in bonis eis, quidquid aliquando affirmaverit immeritò Sanchez: nihil enim operatur ista professio in externo, aut conscientiæ foro, sed tantùm (ut dictum est) *ad animæ consolationem* in Bulla expressam ordinatur.

Quæ continuitas Anni ad Professionē requiratur

Secundò, Requiritur pro Professione valida, *annus continuus & non interpolatus, interpolatione scilicet, quæ moraliter repugnet Probationi.* Ita declararunt Cardinales Concilii Tridentini Interpretationibus præpositi, estque antiquo juri conformis, c. 16. *Ad Apostolicam* de Regularibus: Ubi Pontifex asserit *Tempus Probationis à sanctis Patribus esse indultum non solùm in favorem conversi, sed etiam Monasterii, ut & ille asperitates istius, & illud mores illius valeat experiri. Quod (inquit) utrumque diligenter est observandum præsertim cùm ab utroque de reliquo facta certa notitia non habetur.* Itaque si interpolatio moraliter

raliter impediat continuationem Probationis, reddit annum in formalitate sua, sive quatenus Probationis annus est, incompletum ratione discontinuitatis, quia tempore discontinuitatis Probatio supponitur defecisse. Nec confert aliquid Privilegium Julii II. à Roderiquez in Bullario allegatum, quo conceditur Prælatis Fratrum Minorum, ut super continuatione dispensare possint si id expedire judicetur. Privilegia enim omnia, quæ concilii Tridentini Decretis in sess. 25. de Regularibus adversantur c. 22. ejusdem sessionis abrogata sunt. Et Statuta Fratrum Minorum, quæ Barchinonensia dicuntur, cap. 1. §. 11. sanxerunt his verbis: *Ad cujus Concilii puriorem observantiam statuimus, ut Novitii annum continuum in Probatione permaneant: ita quòd si ex aliqua causa Conventum exeant cum habitu, vel sine illo, nisi ratione translationis ad alium Conventum, & postea redierint, non computetur eis tempus quo anteà in Probatione steterunt, sed denuò annum Probationis incipiant.* Quæ constitutio posteà in Revisione segoviæ anno 1621. facta (cui Recognitioni interfui) iisdem verbis repetitur. In Revisione autem iterata & accommodata Provinciis Belgicis à SS. Domino nostro Urbano VIII. expressioribus verbis sic ponitur, eodem cap. §. 11. *Ad cujus Concilii puriorem observantiam statuimus, ut annus Novitiatus sit continuus & non interpolatus: Nec Novitii Conventum exeant ullo modo, sive cum habitu, sive absque illo, nisi ratione translationis ad alium Conventum, aut inevitabilis causa authoritate R. P. Ministri, cum consilio P. Guardiani & Discretorum approbandæ, aliàs vel omnino demittantur, vel annum Probationis de novo incipere cogantur.* Quæ omnia refero, non ut quæ apud alias Religiones fiunt dijudicem, sed ut nemo confidat Privilegio Julii II. pro nobis Fratribus Minoribus dato: Quia receptum non fuit in ordine, sed semper judicatum Tridentino Concilio adversari, adeoque revocatum esse.

Porrò Dixi non posse annum Probationis interpolari *Interpolatione quæ repugnet Probationi.* Duplex enim hic Interpolatio intervenire potest. Alia, quæ stat cum Probatione, estque Probationis quidam effectus. Alia quæ Probationem omnem interrumpit, & moraliter Probationi repugnat.

2. Duplex etiam causa Interpolationis evenire potest: Alia necessitatis, & quæ in humana dispositione nostræ libertatis nõ est, ut cùm Novitius in infirmitatem & morbum diuturnum incidit, aut ab hostibus Monasterium invadentibus violenter ejicitur, aut capitur. Alia est meræ voluntatis & nostræ dispositionis, cùm aliter fieri possit, Sint igitur Regulæ Generales.

REGULA GENERALIS. I.

Interpolatio continuata cũ Probatione, assistens non discontinuat Probationis annum.

Interpolatio quæcumque, qua Probationi non adversatur, sed cum illa consistit ut ejus pars vel effectus, continuare censetur annum Novitiatus, adeòque propriè Interpolatio dicenda non est.

Explico: Superior mittit Novitium cum aliquo Patre ad mendicationes per aliquod tempus faciendas, ut ejus humilitatem, modestiam, promptitudinem, fortitudinem probet. Item: mittit laicum Novitium ad aliquas operas Conventui necessarias extra Conventum cum alio ad quindenam, ut experiatur ejus industriam, fidelitatem & robur. Item: permittitur Novitio sequestratio ad aliquod hebdomadas in cella solitaria, extra exercitia Communitatis, ut probetur ejus pietas, & in jejuniis & oratione exercitetur. Item: separatur Novitius, ut peste infectis Religiosis pro aliquo tempore inserviat: Illi, etsi pro tempore non probenrur à Communitate in exercitiis communibus, non censentur interpolare annum Novitiatus & probationis suæ.

Ratio est: Quia illa, quibus impenduntur, verè sunt Probationis partes, & effectus, & ad Probationem pertinent; si tamen ad finem illum fiant, & non ad dispa ratum alium à Probatione effectum, & (ut supponitur) in necessarium obsequium Conventus fiant.

REGULA II.

Interpolatio inevitabilis superveniens à casu non discontinuat per se annum Probationis.

Interpolatio quæcumque superveniens à casu, qui in potestate nostra non est, sive qua inevitabilis est, non censetur per se anni Novitiatus Probationem discontinuare.

Explico exemplis suprà allatis. Novitius tempore probationis in infirmitatem gravem incidit, qua pluribus mensibus decumbit. Item; violenter à Monasterio ab hostibus extrahitur, & detinetur aliquamdiu.

Ratio est: Quia fortuiti casus sub legem non cadunt; & tam morbus quàm violentia hujusmodi sunt vera Religiosæ patientiæ experimenta & probationes. An verò etiam Novitius in morbum incidens in domo sæcularium vel parentum curari possit salvo Novitiatu? Cum distinctione puto Respondendum. Si enim in Monasterio curari possit, non credo posse ad domos sæcularium mitti; Si autem moralis necessitas urgeat, ut in domo sæcularium curetur, videtur necessitati cedendum sicut & in morbo, ut interpolatus annus non judicetur. Ratio hujus Responsionis est: Si enim in Monasterio Novitius curari possit, nullaque alia necessitas urgeat, já cẽsetur volũtaria Interpolatio Probationis, per quam infirmi patientia, genium, robur animi, pietas &c. innotescere Conventui poterat, si in Monasterio curatus esset, illo

Illo enim tempore probari poterat: Hæc autem Probatio interpolatur dum in domo sæculari extrà Monasterium infirmus curatur. Si verò necessitas urgeat, ut in domo sæculari curetur, interpolationem necessitas excusat, vel magis absorbet, quia supponitur non potuisse aliter probari.

REGULA III.

Quæ interpolatio nedùm à... Probationi distinnuam.

OMnis interpolatio, quæ probationi Novitij & communitatis non est conjuncta, & à voluntate mera Superioris pendet, continuati anni Probationis planè adversatur, & discontinuum reddit, adeoq; Professionem impedit ac dirimit, nisi ratio facti, aut brevitas temporis in moralibus excuset.

Explico: Superior accipit Novitium in socium, ut ad ejus notos vel cognatos excurrat, ut iter faciat vel emittit ad aliqua opera, etsi utilia, non tamen necessaria &c. Talis, si notabili aliquo tempore absit, vel sæpiùs brevis absentia reperiatur, non facit annum continuum Probationis, sed tenetur illum resumere, aliàs inval dè profitetur.

Ratio est; Quia annus Probationis (ut formaliter Probationis est & esse debet) non est integer & completus, cùm (ut supponitur) notabili tempore à communitate sive Conventu Fratrum solitis exercitijs Novitius non probetur, & facillimè fictio aliqua intercedar, dum aliquo tempore notabili ab exercitijs, eorumque continuatione cessatur. Nam ut ex cap. *Ad Apostolicam*, suprà notavimus: *Tempus probationis ad hoc à Patribus indultum est, ut Conversus Monasterij austeritates, & Monasterium Conversi sive Novitij mores valeat experiri.* Quod fieri non potest in diuturna, vel frequenti absentia.

Dixi supra in Regula (*nisi ratio facti, aut brevitas temporis in moralibus excuset.*) Ratio enim facti ob necessitatem vel causam gravem interdum à Lege excusat, vel eam interpretatur per epikejam rationabilem, modò aliàs probatio sufficiens subsistat. Hac ratione fulciuntur aliquæ emissiones Novitiorum, ut translatio ad alium Conventum; egressus Novitij ante vota ultima ad disponendum de rebus suis, & comparendum coram Magistratibus, ubi hoc ipsum est requisitum; & alij plures casus occurrere possunt. Brevitas etiam temporis in absentia ad aliquot horas vel etiam dies, si per Obedientiam, & judicium Superioris fiat cum non multùm deroget in moralibus probationi substantiali & requisitæ, & modò unica sit, non videtur discontinuum facere annum in probatione, supposito quòd sufficienter aliàs probetur ab ipso conventu; quæ omnia prudenti judicio trutinanda sunt.

REGULA IV.

IN omnibus casibus, etiam necessitatis inevitabilis, si prudentum judicio, ob diuturnitatem morbi, vel alterius casus fortuiti, non videatur Novitius sufficienter probatus, potest differri professio, & probatio extendi ad aliquot menses, prout visum fuerit ad sufficientem utrimque probationem expedire. Sic declararunt Cardinales concilii interpretes auctoritate Pij V. nimirum: Decretum Concilii Sess. 25. de regularibus, c. 16 in quo decernitur *quod finito tempore Novitiatus Superiores, Novitios quos habiles invenerint, ad profitendum admittāt &c. tātū procedere in Novitijs, qui elapso anno habiles inventi fuerint non vero inhabilibus, quorum professio usque ad sex menses potest prolongari, dummodo intra id tempus spes habeatur, quod efficientur habiles.*

Quam declarationem refert Parafellus l. 6. Privileg. folio 130. citatus ab Hieronymo Rodriguez Resolut. 101. n. 62.

Et hæc sufficiant ad Novitiatus Religiosi sufficientem notitiam: De peccatis Novitiorū non ago, quia in quantum Novitij sunt, nullam specialem obligationem habent, præter eam, quæ est Præceptorum Dei, & Ecclesiæ.

TITULUS II.

De legitima Novitiorum Professione.

QUÆSTIO I.

Quid sit Religiosa professio?

CONCLUSIO.

Professionis religiosa descriptio.

PRofessio Religiosa, sic describi potest: *Traditio voluntaria suiipsius à persona idonea & capace, Deo & Religioni approbata facta, per emissionem trium Votorum essentialium secundum Regulam approbatam, à legitimis Superioribus nomine Religionis & Ecclesiæ acceptata.* In hac descriptione continentur virtute omnia, quæ ad religiosam, & solemnem professionem spectant, prout subjectis Paragraphis explicantur.

§ 1.

Traditio voluntaria.

HÆc *Traditio* est basis totius Professionis; In hoc enim distinguitur *Votum solemne* à *simplici*, quoad actus fundamentum quòd *votum simplex* sit promissio quædam cum intentione se obligandi Deo facta, sive per Castitatem, sive per Obedientiam, unde & obligatio nascitur? sed *Votum solemne* est quædam actualis *Traditio*, quia non solum qui profitetur se Deo & religioni per promissionem addicit, sed etiam de facto, & executivè se tradit in promissorum adimpletionem.

Dicitur autem *Voluntaria*, id est, quæ liberâ voluntate fit, citra injustam coactionem: Unde & omnis professio, metu gravi etiam reverentiali injustè incusso facta, nulla est. Dico (*incusso*) Si enim non incutiatur, sed ex mera infirmitate timorem sibi ipsi profitens causet, id sibi imputare debet, si causa aliqua extrinseca incutiens non appareat. Dico etiam (*injustè*) Quia contingere posset, ut quis à Judice justè ad Religionem profitendam cogatur, ad evitandam sententiam mortis, vel infamiæ gravis, aut similis pœnæ; est enim talis professio ex supposito voluntaria, sive libera, & involuntaria secundùm quid: quia ad evitandam mortem, qui sic profitetur, voluntariè vult, & profitetur.

§. 2.
Sui-ipsius.

Qui profitetur quodo seipsū tradat.

TRadit enim, qui profitetur, *seipsum*, & velut à se seipsum abdicat, & in alium transfert, in obsequium Dei & Religionis. Vide quæ diximus *de Holocausto* in Superioribus.

§. 3.
A persona idonea & capace.

Idoneitas personæ quomodo expendida.

ILla autem idoneitas, & capacitas expendenda est, tam respectu personæ, quàm respectu Status Religiosi, cui se addicit; ut nimirum qui profitetur, & sibi per vitæ meritum, & Religioni ac Deo deservire per debitū obsequium, & observantiam obligationi valeat. Unde sicut in matrimonio nonnulla sunt Impedimenta dirimentia Matrimonium, alia impedientia dumtaxat; ita in professione Religiosa: de quibus infra.

§. 4.
Deo & Religioni approbata facta.

Professio religiosa est actus virtutis religionis.

NAm (ut in Superioribus) professio Religiosa est actus Religionis virtutis, immediatè Theologicas consequentis, quâ se profitens mancipat Deo & Religioni propter Deum Ac Religioni quidem approbatæ, nam professio facta in quacumque Congregatione, quæ approbata non est (ut fuit congregatio Jesuitissarum per Urbanum VIII. prohibita. & abolita) non est professio Religiosa, sed ad simplicia Vota reduci debet.

§. 5.
Per emissionem trium Votorum Essentialium secundùm Regulam approbatam.

Omittens in professione unū ex essentialibus votis nō cēsetur professus.

SIcut enim tria Vota *Castitatis*, *Obedientiæ*, & *Paupertatis* sunt de Essentia Religionis, sic sunt de Essentia Religiosæ professionis, unde qui omitteret unum Votum non censetur in Religione professus. Omissio autem illa deberet esse clara, & explicita, ita ut sub aliqua generali particula non contineretur; Quod dico propter professiones in Ordine SS. Benedicti & Bernardi, & aliquarum aliarum Religionum, in quibus non exprimuntur singula vota, sed generaliter promittitur: *Emendatio vitæ, & morum secundum Regulam S. Benedicti &c.* Ita ut per istud *secundum Regulam S. Benedicti* expressa censeantur Vota Castitatis, Obedientiæ, & Paupertatis, quæ sunt basis, & fundamentum regulæ: Tota enim regula refertur ad eorum observantiam & directionem.

Addidi autem (*secundum Regulam approbatam*) Hæc est enim conditio requisita à Bonifacio VIII. l. 6. c. unico de Voto; & Voti redemptione, & confirmata in Concilio Lugdunensi sub Gregorio in c. fin. de Religiosis Domibus, & ita tenent communiter Doctores, quos vide citatos apud nostrum Emmanuelem Rodrig. Tom. 1. qq. Regular. q. 1. art. 2. Ubi absolutè tenet eum, qui tria Vota emitteret in quacumque congregatione, absque professione alicujus regulæ approbatæ, etiamsi habitum aliquem similem Regularibus gestaret, & sub Obedientia aliquorum viveret, non censeri Religiosum, nec professionem religiosam emisisse. Oportet enim ut fiat professio secundùm aliquam regulam approbatam, & in religione approbata. Juxta quam doctrinam aliquando interrogatus de quibusdam Oblatis & Conversis in Ordine Cisterciensi, qui habitu quodam Religiosis simili utuntur, & Obedientiæ religionis ac Prælatorum se tradiderunt, hâc aut simili forma: *Pater promitto tibi obedientiam de bono*. Respondi tales non esse veros Religiosos, vel Religiosas: Quia Vota Essentialia per se non permittunt; sed tantum Obedientiam de bono, id est licito, & quamvis Castitatem simul & Paupertatem exprimerent; nullius tamen regulæ probatæ, ad quam se adstringant, mentionem faciunt.

Et eodem modo resolvendum censeo, de nonnullis, quæ formam quandam religiosam in habitu, & moribus, ac congregatione servant, Hospitalibus & piis domibus servientes: Vota enim quædam emittunt, ac vivere juxta constitutiones domus, in qua vivunt, pollicentur: Illæ tamen vere religiosæ non sunt quia nullam regulam approbatam ab Ecclesia habent, secundùm quam vivere se promittant. Quidquid itaque sit; Vota si quæ emittunt, simplicia tantum sunt, & si quid in habitu, & moribus religiosas constitutiones sapit, analogicum est & similitudinarium, non autem verè religiosum.

Ad hoc genus pertinēt nonnullæ Exitrices, sive Servitrices apud conventus Monialium foris remanentes, nisi professionem sub aliqua Regulâ approbata emittant, & Ordini sive Religioni approbatæ incorporentur.

* *
*

§. 6.

§. 6.

A legitimis Superioribus nomine Ecclesiæ & Religionis acceptata.

Quis valeat professionis vota acceptare.

QUi sint Superiores, qui ad professionem Novitios recipere, & religioni incorporare possint, id ex cujuslibet religionis legibus pendet. In aliquibus enim soli Provinciales. In aliis Abbates & Priores: In aliis soli Abbates: Apud nostros etiam Guardiani Novitiatuū, &c. Apud non Exemptos Episcopi. Hæc tamen scire necesse est.

1. Superiores de lege communi non posse recipere ad Professionem, nisi consensu majoris partis Conventus Novitius sit admissus; sive in ejus Professionem consenserit.

Ratio est, quia cùm contractus in incorporatione Religiosi sit mutuus inter religionem & Profitentem, injustè quis incorporaretur religioni, ipsâ non consentiente, vel etiam repugnante, cùm utrimque nascatur obligatio religionis ad Profitentem, & Profitentis ad religionem.

2. Inferiorem Prælatum non posse incorporare religioni, si Pontifex aut Superior contradicat & prohibeat: Unde dixi (*nomine Ecclesiæ & Religionis*) in receptione enim eminentèe Ecclesia & Religio concurrit. Unde Pontifex summus validè statuit impedimenta dirimentia Professionem, & religio juxta subordinationem Capitum & Superiorum, suspendit interdum justis de causis consensum etiam ab inferioribus datum, quamvis regulariter absque alio recursu ordinarii Prælati, communi religionis consensu, Professiones recipiant, & religioni incorporent: nisi aliud lege vel prohibitione speciali dispositum sit.

Dubitatum porrò nonnunquam fuit: *An Abbatissa Monialium possent Moniales ad Professionem recipere*: eò quod receptio Professionis sit quidam actus jurisdictionis spiritualis clavium.

Respondeo nihilòminus: Posse ministerialiter recipere, operante in illis potestate Superiorum, quorum licentiâ & virtute censetur recipi Professio, & Novitia incorporari religioni. Unde & ex Regula primâ S. Claræ Abbatissa recipit, & apud Moniales Annuntiatas (quia fit Professio intra crates) Profitens emittit vota in manibus Abbatissæ, sive Matris Ancillæ, quæ ministerialiter recipit vota.

Recipiunt igitur Abbatissæ vota 1. Superiorum, qui jurisdictionem spiritualem habent, & religioni præsident, permissione & consensu: Ipsorum enim est consentire in professiones, & ab eis virtus incorporationis in religione procedit. 2. Tamquam familiæ & Conventus Matres & Capita, quibus primariò nomine totius Conventus & membrorum Communitatis competit proportionata sibi receptio. 3. Tamquam altera pars contrahentium in formali contractu obligatorio, quo Profitens & Conventus sibi invicem se obligant: Profitens quidem ad perpetuum in monasterio obsequium; Abbatissa autem, aut Superior ad perpetuā sustentationē, qui contractus non excedit œconomicam, & domesticam potestatē Abbatissæ. Vide quæ ex Baculo Pastorali infrà inferimus tr. 5. tit. 1 conc. 1. q. 3. & 5. De potestate Abbatissarum &c. ad recipiēdam professionem Novitiarum: Ubi ostendemus professionem in Ordine S. Benedicti secundum antiquam formam non fieri ne quidem Abbati, sed in præsentiâ Abbatis, tamquam testis, de quo sanctus Bernardus Epist. 7. ad Adam Monachum circa finem. *Notum est* (inquit) *solemniter ac Regulariter profiteri quemque in præsentia Abbatis. In præsentia ergo tantùm, non etiam ad nutum ipsius fit cujusque professio: Testis proinde adhibetur Abbas, non Dictator professionis, Adjutor non fraudator adimpletionis; Vindex, non auctor prævaricationis.* Hinc & 4. modo potest Abbatissa, sive tamquam *Testis* nomine Ecclesiæ & religionis, sive tamquam *Adjutrix* adimpletionis, sive tamquam *Vindex* prævaricationis præesse Professioni.

QUÆSTIO II.

Quæ sunt impedimenta Professionem dirimentia?

CONCLUSIO.

Sex impedimēta dirimētia professionem.

SEx præcipua reperiuntur Impedimenta dirimentia professionem, si ante ejus emissionem in profitente fuisse reperiantur.

1. Est, *Defectus ætatis*: Professio enim ante decimumsextum annum completum ex Tridentino Concilio est nulla, & invalida.

2. *Defectus veri consensus & libertatis*, qui dupliciter accidere potest, aut *ab intrinseco*, aut *ab extrinsecè. Ab intrinseco* aliquis dicitur ut liber, si sit fatuus, mente captus, furiosus, &c. *Ab extrinseco*; si per metum gravem, etiam reverentialem, justè incussum quis profiteatur, aliàs retrocessurus.

De gravitate metus apud Authores variæ Quæstiones fiunt: Ego sanè sæpiùs examinatis terminis; quibus *metus gravis* mensuratur *Metu in constantem virum cadente*, miratus sum ob terminos illos repudiari quemlibet alium metum, qui constantiam & fortitudinem virilem non labefactaret; quasi verò nullus metus homini libertatem, & consensum adimeret, nisi qui aptus esset ad labefactandam constantiam, & fortitudinē virilem.

Dico itaque 1. Metum, qui sufficiens esset ad labefactandam constantiam virilem esse extra omnem dubitationem Impedimentum invalidans professionem religiosam; ita ut *Metus cadens in constantem virum* sit supremus gradus metus, tollens consensus libertatem.

Dico 2. gravitatem metus non sola constantia virili debere mensurari, sed etiam & maximè, infirmitate & conditione personæ, utpote quia puer à virga parentum meticulosè enutritus æquiparatur puella vel mulier.

Ratio est: Quia metus debet mensurari ad effectum cognoscendi involuntarii, sive ad investigandum imbecillitatem, defectum, vel totalem libertatis privationem: Illa autem non cognoscitur nisi ex conditionibus personæ, & circumstantiarum, & quod sæpe non potest metus contra constantiam virilem potest, imò excedit in tremula infirmitate pueri, puellæ, mulieris &c. ita ut frequenter quòd tantum labefactaret libertatem in viro per metum gravem, tollat omnimodam in puero vel puella libertatem &c.

Quis metus vitiet Professionem?

Dico 3. Omnis metus, qui ratione defectus consensus ac libertatis rescindit contractum voluntarium in iis, quæ sunt juris naturæ & justitiæ naturalis, rescindit & Professionem.

Ratio est: Quia Professio includit virtute contractum voluntarium, & obligationem justitiæ inter Profitentem & religionem, quæ obligatio contractu deficiente etiam deficit; deficit autem contractus omni metu libertatem adimente.

Dico denique 4. Libertatis consensus deficientia mensuranda est judicio discretionis practico, ex ipso individuo & individui constitutione, individui firmitate, infirmitate, passionibus, moribus, & circumstantiis tam causarum concurrentium & moventium, quàm personarum concurrentibus, ita ut axioma illud: *Metus cadentis in constantem virum*, sit quidem axioma dirigens theoriam & doctrinam speculativam; Judicium tamen practicum rationis & prudentiæ debeat regulare praxim, consideratis (ut diximus) individui conditionibus, & circumstantiis metus. Et ad hæc quatuor puncta examinanda sunt, quæ de metu ab Authoribus scribuntur. Vide Franciscum Zypæum J. c. Consultat. *De his quæ metu.* Consultatione 1. qui hæc late ex Sanchez l. 4. de matrimonio disput. 3. num. 3. ex Covarruvia, ac aliis probat.

Tertium impedimentum Professionem dirimens est, *Conditio servi aut mancipii*: Talis enim absque Domini manumissione, sicut religioni se obligare non potest, sic nec à religione recipi, & consequenter nec validè Professionē emittere.

Quartum impedimentum est, *Matrimonium consummatum*: Etsi enim Professio per traditionem actualem sui ipsius Deo factam matrimonium ratum annullet: Non tamen si consummatum est, quia qui consummat matrimonium, jam actu possessionem suæ Sponsæ, & ipsa Sponsi accepit.

Quintum impedimentum est, *Obligatio ad ratiocinia publica, sive debitum ingentis æris alieni*, prout in Decreto Sixti V. quod incipit: *Cùm de omnibus*, dato Romæ, anno 1587. continetur, ubi & criminosi & ex incestuoso vel sacrilego concubitu illegitimi, similiter ad religionem inhabiles declarantur, & eorum Professio nulla & irrita decernitur. Sed hic plura advertenda sunt.

1. Ratiociniis publicis obligatos, & ingenti ære alieno gravatos teneri ex justitia suis creditoribus; ita ut huic justitiæ religionis Professio derogare non possit: Unde ex rei natura non possunt se tradere religioni, & consequenter nec tales à religione justè acceptari, quia sui non sunt sed alterius, ita ut è judice possint compelli, ut ad sæculum redeant, si hoc a parte adversaria postuletur.

Advertendum 2. ratiociniis obnoxios & ingenti ære alieno gravatos, si sint facti perpetuò impotentes ad reddendam rationem, vel solutionem debitorum, in foro conscientiæ ad id non teneri, sive propter impossibilitatem à restitutione absolvi, remanere tamen in foro externo pœnis legum obnoxios, idque tantum si a judicibus, parte id postulante, compellantur.

Advertendum 3. Sic impotentes factos, quamdiu non sunt de facto à parte adversa in judicium vocati, reputari liberos, ut se Deo tradant & religioni, ad satisfaciendum pro peccatis suis, & spiritualibus operibus compensandum, quod non possunt ære proprio.

Advertendum 4. Criminosos similiter, quamdiu ad judicium non sunt juridicè delati, liberos similiter esse, ut etiam per viam religiosæ vitæ pro suis peccatis satisfaciant.

Advertendum 5. Religionibus interdum scandalo aut alicui infamiæ imputari, si tales recipiantur, ob lites, quæ moveri possunt, aut difficultates & scandala, quæ suscitantur.

Advertendum 6. Sixtum V. ut his mederetur malis, non declarasse tales absolutè inhabiles, & Professiones nullas, sed tantùm *si temerè admissi essent*, non factis debitis informationibus. Unde Decreta Sixti V. magis in recipientes, quàm in ipsos invehuntur, ut ex textu illorum Decretorum constat: Quæ etiam postmodum, ob supervenientes casus, quoad aliqua ad terminos juris communis per Gregorium XIV. in Bulla, quæ incipit: *Circumspecta Romani Pontificis*, reducta sunt, maximè quæ de illegitimis, etiam ex sacrilego vel incestuoso concubitu, sancita erant, prohibitione tantum renovata de illis, qui Patrem in eadem religione viventem adhuc haberent, &c. Informationes etiam requisitæ modificatæ fuerunt.

Advertendum 7. Illos dici propriè *temerè admitti*, qui absque informatione rationabili, & absque prudenti & discreto judicio, & eorum, ad quos spectat prævio examine & deliberatione admittuntur. Super quibus omnibus consule Emmanuelem Rodriguez tom. 3. q. 9. & seqq.

Qui censeantur temerè admitti?

His

His igitur animadversis, Dico 1. Ratiociniis publicis obnoxiorum, aut ingenti ære alieno gravatorum, sicut & criminosorum, si jam ad judicium vocati sunt, & de facto de eis justitia expetatur, professionem invalidã esse, donec aut partes remiserint, sive cessaverint, aut à judicio absoluti, aut dimissi sint. Ratio est, quia eo tempore quo judicibus sistuntur, sui non sunt; & potestate se tradendi Religioni actu privati sunt: unde non nisi magnâ temeritate recipiuntur, præsumiturque fraus & dolus contra justitiam, ideoque eorũ receptio nulla declaratur.

Dico 2. Si rationabili informatione factâ à Superioribus hujusmodi defectus non appareant ante professionem, & supradictis defectibus obnoxii professionem emiserint, professio valida est, & in foro conscientiæ obligat. Ratio est; Quia (ut dixi) tales non sunt absolutè declarati inhabiles, sed tantùm in quantum temerè recepti essent: Adde Traditionem sui jam factam, & acceptatam, præferri obligationibus prioribus necdum acceptatis; vel manucaptis. Hoc etiam insinuat Sixtus V. dum moderatur informationes fiendas super externis, & qui à patria longè sunt dissiti.

Dico 3. Cùm judicio rationabili & prudenti tales recepti sunt, utpote quia impotentes ad satisfaciendum, aut quia partes adversæ cedunt suo juri, aut criminosi à judicio dimissi sunt, nec apparet aliquod scandalum, immò ædificatio aliqua de eorum conversione speratur, tum professio est valida, nec recipientes pœnas ullas incurrunt. Ratio est, quia tales non sunt absolutè incapaces, & receptio supponitur non temerè, sed rationabiliter facta.

Sextum Impedimentum dirimens professionam est *Morbus Contagiosus*, ut Lepra, Morbus Neapolitanus, sive Gallicus, Morbus etiam Caducus. Sed iterum de hoc variant Authores: Et tantùm hæc impedimenta dirimere professionem asserunt, pro religionibus, in quibus est aliquod statutum dirimens à Summo Pontifice approbatum, quale est in nostra religione Minorum. Et ratio est; quia religio sola non potest statuere aliquod impedimentum professionem invalidans, nisi indirectè negando consensum, vel illum irritando, quod duobus modis evenire potest; *An religio sola possit statuere impedimentum dirimens professionem.* 1. Si fiat protestatio expressa professuro, quòd si inveniatur, tali morbo, vel defectu laborare non intendat religio, vel recipiens nomine religionis eum acceptare: Tum enim, si tali defectu laborans recipiatur, professio ejus ex vi negati cõsensus per expressam protestationẽ est nulla. 2. Per protestationem expulsionis à religione, casu quo hujusmodi morbo vel defectu laboret: Et in hoc casu in pœnam expelli poterit, etsi in foro conscientiæ Professio sit valida. Et ita ex Navarro, noster Emmanuel Rodriguez tom. 3. qq. regular. q. 17. art. 9. Ubi ad hoc refert concessionem Leonis X.

Septimum impedimentum dirimens ad-

dunt aliqui *descendentiam ab Hæreticis, vel Hæresiarchis publicè damnatis, vel quorum statua igni sunt tradita, vel ossa combusta, in certa linea intra quartum gradum.* Ita Paulus IV. & Gregorius XIII. Sed quia pro descendentibus ab infecto genere aliæ sunt religionum diversarum Pontificiæ prohibitiones, ideò hoc impedimentum generale non est.

Advertendum autem: Eos, qui ante hæresim vel infectionem parentum sunt nati, maculam non trahere à parentibus, quia tunc necdum genus supponitur fuisse maculatum. Hæc igitur sunt impedimenta jure communi omnibus religionibus communia, quamvis & alia sint singularium Religionum, quæ etiam dirimunt, quæ Religioni cuilibet relinquuntur investiganda.

QUÆSTIO III.

Quæ sint impedimenta professionem tantùm impedientia?

CONCLUSIO.

VAria juxta cujuslibet Religionis leges statuuntur impedimenta, quæ sive professionem non cassent aut dirimant, non tamen sine culpa, & pœnis recipientibus ac receptis imposi*tis, professio ab illis, qui talibus præpediuntur, emittitur.* *Varia impedimenta professionem impedientia.*

Quadruplicis autem generis potissimùm repetiuntur: Alia namque à *Natalibus*: Alia ab *Infecto vel vili Genere*: Alia ab *Ætate*. Alia, à *Complexione* sumuntur.

A Natalibus quidem I. Ut si recipiendi ex libidinoso, adulterino, sacrilego, incestuoso, aut aliàs illegitimo thoro nati sint, quorum receptionem religionis passim repudiant, quia qui ex hujusmodi thoro nati sunt, aliquam secum maculam portant, & non raro pravis inclinationibus, & moribus inficiuntur. Unde & Sap. 3. *Filii adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur.* Et c. 4. *Spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt.* *Sap. 3. 16.*

Porrò Advertendum est: Sixtum V. aliquãdo annullasse professiones illegitimorum quorumcumque, specialiter si ex adulterino vel sacrilego thoro nati essent: Constitutionem tamen Sixti moderavit, (ut superius diximus) Gregor. XIV. ann. 1591. in Constitutione quæ incipit, *circumspecta*, permittens recipi illegitimos, quorum ingenium, mores, qualitates, supplerent defectum Natalium &c. Excepto, si Pater in illa religione esset superstes & vivẽs. Unde peccabunt, & pœnas incurrent, qui aliter illegitimos recipient. *Sixtus V.* *Greg. XIV.*

Addo, quòd etsi pontifices permittant, communiter tamen religiones tales repudiant, & verè repudiandi sunt, & puniendi qui recipiunt.

II. Ratione *Infecti Generis* à professione repellendi sunt; qui à Mauris, Judæis, Hæreticis proxime descendunt, nisi eorum fides & probitas sit multo tempore probata, & nisi maculam bona vitâ eluerint. *Similiter*, qui à parentibus criminosis, publicè infamibus infamia facti, vel juris, immò communis suspicionis, Progeniti sunt. *Item*, qui à vilibus personis, ut Tortoribus & hujusmodi prodierunt: Ratio est: quia cùm Religiosi ad ea, quæ in Ecclesia sacra & honorifica sunt, & quæ decorem nonnullum in Ministris requirunt, assumantur, si ex Infecto, infami, aut Vili Genere assumantur, quiddam infectionis secum in Religionem & Religiosa exercitia exhalant.

III. Nonnulli ob *excessum ætatis nimiæ* etiam à religione vetantur recipi, quia etsi essentialia servare possint, in omnibus tamen aliis ratione *ætatis*, dispensandi forent ob senectutem. Posset tamen tanta ædificatio ex alicujus personæ receptione nasci, ut defectum & onus, quod ex tali receptione obveniret, omnino compensaret. Sed & hæc rara debet esse dispensatio, ob religionis relaxationes, quæ ex plurium talium receptione provenirent.

IV. *A Complexione, sive corporis constitutione*, varia etiam nascuntur impedimenta, ut si Novitius sit infirmus, claudus, monoculus, gibbosus, aut alia infirmitate, aut deformitate notabili affectus. Tales utique prohibentur recipi, quia reverà vel religioni inepti, vel noxii sunt. Videantur Leges, & constitutiones religionum.

Dixi in conclusione (*Non tamen sine culpa & pœnis recipiendis & recipientibus impositis, professio ab illis emittitur*) recipientes enim hujusmodi impedimentis laborantes pro qualitate materiæ peccant mortaliter, quia religionem injustè gravant & eam opprobriis hominum, & ludibrio interdum exponunt, aut saltem ei maculam inferunt: Novitii autem, qui ante professionem hujusmodi impedimenta scienter occultaverunt, possunt interdum à religione, cui sunt mentiti, expelli, aut aliis pœnis mulctari. Videatur concessio Leonis X. super hujusmodi expulsione, Bullâ 15. in Bullario Rodriguez, quæ incipit: *Cum sicut*, datâ Romæ 15. Martii Ann. 1516. Videantur & pœnæ latæ in Superiores hujusmodi impedimentis irretitos recipientes, in constitut. Sixti V. quas incurrunt, qui temere & scienter tales recipiunt, non obstante quòd per Gregor. XIV. & Clementem VIII. dictæ constitutiones, quoad validitatem receptionis & professionis, sint ad terminos juris communis reductæ, ut in Superioribus sæpiùs indicatum est. Et hæc sufficiant quoad ea, quæ spectant religiosam professionem.

TRACTATUS IV.

De Superioribus, & Prælatis Religiosorum.

Obedientia est de esse ntia cujuslibet religionis.

CUM Religiosus Status maximè ordinatus sit, ita ut castrorum aciei benè ordinatæ à patribus passim comparetur, certum est ordinationem illam non posse subsistere, nisi alii aliis præsint, alii aliis subsint, alii imperent, alii obediant; Unde & de essentia cujuslibet Religionis est Obedientia, quæ absque subordinatione inferiorum ad Superiores nullatenus stare potest. Igitur hic de Superioribus nobis agendum erit.

TITULUS I.

De vario Religiosorum Regimine, ac Prælatorum super eos Potestate.

QUÆSTIO I.

Qui, & quales fuerint Superiores Religiosorum à principio nascentis Ecclesiæ usque ad hæc tempora?

DIstinguenda est hic, ut in superioribus diximus, Potestas duplex; nimirum Gubernativa, sive Domestica, quam alii Dominativam, alii Paternam vocant, & quæ externæ disciplinæ, & regimini invigilat: Et potestas jurisdictionis Spiritualis, quæ curam animarum, & spirituale regimen respicit.

CONCLUSIO I.

Potestas Jurisdictionis spiritualis in religiosis olim petebat Episcopis.

QUoad Jurisdictionem Spiritualem regiminis animarum, omnes Religiosi à principio non habuerunt alios Superiores, quam Episcopos, vel eorum delegatione Presbyteros, quibus in omnibus subjiciebantur, etiam quoad Regulares observantias, & in quorum manibus professionem emittebant.

Ita cti

Ita antiqua Concilia Arelatense III. à Gratiano citatum.18. quæst. 2. cap. *Monasteria*. *Monasteria* (inquit) *vel Monachorum disciplinæ ad eum pertineat Episcopum, in cujus sunt Territorio constituta*. Et Concilium Chalcedonense act. 11. cap. 4. allegatum ab eodem Gratiano 16. quæst. 1. cap. *Qui vere*; *Eos* (inquit) *verò qui per singulas civitates, seu possessiones in Monasteriis sunt, placet nobis Episcopo esse subjectos &c.*

Dixi (*Episcopos vel eorum delegatione Presbyteros*) Cum enim in principio Monachi Sacerdotes non essent, eis Presbyteri præficiebantur, qui curam animarum ipsorum tamquam Pastores & Parochi haberent. Hoc probavimus nuper ex Regula S. Augustini, in qua distinguitur *Præpositus* à *Presbytero* curam animarum habente, eique Obedientia præstanda decernitur, ultra obedientiam, quæ præposito, id est, Regulari Superiori debebatur.

De hac etiam Jurisdictione Presbyterorum loquitur S. Hieronymus epist. primâ ad Heliodorum citatâ à Gratiano 16. quæst. 1. cap. *Alia*: *Alia* (inquit) *est causa monachi; Alia Clerici. Clerici oves pascunt: Ego* (utique Monachus) *pascor. Illi de Altari vivunt, mihi securis quasi ad radicem infructuosæ arboris ponitur, si munus ad Altare non defero. Mihi ante Presbyterum sedere non licet. Illi si peccavero, licet me trudere Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus sit salvus in die Domini.* Et in Epist. 46. ad Rusticum, ibid *Ecclesia habet Senatum, Cœtum Presbyterorum, sine quorum Consilio nihil Monachis agere licet.*

Conclusio II.

Potestas gubernativa aliquibus ex singulosis numeri.

PRæter Episcopos, vel Sacerdotes Monachorum regimini in spiritualibus præfectos, *semper Religiosi habuerunt immediatos Superiores Religiosos, sive ex Religiosis assumptos, qui in eos Potestatem Gubernativam, & Paternam sive Domesticam exercebant, & observantiis Regularibus invigilabant.* Hæc etiam patent ex antiquis Regulis Pachomii, Basilii, Augustini, Benedicti &c, & forma regiminis omnium Monachorum, qui Abbates, Præpositos, Decanos, aut alterius nominis Superiores habuisse describuntur. Unde S. Hieronymus Epist. 22. ad Eustochium circa finem *Prima* (ait) *apud eos* (utique Cœnobitas) *confœderatio est, obedire majoribus, & quidquid jusserint facere. Divisi sunt per Decurias atque Centurias, ita ut novem hominibus decimus præsit: & rursus decem præpositos sub se centesimus habeat &c. Post horam nonam &c. medius, quem Patrem vocant, incipit disputare. &c.*

S. Hieron.

Omnes vero tam Anachoritas, sive Solitarios, quàm Cœnobitas suos Superiores habuisse, constat ex eo, quod nullus permittebatur Anachoriticam vitam ducere, nisi in Cœnobio sub Abbate vitam Cœnobiticam duxisset, ut testatur Cassianus Collat. 18. cap. 4. ubi cùm de Cœnobitis dixisset, quòd in Congregatione viventes, unius Senioris judicio gubernarentur, Anachoritas describens: *Qui prius* (ait) *in Cœnobiis instituti, jamque in actuali conversatione prefecti, solitudinis elegere secreta*; Electionem verò solitudinis, & cellarum ædificationem, denique vitam solitariam ab Abbatis vel Episcopi Obedientia dependisse probant antiqui Patres, & Concilia: Isidorus Hispalensis l. 2. de Ecclesiast. Officiis, cap. 15. *Isti Anachoritæ, examinatione Cœnobiorum probati in omnibus disciplinis per triginta annos; ad hanc contemplationem per obedientiam eliguntur.* De quorum probatione, electione, & perseverantia sub obedientia Superiorum sic loquitur Concilium VI. Generale quod est Constantinopolitanum tertium, sub Constantino Pogonato Imperatore, can. 41. *Eos* (ait) *qui Anachoriticam vitam eligere volunt, primò in Monasteriis per triennium in separata cella, sub obedientia ejus, qui mansioni præest, probentur: deinde à loci Præsule examinentur: demum alio anno fortitudo extra clausuram probetur: tandem cum Benedictione Episcopi in cella solitaria perpetuò remaneant, ut quo egredi non possint sine ejus licentia.* Hæc ibi: Quæ omnia subjectionem adaliquem Superiorem probant.

Cassianus.

S. Isidorus

Quinimmò ne superstitiosa aliqua Solitudo erigeretur extra Obedientiæ jugum, Concilium Aurelianense I. sub Hormisdo, & Clodovæo Rege can. 24. prohibuit: *Ne ullus Monachus in congregatione Monasterii, ambitionis & vanitatis impulsu, cellulam construere, sine Episcopi permissione, vel Abbatis sui voluntate præsumat.* Et hæc de Superioribus Monachorum.

De Sarabaitis non ago, illi enim etsi Monachorum nomen falsò assumerent, veri tamen Religiosi non erant, quia excusso omni Obedientiæ jugo vagabantur. Vide S. Hieronymum Epist. 22. ad Eustochium, ubi illos vocat. *Remoboth.* & à veris Religiosis excludit; vocat etiam *Genus deterrimum, atque neglectum & pestilens*: Cassianus etiam ubi supra & cap. 7. *Tepidum atque omnino evitandum, & reprehensibile.* Contra quos extat decretum Concilii Rhemensis can. 11. & Caroli magni in Constitutionibus suis, cap. 3 quo mandatur, ut hujusmodi falsi Monachi, Gyrovagi & Sarabaitæ ad Monasteria compellantur. Idē statuit Concilium Toletanum IV. cap. 51.

S. Hieron.

Hic judicium penes Episcopos & Principes sit de illis, qui sub titulo Eremitarum hoc tempore vagātur & titulo solitudinis otio pessimo vacant, nemine super eos invigilante: &c.

Conclusio III.

Utraq. potestas quādo & qualiter Monachis collata.

SUccessu temporis, *Monachis ad Clericatum & Ordines Sacros assumptis, Superiores Religiosi ex Ordinibus sacris ac Sacerdotio assumpti, utramque Potestatem tam Gubernativam quàm Pastoralem Jurisdictionis Spiritualis obtinuerunt, & in solos Monachos regimen transla*tum

tum est sub Episcoporum tamen cura & jurisdictione.

Conclusio ex historiis & temporum Chronologia, ac moderna praxi satis constat: Apud paucos enim jam Laici Religiosi Gubernativam communiter obtinent, ut apud *Alexianos, seu Fratres Cellarios*: Ob necessitatem enim animarum spiritualem, & magis congruum regiminis modum, & formam Sacerdotes regulares regularibus præficiuntur, ut caput cum corpore homogenium sit. Quo autem tempore Monachi ad Clericatum & sacerdotium sint assumpti, Gratianus 16. q. 1. c. 19. propriis verbis asserit id contigisse tempore Eusebii, Zosimi, & Siricii Pontificum, extatque Decretum Siricii Papæ Epist. 1. ad Himmeriū Episcopum cap. 13. apud Gratianum supra c. *Monachos. Monachos quoq; (inquit) quos morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat, Clericorum officiis aggregari, & optamus, & volumus.* Et prosequitur eorum promotionem usque ad Episcopatum. Qualiter etiam in adjutorium Ecclesiæ, & ad omnes functiones in Prædicationibus, Sacramentorum administrationibus, Regimine etiam Prælaturæ multo fructu assumpti postea fuerint Monachi, videre est dictâ 16. quæst. 1. à cap. 21. usque ad 30. Extat & gravis admonitio sancti Athanasii in epist. ad Dracontium Monachum episcopatum refugientem: *Neq; enim* (inquit) *tu solus ex Monachis es constitutus utiq;* Episcopus &c. *Nosti enim Serapionem Monachum esse, & quot Monachorum Præfectum? Neq; à te ignoratur quot Monachorum Pater fuerit Apollonius. Nosti Agathonem neque ignotum habes Aristonem: Memor es Ammonii &c. & tamen isti constituti Episcopi non contradixerunt.* Infrà: *Licebit tibi in Episcopatu esurire sitire sicuti Paulo: Licebit & vinum non bibere sicut Timotheus fecit: & jejunare frequenter, ut Paulus solet &c.*

QUÆSTIO II.

Unde prevenerit Potestas, sive jurisdictio Episcoporum in Monachos & antiquos Religiosos ante exemptiones, & quousq; se extenderit?

CONCLUSIO I.

Potestas primitiva Episcoporum unde proveniat?

POtestas Episcoporum in Religiosos, ante omnem Exemptionem, à jure Divino & Ecclesiastico provenit.

Ratio est: Quia Monachi & Religiosi sunt pars populi Christiani, medii inter Clerum & populum, adeoque conformiter ad Diœcesim, in qua siti sunt, ex natura rei eidem potestati subjiciuntur, ut alii ejusdem Territorii Fideles: Ergo & ejusdem Episcopi potestati. Subsumo: Atqui potestas Episcopi in alios in ratione potestatis procedit à jure Divino; in ratione autem subjectionis à Jure Ecclesiastico: Ergo & in Monachos, qui sunt pars populi Christiani, tum à jure Divino ratione Potestatis Clavium, tum à jure ecclesiastico, (cujus est Subditos & Diœceses assignare) provenit & derivatur.

Dixi (*ante omnem Exemptionem*) Exemptio enim transfert quod est juris Ecclesiastici sive subjectionis, faciens de subdito non subditum, ut postea dicetur.

CONCLUSIO II.

Extenditur ad omnia ad quæ Religiosi ex vi status vel regulæ tenentur.

POtestas, sive Jurisdictio Episcoporum primitiva in Religiosos (ante Exemptiones) extenditur ad omnia, ad quæ Religiosi ex vi status vel Regulæ obligantur, ut omnia debito ordine & modo, & juxta disciplinam Religiosæ Regulas observentur. Hanc Conclusionem latius docui & explicavi contra Sanchez in Baculo nostro Pastorali disp. 5. q. 2. Concl. 2. Ubi probavi Episcopum sortiri ex vi Episcopatus Potestatem in Subditos proportionaliter secundum omnes obligationes, quas habent ex vi Status cujusque; Nimirum: In Clericos secundum omnes obligationes Clericales: In Monachos & Regulares juxta obligationes status religiosi & Regulæ suæ: In Laicos juxta obligationes status communis Christiani, ac mandatorum Dei & ecclesiæ.

Ratio autem mea fundamentalis est: Quia Episcopo, ex ratione status & officii sui competit Potestas & Jurisdictio, quæ est necessaria ad totius sui gregis salutem: Atqui Potestas coarctiva & directiva in iis, quæ sunt Status & Regulæ, sive observantiarum regularium, est necessaria in regimine Religiosorum, qui (seclusa exemptione) sunt de grege ejus, ad salutem illorum. Ergo illa competit Episcopo ex vi Status & officii sui.

Nec obstat, quòd Religiosi habeant Superiores Regulares, qui super observantiis Regularibus, ex vi officii invigilent, & quibus regulares ex vi voti subjiciuntur: Quia immediata Potestas non excludit superiorem & mediatam, imò supponit, cùm immediata & inferior debeat corrigi à Superiore, & deficiente immediata & inferiore potestate, debeat superior Potestas supplere defectum. Ex. gr. Deficiente Abbate non exempto in cura Observantiarum Regularium, tenetur Episcopus Abbatem corrigere, immò & circa Religiosos ipsos supplere, vel providere ut suppleatur omnis defectus, contra Religiosas Observantias, sive abusu ipsorum, sive negligentia Superiorum introductus. Ad quod maximè spectant, & respicere debent Visitationes, quas Episcopi in Monasteriis sibi subditis facere tenentur. Et in his quidem Regulares non exempti vi voti censentur Episcopis subjici: Votum enim factum in manu Abbatis transitivum est ad omnes, qui in eadem linea Hierarchica usque ad supremum Caput ecclesiæ subordinati sunt; ita ut ab Abbate ad Episcopum, ab Episcopo ad sum-

Summū Pontificem, qui est omnium religiosũm Generalissimus transeat, ut infrà dicetur.

Dixi in Conclusione (*ut omnia debito ordine, modo, & juxta regulas Religiosæ disciplina observentur.*) Est enim modus, & regula in subordinatione graduum diversorum Superioritatis, & secundùm diversos gradus illis munia diversa diversimode competunt, ut explicabitur.

QUÆSTIO III.

Quæ fuerunt munia Episcoporum antiquitus in Regulares ante Exemptiones? & quæ modo sint in non Exemptos?

CONCLUSIO I.

Episcoporũ antiquitus in non exemptos munia 1. Admittere ad professionem.

MUnia *Episcoporum in personas religiosas non Exemptas antiquitus fuerunt sequentia.*

I. *Novitios sive personas à sæculo ad Congregationes religiosas transeuntes, & probatos ad professionem admittere.* Ita Concilium Nicenum, Can. 14. *Si quis Laicus fieri Monachus voluerit sine licentia Episcopi, qui illius Monasterii potestatem habet, movendus est ille statu suo in quo est, & non est recipiendus in religionem.* Modus autem quo professio illa fiebat traditur à S. Dionysio Eccles. Hierarchiæ cap 6. *Stat* (inquit) *Sacerdos ante sacrum Altare Monasticam imprecationem psallens: Ille verò post Sacerdotem adstat, non utrumque ponens genu, non alterum, non habens eloquia sacra imposita capiti; verùm solùm Sacerdoti adstans, mysticam super illum invocationem prosequenti: Eâ vero finitâ, Sacerdos ad eum accedet interrogans primùm: An renuntiet divisibilibus omnibus, non solùm vitis, verùm imaginibus quoque ac phantasiis? deinde exponit illi vitam sanctissimam, illud apertè cōtestans, oportere illum Medio longè antecellere: Ubi verò omnia ista intentè promiserit consignans eum signo Crucis tondet, Trinas Divinæ Beatitudinis Personas inclamans, exutumq; veste omni aliam induit & cùm sanctis aliis, qui adstant viris ipsum salutans, Divinorum Mysteriorum participem efficit* Hæc Dionysius.

In quibus verbis, 1. Advertendum est: Nomine Sacerdotis intelligi vel Episcopum, vel presbyterum, qui tempore quo Monachi ad Clericatum non ascendebant, ab Episcopo præpositus erat Monasterio pro jurisdictione spirituali, & animarum cura, eratque ab Episcopo delegatus. 2. Votorum emissionem designari verbis illis: *Exponit illi sanctissimam vitam &c. Ubi verò omnia ista intentè promiserit &c.* 3. Vestis sive habitus Professorum delationem ibi: *Exutum veste omni aliam induit.* 4. Acceptationem in Congregatione ibi: *Et cùm sanctis aliis, qui adstant viris* (id est Conventu) *ipsũ salutans* (tamquam jam membrum factum Congregationis) *Divinorum Mysteriorum participem efficit*, quasi sumptione sanctæ Eucharistiæ in unitatem Spiritus conjungantur.

II. Episcoporum munus erat: *Monachis leges præscribere; Abbates, sive Superiores instituere, peccata, sive defectus contra regulam corrigere.* Ita apud Gratianum 18. q. 2. c. *Hoc tantùm* ex Concilio Toletano IV. c. 50. *Hoc tantùm sibi in Monasterio vendicēt Sacerdotes* (id est Episcopi) *quod præcipiunt canones, id est monachos ad conversationem sanctam promovere; Abbates, aliaque officia instituere, atque extra regulam facta corrigere.*

III. Episcoporum munus erat: *Monasteria visitare: Abbates & Monachos delinquentes corrigere, immò & ab officiis deponere.* Ita ubi suprà cap. *Visitandi*, ex S. Gregorio l. 7. Epist. 18 *Visitandi exhortandiq; gratiâ ad monasterium quoties placuerit, ab Antistite civitatis accedatur.* Ibidem ex Concilio Aurelianensi c. *Non semel: Non semel, sed sæpiùs in anno Episcopi visitent Monasteria Monachorum, & si aliquid corrigēdum fuerit, corrigatur.*

Et de Abbatibus ubi suprà c. *Abbates*, ex Concilio Aurelianensi I. c. 21. *Abbates pro humilitate religionis in Episcoporum potestate consistant, & si quid extra regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur, qui semel in anno in loco, ubi Episcopus elegerit acceptâ vocatione conveniant.* Et. c. *Si quis Abbas* ex Concilio Triburiensi: *Si quis Abbas cautus in regimine humilis, castus, misericors, discretus sobriusq; nō fuerit, ac divina præcepta verbis & exemplis nō ostenderit, ab Episcopo, in cujus territorio consistit, & à vicinis Abbatibus, & cæteris Deum timentibus à suo arceatur honore; etiamsi omnis congregatio vitiis suis consentiens eum Abbatem habere voluerit.*

IV. Episcoporum munus erat: *De Monasteriorum utilitatibus disponere.* Ita ubi supra apud Gratianum cap. *Cognovimus* ex S. Gregorio l. 7. Epist. 65. ad vitalem defensorē Sardiniæ. *Cognovimus* (ait) *quòd Monasteria servorum Dei, vel etiam sendnarũ, pro suo quisq; libitu & diversarum causarũ executione perturbat. Quod omnino non gratè suscepimus; namque experientiam ex hoc commonemus, ne quemquam hoc usurpare denuo, acceptâ nostrâ auctoritate permittas, sed ut Episcopo loci illius sub cujus moderamine degũt, cura sit, causas, utilitatesq; disponere, &c. qui pro cōmissis eorũ animabus cōpellitur rationem reddere.* Et 17 q. 4. c. *In venditionibus* ex Concilio Agathensi c. 56. *In venditionibus* (inquit) *quas Abbates facere præsumunt, hæc forma servetur, ut quidquid sine Episcopi licentia venditum fuerit, ad potestatē Episcopi revocetur.*

CONCLUSIO II.

Plura ex illis muniis quando & quomodo Superioribus regularibus cesserint.

SUccessu temporis, *ubi Superiores Regulares utrâq; potestate Gubernativâ & Jurisdictionis spiritualis potiti sũt, alleviato onere Episcoporum plura munia ex supradictis superioribus regularibus cesserunt, & diversimode potestas Episcoporum limitata est, ac tum Monasteria tū regulares variis exemptionibus sub regimine Episcoporum donati sunt.* Consulendæ sunt regula-

rium

rium constitutiones, & privilegia super dictis Exemptionibus. Et quidem à principio legenda apud Gratianum 18. q. 2. per totam, ubi variæ exemptiones & limitationes ponuntur circa Episcoporum regimen respectu regularium. Etenim cap. *Hoc tantùm* decernitur: Ut *Hoc tantùm sibi in monasteriis vendicent Sacerdotes* (id est Episcopi) *quod præcipiunt canones*. Et in c. *Abbat*, & c. *Abbatem*; mandatur; ut Abbas non constituatur, *nisi quem dignum moribus atque actibus Monastica disciplina communi consensu Congregatio poposcerit*. & capite *Quàm sit necessarium* mandatur: *Ut nullus Episcoporũ aut sæcularium ultra præsumat de reditibus, vel chartis Monasteriorum, vel cellulis, vel villis, quæ ad ea pertinent, quocumque modo seu quâlibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. Et ut defuncto Abbate cujuscumque Cõgregationis extraneus nõ eligatur, nisi de eadem congregatione, quem sibi in propriâ voluntate cõcors Fratrũ societas elegerit.* Ibidẽ prohibetur, ut *invito Abbate ad ordinandum alia monasteria, aut ad Ordines sacros vel Clericatus officium tolli exinde monachi non debeant* &c. Et c. *Luminoso Ob multa* (inquit) *a Præsulibus præjudicia atque gravamina* a monachis tollerata varia prohibentur Episcopis; Ut *pote, ne missas solemnes, sive publicas in Cœnobiis* faciant; *ne cathedram illic collocare audeant, nec potestatem imperandi ibi exerceant, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciãt nisi ab Abbate fuerint rogati*. Iterum c. *Pridem*, prohibet Baptisteria in monasteriis fieri, & facta præcipit auferri. Denique in c. *Servitium*, liberantur monasteria ab omnibus *Officiis servitutis, & Synodalibus exactionibus, angariis operum, crebris receptionibus, annuis exactionibus*, & aliis gravaminibus. Quæ exẽptiones, limitationes, liberationes, & privilegia sunt in hunc diem plurimum aucta, etiam apud non exemptos.

Conclusio III.

Moderna Potestas Episcoporum in regulares non exẽptos in quibus cõsistat.

Trident.

EPiscoporum potestas moderna in regulares nõ Exemptos consistit: In visitationibus, correctionibus, exhortationibus, & in omni ordinata providentia, ut observantia regularis in omnibus servetur: Et ut exprimit Conc. Trid. sess. 25. c. 1. de Regular. *Ut omnes Regulares tam viri, quàm mulieres ad Regula, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant, & cõponant, atque in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut Obedientia, Paupertatis & Castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ & Ordinis peculiaria Vota & Præcepta, ad eorum respective essentiam, nec non ad communem vitam victum & vestitũ conservanda pertinentia, fideliter observẽt.* Quæ quidem cura non solis Superioribus Regularibus, sed maximè Episcopis respectù non exemptorum demandatur, ut constat ex c. 22. Ubi cùm Concilium omnia pro Regularibus ista sessione decreta recapitulasset, subdit. *Et quia S. Synodus desiderat, ut omnia & singula supradicta quàm primùm executioni demandentur; præcipit omnibus Episcopis in Monasteriis sibi*

Trident.

subjectis, & in omnibus aliis, ipsis in Superioribus Decretis specialiter commissis, atque omnibus Abbatibus & Generalibus, & aliis Superioribus Ordinum supradictorum, ut statim prædicta exequantur; Et si quid executioni mandatum non sit, Episcoporum negligentiam Concilia provincialia suppleant, & coerceant.

Adnotatio.

HIc plura multiplicare super Potestate Episcoporum quoad regimen Regularium superfluum duco; Cùm enim eandem Potestatem habeant juxta gradum suum, quem tenent provinciales, sive etiam Generales Prælati inter regulares, descendo ad Prælatos Regulares: Hoc unico monito, quod sicut superior Prælatus non potest, nec debet inferiorem Prælatum turbare in regimine suo, & sicut Prior instántia causarum ad immediatum pertinet, ita omnino philosophandum est de immediatis Prælatis regularibus non Exemptis, respectu Episcoporum, ita ut ad Prælatos prima instantia causarum pertineat. De Exemptionibus etiam plura non tango, quia de iis sufficienter egi in nostro *Baculo Pastorali disp.* 3. 4. 5. Ex quibus etiam nonnulla hic breviter repetii.

Quæstio IV.

Quotuplices sint superiores; & quam in Religiosos Potestatem ordinariam ex vi Officii habeant;

Conclusio I.

Triplices superiores regularium.

SUperiores religionum juxta triplicem respectum triplices assignantur: Alii enim sunt *Generales*, qui uni Ordini sive religioni toti generaliter præsunt: Alii *Provinciales*, qui uni Provinciæ, sive pluribus Monasteriis velut in Diœcesim coactis: Alii *Conventuales*, sive *Locales*, qui uni tantùm Conventui, Monasterio vel loco immediatè præficiuntur. Et hi quidem omnes diversa nomina juxta diversas religionis sortiuntur. Alii enim *Præpositi*; Alii *Abbates*; Alii *Magistri*; Alii *Ministri*; Alii *Correctores*; Alii *Custodes*: *Guardiani*; *Priores*; *Rectores* nuncupantur. His omnibus præsidet *Papa* tamquam ordinum Generalissimus.

Ad *Generales* reducuntur *Vicarii Generales*: Item *Commissarii & Visitatores Generales*, quibus Potestas Generalium ex vi officii, vel etiam delegatione advenit.

Ad *Provinciales* reducuntur *Abbates*, qui etsi uni ordinarie monasterio tantùm præsint, habitu tamen ad præposituras, Prioratus, & Filiationes quasdam se extendunt, quando nimirum tales sub suo Monasterio constituuntur: Immò pluribus Monialium Monasteriis invigilant.

Ad

Ad *Conventuales* sive *Locales* pertinent omnes, qui alicui Conventui sive Monasterio ex Officio præsunt, ut sunt *Priores* sub Abbatibus: *Superiores* sub Prioribus absolutis, *Vicarii* sub Guardianis.

Advertendum verò est: Nos hîc non agere de Superioribus, qui Dominativam sive Gubernativam tantùm potestatem habent, sed de iis, qui utrâque Jurisdictione & Gubernativâ & Spirituali potiuntur; sive qui Sacerdotes sunt: Etsi enim Prioribus temporibus Laici aliqui Superiores Locales fuerint, qui Paternam tantùm & Gubernativam potestatem in religiosos habuerint (quidquid nonnulli dicant) moderno tamen tempore veri Superiores Sacerdotes esse debent, eò quod cura animarum illis incumbat: Juxta quod Concilium Tridentinum sancivit variis locis, ut nulli, non tantùm ad dignitates Ecclesiasticas, sed etiam ad beneficia curam animarum habentia promoveantur ante 25. annum ætatis, & qui intra annum Sacerdotes esse possint, & debeant, conformiter ad c. 7. de Electione, & electi potestate, §. Inferiora &c. Cùm itaque jam Superioratus, & præfecturæ Religiosæ curam animarum annexam habeant, Sacerdotium consequenter requirunt; adeoque si qui adhuc modò non Sacerdotes, Superiores sint, completum gradum Superioritatis non habent, sed alius Sacerdos requiritur, qui Religiosorum curam spirituali Jurisdictione administret. Et quod in regula S. P. N. Francisci cap. 7. de Ministris provincialibus non Sacerdotibus habetur quoad casus reservatos, non inde infertur Laicos Ministros Provinciales esse potuisse, sed ad minus Clericos, subdiaconos, vel Diaconos, qui jurisdictionis spiritualis essent capaces, in ordine ad munia spiritualis jurisdictionis aliis deleganda.

CONCLUSIO II.

Generales Ordinum obtinent Potestatē similē patriarchis; provinciales similem Episcopis.

GEnerales Ordinum & Provinciales potestatem jurisdictionis spiritualis in Religiosos obtinent, similem Episcopis. Generales quidem ad instar Patriarcharum, sive Metropolitanorum, Provinciales autem adinstar Episcoporum simpliciter. Est communis sententia Doctorum, cujus ratio est: Quia eo ipso quo exemptis Ordinibus præficiuntur, totum regimen quod incumbebat Episcopis in illos relabitur, ac consequenter potestas jurisdictionis jure divino huic regimini correspondēs. Unde etsi Generalium & Provincialium officium, sive dignitas sit institutionis juris humani, posita tamen institutione humana derivatur in illos potestas illi regimini debita; & consequenter, cùm regimen illud sit ipsummet, quod Episcopis ante exemptionem competebat, eodem jure illis competit, quo Episcopis competebat, quia in ratione Prælaturæ succedunt in locum, sive supplent locum Episcoporum respectu regularium. Sicut enim Christus statuì communi Christianorum contulit per Episcopos providisse, sic cùm Status religiosus sit à Christo institutus, voluit illum simili potestate regi, qua alii Status populi Christiani reguntur. Hæc est autem potestas, quæ in Episcopis residet, & quæ in Prælatos religionum exemptarum à Christo per sanctam Sedem derivatur. Vide hanc quæstionem de potestate jurisdictionis Generalibus adveniente jure divino doctissime tractatam apud nostrū Emmanuelem Rodriguez tom. 1. quæst. 17. art. 2.

Dixi (*Potestatem Jurisdictionis Spiritualis*) quæ nimirum consistit in regimine spirituali animarum, & observantia regulæ; in legibus, statutis, præceptis ferendis, absolutionibus, dispensationibus impedendis; censuris & pœnis infligendis; judiciis informandis &c.

Dixi (*similem Episcopis*) nimirum in iis, quæ jurisdictionis spiritualis sunt, non autem in iis, quæ sunt Ordinis & dignitatis Episcopalis, ut sunt, collationes ordinum sacrorum; confectio chrismatis, & alia, quæ à charactere Episcopali procedunt. Et quamvis Abbatibus collatio tonsuræ, vel collatio minorum ordinum concedatur, illa tamen non conceduntur, ut à charactere Episcopali proveniunt, sed ut simplici Sacerdoti communicari à *S. Sede* possunt.

Item non communicantur Generalibus aut Provincialibus ex vi Prælaturæ religiosæ, quæ pendent à Potestate politica & Civili, vel etiā tēporali Ecclesiastica, ut in beneficiis creandis, & conferendis, quæ Episcopis competunt.

Dixi (*ad instar Patriarcharū sive Metropolitanorum*) Quia enim Potestas generalium non clauditur terminis unius Diœcesis aut Provinciæ, sed ad omnes Provincias Ordinis extenditur, & multis Provincialibus, aut quasi Provincialibus præsidet; idcirco ad instar Potestatis Patriarcharum & Metropolitanorū eorum Potestas mensuranda est, sicut & Provincialium Potestas ad instar Episcoporum, quia uni Provinciæ, sicut Episcopi uni Diœcesi, principantur & præsident.

CONCLUSIO III.

Quid possit generalis & provincialis respectu regulariū sibi subditorum? Rodriguez.

PRoportionaliter potest Generalis & Provincialis in Ordine suo respectu Regularium sibi subditorū, quidquid potest Episcopus in sua Diœcesi respectu Diœcesanorum, nisi eorum Potestas sit restricta. Hanc Conclusionem longe latequè explicat Rodriguez tom. 1. q. 17. usque ad 27. inclusivè: Quem quilibet religiosus consulere potest, quia de Abbatibus, quos diximus Provincialibus communiter æquiparari, & omnibus Superioribus ac Prælatis regularium valde distinctè & scientificè agit; nec nostri muneris est singula pertractare, quę ingentes tomos requirerent.

Dixi in Conclusione (*nisi eorum Potestas aliunde sit restricta*) Potestas enim Generalium restringi potest, & aliquando restringitur per Summum Pontificum & Concilia; Potestas Provin-

Provincialium & Abbatum per Generales Ordinum & capitula.

CONCLUSIO IV.

Potestas jurisdictionis localium Prælatorũ qua.

PRælati Locales sive Conventuales ex vi Officii potestatem jurisdictionis sortiuntur, quanecessaria est gregi ad spirituale & tẽporale regimẽ.

Hæc Conclusio sumenda est ex natura Officii, etsi enim veri Prælati sint, & ordinariam Potestatem in Subditos habeant, non tamen excedunt Potestatem Archipresbyterorum, sed sicut minora Archipresbyteris conceduntur, Episcopis autem majora reservantur, sic Prælatis Localibus, qui & minores Prælati ad distinctionem nuncupantur. Vide Emmanuel. Rodriguez suprà tom. 1. q. 17. art. 3.

Porrò consulendæ sunt Leges & constitutiones cujuslibet Religionis & Ordinis in particulari, ut de eorum potestate singulariter constet; unum tantum certo dici potest, illis juris ordinatio competere Potestatem totalem, quæ ad regimen suorum Subditorum, & curam animarum quam gerunt, necessaria est, & quæ communiter Prælatis inferioribus curam animarum habentibus competit; quomodo intelligitur illud in c. *Nullam* 18. q. 2. *Tota Potestas ad Abbatem pertinere convenit*, quam sine causa justa majores Prælati restringere nequeunt: Quia tamen ob causas justas in nonnullis Religionibus Potestas eorum in aliquibus est ampliata, in aliis restricta & hoc judicatum est tũ à Prælatis majoribus, tum à Capitulis bono Religionis competere, ideò cujuslibet Religionis legibus standum erit. Maxima porrò est Potestas Guardianorum in Ordine Minorum, maxime quoad absolutiones & dispensationes, de quibus vide Emmanuelem Rodriguez loco citato art. 4.

Potestas.

DUBIUM.

Quid dicendum de potestate Commissariorum, Vicariorum, Priorum, Præpositorum &c.

PRo Resolutione Advertendum est: *Commissarios, Vicarios, Priores, Præpositos*, in duplici differentia reperiri.

Commissariorũ &c. Alii stabiles & ex Officio.

Alii enim sunt *Commissarii*, vel *Vicarii* stabiles, qui nimirum stabili Officio potiuntur, & stabiliter vel eliguntur, vel sub legibus certis præficiuntur, ut apud nos minores *Commissarius Generalis familiæ* secundùm Bullam Unionis electus: *Vicarius Generalis Ordinis*, qui defuncto Ministro Generali per electionem assumitur: *Commissarius Nationis Germano-Belgicæ*, ex prima quidem institutione Clem. VIII. à Vocalibus Nationis eligendus ut Prælatus ordinarius, modò verò per Generalem Ordinis instituendus.

Alii sunt *Commissarii* sive *Vicarii* ad actus tantùm transeuntes assumpti; ut sunt *Commissarii Visitatores Provinciarum*, vel *Conventuum aliquorum*. Item *Vicarii Generales*, ad aliquod tempus super aliquas Provincias constitui.

Iterum, *Vicariorum Localium*; Alii sunt *Claustrales*; Alii *Conventuales*: *Claustrales* dicuntur, qui sub alio Superiore Locali reguntur & in præsentia quidem Superiorum non habẽt aliam auctoritatem, quàm ut super observantiis Claustralibus invigilent; in absentia autem locum Superiorum tenent, & eorum loco præsident, ut sunt Priores in Abbatiis, Vicarii ordinarii, & permanentes. Alii dicuntur *Vicarii Conventuales* (qui & *Vicarii in capite* à nonnullis nuncupantur) qui in loco Superiorem non habent sed convẽtui præsunt absolutâ auctoritate, etsi ob exiguã familiã, vel locum dependentem non vocentur nisi Vicarii, aut interdũ etiam Priores & Præpositi. His suppositis sit

RESOLUTIO I.

Commissarii &c. sunt stabiliter ordinarii Prælati &c.

COmmissarii & Vicarii Generales sive etiam Provinciales, qui per modum Officii permanentis, & stabilis eliguntur sive instituuntur sunt stabiliter ordinarii prælati, & habent jurisdictionem ordinariam suo Officio secundum Leges Ordinis uniuscujusque competentem.

Ratio est: Quia ex vi Officii stabilem curam animarum habẽt, absque alia delegatione.

RESOLUTIO II.

COmmissarii & Vicarii, sive Generales, sive Provinciales, ad tempus tantum, & transitivè instituti non sunt Prælati ordinarii nec ordinariam habent Potestatẽ, sed tantum delegatam, secundum rationem suæ commissionis vel institutionis, & beneplacitum delegantis, vel ex dispositione legis.

RESOLUTIO III.

VIcarii Conventuales, sive Vicarii in capite, sicut & Priores, ac Præpositi absolutè, qui loco alicui absque alio Superiore præsident, inter minores Prælatos computantur, & ordinariam in Subditos potestatem habent.

Ratio est: Quia eodem quo minores Prælati munere & Officio funguntur, etsi nomine ob aliquas circumstantias, & velut gradu diminuto distinguantur: estque eadem necessitas gregis, & convenientia Officii, ut eadem auctoritate polleant, qui eodem Officio funguntur. Et ista praxis communis Religionum declarationibus Pontificum, ac juribus & Privilegiis earum confirmata est.

RESOLUTIO IV.

VIcarii Claustrales, Priores, Superiores, qui sub Prælatis localibus sũt, ac eorũ vices subeũt præsẽte in loco Prælato sive Superiore nõ habẽt illam facultatem nisi disciplinæ Regulari externæ sive Claustrali advigilare: In absẽtia tamẽ Prælatorum per aliquod tẽpus juxta prudẽtẽ æstimationem Potestas Superiorũ in eos vicariã successione devolvitur, ad supplementum communis regiminis Prælati sive Superioris absentis, & succurrendum necessitatibus Subditorum, nisi aliqua exemptio vel exceptio exprimatur.

Ratio

Ratio est: Quia ad hoc electi vel instituti sunt, ut regimen suppleant & vices Prælatorum gerant: Unde ipsis in omnibus inferiores parere sicut Prælato tenentur.

Dixi (*in absētia Prælatorū per aliquod tempus juxta prudentem æstimationem*) Absentia enim brevis Prælati aliquod tantum horarum, extra casū necessitatis inopinatæ, nō censetur absētia sufficiēs ut Vicarius ejus Potestate utatur.

Dixi (*ad supplementum communis regiminis, & succurrendum* &c.) potest enim extraordinarius casus contingere, qui ratione necessitatis prementis debeat in instanti expediri, nec possit differri sine gravi detrimento: ut absolutio graviter infirmi à casibus reservatis, subsidium morientis; eventus improvisus &c. In quibus Epikeia rationabili potest aliquando, immò tenetur Vicarius uti, etiam in absentia parvi tēporis, auctoritate Prælati, si congrue adiri, expectari, aut ipsius auctoritas haberi nequeat. Vide super omnibus supradictis Emmanuel Rodriguez tom. 3. q. 76. art. 1. Hieronym. ejus Compendiatorem resolut. 160. de Vicariis, Portel. V. *Vicarius in c. ptc.* Hieronym. à Sorbo in Compend. o V. *Vicarius* per totum.

Adnotatio.

Cathalagus ordinariæ Potestatis Prælatorum Regularium.

TRiplex est Prælatorum Regularium Potestas, ex officii ratione emanans.

I Potestas prælatorū regularium rece- ptionē no- vitiorum. I. Potestas tangit receptionem Novitiorū & eorum in Religionem incorporationem; quam varie juxta varias Religiones Prælati possident: communiter tamen per professionem Novitii Religioni non incorporantur absque Conventus & Religiosorum consensu; & in Ordine nostro receptio Novitiorum ad solum Ministrum Provincialem pertinet, vel etiam Generalem in toto Ordine, non ad Superiores & Prælatos Inferiores. Sed de his latius egimus tit. præcedenti.

II Admi- nistratio- nem tem- poralium. II. Potestas est in temporalium administratione; quæ etiam unicuique competit ex vi Prælaturæ & Officii, quamvis pro congrua administratione suos Officiarios sibi subjectos habeat, & habere debeat in oneris sublevamē. Qualiter autē circa temporalia se gerere debeat, dictū est suprà, tit. de paupertate religiosa.

III Voto- rum &c. servā- tiam. III. Potestas est circa Votorum & disciplinæ regularis observantiam, & animarum curam; circa quam videnda sunt quæ diximus de Episcopo, & tribus illius Officiis, nimirum *Pascere, Custodire, Regere*, quæ singula proportionaliter omnibus Prælatis sunt accommodanda & ex iis obligationes Prælatorum deducendæ; de quibus infrà, cùm de peccatis Prælatorum agemus.

* *
*

TITULUS II.

De Prælatorum Regularium Institutione, Qualitatibus, Obligationibus ac Peccatis.

QUÆSTIO I.

Quibus modis Superiores Regularium instituantur?

Conclusio Unica.

Varii sūt modi Ele- ctionis. QUatuor modi assignantur, quibus potissimùm Regulares ad Prælaturas & Superioratus eliguntur. *I. Est via Scrutinii. II Via Compromissi. III. Via Postulationis. IV. Via Inspirationis communis.* Addo *V. Viam Nominationis.*

Via Scrutinii eligi dicuntur, *quando à majori parte Vocalium suffragantium per vota secreta, sive per schedulas, aliquis ad Prælaturam assumitur.*

Ut verò hæc scrutinii via benè observetur, sequent a requiruntur.

1. Ut ad certum tempus omnes vocales, & qui interesse debent, legitimè citentur & convocentur, & ut vocati, si possint aut volunt, compareant. Si enim aliqui non possint aut nolint comparere, non propter hoc Electio omittenda est, modò cæteri compareant, & Congregatio vel capitulum non censetur impeditum. An verò legitimè impeditus possit mittere aliquem, qui suo nomine suffragetur, aut scripto suum suffragium dare, consulendæ sunt leges religionum & ordinum in speciali quoad Procuratores mittendos & modo quo mitti debent; aliás servetur cap. 42. *Quia propter*, §. *Illud autem*, de Electionibus.

2. Ut constitutâ die, cantatâ missâ de spiritu sancto (quod tantùm est solemnitatis) ad locum honestum omnes vocales convocentur, ut ibidem Electio fiat; à quo loco si quis egrediatur, vel quovis modo se subtrahat, censetur suo suffragio renuntiare, nec inter suffragantes computandus est, juxta c. 19. *Cum nobis*, de Elect. Quod etiam censendum est de eo, qui in urnam schedulam albam immittit. Vide Hieron. Rodriguez resol. 58. n. 13.

3. Ut ante Electionem Scrutatores, sive Disquisitores suffragiorum (qui sint de Corpore Congregationis, si fieri potest) eligantur, non minùs quàm duo, cum uno Secretario, qui jurejurando, vel (ut in nostra religione) præcepto obedientiæ adstringantur ad secretum, ut nunquam ullius suffragium revelent, ut constat ex cap. 42. *Quia propter*, jam citato.

4. Ut Electores omnes liberè sua suffragia ferant, eaque determinata & certa; neque enim conditionata vel disjunctiva (ex. g. Eligo talem, si plura suffragia in illum cadant:

vel eligo talem, vel talem, quem magis convenire viderit is) accipienda sunt, vel ad Electionem conferunt, cap. 2. de Elect. in 6. Vota etiam secreta esse debent, & ut magis cum igitur (taliem inter viros) per schedulas secretas, ut Interpretes S. Concilii Trid. explicant ad sess. 25. de regularibus.

5. Ut collatis suffragiis, statim ante omnem aliam actionem vel quamvis cessationem Electio à secretario sive uno de Disquisitoribus promulgetur, juxta cap. Sicut, de Elect. in 6. & c. Cum ab uno, de Sentent. & Re judicata.

6. In quem non plures, sed major pars ex toto votantium numero convenerit, ille Canonicè electus censebitur.

Et hæc sunt præcipua quæ ad Scrutinium pertinent, & communiter in omni Electione Canonica servari debent. Plures particulares quæstiones & scrupulos omitto, quia communiter non servantur in omnibus Regularibus Congregationibus.

Via compromissi dicitur, *quando omnes Vocales in aliquas personas designatas, vel etiam unam compromittunt, ut quem ex illis Præses elegerit sive nominaverit, ille censeatur legitimè nominatus in Prælatum*. In hac Via debent singuli audiri, & singuli libere & absque coactione compromittere; aquivalet enim hæc *Via* Electioni per Scrutinium, eò quòd singuli explicitè quidem sua suffragia in alium, vel alios designatos devolvant, & implicitè in personam à Præside vel Præsidentibus nominandam consentiant. Vide c. 42. *Quia propter*, de Elect.

Via Postulationis dicitur, *quando inter eos, ad quos Electio pertinet, convenit ut persona aliqua digna & idonea in Prælatū postuletur*. Ad quod requiritur, ut saltem tres partes ex toto Congregationis Eligentium numero eundem postulēt; nec postulatio admitti debet, nisi auctoritate Apostolica confirmetur. Et ante confirmationem nullum Jus, nulla administratio Postulato competit. Vide Silvestrum & alios Canonistas, *V. Postulatio*.

Via cōmunis inspirationis nuncupatur, *quando divinâ inspiratione, vel manifestâ vel piè præsumptâ, Congregatio Eligentium tota aliquē in Prælatum eligit*. Et manifesta quidem inspiratio censetur, quando Divino Oraculo sancitur, ut in Historiis Ecclesiasticis fuerunt SS. Nicolai, Ambrosii, & aliorum: Piè verò præsumpta dicitur, quando sine aliqua conventione antecedente omnes velut interno impetu in unam personam conspirant.

Et hæc quidem Electioni æquivalet, quia suffragia omnia voce Publicâ & communi in unam personam feruntur, ita ut nulla sit fraudis vel doli suspicio.

Viam nominationis addidi, quia jam Reges & Principes a S. Sede obtinuerūt sublatis Canonicis Electionibus, nominationes ad Prælaturas, de quibus nihil singulare occurrit, nisi quod Nominatores in foro cōscientiæ teneatur dignos nominare, eadem obligatione quâ Electores, pro quo fit

CONCLUSIO II.

Quo jure Electores teneantur dignū eligere, & quale peccatum eligere scienter indignum.

IN *Electionibus omnibus id potissimum Electoribus omnibus jure divino naturali & positivo incumbit, ut dignum eligant, &, si apertè constet digniorem; indignum autem scienter eligere ex natura sua peccatum mortale est.*

Hæc Conclusio ex visceribus rei manifesta est: Cùm enim Præfectus regularis Dei loco præsideat, curam animarum sibi commissam habeat, & Potestate clavium potiatur, jure divino naturali & positivo tenetur animas regere, & obligatur ad rationem reddendam pro animabus sibi commissis: & consequenter Electores, quibus provisio personæ commissa est, iisdem juribus tenentur eâdem obligatione personam dignam eligere, quæ supradictis digne satisfacere possit. Si igitur indignum vita, doctrina, vigilantia eligant, quot animæ ex defectu Superioris pereunt, & quot abusus & relaxationes in religionem irrepunt, imputantur à Deo justo Judice Electoribus. Magnum sane jugum, maximum detrimentum, irreparabilis jactura. Igitur ut sciant Electores, quem tamquam verè dignum eligere debeant; Qualitates eligendi ad prælaturas regulares sequēti quæstione subnecto, præmisso prius brevi catalogo peccatorum, quæ ab ipsis Electoribus solent committi.

APPENDIX.

De Peccatis Eligentium.

Eligentes scienter indignū peccant mortaliter.

PRimò itaque peccāt mortaliter, qui sciēter eligūt indignum, sive illa indignitas proveniat à vita non bona; sive ab ignorantia; sive à defectu qualitatum ad bonum regimen requisitarum; de quibus statim.

2. Peccant mortaliter, qui scienter inhabiles ex vi Canonum, qui sunt in viridi observātia, eligunt, utpote regulares, excōmunicatos, &c.

3. Multò gravius peccant, qui alios ad hujusmodi Electiones inducunt suasionibus, promissis, donis, pactionibus &c. Et qui ad acta subordinationis pro se vel pro aliis perveniunt, præter peccatum mortale, juxta Constitutionem Apostolicam Pii V. quæ incipit. *Pastoralis officii*, excōmunicationis latæ sententiæ pœnam ipso facto incurrūt, & actibus legitimis juxta constitutionem Gregorii XIII. quæ incipit: *Consuevit*, privati existunt. Vide etiam Clementem VIII. de regularium reformatione, ubi easdem pœnas & inhabilitates fulminat (& S. Sedi reservat) in eos, qui directè vel indirectè votum seu suffragiorū procurationi tam pro se quàm pro aliis se immiscent.

* *
*

QVÆ-

QUÆSTIO II.

Quibus Qualitatibus Eligendi in Prælatos Regulares instructi esse debeant?

CONCLUSIO UNICA.

3. Qualitates requiruntur in Prælato eligendo.

TRes potissimùm requiruntur in Prælato eligendo Qualitates, Nimirum: *Vita Puritas & Exemplaritas; Doctrina; Aptitudo ad regendum.*

Vita Puritas & Exemplaritas tria complectitur. 1. *Immunitatem a vitiis & peccatis gravibus*, max mè iis quæ scandalum generare sunt nata, vel quæ in detrimentum proximi vergunt: ut sunt peccata carnis, ebrietates, commessationes, iræ, invidiæ, dissensiones, rixæ, contentiones, & id genus, quæ diximus ab Episcopis abesse debere: ea enim proportionaliter quibusvis Prælatis, & maxime Regularibus sunt applicanda. 2. *Immunitatem ab omni infamia juris, vel facti*, & a quavis nota Canonica, quæ ex origine infecta vel illegitimis natalibus &c. oritur. Item, quæ ex censuris vel pœnis Ecclesiasticis remanere censetur, ut si esset excommunicatus, irregularis, interdictus &c. 3. *Positivam Bonitatem*, quæ in Virtutum actibus elucet, illarum præcipuè, quibus Prælati exemplo suis subditis præire debent. De quibus etiam suprà agentes de Episcopis.

Doctrina tria etiam respicit. 1. *Sui ipsius*, id est. Prælati eligendi *Informationem*, ut verè sciat obligationes sua, & in materiis, quæ ad animarum curam spectant, sit versatus. 2. *Suorum Subditorum Instructionem* ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. 3. *Dubiorum Resolutionem*, ut in anxietatibus consultationem norit adhibere.

Aptitudo ad regendum tribus potissimum constat; *Charitate, prudentiâ, Æquanimitate. Charitate* quidem *Dei*, quâ in Deum ipse feratur, & alios ad Deum trahere satagat, & Dei gloriam zelet, ita ut nihil permittat fieri, quo Dei honor & justitia detrimentum patiatur, sed in omnibus Subditis Divinum Amorem, Cultum, ac sacra omnia promoveat: *Charitate* autem *proximi*, ut ab omni malo, vel quod speciem habet mali, Subditos deterreat, illos in rebus regulæ & salutis dirigat, & ad ea, quæ perfectionis sunt, exhortetur & promoveat, firmos conservet, infirmis compatiatur, omnes singulari affectu prosequatur. *Prudentia* non minus Prælato regulari necessaria est, ut Subditorum qualitates, inclinationes, dispositiones investigare possit, & in omnibus agendis, disponendis, omittendis, dissimulandis, omnes circumstantias personarum, loci, temporis, rerum &c. attendere possit, & illis se accommodare. Hi enim sunt scopuli, inter quos Prælati naufragium æternæ salutis faciunt, dum aliqui obstinato quodam animi sensu, sub titulo fervoris & constantiæ, observantias zelant; non attendentes nec observantiarum aut rerum qualitatem, nec personarum dispositionem aut conditiones præsentes, aut eventuum aliquorum fortuitos casus, vel malitiosos tentatorum vel afflictorum periculosos motus &c. sed coram facie sua ambulantes se ipsos & alios in summa pericula, vel etiam barathrum æternæ damnationis præcipitant: Alii è contrà tantâ indulgentia & libertate in Subditos sub titulo pacis & benignitatis utuntur, ut & hâc viâ in altero extremo se & suos perdant. Prudentiâ itaque & discretione Prælati necessario dirigi debent, ut & rigorem nimiæ districtionis pro circumstantiis occurentibus temperare valeant; & indulgentiæ ac nimiæ libertatis habenas fræno prudentis severitatis reprimere, & medio itinere procedere. Denique *Æquanimitas* in omnibus & ad omnes servanda est Prælato; ut & in adversitatibus & contradictionibus maledicentium, ac infirmitatibus suorum Subditorum, tristitiâ, mœrore vel iracundiâ non dejiciatur; nec in prospero rerum successu de honoribus & promotionibus sibi abblandiatur, sed æquo animo & eodem semper affectu officium suum prosequatur: detractores & delatores fugiat; adulatores & assentatores ut pestem declinet: *In omnibus exemplum bonorum operum se prabeat in doctrina, in integritate, in gravitate*, non ea, quæ fastum & superbiam sap t, sed quæ maturi & inconcussi animi signum est, quam quædam ad omnes benignitas & suavitas, ut unguentum sponsi, plurimum commendat. *Tit. 3. 7.* Hæc omnia fuse & aptissimis distinctionibus explicata cum multo fructu Lector candidus videre poterit in libello Seraphici Doctoris S. Bonaventuræ, de sex alis Seraphim, qui meretur omnium Prælatorum manibus teri, ad eorum sinceram informationem. *S. Bonav.*

QUÆSTIO III.

Quæ sint obligationes Prælatorum Regularium? & quæ eorum peccata?

CONCLUSIO UNICA.

Obligationes Prælatorũ regularium in tribus cõsistunt.

IUxta rationem *Potestatis & Officiorum mensuranda sunt & enumeranda obligationes Prælatorum Regularium.* Conclusio explicatione magis indiget quàm probatione: Sic itaque explicatur.

Sicut Episcoporum Obligationes in tribus consistunt; sic proportionaliter Superiorum Regularium curam animarum habentium. Tria autem illa sunt: *Pascere, Custodire, Regere, gregem sibi commissum. Pascere*, inquam, *Doctrinâ: Sacrorum & Sacramentorum Administratione: Subsidio corporali & spirituali necessario.*

Custodire, Arcendo lupos, Oves errantes reducendo, Exponendo suam animam pro ovibus.

Regere assiduâ præsentiâ, prudenti vigilantiâ, justa correctione & Animadversione. De his pono singulos Paragraphos.

§. 1.

Pascere Doctrina.

Prælatus tenetur per se vel alios instruere subditos in necessariis ad salutem.

OBligatur itaque quilibet Prælatus per se vel per idoneos substitutos instruere & curare instrui suos Subditos in necessariis ad salutem, quæ ad tria capita reducuntur, nimirum: 1. *In Fidei & legis Christianæ tam Divinæ quàm Ecclesiasticæ Præceptis.* 2. *In votorum Essentialium necessaria notitia.* 3. *In Observantiarum Regularium juxta suos gradus disciplina;* Unumquodq; quidem juxta gradum & vocationem suam. Ratio sumenda est ex natura officii, cui animarum cura est demandata. Cum enim cura animarum per se pro fine habeat salutem illarum, obligatur Superior illam procurare, & procurare nequit, nisi subditos de tribus supradictis articulis debitè instruat, aut instrui faciat, quia ita sunt necessaria ad salutem, ut sine illis Religiosus salvari nequeat.

Dixi *(in Fidei &c. præceptis)* sæpè enim contingit eos, qui ad statum religionis veniunt, etiam non vulgares ita ignaros esse mysteriorum Fidei, & eorum quæ Christianus de necessitate salutis scire debet, ut stuporem examinantibus ingerant; eò maximè quòd a scholis veniant, in quibus supponuntur debuisse edoceri. Itaque vel tales ad religionem suscipiendi non sunt, vel si suscipiantur, cum onere illos instruendi in Fidei & Christianæ Legis necessariis suscipi censentur, & onus illud in Prælatorum humeros devolvitur.

Dixi *(in votorum essentialium notitia)* ignorantia enim culpabilis illorum sicut in subdito est mortalis, sic in superiore mortale peccatum est, si ejus negligentia vel incuria subditus essentialium votorum ignorantiâ laboret. Quod & in ignorantia nonnullorum, quæ ad disciplinam regularem spectant, contingit, quando nimirum illa aut præceptum per obedientiam continent; aut de illis sunt, sine quibus status religiosus, aut vota essentialia observari nequeunt; de quibus suprà tit. de obedientia.

Dixi *(per se, vel per idoneos substitutos)* Ut nimirum sunt *Instructores, Directores, Lectores,* & hujusmodi officiarii, qui eo ipso quo Officium suscipiunt, ad instructiones necessarias, devoluto in eos actuali onere Superiorum, obligantur sub peccato mortali: Manente tamen semper in Superiore obligatione *Vigilantiæ*, ut hi, quibus cura ista Instructionis demandata est, suum munus expleant: cujus *Vigilantiæ* defectu peccata Subditorum redeunt ad illos; quia eorum obligatio non solum fuit Instructores designare, sed maximè tenentur providere, ut efficaciter necessariorum Instructio sequatur. Heu! quot hujus defectu in barathrum descendunt, de quorum peccatis infrà.

Dixi *(Unumquemque juxta gradum & vocationem suam)* In pluribus enim instrui debet Sacerdos, quàm Clericus; Clericus, quàm simplex Laicus, Officiarius, quàm simplex Religiosus. Hic sententiæ Scripturæ & Patrum non repero, quia sat multas sub iisdem titulis Paragraphorum agens de Obligationibus & Officio Episcoporum citavi in hoc ipso tomo.

Peccata & Abusus.

Superiores qualiter peccēt defectu instructionis suorū.

PEccant igitur mortaliter, & in statu damnationis vivunt; 1. Superiores, qui externo regimini vel aliis intenti, de instructione necessaria suorum in rebus ad salutem necessariis nullam sollicitudinem gerunt, nunquam, aut rarò instructorium, exhortatorium, aut monitorum verbum ad suos Subditos habent; vix unquam de rebus salutis cum illis colloquuntur; & si Capitula celebrant, aut in illis de temporalibus sive externis agitur, aut ut plurimum sermones eorum invectivæ sunt absque aliqua doctrina.

2. Peccant mortaliter, & omnia peccata in eos relabuntur, qui ignaros Superiores scienter eligunt, instituunt vel confirmant, titulo ferè solius ceremoniæ, aut alicujus externæ habilitatis illos præficientes, cùm advertere deberent ad præcipuam eorum obligationem, quæ est in instructione & cura animarum.

3. Peccant mortaliter, qui cùm per seipsos non possint aut nolint, non procurant per alios Subditos instrui in necessariis: Sanè Concilium Tridentinum sess. 5. in Decreto de reformatione cap. 1. non aliâ ratione sancivit, ut *in Monasteriis Monachorum lectio Scripturæ haberetur*, & ut Abbates ad id cogerentur; (quod & de omnibus Regularium Conventibus consequenter ordinavit,) nisi ut in iis, quæ ad salutem necessaria sunt, omnes docerentur, & sacris literis imbuerentur. Præsupponit autem in Christianis & religiosis observantiis Regulares instructos qua deficiente non jam Lectores sacræ Scripturæ, sed Instructores Regulæ, jure Divino & naturali præficiendi essent. Immò & Lectores cogendi primitùs mandata Dei & essentialia status docere, tamquam prima ipsius sacræ Scripturæ rudimenta, seu fundamentales S. Scripturæ doctrinas. Unde etiam benè infertur, cùm Instructores, Directores, Lectores Theologiæ in conventibus instituuntur ad doctrinam necessariam Subditorum, ut munus Superiorum aliis impeditorum congrua subordinatione suppleant; teneri eos etiam sub peccato mortali sibi commissos in necessariis ad salutem erudire, & Superiores teneri invigilare, ut suum faciant officium. Quapropter Lectores Theologiæ attendant, qui totam suam doctrinam in subtilitatibus & materiis speculativis ponunt; & sciant se rationem Deo reddituros, si defectu scientiæ necessariorum ad salutem Studiosi sibi commissi ex defectu debitæ instructionis pereant.

Quod

Quod intelligendum est, si alii ad ista docenda specialiter deputati non sint: Semper enim præsumendum est Lectores Theologiæ primò docere suos Discipulos fundamenta Fidei & salutis, quæ ad Theologos maximè pertinent, priusquam ad sublimiora erudiant. Hic enim primus finis Theologicæ Lectionis, ad quem aliquando magis necessarius esset, qui necessaria salutis & religiosæ vitæ doceret, ac Regulæ & Votorum obligationes explicaret, quam qui altas Philosophias & Theologias prælegeret.

5. Gravissimo peccato super omnes irretiuntur Superiores, qui sub titulo, ne eorum subditi ad reformationes & arctiores observantias aspirent, aut in cognitionem abusuum & relaxationum primariæ observantiæ veniant, eos sub titulo humilitatis & simplicitatis à studio lectura librorum de statu suo tractantium arcent, aut illos aliis distrahunt: Ex qua sacrilega simplicitate & ignorantia religiones difformatæ sunt, & qui aliquid melius in reformanda regulari observantia sapere voluerunt, tamquam superbi & inobedientes à Superioribus oppressi sunt: Quod malum necmodò cessat.

§. 2.

Pascere Sacramentorum & Sacrorum administratione.

SEcunda pars Superioris Regularis in pascendo grege sibi commisso est: Ut provideat per se vel per alios idoneos de sacrorum & Sacramentorum congrua & legitima administratione, utque subditi debita dispositione & opportunò tempore illa recipiant; hæc enim etiam ad salutem necessaria sunt.

Superior tenetur subditum curare insigniri sacramento confirmationis.

1. Igitur, si aliqui ante ingressum religionis Confirmationis Sacramento forte insigniti non sint, obligatur Superior id sciens providere, ut ab Episcopo confirmentur. Etsi enim Confirmatiò ad salutem necessaria non sit; multum tamen ad salutem confert, & Superior negligentiam eorum, ad quos in sæculo res pertinebat, in Religione supplere debet.

2. Tenetur Superior regularis providere de Confessariis doctis & idoneis, qui Judices, Doctores sive Consiliarii & Medici Pœnitentibus esse possint; eò magis quòd in statu Religionis plura consilia ad Conscientiarum & Exercitiorum Directionem requirantur, ob majores Satanæ dolos & versutias, quibus tendentes ad perfectionem impugnat. Servandum autem specialiter ab illis est Decretum Clementis VIII. *De Casuum Reservatione*, datum Romæ Anno 1593. die 26. Maji. In quo quatuor potissimùm decernuntur. 1. Ut non liceat Superioribus Casus alios reservare, præter contentos in Decreto, absque consensu Capituli Generalis, vel Provincialis. 2. Ut Superiores non audiant Confessiones subditorum, nisi sponte id petant, vel Casum reservatum habeant. 3. Ut Superiores deputent Confessarios numero competenti, pro multitudine minori vel majori, qui sint docti, prudentes, ac charitate prædicti, & qui à non reservatis absolvant, & quibus Absolutio à reservatis committatur, quando Confessarius id judicaverit expedire. 4. Ne Superiores vel Confessarii ad superioritatis gradum promoti, unquam utantur notitia in confessione accepta ad exteriorem gubernationem.

3. Tenetur Superior Regularis assignare opportuna tempora tam pro confessione, quam pro sacra communione, aut Missæ sacrificio; etsi enim sacrum Concilium Tridentinum mensem pro monialibus assignaverit, tamen pro ratione temporis & circumstantiarum est superiorum de frequentiori frequentatione sacramentorum disponere.

4. Providere debent Superiores de tempore orationis maxime internæ, & ejus directione, sine qua status religionis vix conservari, aut consistere potest; de qua posteà.

5. Obligatur Superior providere, ut officia Divina congruè celebrentur; ceremoniæ sacræ serventur & explicentur; quæ sacrificium missæ contingunt, etiam in ornamentis tam Sacerdotii & ministrorum, quam Altarium, providè administrentur.

Peccata & Abusus.

Confessarios indoctos & instituentes peccant mort.

PRimò itaque peccant mortaliter Superiores, qui confessarios idiotas, imprudentes, & verè indignos in suis conventibus constituunt, vel ut digni, docti, prudentes ponantur, non invigilant: Unde plurima in Subditos nascuntur mala, & conscientiarum inquietudines, relaxationes, oppressiones, deficiente consilio, doctrina, informatione, immò sæpè absolvendi potestate. Grave jugum super Prælatos, qui vel proprio affectu, vel ignorantiâ vel dissimulatione instituunt, vel tolerant tales confessarios, in apertam animarum perniciem. Nec valet effugium dicentium: Religiosos vix gravia peccata admittere, & frequentissimè confiteri; etsi enim in Religione benè reformata id verum sit; in Religione tamen relaxata infiniti occurrunt casus: Immò in religione reformata animæ aspirantes ad perfectionem eò doctioribus & prudentioribus confessariis indigent, quò in via Dei frequentioribus tentationibus, afflictionibus spiritualibus, dubiis, scrupulis, & spirituum passionibus probantur, in quibus non abest periculum, si prudentes & doctos ac expertos confessarios non habeant.

2. Peccant mortaliter superiores, qui Subditos ad sibi confitendum, extra rationem Casuum Reservatorum, cogunt, qui notitia ex Con-

ex Confessionibus sacramentalibus, sive ante superioratum, sive in ipso superioratu habita utuntur ad regimen externum sui Monasterii & Subditorum.

3. Multis periculis gravibus se & subditos exponunt superiores, qui se suspiciosos, curiosos, rigidos, & duros exhibent, maximè circa ea, quæ sunt sacramenti Pœnitentiæ, ut in facultate concedenda pro absolutione à casibus reservatis, multa interrogantes à confessariis postulationibus, & multis illos vinculis volentes irretire; Unde fit, ut & Confessarii timeant recurrere, Pœnitentes autem in diversa conscientiæ naufragia se præcipitent.

§. 3.

Pascere Subsidio Temporali, & Spirituali necessario.

Infirmis & afflictis maximè subvenire debēt superiores.

OBligantur utique ex vi Officii Superiores providere; ut de victu, vestitu, medicinis, & necessitatibus hujus vitæ frugaliter sit Subditis provisum: nec spiritualia subsidia animabus denegare possunt, maxime afflictis, quibus magis compatiendum est.

Porro S. Bonaventura l. de sex alis Seraphin cap. 4. de Pietate, notat triplices infirmos tam corporales quàm spirituales, quibus præ cæteris subsidium est impendendum.

Et corporeos quidem infirmos sic describit; *Infirmitas* (ait) *corporis triplex est. Primi sunt infirmi decumbentes in lectulis, vel in acutis, vel in aliis infirmitatibus gravibus laborantes: Alii sunt infirmi per domicilium, vel etiam per terram quandoque deambulantes, & tamen sæpè gravibus doloribus afflicti, ut calculosi, infistulati, ponderosi, & similes. Tertii, determinatam infirmitatem non habentes, sed tamen corpore debiles, & viribus exhausti, ut senes, & laboribus confecti, vel naturali infirmitate depressi, seu quandoque accidentali languore ad tempus attriti.* Quibus qualiter remedia adhiberi debeant, subjungit: *His* (ait) *est triplici pietate subveniendum scilicet; remediis medicinalibus si congruè potest fieri; Item, Relaxatione rigoris in victu, vestitu, vigiliis, & hujusmodi: Item, Exemptione laboris in officiis, servitiis, discursibus, & hujusmodi, prout cujusque necessitas exquirit; Ita quod primis de primo; secundis de secundo; tertiis de tertio, juxta singulorum indigentiam specialius succurratur.* Hæc S. Bonaventura: Qui subjungit de infirmis mente: *Infirmorum* (ait) *mente etiam tria sunt genera. Primi, qui ex devotionis defectu, vel tentationis impulsu, proni sunt ad scandala & peccata &c. Secundi; qui licet bonæ voluntatis sint, & devoti; tamen ex levi correptione, vel inviсta objurgatione effecti pusillanimes, aut coincidūt in quandam desperationis diffidentiam, aut prorumpunt in gravem commotionis impatientiam &c. Tertii sunt omnes generaliter imperfecti, qui in diversis virtutum studiis sapè vacillant, & variis passionum febribus sentiunt se interdum etiam reluctantes pulsari, modo elationis, modo ira, modo acedia* &c. Quibus iterum remedia subsidiorum spiritualium à Prælatis impendenda præscribit: Primis quidem, *ut subtrahatur eis occasio scandali, opportunitas peccandi, ne videant unde infirmentur* &c. Secundis, *ut per exhortationes crebras exemplis patientiæ confortentur, & aduris interpositionibus, donec convalescant de infirmitate, parcatur eis & aliis offensis, quibus perturbentur.* Tertiis, *ut æquanimiter mores & imperfectiones eorum supportentur &c. & quasi parvulis & teneris in Christo graviora, quam valeant portare onera non imponantur &c. Hinc in Genesi: nosti quod* Gen. 33. 13. *parvulos habeam teneros & oves & boves fœtas mecum, quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur una die cuncti greges* &c. Gravem etiam citat sententiam Ezechielis c. 34. contra Pastorum imprudentiam. *Quod infirmum* Ezech. 34. 4. (ait) *fuit non consolidastis, quod ægrotum non sanastis, & quod confractum est non alligastis & quod abjectum est non reduxistis, & quod perierat non quæsistis, sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia* Unde & S.Bernardus serm. 23. S.Bernard. super Cantica: *Audiant hoc Prælati, qui sibi cōmissis semper volunt esse formidini, utilitati rarò: Erudimini qui judicatis terram Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos. Studete magis amari quam metui. Et si interdum severitate opus est paterna sit non tyrannica. Matres fovendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Mansuescite, ponite feritatē. Suspendite verbera, producite ubera, pectora lacte pinguescant, non typho turgeant. Quid jugum vestrum super eos aggravatis quorum potius onera portare debetis? Cur morsus a serpente parvulus, fugit conscientia Sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tamquam ad sinum recurrere matris? si spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu lenitatis,* Galat. 6. *considerans unusquisque seipsum, ne & ipse tēteris. Alioquin ille in peccato suo morietur, sanguinem* Ezech. 3. *autem ejus* (ait) *de manu tua requiram.* Hæc ex S. Bernardo.

Peccata & Abusus.

Qualiter peccēt superiorēs nō providentes subditis de necessariis &c. mala inde provenientia.

PEccant igitur, & in statu damnationis vivunt. 1. Qui ex sua negligentia, aut avaritia, Subditis non provident de victu, amictu & necessariis sufficientibus ad honestam & Religiosam vitam. Sunt enim causa multarum proprietatum, & quod sibi quisque quærat illegitimis etiam mediis foris, quod non potest habere in monasterio: inde conversationes, sollicitudines inquietæ, amicitiæ perversæ, contractus, communicationes, donationes indebitæ, divagationes inutiles &c. inde extinctio omnis spiritus religiosi, quæsitio propriæ consolationis, extroversio ad quærenda commoda corporis in gula & ebrietatibus: Quorum omnium sunt in causa negligentia, tenacitas, vel perversitas superiorum, & de quibus reddent rationem in die judicii. Per hæc enim sicut vita communis, sic vera vita religiosa in pluribus Monasteriis disperiit.

2. Peccant, & juxta defectum & gravitatem

trem negligentiæ vel crudelitatis in statu damnationis vivunt Superiores, qui Subditis infirmis non compatiuntur; de loco valetudinarii, ubi possint curari, non providentes de personis idoneis, qui infirmorum curam habeant, & necessaria obsequia impendant; non disponunt; minus pharmaca, aut cibos congruos illis ministrari procurant &c. Quinimmò infirmis duri & improperiosi sūt sub prætextu quòd morbum, aut infirmitatem simulent: Quibus sufficiat illa terribilis sententia! Matt. 25. 43. *Infirmus fui, & non me visitastis*, consolatione scilicet, subsidio, adjutorio necessario &c. *Ite maledicti in ignem æternum.*

3. Peccant, & juxta materiæ gravitatem, quæ ex consequētia maxima est, in statu damnationis vivunt Superiores, qui spiritualiter afflictos contemnunt; illis duros & rigidos se ostendunt: illos abiiciunt, ut sæpe vel in desperationem abeant, vel in tantam animi desolationem, ut si pejora eis non eveniant, mœrore tabescant.

§. 4.
Arcere lupos, & fures.

Conversatio mala à Subditis proscribēda. OMnem etiam conservationem malam, ac prava consilia tam in domo quàm extra tenentur Superiores à suis subditis proscribere, & summa vigilātia cavere, ne vel subintrent in monasterium, vel ad illas Subditi foris declinent: 1. Cor. 15. 33. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala* ait Paulus, multò magis prava consilia, super quibus summè invigilare Prælati tenentur. Vide quæ diximus de Episcopis simili titulo & paragrapho & cum proportione Superioribus Regularibus attribue.

Peccata & Abusus.

Superiores in hoc negligētes qualiter peccent. PEccant igitur, & juxta gravitatem materiæ & æstimationem damni etiam mortaliter Superiores, qui quosvis sæculares ad conversationem suorū admittunt; qui nonnullos discolos & veluti motiones fovent; qui super conversatione suorum religiosorum non invigilant; qui de libris, quos subditi legunt, notitiam habere non curant; qui de colloquiis ordinariis inter suos rationem non habent. Inde enim frequenter Apostasiæ, carnales conversationes, irritamenta murmurationum & dissensionum, pestes Religionum.

§. 5.
Oves errantes reducere.

Subditi ex impetu tentationum &c. delinquētes quomodo tractandi. SÆpius subditos, ut oves, ex impetu tentationum & fragilitate naturæ contingit aberrare; quos si Superior alliciat, vel redeuntes utroque charitatis brachio amplexetur, ac benignis foveat monitionibus, facilè reducet, salubriter continebit, & ex malis optimi fient. Exemplum debet illis esse Pater filium prodigum, qui omnia dissipaverat, recipiens, & cùm longè adhuc à domo esset, ad Luc. 15. eum apertis ulnis accurrens: Exemplum Christus Pastorum Pastor, qui, relictis nonaginta novem in deserto, descendit ad eam, quæ perierat, & propriis humeris reduxit.

Peccata & Abusus.

GRaviter juxta circumstantias facti delinquunt Superiores, qui Apostatas & vagabundos, ac fugitivos permittunt vagari impune, ne in onus eorum recidant, aut quia eorum inquietudines ferre nolunt. *Superiores permittentes apostatas &c. impunè vagari graviter peccant.*

2. Qui redeuntes abiiciunt, aut durè & tyrannice recipiunt; in pœnis excedunt; nullam benignitatem, nullum solatium spirituale impertiunt, opere & sermone, sub prætextu zeli, crudeliores fiunt, improperiis perpetuis eos infectantes.

3. Denique, qui se post reditum, vel erratum illis implacabiles reddunt, ponentes velut obicem misericordiæ Dei, quasi non sint duodecim horæ diei, & qui in una delinquit in æternum emendari non possit: Unde sunt causa ut plurimum vel recidivæ, vel desolationis & inconstantiæ perpetuæ, quibus competit illud terribile decretum Domini: Jac. 2. 13. *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.*

§. 6.
Exponere animam pro ovibus suis.

QUaliter illud obliget sufficienter diximus, dum de Officio Episcopi & Curatorum agentes latius id expendimus, & de fuga, ac ministerio sacramentorum tempore belli, persecutionis, pestis &c. disseruimus. Vide ibi, & *peccata ac abusus* collige, tract. 7. de Variis officiis Episcoporum, tit. 2. sect. 3. q. 1. & 2. & tract. 9. cit. 2. q. 6. §. 3. dub. unico.

§. 7.
Regere assiduâ præsentiâ.

PRo necessaria residentia Superiorum apud gregem sibi commissum expendat Lector ea, quæ de Episcopis & Parochis decernit Concilium Tridentinum sess. 23. de reform. c. 1. Et quæ sunt juris naturalis divini, & conscientiæ applicet. *Trident.*

§. 8.
Regere prudenti vigilantiâ.

Vigilātia hæc in tribus sita est VIgilantia Superiorum Regularium in tribus fere consistit.

1. Ut præsens videat qualiter communis observantia & disciplina in Conventu servetur; in officiis divinis, exercitiis spiritualibus, operibus communitatis in Ecclesia, in dormitoriis, in refectorio, in officinis & locis ad exercitia Religionis designatis; quæ debet frequenter visitare, & oportunè de iis, quæ in sua absentia fiunt, inquirere.

2. Ut advertat ad singulos Subditos, qualiter

liter se habeant in exercitiis privatis, orationis, mortificationis, exercitii virtutum, studiorũ & lectionis: ut nimirum otium diaboli pulvinar tollat, & ad alia oportunè adhortetur; unde sæpius visitandæ sunt cellæ, super privatis conversationibus & adhærentiis inquirendum, &c.

3. Sæpè necessarium est superiori, qualitates, temperamenta, inclinationes, genia subditorum cognoscere, in quibus maxime vultum pecoris agnoscit verus Pastor, & ex quorum ignorantia sæpe in regimine erret, necesse est.

Prudentia autem *Vigilantia* in tribus similiter consistit.

1. Ut sit charitativa, & subditis manifestum sit eam à dilectione & sollicitudine paterna procedere.

2. Ut sit oportuna, ut scilicet non semper & omni tempore importune instet, sed interdum dissimulet, & det locũ & tempus libertati spiritus, ut non videatur exactor, aut satelles.

3. Ut sit quieta, sine tumultu aut vexatione, sed velut in interiori mẽtis judicio & cõsistorio remanens, in quo omnia Superior conferat prudenter quæ agenda sunt in corde suo, antequam effectum vigilantiæ foris manifestet.

Peccata & Abusus.

Defectus vigilãtiæ Contra *Vigilantiam* peccant, qui nunquã vel rarò communibus exercitiis adsunt, & si præsentes sint, perfunctorie & quasi aliud agentes assistunt; nunquam vel rarò officinas visitant: nunquam vel rarò de suorum Subditorum conversatione in communi vel in privato inquirunt, immò timent, ne sibi aliquid, quod molestiam adferat, insinuetur. In alio extremo sunt, qui tamquam suspiciosi pravè omnia interpretantes, delatores & adulatores fovent, & vigilantiam istam in hoc consistere credunt, si omnia suspecta habeant, si de defectibus suorum plures sibi referant, & perpetua cum eis colloquia habeant &c. quæ est diabolica vigilantia, multorum peccatorum parens, religionum perturbatrix.

Contra *Prudentiam* in vigilantia exorbitant, qui odio, aversione, indignatione concitati, tunc potissimùm visitant, quando passione, tristitiâ, melãcholiâ adversus aliquos urgẽtur; unde fit, ut in gravissima peccata contra charitatẽ ruant, & suis subditis fiãt graves & onerosi, usque interdum ad contemptum & vilipensionem.

Similiter, qui importuni sunt nimis frequẽti, continuâ & immoderata super Fratres instantiâ & insistentiâ.

Tandem qui tumultuosè & clamorosè instant, volentes istis modis tumultuosis suam Vigilantiam manifestare, quæ est mera vesania, scandalorum multorum parens, omnis inquietudinis origo.

* * *

§ 6.

Regere justâ Correctione & Animadversione.

Magna pars regiminis Superiorum regularium consistit in *justa correctione & Animadversione* in delinquentes, sine qua legum observantia, & disciplina religiosa ruat, necesse est.

Consistit verò *Correctio & Animadversio* in tribus. 1. In *Correctione fraterna*. 2. In *Paterna Animadversione* 3. In *Juridica condemnatione & punitione.*

Correctio fraterna consistit in privata reprehensione peccantis, in privato delinquentis; dum delictum adhuc publicum non est: de qua correctione Math. 18. *Vade & corripe eum inter te & ipsum solum. si te audierit, lucratus eris fratrem tuum* &c. De qua correctione fraterna fusè egimus tom. 2. tract. 2. tit. 4. quæst. 1. sect. 2. in appendice per quatuor dubia & annotationem doctrinæ notabilis, ideircò hîc nihil repetendum: Tantùm dico: Prælatum, si aliqua deprehendat peccata à Subdito in occulto fieri, quæ privatâ scientia, & ut privatus novit, non posse, nec debere publicè Subditum corrigere, aut punire, sed teneri permittere correptionem & monitionem fraternam inter se & Subditum solùm; & si se emendet, tunc illum liberum relinquere, si verò refractarium reperiat aut monitiones negligentem, tunc ad alios gradus ibi relatos procedere debet. Vide quæ loco citato diximus. *Correctio fraterna in quo cõsistat. Matt. 18. 15.*

Paterna Animadversio sive *correctio* est, quando peccatum est Superiori tamquam Patri delatum, ut fit in Visitationibus, vel in privatis delationibus, quæ tendunt ad emendam. Et hæc est ordinaria via, quæ inter Religiosos servari debet, ut quæ deferuntur Superiori, ei tamquam Patri deferantur, cum charitativa intentione, ut qui accusatur non ad vindictam aut pœnam accusetur, sed ad salutarẽ emendam. Et ut justè se gerat Superior in ista Paterna Animadversione & Correctione.

1. Sciat se occulta & privata peccata, in paterno judicio sibi delata, non posse nec debere publicè arguere; tenetur enim conservare famam Subditi; estque genus quoddam injustæ detractionis occulta proximi peccata publicare, & aliis nota facere: Poterit tamen in occulto etiam pœnam aliquam medicinalem Subdito dare.

2. Etsi peccata, quæ ei delata sint, publica sint, quamdiu vel rumore publico, vel per accusatorem ad judicium non vocantur, non debet juridicè procedere, sed si Reus publicè sit corrigendus, debet admonitione charitativa corripi & moneri, nisi talia essẽt Peccata, quæ juridicam correptionem mererentur. Et tunc servari deberet juris substantia per inquisitionem, citationem, & convictionem Rei, ac justam sententiam.

3. In Paterna correctione advertere debet

Præla-

Prælatur, nec delationes, quæ sub titulo Paternæ monitionis sunt factæ, sint falsæ, vel ex aliqua inimicitia, vel circumventione procedant: In his enim sistere debet Prælatus, & prius rem in se reto explorare, antequam etiam accusatoalqui d ndicet; quia inde frequenter turbationes, odia, contentionesex citantur, quæ postea extingui non possunt.

4. Tandem in correctione Paterna advertat Superior, ut in se tamquam viscera Patris gerens, dilectionem & benignitatem in verbis & signis ostendat, nec alium finem habeat, quàm subditi emendam & salutem, familiæ sibi commissæ pacem & quietem omnium ad invicem amorem & charitatem.

Juridica Correctio dicitur, quando Superior, servato ordine juris ad convictionem, condemnationem & pœnas ejus rei procedit; quæ quidem, sicut rarissime in religionibus ita etiam non nisi pro gravissimis & minibus assumi debet. Quæ autem sint de substantia judicii juridici dicemus in 3. parte, dum de Judicibus agemus.

Peccata & Abusus.

Contra *Correptionem Fraternam*, ad quam ex Evangelio tenentur, peccant mortaliter Superiores Regulares.

Peccata Superiorũ circa correptionẽ fraternã.

1. Si peccata gravia subditorum, sibi notitiâ privata cognita publicent, & aliis notam faciant personam delinquentis. Est enim vere Subditũ infamare, ad cujus famam conservandam speciali titulo obligatur Prælatus.

2. Gravius peccant, delinquentem ante admonitiones prævias fraternæ charitatis, in peccatis occultis publicè arguunt, corrigunt, pœnitentiam imponunt &c. Inde enim subditi desolantur; animo despondent; sed alorum improperiis expositos credunt; unde desperabundi frequenter (si gravius non labuntur) à profectu tamen Rel gioso deficiunt.

3. Gravissime peccant, qui scientia sibi occultâ, & de occultis abutentes, ad in suspiciones illeg timas progrediuntur, & causam & occasionem quærunt, ut peccata illa tandem publicè arguere possint, & sub titulo zelo nimium averlim a subdito, cujus lapsum occultum norunt, perpetuò servant: Cum tamen charitate fraterna & obligatione paterna, ubi periculum publici scandali vel continuationis peccati non est, teneantur magis hujusmodi delicta suffocare, & omni benignitate & occulta correptione Subditum ad meliora reducere.

Contra *Paternam Animadversionem* similiter peccant, & interdum juxta materiam peccato substratam mortaliter.

1. Qui quæ occulta sciũt, statim in Capitulis insurgentes contra personam delinquentem, illa improperant, delinquentem durius excipiunt, ipsius culpam manifestant, publicam pœnitentiam imponunt &c.

2. Gravius, qui delatoribus aurem præbentes omnibus quæ referuntur facile fidem ad hibent, & statim de illis apud alios conqueruntur, illo persequuntur &c.

3. Gravissime, qui omnibus, quæ Invisitationibus ad eos ut ad patre deferuntur, fidem similiter adhibentes, nullâ informatione factâ, nulla circumspectione temporis, loci, personarum, in personas vel Conventum insurgunt, & debachantur, pœnas imponunt; unde demum scandala & gravia dissidia eveniunt &c. Quæ beneadvertere debent, qui Visitationibus Regularium vacant, ut nimirum quæ referuntur illis sciant paternæ charitati, prudentiæ, & providentiæ deponi, ad emendam & bonum Conventus, non juridicè (nisi aliquis specialis casus occurrat) adeoque Visitatores debere esse secretos, ut facile personales defectus, qui adhuc publici non sunt, non propalent; prudentes, ut omnes circumstantias in correctionibus attendant, & quæ fraterna correptione emandari possint, nunquam ad publicam Correptionem deducant, nisi publico bono & paci expediat: debent etiam esse justi, ut non nimis facile credant, facile in suspiciones delabantur, vel ad admonitiones & correctiones publicas deveniant, nisi re benè examinata, perspecta & manifestata, deque ejus veritate omninò constet: Salubriores sane sunt admonitiones generales de vitiis extirpandis & Regulari observantia resarcienda, quàm particulares Invectivæ in personas, nisi illæ sint publicè notæ & causæ relaxationum, abusuum, vel turbationis pacis, & charitatis in Congregatione.

Visitatores regularium quid attẽdere debeant.

TRACT.

TRACTATUS V.

De Subjectione, & Regimine Monialium per Abbatissas sive Præfectas; & de Monialium Clausura.

Etsi nonnulla in Superioribus sint dicta de Potestate Abbatissarum sive Præfectarum in Moniales: Quia tamen multa hanc Potestatem concernunt, quæ ibi plenè declarari non potuerunt; & de Monialium Clausura nihil adhuc dictum est, subjicio hunc Tractatum ex Eaculo nostro Pastorali Disp. 6. & 9. nonnullis additis de Clausura earum, quæ ad infirmorum obsequium sunt obligatæ.

TITULUS I.

De Potestate Abbatissarum sive Præfectarum in Moniales.

QUÆSTIO I.

Quam Potestatem habeat Abbatissa sive Præfecta Monialium in suas Subditas?

CONCLUSIO I.

Præfecta Monialiũ vera prælatura & jurisdictionis sunt incapaces.

Abbatissa sive Præfecta Monialium, nec vera prælatura, nec vera Jurisdictionis Spiritualis est capax. Ita communis torrens Theologorum cum D. Thoma in 4. d. 19. q. 1. art. 1. ad 2. quos sequuntur Canonistæ; & colligitur ex cap. *Nova*, de pœnit. & Remiss. in decreto Gregorii.

S.Thom. c. Nova.

Ratio nulla alia redditur, nisi quia femina est tonsuræ Clericalis incapax, quæ fundamentum est cujuscumque potestatis verè Spiritualis: sive potius quia Jurisdictio verè Spiritualis est quædam participatio potestatis Clavium; Claves autem mulieribus, nec BB. quidem Virgini Mariæ, sunt concessæ, ut notat Innocentius III. suprà c. *Nova*, allegato. Addidit Emmanuel Rodericquez tom. 1. qq. regularium, q. 15 art. 1. conclusionem probari ex Scripturis 1. ad Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesia taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse sicut & lex dicit. Si quid autem volunt discere, domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia.* Hanc verò prohibitionem esse juris Divini indicat idem Apostolus: *Si quis (inquit) videtur Propheta esse vel spiritualis, cognoscat quæ scribo, quoniam Domini sunt mandata.*

1. Cor. 14. 34. Vers. 35. Vers. 37.

Dixi (*vera Prælatura*) vera enim Prælatura Jurisdictionem Spiritualem, & Gradum saltem Clericalem importat in sua strictâ significatione; aliud est si Prælatura in lata & vulgari significatione usurpetur: quâ, qui in eminentiori Statu aliis præest, *Prælatus* sive *Prælata* dicitur: quomodo Moniales suas Abbatissas sive Præfectas *Prælatas* nuncupant, quod infirmi Sexus honori invidendum, aut negandum non est, ampliato sic vocabulo, Nos autem in terminis scholæ inter Sapientes loquimur.

Dixi (*Jurisdictionis verè Spiritualis*) propter actus quosdam analogicos Spiritualibus, quidem similes, sive etiam qui ab Authoritate, & Jurisdictione Spirituali procedunt, non tamen quæ insit operanti immediate, sed alicui alteri cujus nomine, virtute, vel authoritate fieri censetur.

Qualiter Abbatissa habeant Potestatẽ actuum analogicorum spiritualibus similium vel etiam spiritualium.

Explicantur in variis actibus, & primò quidem in analogicis: Sic enim Abbatissis & Monialium Præfectis ad Subditarum correctionem & debitum regimen conceditur interdum privare Moniales communione, confessione, communi conventus mensâ; item separare ab oratione communi, à choro, à conversatione Monialium, qualis etiam intelligitur fuisse excommunicatio, cujus fit mentio in regula S. Benedicti, quasi separatio quasi & resecissio à communione sive consortio Monachorum: Sed isti actus etsi quandam speciem spiritualitatis præ se ferre videantur, nihilominus sunt pœnæ merè corporales à Dominativa Potestate procedentes, ad confusionem vel ruborem, sive pœnam merè temporalem eorum, quibus imponuntur. Alii verò sunt actus à Jurisdictione quidem Spirituali manantes, non tamen quæ sit necessariò in subjecto operante, sive in executore, aut nõ nisi remotissimè, & per modum nudi ministerii & executionis. Talis est Potestas eligendi pro se & suis Monialibus Confessarium, quæ quidem electio actus Jurisdictionis Spiritualis non est, minùs Jurisdictionis ad absolvendum concessio facta ab Abbatissa, sed pura designatio personæ Approbatæ, cui ad talem designationem Prælatus ordinarius censetur Jurisdictionem & Potestatem tribuere.

Adver-

Quid de Potestate eligendi Confessarium.

Advertendum igitur hanc potestatem eligendi Confessarium approbatum pro se & suis Monialibus, nec omnibus Abbatissis ac Monialium Præfectis indiscriminatim concessam, nec iis quidem (quibus fuit hactenus concessa) ita absolute concessam, quin à potestate ordinarii Prælati dependeat, ut eam pro libitu suspendere, arctare, immò omnino tollere possit. Unde nec aliter censenda est Abbatissa hanc potestatem eligendi Confessarium habere, nisi quatenus ei a Prælato ordinario concessa est aut restricta; ita ut nullo modo jus aliquod Præfectæ Monialium prætendere possint, non obstante quacumque consuetudine vel usu. Et ita declaravit Clemens VIII. In Decreto quod incipit *Romani Pontificis*, dato anno 1599. In quo derogat omnibus concessionibus Bullæ Cruciatæ, & aliis quibuscumque indultis, quoad articulum eligendi Confessarium pro Fratribus & Monialibus quorumcumque Ordinum, declaransque his verbis intentionem Romani Pontifices: *Sed nostræ (...) intentiones existere, quòd eidem Fratres & Moniales, quantùm ad sacramentum pœnitentiæ & confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subjecti sint Apostolicâ auctoritate tenore præsentium perpetuò declaramus.*

Ex quo constat tantum abesse, ut Abbatissæ aliquam Jurisdictionem Spiritualem in electione sive designatione Confessariorum habeant, quin potius electionem illam non habere, nisi ubi & quomodo illis a Prælatis ordinariis est expressè concessa.

Talis etiam Potestas est de qua Panormitanus in cap. *Dilecta*. de Majoritate & Obedientia; & in c. *Cum dilectus*. de Consuetudinibus n. 20. & in c. *Dilecta*, de excessibus Prælatorum. Quibus conceditur Abbatissis jus conferendi beneficia, & Clericos ad illa instituendi, suspendendi à beneficio, immò & à missarum celebratione; Hæc enim Potestas est merè executorialis, & ministerialis, nullam in Abbatissa exequente Jurisdictionem Spiritualem requirens: Collatio enim beneficii aut institutio Clerici ad illud, nihil est aliud quam nuda electio, & denominatio personæ facta ab Abbatissa, ad quam designationem Pontifex vel Episcopus juxta tenorem privilegii censetur per Jurisdictionem Spiritualem in se residentem beneficium conferre, aut Clericum ad illud instituere; ita ut actus Abbatissæ sit tantùm (ut dixi) actus executorialis, & Jurisdictionis temporalis, per modum conditionis prærequisitæ: Spiritualis autem collatio sive institutio à Pontifice, sive Episcopo manare censeatur. Similiter interpretanda sunt privilegia de suspensionibus & privationibus, quatenus ab Abbatissis fiunt, nihil enim sunt nisi puræ executiones decretorum: Pontifex enim aut Prælatus ordinarius per Potestatem Spiritualem, pœnam privationis beneficii, aut suspensionis à divinis ob culpas singulares Clericorum decernit; dat verò Potestatem quandam executorialem Abbatissis, ut hujusmodi culpâ subsistente, pœnas à se decretas exequantur, ad quam executionem nulla Potestas Spiritualis requiritur. Et ita exponunt passim Doctores, inter quos clarissimè Franc. Suarez tom. 4. de religione l. 2. c. 10. n. 14. Emmanuel Rodriquez qq. Regul. tom. 1. q. 17. art. 12. per totum.

Addo quod si aliquando hi actus Abbatissarum dicuntur esse Jurisdictionis Spiritualis, id debet intelligi de Jurisdictione non in Abbatissis residente, sed in Prælato ordinario, cujus virtute operantur: aut si mavis, vocantur Jurisdictionis spiritualis terminative, quia terminantur ad aliquid, quod est Spirituali annexum, vel illud aliquo modo afficit.

Dices 1. In Pontificali titulo de Benedictione Abbatissæ, Pontifex intronisans Abbatissam his verbis utitur: *Accipe plenam & liberam Potestatem regendi hoc Monasterium & Congregationem ejus, & omnia, quæ ad illius regimen interius & exterius spiritualiter & temporaliter pertinere noscuntur*: Ergo Abbatissa Potestatem habet tam in interiori homine, quam in exteriori; tam Spiritualem in spiritualibus, quàm temporalem in temporalibus.

Explicantur verba quæ in benedictione Abbatissæ usurpantur.

Respondeo 1. Verba illa intelligi debere accomode juxta capacitatem suppositi sive personæ, quæ intronisatur, sive ad quam verba diriguntur: Cùm itaque mulier non sit capax Jurisdictionis aut Potestatis verè Spiritualis, plenitudo illa Potestatis non potest intelligi de Jurisdictione, aut Potestate verè Spirituali: alias sequeretur Abbatissæ dari Potestatem Clavium, quæ ad regimen spirituale animarū refertur, quod non modò absurdum, sed & blasphemum esset & hæreticum.

Respondeo 2. Aliud esse habere Potestatem regendi omnia, quæ ad regimen Monasterii interiùs & exteriùs spiritualiter & temporaliter pertinere noscuntur: Aliud habere Potestatem Spiritualem spiritualiter gubernandi omnia, quæ ad regimen Monasterii interiùs & exterius spiritualiter & temporaliter pertinere noscuntur. Potestas enim regendi omnia, quæ ad regimen Monasterii interius & exterius spiritualiter & temporaliter pertinere noscuntur, nihil aliud dicit, quàm Potestatem temporalem & domesticam sive maternam, qua Abbatissa ea, quæ intra & extra Monasterium sunt, & tam ea, quæ ad regimen exercitiorum spiritualium, ut silentii, officii divini, mensæ communis, observantiæ votorum, disciplinæ Regularis pertinent, quàm quæ ad temporalia bona spectant, regere debet: ad quod sufficit Potestas Dominativa temporalis absque alia Potestate Spirituali: Quomodo pœnitentiis, & correctionibus cogunt Moniales servare silentium, officio divino in choro adesse, orationi vacare, paupertatem Religiosam & obedientiam ac castitatem servare: quæ quidem in se & velut in termino Spiritualia sunt, a Potestate tamen Gubernativa temporali rectè reguntur & diriguntur. Et hæc quidem Responsio in terminis clara est, cum notanter dicatur, quòd

accipiant Potestatem regendi omnia, quæ ad Monasterium interiùs exteriùsque spiritualiter & temporaliter pertinent: Non autem quod accipiant potestatem spiritualem aut internam spiritualiter aut intrinsece regendi: Aliud est enim Spiritualia regere; Aliud Spirituali Potestate regere. Abbatissa igitur juxta capacitatem sexus sui accipit Potestatem spiritualia & temporalia regendi, sed non per Potestatem Spiritualem, sed per Potestatem Dominativam, quæ ei communicatur, quatenus est domestica & temporalis, quia Spiritualis Potestatis non est capax: Particulas tandem *interiùs & exteriùs* tantùm distinguere ea, quæ extra & intra monasterium sunt, vel inde patet: Quòd de interioribus (id est, quæ in anima sunt & permanent) nec Ecclesia tota judicet, quomodo ergo femina judicabit. Et ita intelligendã verba similia, quæ in Canonibus, immò & Abbatissarum litteris confirmatoriis continentur.

Dices 2. Potestas Abbatissæ conceditur per solemnem & spiritualem benedictionem; Ergo Potestas spiritualis est.

Respõdeo negando antecedens: Hæc enim solemnis benedictio respectu Potestatis quæ Abbatissæ competit, nullam vim spiritualem habet nisi piæ ceremoniæ & precationis: Unde Abbatissa non benedicta tantùm Potestatis habet, quantùm benedicta, ut ait Azorius 1. p. l. 13. c. 10. q. 4. Quinimmò respectu regiminis Monasterii & Monachorum præcise tantùm Potestatis habet Abbas non benedictus, quàm benedictus. Dico (respectu regiminis Monasterii præcise) propter aliquas alias præeminentias & Pontificales actus, qui eis per benedictionem, aut alio modo communicantur de quibus Emmanuel. Rodериquez tom. 1. qq. regularium q. 18. art. 2.

Ex virtute regulæ S. Benedicti &c Abbatibus nō competit Potestas spiritualis.

Dices 3. Omnia quæ in regulis SS. Benedicti, & Augustini competunt Abbatibus sive Præfectis; competunt & Abbatissis, sive Monialium Rectricibus & Præfectis: Sed Abbatibus & Præfectis competit potestas Spiritualis in Monachos sive Regulares: Ergo & Abbatissis Potestas Spiritualis in Moniales.

Respondeo, admissa pro potiori parte; id est, ferè pro omnibus majori, negando minorem & consequentiam: Neque enim ex vi regularum illarum Abbatibus aut Præfectis Potestas spiritualis in regulares competebat: cùm enim ut plurimum mere Laici essent, in quantum tales ante Clericatum Jurisdictionis & Potestatis Spiritualis incapaces erant: Unde & Sacerdotem, qui Potestate spirituali regeret, super se ab Episcopo constitutum habebant, ut docuimus disp. 2. Baculi Pastoralis q. 1. concl. 3. Quando verò ad Clericatum & Sacros Ordines dicti Abbates & Præfecti promoti sunt, tunc eis in Subditos Jurisdictio & spiritualis Potestas est communicata, non ex regula, nec ex vi Status, sed ex voluntate gratiosa Pontificum: Abbatissæ verò cum nullâ Potestate creatâ possint capaces fieri hujusmodi Jurisdictionis, sive Potestatis Spiritualis, in sua Potestate Dominativa remaneant, necesse est; eaque tamen intra limites suæ capacitatis: Certum enim virum plurium actionum capacem esse, quam feminam, solo etiam spectato sexu.

Conclusio II.

Potestas Abbatissæ sive Præfectæ in Moniales subditas est tantùm Dominativa, similis Domestica & Gubernativa, quam habet Mater familias in soboles, aut cum capitulo suo similis Politica, quam habet magistratus in cives.

Potestas Abbatissarũ &c. est tantùm Dominativa.

Ratio fundamentalis est: Quia majoris Potestatis non est capax, & aliàs sicut hæc ad regimen Status Religiosi est omnino necessaria, sic etiam in femina sufficiens est: Quam Potestatem habuerunt, qui intra statum laicalem antiquitus Monasteriis Præfecti fuerunt. Vide quæ de hac Potestate diximus in baculo pastorali disp. 1. q. 3. & disp. 2. q. 3. concl. 1.

Hæc porrò potestas his ferè terminis continetur; Ut Abbatissa sive Præfecta monialium præcipere & corrigere possit Subditas in omnibus, quæ pertinent ad domesticam gubernationem, & Communem Conventus pacem, ita ut disciplina regularis absque scandalis & perturbationibus observetur. Et hanc sententiam tenet S. Thomas in 4 d. 19. q. 1. art. 1. quæstiuncula 3. ad 4. quem communis Theologorum & Canonistarum schola sequitur. Quinimmo idem Doctor Angelicus opinatur feminis non ob aliam causam hujusmodi Potestatem concessam, nisi propter periculum, quod imminere posset, si viri mulieribus cohabitarent.

S. Thom.

Nota.

Quæstio II.

Unde competat Abbatissis, & Monialium Præfectis Potestas Dominativa in Subditas?

Conclusio unica.

Supposita Regulæ & Status sive Ordinis approbatione per Ecclesiam. Potestas Dominativa in Abbatissis, sive præfectis consurgit ex Professione Regulæ, seu Voto Obedientiæ.

Hac Potestas oritur ex professione regulæ & Voto Obedientiæ.

Ratio fundamentalis est: Quia approbatâ regulâ & Ordine censentur approbati Rectores & Rectrices secundùm regulam & ordinis illius morem institutæ; & consequenter qui Obedientiam secundùm regulam vovet, censetur obedientiam vovere omnibus, qui ex præscripto regulæ hujusmodi mandare possunt, unicuique juxta modum & gradum suum; ita ut potestas illa consurgere censeatur tum ex institutione sive electione personæ secundùm regulam approbatam, tum ex Voto Obedientiæ ac Professione personæ, quæ se hujusmodi personarum regimini subjecit, ut exempli gratiâ institutio Abbatissæ

batissæ sive præfectæ ex Regula & modo Ordinis oriatur, auctoritas autem hanc personam sive monialem ex ejus voluntaria traditione legitimè acceptata, & obligatione Voti. Vide quæ diximus disputat. 2. Baculi Pastoralis quæst. 3. conc. 2.

QVÆSTIO III.

An Abbatissa seu monialium Præfecta possint recipere Professionem Novitia, ad hoc ut efficiatur religiosa?

Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi est: Quia ad hoc ut persona constituatur religiosa, sive religioni incorporetur, & in Dei peculium, & Statum Ecclesiasticum transferatur, necessaria est potestas sive Jurisdictio Spiritualis, cujus (ut quæst. 1. dictum est) mulier omnino incapax est. Contrarium tamen suaderi videtur ex multarum religionum regulis, & praxi quâ præfectæ monialium vota suscipiunt, id in earum regulis & Constitutionibus Ecclesiâ approbante.

CONCLUSIO I.

Abbatissa &c nō potest auctoritative recipere ad professionem.

REceptio ad Professionem, quatenus est auctoritativa acceptio personæ ad religionem, & translatio ad statum Ecclesiasticum, non potest competere mulieri, & consequēter nec Abbatissa aut monialium Præfecta.

Ratio est: Quia est verè actus spiritualis Jurisdictionis pertinens ad Potestatem Clavium, ut ratio dubitandi bene concludit & docuimus citata disp. it. 2 quæst. 3. conclus. 2. Unde & antiquitudine quidem à Rectoribus, Abbatibus sive Præpositis monachorum, cum adhuc laici essent, professiones recipiebantur, sed à Sacerdotibus delegatis nomine Episcoporum & Ecclesiæ, vel etiam ab ipsis Episcopis. Ut videre est in S. Dionysio l. de Ecclesiastica Hierarchia c. 6. & in Concilio Nicæno can. 15. & alibi

CONCLUSIO II.

Sed recipit solum ministerialiter & declarative.

ACtus, quo Abbatissa sive Præfecta monialium recipit vota & Professionem Novitiarum, est actus merè ministerialis, & externa quadam declaratio, quâ testificatur publicè Novitiata juxta voluntariam Professionem acceptari nomine Ecclesiæ, & legitimorum Prælatorum, in eaq; omnes conditiones ab Ecclesia requisitas esse adimpletas.

Ratio est: Quia sicuti contractus per procuratorem fieri possunt, in quibus non tam procurator, quàm principalis contrahens operari censetur: Ita non repugnat Professionem religiosam per procuratorem fieri, & per procuratorem similiter acceptari; in quibus actibus procuratores censebuntur quidem nudum externum ministerium exercere, operatio verò consequens sive traditio & acceptatio deputabuntur non procuratoribus sed principalibus agentibus; sunt persona se religioni tradens, & Prælatus legitimus Jurisdictione Spirituali gaudens, & nomine Ecclesiæ traditionem acceptans: In hoc itaque casu Abbatissa sive Præfecta Monialium censenda est tantùm procuratrix, & Prælatorum legitimorum ministra, quorum nomine actu publico acceptatam professionem declarat: Unde communiter aliquis Prælatus vel Sacerdos nomine Prælatorum adest, qui professioni assistat; & quamvis inter manus ejus professio non emittatur, utpote quia filia profitens intra Clausuram est, aut quia ex regula sive Constitutionibus aliter est ordinatum; acceptatio tamen non dependet à materiali contactu manuum aut prolatione aliquorum verborum, sed à Potestate Prælati virtualiter operante, quæ declarari & confirmari potest per nudum aliquod signum, vel alicujus personæ nudam assistentiam, aut externum ministerium, qualecumque sit illud.

Ad clariorem verò intelligentiam Advertendum est: In multis Religionibus explicitè obedientiam non promitti Prælato recipienti, sed solam vitam secundùm Regulam; ut nimirum intelligatur obedientia non terminari ad personam simpliciter, & in individuo, sed in genere ad quascumque personas, quibus vita regularis subjecta est: Cujus quidem professionis insignis forma habetur pro religione S. Benedicti tom. 6. Biblioth. SS. Patrum editionis Coloniensis pag. 437. his verbis.

In nomine Domini nostri Jesu Christi. Amen.

ANno à nativitate ejusdem N. die. N mensis N. ego N. de tali loco & diœcesi promitto stabilitatem meam, & conversationem morum meorum, & Obedientiam secundùm Regulam S. Benedicti coram Deo & omnibus Sanctis, quorū reliquiæ habentur in hoc Monasterio N. Diœcesis N. in præsentia Domini N. Abbatis ejusdem Monasterii sub Congregatione N. ad cujus rei fidem hanc petitionem manu propriâ scripsi, die quo suprà. Quam sic perlectam offert super Altare.

Vota non terminātur ad personam recipientem, sed ad Ecclesiam.

Ex qua forma professionis constat vota non tam terminari ad personam vota suscipientem, quàm ad Ecclesiam, cujus nomine suscipiuntur, & obedientiam simpliciter emitti juxta præscriptum regulæ, & communem Hierarchiæ Ecclesiasticæ lineam, unde & diœcesis nominatur: De qua professione S. Bernardus Epist. 7. ad Adam Monachum: *Notum est solemniter ac regulariter profiteri quemquam in præsentia Abbatis: in præsentia ergo tantùm, non etiam ad nutum ipsius fit cujusq; Professio: Testis proinde adhibetur Abbas, non Dictator professionis; Adjutor, non Fraudator adimpletionis, Vindex, non Author prævaricationis.*

S. Bernard.

Dices: Novitia modò expressè promittit Obedientiam, & vota Præfectæ sive Matri explicite dicendo: *Et tibi mater* &c quæ consequenter Obedientiam, quam sibi Novitia vovet, acceptat: Sed votum Obedientiæ, cùm spirituale sit, non nisi spirituali potestate acceptari potest: Ergo &c.

Respondeo: Verba illa (*Et tibi mater*) juxta substratam materiam accommodè intelligenda esse, id est, juxta ministerium quod exhibes, & officium quod geris: Juxta ministerium quidem, ut sit sensus: *Et tibi Mater tanquam Procuratrici, & Testi mea professionis Professionis, & traditionis à legitimis Superioribus ordinatæ & constitutæ*. Juxta officium autem, ut sit sensus: *Et tibi Mater tanquam Superiori secundùm regulam ab Ecclesia approbatam, & potestatem quam habes*: nimirum in domestica gubernatione, & actionibus toto sexui competentibus, & per regulam ac constitutiones, sive etiā per superiores commissis.

Et ita explicant Doctores passim, quos latè citat Sanchez lib. 6. cap. 1. num. 17. & Emmanuel Roderiquez tom. 1. quæst. Regul. quæst. 15. art. 1. *Quando* (ait) *quis vovet obedientiam alteri, non intelligitur nisi prout moris est obtemperare, ut Laicum Laico, velut Religiosum Religioso* &c. Pari Ergo modo Moni les vovent obedire Abbatissis secundùm Potestatem quam habent præcipiendi, sive, ut ait Thomas Sanchez Op. Moral. lib. 6. cap. 1. num. 21. juxta Potestatem, cujus est capax, quæ est instar Potestatis Domesticæ & Civilis.

QUÆSTIO IV.

An Abbatissa possit præcipere in virtute sanctæ Obedientiæ, *aut alias præcepta Spiritualia imponere Monialibus?*

Præceptū per obedientiam duplici ter dari potest.

PRo clariori intelligentia hujus Quæstionis, Advertendum est primò: Dupliciter posse intelligi Præceptum *in Virtute S. obedientiæ.*

1. Ut Obedientia complectitur virtutem illam spiritualem Obedientiæ, per quam vovens seipsum plenè abdicavit, & se Deo in religione perfectè tradidit, & Prælatorum dispositioni tam spirituali quàm temporali propter Deum ut finis & objectum voti est, sive quatenus est actus Religionis; de qua S. Basilius in regulis Reg. 6. *Oportet* (inquit) *ut nosmetipsos primùm abnegemus &c. Nihil autem est aliud suiipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vita superioris oblivio, atque à suis ipsius voluntatibus recessio.* Et S. Gregorius l. 6. in 1. Reg. cap. 2. *per alias* (inquit) *virtutes nostra Deo impendimus, per Obedientiam nosipsos exhibemus.* Unde cùm dicit Prælatus: *Præcipio per S. Obedientiam*: Sensus est: *Præcipio per Obedientiam illam, quā te & voluntatem tuam Deo in religione consecrasti*: & hoc præceptum censetur spirituale ex duplici capite, nimirum, ex parte potestatis, quæ Spiritualis est; & ex parte mandati, quod ad finē Spiritualem ordinatur.

S. Basil.

S. Gregor.

2. præceptum *in virtute Obedientiæ* intelligi potest de obedientia accommoda, sive de exercitio Obedientiæ & Subjectionis, prout respicit; quod exercitium cùm sit plerumque temporale, & potestatem corporalem coërcitivam externam & domesticam spectet, etiam præceptum non censetur Spirituale.

Advertendum secundò: Illa tantùm censeri in rigore & simpliciter spiritualia Præcepta, quæ à potestate & Jurisdictione Spirituali procedunt, & ad finem spiritualem ordinantur, utpote Religiosum professum spiritualem & profectum in virtutibus, aut saltem evitationem mali spiritualis.

Quæ sint præcepta verè spiritualia.

CONCLUSIO I.

NUlla Abbatissa aut Monialium Præfecta potest aliquod præceptum verè Spirituale imponere suis Monialibus.

Abbatissa eæ. nequit imponere præcepta verè spiritualia.

Ratio est: Quia ejus Potestas Dominativa, quam in moniales etiam ratione voti habet, purè temporalis est, Domestica scilicet & Civilis; & administratio ejus ad actiones tantùm temporales & exercitia extrinseca spectat, utpote religionis ministeria & exercitia, pacem & tranquillitatem monialium, & præservationem scandalorum externorum concernentia. Et ita tenent communiter Theologi, quos vide latissimè citatos apud Thom. Sanchez suprà.

CONCLUSIO II.

ABbatissæ & monialium Præfectæ non possunt præcipere, per S. Obedientiam, & in virtute Spiritus sancti, *in rigore Theologico terminorum.*

Ratio est: Quia ut prænotatum fuit, ex usurpatione communi ista sunt præcepta Spiritualia, & actus Potestatis spiritualis, quæ femineo Sexui competere non possunt. Ita Doctores communiter.

CONCLUSIO III.

Quomodo ergo intelligatur præcipere per Obedientiam.

SI quando Monialium Præfectæ utuntur in suis mandatis Obedientiæ nomine per S. Obedientiam *præcipientes nomine* Obedientiæ *accommodè sumi potest pro debito & obligatione quam Moniales habent ad illas ex vi voti in externa illa administratione regiminis, & observantiis regularibus curandis. Ut sit sensus*: Per Obedientiam, *seu*: In virture Obedientiæ, *scilicet* quatenus ex vi officii mihi debita est, & eo modo quo debetur.

Hoe enimmodo etiam præcipere possunt Magistratus sæculares & Universitates iis, qui

qui ipsis Juramentū obedientiæ præstiterunt.

Ratio est: Quia sic ut Mandata Potestatem non excedunt, sic nec subjectio Juramantum & votum excedere potest: Votum autem quatenus terminatur ad Superiores feminas, vel mere laicos, sicut observantias & modos tantum temporales complectitur, sic & potestas in hujusmodi Superioribus ex Voto personæ sibi Subditæ orta, ultra hujusmodi observantias, & modos non potest extendi.

Dices; Votum Obedientiæ Deo factum, ad quamcumque personam sub Deo terminetur, est actus virtutis religionis obligans voventē in conscientia ad ei præstandam obedientiam, & consequenter obligationem spiritualem inducit: Ergo & potestas ex tali Voto cōsurgens potestes spiritualis erit. Ergo quilibet Regularis superior, sive sit vir sive femina, sive laicus sive clericus spirituali Potestate & actu præcipere potest.

Respondeo negando consequentiam: Non enim repugnat obligationem in conscientia Spiritualem per Potestatem merè Temporalem Domesticam sive Civilem induci. Potestas enim Civilis Regum mandata multa Subditis imponit, quorum executio in conscientia obligat, juxta illud Apostoli ad Rom. 13. *Qui resistit Potestati; Dei ordinationi resistit: Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Infra *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Etsi itaque oriatur obligatio spiritualis ex voto, potestas tamē ex eo orta sequitur statū & capacitatē personæ; ita ut qui voveret Deo se obediturum magistratui sæculari, etsi in vovente obligatio esset spiritualis, potestas tamen magistratus non esset nisi Civilis & Temporalis, & statui præcipientium accommoda.

Rom. 13. Vers. 3.

QUÆSTIO V.

An & quomodo possit Abbatissa sive Monialium Præfecta ad peccatum mortale Subditas obligare?

CONCLUSIO I.

Præcepta Abbatiss. & Præfect. possunt obligare ad mortale.

P*Ræcepta Præfectarum Monialium possunt interdum obligare ad peccatum mortale.* Ita communiter Doctores.

Ratio est: Quia potestas præfectariū Monialium ut diximus, est omnino similis potestati Domesticæ Matrum-familias, & potestati Civili magistratuum: Sed præcepta Matrum-familias possunt interdum obligare filios ad peccatum mortale: Ergo & præcepta præfectarum Monialium. Minor est omnium Doctorum in præceptum decalogi: *Honora Patrem & Matrē tuā.*

* * *

CONCLUSIO II.

Si sunt in materia gravi ad suā administrationem pertinente.

P*Ræfecta monialium non possunt præcipere sub peccato mortali, nisi in materia gravi ad suam administrationem pertinente.*

Ratio est: Quia sicut potestas earum regulatur secundùm modos in regula præscriptos; sic modus præcipiendi moderandus fuit juxta materiæ gravitatem, & circumstantiarum qualitatem: Ubi enim materia levis esset, illam sub peccato mortali nullatenus præcipere posset; & si præciperet, præceptum, quantum ad hanc obligationem, irritum esset & nullum.

Dixi (*in materia gravi ad suam administrationem pertinente*) in hoc enim distinguuntur præcepta prælatorum regularium à Præceptis Abbatissarum sive præfectarum; Quod præcepta Prælatorum versentur circa virtutes & profectum Religiosorum spiritualem: Præcepta verò Abbatissarum circa bonum commune, observantiam & disciplinam externam. Materia in præceptis Prælatorum gravis censetur in iis, quæ graviter adversantur fini spirituali & perfectioni; materiæ verò gravitas in præfectarum præceptis attenditur ex gravitate, & modo, quo eorum transgressio adversantur bono communi, & observantiæ ac disciplinæ externæ Religionis.

Dices: Si obligatio ad mortale oriatur præcise ex gravitate materiæ: Ergo non ex vi Præcepti: Sublato enim Præcepto semper materia obligabit.

Respondeo negando consequentiam: Dupliciter enim materia gravis potest præcepto supponi. 1 Ut materia aliàs per votum aut Regulæ præceptum, sive etiam Dei aut Ecclesiæ mandatum prohibita: Ut si Superior præcipiat servari jejunium, quod & Regula, & Ecclesia servari præcepit, &c. Et tunc obligatio non tam nascitur ex vi præcepti Superioris, quàm ex materia aliès prohibita. 2 Ut materia gravis apta quidem sub peccato mortali prohiberi, necdum tamen prohibita: Et tunc obligatio ad mortale oritur ex vi præcepti, supposità materiæ gravitate. Ex. g. potest nasci grave scandalum, & perturbatio monasterii, si permittantur moniales scribere litteras ad certas personas, conversari in aliquo loco, &c. Etsi hujusmodi litterarum scriptio, & conversatio non sint prohibita, quia tamen ex illis grave scandalum aut perturbatio oriri possunt, contra commune bonum, & famam Monasterii; possunt ejusmodi per Abbatissam prohiberi sub peccato mortali Monialibus, & Moniales sub mortali tenebuntur Præcepto sive prohibitioni parere.

* * *

QUÆSTIO VI.

Quid possint Præfectæ Monialium circa dispensationes & irritationes Votorum?

CONCLUSIO I.

Abbatissa ex vi officii nequit dispensare cũ subditis in præceptis regulæ &c.

A*Bbatissa sive Præfecta Monialium non habent ex vi officii Authoritatem dispensandi cum aliqua Moniali in Regula Præceptis, jejuniis, legibus Ecclesiasticis &c.*

Ratio est: Quia dispensare est actus Prælaturæ, & Baculi Pastoralis, sive Jurisdictionis Spiritualis; femina autem nec veræ Prælaturæ, nec Pastoralis Jurisdictionis est capax: Ita Sanchez lib. 6. c. 1. num. 24.

Dixi, (*ex vi officii*) Sine dubio enim potest Prælatus ordinarius committere Præfectis Monialium, ut cum suis Monialibus in certis casibus, in jejuniis, & nonnullis legibus & observantiis dispensent: Sed hæc dispensatio propriè dicta non est, sed potius declaratio voluntatis Superioris. Ita intelligendus Henriquez lib. 6. de Pœnit. cap. 2. num. 2. cum ait Abbatissam habere ex commissione Prælati, ut dispenset cum Monialibus in jejuniis, & quibusdam legibus Ecclesiasticis, dum causa urget. Verum si talis commissio detur, aliter interpretanda non est, nisi quòd Abbatissa subsistente tali causâ declaret Superioris voluntatem in rigore legis dispensantis. Quo modo etiam Abbatissa dicitur dispensare in suis propriis Præceptis, sive Præceptum omnino tollendo, sive Præceptum, quod non est nisi domesticum & civile, relaxando. Sed de hujusmodi dispensatione non est quæstio.

CONCLUSIO II.

A*Bbatissa potest irritare Vota suarum Monialium, quæ sine licentia ejus aut Superioris sunt emissa.*

Ratio est: Quia in hoc non est minoris Potestatis quàm Materfamilias, quæ impuberum Vota irritat, quia non sunt tunc perfectæ voluntatis: Moniales autem Religioni traditæ nullius censetur ad vovendum voluntatis sine licentia suorum Superiorum; habetque hanc Potestatem Abbatissa ex Potestate Dominativa radicaliter ex Voto oriunda. Videantur à nobis dicta in Baculo Past. disp. 1. quæst. 3. in prænotatis ante Conclusionem.

Dixi (*sine licentia ejus aut Superioris*) Ubi enim ipsa consensit aut Prælatus Ordinarius consenserit, posteà Votum sive suo consensu, sive etiam Superioris ipsâ contradicente emissum, irritare non poterit. Ita Doctores communiter.

***

QUÆSTIO VII.

An Abbatissa habeat omnimodam Potestatem Temporalem in administratione bonorum Monasterii?

CONCLUSIO I.

A*Bbatissa ex vi officii habet liberam administrationem bonorum Monasterii, si aliquâ lege, vel præcepto legitimo non arctetur, vel impediatur.* Ita Abbas cap. 2. num. 4. *De his quæ fiunt à Prælato*: & alii Canonistæ ac Jurisperiti, qui in hoc comparant Abbatissam Abbati. *Ex vi officii habet administrationẽ bonorum Abbat.*

Ratio est: Quia est verè Superior Monasterii, cui omnis Superioritatis Auctoritas cõpetit, quæ officio congruit, & femineo sexui non repugnat.

Dixi (*si aliquâ lege, vel præcepto legitimo non arctetur, vel impediatur*) Multa enim sunt circa Abbatissas decreta tum à summis Pontificibus, tum à Religionum Constitutionibus, quæ Potestatem illam vel arctant, vel omninò impediunt. Vide expositiones decreti Clementis VIII. de largitione munerum, & alias Leges, & Constitutiones cujuslibet religionis in particulari, ubi multa feruntur de modis contractuum, emptionum, venditionum, largitionum, computuum, ad regulandam Abbatissarum administrationem.

CONCLUSIO II.

P*Otestas Abbatissæ sive Præfectæ Monialium in bonorum temporalium administratione nõ est ita libera & independens, quin teneantur reddere computum, & claram rationem administrationis Superioribus Prælatis sive Visitatoribus, ubi fuerint legitimè requisita.* Et sic usus passim obtinuit. *Tenetur reddere cõputum Prælatis vel visitatoribus.*

Et quidem quoad non Exemptas patet ex actibus Potestatis Episcopalis, sive Baculi Pastoralis frequenter relatis ibidem, & specialiter disp. 2. quæst. 1. conclus. 1. in Dubio incidentali: ubi probavimus ex antiquis Canonibus causas & utilitates Monasteriorum ad dispositionem & curam Episcoporum pertinuisse: & ex 17. quæst. 4. protulimus decretum Concilii Agathensis videlicet: *In venditionibus, quas Abbates facere præsumunt, hæc firma servetur, ut quidquid sine Episcopi licentia venditum fuerit, ad Episcopi potestatem revocetur.* Quod verò de Episcopis dicitur, intelligendum est de Prælatis ordinariis Regularibus Exemptorum in Moniales similiter exemptas, & suæ congregationi subjectas, necnon de Visitatoribus, quorum est invigilare super debita administratione bonorum, quæ ad Monasteria & Conventus Monialium pertinent. Unde etiam juxta Constitutiones cujuslibet ordinis certum tempus assignatur, quo præsentibus Prælatis, sive visitatoribus vel eorum deputatis computus reddantur.

Dices

Dices, sufficit ut Abbatissa coram Conventu sive senioribus computum reddat, & ratiocinium prout in Constitutionibus Monasterii fuerit ordinatum; ex quorum testimonio Prælatus ordinarius sufficienter in notitiam fidelis administrationis devenire poterit.

Respondeo: ad perfectam, & irrefragabilem notitiam Prælatorum ordinariorum id non sufficere, cum infinitæ fraudes, doli, oppressiones audientium irrepere possint: Experientia enim quotidiana inter Moniales docet, seniores Monasterii aut favoribus aut avaritiâ Præfectarum sæpe induci ad dissimulandum, frequentius ad pacem servandam, turbationes avertendas, indignationes evitandas, persecutiones præcavendas cogi & compelli ad silentium; quinimmo reverentialis timor in isto sexu tantus est interdum, ut renitente conscientia fingent quod omnino à veritate alienum est.

Gregorii XV. Decretum de reddendo computu coram deputato ab Episcopo.

Quæ causæ moverunt aliquando Gregor. XV. ad dandum illud decretum, quod incipit: *Inscrutabile* datum anno 1622. Nonis Februarii, quo voluit etiam in Monasteriis Monialium exemptis aliquem ab Episcopo constitui, qui computibus & ratiociniis bonorum temporalium reddendis ejus nomine assisteret; sine dubio ut juxta Concilium Tridentinum sess. 25. de Regularibus & Monialibus cap. 3. constare posset de sufficientia redditum, eleemosynarum & dotibus pro numero Monialium competenti. Quod decretum etsi quoad Exempta Monasteria receptum non fuerit extra Italiam, confirmat tamen irrefragabiliter obligationem Abbatissarum in Monasteriis quibuscumque ad rationem reddendam administrationis suæ.

Dices 2. Ergo Abbatissæ non habent administrationem bonorum temporalium sui Monasterii contra doctrinam primæ Conclusionis.

Computus redditio non præjudicat libertati Abbatissæ.

Respondeo negando consequentiam: Libertati enim non præjudicat ratiocinii aut computus redditio, quæ duntaxat requiritur ad fidelitatis & fidelis administrationis probationem; non enim libera dicitur administratio à libertate nociva, qua posset Abbatissa pro libitu bona Monasterii dissipare, sed libera intra limites fidelis dispensationis, quam fidelitatem tenetur requisita ostendere. Unde nec computus contradicit rationabili libertati, sed tantùm prævenit infidelitatem; quare diximus in Conclusione teneri rationem reddere (*ubi fuerint legitimè requisitæ*) si enim injuste & injuriose, vel ad calumniam requirantur, possunt tunc sibi prospicere prout est juris.

Dices 3. Huic obligationi qualicumque præscriptum est in multis Monasteriis, in quibus ab antiquo nulla fuit mentio ratiocinii reddendi coram Episcopo vel Prælato ordinario sive etiam Visitatore; aut si fuit, juridicè contradictum est: Ergo in Monasteriis, quæ usum non habuerunt, legitima est cõtra hanc obligationem præscriptio: quæ autem contradixerunt in legitima possessione non reddendi permanent ante sententiam Judicis.

Respondeo & Dico 1. Quod spectat ad præscriptionem non posse nec potuisse salva visitatione contra hujusmodi obligationem præscribi: Supposito enim quòd Prælatus ordinarius sive Visitator delegatus visitare debeat Monasterium, ritè visitationis munus obire non potest absque Potestate exigendi ratiocinium temporalium. Est enim temporalium administratio, fundamentum necessarium multarum observantiarum, & vitæ communis in victu, vestitu, extirpatione proprietatis, manutenentia communis habitationis &c. quorum defectus cùm frequentissimè in penuriam bonorum rejiciatur, necessariò Visitator de illis cognoscere debet: Unde non potest præscribi contra hanc Potestatem, si non præscribitur contra Visitationem.

Respondeo 2. Quoad juridicam oppositionem, & manutenentiam possessionis, illam similiter non posse salvo jure visitationis hanc obligationem suspendere; quia ex Decreto Concilii Tridentini: *In causis visitationis non datur appellatio suspensiva.* Exigentia autem ratiocinii est actus visitationis; admissâ itaque visitatione huic actui obedire debent, donec aliter à Judice sit per sententiam diffinitivam provisum.

TITVLVS II.

De Clausura Monialium inducenda vel conservanda.

QUÆSTIO I.

An Clausura Monialium sit honesta?

Perniciosus cujusdam libellus.

Vidi magno animi mœrore libellum, à quodam parum meo judicio prudente compositum, quo plenis buccis egressum Monialium extra Claustra prædicabat sub titulo Honestæ Libertatis: & ut sacras Virgines in odium inextinguibile sacræ Clausuræ injectis velut flammis, accenderet, eam Perpetui Carceris titulo deturbabat; quod quam Religiosè fecerit, non ad religionis sed ad naturæ Tribunal Libertatis Honestæ parum Honestum assertorem appello.

CONCLUSIO I.

Turpe in omni gẽte æstimatũ mulieres extra domum vagari.

Turpe semper in omni gente æstimatum est mulieres extra domum vagari, aut frequẽtius exire. Hanc non tantùm Judæus, Græcus, aut Romanus, sed & Barbarus probat solo lumine naturali illustris. Consule Historias, ne cogamur longas narrationes facere.

Prov. 7. 10.11.& 12. Proverb. cap. 7. meretrici illi animas adolescentium illaqueanti sapienter appingitur Vers. 10. 11. & 12. *Vaga, quietis impatient, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians.*

Epitheti istius *(Vaga)* significationem velut ab effectu inferunt Septuaginta Interpretes, cum pro vocabulo *Vaga* transferunt *Volatica & Luxuriosa.* Nec semel in Scriptura *Vagari* pro *Scortari* accipitur; ut Cant. 1. (Cant. 1. 9.) *Ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum:* Ubi pro *Vagari* ponitur a nonnullis *Scortari.* Et Pausanias author est, Veneris effigiem olim in quibusdam nummis visam cum talaribus, sive alis; quas pedibus Mercurii affixit fabulosa antiquitas. Aptè Hieronymus in cap. 66. Isaiæ, ad illam legem Moysis: (Deut. 23. 18.) *Non offeres mercedem meretricis, neque pretium carnis in domo Domini. Pulchrè* (inquit) *canis & meretrix copulantur, quia utrumque animal pronum est ad libidinem.* (S. Hieron. Cur cani meretrix cõparata.) Addo ego quòd cani proprium est domum custodire, ita ut vix domum relinquat, nisi cùm lasciviâ & venere stimulante alios sectatur, & cum aliis canibus congreditur; alias aut domum servat, aut herum comitatur, ita ut nec dormienti abscedat.

Idem. Eleganter Hieronymus Epistolâ 22. ad Eustochium: *Cave ne domum exeas, & ne videre velis filias regionis alienæ. quamvis fratres habeas Patriarchas, & Israël parente læteris. Nã Dina domum egressa corrumpitur. Nolo igitur te Sponsum quærere per plateas; nolo te circumire angulos civitatis: Zelotypus est Jesus. non vult ab aliis videri faciem tuam; foris vagentur Virgines stultæ, tu intrinsecùs esto cum Sponso tuo.* Hæc ille.

Tertull. Quòd si de periculis & turpitudine pleniùs edoceri quis desiderat, legat Tertullianum lib. de velandis Virginibus cap. 14. ubi inter alia sic habet: *Ipsa concupiscentia non latendi non est pudica. patitur aliquid quod virgini non sit studium placendi utique & viris, quantum velis bonâ mente conetur, necesse est publicatione sui periclitetur. dum percutitur oculis incertis & multis. dũ digitis demonstrantium titillatur dum nimium amatur, dum inter amplexus & oscula concalescit sic frons duratur sic pudor teritur. sic solvitur.* Hæc ille. Et hoc canali torrens SS Patrum fluit.

Sed ut de Gentilium moribus aliquid depromam quod huic proposito deserviat: Ægyptiis tanta fuit cura pudoris; ut Mulieribus earum calceis uti nefas fuerit, ut domi manere cogerentur. Cæteris Ethnicis similis cura, ut videre est apud Tiraquellum in lib. 1. Connub. Quinimmò & Plutarchus testatur apud Boëtios moris fuisse, ut nova Nupta domum curru duceretur, & currus quo vecta fuerat, illâ egressâ statim flammis daretur, quo cognosceret jam ampliùs curru opus non esse, sed ipsius muneris demum fore domi consistere.

Graviter Menander apud Stobæum:
Excedis, ò Mulier, limites uxoris;
Per atrium nam ad vestibuli fores esse. extra domum esse ab ingenua Matrona existimatur Ulterius autem persequi, & in viam currere, Canis est opus, idq; conviciis affectè (ò Rhode.)

CONCLUSIO II.

Honestissima res Clausura, & domus custodia. HOnestissima res, honestatis muliebris decus, *Clausura, & domus custodia omnibus cujusvis ævi hominibus fuit.*

Hanc commendat Sacra Scriptura passim: Unde & de forti illa muliere, cujus pretium in ultimis finibus Prov. 31. dicit Salamon: (Prov. 31. 27.) *Considcravit semitas domus suæ. & panem otiosa non comedit.* q. d. alias vias non novit, quæ perpetuo domi permansit, & in consideratione domus suæ publicas plateas ignoravit. Et S Paulus ad Tit. 2. inter ornamenta honestæ & Christianæ mulieris statuit: (Tit 2. 5.) *Domus curam habentes;* vel ut Hebræus: *Domus custodes.* Certe Sara (Gen. 18.) Uxor Abraham etiam charissimorum hospitum Angelorum oculos evitabat, & domi latebat, quæ nunnisi importune vocata ab illis veniebat, in signum utique pudicitiæ & pudoris. Judith etiam commendatur, quod in (Judith. 8. 5.) diebus viduitatis *in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur.* Utique prout scribit S. Hieronymus ad Gaudentium epistola 3. (S. Hieron.) *Nec liberiùs procedat in publicum, nec semper Ecclesiarum quærat celebritatem, in cubiculo suo totas delicias habeat.* Et Angelus Gabriel ad Deiparam Virginem dicitur Lucæ 1. ingredi, (Luc. 1. 18.) quo notetur ejus in domo solitudo, & sanctus pudor; de quo S. Ambrosius l. 2. in Lucam: (S. Ambr.) *Discant* (inquit) *mulieres propositum pudoris imitari: sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus Angelus reperiret, sola sine comite sola sine teste. ne quo degenere depravaretur affatu, ab Angelo salutatur.* Hæc ibi.

Hanc honestatem non minus probant, quæ tam ex sacris, quàm ex profanis in 1. Conclusione relata sunt, cum contrariorum sit eadem disciplina, & qui inhonestum & turpe asseruit foras egredi, honestum & pulchrum fateri debet domi manere.

Unus loquatur pro honestate Nazianzenus. (Nazian.)

Mos est mulieribus res pretiosa domi manere.
Plurimùm & divinis alloqui sermonibus,
Telaq;, fusoq; (hoc enim munus est mulierum)
Ancillis opera distribuere, servos vitare,
Labiis vincula ferre. & oculis atq; genis;
Neq; pedes extra vestibula habere.

Et rursum: *Non multum extra vestibula mitte pedem, neq; ad delectationem popularem, & immodestam turbam. hæc enim pudorem aufert.*

Iterum paucis interjectis:
Domus tibi urbs est, & nemora, non videaris ab aliis,
Quàm à feminis temperantibus, & Sacerdote.

Idem in Poëmate de virginitate, feminas vocet *Testudines Domiportas*, quod domum velut ferant, & velut asylo domi se contineant:

quo

quo mysterio Pydias (referente Plutarcho in Præceptis Connubialibus cap. 33.) Veneris simulachrum effingens, fecit ut altero pede testudinem premeret: *Indicans (ait) mulierum esse munus, adium custodiam & silentium:* utique quia & domum secum defert, & nullam vocem, nec tenuissimum sibilum edit.

CONCLUSIO III.

Temerarium & heresi proximum in statem egrediendi clausura preferre.

TEmerarium & heresi proximum est, libertatem egrediendi extra Claustra sacra Monialium Clausura anteponere, aut sub titulo Carceris perpetui à sacra Clausura Virgines deterrere.

Ratio est: Quia temerarium, & hæresi proximum est, sensum & opinionem sensui sacræ Scripturæ, Ecclesiæ, SS. Patrum, & omnium proborum contrarium docere: Sed scriptura, Ecclesia, Patres, omnes denique probi semper Clausuram Virginum non modo approbarunt, sed & suaserunt, & contrariam opinionem condemnarunt; Ergo contrarium est temerarium, & hæresi proximum. Minor patebit ex dicendis.

Ezech 13. 18. Ad partim honestum itaque pravæ Libertatis assertorem dico cum Ezechiele c. 13. *Va qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universa atatu ad capiendas animas.* Hoc certè facit qui Libertatem illam Honestam affirmat, quæ inhonestati viam aperit, & honestati testatæ, probatæ, coronatæ omnino repugnat: Qui sensum suum omnibus SS. Patribus anteponit, & gravissimis SS. Patrum declamationibus frontem offert; Cui respondebo quod objiciente Vigilantio hæretico respondet S. Hieronymus: *Si omnes se clauserint, dicis & fuerint in solitudine quis celebrabit Ecclesias? quis seculares homines lucrifaciet? & peccantes ad virtutem poterit exhortari? Hoc enim modo si omnes tecum fatui sint, sapiens quis esse poterit? & Virginitas non est approbanda &c.* aut simvalte Tertulliani sententià cadere; is lib. de velandis Virginibus, contra omnes, qui Virgines volunt in publico videri, sic concludit: *Tales oculi volunt Virginem visam, quales habet Virgo quæ videri velit: invicē se eadem oculorum genera desiderant; & ejusdem libidinis est videre & videri.* Hæc ille.

S. Hieron.

Tertull.

Quantum verò honestati adversetur libertas egrediendi docet Pius V. in Bulla quæ incipit; *Decori & honestati*, data Romæ anno 1569. Kal. Febr. his verbis: *Sanè periculo & scandalo plena res est, ac Regulari observantiæ vehementer adversatur. Sanctimoniales aliquando Parentes, Fratres, sorores aut alios agnatos vel cognatos, nec non Monasteria, & alia (Filatores) nuncupata etiam eis subjecta visitandi, aut infirmitatis causà, aliove prætextu à monasteriis exire, & per sæcularium personarum domos discurrere & vagari, quo veluti colore eximium quoque* Honestatis & Pudicitiæ Decus *in discrimen committunt* &c. Si igitur Summi Pontificis sensu *periculo & scandalo plena res est;* si Honestatis & Pudicitiæ Decus *in discrimen committunt*, quæ egrediendi libertatem in Monialibus nutriunt; Quâ fronte facultas ejusdem Libertas Honesta dicetur? Quòd si de periculis dubitat, castissimum Carthusianum legat tr. de professione Monastica art. 15. *Porrò, inquit, quanta scelera & scandala oriantur ex Monialium egressione de Claustris suis, quid necesse est scribere? cùm innumeri utero, & argumenta super terram gradientia satis, & plusquam satis hoc protestentur: Alia quoque dissolutiones, & vanitates quamplurima, quæ inde sequuntur,* &c. Unde etiam Concilium antiquissimum Foro Juliense c. 12. *Nulla ullo unquam tempore licentia sit Abbatissæ, vel cuilibet Monacha, transferente se sathanâ in Angelum lucis quasi orationis causa suggerente sic loca venerabilia circuire. Quam sis nuq, unquā irreligiosum & reprehensione cum viris propter necessitaten. it 'neris conversari, nullus tam excors est & desipiens qui ignorat* Hæc Concilium. Quod si hoc dixit de sacris Peregrinationibus; quid de discursibus? Pudeat itaque Religiosum hominem sub Titulo Honestæ Libertatis prædicare, quod etiam sub titulo Orationis factū, Ecclesia ut irreligiosum & reprehensibile condemnat, sitque tandem excors & insipiens, si perseverat.

QUÆSTIO II.

An Clausura Monialium sit antiqua?

CONCLUSIO I.

ANtiquissima est Virginum ac Mulierum Deo dicatarum sequestratio à virorum consortio, ac earum Clausura.

Mulierū Deo dicatarū clausura & sequestratio à viris, in usu in veteri Lege.

Huic veritati ad stipulatur vetus Testamentum, 2. Machab æorum c. 3. *Accinctæ Mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant; sed & Virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam.* Quem locum non pauci (teste Lyrano) de puellis Virginibus intelligunt, quæ in aliqua templi parte seorsim demorabantur: Fuisse namque in antiquo Testamento mulieres, quæ sæculi Pompis, & deliciis renuntiantes ministeriis Domini se manciparent, & assiduis precibus intentæ, in domibus à communi consortio separatis prope tabernaculum velut ad ejus ostium excubarent, refert Rabbi Abraham super illud Exodi 38. *Fecit labrum aneum cum basi sua de speculis mulierum, qua excubabant in ostio tabernaculi*; cum quibus & profanos filios Heli Ophni & Phinees peccasse non obscurè colligitur 1. Reg. cap. 2. Ad has spectabat reædificato etiam magnificè templo Anna filia Phanuel Lucæ 2. quæ omnibus diebus viduitatis suæ vacans orationibus & obsecrationibus die ac nocte non discedebat de templo. Et multis ante diebus Josaba filia Regis Joram sex annis clam fuit in domo Domini cum Joas, ut eum absconderet à facie Athaliæ. Unde & S. Ambrosius l. de Virginibus sub initium: *Nam etiam templo fuisse*

2. Mach. 3. 19.

Exo. 38. 8.

1. Reg. 2. 22.

Luc. 2. 36. & 37.

4. Reg. 11. 3.

S. Ambr.

Hierosolymis legitimi Virgines deputatæ. Sed quid dicis Apostolus: Hæc autem in figura contingebant illis, ut essent indicia futurorum. Quinimmò & Deiperam Virginem in sacris istis adytis clausam & reservatam docet Nicephorus lib. 1. Histor. c. 7. Illa (inquit) ut res divina, intacta, & sacrosanctè in templi sanctiore loco & adytis ipsis vivebat. Cui consonat Hieronymus Epistolâ ad Heliodorum.

Hieron.

Sanè si ad tempora CHRISTI resurrectionem immediatè sequentia respiciamus, in vita S. Marthæ sacræ Clausuræ infallibilia vestigia reperiemus; De qua sic Breviarium Romanum: *Martha mirabili vita sanctitate, & charitate omnium Massiliensium ant... in sui amorem & administrationem adductis, in locum à viris remotum cũ aliquot honestissimis feminis se recepit, ubi summa cum laude pietatis & prudentia diu vixit.* Nota locum a viris remotum, & Clausuram lege. Et si antiquitatem continuam ferè à temporibus Apostolorum videre quis desiderat, Historias Ecclesiasticas consular, mei enim muneris non est omnia referre. Nolim tamen tacere in Conciliis antiquissimis demãdatã semper fuisse Monialibus Clausuram aliquam, seu prohibitum Monialibus egressum à suis Monasteriis, pro quo sequentem conclusionem subnecto.

Breviar. Rom.

CONCLUSIO II.

Ecclesia ab antiquissimis tẽporibus aliquam clausurã Monialibus indixit.

AB antiquissimis temporibus Ecclesia aliquam Clausuram Monialibus indixit, consortium virorum excludendo, & egressum à Monasteriis prohibendo.

Ita Concilium I. Carthaginense anno CHRISTI 342. juxta Baronium, juxta alios 330. celebratum sub Silvestro, & Marco Pontificibus sub persecutione nona Diocletiani; in quo c. 3. sic decernitur: *Nullus, nullaque sanctimoniæ & virginitati deservients, propter blasphemiam Ecclesiæ, si vobis placet, in una domo cum extraneis penitus commorari debent.* Universi dixerunt: *Qui nolunt nubere, & pudicitia meliorem eligere partem, hæc vitare debent, & non solùm non habitare simul, sed neque habere ad se aliquem accessum.*

Carth. I.

Et in Carthaginensi III. in 6. Synodo Trulli approbato can. 32. providetur: *Ut Virgines sacræ, si parentibus, à quibus custodiebantur, privatæ fuerint, Episcopi providentiâ vel Presbyteri (ubi Episcopus absens est) in Monasterio Virginum, vel gravioribus feminis commendentur, ut simul habitantes invicem se custodiant, ne passim vagantes Ecclesiæ lædant æstimationem.* Hæc ibi. Ex quibus verbis manifestum apparet ad Monasteria Virginum nec virorum accessum fuisse permissum, & illis egressum fuisse prohibitum: Quomodo enim securè Virgines Monasteriis commendarentur, si ad illa accessus, & ex illis egressus esset permissus?

Carth. III.

Citatur Concilium Generale sextum sub Agathone inchoatum, sub Leone II. circa annum 684. finitum & cõfirmatum, quod est Constantinopolitanum III. can. 46. *Quæ (inquit) vitam exercitatoriam eligunt, & in Monasteriis sunt constitutæ, ne omnino egrediantur* (aliter pregrediantur.) *Si quæ autem inexorabilis necessitas ad hoc trahit, cum benedictione & promissione ejus quæ præest, hoc agant, tuncq; non sola per se, sed cum aliquibus vetulis, & quæ in Monasterio primæ sunt, cum mandato ejusque Præfecta est. Ei autem omnino extra cubare non licet. Quamobrem quæ transgrediuntur id, quod est nunc a nobis Decretum; convenientibus pœnis subjiciantur.* Quamvis vero hic canon (ut alii observant) pertineat ad Quini-sextam Synodum, quæ Trullana dicta est; illum tamen renovavit Concilium Vernense anno 755. sub Pipino Rege can. 6. in quo amplius ordinatum est: *Ut Episcopus provideret ne tales sanctimoniales aliquam necessitatem & indigentiam paterentur, prætextu cujus oporteret egredi; Si autem aliqua egressa fuerint, præcipit Concilium eas puniri.* Vide Cresputium in Summa Doctrinæ Christianæ V. *Monialibus interdicitur egressus omnimodè.* Vide etiam quæ supra quæst. 1. conclus. 3. annotata sunt ex Concilio Foro-Juliensi, in quo prohibitæ sunt Moniales egredi etiam ad peregrinationes & venerabilia loca visitanda; & adverte quantâ arctitudine domi tenerentur, quibus exitus non patebat, nisi ubi *inexorabilis necessitas* omnino urgebat. Alia referuntur in Præfato Concilio Vernensi, & in Cabilonensi II. In quibus ipsis etiam Abbatissis prohibetur egressus, nisi in casibus ibi expressis, & cum licentia Episcopi.

QUÆSTIO III.

An in Ecclesia moderna sit aliquod Præceptum in vigore de Clausura omnibus Monialibus observanda?

CONCLUSIO UNICA.

Est modo in ecclesia Præceptũ de clausura ab omnibus monialibus servãda.

EST modo in Ecclesia Præceptum de Clausura perfecta ab omnibus Monialibus observanda.

Probatur Conclusio ex cap. *Periculoso*, de Statu Regul. in 6. Ubi Bonifacius VIII. *Periculoso* (inquit) *& de estabili quarumdam Monialium statui &c. providere cupientes, præsenti constitutione perpetuo irrefragabiliter valitura sancimus: Universas & singulas Moniales præsentes atque futuras, cujuscumque religionis sive ordinis sit quibuscumque mundi partibus existentes, sub perpetua in suis Monasteriis debere de cætero permanere Clausura. Ita quòd nulli earum religionem tacitè vel expressè professæ, sit, vel esse valeat quacumque ratione vel causâ &c.* (hic excipit aliquos casus) *Monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas; nullique aliquatenus inhonestæ persona, nec etiam honestæ personæ ingressus vel accessus pateat ad easdem &c.*

Quam Bonifacii Constitutionem integrè renovavit Concilium Tridentinum sess. 25. cap. 5.

cap. 5. de Regularibus, tam quoad egressum earum, quàm quoad prohibitionem accessus aliorum intra monasterii septa.

Quibus decretis tam Bonifacii VIII. quàm Concilii Tridentini omnino insistens Pius V. 1566. 4. Kalend. Junii, Pontificatus sui anno 1. aliam Constitutionem superaddidit, quæ incipit: *Circa Pastoralis officii*, quâ & Prælatas Constitutiones iterum approbat, ac innovat; & iterum mandat.

1. Ut omnes omnino Religiosæ præsentes vel futuræ, quæ aliquam religionem tacitè vel expresse voverint, etiam Conversæ, & Tertiariæ cujuscumque Ordinis in Congregatione viventes, quarum Vota sunt solemnia, Clausuram perpetuò servare teneantur, etiamsi à suis institutis & fundationibus ad Clausuram non essent obligatæ, nec unquam in earum Monasteriis seu domibus etiam ab immemorabili tempore Clausura servata fuerit.

2. Quòd si aliquæ Moniales fortè reperiantur, quæ Consuetudine etiam immemorabili fretæ, aut instituto aut fundatione Regulæ, animo obstinato huic Clausuræ resistant, aut quovis modo reluctentur; mandat Ordinariis, ut cum earum Superioribus eas omnibus juris & facti remediis ad Clausuram servandam compellant.

3. Denique annullat & irritas reddit omnes Professiones, quæ absque Clausuræ observatione, & obligatione post Constitutionem & contra illam fuerint emissæ, & prohibet ne ullæ ad aliquem Ordinem admittantur, quæ perpetuam Clausurã servare noluerint, ut videre est § *Cæteris omnibus* &c. Quam rursus Constitutionem confirmavit per aliam, quæ in[illegible]t; *Decori & honestati*, anno 1569.

Illam denique iterum innovavit Gregorius XIII. In Extravagante, quæ incipit *Deo sacris Virginibus*, anno 1572. ubi etiam plura ordinavit, quæ ad Clausuræ perfectionem spectant.

Ex quibus patet, nullam de hoc Clausuræ universali præcepto posse moveri dubitationem: quidquid itaque moveri potest, est de Potestate Præcipientis, & de vigore præcepti; Super quibus pono sequentes quæstiones.

QUÆSTIO IV.

An Pontifex imponere potuerit Præceptum de perpetuâ Clausura servanda Monialibus quibuscumque?

Ratio dubitãdi undesumatur. RAtio dubitandi sumitur ab iis Monialibus, quæ ad Clausuram voverunt, nec Clausura earum Regulæ, Ordini aut fundationi est annexa. Item ab iis, apud quas ab immemorabili tempore Clausura nec servata, nec promissa fuit.

Argumẽta partis negativa. Unde sit pro parte negativa valde probabiliter argumentari potest; Nemo præcipere potest, ne quidem Papa, alicui inferiori Religiosæ, ea quæ nullatenus promisit; sed sunt omnino supra votum & Regulam, & Religionis, cui nomen dedit, communem observantiam & Constitutionem: Atqui Clausura perpetua iis, quæ eam non voverunt, vel cui religio earum non est adstricta, est omnino supra Votum, & regulam ad religionem: Ergo nullus Superior, etiam Papa, Clausuram potest præcipere Monialibus, quæ eam non voverunt, vel quæ ex vi regulæ aut religionis, cui adscriptæ sunt, ad eam non obligantur.

S. Bernard. Majorem in primis docet S. Bernardus, l. de præcepto & Dispensatione cap. 7. & 8. supracitatus à nobis tract. 2. tit. 2. quæst. 3. concl. 1. & quæst. 4. dub. 1. *S. Thom.* Et S. Thomas Quodl. 10. quæst. 5. art. 10. docet Religiosos non teneri obedire Prælato ex Præcepto in his, quæ arctiora sunt, quàm regula, quamvis in illis obedire perfectæ Obedientiæ foret; quibus similia habet 22. quæst. 104. a. 5. *S. Bonav.* Et Doctor Seraphicus S. Bonaventura in 2. d. 44. quæst. ult. tradit obedientiam secundum necessariam obligationem habere terminum & mensuram juxta magnitudinem voti emissi, tantummodo enim tenetur obedire Prælatis in his, quæ promisit Domino observare: Unde si Prælatus aliquid præcipiat, quod sit supra Votum, non tenetur Subditus obedire. Et Glossa in cap. *Cist.* d. 74. ad illud: *Justum est, ut nemo crescere compellatur invitus*, dicit: *Quod Monachis vel Canonicis invitis districtior vita non possit imponi.*

Variis modis Clausura præcipi potest. Pro Resolutione accurata hujus quæstionis advertendum est: Papam posse dupliciter præcipere observantiam Clausuræ perpetuæ. 1. Sub ratione simplicis præcepti, absque ulla scilicet emissione Voti, ità ut non observantes peccent quidem contra præceptum Superioris, non tamen contra Votum, quod supponitur non esse. 2 Sub ratione Voti. ita ut præcipiat Monialibus non tantum servare Clausuram perpetuam, sed etiam obliget illas ad Votum emittendum.

Rursus, Præceptum illud, quo mandat Pontifex Clausuram voveri, dupliciter ferri potest. 1. Positive & absolutè, compellendo scilicet, & mandando, ut Votum explicitè emittant. 2. Negativè, annullando nimirum, & irritando Professiones omnes, quæ absque tali Voto explicito à Monialibus fient, quod non est aliud, quàm concedere novam conditionem irritantem, his prænotatis sit

CONCLUSIO I.

Papa potest Monialibus imponere Præceptũ clausuræ. P*Ontifex potest Monialibus imponere præceptum de observanda Clausura perpetua, easque obligare in conscientia, & compellere ad illam servandam.* Ita Doctores communiter. Emmanuel Roderiquez qq. Reg. tom. 1. q. 44. art. 1. Suarez tom. 4. de religione cap. 8. Sanchez tom. 2. Operis Moral. l. 6. cap. 15. & alii.

Proba-

Probatur verò Conclusio: Summi Pontifices plures id fecerunt approbante totâ Ecclesiâ in Spiritu sancto congregatâ: Ergo id facere potuerunt. In hac enim materia argumentum à facto ad posse concludit: Si enim Ecclesiam quis non audierit, erit sicut ethnicus & publicanus. Antecedens verò probatur ex iis, quæ diximus quæst. Superiori conclus. 2. fecit enim Bonifacius VIII. c. *periculoso*; fecit pius V. Extrav. *Circa Pastoralis*; fecit & Gregorius XIII. Extrav. *Deo sacris*: tota denique Ecclesia in sacra Synodo Tridentina in Spiritu sancto congregata Bonifacii VIII. legem innovavit & approbavit. Unde sic iterum argumento: Universalis Ecclesia in Spiritu sancto congregata, omnium Patrum unanimi consensu, Clausuram perpetuam Monialibus imposuit: Ergo non erravit: Ergo imponere potuit. Et ita in sacro Concilio quæstionem hanc primum motam & resolutam fuisse, antequam decretum illud emanaret, ex fidedignis testimoniis affirmat Lodovicus Miranda tract. de sacris monialibus quæst. 1. Ex quibus addo alteram conclusionem.

CONCLUSIO II.

Temerarium & haresi proximũ est asserere Ecclesiam non potuisse imponere tale preceptũ.

TEmerarium & haresi proximum est asserere non potuisse Ecclesiam imponere Monialibus, qua Clausuram non voverũt, Praceptum perpetua Clausura.

Ita censuerunt Angles Episcopus Sardiensis in 4. sentent. p. 7. diffic. 14. in. 2. dub. & Doctor Garcia de Galarza Episcopus Cauriensis in libro, quem scripsit de Clausura Monialium: ubi multis alligatis sic concludit. *Temerarius* (ait) *hic error* (quòd scilicet Pontifex non potuit dictas moniales ad clausuram obligare) *ortum & originem ducit ex ignorantia: & quia nesciunt id non esse novam religionem, aut novam regulam instituere, sed solummodo strictiorem & austeriorem vivendi modum sub eadem regula: qui precipitur, potuitque optimè pracipi tamquam medium quam maximè accommodatum ad servandam eandem regulam, quam semel professa sunt, & quod est quasi quid contentum in voto Castitatis &c.*

Ex quibus patet Responsio ad rationem dubirandi, ejusque argumenta initio quæstionis proposita: Duobus enim modis aliquid in regula aliqua continetur. 1. Explicitè atque directè; quod scilicet verbis expressis, vel æquipollentibus expressum est. 2. Implicitè & indirectè; quod etsi in regula non exprimatur, pertinet tamen tamquam medium congruum ad eorum, quæ in regula continentur, observantiam, & vitandas transgressiones, ita ut absque illo commode aliquod regulæ Præceptum vix conservari possit. Quæ distinctio sumitur ex S. Thoma Quodl. 10. q. 5. art. 10. ubi ait: *Ad regulam pertinere non solùm ea, qua in illa exprimuntur, verùm etiam & illa, qua ad eam quoquo modo pertinent.* Idem habet S. Bonaventura in 2. d. 44. quæst. ult.

S. Thom.

S. Bonav.

Et Clemens V. Extrav. *Exivi de Paradiso*, de Verborum signific. in 6. loquens de Fratribus Minoribus: *Declaramus* (inquit) *Fratres ex Professione sua regula obligari non solùm ad essentialia vota, verùm etiam ad omnia alia ad ipsa pertinentia.*

Dico igitur Clausuram perpetuam judicio totius Ecclesiæ a principio (ut ex Conciliis quæst. 2. citavimus) judicatum fuisse velut remedium singulare ad servandum votum Castitatis, adeoque nec suprà Regulam, nec extra illam esse, sed pertinere ad observantiam Voti castitatis; ad quam plurimum Clausuram valere omnis ætas, omnis natio, omnis sexus semper judicavit, & in puellis & feminis observari pro cujuslibet vocatione & ratione ordinavit: ut in quæst. 1. & 2. late probatum est.

Dices: Clementina *Attendentes*, de Statu Monachorum in 6. in Concilio Viennensi facta: *Auditis* (ut ibi habetur) *excessibus quarundam Monialium, quòd choreas & festa secularium sequerentur, quod per vicos & plateas incederēt, aut voluptuosam alias vitam ducerent*, non obligavit tamen illas ad clausuram servandā sed prohibitis istis excessibus tantùm mandavit, ut *eas solerter ordinarii retraherent ab insolentiis quibuslibet & mundi illecebris, ac inducerent eas ad impendendum in Monasteriis suis devotum & debitum Domino famulatum, easq; ad ea compellerent remediis opportunis* &c. Ergo non judicavit illis Clausuram competere.

Explicatur.

Respondeo: Negando ineptam illam consequentiam: Qui enim non specificavit Clausuram, illam certe non negavit; immo sub *solertia eas retrahendi*, & sub *remediis opportunis* illam conclusisse magis [illegible]erdum est; maximè cum decernat illas co[illegible]ndas *ad impendendum in Monasteriis suis devotum & debitum Domino famulatum*, id est, intra sua monasteria, quod congrue fieri non potest, nisi egressum prohibendo. Denum, quod congruum magis remedium, ad tollendos abusus, qui ibi referuntur, quàm Clausura secundùm judicium totius Ecclesiæ in tot conciliis conclusum, tot Pontificum bullis & decretis expressum.

CONCLUSIO III.

Papa non potuit directè cogere ad Votum clausura.

POntifex non potuit positivè & directè cogere Moniales ad clausura votum.

Ratio est: Quia Vota sunt actus voluntatis libertimè operantis, excludentes omnem coactionem violentam.

CONCLUSIO IV.

Potuit indirectè irritando professiones sine tali voto emittēdas

POntifex potuit compellere Moniales futuras negativè & indirectè ad vovendũ Clausuram per annullationem & irritationem Professionum sine hujusmodi Voto in posterum emissarum.

Ratio est: Quia cùm ex declaratione Bonifacii VIII.

facii VIII. cap. unico, *de Voto, & Voti redemptione*. Voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ dependeat; sicut alias conditiones Pontifex posuit, sine quibus Voti solemnitas non subsisteret; sic hanc ponere potuit, ut Professio Monialium in quovis ordine Religiosa sive solemnis nullatenus reputaretur, nisi Votis essentialibus Votum Clausuræ perpetuæ adjungerent, tamquam conditionem necessariam, sine qua nec vota solemnizarentur, nec Ecclesia professionem approbaret: Et hoc modo intelligenda est bulla Pii V. *Circa Pastoralis*, in qua futuræ Professiones sine obligatione ad Clausuram factæ annullantur & cassantur.

QUÆSTIO V.

An Præceptum de servanda Clausura perpetua ab omnibus Monialibus tum à Bonifacio VIII. tum à Concilio Tridentino, & Pio V. factum, sit in Ecclesia Dei receptum tamquam obligatorium?

Glossa in c. Periculoso.

QUidam asseruerunt illa præcepta non fuisse ubique recepta. Ita quædam religiosa in c. *Periculoso*, asserens in regno Franciæ per dictam constitutionem Moniales non potuisse ad servandam clausurā arctari, quia nec voverint clausuram, nec illam receperunt.

Trident.

Quidam modificant illud caput per Concilium Tridentinum, ut nimirum non obliget, nisi, *ubi Clausura fuit violata*, & consequenter aliquando observata; ubi autem non fuit observata, asserunt non obligare.

Conclusio Unica.

Præceptū Clausuræ &c. in tota ecclesia tempore Trid. receptū est.

PRæceptum de servanda Clausura ab omnibus Monialibus, ab Ecclesia & Summis Pontificibus factum, tota Ecclesia, saltem à tempore Concilii Tridentini, receptum fuit.

Conclusio ex usu probatur: Neque enim fuit aliqua pars Orbis, in qua Ordinarii tum Episcopi, tum Regulares ex vi hujus decreti Clausuram in aliqua Monialium Monasteria non introduxerint, etiam in ea, quæ nec voto, nec consuetudine, nec regulâ obligabātur:

Quibus ex causis huic præcepto fuerit cōtradictum.

Quòd si in omnia universaliter non sit introducta, non infirmitati præcepti imputandum est, sed contradictionibus, litibus, processibus; quæ non super nullitate Præcepti, aut invaliditate legis; sed super impossibilitatibus, indigentiis monasteriorum, temporum injuria, obligationibus ad infirmos ex contractibus justitiæ ortis, fundationibus contrariis, ignorantia juris, & legis tempore quo sunt professæ, & aliis similibus, quæ sive verè sive perperam à refugientibus Clausuram, earumque fautoribus, etiam iis, quæ Clausuram ex regula vovent, allegantur; de quibus judicabit Dominus. Ratione quorum ab Episcopis & Superioribus Regularibus justissimè & oportunè in plerisque locis cautum fuit; ut quæ profiterentur deinceps Clausuram omnino se servaturas promitterent, tempore scilicet oportuno, quando possibilitas aderit judicio Superiorum observandā. Quæ ordinario super vigore legis Concilii Tridentini, & Pii V. ac Gregorii XIII. fundata est: cui etiam non defuerunt oppositiones, non ratione legis, sed adinventis utplurimum humanis rationibus, eâ consuetudine, quâ Ismael secundùm carnem natus prosequitur Israel filium promissionis secundùm spiritum, quæ sunt per allegoriam dicta.

Dices: Ergo omnes professiones, saltem Tertiariarum, post Constitutionem Pii V. sine obligatione Clausuræ factæ, sunt nullæ.

Respondeo: Ubi non subfuerunt rationes sufficientes, quæ contra legem omnino vel ad tempus exciperent, posse reverà ab Ecclesia nullas declarari: ad illas enim annullandas sequi debet declaratio Pontifica, considerata conditione cujuslibet Professionis in speciali, ob circumstantias quæ in facto occurrunt.

Ad sententias ante Conclusionem relatas,

Respondeo: Ad Glossam quidem in c. *Periculoso* illam fuisse per Pium V. damnatam, & erasam tamquam erroneam per Judices sacræ Inquisitionis, ab eodem Pontifice selectos ad Castigationem Glossarum utriusque Juris, ut ex eadem Censura constat. Et reverà quantum ad id, quòd præceptum illud de Clausura ab omnibus Monialibus observandà in Galliis non fuisse receptum dixit, verè erronea erat, & contra expressos terminos Legum Galliarum, ut videre est in ordinationibus Blesensibus (vulgò *de Blois*) sub Henrico III. anno 1479. mense Maji Parisiis confirmatis, & anno 1580. Januarii 25. promulgatis & publicatis; in quibus Articulus 31. his verbis traditur.

Præceptū Clausuræ in Gallia est receptum.

Admonestons les Archevesques, Evesques, & autres Superieurs des Monasteres des Religieuses, de vacquer soigneusement à remettre & entretenir la Closture des Religieuses: A quoy faire ils contraindront les des-obeissantes par Censures Ecclesiastiques & autres peines de droict; nonobstant oppositions ou appellations quelconques: Enjoignons à nos Officiers leur prester toute ayde & confort. Et ne pourra aucune Religieuse, apres avoir fait profession, sortir de son Monastere pour quelque temps, ou soub quelque couleur que ce soit, si ce n'est pour cause legitime, qui soit approuvée de l'Evesque, ou Superieurs: & ce nonobstant toutes dispenses & privileges au contraire. Comme aussi ne sera loisible à personne de quelque qualité, sexe, ou aage quil soit, d'entrer dedans la Closture desdits Monasteres, sans la licence par escript de l'Evesque, ou Superieur es cas necessaires seulement, sur les peines de droict.

Ecce quàm manifestè errent, qui in Galliis illud de Clausura Præceptum non receptum affirmant, cùm & Regia auctoritate sit confirmatum ipsis ferè verbis ex Tridentino de-

tino de-

tuo desumptis. Et quidem in hoc ostendunt se Galliam vidisse numquam, in qua ordines multi, inter quos Ordo Cisterciensis & S. Francisci, Clausuram in plurimis monasteriis Monialium introduxerunt hactenus, & indies introducere magno zelo conantur; ad quam etiam introducendam gravissima statuta in suis capitulis condiderunt.

Quorundam fraudulenta interpretatio Trid. refutatur.

Ad aliam interpretationem & limitationem Concilii Tridentini de Monasteriis, in quibus violata fuit Clausura, & consequenter aliquando observata, Respondeo: Commentatores hujusmodi perperam & fraudulenter Concilium Tridentinum interpretari, & limitare: Quod revera de omnibus omnino Monialium Monasteriis, sive Clausuram aliquando servaverint, sive non, locutum esse de cum communi schola Doctorum, probo ex ipso contextu.

Primò enim ait sacrum Concilium: *Bonifacii VIII. Constitutionem, qua incipit*, Periculoso, *renovans S. Synodus*: Sed Bonifacii VIII. Constitutio omnes Moniales comprehendit: Ergo &c.

Secundò, exemplificat de iis, quæ sub gubernio militarium sunt; quas certum est clausuram in regula non vovisse, nec ante concilium servasse.

Tertiò, præcipit Episcopis sub *interminatione maledictionis æternæ, ut in omnibus Monasteriis clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restituant, ubi inviolata, eam conservent.* Qui itaque *omnibus* dicit, nullum excipit.

Verùm his divagationis femineæ injustis assertoribus Concilii verba occasionem dederunt aliquid fraudulenter commentandi: Cum enim Concilium mandet Clausuram restitui tantum in Monasteriis, *in quibus clausura violata fuerit*; ista (ut dicunt) violatio supponit clausuram infuisse, & servatam fuisse, quod si in aliquibus monasteriis numquam infuerit, aut servata fuerit, in illis non poterit dici *Clausura violata*, & consequenter in illis restitui non debet. Verùm attendere debuerunt illud solùm non dici violari, quod actu aliquando infuit, aut servatum est; sed etiam quod inesse aut servari debuit ratione obligationis & præcepti; nam violatio non respiciat tantum actum, sed præceptum ejusque obligationem, aut præcepti transgressionem: Alioquin nec quadragesimæ jejunium violasse diceretur, qui numquam illud inchoasset, nec regulam violasse asserendus esset, qui in Monasterio totaliter relaxato vivens numquam regulam servasset: Violavit certe primus jejunium Quadragesimæ, quod numquam incepit; violavit secundus regulam, quā numquam à principio servavit, quia violaverunt præceptum & obligationem, quo ad jejunium & regulam servandam obligabantur. Ita de violata clausura locutum est concilium Tridentinum; non enim intellexit violatam tantum clausuram in Monasteriis, quibus infuit aut servata est, sed quibus inesse ex præcepto Bonifacii VIII. debuit, & servata non est: Clausuram enim Monasteriorum violasse dicitur, qui præceptum obligationem ad Clausuram sibi impositam non servavit, ut in exemplo de jejunio & regula etiam sapientibus oculis manifestum est. Dic ibi argute philosophe: Catulus ante nonam diem non videns, numquid privatur visu, & cæcus denominandus est? Non utique; quia ante nonum diem ei visus inesse non debuit: Quòd si post nonum diem orbatus lumine remaneat? Tunc verè privatus visu dicendus est; quia etsi numquam visus infuerit, inesse tamen post nonum diem debuit. Dic igitur similiter: Quia in Monasterio per Constitutionem Bonifacii VIII. supponit Concilium Clausuram debuisse inesse, privationem ejus violationem apte vocavit. Unde & idem Concilium Tridentinum universaliter in eodem textu subsumens; *Nemini (inquit) Monialium liceat post professionem exire*: & cap. 22. recapitulando: *Hæc (inquit) omnia & singula in Superioribus decretis contenta S. Synodus præcipit observari in Cœnobiis & Monasteriis quarumcumque Monialium* &c. Qui hæc non videt, cœcus est & ad parietem palpans.

QUÆSTIO VI.

An Episcopi, vel alii monialium Superiores possint per se, aut cum Capitulo constituere, ut Professio facta absque Voto Clausuræ irrita censeatur & nulla?

Professio dupliciter irritari potest.

ADvertendum: Professionem alicujus dupliciter posse irritam reddi & annullari. 1. Directè & positive, statuendo aliquod novum impedimentum de facto dirimens; qualia sunt plurima à Pontificibus decreta, ut de ætate, de libertate &c. 2. Indirectè & quasi negativè, ut si tollant aliquam conditionem, quæ necessario requiritur ad valorem Professionis; Ex. g. si negent consensum suum, vel licentiam ad valorem Professionis necessario requisitam. His sic prænotatis sit

CONCLUSIO I.

Episcopi vel Prælati non possunt directè statuere novum impedimentum Professionem dirimens.

EPiscopi, & alii Superiores etiam cum Capitulis suis non possunt novum impedimentum directivè & positivè statuere, quod annullet & irritet Professionem.

Ratio est: Quia cùm tota solemnitas voti moderno tempore sit reservata Summo Pontifici, etiam conditiones & impedimenta dirimentia reservata censentur.

Dixi (novum impedimentum) Possunt enim assumere impedimenta dirimentia, quæ jam à Summis Pontificibus sunt decreta, etsi ad praxim in suis diœcesibus necdum sint reducta: Quomodo licet in praxim reducere, quod Pius V. in sua Constitutione *Circa Pastoralis*, statuit, ut Monialium, quæ imposterum

rū reciperentur, si absque Clausura vivere vellent, professiones irritæ essent & nullæ. Qui textus etsi nonnullis de solis Tertiariis loqui videatur, de omnibus tamen loqui probabile est ex terminis annexis *Ceteris omnibus* &c. In quibus verbis recapitulat omnes Moniales, de quibus locutus fuerat; Supponitur enim loqui etiam de Monialibus solemnem professionem emittentibus, cùm professiones in genere quascumque tam privatas quàm solemnes annullet.

Conclusio II.

Episcopi & alii Superiores possunt indirectè & negativè statuere impedimentum dirimens, & annullans Professionem absque voto Clausuræ factam, tollendo, sive negando etiam per legem, aut publicum statutum licentiam, sive facultatem, & consensum aliquas sic recipiendi, vel professionem admittendi sine hujusmodi conditione de servandâ Clausuram apposita.

Possunt indirectè statuere novū negando per statutum cōsensum in professionē sine Voto Clausuræ factam.

Ratio est: Quia sicut in potestate Episcopi, & aliorum superiorum est recipere vel recusare personas se ad religiones sibi subjectas præsentantes, & prohibere ne aliquæ ob legitimas causas recipiantur, adeoque justè negare suum consensum: Ita potest per legem negare consensum suum, & prohibere omnibus suis Subditis, ne recipiant alicujus professionem, nisi sub conditione quòd obligabit se ad Clausuram servandam; ita ut deficiente tali conditione, consensus Superioris non censeatur datus, & consequenter professio sine consensu illius, cujus est illam admittere, facta sit invalida & nulla.

Et super prædictis fundantur Statuta in variis Ordinibus facta, quæ sub pœna nullitatis Professionis recipi Monialium professiones absque obligatione Clausuræ prohibent. Ita clarissimè Statuta sive Diffinitiones Capituli Generalis Cisterciensis ordinis anno 1618. Maji 14 inchoati, in quibus cùm omnibus Vicariis Generalibus Provinciarum, aliisque Superioribus & Visitatoribus quarumcumque Monialium ejusdem ordinis, sub obtestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ demandatum esset, ut intra terminum octo mensium legitimo cessante impedimento Clausuram juxta formam Decretorum SS. Concilii Tridentini inducerent, sic tandem concluditur: *Insuper capitulū Generale ordinat, & statuit, ut nulla deinceps ad professione admittatur, nisi expresso facto Voto perpetua clausura: alioquin ejus professio nulla sit & irrita. Quod Statutum puellas ad præsens novitias etiam comprehendere intelligitur. Quòd si Clausuram expressè vovere renuant, ad seculū remittantur.* Quæ verba declarant non tam impedimentum dirimens imponi, quàm consensum ordinis & Superiorum negari in ordine ad professionem alio modo factam. Unde ne error supponatur in intentione, formam subjecerunt his verbis: *Ego Soror N promitto stabilitatem meam cum perpetua Clausura, & conversationem morum meorum, & obedientiam secundùm regulam S. Benedicti* &c. Et de similibus Constitutionibus idem judicandum est.

Quaestio VII.

Quam Potestatem habeant Episcopi in Moniales quoad Clausuræ Observantiam?

Conclusio I.

Episcopi habent ordinariam & omnimodam ac illimitatam Potestatem introducendi & conservandi Clausuram in omnibus monasteriis Monialium non exemptis.

Episcopi Monasteriis sibi subjectis habēt potestatem ordinariā omnimodam & illimitatā.

Conclusio patet 1. ex verbis Concilii, quibus expressè mandat, ut in monasteriis sibi subjectis ordinaria auctoritate Clausuram Sanctimonialium restitui procurent.

2. Ex gravitate Præcepti, quod sub obtestatione *divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ* indicitur.

3. Ex eo quòd potestas fiat inobedientes *per censuras ecclesiasticas, aliasq; pœnas, quacumq; appellatione postpositâ, compescendi, invocato, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.*

4. Ex eo quòd S. Synodus *omnes Principes Christianos hortetur, ut auxilium præstent*: Magistratibus verò præcipiat sub pœna Excōmunicationis ipso facto incurrenda, *ut prædictum auxilium præbeant.*

Conclusio II.

Episcopi omnimodam Potestatem ordinariam habent in Moniales non exemptas, ut earum personas ad Clausuram compellant.

Eandem habent aut majorem in ipsas Moniales.

Conclusio ita sequitur ex præcedenti. Clausura enim Monasteriorum non indicitur nisi ratione personarum; unde qualem potestatem habet Episcopus ad Monasterii Clausuram, eandem censetur & majorem habere in personas, quæ Clausuram servare debent. Dico (majorem) quia etsi Episcopus interdum Clausuram perfectam murorum, crates, & alia hujusmodi ad Clausuram pertinentia ob aliquas rationes exequi non possit; potest tamen omnino præcipere, etiam Censuris adhibitis, ne Moniales domum exeant, ne ad loca, ubi sæculares conveniunt, ire possint, ne ad certa loca personas sæculares admittant; non enim Clausura in solis muris materialibus consistit, sed in separatione à cohabitatione & consortio sæcularium præcipuè virorum, & in morali quadam determinatione ad certa loca, & modos eam conservandi. Et ita practicatum fuisse in Ecclesia docent concilia antiquissima q. 2. relata, per quæ prohibebantur Moniales egredi Monasteriis, & colloquia cum viris miscere.

* * *

CONCLUSIO III.

Licentia ingrediendi vel egrediendi ex certis casibus jure expressis ab Episcopo datur. Trident.

L*Icentia egrediendi in casibus jure vel decretis Summorum Pontificum expressis, non conceditur Monialibus non exemptis nisi per Episcopum; similiter nec licentia ingrediendi Monasteria.*

Ita Concilium Tridentinum sess. 25 cap. 5. *Nemini autem (inquit) Sanctimonialium liceat post professionem exire a Monasterio etiam ad breve tempus, nisi ex aliqua causa ab Episcopo approbanda, indultu quibuscumque & privilegiis non obstantibus.* Ex quo Præcepto colligitur, quod egressus Monialium quarumcumque a monasteriis post professionem, sive clausuræ sint addictæ, sive non, non possit ab Abbatissa vel quacumque Præfecta permitti, sed omnino licentia Episcopi requiratur. Ratio est: Quia præceptum universale est, quod à Clausura abstrahit: Unde arbitror Episcopum omnino prohibere posse Abbatissis & Priorissis in monasteriis etiam non clausis, ne ullatenus Moniales dimittant extra monasterii septa, non obstante quavis consuetudine, vel privilegio; verba enim Concilii clara sunt.

Idem.

De ingressu porro personarum quarumcumque in monasteria etiam in eodem cōtextu sequitur: *Ingrediendi autem intra septa Monasterii nemini liceat cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtenta, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda.*

CONCLUSIO IV.

In monasteriis Exemptis Episcopi etiam omnimodam potestatē habent sed delegatā.

E*Piscopi omnimodam potestatem habent quamvis delegatam procurandi clausuram in quibuslibet Monasteriis Monialium Exemptis.*

Patet ex eodem contextu Tridentini suprà.

Procurationem verò illam in Episcopis respectu Monialium exemptarum, quæ Superiores Regulares habent, intelligunt Doctores in casibus, in quibus Superiores moniti deficerent, vel de violata, aut non debitè custodita Clausura accusatio, ac querimoniæ deferrentur: Alias censent Episcopum non posse se immiscere, supposito quòd Regulares Prælati officium suum exerceant & Clausuræ observantia nihil eorum negligentia vel insufficientia patiatur.

Ratio est: Quia delegata potestas est tantùm suppletiva ordinariæ in casu defectus, & insufficientiæ Ordinariorum; & aliàs cessante fine legis, lex cessare censetur. Posito igitur quòd clausura intemerata servetur & de ipsius defectu, aut abusu non sint querimoniæ; præceptum datum Episcopis cessare censendū est, inutile enim foret. Vide Barbosam in tr. de Clausura Monialium, Emmanuel Roderiquez, & alios locis sæpè citatis.

* *

QUÆSTIO VIII.

Quid de Clausura Monialium quæ obligantur ad obsequium infirmorum?

Quadam congregationes feminarum ab immemorabili obligatæ fuerunt obsequio infirmorum.

ADvertendum 1. Nonnullas Religiosas Congregationes feminarum ab immemorabili tempore obligatas fuisse honesto infirmorum & infirmarum obsequio, maxime in Hospitalibus, Xenodochiis, & domibus infirmorum curæ deputatis, quæ & *Hospitalariæ* dicuntur, & hæ ut plurimùm vel ex fundatione obligationem habuerunt, vel ex aliquo contractu.

Advertendum 2. Moniales illas à Congregatione viventes non semper veras Religiosas in rigore fuisse, sicut & modò non sunt; sed habitu tantum Religioso simili induras, sub quibusdam Constitutionibus domesticis ad modum Religiosæ disciplinæ conformatis vixisse & vivere, sub simplicibus tantum Votis; Aliæ quidem sub tribus, Obedientiæ scilicet, Castitatis & Paupertatis, Aliæ sub duobus tantùm, Obedientiæ & Castitatis et perpetuis: Aliæ tandem sub Votis temporalibus Obedientiæ & Castitatis, quamdiu in Congregatione & obsequio illo permanerent. Et talia adhuc multa visuntur in Belgio Xenodochia & Hospitalia, & ut in nonnullis locis Gandavi, Brugis, & aliis Civitatibus Flandriæ. In hoc vero dignoscuntur, an sint veræ & propriè dictæ Religiosæ Votis solemnibus professæ, an verò tantùm sub simplicibus Votis, vel figura & forma religiosa vivant; quòd quæ sunt veræ Religiosæ & propriè dictæ, ac solemnibus Votis professæ, emittunt tria Vota perpetua in manibus Superioris, secundum aliquam Regulam ab Ecclesia pro Religiosa approbatam: Quæ verò sunt tantùm similitudinariè Religiosæ, emittunt dumtaxat Vota juxta Consuetudines aut Constitutiones alicujus Domus vel Congregationis, quæ quidem ab Episcopis approbata est, non tamen à S. Sede Apostolica, prout in Concilio Lugdunensi cautum est, ad distinctionem verarum Religionum approbatarum.

Advertendum 3. Tertiarias Ordinis S. Francisci, sive 3. Regulæ multo tempore fuisse habitas pro non Religiosis propriè dictis; cum ex Regula Nicolai III. nec in Congregatione vivere obligarentur nec ut plurimùm ad tria Vota religionis essentialia; sed regula illa omnibus etiam in privatis domibus habitantibus esset communis: Posteà tamen in congregationes se adunasse, tria Vota Obedientiæ, Castitatis & paupertatis emisisse. Superiores habuisse. De quibus nihilominus iterum dubitatum est, & variè altercatum est, an vota illa solemnia an simplicia tantùm essent, ea potissimùm ratione, quòd etsi regula à Nicolao III approbata esset, non tamen sub professione solemni Religiosa trium Votorum, cum primi illius regulæ professores tantùm ad Dei mandata observanda se speciali titulo obligarent,

garent, & ad Constitutiones sive regulam illam juxta obligationes ejus, quæ ad summum sunt, exceptis Dei mandatis, venialium peccatorum.

Advertendum 4. Etsi plures Pontifices declarassent vota illa tria, quæ Tertiariæ Ordinis S. Francisci communi Professioni adjunxerant, esse solemnia, & Moniales, quæ emissis illis votis in Congregatione vivebant, esse habendas pro veris Religiosis, solemnibus votis professis, ut specialiter Sixtus IV. in bulla, quæ incipit: *Ad Christi Vicarii*, data Romæ anno 1480. Kalend. Decembris, Pontif. anno 10. quam declarationem denuò confirmaverat Leo X. in bulla quæ incipit: *Ea qua ad Ecclesiam*, data Romæ anno 1517 Pontif. anno 5. Nihilominus posteà idem Pontifex Leo videns quod per specialia decreta vix imponeretur finis difficultatibus, anno 1521. Pontificatus anno 8. 20. Januarii Regulam 3. Ordinis S. Francisci à Nicolao IV. confirmatam, quæ communis erat tam in privatis domibus, quàm in Congregatione viventibus nec non maritatis ac Virginibus, sive cœlibem vitam ducentibus *pretiosum* (ut inquit) *à vili separans*, reduxit ad Congregationem Tertiariarum, quæ in tria Vota solemnia Obedientiæ, Castitatis & Paupertatis emitterent, & veræ Religiosæ essent. Unde de præfatis Tertiariis dubitandum non est, quin sint veræ Religiosæ tria vota solemnia professæ.

Advertendum 5. Ex illis Tertiariis quamplures obtinuisse Conventus apud Hospitalia & Xenodochia, quæ ex fundatione ad infirmos suscipiendos, vel peregrinos hospitandos obligabantur, illamque obligationem in se, sub vili admodum in multis locis stipendio, suscepisse, ac curam infirmorum gessisse; quorum tanta charitas interdum enituit, ut sui oblitæ proprio sudore acquisitas eleëmosynas infirmis applicandas obtinerent, & deficiente stipe communi infirmos ipsos alerent, & de medicaminibus eis providerent, potiùs quàm stipendio Hospitalis ipsæmet alerentur: de quibus mercedem à Deo non ab hominibus exspectare debent. Aliæ etsi Hospitalia non possiderent, Conventus tamen aliquis in Civitatibus obtinuerunt cum obligatione visitandi infirmos per Civitates, eisq; inserviendi accepto similiter stipendio vilissimo suorum laborum.

Advertendum 6. Fundationes illas & contractus interdum pro paucissimo numero factos, ut pro quatuor, sex &c. sive quòd à tot feminis sæcularibus priùs Hospitalibus præfatis serviretur, sive quòd pro paucis stipes vel stipendium assignaretur, adeoque mensurandum numerum juxta fundationem primam, vel stipendium, quod actu recipitur. Cùm enim jam expensis & dotibus filiarum Conventus sint ædificati & ampliati, est contra jus divinum naturale velle exiguo stipendio, & ferè nullo obligare decem, si fundatio vel contractus tantùm stipulaverint vel stipendium præbeant pro quatuor.

Advertendum 7. Leonem X. professis tria vota essentialia, juxta Regulam à se traditam concessisse cap. ult. Regulæ suæ facultatem, ut Clausuram deinceps servarent eâ quidem distinctione, quòd quæ non essent obligatæ ad obsequia infirmorum, illæ quidem absolute possent Clausuram vovere & servare; quæ verò ad infirmorum obsequia obligatæ essent, Clausuram quidem vovere & servare possent, salvâ tamen honesta charitate erga infirmos. Ita expressè c. 10. sive ult. Regulæ: *Teneantur etiam ad Clausuram servandam illa, qua ipsam expressè servare voverint: Quod omnibus & singulis Conventibus concedimus, dummodo hospitalitas & charitas, quam exercere solent, nullum cum honestate patiatur detrimentum.* His hic prænotatis pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Religiosæ non professæ tria vota solemnia in Congregationibus habitantes sub habitu Religioso simili, & Constitutionibus adinstar Religiosarum non tenentur ad Clausuram sive ministrent infirmis, sive non. *Fœminæ non religiosæ simul habitantes nullo modo tenentur ad Clausuram.*

Ratio est: Quia non comprehenduntur in c. *Periculoso*, Bonifacii VIII. & consequenter nec in Tridentino, nec in Decretis Posterioribus Summorum Pontificum, quæ tantum præcipiunt Clausuram verè Religiosarum, quæ professionem solemnem emittunt, quales non sunt illæ, de quibus in Conclusione.

CONCLUSIO II.

Moniales, quæ verè Religiosæ sunt, & solemnia Religionis vota emiserunt si ex vi fundationis vel contractus ob aliquam impossibilitatem aliujus conditionis non impediantur, possunt & debent ex vi capitis Periculoso, *& Concilii Tridentini, ac Decretorum Summorum Pontificum urgeri ad Clausuram servandam, non tamen teneantur eam vovere.* Hæc Conclusio patet ex supradictis de obligatione Clausuræ. *Religiosæ tenentur, si nihil obstet.*

CONCLUSIO III.

Moniales, quæ ex fundatione & contractibus legitimis & perpetuis obligatæ sunt ad curam & obsequium infirmorum, sive in Hospitali Monasterio annexo sive per domos, quamdiu fundatio vel contractus subsistunt; non obligantur ad Clausuram suis functionibus & obligationibus contrariam. *Moniales obligatæ obsequio infirmorū non tenentur ad Clausuram obligationi contrariam.*

Ratio est: Qua cum leges Clausuræ sint præcepti purè humani & positivi, non possūt derogare juri & obligationi naturali: Supponitur autem dictas Moniales ex fundatione & contractibus legitimis & perpetuis esse obligatas, quæ obligationem juris & fidelitatis naturalis includunt.

Et hæc Conclusio certa est apud Tertiarias Ordinis S. Francisci in Congregatione sub votis solemnibus & Regula Leonis X.

 militan-

ministrantes, quæ Hospitalibus vel infirmis serviunt: ita enim indulget illis Leo X. c. ult. Regulæ Clausuram, *Dummodo*, inquit, *hospitalitas & charitas, quam exercere solent*, (nimirum ex debito & obligatione) *nullam cum honestate patiatur detrimentum*. Cum igitur hæc Regula per Leonem X. fuerit restituta post editum cap. *Periculoso*, à Bonifacio VIII. duque post tempora illius; certum & infallibile est, Leonem X. per hanc suam regulam quoad infirmis servientes derogasse cap. *periculoso*; cùm salvo illo non potuerit ipsis quæ serviunt infirmis, prohibere Clausuram strictam, in quantum obsequio infirmorum derogaret. Nec Concilium Tridentinum, aut sequentes Pontifices pius V. & Gregorius XIII. derogare potuerunt regulæ fundamentali Leonis X. secundùm quam Tertiariæ S. Francisci in Congregatione viventes sunt veræ Religiosæ, nisi per singularem particularem derogatoriam, quæ nusquam invenitur.

2. Modis illi contractus possunt esse illegitimi. Dixi in Conclusione (*quæ ex fundatione & contractibus legitimis & perpetuis obligatæ sunt*) Sæpe enim contingit non fuisse legitimos, quod ferè duobus modis advenit.

1. Ex defectu consensus legitimorum Superioris qui in dictis contractibus requiritur; factum est enim, & fit adhuc modò; quòd Moniales aliquæ multiplicationem requirentes (femina enim sive in temporalibus sive in spiritualibus fœcunditatem amat) obligationes quascumque a Principio sibi assumpserunt non informatis Superioribus; & hi à principio defectu consensus legitimi non substiterunt: Fit etiam, ut etiam extra contractum aliqua onera voluntariè portaverint, quæ quasi à consuetudine perperam ab eis tanquam obligatoria contra omnem justitiam requiruntur; & hæc iterum contra justitiam ab eis exiguntur, cùm reverà, etsi una forte aut altera Superior se submiserit, non potuerint tamen se aut Conventum obligare absque Superiorum consensu.

2. Contingit contractus non esse legitimos, ex defectu correlativæ obligationis mercedis sufficientis comparatione ad opus aut labores; ratione cujus inæqualitatis continent apertam justitiam, quia, ut loquuntur Scripturæ, pro frusto panis & quisquiliis pauperes in servitutem redigunt, ut proh dolor cernimus in variis locis Belgii, in quibus pro exiguo stipendio quatuor vel quinque feminarum quæ ex publico alebantur, Moniales triginta & amplius volunt obligare ad obsequia infirmorum, barbarè quidem & contra omnem justitiam prætextu contractus, qui inter quatuor aut quinque Moniales fuit initus: Quæ si non sint pauperum oppressiones, & peccata clamantia in cœlum judicet conscientia quælibet Christiana. Alibi videmus sex Moniales obligari ad serviendum infirmis etiam peste infectis, dato indies medio stufero ex antiquo contractu. Itaque contractus illi vel à principio fuerunt illegitimi, vel successu temporis illegitimi

Exemplificatur.

fiunt ob inæqualitatem stipendii, & hi contractus possunt & debent reformari vel declarari nulli, quod Episcopi juri communi facere possunt, & tenentur Superiores id curare, ut injustitiæ tollantur, propter quas venit ira Dei super nos.

Dixi etiam (*quamdiu fundatio vel contractus subsistunt*) id est, quamdiu bona fundationis vel contractus suppeditantur, tum ad infirmorum sustentationem, tum ad stipendium Monialium servientium. Supposito enim quòd vel bona dilapsa sint, vel stipes infirmis, ac stipendia Ministrantibus non suppeditentur; Moniales ab onere liberæ sunt, & Clausuram strictam servare possunt: Correlativa enim est obligatio, ita ut ex alterutra parte fundamento cessante desinat in altera.

Dixi (*non obligantur ad Clausuram suis fundationibus & obligationibus contrariam*) possunt enim cogi à Superioribus ad omnes Clausuræ leges quæ infirmorum obsequio non sunt contrariæ, vel quæ obsequium infirmorum compatiuntur. Ut verò manifestum fiat, qualiter Clausura Monialium cum obligatione inserviendi Infirmis simul stare possit vel non possit, sit

QUÆSTIO IX.

Unde desumenda sit compatibilitas vel incompatibilitas obsequii infirmis impendendi cum Clausura Monialium?

Notandum est ex variis respectibus posse considerari compatibilitatem vel incompatibilitatem Clausuræ Monialium cum obsequio infirmis impendendo, antè contra 1. respectu ipsius Congregationis sive conventus Monialium, qui obligatur ex fundatione ad dictum obsequium. 2. Respectu singulorum personarum Monialium, quæ obedientiæ subjacent Superiorum, ita ut eis demandari possit quovis tempore illud obsequium. 3. respectu actualis obsequii impendendi, quod requirit, ut Moniales extra limites Clausuræ ministrent.

Varii respectus sic considerandi.

Conclusio I.

Respectu Congregationis nulla est incompatibilitas, ut Congregatio sive Conventus servet Clausuram secundum suos omnes modos, tam quoad egressum, quam quoad crates & locutoria ac portas & introitus Conventus, & simul obligetur & satisfiat obsequio infirmorum.

Respectu Congregationis nulla est incompatibilitas Clausuræ cum servitio infirmorum

Ratio est: Quia id potest facere per personas ad id idoneas, ut Religiosas Clausuram non voventes, vel non nisi modificate voventes, nimirum, salvo obsequio infirmorum. Quinimmò Corduba in Annotat. ad Compendium privilegiorum V. *Clausura Monialium*, not. 1. sustinet Tertiarias infirmorum

curæ

curæ obligatas, etiam absolutè voventes Clausuram, censeri vovere illam absque præjudicio obligationis ad infirmos casu quo requirerentur; quia non possunt per votum subsequens præjudicare Regulæ suæ principali, sed intelliguntur semper vovere juxta concessionem suæ Regulæ. Vide ibi Not. 5.

Et quidem respectu Congregationis sive Conventus non esse incompossibilem Clausuræ aliquarum egressum, patet clarissimè ex Regula 1. S. Claræ; in qua etsi totus Ordo & Congregatio ad strictissimam Clausuram teneretur, nihilominus intra Monasterium habuerunt à principio Sorores servientes eandem Regulam verè professas, quæ pro necessitatibus egrediebantur & regrediebantur: De quibus c. 11. ejusdem Regulæ: *Sorores servientes extra Monasterium longam moram non faciant, nisi causa manifesta necessitatis excuset* &c. ubi leges earum tum in exitu, quàm in regressu ponuntur. Idem etiam patet ex Regula 2. S. Claræ ab Urbano IV. data pro eis quæ possident, quibus etsi strictissimam Clausuram, & quidem prioribus strictiorem Pontifex imposuerit, habuerunt tamen Sorores nonnullas professas & verè Religiosas, quæ ad negotia egrediebantur; ut habetur in eadem Regula Rubrica 19. tit. Qualiter Sorores servitiales emittantur? Ex quibus omnibus convincitur Congregationi Clausuram promittenti non esse incompossibile obsequium etiã foris infirmis præstandum.

Conclusio II.

Possunt per sonæ singulares vovere Clausuram.

Non est incõpossibile personis singularibus vovere Clausuram, & servitium & obsequium infirmis suo tempore præstare.

Est declaratio Pontificia Leonis X. in Regula Tertiariarum, ubi permittit omnibus Clausuram servare, quæ ipsam expressè servare voverunt, dummodò hospitalitas & charitas, quam exercere solent apud infirmos, nullum cum honestate patiatur detrimentum. Ex quo contextu constat simul consistere posse & Clausuram vovere & servare, & infirmis servire. Quod quidem intellige de voto Clausuræ accommodo, ita ut extra casum vel actum servitii infirmorum teneatur quælibet sic vovens Clausuram sub peccato mortali servare.

Ratio verò hujus Conclusionis est: Quia quælibet persona sic vovens Clausurã, quantum est ex se, non potest Clausuram exire, vel leges Clausuræ prævaricari, sed ita Clausuram absolutè vovet, ut tamen teneatur obedientiæ Superioris mandato in causa servitii infirmorum.

Unde Monialis, quæ in Conventu 3. Regulæ S. Francisci servitio infirmorum obligato emisit votum Clausuræ triplici vinculo tenetur.

1. Enim tenetur Clausuram & omnes leges strictæ Clausuræ servare, quando per Superiorem ipso actu & obedientiæ mandato non applicatur obsequio infirmorum extra Clausuram.

2. Non potest etiam Superioris mandato exire Clausuram, nisi pro sola causa vera & subsistente serviendi infirmo.

3. Potest à Superiore perpetuò in Clausura detineri, & ubi per alias satisfieri potest obligationi obsequii infirmorum, in perpetua Clausura remanere. Quæ sunt vincula sancta, & quæ tria consequenter bona generant. Et

1. Quidem quietem animi, quia extra conversationem sæcularium gaudere potest, quãtum est ex se, sancta solitudine.

2. Quia etsi aliquando contingat emitti, propter solum & unicum charitatis opus emittitur, & posteà ad quietem solitudinis redit.

3. Quia illi potest obtingere, ut nunquam emittatur, sed perpetuò perseveret.

Conclusio III.

Solum actuale obsequium, quod actu impenditur infirmis, est incompossibile actuali Clausuræ.

Hæc Conclusio ex duabus præcedentibus infertur, & consequenter manu palpatur, qualiter saltem votum Clausuræ non sit formaliter contrarium obsequio infirmorum, neque respectu Congregationis sive Conventus; neque personarum sive in communi sive in particulari consideratarum, sed tantùm actuali obsequio in certis casibus; adeoque Conventus quantumcumque obligatos infirmorum curæ, sive in Hospitali annexo, sive in domibus Civitatis, posse admittere Clausuram juxta prædicta modificatam, magno animarum bono & solatio, & absque ullius detrimento.

Corollarium.

Moniales fundatione vel stipendio deficiete non obligantur ad obsequium &c.

Ex dictis infero 1. Moniales ex fundatione vel contractu ad servitium infirmorum adstrictas, fundatione vel stipendio deficiente, non obligari ad illud obsequium. Ratio est: Quia, ut suprà diximus, obsequium correlativum est, & cessante absque earum culpa fundatione vel stipendio, tamquam obligationis fundamento, obligationem cessare necesse est. Unde consequenter injustè facere convincuntur Magistratus, qui deficiente stipendio, sive eorum sive Administratorum culpa vel alia quavis causa, Moniales urgent ad servitia, immò gravant impendiis; estque peccatum clamans in cælum, ob mercedem laborantium defraudatam.

Infero 2. Omnes Moniales verè Religiosas, & religionem professas, posse & debere ad servandam Clausuram, saltem suis obligationibus accommodam, adigi, ut legi Concilii Tridentini, & c. *Periculo*, de Statu Regul. in 6. nec non posterioribus decretis Pontificium satisfiat, quæ præceptum obedientiæ, & termi-

terminationem maledictionis æternæ continent.

Infero 3. Obsequium infirmorum Clausuram in omnibus, quæ Congregationem vel etiam personas respiciunt, non impedire, adeòque quoad Conventum, & singularem in individuo personam impediri non posse, quominus (saluo infirmorum obsequio) introducatur à superioribus, saltem per præceptum, ut constat ex Conclusionibus hujus Quæstionis; adeoque Superiores, quantum fieri potest, teneri illam introducere juxta Concilii Tridentini decreta; inferiores autem teneri obedire, quando imponitur.

Infero 4. Magistratus hujusmodi Clausuram impedientes etiam in Conventibus ad infirmos obligatis (reservato obsequio prædicto infirmorum) peccare mortaliter & incurrere pœnas à Concilio Tridentino sess. 25. de Regularibus c. 5. latas; ubi illis præcipitur sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ ipso facto incurrenda, ut auxilium præbeant ad introducendam dictam Clausuram, quam sine dubio incurrunt, qui non modò nolunt auxilium præstare, sed etiam de facto impediunt.

Porrò Magistratus & alios Clausuram impedientes (etiam seclusis censuris) peccatum mortale incurrere constat. 1. Quia Religiosam perfectionem & observantiam ab Ecclesia præscriptam positivè impediunt contra charitatem & justitiam. 2. Quia abusibus & peccatis, de quibus in c. *Periculoso*, viam laxant. 3. Quia inobedientes contra præfatas Constitutiones fovent. 4. Denique; quia omnia peccata, quæ ex ratione libertatis, quam inducunt vel manu tenent, committuntur, in eorum caput redundant. Nec valent fictitiæ rationes, quas prætexunt: Quia, ut Conclusione 2. deduximus, illa Clausura, quantumvis accommoda, bona multa affert, nulli nocet.

Infero 5. Gravioribus & ingentibus peccatis cum incursione censurarum & maledictionis æternæ se intricare, qui temerario ausu non tantùm Clausuram impediunt, sed etiam locutoria Clausuræ & crates destruunt, non tantum contra Clausuram, sed etiam contra Immunitatem domorum Religiosarũ. Quod superioribus annis ob violentiã si tolerare Superiores debuerunt, Deus in perpetuum, qui sibi retinuit, non tolerabit.



TOM. III.

TOMI III.

TRIBUNALIS SACRAMENTALIS

ET

VISIBILIS ANIMARUM IN HAC VITA MORTALI

PARS III.

STATVM POLITICVM, EJVSQVE GRAdus, Officia, & Opificia complectens.

PROOEMIVM.



ERTIAM aggredior (*Candide Lector*) hujus tomi tertii partem, ut sicut Ecclesiasticum Statum, & Religiosum tibi pro mea tenuitate exposui; ita etiam Politicus & Civilis Status, suis officiis & Gradibus distinctus, tuo judicio & examini sistatur. Prosequar autem ea methodo, quam tract. 1. tit. 2. q. 6. per totam exposui. Antequam tamem ad Status speciales descendam, mihi visum est primò de STATV MATRIMONIALI, tamquam universæ naturæ humanæ multiplicatæ, & multiplicandæ seminario agere, & consequenter de parentum erga proles, & familian. officiis, & obligationibus, & de officiis & obligationibus filiorum ad parentes, & familiæ ad patrem-familias; si fortè aliqua desint in iis, quæ tom. 2. tract. 5. per totum à nobis fuse sunt dicta.

TRACTATUS I.

De Statu Matrimonii, *universæ natura humana communi seminario ejusque natura, officiis & obligationibus.*

TITVLVVS I.

De natura & essentia Matrimonii.

QUÆSTIO I.

Quid sit Matrimonium?

Matrimonii varia munia.

HIc inutiliter non quæro quid nominis: *Matrimonium* enim quasi *matris munium*, sive *matris munus* & *officium* interpretatur, quòd Matrimonii finis & munia specialiter matrem concernant, cujus utique est, feminea à viro accepto, prolem concipere, parere, educare &c. Nonnunquam etiam ab effectu *Conjugium* dicitur, quia pari jugo vir & femina copulantur, & onera Matrimonii ferunt. Alii *Connubium* vocant, qùia sub potestate viri femina obnubebatur, sive velo obedientiæ & pudoris obvolvebatur. Ut autem juxta omnem Legem, tam Naturæ quàm Mosaïcæ, & Gratiæ, Matrimonium describamus, ejus-

ejusque natura meliùs comprehēdatur, ex diversis descriptionibus unicam formo.

Conclusio Unica.

Matrimonii descriptio. Matrimonium est individua conjunctio maris & feminæ, legitimo contractu firmata, ad generandam prolem à Deo authore naturæ instituta, Sacramenti novæ Legis signo, & bono à Christo Salvatore elevata.

Dicitur (*Conjunctio maris & feminæ*) conjunctione quidem sumpta, tum à mutuæ vitæ consuetudine, & sociali cohabitatione, tum à copula carnali, juxta illud Geneseos cap. 2. ubi utrumque exprimitur: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne* &c. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ*, hæc est conjunctio consuetudinis vitæ mutuæ & cohabitationis socialis: *Et erunt duo in carne una*; hæc est copulatio corporum ex obligatione mutuæ ad invicem potestatis. Gen. 2.23 Vers. 24.

Dixi (*individua*) nam à principio indissolubilitas quædam Matrimonio fuit annexa; quod Christus testatur Matth. 19. *Quoniam* (ait) *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras: ab initio autem non fuit sic* &c. Mat. 19.8

Contractus aliquis semper nuptias præcepit. Dixi (*legitimo contractu firmata*) à principio enim semper aliquis contractus nuptias præcessit, saltem affidationis & conjunctionis perpetuæ: Unde passim Scriptura utitur respectu feminæ nomine *Traditionis*, eò quòd parentes quodam contractu fideli traderent filias suas nuptui in potestatem virorum; respectu autem virorum utitur nomine *Acceptionis*, quia in fidele consortium feminæ accipiebantur à viris. Et hic est communis loquendi modus in universa Scriptura, ita ut non sit opus ullum locum citare: quinimmò Genes. 21. Agar dicitur *accepisse* filio suo Ismaël *uxorem de terra Ægypti*, quæ omnia indicant contractus mutuæ fidei. Gen. 21.21

Dixi (*legitimo*) In omni enim lege contractibus matrimonialibus aliquæ qualitates & conditiones positæ sunt, sine quibus Matrimonium contrahi non poterat, de quibus infrà.

Quis Matrimonii principalis finis. Dixi (*ad generandam prolem*) Hic est enim finis principalis Matrimonii, ad quem ordinatum est: Unde hanc ejus diffinitionem ponit Clemens Alexandrinus lib. 2. Stromatum: *Matrimonium est prima legitima viri & mulieris conjunctio ad liberorum procreationem*: Et S. Augustinus lib. 19. contra Faustum cap. 26. *Matrimonium* (inquit) *ex hoc appellatum est, quòd non ob aliud debeat femina nubere, quàm ut mater fiat.* Clem. Alex. S. August.

Dixi (*à Deo authore naturæ instituta*) Dei enim naturæ authoris fuit (qui primos parentes creavit, Adamum quidem ex limo terræ; Evam autem ex costa Adami & latere ejus) hominum genus provido medio multiplicare & propagare, & eorum propagationi congruè providere, quod per institutionem Matrimonii fecit Genes. 2.

Dixi (*Sacramenti novæ Legis signo & bono à Christo Salvatore elevata*) quam Sacramenti veri rationem infrà explicabimus.

QUÆSTIO II.

Quæ fuerit Matrimonii prima institutio, & quibus qualitatibus, obligationibus à principio instititutum?

Quatuor hic tempora distingui debent. Tempus *Status Innocentiæ*: Tempus *Legis* naturæ: Tempus *Legis Mosaicæ*: & Tempus *Legis Gratiæ*.

Conclusio I.

Matrimonium primò institutum est à Deo in Statu Innocentiæ, in loco paradisi, ante Adami & Evæ peccatum, in officium naturæ & propagationem generis humani.

Conclusio patet ex 1. 2. 3. & 4. Geneseos. Et in 1. quidem anticipativè mandatum propagandi genus humanum, masculo & feminæ datum, exprimitur per verba illa: *Benedixit* &c. *& dixit eis: Crescite & multiplicamini* &c. In 2. formatio Evæ, & Matrimonii conditiones & qualitates exprimuntur ibi: *Hoc nunc os ex ossibus meis* &c. In 3. Eva *mater viventium*, ab effectu procreandorum liberorum futuro, nuncupatur, & ei nomen *Vxoris* datur. In 4. tandem primorum hominum per copulam carnalem generatio prima narratur. Gen. 1.28 Gen. 2.23 Gen. 3.20 Gen. 4.1.

Conclusio II.

Deus in institutione primæva Matrimonii in Statu Innocentiæ, multis qualitatibus & prærogativis illud honoravit.

1. *Benedictione singulari.* Genes. c. 1. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini, & replete terram* &c. Ubi per *Benedictionem* intelligunt Patres virtutem quandam specialem ad propagandum genus humanum, & educandam prolem ad salutem & vitam æternam. Ita ferè Chrysostomus Homil. 7. & Procopius in hunc locum. Gen. 1.27 & 28.

2. *Singularitate duarum personarum ad invicem*, contra Polygamiam, cum dicit: *Masculum & feminam creavit eos*, id est unum masculum cū una femina. Quod arguté notavit S. Chrysostomus Hom. 32. in Matth. *Masculum* (inquit) *& feminam, non masculum & multas feminas, ut* S. August.

ut ut uni masculo liceat plures feminas possidere; neque masculos & feminam, ut uni feminæ liceat plures viros accipere: sed masculum & feminam, ut una feminā nullum masculum putet facti esse in mundo præter unum; & unus masculus nullam putet feminam factam esse in mundo præter unam. Hæc Chrysost. q. d. ut unus cum una, & una cum uno tantùm conjungantur.

3. *Amore mutuo, & cordium & affectus unione.* Ad quod designandum formata est mulier ex costa viri: Unde Rupertus l. 2. in Gen. c. 34. *Quid* (inquit) *hoc sibi vult, quòd cùm posset Deus mulierem æquè ut virum formare de limo terra, maluit tamen costam viro subducere, eamque in mulierem ædificare: quid (inquam) hoc voluit, nisi ut firmâ & insolubilem debere esse ostenderet unici conjugii charitatem?* Et Theodoretus q. 30. in Genesim volens reddere rationem, cur ex latere viri formata sit mulier: *Volebat* (inquit) *Creator naturæ ad concordiam adducere unumquodcumq; genus: hac de causa ipsum Adamè terrâ formavit, ex eo verò mulierem, ut & eādem in illis esse naturam demonstraret, & naturalem quandam benevolentiam mutuam in illis inferret.* Acutissimè Procopius: *Sapienter admodum Deus ex uno fingit duos, ut unum iterum ex duobus constituat invicem copulatis per matrimonium.*

Cur Deus formaverit mulierem ex costa viri.

Theodoret.

Procopius.

4. Honoratum est Matrimonium *indissolubili societate & vinculo inseparabili, ex ipsa Matrimonii institutione.* Hoc indicant verba textus, dum de creatione mulieris personæ SS. Trinitatis considerarent: *Non est bonum* (inquiunt) *hominem esse solum: faciamus ei adjutorium simile sibi:* Quo autem adjutorio indigeret Adam, docet Rupertus l. 2. in Gen. c. 32. *Adjutorium* (inquit) *ad multiplicandam prædestinatam progeniem sanctorum.* Et posteà advertit quòd dicatur *Simile sibi*, nimirum *similis naturâ, similis substātia, similis excellentia, in hoc quod esset creata sicut & vir, ad imaginem & similitudinē Dei.*

Gen. 2. 18.

Rupertus.

Indissolubilitatem etiam illam probant illa verba Adami prophetica: *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Unde infert Christus Matth. 19. *Itaque jam non sunt duo sed una caro:* quod autem unum est, inseparabile est, ut latiùs dicemus infrà, cùm de Matrimonii indissolubilitate agemus.

Gen. 2. 24.

Matt. 19. 6.

Notat verò S. Thomas lect. 10 in cap. 5. ad Ephes. & 2 2. q. 26. Triplicem significari *conjunctionem* in verbis illis capitis 2. Geneseos. Primam *mutui amoris:* Secundam *mutuæ cohabitationis, & vitæ arctissimæ & omnino inseparabili consuetudine,* quæ in verbo *adhærebit* exprimitur: Tertiam *conventionis per copulam carnalem*, quod significatur illis verbis: *erunt duo in carne una*, id est carnali opere. Notaverat etiam idem Sanctus, per verbum illud *uxoris suæ* damnari pluralitatem uxorum, ut contrarium perfectæ rationi Matrimonii.

S. Thom.

5. Honoratum fuit Matrimonium in prima sua institutione, *castimoniâ & pudicâ honestate;* Gen. 2. Ubi naturâ Matrimonii explicatâ statim subjungitur: *Erat autem uterque nudus, Adam scilicet & Eva uxor ejus, & non erubescebant;* utique ut ait S. Augustin. l. 14. de Civit. c. 17. *non quòd eis sua nuditas esset incognita; sed turpis nuditas nondum erat, quia nondum libido membra illa præter arbitrium commovebat, nondum ad hominis inobedientiam redarguendam sua inobedientia caro quodammodo testimonium perhibebat;* & paulò post: *putabant oculi eorum, sed ad hoc non erant aperti, hoc est, non attenti, ut cognoscerent, quid eis indumento gratiæ præstaretur, quando membra eorum voluntati repugnare nesciebant* &c. Notavit autem specialiter Scriptura tunc nullos concupiscentiæ carnalis motus, qui pudorem & erubescentiam causare potuissent, in Adam & Eva repertos, ut sciant homines Matrimonium a sui principio nihil carnalis concupiscentiæ habuisse, sed summâ pudicitiâ, summa puri animi quiete copulam mariti & uxoris futuram ex vi Matrimonii, quidquid autem concupiscentiæ carnalis est, à peccato originem ducere: aliàs ex prima naturæ institutione, *honorabile connubium & thorum immaculatum fuisse*, quod nūc vi Sacramenti per gratiæ singularis auxilia inter fideles restitutum sit.

Gen. 2. 25.

S. August.

Hebr. 13. 4.

CONCLUSIO III.

Duos tantùm fines habuit Matrimonium in Statu innocentiæ tamquam officium naturæ institutum, nimirum; *multiplicationem liberorum, & vitam socialem.*

Matrimonii fines in statu innocētia.

Constat ex ipsa status innocentiæ naturâ, neque enim in illo fuit libido, cui Matrimonii usus remedium præberet, nec jugum aliquod portandum, cui mulier deserviret; sed sola procreatio prolis, (sub qua continetur educatio) & societas amica, quæ generis humani propagationi obsequebatur. Et in hoc constitit *adjutorium*, ad quod femina viro à principio data est & adjuncta, cum inter animantia nullum simile Adamo reperiretur, sive ad generationem, sive ad societatem.

QUÆSTIO III.

An Matrimonium à principio fuerit omnibus sub præcepto demandatum?

Affirmant hæretici, omnis pudicitiæ & castitatis adversarii, & ab ovo libertatis carnis assertores, assumpto fundamento scripturæ Gen. 1. *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Hoc utique proprium est hæreticis, sicut & parenti eorum satanæ, allegare Scripturas fractas & singulariter teste S. Hieronymo super 9. c. Oseæ v. 10. *Difficile est invenire hæreticum qui diligat castitatem.*

Hæreticorum falsa opinio.

Gen. 1. 28.

S. Hieron.

Cæterum pono Conclusiones veritatis.

* *
*

CONCLUSIO I.

Matrimonium non fuit singulis in individuo à principio sub precepto demandatum.

Nunquam fuit preceptum singulis viris, feminisve Matrimonio jungi, & prolem procreare.

Hoc constat ex ipso naturæ exordio: Quia alias Abel convinceretur peccasse, de cujus Matrimonio nil in scriptura legitur; minus de procreata prole. Et quidem magnos pudicitiæ viros fuisse constat, qui diutissime à matrimonio abstinuerunt, ut qui ex semine benedicto Seth orti fuerunt, cum & Seth ante annum ætatis centesimum quintum non genuerit; & Enos ejus filius nonaginta esset annorum antequam primum filium genuisset; & sic de aliis, ut videre est per ordinem Gen. c. 5. Quòd si Matrimonio jungi, & proles generare fuisset præceptum, quis dicat primos illos homines, majoris sine dubio virtutis generativæ, aut tam tarde Matrimonia iniisse, aut tam tarde liberos procreasse?

CONCLUSIO II.

Matrimonium non nisi in genere preceptū fuit.

Imperium de propaganda prole Adamo quidem specialiter; homini autem in genere tantùm impositum est, non autem individuo cuilibet.

Patet ex verbis Scripturæ; *Crescite* (inquit) *& multiplicamini*. quæ passiva sunt, & ad propagationem generis humani terminantur, non ad actum singulorum individuorum, quorum aliqua ob sterilitatem, mortem prævenientem, & infirmitates non erant capacia generationis. Præterquam quòd virginitatis virtus, etsi forte in paucis ante Christum usurpata, semper tamen in pretio fuerit. Unde etsi ad multiplicationem generis humani Matrimonium, ut naturæ officium, & ut propagationi necessarium, obliget in genere homines, non tamen Petrum aut Paulum in individuo; sufficit enim ut propagationi satisfiat, cui satisfieri potest, etsi non tantùm undecim millia, sed etiam milliones virginitatem sectarentur. Unde bene S. August. l. de Bono viduitatis cap 23. *Non vos ab hoc studio, quo multas ad imitandum vos excitatis frangat querela vanorum qui dicunt: Quomodo subsistet genus humanum si omnes fuerint cõtinentes? quasi propter aliud retardetur hoc sæculum, nisi ut impleatur prædestinatus ille numerus Sanctorum; quo citiùs impleto, profectè nec terminus sæculi differetur.* Vide etiam sententiam S. Hieronymi adversus Vigilantium circa finem.

Virginitas ante Christum fuit æstimata.

S. August.

S. Hieron.

QUÆSTIO IV.

An Matrimonium prout à Deo in statu Innocentia institutum, pro omni statu & lege institutum sit & in omni lege etiam Evangelica perseveret?

Quæstio hæc necessaria est, ut quis de Matrimoniis secundùm omnem legem judicare, & Matrimonia infidelium, & hæreticorum intelligere valeat.

CONCLUSIO I.

Matrimoniũ ut in Statu Innocẽtiæ institutũ fuit, quoad essẽtialia adhuc perseverat.

Matrimonium à Deo in statu innocentia ad officium natura institutum, pro omni statu sive lege institutum fuit, usque in hanc horam juxta essentialia sua, etiam in lege Evangelica, perseverat.

Conclusio manifestè declaratur ex Matrimonii descriptione suprà posita: Matrimonium enim, ut ab authore naturæ institutum est, in essentia nihil aliud fuit, quàm *individua conjunctio maris & femina legitimo contractu inita & firmata, ad prolem generandam instituta*: Atqui in omni lege tam Naturæ, quam Mosaica & Evangelica, omnia illa essentialia perseverant, absque aliqua in substantia sua immutatione: Ergo & ipsum Matrimonium, prout in officium naturæ à Deo in Statu Innocẽtiæ est institutum. Minorem sic expendo: Tria in matrimonio primævæ naturæ requirebantur: Materia; nempe personæ habiles: Forma; utpote consensus utriusque conjugis legitimo contractu expressus: ex quibus oritur tertium: Conjunctio individua maris & feminæ ad finem procreandæ prolis, in qua consistit matrimonii effectus perseverans: Omni autem tempore, omni lege, hæc ipsa requisita sunt, & modo requiruntur, ac per eadem adhuc modò Matrimonium efficit & coalescit, ergo &c.

CONCLUSIO II.

Matrimonii primævi substãtia successu temporis non est innovata.

Omnia quæ successu temporis vel immutata, vel addita sunt, nihil in substantia & essentia Matrimonii innovarunt. sed tantùm in iis, quæ à legibus ob bonum universi pendebant, eu ditiones nulla pro ratione circumstantiarum successerunt, & superadditæ sunt.

Explico: In lege naturæ post ruinam peccati, & ebullitionem concupiscentiæ carnis Matrimonium, quod officio naturæ tantum deputatum erat, in remedium concupiscentiæ etiam à Deo ordinatum est, manente officio propagandæ prolis, tamquam basi Matrimonii. Item, quia paucitas personarum, homine jam morti & eventibus morborum exposito, orbis repletionem impediebat, à Deo Polygamia permissa fuit. Item successerunt quædam personarum inhabilitates, de quibus aliàs.

Iterum, in Lege Moysi circa personarum habilitates & inhabilitates nonnulla sunt Lege Ecclesiasticâ sancita, & non nulla ex dispensatione Dei per Moysen decreta, salvâ semper Matrimonii substantiâ & essentiâ.

Tandem, in Lege nova Matrimoniũ, quod in officium naturæ ad illud usque tempus remanserat, substantiâ & essentiâ immutatâ, ad sublimiorem gradum Sacramenti Redemptoris gratia evectum est: Quidquid autem additum est, essentiam Matrimonii in ratione Matrimo-

tremonii non excessit, nec Matrimonii primitus instituti essentiæ in aliquo derogavit, quinimmo potius aut potiora sua principia & fundamenta, quæ Deus posuerat. Lex nova Matrimonium reduxit, & prærogativis spiritualibus exornavit, ut infra declarabitur.

QUÆSTIO V.

Quid ratio Sacramenti nova legis Matrimonio addiderit & quid sit Matrimonii Sacramentum?

Sacramēti ingenere assignatio.

QUæstione superiori dictum est, immutatâ naturâ & essentiâ Matrimonii juxta primam institutionem, Christum in nova legetantum illi superaddidisse *rationem Sacramenti*. Modo quæritur quid dicat ista *ratio Sacramenti* & quid superaddat.

Reperenda verò est 1. Diffinitio Sacramenti, quæ est : *Invisibilis gratiæ signum visibile ad sanctificationem institutæ*: sive,ut Doctor Subtilis describit in 4. dist. 1. q. 2. num. 9. *Signum sensibile ex institutione divina gratiam & effectum gratuitum efficaciter significans, ordinatū ad salutem hominis Viatoris.*

Advertendum 2. Matrimonium in sua primæva institutione in statu innocentiæ non fuisse Sacramentum ; quia nec fuit signū gratiæ gratum facientis,nec illam operabatur,sed fuit nudum signum ejus quod fiebar,nimirum individuæ conjunctionis maris & feminæ à Deo ad procreationem sobolis ordinatæ ; ubi nec gratiæ alicujus gratum facientis fit mētio, nec gratia in Statu illo opus fuisset, cùm per justitiam originalem natura integerrima esset, nullum patiens motum concupiscentiæ, aut inordinatæ passionis. Unde frivolum est,quod aliqui fingunt, Deum, cùm Matrimonii effectus ordinaret,usum verbo *Benedixit* &c.quasi indicando gratiæ in matrimonio infusionē,& consequenter Sacramēti institutionem : Illud enim verbum *benedixit* fœcunditatis quoddam donum magis indicat,& bonæ imprecationis, & benevolentiæ divinæ potius signū, quam gratiæ collatio fuit, qua (ut dixi) tempore primææ institutionis in statu Innocētiæ primi parentes non indigebant ; præterquam quod & iisdem verbis usus fit Deus post creationem piscium & avium Gen. 1. *Benedixit, eis dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, avesq; multiplicētur super terram.* Non minus frivolum est, quod Author quidā refert Matrimonium quidem in Statu Innocentiæ non fuisse Sacramentum;post peccatum tamen, jam concupiscentia insurgente contra hominem, Sacramentum factum esse: Intenditque illud probare ex c. 9. Genes. per illa verba *Benedixitq; Deus Noë, & filiis ejus: Et dixit eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram* &c. Hæc enim verba donunt fœcunditatis significant, cùm jam humanum genus in octo tantum hominibus reservatum esset ; nec aliud verbum additur,in quo gratiæ alicujus, vel sanctificationis umbra contineatur. Fa-

Verbum benedixit.

Gen.1.28. quid significet?

Gen.1.22.

Gen. 9. 1.

Quid senserint aliqui Patres de his verbis Adami. Hoc nūc os &c.

Gen.2.23.

teor plures Patrum sensisse Adamum in illa soporifera extasi notitiam aliquam incarnationis futuræ accepisse,quam involucro quodam verborum *Hoc nunc os ex ossibus meis* &c. videtur insinuasse, quasi ex latere Christi, secundi Adam, Ecclesia in similitudinem formationis Evæ de latere Adami formanda esset ; verùm quidquid fuerit , ad summum figura tantùm & signum prognosticon futuri fuit, sicut & aliæ Testamenti veteris figuræ ; Sacramenti tamen gratiæ efficacis nullam rationem habuit, ut jam sæpiùs repetitum est.

Advertendum 3. Successu temporis primam institutionem matrimonii sive matrimonium, ut primo institutum, dispensationibus variis alteratum fuisse , Deo sic condescendente , ut naturæ infirmitatibus satisfieret.

Et 1. quidem per Polygamiam, quæ eo solo titulo concessa est,ut genus humanum propagaretur, eò quòd & pauci homines pro orbis repletione essent,iisque infirmitatibus,& mortalitate subjacerent. Hanc enim solam causam dispensationis divinæ adfert S. Joannes Chrisost. Hom. 56. in Gen. circa medium fine qua dispensatione nec Polygamia licita fuisset; quinimmo nec Polygamiam ante diluvium in Scriptura legimus, nisi in Lamech, quem Nicolaus Papa scribens Lothario Regi (apud Gratianum 24. q. 3. c. *An non*) adulterii & flagitii notat; ita ut tantùm post diluvium divina inspiratione permissam fuisse colligatur ex facto Patriarcharum & Sanctorum , quos contra divina instituta exemplo malo & publico peccasse asserere parùm pium esset.

S.Chrys.

2. Dispensatum fuisse in indissolubilitate Matrimonii constat ex divortio & libello repudii apud Judæos lege permissum Deut.cap.24. *Si acceperit homo uxorē, & habuerit eam & non invenerit gratiā ante oculos ejus propter aliquam fœditatem : scribet libellum repudii, & dabit in manu illius,& dimittet eā de domo sua.* Et ut non veniat suspicio, quòd dimissio illa tantùm esset à thoro, & cohabitatione, non autem cum potestate alteri nubendi , subdit aliam legem: *Cumq; egressa alterum maritum duxerit , & ille quoque oderit eam , dederitq; ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit , non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est , & abominabilis facta est coram Domino* &c. Deut. 24. 1.

Porrò cur Dominus permiserit Moysi dispensare in ista indissolubilitate , ex primæva institutione orta, explicat Christus Matth. 19. ubi interrogantibus Judæis: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii & dimittere?* Ait illis *Quoniam Moyses , ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras,ab initio autem non fuit sic* Ubi per duritiam cordis Intelligitur crudelitas Judæorum qui in uxores non gratas etiam usque ad necem sæviebant , ut bene explicat S.Hieronymus in hunc locum, qui etiam notat Christum retulisse dispensationem, sive potiùs permissionē dimissionis in Moysen , non in Deum : (Ut inquit) *juxta Apostolum Consilium esset hominis*, non Mat. 19. 7.8.

S.Hieron.

non imperium Dei, quamvis tamen, Deo legislatore annuente, hanc promissionem dederit Moyses. Rationem tandem hujus permissionis ibidem refert S. Hieronymus: *Moyses* (ait) *cùm videret propter desiderium conjugum secundarum quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, priores uxores interfici, aut malam vitâ ducere maluit indulgere discordiam* (aliàs) *dissidium* (hoc est divortium sive discissionem) *quam odia & homicidia perseverare*: Et S. Chrysostom. sive Author imperfecti Operis Hom. 32. in Matth. *Permisit vobis facere mala, ne faceretis pejora. Ergo hæc vobis permittendo, non vobis Dei justitiam demonstravit, sed a peccato abstulit culpam peccandi, ut quasi secundum legem agentibus vobis peccatum vestrum non videatur esse peccatum.* Ex quibus verbis constat 1. Libellum repudii non tam datum fuisse ex dispensatione vera Dei, quàm ex quadam indulgentia, & permissione Moysis, ad evitandū majus malum: 2. Ex eo autem quòd illa permissio ex Dei condescendentia per Moysen daretur, ubi aliqua vera subsistebat causa, Judæos isto actu simpliciter non peccasse, sive culpam ab actu aliàs malo separatam fuisse: quod in eo casu credo fuisse verum; nisi ex mera malitia fingerent causam in uxore, quæ forte non erat. Causa autem divortii in textu Deuteronomii c. 24. assignatur: *propter aliquā fœditatem*, nimirum animi, vel corporis, utpote pravos mores, rixas, contentiones, deformitatem corporis, lepram, sterilitatem, veneficium, ebriositatem &c.

S. Chrys. | Divortii quæ causa legitima?

Advertit verò S. Augustinus l. 19. contra Faustum c. 26. libellum repudii fuisse quoddam remedium nimiæ in dimittenda uxore præcipitantiæ. Libellus enim ille debebat scribi juridicè per scribas populi, à quibus res examinabatur, & ut plurimum dissuadebatur, ut hac longiori & publicâ actione *in dissidiū* (ait) *animus præceps libelli conscriptione refrænatus absisteret, & quàm mali esset dimittere uxorem cogitaret.* Sed de his satis.

CONCLUSIO I.

Ratio Sacramenti matrimonio primitus institutæ duo restituit, unum superaddit.

Ratio Sacramenti nova Legis Matrimonio primævo duo restituit, & alterum sublimioris & supernaturalis gradus & effectus superaddidit, nimirum signum sensibile efficax gratiæ & auxilii supernaturalis.

Primum itaque, quod ratio Sacramenti restituit, est *singularitas duarum personarum ad invicem*; cassatâ enim ac prohibitâ polygamiâ, Christus in Matrimonio, Sacramento novæ legis, unitatem conjugii ad duos solos (ut fuerat à principio) reduxit.

Secundum, quod restituit, est *indissolubilitas*, nam abrogato divortio & libello repudii, indissolubilitatem omnimodam ad firmum vinculum reduxit, & firmioribus velut repagulis constrinxit.

Hæc duo patent ex c. 19. Matthæi, ubi interrogantibus Pharisæis: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?* 1. quidem

Matt. 19. 3.

unitatem conjugii inter masculum, & feminam asseruit: *Non legistis* (ait) *quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos.* Ubi S. Hieronymus: *Dicendo masculum & feminam, ostendit secunda vitanda conjugia; non enim ait masculum & feminas &c. sed masculum & feminam, ut unius conjugii consortia necterentur.* Citatur etiam Chrysostomus Hom. 32. Oper. imperf. *Non solùm* (ait) *ex modo creationis, sed etiam ex modo legislationis, quoniam oportet unum uni conjungi* &c. 2. Positâ tamquam basi unitate conjugii Christus reduxit legem primævæ indissolubilitatis ipsius: *Propter hoc* (inquit) *dimittit homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Adhærebit* (ait Hieron.) *uxori, non uxoribus. Et erunt duo in carne una.* Et infra: *Deus conjunxit, unam faciendo carnem viri & feminæ, hanc homo separare non potest, nisi forsitan solus Deus.* Et S. Augustinus l. de Bono Conjugali cap. 1. *Prima* (inquit) *naturalis humanæ societatis copula vir & uxor est: quos nec ipsos singulos condidit Deus, & tamquā alienigenas junxit, sed alteram ex altero creavit, signans etiam vim conjunctionis in latere, unde illa detracta formata est; lateribus enim sibi junguntur, qui pariter ambulant, & pariter quo ambulent intuentur.* Hæc ibi. Hanc autem unitatem, & indissolubilitatem juris divini esse ostendit Christus, dum ait: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ubi S. Chrysostomus Hom. 62. *Ostendit* (ait) *& præter naturam, & contra legem esse repudium: Præter naturam quidem, quia una caro inciditur; contra legem autem quia cùm Deus conjunxerit, ac jusserit non separare, ipsi contra præcepta Dei facere ausi estis.* Ex quo S. Hieronymus ubi supra infert, separationem ab uxore solius divinæ dispensationis sive permissionis esse. Ex quibus omnibus colligitur vera Matrimonii in nova Lege unitas & indissolubilitas: Quod enim postea subdit Christus, posse dimitti uxorem, *fornicationis causâ*, id intelligendum est quoad thorum tantùm & habitationem, non quoad vinculum, unde subjungit: *Qui aliam duxerit mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.*

S. Hieron. | S. Chrys. | Matt. 19. 5. | S. Hierō. | S. August. | Matt. 19. 6. | S. Chrys. | S. Hieron.

Tertium denique & principale, quod ratio Sacramenti matrimonio superaddidit, est *Efficacia gratiæ supernaturalis per sensibile signum.* Unde Matrimonium novæ legis sic definio.

CONCLUSIO II.

Definitio matrimonii novæ Legis.

Matrimonium in nova lege, est Sacramentum conjunctionis individuæ, & insolubilis maris & feminæ, contractu legitimo, & sensibili signo celebratum, quo gratia sanctificans contrahentibus datur in ordine ad proles procreationem, & alios fines honestos.

In hac diffinitione tota summa doctrinæ de Matrimonio continetur, quam in sequentibus latè explicabimus.

TITU-

TITVLVS II.

De Contractu Matrimoniali.

Quia tota ferè ratio Matrimonii in Contractu consistit, & validitas, & invaliditas ejus, etiam in Lege nova, prout Sacramentum est, a Contractu dependet, ad confusionem evitandam pono hunc titulum, tamquam fundamentum & totius doctrinæ basim.

QUÆSTIO I.

Quid sit contractus Matrimonialis, & Qua ad ejus valorem requirantur?

CONCLUSIO I.

Contractus Matrimonialis est legitima traditio, & acceptio potestatis in mutua corpora legitimis signis facta, in ordine ad prolis procreationem, & individuam vitæ consuetudinem: Pro cujus conclusionis intellectu Adverrendum: Duplices in Matrimonio reperiri Contractus. Alii dici possunt *Ante-nuptiales*, ut qui Civiliter fiunt super dote, bonis, hæreditate & aliis in ordine ad futurum Matrimonium: Ad quos etiam referuntur *Sponsalia*, quæ mutuis promissis ad futurum Matrimonium fiunt: & hi non sunt de essentia, aut natura Matrimonii, sed tantum præparatorii ad illud. Alii autem sunt Contractus, qui ad essentiam Matrimonii spectant, de quibus hic,

Dixi (*traditio & acceptatio potestatis in mutua corpora*) In his enim formaliter consistit Contractus Matrimonialis, ut distinguitur à qualibet Conventione in ordine ad Matrimonium facta, sive sint promissiones, sive stipulationes &c. Contractus enim Matrimonialis non dicitur, nisi contrahentes actu potestatem in mutua corpora tradāt, & ab invicem illam acceperint, quæ quidem *traditio*, & *acceptatio* his verbis solet exprimi: *Accipio te in meam, Accipio te in meum.*

Dixi (*in mutua corpora*) Non enim datur potestas in animam, nisi in quantum actibus corporeis Matrimonii deservit.

Dixi (*legitima*) ut includantur omnes conditiones, pro quibus sit

CONCLUSIO II.

Quatuor requiruntur ad verum, validum, & legitimum Contractum Matrimonialem. 1. *Persona habiles.* 2. *Consensus verus & liber voluntatis.* 3. *Mutua utrimq; obligatio.* 4. *Conformitas ad leges divinas naturales, positivas, & ecclesiasticas.* His deficientibus Contractus redditur invalidus, & nullus. De singulis particulariter agendum est, & methodicè sequentibus quæstionibus proponuntur.

QUÆSTIO II.

Quæ personæ censeantur habiles ad Matrimonium contrahendum, & unde inhabilitas in personis proveniat?

CONCLUSIO.

Habilitas personæ, sive personarum contrahentium, ex duobus potissimùm principiis consideratur. I. Est contrahentiū habilitas.

1. *Ex potentia naturali*, si nimirum ad actus matrimoniales ex naturali constitutione personæ sint aptæ, nec aliquo impedimento in constitutione naturæ ab actibus matrimonialibus perpetuò, vel quasi perpetuò impediantur.

Hoc porrò impedimentum impotentiæ naturalis dupliciter evenire potest. 1. Ratione vasis, aut instrumenti: ut si mulier stricto nimis vase & impedito à copula perpetuò impedita censeatur, & vir virgæ brevitate &c. ad copulam ineptā laboret. 2. Si vir vel femina vero semine careat, de quibus infrà.

2. Habilitas personæ oritur *ex potentia naturalis legitimo usu*, si nimirum ex aliquo impedimento actus Matrimoniales prohibiti non sint. Quod impedimentum etiam ex duplici capite oriri potest. 1. Ex voto, quia per votum castitatis quis se perpetuò ab actu Matrimoniali abstraxit, utpote per votum solemne Religionis, vel per susceptionem Ordinis sacri. 2. Quia legibus divinis & humanis quis redditur impotens ad illum actum, ut fit per consanguinitatem, affinitatem &c. De quibus omnibus infrà, cùm de impedimentis agemus specialiùs.

QUÆSTIO III.

Quæ requirantur ad consensum validum in Matrimonio?

CONCLUSIO.

Tria requiruntur ad consensum validum in Matrimonio. 1. *Liberi arbitrii usus in utroque contrahente.* 2. *Ut de facto libere operentur, dum contrahunt.* 3. *Ut verè in contractum, ejusq; obligationes uterq; consentiat.* II. Consensus validus, ad quem tria requiruntur.

Defectu primi, pueri, amentes, furiosi, ebrii &c. non censentur validè in Matrimonium consentire; quia pro illo tempore libero arbitrio non utuntur.

Defectu secundi non consentiunt validè qui coactione, violentiâ, metu in constantem virum cadente consentiunt; quia etsi usus liberi arbitrii sint capaces, nihilominùs tunc liberè seu legitimâ libertate non operantur.

Defectu tertii, in foro conscientiæ & Dei, non censentur validè consentire, qui intentionem contrahendi non habent, sive etiam qui

qui contrariam voluntatem habent, etsi aliud foris exprimant. Dico (in foro conscientiæ & Dei) quia in foro Ecclesiæ, quæ de exterioribus judicat, pro consentientibus habentur. Similiter defectu 3. pro non consentientibus habentur, qui ignorantia invincibili sui actus laborant. Generaliter ex defectu consensus originem ducunt Impedimenta sequentia: *Error, conditio, metus, vis &c.* Ut infra patebit.

QUÆSTIO IV.

Qua censeatur mutua obligatio?

CONCLUSIO.

III. Mutua obligatio.

Mutua obligatio, *est vinculum debiti mutui in utraque persona, ut effectus formalem Matrimonii contractum infallibiliter concomitans, consequensq̀.* Unde contractu in aliquo necessario requisito deficiente, mutua obligatio cessat; singulariter tamen mutua obligatio deficit, quando alterutrer non consentit, vel in alterutro est impedimentum dirimens, quantumvis consentiat aut consentire intendat, ut si alteruter alteri sit actu Matrimonio junctus, aut voto solemni obstrictus, aut aliunde impeditus.

Quando deficiat.

QUÆSTIO V.

Quibus legibus subjiciatur, aut conformari debeat contractus Matrimonialis?

IV. Conformitas ad leges.

QUarta Conditio requisita ad valorem Contractus Matrimonialis est conformitas ad leges, quæ quia multiplices sunt, quibus legibus conformari debeat, hic resolvendū est.

CONCLUSIO I.

VAliditas Matrimonii, *ut est Sacramentum, vel contractus à Deo institutus, non pendet à legibus civilibus quatenus civiles sunt.*

Quomodo matrimonium non pendeat à legibus civilibus, ut civiles sunt.

Ratio est: Quia matrimonium est singulariter à prima sua constitutione institutionis divinæ, & ad forum Ecclesiasticū semper pertinuit, & ejus dispositio ac leges per Magistratum ecclesiasticum data sunt, & sanctis benedictionibus, ac orationibus solemnizatum est. Vide Levit. 18. ac 20. Deut. 7. & per universam Scripturam, quæ ubicumque leges aliquas de Matrimonio proponit: illas ex divino mandato, per Moysen quidem in veteri Testamento; per Christum vero & Apostolos in novo præscriptas proponit, & refert: Estque communis sententia confirmata per illud Tridentini sess. 24. can. 12. *Si quis dixerit causas Matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit.*

Dixi (*ut est Sacramentum, vel Contractus à Deo institutus*) Tripliciter enim considerari potest Matrimonium. 1. Ut est contractus à Deo institutus. 2. Ut est Sacramentum. 3. Ut est Contractus civilis in naturalibus principiis propagandæ sobolis fundatus. Ut igitur est Contractus à Deo initio creaturæ institutus, fines aliquos spirituales habet; nimirum fidem, prolis educationem, individuam vitam propter Deum, juxta illud Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Gen. 2. 24. Quod explicans Christus refert in Deum singulariter operantem Mat. 19. *Quod ergo* (ait) *Deus conjunxit, homo non separet.* Mat. 19. 6. q. d. conjunctio hæc divinam institutionem sequitur, quæ etiam in superiori vinculo ad patrem & matrem in contingentibus matrimonium dispensat. Et suprà diximus significationem quandam prognosticam & figuralem in illo matrimonio primævo fuisse à Deo impressam, unde & parturiens Eva dixit, c. 4. *Possedi hominem per Deum.* Gen. 4. 1.

2. Ut est Sacramentum, res supernaturalis est, & sic ad ecclesiasticū forum spectat. Si verò consideretur ut contractus mere civilis, ut est inter infideles Dei cognitione carentes, aut veræ fidei inimicos, illo modo civilibus legibus subjicitur, ita tamen ut fines honestatis naturæ non egrediatur. Sed de his posteà.

CONCLUSIO II.

Matrimonium innota lege quibus validitatem quibus legibus subjiciatur.

COntractus Matrimonialis Sacramentalis *in lege nova, solis legibus divinis naturalibus, & ecclesiasticis subjicitur, & conformis esse debet quoad validitatem.*

Ratio est: Quia ecclesia sola potest impedimenta matrimonii statuere, aut divinas naturales leges illud spectantes interpretari, prout in sequentibus magis patebit.

Dixi (*quoad validitatem*) Potest enim Magistratus civilis quædam impedimenta & leges Matrimoniis imponere, quæ etsi contractus Matrimoniales in foro Dei non annullent, obligant tamen aliquando in foro conscientiæ quoad culpam, & in foro civili quoad pœnam.

TITULUS III.

De Impedimentis Contractum Matrimonialem dirimentibus, Specialiter, De impedimentis Erroris seu ignorantiæ, Conditionis, Coactionis per vim vel metum, & Raptus mulieris.

QUÆSTIO I.

Quot sint Impedimenta Matrimonium dirimentia.

ETsi jam ex occasione nonnulla Impedimenta matrimonii detexerimus, quæ oriuntur ex natura contractus, ne tamen confusio aliqua oriatur, & ut communis doctrina de impedimentis illis simul detur, omnia subjicio.

CONCLUSIO I.

Impedimenta dirimentia matrimonium 14.

IMpedimenta Matrimonium dirimentia quatuor decim referuntur, nimirum, *Ignorantia sive Error; Conditio; Votum; Cognatio, Crimen; Cultus disparitas; Coactio sive Vis; Ordo sacer: Matrimonium cum altero conjuge; Honestas ex sponsalibus orta; Affinitas intra certos gradus: Impotentia naturalis coitus perpetua Matrimonium antecedens,* & ex Concilio Tridentino. *Absentia Parochii & testium;* nec non *Raptus mulieris.* Porrò hæc omnia his versibus comprehenduntur

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi & duplicis desit præsentia Testis;
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ;
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant.

Quæ omnia quia fusiorem requirunt tractationem, pro majori distinctione ac claritate ea solum hoc titulo prosequar, quæ vel ex verò defectu sufficientis consensûs certum habent, vel ex præsumptione defectus hujusmodi juce Ecclesiastico stabilia sunt; reliquis per subsequentes titulos congrue distributis.

QUÆSTIO II.

Quid intelligatur per Impedimentum Erroris sive ignorantiæ?

CONCLUSIO.

Impedimentum Erroris & ignorantiæ quid.

IMpedimentum Erroris sive ignorantiæ dicitur, *quando quis errat positivè circa substantiam personæ.* Utpote, cum quis putat, & credit se contrahere cum una persona ex. g. cum Rachele, & contractu facto invenit esse aliam ex. g. Liam: hic enim error ex rei natura annullat consensum, quia in personam talem vere non consensit, ut suprà explicatum est tit. præc q. 3.

Ad *Errorem* sive *ignorantiam* similiter reducitur privatio sensus vel advertentiæ in personis contrahentibus, utique quia non advertit, aut non possunt sufficienter advertere ad substantiam actus sive contractus quem faciunt sive neuntur ut pueri ante usum rationis, amentes furiosi, actu ebrii usque ad privationem rationis &c. Hi enim saltem privative errant & ignorant, cùm non sint capaces usus rationis, & consequenter nec consensus.

Ratio itaque hujus impedimenti est: Quia talis error, & ignorantia, in quocumque contrahente existat, privat hominem vero consensu, qui essentialiter ad contractum rationalem requiritur. Vide quæ suprà citata q. 3. dicta sunt.

QUÆSTIO III.

Quid intelligatur per impedimentum conditionis.

CONCLUSIO.

Impedimentum conditionis quid?

IMpedimentum Conditionis est; *Si quis putans se ducere liberam ducit mancipium.*

Ratio hujus impedimenti est: Quia etsi in persona quoad substantiam non erret, errat tamen in hæreditaria & velut necessariò concomitante conditione, quæ personæ adhæret, & personam vitiat, qualis est perpetua servitus, & pœna generis sive posteritatis. Unde interpretatione communi juris, qui conditionem hanc in persona penitus ignorat, aut positivè credit non inesse, non censetur consensisse; neque enim quis censetur se, & suam posteritatem velle servituti, aut pœnæ publicæ aut civili subjicere, nisi pœnam & servitutem cognoscat, quæ necessariò personæ adhæret. Aliud esset si contrahens sciret personam, cum qua contrahit, esse mancipium: tunc enim consiat eum consentire; neque enim mancipium incapax est Matrimonii, & viro libero integrum est mancipium feminam in uxorem ducere, & e contra feminæ liberæ, virum servum sive mancipium.

Contrahens scienter cum mancipio valide contrahit.

Addo, si quis contraheret cum ancilla mancipio, sub spe & conditione quòd libertate donaretur, Matrimonium validum esset, quia tunc supponitur personæ conditionem scire & consequenter in personam consentire. Unde duo hic singulariter notanda sunt 1. *Conditionem* mancipii vel servitutis non annullare matrimonium per se quia (ut dixi) mancipium vere matrimonii capax est, sed ignorantiam dictæ conditionis illius, ratione cujus qui ita contrahit, non præsumitur consensisse. 2. *Conditionem* mancipii seu servitutis redundare in ipsam personam & ipsam inficere quadā pœnalitate matrimonii bonis contraria: Et si enim ad generationem prolis mancipium sit aptum, tamen servitus illa adhærens est plane contraria certis bonis, ut prolium educationi, mutuæ consuetudini & cohabitationi, denique libero Matrimonii usui, & consequenter traditionem potestatis in corpus mutuum enervat & diminuit: potest enim dominus impedire mutuam mancipiorum habitationem, copulam, addicere servum vel mancipium seu servam laboribus Matrimonio incompatibilibus, denique vendere alteri, & in longinquas terras transferre, & omnem actum potestatis matrimonialis annullare: prætereaquam quod & filii ex serva sive ancilla mancipio nati, eandem servitutem subeant, quia secundùm leges civiles proles in conditione servitutis sequuntur conditionem matris, à qua carnem sumpserunt.

Dices, qui ducit in uxorem puellam vulgatem, putans esse nobilem: vel meretricem credens esse virginem: imò & sortilegam & veneficā ignorans quòd talis sit, validè matrimonii init. Atqui conditiones illæ, etsi redundent in personam & personæ adhæreant, imò & ultima infamiam & pœnas divino judicio stabilitas secum trahat, non annullant matrimonium: Ergo nec *conditio* servilis ignorata. Respondeo, negando consequentiam. Ratio disparitatis allata est, quia conditio servilis Bonis matrimonii per se contratiatur, & perfectam corporis traditionem diminuit & enervat: non sic in allegatis; neque enim ignobilitas, aut vulgaris

Contrahens cum vulgari putans nobilem, &c. immo cum sortilega tamen ignorans valido cōtrahit.

alterutrius aut virginitas, vel corruptio, aliquid per se ad matrimonii contractum cōfert, sicut nec divitiæ, paupertas, pulchritudo aut deformitas, sed illis stantibus omnia bona matrimonii, quæ per matrimoniū, quatenus matrimonium est, intenduntur, integra sequi possunt.

Fortè aliquis tertium de sortilega vel venefica posset magis urgere: verum nec ignorantia, nec error circa hujusmodi conditionem matrimonium annullat, quoniam non est conditio personæ, qua personæ est, sed conditio voluntaria, cui per pœnitentiam saga renuntiare potest, & bonis omnibus Matrimonii, qua Matrimonium est, satisfacere.

QUÆSTIO IV.

Qualiter impedimentum fundatum in vi & metu matrimonium invalidet?

HIc Doctores multa congerunt super hoc Impedimento, de *Vi* & *Metu* à contrahentibus Matrimonium: cùm enim, quod *Vi* aut *Metu* fit, involuntarium censendum sit, saltem ex parte qua vis vel metus voluntatem cogunt, & velut voluntati dominantur, si voluntas matrimonio vi vel metu adacta consentiat, etsi vere velit, liberè tamen non vult, vi vel metu libertatem tollente. Resolvunt itaque Doctores communiter Matrimonium, vi vel metu in constantem virum cadente contractum, nullum esse & invalidum, utique quia vere voluntarium non est. Sed super hac resolutione tot ferè quæstiones quot verba multiplicantur: nimirum quis sit ille metus, qui tollat voluntarium? quis censendus sit cadere in virum constantem? quis censeatur in hoc casu vir constans? quæ sint causæ sufficientes ad hunc metum causandum? De quibus omnibus breviter per sequentia dubia.

DUBIUM I.

Quæ requirantur ad hoc ut consensus in Matrimonio censeatur sufficienter voluntarius?

ANte Resolutionem 1. hic distinguendum est voluntarium. Aliud enim est voluntarium simpliciter & absolutè, quod nimirum provenit à voluntate liberè se movente absque ulla vi, coactione, metu vel conditione. Aliud est voluntarium secundum quid, quod nimirum à voluntate, non simpliciter, sed supposita aliqua conditione vel causâ voluntatem contra propriam & liberam inclinationem propellente, immò (ut ait Scotus) voluntate remurmurante; & hoc vocatur ab aliis voluntarium mixtum, quia voluntas ex parte non vult, re nimirum integra, & supposita omnimoda & plena libertate, unde & actus censetur involuntarius; ex altera tamen parte, supposita conditione, vi vel metu, ad evitandum majus malum, quod apprehendit, voluntas quantumvis interius murmurans se determinat; ut in

Voluntarium simpliciter & absolute.

facto mercatoris in naufragii periculo projicientis merces in mare exemplificatur: non enim vult suas merces projicere, nisi quia cogitur ad alleviandam navim & servandam vitam.

2. Distinguendum est inter vim sive violentum simpliciter & absolutè, & inter violentum secundùm quid, quod & mixtum. Violentum enim simpliciter dicitur, quo quis absolutè contra omnem voluntatem, sive voluntate per omnia contradicente aliquid impellitur; ut cum Eleazari ori violenter *aperto*, & *hianti* carnes porcinæ imponebantur ut comederet: quo sensu à Juristis vis describitur: *Majoris rei impetus, qui repelli non potest*; & hoc violentum vocatur, *mera coactio*, cui nullatenus voluntas consentit. Violentum mixtum & secundùm quid dicitur, in quod secundum se absolutè voluntas non consentit, patitur tamē illud ad evitandum majus malum quod apprehendit.

2. Mach. 6. 18.

3. Distinguenda est in voluntario mixto qualitas & quantitas voluntarii vel involuntarii. Aut enim ratio involuntarii ita excedit voluntarium, ut positivum voluntatis actum omnino tollere videatur, & ipsa se habeat tantùm negativè, sive permissivè, ut cum Joannes metu cadente in virum constantem adactus non tam positivè in matrimonium consentit, quàm quantumvis invitus permissivè patitur non impediendo, & negative non contra dicendo. Aut ratio voluntarii in voluntarium excedit & absorbet, ut non obstante voluntatis ob murmurationē positivè consentiat, & explicatur his terminis, quoniam oportet, ego positivè consentio ut fiat, etsi alias meâ libertate non facturus.

RESOLUTIO I.

AD Matrimonium requiritur e natura ejus consensus absolutè voluntarius.

Ratio sumitur ex ipsis visceribus institutionis Matrimonii, Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ubi juxta patres, *Adhæsio*, unionem animorum & individuæ societatis significat, quæ esse non potest nisi liberâ voluntatum consensione & affectu: qui enim fieri potest, ut perpetuo sibi vinculo conjuges uniantur, si desit glutinum illius connexionis, quæ est mutua in propria corpora potestatis traditio, & quæ imaginari potest realis tantæ potestatis traditio, nisi absolutæ voluntatis consensu fiat? Sane omnem hujus conjunctionis causam refert Apostolus in *dilectionem*, quam comparat illi, *qua Christus dilexit Ecclesiam*: amore scilicet, & affectu absoluto, & ita indissolubili, ut quod semel assumpsit, numquam dimiserit, nec dimittet (juxta Damascenum) tam conjunctione naturæ voluntariâ, quàm dilectionis.

Consensus absolutè volūtarius requiritur ad matrimonium.

Gen. 2. 24

Ephes. 5. 25.

***

RESOLVTIO II.

Quid si voluntarium & involuntariū fine simul conjuncta.

AD validitatem Matrimonii requiritur ut voluntarium superet & absorbeat involuntarium si simul sint conjuncta. Et hæc est regula & statera, ad quam expenoi debent voluntarii & involuntarii mixti consensus in Matrimonio cum de absoluta voluntate & consensu dubitatur & controvertitur, ubi enim voluntarium excedit & absorbet involuntarium, signum manifestum est matrimonii validi; ubi verò e contra involūtarium superat & excedit rationem voluntarii Matrimonium nullum est, & ad hunc velut lydium lapidem examinari debent, quæ de vi, metu, & in iis nolitione aut volitione dicenda sunt. Explico exemplo: Maria suasione, precibus, inductionibus, promissis, timore filiali inducitur, & vel ut impellitur ad contrahendum matrimonium cum Petro; ipsa his inducta, ne parentem offēdat, aut alia causa, positive & de facto consentit in matrimonium, renitente interim inclinatione & voluntatis affectu, in casu illo Matrimonium validum est, quia etsi adsit involuntarium quoddam ex parte inclinationis & affectus voluntatis, voluntariū tamen vincit & superat quod est cōtrariæ inclinationis & affectus, & voluntas victa suasionibus & inductionibus censetur verè consensisse, & seipsam determinasse. Itē Maria metu, minis, importunis precibus, exprobrationibus &c. inducitur, ob evitāda majora mala quæ apprehendit, ad contrahendum matrimonium cum Petro; ipsa, ne malum apprehensum ipsi eveniat, negarivè consentit, & permissive se habet, mavultque id ipsum pati, quàm malum apprehensum tolleare, aut importunitatibus, exprobrationibus, vel duriori servituti subjici; in hoc casu matrimonium invalidum est, quia involuntarium voluntario prævalet, & voluntariū absorbet, aversione enim & quodam odio perseverante, non tam vult aut Matrimonio consentir, quam negativè & permissive se habet, & patitur, quod congrue à se amoveri non posse apprehendit, quæ omnia ex sequentibus magis patebunt.

Item casu in oro est invalidū.

DUBIUM II.

Quis censeatur metus cadens in constantem virū, & qualiter matrimonium invalidet?

HIc non ago de vi & violentia sive coactione absoluta, quia illa tarò contingit, & per se notum est illam tollere omnimodam libertatem voluntatis, & voluntarium consensum; agendum verò magis est de metu, quia est effectus immediatus cujuslibet coactionis causans involuntarium; est enim metus juxta Juris-Consultos: *mentis trepidatio ratione instantis vel futuri periculi incussi.*

Metus quid sit.

RESOLUTIO I.

Metus cadens in cōstantē virū quis?

MEtus cadens in constantem virum censetur, qui ex apprehensione vera gravioris mali imminentis vel futuri oritur, rationabiliter suadens eligēdum minus malum ad evitandū majus.

Dixi (*qui ex apprehensione vera*) ad tollendam apprehensionem imaginariam, & phantasticam, quæ nullo vero fundamento nititur.

Dixi (*gravioris mali imminentis vel futuri*) apprehensio enim mali levioris & minoris momenti non potest metum incutere viro cōstanti.

Dixi (*rationabiliter suadens eligendum minus malum &c.* debet enim persuasio ex circumstantiis rationabilis esse, nam irrationabilis & ficta persuasio, nec viro convenit, nec constantiam movere potest.

RESOLUTIO II.

Ad eum dijudicādū quinq, potissimū examināda.

ADmetum in constantem virum cadentem dijudicandum quinq; potissimū examinā la sunt. Persona vel quasi persona metum incutiens: Persona cui incutitur: Malum quod imminet: Media incutiendi: apparentia secuturi effectus.

Primò igitur attendēda est *persona vel quasi persona metum incutiens*, si nimirum potestate emineat, ut princeps, magistratus, parens, tutor &c. Item, si sit persona iracunda, moribus ferox, tenax suæ opinionis, indignabunda, amari animi, crudelis, quæ soleat quod minatur exequi.

Secundò attendenda est *persona cui incutitur* per constantem enim virū, in quem cadere metus dicitur, non designatur virilis sexus singulariter, sed animi (juxta conditionem personæ cui incutitur) sexui vel ætati congrua & conveniens fortitudo & constantia: alia enim attendēda est constantia, sive animi fortitudo in viro, alia in fœmina, ratione sexus imbecillioris; alia in viro forti & robusto, alia in adulescentulo vel puero; alia in viro libero, alia in filio-familias, parentis, tutoris, vel alterius disciplinæ subdito; alia in femina ætatis grandioris; alia in puella sub alterius cura & ferula consistente. Illis enim ex natura, complexione, ætate, educatione non competit eadem qualitas animi, & consequenter nec constantia, sed constitutio naturæ & educationis attendenda est, ut metus qualitas discerni possit respectu patientis. Vide Basilium Pontium l. 4. de Matrim. De consēsu ex metu & dolo, c. 2. num. 10. Ubi prò hac doctrina citat multos Authores & decisiones Rotæ.

Tertiò attendendum *malum quod imminet*, ut nimirum sit reverā grave in se, vel æstimatione morali, & non tantum in comparatione alterius mali minoris: si enim grave saltem æstimatione morali non sit, metus ex eo incussus gravis non æstimabitur, & consequenter in virum constantem cadere non reputabitur.

Quartò, attendendus est *modus*, *quo talis metus incutitur*: & quidem primò ex motivo quo incutitur, debet enim injustè incuti; si enim motivo justo incutiatur, erit etiam metus justus & rationabilis, exigens consensum rationabilem & justum. Ex. g. Judex minatur mortem Joanni qui virginem defloravit, nisi illam in uxorem ducat: metus iste censetur justè incussus ad extorquendum consensum justum & rationabilem, adeoque non est hæc violentia, sed justitia. Demum modus, quo metus incutitur, examinandus est, & minis injustis, precibus & suasionibus (ut vocant) armatis exprobrationibus, indignationibus, aversionibus, verberibus &c. quæ modos illos comitari solent.

Quintò videnda est *apparentia effectus*, sive mali imminentis aut futuri, si meritò timeatur eventurum, quod ex prioribus factis & circumstantiis expendendum est: si enim non esset apparentia futuri alicujus mali, sicut fictæ comminationis essent, sic & inutilis pavor & formido judicaretur.

RESOLVTIO III.

Resolvitur quis metus impediat ac dirimat matrimonium.

Metus verus mali alicujus gravis juxta quinque considerationes suprapositas examinatus & injustè incussus Matrimonium contrahendum impedit, & dirimit contractum, nisi libertate restituta, qui hoc metu consensit, & consensum revalidet & restituat.

Ratio constat ex supradictis; causat enim involuntarium, & si quid voluntarii reperiatur, illud non est nisi imperfectum, quod & ab involuntario absorbetur & superatur. Moneo verò, ut prout in 2. adnotatur positum est, habeatur semper ratio personæ, cui metus incutitur: Experientia enim didici quanta mala eveniant Adolescentibus, puellis, & infirmi sexus personis ex simili metu incusso, in electione status non tantùm Matrimonialis sed & Religiosi, de quibus mihi constat electiones illas statuum contra salutem illarum vere vi & coactione factas, metu voluntarium absorbente.

DUBIUM III.

An metus reverentialis invalidet Matrimonium?

Metus reverentialis justus ac pius ejusque objectum.

ANte Resolutionem metus reverentialis distinguendus est. Alius est pius & justus, qui pro objecto habet dilectionem & observantiam, quique concurrit cum timore filiali, quo eos, qui potestatem patriam vel legalem in nos habent, ita suspicimus & reveremur, ut eos offendere metuamus; & de hoc metu sive timore non agitur, hic enim nihil mali infert, nec libertatem subditorum tollit, sed ad bonum allicit & in observantia fideli continet. Alius est metus reverentialis, qui pro objecto habet potestatem & vindictam, & cum timore servili magis convenit, quo eos, qui in nos habent patriam vel legalem potestatem, formidamus, ob malum aliquod grave quod apprehendimus, si ab eorum voluntate vel beneplacito declinemus. Et de hoc metu hic quæstio est: ut sit sensus: An filius vel filia-familias contrahens Matrimonium cum aliquo, à quo avertitur, ex eo solùm quòd graviter & meritò apprehendat, si refugeret, insanam indignationem, vindictam, patris vel matris perpetuam aversionem, aut alterius, qui patriam vel legalem potestatem exercet, eo quod noverit vel expertus fuerit in aliis hujusmodi acerbitatem, nec alias contraheret cum illa persona, si hic metus non impelleret, censeatur sufficienter in Matrimonium ejus consentire; an verò potius Matrimonium tali metu reverentiali contractum, defectu sufficientis consensus, censendum sit invalidum?

RESOLVTIO I.

Irritat matrimonium si sit conjunctus minis &c.

Metus reverentialis comitantibus minis, sollicitationibus, importunis precibus &c. si sit conjunctus apprehensioni veræ mali gravis imminentis vel futuri, irritat matrimonium.

Ratio eadem est quæ superiorum resolutionum dubii 2. Hic enim metus superat voluntarium, & in virum constantem juxta considerationes superius allatas cadere censetur: nec vere velle aut consentire censendus est, qui tali metu perstringitur, sed tantum ad evitandum grave malum permissive se habere, vel potius pati.

RESOLVTIO II.

Similiter dum ex eo verè apprehenditur indignatio & aversio perpetua, & e parentum. et. h non adhibitis minis.

Metus gravis reverentialis, quo verè & meritò grande malum, ut indignationis & aversionis perpetuæ aut similium diuturna parentum, exheredationis, abjectionis &c. apprehenditur, cujusque quis in matrimonium non consentiat, irritat matrimonium sicut & Religiosam professionem & alios contractus, etsi alia comminationes vel importuna sollicitationes non adhibeantur.

Ratio eadem quæ suprà, quia verè voluntarium positivum tollit, &, ut supponitur, æqualiter grave malum timetur. Requiritur tamen ut sit metus fundatus v.g. in acerbitate animi in vindictam proni sufficienter cognita, & non tantùm ex levitate suspicionis apprehensa, utpote in aliis similibus casibus probata. Vide Basilium Pontium suprà c. 5. per totum, cui lubens assentior, tam ob rationes quas affert, quàm ob experientias multorum eventuum, quos in diversis personis non sine dolore palpavi: Necessarium tamen judicio, ut casibus similibus acidentibus tam metus quàm causa benè examinetur à prudentibus doctis & expertis, quia ad materiam facti plus spectant quàm juris, & violentia & coactio, sive involuntarium ex factis melius, quàm per generales jurium doctrinas deprehenditur.

QUÆ-

QVÆSTIO V.

Quis dicatur verus Raptus: & quæ ad illum requiratur ut sit impedimentum dirimens?

Trid. Textus Concilii Tridentini sess. 24. de Reform. matrim. c. 6. quoad hoc impedimentum sic habet: *Decernit Sancta Synodus inter Raptorem & Raptam quamdiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si Rapta à Raptore separata & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat &c.* Ex quibus verbis constat inter Raptorem & Raptam, quamdiu ipsa est in potestate Raptoris, esse impedimentum dirimens.

CONCLUSIO.

Raptus verus quis. RAptus verus dicitur, quo puella violenter ex parentum potestate extrahitur ad matrimonium contrahendum. Ex qua diffinitione tria colligo ad Raptum, ut sit impedimentum dirimens necessaria.

Ad raptū tria necessaria. I. Ut fiat violentia ipsa puella, si enim puella consentiat ad abeundum & nubendum, jam non est Raptus, quia sponte censetur abiisse, etsi verbis & promissis inducta fuisset.

II. Est, *ut extrahatur à potestate Parentum*, (sub quibus etiam tutores intelligendi sunt:) si enim contingat quòd in Parentum vel tutorum domo puella in matrimonium consentiat, ibique contra parentum voluntatem & insciis parentibus contrahat, jam non censetur rapta, etiamsi postea abduceretur.

III. Requisitum est, *ut violenter extrahatur ad effectum matrimonii*, si enim quis puellam è domo parentum violenter abduceret tantum, ut ea abuteretur, stuprum quidem & violentia esset, Raptus tamen, ut est impedimentum dirimens matrimonium, non esset, etsi gravioribus pœnis dignum.

Petes 1. Quo jure Raptus dirimat matrimonium contractum?

Respondeo 1. Divino jure naturali, supposito quòd puella verè non consentiat, sed vim raptus patiatur. Ratio est, quia jure naturali ad matrimonium requiritur consensus mutuus.

Respondeo 2. Posito quòd puella per vim abducta postea verè & libere consentiat, quamdiu in potestate Raptoris est, impeditur sive etiam dirimitur matrimonium jure Ecclesiastico. Hoc enim justè constitutum est à Concilio Tridentino, ad evitanda gravissima peccata, & ad consulendum libertati ipsius Raptæ, quæ quamdiu est in potestate Raptoris, non judicatur frui plena libertate, ideoq; antequam consentiat, separari mandatur, & in loco aliquo tuto & libero extra potestatem Raptoris constitui.

Petes 2. Quæ pœnæ Raptoribus sint decretæ? Respondeo quocumque casu, etiamsi Raptor postea raptam in uxorem ducat ipsâ libere consentiente, ad horrorem tamen sceleris. 1. Excommunicationem incurrit, sicut & omnes qui ei ad raptum consilium, auxilium, & favorem dederunt. 2. Perpetuo cum cooperantibus infamis est, & omnium dignitatum incapax. 3. Sive raptam duxerit, sive non, debet illam dotare decenter arbitrio judicis: Et hæc sunt de jure moderno.

TITVLVS IV.

De aliis quinq; impedimentis dirimentibus, videlicet?

Impotentiæ, Voti, Ordinis, Ligaminis, & Criminis.

HÆc iterum conjungo, quia ex quodam defectu materiæ, quæ in contractum matrimonialem deducitur, fere ortum habent, aut ratione inhabilitatis illius ad fines contractus matrimonialis (ut in impedimento impotentiæ) aut ratione præcedentis alteri factæ traditionis ac obligationis (ut in impedimentis Voti, Ordinis Sacri, & Ligaminis:) Addidi Criminis impedimentum, quia ne prius vinculum violetur, aut citiùs, quam par est, dissolvatur ab Ecclesia ordinatum est. Cur hæc impedimenta cõjungãtur.

QUÆSTIO I.

Quænam impotentia Matrimonium invalidet?

CONCLUSIO.

IMpotentia perpetua coëundi Matrimonium *præcedens, undecumque proveniat, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractũ.* Impotentia perpetua coëũdi dirimit matrimonium.

Ratio est: Quia cum finis Matrimonii sit aut proles, aut libidinis remedium, qui ad neutrum finem aptus est, consequenter ad matrimonium est ineptus.

Porrò in coitu duo concurrunt; Primum est congressus, sive immissio sufficiens membri virilis in vas muliebre: Secundum est seminatio sive emissio veri seminis intra vas prædictum: Qui igitur, sive ex naturali impotentia, sive ex morbo, maleficio injuria vel quacumque de causa, ante matrimonium laborat impotentia perpetua in alterutro, vel utroque ad coitum requisito censetur impotens & inhabilis ad matrimonium contrahendum, redditurque nullum si contrahere attentet.

***

CONCLUSIO I.

Matrimonium non fuit ſingulis in individuo à principio ſub præcepto demandatum.

NUmquam fuit præceptum ſingulis viris, feminiſve Matrimonio jungi, & prolem procreare.

Hoc conſtat ex ipſo naturæ exordio: Quia aliàs Abel convinceretur peccaſſe, de cujus Matrimonio nil in ſcriptura legitur; minus de procreata prole. Et quidem magnos pudicitiæ viros fuiſſe conſtat, qui diutisſime à matrimonio abſtinuerunt, ut qui ex ſemine benedicto Seth orti fuerunt, cum & Seth ante annum ætatis centeſimum quintum non genuerit; & Enos ejus filius nonaginta eſſet annorum antequam primum filium genuiſſet; & ſic de aliis, ut videre eſt per ordinem Gen. c. 5. Quòd ſi Matrimonio jungi, & proles generare fuiſſet præceptum, quis dicat primos illos homines, majoris ſine dubio virtutis generativæ, aut tam tarde Matrimonia iniiſſe, aut tam tarde liberos procreaſſe?

CONCLUSIO II.

Matrimonium non niſi in genere præceptū fuit.

IMperium de propaganda prole Adamo quidem ſpecialiter; homini autem in genere tantùm impoſitum eſt, non autem individuo cuilibet.

Patet ex verbis Scripturæ, *Creſcite* (inquit) *& multiplicamini*: quæ paſſiva ſunt, & ad propagationem generis humani terminantur, non ad actum ſingulorum individuorum, quorum aliqua ob ſterilitatem, mortem prævenientem, & infirmitates non erant capacia generationis. Præterquam quòd virginitatis virtus, etſi forte in paucis ante Chriſtum uſurpata, ſemper tamen in pretio fuerit. Unde etſi ad multiplicationem generis humani Matrimonium, ut naturæ officium, & ut propagationi neceſſarium, obliget in genere homines, non tamen Petrum aut Paulum in individuo: ſufficit enim ut propagationi ſatisfiat, cui ſatisfieri poteſt, etſi non tantùm undecim millia, ſed etiam milliones virginitatem ſectarentur. Unde bene S. Auguſt. l. de Bono viduitatis cap. 23. *Non vos ab hoc ſtudio, quo multas ad imitandum vos excitatis, frangat querela vanorum, qui dicunt: Quomodo ſubſiſtet genus humanum ſi omnes fuerint cōtinentes? quaſi propter aliud retardetur hoc ſæculum, niſi ut impleatur prædeſtinatus ille numerus Sanctorum? quo citiùs impleto, profectò nec terminus ſæculi differetur.* Vide etiam ſententiam S. Hieronymi adverſus Vigilantium circa finem.

Virginitas ante Chriſtum fuit æſtimata.

S. Auguſt.

S. Hieron.

QVÆSTIO IV.

An Matrimonium, prout à Deo in ſtatu Innocentiæ inſtitutum, pro omni ſtatu & lege inſtitutum ſit & in omni lege etiam Evangelica perſeveret?

QUæſtio hæc neceſſaria eſt, ut quis de Matrimoniis ſecundùm omnem legem judicare, & Matrimonia infidelium, & hæreticorum intelligere valeat.

CONCLUSIO I.

Matrimoniū ut in Statu Innocētiæ inſtitutū fuit, quoad eſſētialia adhuc perſeverat.

MAtrimonium à Deo in ſtatu innocentiæ ad officium naturæ inſtitutum, pro omni ſtatu ſive lege inſtitutum fuit, uſque in hanc horam juxta eſſentialia ſua, etiam in lege Evangelica, perſeverat.

Concluſio manifeſtè declaratur ex Matrimonii deſcriptione ſuprà poſita: Matrimonium enim, ut ab authore naturæ inſtitutum eſt, in eſſentia nihil aliud fuit, quam *individua conjunctio maris & feminæ legitimo contractu inita & firmata, ad prolem generandam inſtituta*: Atqui in omni lege tam Naturæ, quam Moſaica & Evangelica, omnia illa eſſentialia perſeverant, abſque aliqua in ſubſtantia ſua immutatione: Ergo & ipſum Matrimonium, prout in officium naturæ à Deo in Statu Innocētiæ eſt inſtitutum. Minorem ſic expendo: Tria in matrimonio primævæ naturæ requirebantur: Materia: nempe perſonæ habiles: Forma; utpote conſenſus utriuſque conjugis legitimo contractu expreſſus: ex quibus oritur tertium: Conjunctio individua maris & feminæ ad finem procreandæ prolis, in qua conſiſtit matrimonii effectus perſeverans: Omni autem tempore, omni lege, hæc ipſa requiſita ſunt, & modo requiruntur, ac per eadem adhuc modò Matrimonium efficit & coaleſcit, ergo &c.

CONCLUSIO II.

Matrimonii primævi ſubſtātia ſucceſſu temporis non eſt innovata.

OMnia quæ ſucceſſu temporis vel immutata, vel addita ſunt, nihil in ſubſtantia & eſſentia Matrimonii innovarunt, ſed tantùm in iis, quæ à legibus ob bonum univerſi pendebant, conditiones nullæ pro ratione circumſtantiarum ſucceſſerunt, & ſuperaddita ſunt.

Explico: In lege naturæ poſt ruinam peccati, & ebullitionem concupiſcentiæ carnis Matrimonium, quod officio naturæ tantum deputatum erat, in remedium concupiſcentiæ etiam à Deo ordinatum eſt, manente officio propagandæ prolis, tamquam baſi Matrimonii. Item, quia paucitas perſonarum, homine jam morti & eventibus morborum expoſito, orbis repletionem impediebat, à Deo Polygamia permiſſa fuit. Item ſucceſſerunt quædam perſonarum inhabilitates, de quibus aliàs.

Iterum, in Lege Moyſi circa perſonarum habilitates & inhabilitates nonnulla ſunt Lege Eccleſiaſticâ ſancita, & nonnulla ex diſpenſatione Dei per Moyſen decreta, ſalvâ ſemper Matrimonii ſubſtantiâ & eſſentiâ.

Tandem, in Lege nova Matrimoniū, quod in officium naturæ ad illud uſque tempus remanſerat, ſubſtantiâ & eſſentiâ immutatâ, ad ſublimiorem gradum Sacramenti Redemptoris gratia evectum eſt: Quidquid autem additum eſt, eſſentiam Matrimonii in ratione Matrimo-

trimonii non excessit, nec Matrimonii primitus instituti essentiæ in aliquo derogavit, quinimmò potius aut puriora sua principia & fundamenta, quæ Deus posuerat. Lex nova Matrimonium reduxit, & prærogativis spiritualibus exornavit, ut infra declarabitur.

QUÆSTIO V.

Quid ratio Sacramenti novæ legis Matrimonio addiderit & quid sit Matrimonii Sacramentum?

Sacramēti in genere definitio.

QUæstione Superiori dictum est, immutatâ naturâ & essentiâ Matrimonii juxta primam Institutionem, Christum in nova legetantum illi superaddidisse *rationem Sacramenti*. Modo quæritur quid dicat ista *ratio Sacramenti* & quid superaddat:

Reperenda verò est 1. Diffinitio Sacramenti, quæ est: *Invisibilis gratiæ, signum visibile ad sanctificationem institutū*: sive, ut Doctor Subtilis describit in 4. dist. 1. q. 2. num. 9. *Signum sensibile ex institutione divina gratiam & effectum gratuitum efficaciter significans, ordinatū ad salutem hominis Viatoris.*

Advertendum 2. Matrimonium in sua primæva institutione in statu innocentiæ non fuisse Sacramentum; quia nec fuit signū gratiæ gratum facientis, nec illam operabatur, sed fuit nudum signum ejus quod fiebat, nimirum individuæ conjunctionis maris & feminæ à Deo ad procreationem sobolis ordinatæ; ubi nec gratiæ alicujus gratum facientis fit mētio, nec gratia in Statu illo opus fuisset, cùm per justitiam originalem natura integerrima esset, nullum patiens motum concupiscentiæ, aut inordinatæ passionis. Unde frivolum est, quod aliqui fingunt, Deum, cum Matrimonii effectus ordinaret, usum verbo *Benedixit* &c. quasi indicando gratiæ in matrimonio infusionē & consequenter Sacramēti institutionem: Illud enim verbum *Benedixit* fœcunditatis quoddam donum magis indicat, & bonæ imprecationis, & benevolentiæ divinæ potius signū, quam gratiæ collatio fuit, qua (ut dixi) tempore primævæ institutionis in statu Innocētiæ primi parentes non indigebant; præterquam quod & iisdem verbis usus sit Deus post creationem piscium & avium Gen. 1. *Benedixitq; eis dicens: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris, avesq; multiplicētur super terram.* Non minus frivolum est, quod Author quidā refert Matrimonium quidem in Statu Innocentiæ non fuisse Sacramentum; post peccatum tamen, jam concupiscentia insurgente contra hominem, Sacramentum factum esse: Intenditque illud probare ex c. 9. Genes. per illa verba *Benedixitq; Deus Noë, & filiis ejus: Et dixit eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram* &c. Hæc enim verba donum fœcunditatis significant, cùm jam humanum genus in octo tātum hominibus reservatum esset; nec aliud verbum additur, in quo gratiæ alicujus, vel sanctificationis umbra contineatur. Fateor plures Patrum sensisse Adamum in illa soporifera extasi notitiam aliquam incarnationis futuræ accepisse, quam involucro quodam verborum *Hoc nunc os ex ossibus meis* &c. videtur insinuasse, quasi ex latere Christi, secundi Adam, Ecclesia in similitudinem formationis Evæ de latere Adami formanda esset; verùm quidquid fuerit, ad summum figura tantùm & signum prognosticon futuri fuit, sicut & aliæ Testamenti veteris figuræ; Sacramenti tamen gratiæ efficacis nullam rationem habuit, ut jam sæpius repetitum est.

Verbum Benedixit. Gen. 1. 28. *quid significet?*

Gen. 1. 22.

Gen. 9. 1.

Quid sentiāt aliqui Patres de his verbis Adami. Hoc nūc os &c. Gen. 2. 23.

Advertendum 3. Successu temporis primam institutionem matrimonii sive matrimonium, ut primo institutum; dispensationibus variis alteratum fuisse, Deo sic condescendente, ut naturæ infirmitatibus satisfieret.

Et 1. quidem per Polygamiam, quæ eo solo titulo concessa est, ut genus humanum propagaretur, eò quòd & pauci homines pro orbis repletione essent, iisque infirmitatibus, & mortalitate subjacerent. Hanc enim solam causam dispensationis divinæ affert S. Joannes Chrisost. Hom. 56. in Gen. circa medium sine qua dispensatione nec Polygamia licita fuisset. quinimmo nec Polygamiam ante diluvium in Scriptura legimus, nisi in Lamech, quem Nicolaus Papa scribens Lothario Regi (apud Gratianum 24. q. 3. c. *An non*) adulterii & flagitii notat; ita ut tantum post diluvium divina inspiratione permissam fuisse colligatur ex facto Patriarcharum & Sanctorum, quos contra divina instituta exemplo malo & publico peccasse asserere parùm pium esset. S. Chrys.

2. Dispensatum fuisse in indissolubilitate Matrimonii constat ex divortio & libello repudii apud Judæos lege permisso Deut. cap. 24. *Si acceperit homo uxorē, & habuerit eam, & non invenerit gratiā ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: scribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittit eā de domo sua.* Et ut non veniat suspicio, quòd dimissio illa tantùm esset à thoro, & cohabitatione, non autem cum potestate alteri nubendi, subdit aliam legem: *Cumq; egressa alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam. dederitq; ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certe mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem. quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino* &c. Deut. 24. 1.

Porrò cur Dominus permiserit Moysi dispensare in ista indissolubilitate, ex primæva institutione orta, explicat Christus Matth. 19. ubi interrogantibus Judæis: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii & dimittere?* Ait illis *Quoniam Moyses, ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic* Ubi per duritiam cordis Intelligitur crudelitas Judæorum qui in uxores non gratas etiam usque ad necem sæviebant, ut bene explicat S. Hieronymus in hunc locum, qui etiam notat Christum retulisse dispensationem, sive potius permissionē dimissionis in Moysen, non in Deum: *Ut* (inquit) *juxta Apostolum Consilium esset hominis,* Mat. 19. 7. 8. S. Hieron.

non

non imperium Dei, quamvis tamen, Deo legislatore annuente, hanc promissionem dederit Moyses, Rationem tandem hujus permissionis ibidem refert S. Hieronymus: *Moyses* (ait) *cùm videret propter desiderium conjugum secundarum quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interfici aut malam vitâ ducere maluit indulgere discordiam* (alias) *discidium* (hoc est divortium sive discissionem) *quàm odia & homicidia perseverare*: Et S. Chrysostom. sive Author imperfecti Operis Hom. 32. in Matth. *Permisit vobis facere mala, ne faceretis pejora. Ergo hæc vobis permittendo, non vobis Dei justitiam demonstravit, sed a peccato abstulit culpam peccandi, ut quasi secundum legem agentibus vobis peccatum vestrum non videatur esse peccatum.* Ex quibus verbis constat 1. Libellum repudii non tam datum fuisse ex dispensatione vera Dei, quàm ex quadam indulgentia, & permissione Moysis, ad evitandũ majus malum: 2. Ex eo autem quod illa permissio ex Dei condescendentia per Moysen daretur, ubi aliqua vera subsisteret causa, Judæos isto actu simpliciter non peccasse, sive culpam ab actu aliàs malo separatam fuisse: quod in eo casu credo fuisse verum; nisi ex mera malitia fingerent causam in uxore, quæ forte non erat. Causa autem divortii in textu Deuteronomii c. 24. assignatur: *propter aliquã fœditatem*, nimirum animi, vel corporis, utpote pravos mores, rixas, contentiones, deformitatem corporis, lepram, sterilitatem, veneficium, ebriositatem &c.

S. Chrys.

Divortii qua causa legitima?

Advertit verò S. Augustinus l. 19. contra Faustum c. 26. libellum repudii fuisse quoddam remedium nimiæ in dimittenda uxore præcipitantiæ: Libellus enim ille debebat scribi juridicè per scribas populi, à quibus res examinabatur, & ut plurimum dissuadebatur, ut hac longiori & publicâ actione *in dissidiũ (ait) animus præceps libelli conscriptione refractus absisteret, & quid mali esset dimittere uxorem cogitaret.* Sed de his satis.

CONCLUSIO I.

Ratio Sacramenti matrimonio primitus instituto duo restituit, unum superaddidit.

R*Atio Sacramenti nova Legis Matrimonio primævo duo restituit, & alterum sublimioris & supernaturalis gradus & effectus superaddidit, nimirum signum sensibile efficax gratiæ & auxilii supernaturalis.*

Primum itaque, quod ratio Sacramenti restituit, est *singularitas duarum personarum ad invicem*; cassatâ enim ac prohibitâ polygamiâ, Christus in Matrimonio, Sacramento novæ legis, unitatem conjugii ad duos solos (ut fuerat à principio) reduxit.

Secundum, quod restituit, est *indissolubilitas*, nam abrogato divortio & libello repudii, indissolubilitatem omnimodam ad firmum vinculum reduxit, & firmioribus velut repagulis constrinxit.

Hæc duo patent ex c. 19. Matthæi, ubi interrogantibus Pharisæis: *Si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa?* 1. quidem

Matt. 19. 3.

unitatem conjugii inter masculum, & feminam asseruit: *Non legistis* (ait) *quia qui fecit hominem ab initio, masculum & feminam fecit eos.* Ubi S. Hieronymus: *Dicendo masculum & feminam, ostendit secunda vitanda conjugia: non enim ait masculum & feminas &c. sed masculum & feminam, ut unius conjugii consortia necterentur.* Citatur etiam Chrysostomus Hom. 32. Oper. imperf. *Non solùm* (ait) *ex modo creationis, sed etiam ex modo legislationis, quoniam oportet unumunį conjungi* &c. 2. Positâ tamquam basi unitate conjugii Christus reduxit legem primævæ indissolubilitatis ipsius: *Propter hoc* (inquit) *dimittit homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ. Adhærebit* (ait Hieron.) *uxori, non uxoribus, Et erunt duo in carne una.* Et infra: *Deus conjunxit, unam faciendo carnem viri & feminæ, hanc homo separare non potest, nisi forsitan solus Deus.* Et S. Augustinus l. de Bono Conjugali cap. 1. *Prima* (inquit) *naturalis humanæ societatis copula vir & uxor est: quos nec ipsos singulos condidit Deus, & tamquã alienigenas junxit, sed alteram ex altero creavit, signans etiam vim conjunctionis in latere, unde illa detracta formata est: lateribus enim sibi junguntur, qui pariter ambulant, & pariter quò ambulent intuentur.* Hæc ibi. Hanc autem unitatem, & indissolubilitatem juris divini esse ostendit Christus, dum ait: *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Ubi S. Chrysostomus Hom. 63. *Ostendit* (ait) *& præter naturam, & contra legem esse repudium: Præter naturam quidem, quia una caro inciditur; contra legem autem quia cùm Deus conjunxerit, ac jusserit non separare, ipsi contra præcepta Dei facere ausi estis.* Ex quo S. Hieronymus ubi supra infert, separationem ab uxore solius divinæ dispensationis sive permissionis esse. Ex quibus omnibus colligitur vera Matrimonii in nova Lege unitas & indissolubilitas: Quod enim postea subdit Christus, posse dimitti uxorem, *fornicationis causâ*, id intelligendum est quoad thorum tantùm & habitationem, non quoad vinculum, unde subjungit: *Qui aliam duxerit mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.*

S. Hieron.

S. Chrys.

Matt. 19. 5.

S. Hiero.

S. August.

Matt. 19. 6.

S. Chrys

S. Hieron.

Tertium denique & principale, quod ratio Sacramenti matrimonio superaddidit, est *Efficacia gratiæ supernaturalis per sensibile signum.* Unde Matrimonium novæ legis sic definio.

CONCLUSIO II.

Definitio matrimonii novæ Legis.

M*Atrimonium in nova lege, est Sacramentum conjunctionis individuæ, & insolubilis maris & feminæ, contractu legitimo, & sensibili signo celebratum, quo gratia sanctificans contrahentibus datur in ordine ad prolis procreationem, & alios fines honestos.*

In hac diffinitione tota summa doctrinæ de Matrimonio continetur, quam in sequentibus latè explicabimus.

***

TITV-

TITULUS II.

De Contractu Matrimoniali.

Quia tota ferè ratio Matrimonii in Contractu consistit, & validitas, & invaliditas ejus, etiam in Lege nova, prout Sacramentum est, à Contractu dependet, ad confusionem evitandam pono hunc titulum, tamquam fundamentum & totius doctrinæ basim.

QUÆSTIO I.

Quid sit contractus Matrimonialis, & Quæ ad ejus valorem requirantur?

CONCLUSIO I.

Contractus matrimonialis, quid?

Contractus Matrimonialis est legitima traditio & acceptio potestatis in mutua corpora legitimis signis facta, in ordine ad prolis procreationem, & individuam vitæ consuetudinem. Pro cujus conclusionis intellectu Advertendum: Duplices in Matrimonio reperiri Contractus. Alii dici possunt *Ante-nuptiales*, ut qui Civiliter fiunt super dote, bonis, hæreditate & aliis in ordine ad futurum Matrimonium: Ad quos etiam referuntur *Sponsalia*, quæ mutuis promissis ad futurum Matrimonium fiunt: & hi non sunt de essentia, aut natura Matrimonii, sed tantum præparatorii ad illud. Alii autem sunt Contractus, qui ad essentiam Matrimonii spectant, de quibus hîc.

Matrimonii Contractus in quo formaliter consistat.

Dixi (*traditio & acceptatio potestatis in mutua corpora*) In his enim formaliter consistit Contractus Matrimonialis, ut distinguitur à qualibet Conventione in ordine ad Matrimonium facta, sive sint promissiones, sive stipulationes &c. Contractus enim Matrimonialis non dicitur, nisi contrahentes actu potestatem in mutua corpora tradant, & ab invicem illam accepterent, quæ quidem *traditio*, & *acceptatio* his verbis solet exprimi: *Accipio te in meam*, *Accipio te in meum*.

Dixi (*in mutua corpora*) Non enim datur potestas in animam, nisi in quantum actibus corporeis Matrimonii deservit.

Dixi (*legitima*) ut includantur omnes conditiones, pro quibus sit

CONCLUSIO II.

Quatuor requiruntur ad Contractum matrimonialem.

Quatuor requiruntur ad verum, validum, & legitimum Contractum Matrimonialem. 1. *Persona habiles.* 2. *Consensus verus & liberæ voluntatis.* 3. *Mutua utrimque obligatio* 4. *Conformitas ad leges divinas naturales, positivas, & ecclesiasticas.* His deficientibus Contractus redditur invalidus, & nullus. De singulis particulariter agendum est, & methodicè sequentibus quæstionibus proponuntur.

* *
*

QUÆSTIO II.

Quæ personæ censeantur habiles ad Matrimonium contrahendum, & unde inhabilitas in personis proveniat?

CONCLUSIO.

I. Est contrahentiũ habilitas.

Habilitas personæ, sive personarum contrahentium, ex duobus potissimùm principiis consideratur.

1. *Ex potentia naturali*, si nimirum ad actus matrimoniales ex naturali constitutione personæ sint aptæ, nec aliquo impedimento in constitutione naturæ ab actibus matrimonialibus perpetuò, vel quasi perpetuò impediantur.

Hoc porrò impedimentum impotentiæ naturalis dupliciter evenire potest. 1. Ratione vasis, aut instrumenti: ut si mulier strictonimis vase & impedito à copula perpetuò impedita censeatur, & vir virgæ brevitate &c. ad copulam ineptâ laboret. 2. Si vir vel femina vero semine careat, de quibus infrà.

2. Habilitas personæ oritur *ex potentia naturalis legitimo usu*, si nimirum ex aliquo impedimento actus Matrimoniales prohibiti non sint. Quod impedimentum etiam ex duplici capite oriri potest. 1. Ex voto, quia per votum castitatis quis se perpetuò ab actu Matrimoniali abstraxit, utpote per votum solemne Religionis, vel per susceptionem Ordinis sacri. 2. Quia legibus divinis & humanis quis redditur impotens ad illum actum, ut fit per consanguinitatem, affinitatem &c. De quibus omnibus infrà, cum de impedimentis agemus specialius.

QUÆSTIO III.

Quæ requirantur ad consensum validum in Matrimonio?

CONCLUSIO.

II. Consensus validus, ad quem tria requiruntur.

Tria requiruntur ad consensum validum in Matrimonio. 1. Liberi arbitrii usus in utroque contrahente. 2. Ut de facto libere operentur, dum contrahunt. 3. Ut verè in contractum, ejusq; obligationes utera; consentiat.

Defectu primi, pueri, amentes, furiosi, ebrii &c. non censentur validè in Matrimonium consentire; quia pro illo tempore libero arbitrio non utuntur.

Defectu secundi non consentiunt validè qui coactione, violentiâ, metu in constantem virum cadente consentiunt; quia etsi usus liberi arbitrii sint capaces, nihilominus tunc liberè seu legitimâ libertate non operantur.

Defectu tertii, in foro conscientiæ & Dei, non censentur validè consentire, qui intentionem contrahendi non habent, sive etiam

qui contrariam voluntatem habent, etsi aliud foris exprimant. Dico (in foro conscientiæ & Dei) quia in foro Ecclesiæ, quæ de exterioribus judicat, pro consentientibus habentur. Similiter defectu; pro non consentientibus habentur, qui ignorantia invincibili sui actus laborant. Generaliter ex defectu consensus originem ducunt Impedimenta sequentia: *Error, conditio, metus, vis &c.* Ut infra patebit.

QVÆSTIO IV.

Qua censeatur mutua obligatio?

CONCLUSIO.

III. Mutua obligatio.

Mutua obligatio, est vinculum debiti mutui in utraque persona, ut effectus formalem Matrimonii contractum infallibiliter concomitans, consequensq;. Unde contractu in aliquo necessariò requisito deficiente, mutua obligatio cessat; singulariter tamen mutua obligatio deficit, quando altaruter non consentit, vel in alterutro est impedimentum dirimens, quantumvis consentiat, aut consentire intendat, ut si alteruter alteri sit actu Matrimonio junctus, aut voto solemni obstrictus, aut aliunde impeditus.

Quando deficiat.

QVÆSTIO V.

Quibus legibus subjiciatur, aut conformari debeat contractus Matrimonialis?

IV. Conformitas ad leges.

Quarta Conditio requisita ad valorem Contractus Matrimonialis est conformitas ad leges, quæ quia multiplices sunt, quibus legibus conformari debeat, hic resolvendū est.

CONCLUSIO I.

Quomodo matrimonium non pendeat à legibus civilibus, ut civiles sunt.

Validitas Matrimonii, ut est Sacramentum, vel contractus à Deo institutus, non pendet à legibus civilibus quatenus civiles sunt.

Ratio est: Quia matrimonium est singulariter à prima sua constitutione institutionis divinæ, & ad forum Ecclesiasticū semper pertinuit, & ejus dispositio ac leges per Magistratum ecclesiasticum data sunt, & sanctis benedictionibus, ac orationibus solemnizatum est. Vide Levit. 18. ac 20. Deut. 7. & per universam Scripturam, quæ ubicumque leges aliquas de Matrimonio proponit: illas ex divino mandato, per Moysen quidem in veteri Testamento: per Christum vero & Apostolos in novo præscriptas proponit, & refert: Estque communis sententia confirmata per illud Tridentini sess. 24. can. 12. *Si quis dixerit causas Matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos, anathema sit.*

Dixi (*ut est Sacramentum, vel Contractus à Deo institutus*) Tripliciter enim considerari potest Matrimonium. 1. Ut est contractus à Deo institutus. 2. Ut est Sacramentum. 3. Ut est Contractus civilis in naturalibus principiis propagandæ sobolis fundatus. Ut igitur est Contractus à Deo initio creaturæ institutus, fines aliquos spirituales habet; nimirum fidem, prolis educationem, individuam vitam propter Deum, juxta illud Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Quod explicans Christus refert in Deum singulariter operantem Mat. 19. *Quod ergo* (ait) *Deus conjunxit, homo non separet.* q. d. conjunctio hæc divinam institutionem sequitur, quæ etiam in superiori vinculo ad patrem & matrem in contingentibus matrimonium dispensat. Et suprà diximus significationem quandam prognosticam & figuralem in illo matrimonio primævo fuisse a Deo impressam, unde & parturiens Eva dixit, c. 4. *Possedi hominem per Deum,*

Gen. 2. 24.

Mat. 19. 6.

Gen. 4. 1.

2. Ut est Sacramentum, res supernaturalis est, & sic ad ecclesiasticū forum spectat. Si verò consideretur ut contractus mere civilis, ut est inter Infideles Dei cognitione carentes, aut vere fidei inimicos, illo modo civilibus legibus subjicitur, ita tamen ut fines honestatis naturæ non egrediatur. Sed de his postea.

CONCLUSIO II.

Matrimonium in nova lege quoad validitatem quibus legibus subjiciatur.

Contractus Matrimonialis Sacramentalis in lege nova, solis legibus divinis naturalibus, & ecclesiasticis subjicitur, & conformis esse debet quoad validitatem.

Ratio est: Quia ecclesia sola potest impedimenta matrimonii statuere, aut divinas naturales leges illud spectantes interpretari, prout in sequentibus magis patebit.

Dixi (*quoad validitatem*) Potest enim Magistratus civilis quædam impedimenta & leges Matrimoniis imponere, quæ etsi contractus Matrimoniales in foro Dei non annullent, obligant tamen aliquando in foro consciētiæ quoad culpam, & in foro civili quoad pœnam.

TITVLVS III.

De Impedimentis Contractum Matrimonialem dirimentibus, Specialiter, De Impedimentis Erroris seu ignorantiæ, Conditionis, Coactionis per vim vel metum, & Raptus mulieris.

QUÆSTIO I.

Quot sint Impedimenta Matrimonium dirimentia.

Etsi jam ex occasione nonnulla Impedimenta matrimonii detexerimus, quæ oriuntur ex natura contractus, ne tamen confusio aliqua oriatur, & ut communis doctrina de impedimentis illis simul detur, omnia subjicio.

Conclusio I.

Impedimenta dirimentia matrimonium 14.

IMpedimenta Matrimonium dirimentia quatuordecim referuntur, nimirum, *Ignorantia sive Error; Conditio; Votum; Cognatio, Crimen; Cultus disparitas; Coactio sive Vis; Ordo sacer: Matrimonium cum altero conjuge: Honestas ex sponsalibus orta; Affinitas intra certos gradus: Impotentia naturalis coitus perpetua Matrimonium antecedens.* & ex Concilio Tridentino, *Absentia Parochi & testium*; nec non *Raptus mulieris*. Porrò hæc omnia his versibus comprehenduntur

Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Si Parochi & duplicis desit præsentia Testis;
Raptave sit mulier, nec parti reddita tutæ:
Hæc socianda vetant connubia facta retractant.

Quæ omnia quia fusiorem requirunt tractationem, pro majori distinctione ac claritate ea solum hoc titulo prosequar,* quæ vel ex verò defectu sufficientis consensus ortum habent, vel ex præsumptione defectus hujusmodi jure Ecclesiastico stabilia sunt; reliquis per subsequentes titulos congrue distributis.

QUÆSTIO II.

Quid intelligatur per Impedimentum Erroris sive ignorantiæ?

Conclusio.

Impedimentum Erroris & ignorantiæ quid.

IMpedimentum Erroris sive ignorantiæ dicitur, *quando quis errat positivè circa substantiam personæ.* Utpote, cum quis putat, & credit se contrahere cum una persona ex. g. cum Rachele, & contractu facto invenit esse aliam ex. g. Liam: hic enim error ex rei natura annullat consensum, quia in personam talem vere non consensit, ut suprà explicatum est tit. præc q. 3.

Ad *Errorem* sive *ignorantiam* similiter reducitur privatio sensus vel advertentiæ in personis contrahentibus, utique quia non advertunt, aut non possunt sufficienter advertere ad substantiam actus sive contractus quem faciunt sive ineunt: ut pueri ante usum rationis, amentes furiosi, actu ebrii usque ad privationem rationis &c. Hi enim saltem privative errant & ignorant, cùm non sint capaces usus rationis, & consequenter nec consensus.

Ratio itaque hujus impedimenti est: Quia talis error, & ignorantia, in quocumque contrahente existat, privat hominem vero consensu, qui essentialiter ad contractum rationalem requiritur. Vide quæ suprà citata q. 3. dicta sunt.

QUÆSTIO III.

Quid intelligatur per impedimentum conditionis.

Conclusio.

Impedimentũ conditionis quid?

IMpedimentum Conditionis est; *Si quis putans se ducere liberam ducit mancipium.*

Ratio hujus impedimenti est: Quia etsi in persona quoad substantiam non erret, errat tamen in hæreditaria & velut necessariò concomitante conditione, quæ personæ adhæret, & personam vitiat, qualis est perpetua servitus, & pœna generis sive posteritatis. Unde interpretatione communi juris, qui conditionem hanc in persona penitus ignorat, aut positivè credit non inesse, non censetur consensisse; neque enim quis censetur se, & suam posteritatem velle servituti, aut pœnæ publicæ aut civili subjicere, nisi pœnam & servitutem cognoscat, quæ necessariò personæ adhæret. Aliud esset si contrahens sciret personam, cum qua contrahit, esse mancipium, tunc enim constat eum consentire; neque enim mancipium incapax est Matrimonii, & viro libero integrum est mancipium feminam in uxorem ducere, & e contra feminæ liberæ, virum servum sive mancipium.

Cõtrahens scienter cum mãcipio valide contrahit.

Addo, si quis contraheret cum ancilla mancipio, sub spe & conditione quòd libertate donaretur, Matrimonium validum esset, quia tunc supponitur personæ conditionem scire & consequenter in personam consentire. Unde duo hic singulariter notanda sunt 1. *Conditionem* mancipii vel servitutis non annullare matrimonium per se quia (ut dixi) mancipium vere matrimonii capax est, sed ignorantiam duntaxat conditionis illius, ratione cujus qui ita contrahit, non præsumitur consensisse. 2 *Conditionem* mancipii seu servitutis redundare in ipsam personam & ipsum inficere quadã pœnalitate matrimonii bonis contraria: Etsi enim ad generationem prolis mancipium sit aptum, tamen servitus illa adhærens est plane contraria certis bonis, ut prolium educationi, mutuæ consuetudini & cohabitationi, denique libero Matrimonii usui, & consequenter traditionem potestatis in corpus mutuum enervat & diminuit: potest enim dominus impedire mutuam mancipiorum habitationem, copulam, addicere servum vel mancipium seu servam laboribus Matrimonio incompatibilibus, denique vendere alteri, & in longinquas terras transferre, & omnem actum potestatis matrimonialis ãnullare: præterquam quod & filii ex serva sive ancilla mancipio nati, eandem servitutem subeant, quia secundùm leges civiles proles in cõditione servitutis sequuntur conditionem matris, à qua carnem sumpserunt.

Cõtrahens cum vulgari, putans nobilem, &c. immò cùm sortilega, talem ignorãs valide cõtrahit.

Dices, qui ducit in uxorem puellam vulgarem, putans esse nobilem: vel meretricem credens esse virginem: imò & sortilegam & veneficã ignorans quòd talis sit, valide matrimonium init: Atqui conditiones illæ, etsi redundent in personam & personæ adhæreant, imò & ultima infamiam & pœnas divino judicio stabilitas secum trahat, non annullant matrimonium: Ergo nec *conditio* servilis ignorata. Respondeo, negando consequentiam. Ratio disparitatis allata est, quia conditio servilis Bonis matrimonii per se contrariatur, & perfectam corporis traditionem diminuit & enervat: non sic in allegatis; neque enim ignobilitas, aut vulgaris

alterutrius aut virginitas, vel corruptio, aliquid per se ad matrimonii contractum cõfert, sicut nec divitiæ, paupertas, pulchritudo aut deformitas, sed illis stantibus omnia bona matrimonii, quæ per matrimoniũ, quatenus matrimonium est, intenduntur, integra sequi possunt.

Fortè aliquis tertium de sortilega vel venefica posset magis urgere; verum nec ignorantia, nec error circa hujusmodi conditionem matrimonium annullat, quoniam non est conditio personæ, qua personæ est, sed conditio voluntaria, cui per pœnitentiam saga renuntiare potest, & bonis omnibus Matrimonii, qua Matrimonium est, satisfacere.

QUÆSTIO IV.

Qualiter impedimentum fundatum in vi & metu matrimonium invalidet?

HIc Doctores multa congerunt super hoc Impedimento, de *Vi* & *Metu* à contrahentibus Matrimonium: cùm enim, quod *Vi* aut *Metu* fit, involuntarium censendum sit, saltem ex parte qua vis vel metus voluntatem cogunt, & velut voluntati dominantur, si voluntas matrimonio vi vel metu adacta consentiat, etsi vere velit, liberè tamen non vult, vi vel metu libertatem tollente. Resolvunt itaque Doctores communiter Matrimonium, vi vel metu in constantem virum cadente contractum, nullum esse & invalidum, utique quia vere voluntarium non est. Sed super hac resolutione tot ferè quæstiones quot verba multiplicantur: nimirum quis sit ille metus, qui tollat voluntarium? quis censendus sit cadere in virum constantem? quis censeatur in hoc casu vir constans? quæ sint causæ sufficientes ad hunc metum causandum? De quibus omnibus breviter per sequentia dubia.

DUBIUM I.

Quæ requirantur ad hoc ut consensus in Matrimonio censeatur sufficienter voluntarius?

Voluntarium simpliciter & absolute.

ANte Resolutionem 1. hîc distinguendum est voluntarium. Aliud enim est voluntarium simpliciter & absolutè, quod nimirum provenit à voluntate liberè semovente absque ulla vi, coactione, metu vel conditione. Aliud est voluntarium secundùm quid, quod nimirum à voluntate, non simpliciter, sed supposita aliqua conditione vel causâ voluntatem contra propriam & liberam inclinationem propellente, immò (ut ait Scotus) voluntate remurmurante; & hoc vocatur ab aliis voluntarium mixtum, quia voluntas ex parte non vult, re nimirum integra, & supposita omnimoda & plena libertate, unde & actus censetur involuntarius, ex altera tamen parte, supposita conditione, vi vel metu, ad evitandum majus malum, quod apprehendit, voluntas quantumvis interius murmurans se determinat; ut in facto mercatoris in naufragii periculo projicientis merces in mare exemplificatur: non enim vult suas merces projicere, nisi quia cogitur ad alleviandam navim & servandam vitam.

2. Distinguendum est inter vim sive violentum simpliciter & absolutè, & inter violentum secundùm quid, quod & mixtum. Violentum enim simpliciter dicitur, quo quis absolutè contra omnem voluntatem, sive voluntate per omnia contradicente aliquid impellitur; ut cum Eleazari *ori* violenter *aperto, & hianti* carnes porcinæ imponebantur ut comederet: quo sensu à Juristis vis describitur: *Majoris rei impetus, qui repelli non potest*; & hoc violentum vocatur, *mera coactio*, cui nullatenus voluntas consentit. Violentum mixtum & secundùm quid dicitur, in quod secundum se absolute voluntas non consentit, patitur tamẽ illud ad evitandum majus malum quod apprehendit. 2. Mach. 6.18.

3. Distinguenda est in voluntario mixto qualitas & quantitas voluntarii vel involuntarii. Aut enim ratio involuntarii ita excedit voluntarium, ut positivum voluntaris actum omnino tollere videatur, & ipsa se habeat tantùm negativè, sive permissivè, ut cum Joannes metu cadente in virum constantem adactus non tam positivè in matrimonium consentit, quàm quantumvis invitus permissivè patitur non impediendo, & negativè non contradicendo. Aut ratio voluntarii in voluntarium excedit & absorbet, ut non obstante voluntatis ob murmuratione positivè consentiat, & explicatur his terminis, quoniam oportet, ego positivè consentio ut fiat, etsi alias meâ libertate non facturus.

RESOLUTIO I.

Consensus absolute voluntarius requiritur ad matrimonium.

A*D Matrimonium requiritur ex natura ejus consensus absolute voluntarius.*

Ratio sumitur ex ipsis visceribus institutionis Matrimonii, Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Ubi juxta patres, *Adhæsio*, unionem animorum & individuæ societatis significat quæ esse non potest nisi liberâ voluntatum consensione & affectu: quî enim fieri potest, ut perpetuo sibi vinculo coniuges uniantur, si desit glutinum illius connexionis, quæ est mutuæ in propria corpora potestatis traditio, & quæ imaginari potest realis tantæ potestatis traditio, nisi absolutæ voluntatis consensu fiat? Sane omnem hujus conjunctionis causam refert Apostolus in *dilectionem*, quam comparat illi, *quâ Christus dilexit Ecclesiam*; amore scilicet, & affectu absoluto, & ita indissolubili, ut quod semel assumpsit, numquam dimiserit, nec dimittet (juxta Damascenum) tam conjunctione naturæ voluntariâ, quàm dilectionis. Gen. 2. 24 Ephes. 5. 25.

⁂

RESO-

RESOLUTIO II.

Quid si voluntarium & involuntariū sint simul conjuncta.

AD *validitatem Matrimonii requiritur ut voluntarium superet & absorbeat involuntarium si simul sint conjuncta.* Et hæc est regula & statera, ad quam expendi debent voluntarii & involuntarii mixti consensus in Matrimonio cum de absoluta voluntate & consensu dubitatur & controvertitur, ubi enim voluntarium excedit & absorbet involuntarium, signum manifestum est matrimonii validi; ubi verò e contra involūtarium superat & excedit rationem voluntarii Matrimonium nullum est; & ad hunc velut lydium lapidem examinari debent, quæ de vi, metu, & in iis nolitione aut volitione dicenda sunt. Explico exemplo: Maria suasione, precibus, inductionibus, promissis, timore filiali inducitur, & velut impellitur ad contrahendum matrimonium cum Petro; ipsa his inducta, ne parentem offēdat, aut alia causa, positive & de facto consentit in matrimonium, renitente interim inclinatione & voluntatis affectu, in casu illo Matrimonium validum est, quia etsi adsit involuntarium quoddam ex parte inclinationis & affectus voluntatis, voluntariū tamen vincit & superat quod est cōtrariæ inclinationis & affectus, & voluntas victa suasionibus & inductionibus censetur verè consensisse, & seipsam determinasse. Itē Maria metu, minis, importunis precibus, exprobrationibus &c. inducitur, ob evitāda majora mala quæ apprehendit, ad contrahendum matrimonium cum Petro; ipsa, ne malum apprehensum ipsi eveniat, negativè consentit, & permissive se habet, mavultque idipsum pati, quàm malum apprehensum tollerare, aut importunitatibus, exprobrationibus, vel duriori servituti subjici; in hoc casu matrimonium invalidum est, quia involuntarium voluntario prævalet & voluntariū absorbet, aversione enim & quodam odio perseverante, non tam vult aut Matrimonio consentit, quam negativè & permissive se habet, & patitur, quod congrue à se amoveri non posse apprehendit, quæ omnia ex sequentibus magis patebunt.

Item casu in quo est invalidū.

DUBIUM II.

Quis censeatur metus cadens in constantem virū, & qualiter matrimonium invalidet?

HIc non ago de vi & violentia sive coactione absoluta, quia illa rarò contingit, & per se notum est illam tollere omnimodam libertatem voluntaris, & voluntarium consensum: agendum verò magis est de metu, quia est effectus immediatus cujuslibet coactionis causans Involuntarium; est enim metus juxta Juris-Consultos: *mentis trepidatio ratione instantis vel futuri periculi incussi.*

Metus quid sit.

RESOLUTIO I.

Metus cadens in cōstantē virū quis?

MEtus *cadens in constantem virum censetur, qui ex apprehensione vera gravioris mali imminentis vel futuri oritur, rationabiliter suadens eligēdum minus malum ad evitandū majus.*

Dixi (*qui ex apprehensione vera*) ad tollendam apprehensionem imaginariam, & phantasticam, quæ nullo vero fundamento nititur.

Dixi (*gravioris mali imminentis vel futuri*) apprehensio enim mali levioris & minoris momenti non potest metum incutere viro cōstanti.

Dixi (*rationabiliter suadens eligendum minus malum &c.* debet enim persuasio ex circumstantiis rationabilis esse. nam irrationabilis & ficta persuasio, nec viro convenit, nec constantiam movere potest.

RESOLUTIO II.

Ad eum dijudicādū quinq, potissimū examināda.

AD *metum in constantem virum cadentem dijudicandum quinq, potissimū examināda sunt. Persona vel quasi persona metum incutiens: Persona cui incutitur: Malum quod imminet: Modus incutiendi: apparentia seu timori effectus.*

Primò igitur attendēda est *persona vel quasi persona metum incutiens*; si nimirum potestate emineat, ut princeps, magistratus, parens, tutor &c. Item, si sit persona iracunda, motibus ferox, tenax suæ opinionis, indignabunda, amari animi, crudelis, quæ soleat quod minatur exequi.

Secundò attendenda est *persona cui incutitur*: per constantem enim virū, in quem cadere metus dicitur, non designatur virilis sexus singulariter, sed animi (juxta conditionem personæ cui incutitur) sexui vel ætati congrua & conveniens fortitudo & constantia: alia enim attendēda est constantia, sive animi fortitudo in viro, alia in femina, ratione sexus imbecillioris; alia in viro forti & robusto, alia in adulescentulo vel puero; alia in viro libero, alia in filio-familias, parentis, tutoris, vel alterius disciplinæ subdito; alia in femina ætatis grandioris; alia in puella sub alterius cura & ferula consistente. Illis enim ex natura, complexione, ætate, educatione non competit eadem qualitas animi, & consequenter nec constantia, sed constitutio naturæ & educationis attendenda est, ut metus qualitas discerni possit respectu patientis. Vide Basilium Pontium l. 4. de Matrim. De consēsu ex metu & dolo, c. 2. num. 10. Ubi prò hac doctrina citat multos Authores & decisiones Rotæ.

Tertiò attendendum *malum quod imminet*, ut nimirum sit reverà grave in se, vel æstimatione morali, & non tantùm in comparatione alterius mali minoris: si enim grave saltem æstimatione morali non sit, metus ex eo incussus gravis non æstimabitur, & consequenter in virum constantem cadere non reputabitur.

Quartò, attendendus est *modus, quo talis metus incutitur*; & quidem primò ex motivo quo incutitur, debet enim injustè incuti; si enim motivo justo incutiatur, erit etiam metus justus & rationabilis, exigens consensum rationabilem & justum. Ex. g. Judex minatur mortem Joanni qui virginem defloravit, nisi illam in uxorem ducat: metus iste censetur justè incussus ad extorquendum consensum justum & rationabilem, adeoque non est hæc violentia, sed justitia. Denium modus, quo metus incutitur, examinandus est, & minis injustis, precibus & suasionibus (ut vocant) armatis exprobrationibus, indignationibus, aversionibus verberibus &c. quæ modos illos comitari solent.

Quintò videnda est *apparentia effectus*, sive mali imminentis aut futuri, si meritò timeatur eventurum, quod ex prioribus factis & circumstantiis expendendum est; si enim non esset apparentia futuri alicujus mali, sicut fictæ comminationis essent, sic & inutilis pavor & formido judicaretur.

RESOLVTIO III.

Resolvitur quis metus impediat ac dirimat matrimonium.

METus verus mali alicujus gravis juxta quinque considerationes suprapositas examinatus & injustè incussus Matrimonium contrahendū impedit, & dirimit contractum, nisi libertate restituta qui hoc metu consensit, & cōsensum revalidet & restituat.

Ratio constat ex supradictis; causat enim involuntarium, & si quid voluntarii reperiatur, illud non est nisi imperfectum, quod & ab involuntario absorbetur & superatur. Moneo verò, ut prout in 2. adnotato positum est, habeatur semper ratio personæ, cui metus incutitur: Experientia enim didici quanta mala eveniant Adolescentibus, puellis, & infirmi sexus personis ex simili metu incusso, in electione status non tantum Matrimonialis sed & Religiosi, de quibus mihi constiat electiones illas statuum contra salutem illarum vere vi & coactione factas, metu voluntarium absorbente.

DUBIUM III.

An metus reverentialis invalidet Matrimonium?

Metus reverentialis justus ac pius ejusque objectum.

ANte Resolutionem metus reverentialis distinguendus est. Alius est pius & justus, qui pro objecto habet dilectionem & observantiam, quæque concurrit cum timore filiali, quo eos, qui potestatem patriam vel legalem in nos habent, ita suspicimus & reveremur, ut eos offendere metuamus; & de hoc metu sive timore non agitur, hic enim nihil mali infert, nec libertatem subditorum tollit, sed ad bonum allicit & in observantia fideli continet. Alius est metus reverentialis, qui pro objecto habet potestatem & vindictam, & cum timore servili magis convenit, quo eos, qui in nos habent patriam vel legalem potestatem, formidamus, ob malum aliquod grave quod apprehendimus, si ab eorum voluntate vel beneplacito declinemus. Et de hoc metu hic quæstio est, ut sit sensus: An filius vel filia-familias contrahens Matrimonium cum aliquo, à quo avertitur, ex eo solùm quòd graviter & meritò apprehendat, si refugeret, magnam indignationem, vindictam patris vel matris perpetuam aversionem, aut alterius, qui patriam vel legalem potestatem exercet, eo quòd noverit vel experta fuerit in aliis hujusmodi acerbitatem, nec alias contraheret cum illa persona, si hic metus non impelleret, censeatur sufficienter in Matrimonium ejus consentire; an verò potius Matrimonium tali metu reverentiali contractum, defectu sufficientis consensus, censendum sit invalidum?

RESOLVTIO I.

Irritat matrimonium si sit conjūctus minis &c.

METus reverentialis comitantibus minis, sollicitationibus, importunis precibus &c. si sit conjunctus apprehensioni veræ mali gravis imminentis vel futuri, irritat matrimonium.

Ratio eadem est quæ superiorum resolutionum dubii 2. Hic enim metus superat voluntarium, & in virum constantem juxta considerationes superius allatas cadere censetur: nec vere velle aut consentire censendus est, qui tali metu perstringitur, sed tantùm ad evitandum grave malum permissivè se habere, vel potius pati.

RESOLVTIO II.

Similiter dum ex eo verè apprehenditur indignatio & aversio perpetua &c parentum, etiā non adhibitis minis.

METus gravis reverentialis, quo verè & meritò grande malum, ut indignationis & aversionis perpetuæ aut multum diuturnæ parentum, exhæredationis, abjectionis &c. apprehenditur, casu quo quis in matrimonium non consentiat, irritat matrimonium sicut & Religiosam professionem & alios contractus etsi alia comminationes vel importuna sollicitationes non adhibeantur.

Ratio eadem quæ suprà, quia verè voluntarium positivum tollit, &, ut supponitur, æqualiter grave malum timetur. Requiritur tamen ut sit metus fundatus v.g. in acerbitate animi in vindictam proni sufficienter cognita, & non tantùm ex levitate suspicionis apprehensa, utpote in aliis similibus casibus probata. Vide Basilium Pontium suprà c. 5. per totum, cui lubens assentior, tam ob rationes quas affert, quàm ob experientias multorum eventuum, quos in diversis personis non sine dolore palpavi: Necessarium tamen judicio, ut casibus similibus accidentibus tam metus quam causa benè examinetur à prudentibus doctis & expertis, quia ad materiam facti plus spectant quàm juris, & violentia & coactio, sive involuntarium ex factis meliùs, quàm per generales jurium doctrinas deprehenditur.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Quis dicatur verus Raptus: & quand illum requiratur ut sit impedimentum dirimens?

Conc. Trid. Textus Concilii Tridentini sess. 24. de Reform. matrim. c. 6. quoad hoc impedimentum sic habet: *Decernit Sancta Synodus inter Raptorem & Raptam quamdiu ipsa in potestate Raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si Rapta à Raptore separata & in loco tuto & libero constituta illum in virum habere consenserit, eam Raptor in uxorem habeat &c.* Ex quibus verbis constat inter Raptorem & Raptam, quamdiu ipsa est in potestate Raptoris, esse impedimentum dirimens.

CONCLUSIO.

Raptus verus quis RAptus verus dicitur, quo puella violenter ex parentum potestate extrahitur ad matrimonium contrahendum. Ex qua definitione tria colligo ad Raptum, ut sit impedimentum dirimens necessaria

Ad raptū tria necessaria. I. *Ut fiat violentiâ illatâ puellæ*, si enim puella consentiat ad abeundum & nubendum, jam non est Raptus, quia sponte censetur abiisse, etsi verbis & promissis inducta fuisset.

II. Est, *ut extrahatur à potestate Parentum*, (sub quibus etiam tutores intelligendi sunt:) si enim contingat quòd in Parentum vel tutorum domo puella in matrimonium consentiat, ibique contra parentum voluntatem & insciis parentibus contrahat, jam non censetur rapta, etiamsi postea abduceretur.

III. Requisitum est, *ut violenter extrahatur ad effectum matrimonii*, si enim quis puellam è domo parentum violenter abduceret tantum, ut ea abuteretur, stuprum quidem & violentia esset, Raptus tamen, ut esset impedimentum dirimens matrimonium, non esset, etsi gravioribus pœnis d gnum.

Petes 1. Quo jure Raptus dirimat matrimonium contractum?

Respondeo 1. Divino jure naturali, supposito quòd puella verè non consentiat, sed vim raptus patiatur. Ratio est, quia jure naturali ad matrimonium requiritur consensus mutuus.

Respondeo 2. Posito quòd puella per vim abducta postea verè & liberè consentiat, quamdiu in potestate Raptoris est, impeditur sive etiam dirimitur matrimonium jure Ecclesiastico. Hoc enim justè constitutum est à Concilio Tridentino, ad evitanda gravissima peccata, & ad consulendum libertati ipsius Raptæ, quæ quamdiu est in potestate Raptoris, non judicatur frui plena libertate, ideoq; antequam consentiat, separari mandatur, & in loco aliquo tuto & libero extra potestatem Raptoris constitui.

Petes 2. Quæ pœnæ Raptoribus sint decretæ? Respondeo quocumque casu: etiamsi Raptor postea raptam in uxorem ducat ipsâ libere consentiente, ad horrorem tamen sceleris, 1. Excommunicationem incurrit, sicut & omnes qui ei ad raptum consilium, auxilium, & favorem dederunt. 2. Perpetuo cum cooperantibus infamis est, & omnium dignitatum incapax. 3. Sive raptam duxerit, sive non, debet illam dotare decenter arbitrio judicis: Et hæc sunt de jure moderno.

TITVLVS IV.

De aliis quinq; impedimentis dirimentibus, videlicet?

Impotentia, Voti, Ordinis, Ligaminis, & Criminis.

HÆc iterum conjungo, quia ex quodam defectu materiæ, quæ in contractum matrimonialem deducitur, fere ortum habent, aut ratione inhabilitatis illius ad fines contractus matrimonialis (ut in impedimento impotentiæ) aut ratione præcedentis alteri fidei traditionis ac obligationis (ut in impedimentis Voti, Ordinis Sacri, & Ligaminis:) Addidi Criminis impedimentum, quia ne prius vinculum violetur, aut citius, quam par est, dissolvatur ab Ecclesia ordinatum est. *Cur hæc impedimenta conjungantur.*

QUÆSTIO I.

Quænam impotentia Matrimonium invalidet?

CONCLUSIO.

IMpotentia perpetua coëundi Matrimonium præcedens, undecumque proveniat, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractū. *Impotentia perpetua coëundi dirimit matrimonium.*

Ratio est: Quia cum finis Matrimonii sit aut proles, aut libidinis remedium, qui ad neutrum finem aptus est, consequenter ad matrimonium est ineptus.

Porrò in coitu duo concurrunt; Primum est congressus, sive immissio sufficiens membri virilis in vas muliebre; Secundùm est seminatio sive emissio veri seminis intra vas prædictum. Qui igitur, sive ex naturali impotentia, sive ex morbo, maleficio injuria vel quacumque de causa, ante matrimonium laborat impotentia perpetua in alterutro, vel utroque ad coitum requisito censetur impotens & inhabilis ad matrimonium contrahendum, redditurque nullum si contrahere attentet.

Porrò diversis modis hæc impotẽtia provenit, ut in mulieribus ex arctitudine vasis; in viris ex brevitate, nimia mollitie &c. virgæ, in utrisque ex frigiditate naturæ, maleficio, carentia testiculorum & veri seminis, ut in eunuchis & spadonibus, sive à natura sive ab injuria sint castrati. Inter quos tamen hæc est differentia, quòd in iis, qui ab hominibus vel violentia sunt castrati, interdum (ut Medici notant) possit aliqua radix seminativa remanere, in eunucho à natura utroque testiculo carente non sic: Unde in eunucho sive castratis per violentiam, impotentia magis præcisè examinanda est.

Impotentia perpetua quæ.

Petes 1. quando impotentia perpetua dicatur? Respondeo, illam reputari in Ecclesia Dei impotentiam perpetuam, quæ aut omnino non potest tolli; aut non sine miraculo aut peccato, vel gravi corporis læsione aut vitæ periculo.

Petes 2. Qualiter impotentia perpetua probanda sit; Respondeo, id prudentum Medicorum judicio, & Theologorum, quoad conscientiam consilio perquirendum esse. Certè Ecclesia, ubi aliquod dubium est, dedit experientiam triennii, quo transacto, si Conjuges se ad coitum & seminationem impotentes sentiant, ab invicem separari debent. Creditur autem eorum juramento, si aliunde non appareat: aliàs ubi aliunde apparet per visitationem vel aliam experientiam, triennium exspectandum non est.

Petes 3. An teneantur permittere visitationem ubi dubitatur de impotentia; Quæstiuncula hæc mihi aliquando mora fuit, dum puella honesta, ob arctitudinem nimiam ad copulam pro illo tempore inhabilis à suo marito separata ad monasterium, ut vovere[?], sub prætextu matrimonii non consũmati, quæ multorum Theologorũ opinione asserebatur non teneri, ob pudicitiam virginalem & verecundiam, visitationem admittere, maximè in favorem religionis.

Respondi, si maritus instaret & putaret eam sufficienter cognitam & consummatum matrimonium, quòd deberet in tali dubio admittere visitationem, aut tempus ab Ecclesia præscriptum exspectare. Ratio mea fuit, quia controversia inter maritum & uxorem erat, marito affirmante se eam sufficienter cognovisse; illa negante per plures noctes se ob arctitudinem vasis potuisse coire; nec verecundiam aut pudicitiam in hoc privilegiatam esse, cùm jam matrimonio rato viro potestatem in corpus suum tradidisset, qui in suo jure privari non poterat, nisi probaretur Matrimonium non esse consummatum, quod non nisi per visitationem probari poterat. Et quidem puella illa visitationem non admisit, sed post sexdecim menses ad maritum rediit, processu temporis potens ad coitum facta, quia arctitudo vasis ex ætatis junioris complexione proveniebat. Unde generaliter dico: In talibus dubiis, cùm verè dubia sunt, vel admittendam visitationem, vel tempus ab Ecclesia requisitum expectandum, nec pudorem ac pudicitiam in tali casu suffragari, cùm jam ad conjugalem coitum uterque se obligaverit. Unde quæ à S. Augustino l. 1. de Civit. c. 18. Et ab Ambrosio l. 6. ep. 1. dicuntur contra visitationem virginum, non respiciunt hunc casum impotentiæ in maritatis, sed visitationes virginum in probanda simpliciter virginitate, quo casu admittenda non esset, nisi justitia periclitaretur.

Qualiter intelligẽdi SS. August. & Ambr. improbãtes visitationem Virginũ.

Petes 4. An cognita impotentia perpetua non possint aliqui matrimonium contrahere, aut in eo contracto perseverare, solo affectu mutuæ societatis, ut frater & soror? Ratio dubitandi sumitur ex S. Augustino l. de Bono conjugali c. 3. qui unum ex bonis matrimonii agnoscit mutuam societatem, ob quam solam liceret nubere; verba ejus sunt: *Cur sit bonum meritò quæritur. Quod mihi non videtur propter solam procreationem filiorum, sed propter ipsam etiam naturalem in diverso sexu societatem, alioquin non jam diceretur conjugium in senibus, præsertim si vel amisissent filios vel minimè genuissent*, & paulò infra. *Si ergo servatur fides honoris & obsequiorum invicem debitorum ab alterutro sexu, etiamsi languescentibus, & penè cadaverinis utriusque membris, animorum tamen, ritè conjugatorum tanto sincerior, quantò probatior, & tantò securior, quantò placidior castitas perseverat.* Hæc S. August. Et his suffragantur Matrimonia sanctorum Eleazarii & Delphinæ, Chrysanti & Dariæ, Mariæ & Joseph in castitate perpetua, & societate sancta & fideli.

S. August.

Respondeo 1. Non negari posse contrahi Matrimonium ad societatem individuam, etiam dissimulato concubitu maritali, posita aliqua ad matrimonii actus potentia, etsi voluntate aut natura sterili; unde allegata Matrimonia supponunt personas aptas & idoneas ad copulam in casu quo necessarium fuisset; senes enim quantumcumque languidi, sicut & steriles, etsi semen fœcundum non habeant, habent tamen semen verum, ut ad actus matrimoniales convenire possint, etsi casso ad prolem conatu; qui autem perpetuò ad coitum impotentes sunt, mendaciter potestatem sui corporis alteri tradunt, cùm ad actus, ad quos corpus traditur, planè inhabiles sint. Aliud est de conjugibus perpetuam virginitatem seu castitatem servantibus, sunt enim apti, & potestatem vere in corpora mutua tradunt, sed ab actu secundo mutuo consensu se abstinent propter Deum & legitimas caussas.

Senes & steriles cur validè contrahant.

Respondeo 2. Matrimonia inter eunuchos & impotentes usque ad Sixtum V. in Ecclesia, ad mutuam fidem & societatem, tollerata sunt, quamvis jure naturæ alteruter potuisset resilire, cùm qui fœcundus erat & potens ad seminandum & prolificandum non teneretur, altera parte deficiente & impotente, ad contractum ratione impotentiæ ejus, & quia tradere non poterat potestatem sui corporis ad actum principalem, cujus incapax

pax erat. Tamen post Sixtum V. declarata est impotentia coëundi Impedimentum dirimēs, & talia Matrimonia cum impotentibus prohibita: 1. Quia derogabant ex natura sua principalibus finibus Matrimonii, 2. quia pars potens injustè gravabatur,& privabatur tam prolis spe, quàm remedio libidinis; 3 quia gravissimâ inde oriebantur peccata, constat enim eunuchos utroque testiculo, etsi semine verò careant, motibus carnalibus inardescere etiam ad copulam, spermate quodam & inutili humore interdum excitato; unde gravissimis peccatis ex tactibus & actibus impudicis gravabantur, & pars potens sæpe ad pollutiones & graviores immunditias extra legitimum concubitum adigebatur, vel impudica pati debebat. His rationibus inductus Pontifex,impedimentum, quod verè ex natura terminorum satis constabat, declaravit, & impotentia legitimè coëundi cognita separari hujusmodi curavit, si nimirū impotentia ante contractum Matrimonium subsistebat.

QUÆSTIO II.

Quid intelligatur per impedimenta Voti, & Ordinis?

CONCLUSIO I.

Impedimentū contrahendū Matrim. quid?

IMpedimentum Voti intelligendum est de Votò Castitatis solemni & perpetuo, quod emittitur in professione Religiosa: quia votum simplex, etiam Castitati, perpetuæ, non dirimit Matrimonium,etsi illud impediat.

Ratio autem est: Quia qui seipsum totum tradidit uni, non potest se tradere, & obligare alteri: Constat autem quòd qui perpetuam Deo vovit Castitatem, Deo corpus suum & potestatem sui corporis tradidit: Non potest igitur illud homini tradere, in qua tamen traditione consistit tota formalitas contractus Matrimonialis.

Dices, in Voto simplici castitatis perpetuæ etiam intervenit traditio totalis sui corporis Deo, & nihilominus Matrimonium non dirimit. Respondeo negando assumptum. Inter Votum nempe solemne, & Votum simplex Castitatis est hæc differentia, quod in voto simplici tantùm promittatur Deo totum corpus & animus in perpetuam Castitatem; in solemni autem non tantum promittatur, sed & tradatur; & solemniter ab Ecclesia Dei nomine acceptetur. Unde sicut traditio acceptata civiliter præfertur soli promissioni, sive etiam traditioni non acceptatæ, & priorem traditionem non acceptatam alteri factam annullat, & omnem posteriorem etiam acceptatam invalidat; ita cum in voto solemni traditio & acceptatio compleatur,omnem aliam promisionem,sive etiam traditionem præteritam non acceptatam cassat, omnemque posteriis venientem etiam acceptatam annullat & invalidat. Igitur cùm votum simplex includat solam promissionem sive traditionem absque publica & reali acceptatione, non est mirum si Matrimonio (in quo mutua à Conjugibus traditio & acceptatio potestatis in corpora continetur.) cedere debeat, & pars illo impedita reddere debitum cogatur alteri: quamvis cum Voto simplici absque dispensatione contrahens Matrimonium mortaliter peccet, quia promissionem seu etiam traditionem primam violavit: unde altero mortuo, Voti obligatio, & traditio Deo facta resurgit, & obligare actualiter incipit.

Nec obstat, quòd Votum simplex Castitatis perpetuæ à Clericis societatis post biennium emissum Matrimonium dirimat: hoc enim non ex vi Voti simplicis, sed ex dispositione merè Pontifica, & lege positiva oritur; sicut & tota illa religio singularibus dispositionibus Pontificiis, præter antiquatum religionum principia, firmatur.

CONCLUSIO II.

IMpedimentum Ordinis intelligitur de Ordinibus Sacris seu Majoribus, quorum susceptioni Votum solemne perpetuæ Castitatis ab Ecclesia annexum est. De hoc nihil hîc speciale dicendum occurrit, æquivalet enim & concurrit cum Impedimento Voti, & de eo egimus sufficienter in 1. parte hujus tomi tr. 6. tit. 3. quæst. 3. & 4.

QUÆSTIO III.

Quid intelligatur per impedimentum Ligaminis?

CONCLUSIO

Quid sit hoc impedimentū

IMpedimentum Ligaminis nihil est aliud, quam vinculum Conjugum ex Matrimonio rato sive consummato ortum, quod utraque Conjuge vivente dissolvi non potest, adeoq; neuter Conjux alteri nubere potest: quod si attentaverit, Matrimonium ratione præcedentis ligaminis nullum erit.

Hoc impedimentum probat prohibitio polygamiæ, quæ etsi à Deo aliquando speciali privilegio fuerit permissa, modò tamen omnino prohibita est. Unde est Canon. 2. Concilii Trid. sess. 24. *Si quis dixerit licere Christianis habere simul plures uxores, & hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.* Conformiter ad declarationem Christi Matth. 19 ubi libellum repudii reprobat, Sed primam institutionem unius cum una matrimonium reducit. Et ibidem prohibet uxorem dimissam ob fornicationis causam ab altero duci sub pœna mœchiæ & adulterii. Unde & Marci 10. *Quicumque dimiserit uxorem suam & aliam duxerit, adulterium committit super eā. Et si uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.* Itaque modò nihil disputandum restat de Impedimento Ligaminis: nam

Cō. Trid.

Math. 19. 4

Marc. 10. 1.

Vers. 12.

Rom. 7. 2 namjuxta Apostolum ad Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier, vivente viro alligata est legi, si*
Vers. 5. *autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege viri. Igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.*

Dixi (*ex Matrimonio Rato sive consummato ortum*) Quia ex utroque oritur hoc impedimentum cum differentia tamen; matrimonium enim ratum & consummatum, quo conjuges fiunt una caro cum ex institutione Dei quo ad vinculum dissolvi non possit nisi per mortem alterutrius, absolutè matrimonia sequentia vivente utroque conjuge dirimit: matrimonium verò tantùm ratum non ita absolutè, cum enim illud alterutro conjuge religionem ingrediēte & profitente etiam quoad vinculum dissolvatur (ut definit Trid. sess. 24. can. 6.) conjux in sæculo manens suæ libertati restituitur & aliud matrimonium inire potest. Quid verò de Matrimoniis infidelium & hæreticorum legitimis tantùm & non ratis dicendum sit, infrà videbimus tit. 6.

Dubium Unicum.

Quid requiratur ut alteruter conjux, ortâ famâ de morte sui conjugis, nubere possit?

Sententia circa hoc non benè fundata. Variæ hîc feruntur sententiæ, & quidem in vulgus hæc circumfertur, ut post septem annos, si conjux nil de altero conjuge audiverit, possit ad alias nuptiâs convolare, & mortuum supponere, quæ sententia oriri potuit ex l. *Uxores ff. de divort.* in jure civili, ubi statuitur, ut mulier, quæ de viri vita per quinquennium nil audivit, ac vere dubitat an vivat, possit post quinquennium nubere.

Resolutio I.

Debet certo nuntio constare de morte alterius conjugis. Neuter conjugum potest ad secundâ nuptias transire, nisi accepto certo nuntio de morte alterius. Est Clementis III. c. *In præsentia* de Sponsal. & Matrim. ubi scribens ad Episcopū Cæsar-Augustanum sic quæstionem resolvit. *In præsentia* (inquit) *nostra quæsivisti, quid agendum sit de mulieribus quæ viros suos, causa ca-*
Clem. III. *ptivitatis vel peregrinationis absentes, ultra septennium præstolata fuerint, nec certificari possunt de vita vel morte ipsorum, licet super hoc sollicitudinem adhibuerint diligentem, & pro juvenili ætate seu fragilitate carnis nequeunt continere, petentes aliis Matrimonio copulari?* Et respondet: *Consultationi ergo tuæ taliter respondemus. Quòd quantocumque annorum numero ita remaneant, viventibus viris suis, non possunt ad aliorum consortium canonicè convolare nec authoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec certum nuntium recipiant de morte virorum.*

Ex quo constat nullum tempus conjugibus suffragari ad Matrimonium cum altero contrahendum donec per certum nuntium de morte sui conjugis certificati fuerint. Unde si quæ leges civiles aliquando post certum annorum numerum hoc permiserint, sunt per Clementem III. revocatæ. Nec sine ratione, quamdiu enim certum nuntium non acceperunt, in dubio maneant necesse est, in dubio autem mortis mariti vel uxoris lex Matrimonii prævalet & servandum est.

Resolutio II.

Ad certū nuntium quid requiratur. Ad certum nuntium requiritur, ut qui refert sit vir omni exceptione major, sive sciat rationem reddere certa sua notitia prudentum judicio; vel ut testes & signa evidentia, ut testamenta vel instrumenta, proferat, vel deniq; ut sit fama communis fundata in certa relatione plurimorum, maximè qui de magistratu loci sūt, vel aliquam administrationem habeāt.

Resolutio III.

In ejūs probatione quæ attendenda. In probatione certi nuntii attendenda sunt circumstantiæ distantiæ vel propinquitatis loci; item occasionis vel causæ mortis, ut si in bello, conflictu, vel morbo conjux obierit; item quæ causa fuerit absentiæ ipsius, ut mercatura, peregrinatio &c. Istæ enim circumstantiæ multum præstant ad certam probationem, & judicium prudens & morale, ut peccatum evitetur. Certum est tamen, quod quacumque certitudine data, si posteà deprehendatur error vel fallacia, mulierem in absentia viri alteri nuptam deprehenso viro adhuc vivente, vel ipso redeunte, debere sub pœna adulterii à secundo marito recedere: similiter & virum à secunda uxore.

Quæstio IV.

Quæ crimina Matrimonium dirimant.

Cur hoc impedimentum statutum ab Ecclesia. In horrorem adulterii, & præservationem conjugum à mutua cæde, vel machinationibus in mortem alterutrius sub intentione vel spe futuri matrimonii, leg bus Ecclesiasticis statutum est, ut nonnulla crimina Matrimonium futurum impedirent, dirimentque.

Conclusio.

Triplicia sunt Crimina, quæ hoc impedimentum continentur.

Triplicia Crimina continentur in hoc impedimento. I. Si adulter procuravit propriæ uxoris, vel mariti adulteræ mortem; vel è contrà adultera mortem mariti proprii, vel uxoris adulteri, ut ad invicem Matrimonio jungeretur. Vide c. *Super hoc*, de eo qui duxit in Matrimonium, quam polluit per adulterium.

II. Si adulteri data fide sibi invicem Matrimonium promiserunt marito adulteræ, vel uxore adulteri moriente 13. q. 1. c. *Relatum.*

III. Quando viventibus conjugibus prioribus adulteri scienter inter se contraxerunt. *c. finali*, de eo qui duxit in Matrim. &c.

IV. Addunt, nonnulli, nimirum quando qui Matrimonium ineunt uterque in mortem alterutrius priorum conjugum consensit, nullo tamen præcedente adulterio.

Dico

Dico (uterque) si enim unus tantùm homicidium procuraverit, altero inscio, nec adulterium præcesserit, tunc validè côtrahere possunt, juxta c. *Laudabilem*, de Conversione infidelium: sed hoc crimen ferè concurrit cum præcedentibus.

TITULUS V.

De aliis Tribus Impedimentis dirimentibus; Videlicet, Triplicis Cognationis, Affinitatis, & Publicâ Honestatis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Cognatio naturalis, quo jure & usque ad quê gradum Matrimonium dirimat?

Omissis variis significationibus nominum quibus alii *Agnati*, qui ex parte tantùm; alii *Cognati*, quia ab eadem matre progeniti sunt, cognominantur, sit

CONCLUSIO II.

Cognatio quid.

Cognatio naturalis dicitur, *quâ aliqui quasi uno stipite nati, ex eodem velut sanguine commune nascendi initium participant.* Unde & *Consanguinei* dicuntur, quasi ex sanguinis communi diffusione participantes, sive ex eodem patre & matre, si ex alterutro, scilicet ex eodem patre, vel matre disjunctivè procedant.

Cognatio duplex. Naturalis tantùm quæ.

Cognatio hæc duplex est, alia *naturalis tantùm*, alia *naturalis & civilis*.

Naturalis tantùm dicitur, quæ ex naturali concubitu per leges reprobato & illicito procedit: & vocatur *naturalis tantùm*, quia ex mera natura procedit nullo concurrente Matrimonii aut conjugali societate: Hoc modo spurii, & illegitimi quique legitimis verâ & naturali Cognatione juncti habentur, ratione juris sanguinis in quo participant, etsi pro talibus civili jure nô probentur, nec ob peccatû & coitum illicitum cum legitimis reputentur.

Naturalis & civilis quæ.

Cognatio naturalis & civilis dicitur, quæ ex eodem sanguine per legitimum Matrimonium genitis accedit. Et hæ tantùm dicuntur proprio nomine *Cognationes* ob commune nascendi principium ab aliquo parente.

Porrò prout à stipite consanguinei diversimodè distant, diversos gradus obtinere dicuntur, qui Ecclesiastico jure, non computatâ personâ centricâ, à quâ generatio procedit, in ascendentes, descendentes, & collaterales distinguuntur, & variè se invicem à Matrimonio excludunt: pro quibus claram accipe per figuram crucis notitiam.

	Tritavus	
	Proavus	
	Abavus	
	Avus	
	Persona Centrica.	
Soror *Pater*		*Mater* *Frater*
Consobrina	*Filius*	*Consobrinus*
Filia Consobrini.	*Nepos*	*Sobrinus.*
Cognata 4. gradus	*Abnepos*	*Cognatus 4. grad.*
	Pronepos	

Quatuor assignantur gradus super personam Centricam ascendentes, quatuor item ab persona centrica descendentes: quatuor utrimque collaterales, ita ut distantia sumatur à personis centricis, tam quo ad descendentes quàm ascendentes, ac collaterales. Et Ecclesiastico quidem jure semper sumitur distantia à remotiori; ita ut si filia personæ centricæ cum Cognato 4. gradus conferatur reputetur distare 4. gradu, quamvis in praxi dispensationum Romanorum aliud exprimatur. Nolo in his prolixior esse, quia ab Authoribus omnibus longè latèque tractantur, & praxi quadam supradictæ crucis facilè dignoscuntur. Qualiter autem cognatio sanguinis Matrimonium dirimat juxta præsentes ecclesiæ leges paucis conclusionibus explicabo.

CONCLUSIO II.

Illud divino naturali prohibitum semper fuit Matrimonium filiorum, filiarumve cum personis centricis, hoc est, patre vel matre, ita ut ipso jure naturali divino non tantùm tale matrimoniû prohibitum, sed etiam nullû, & nefandum fuerit.

Matrimonium filiæ cum patre & filii cum matre jure divino naturali semper fuit prohibitû.

Hæc conclusio mihi ita certa est traditione continuâ naturæ à principio, ut non possim satis mirari, aliquos ad tam incongruas speculationes devenisse, ut speculativè probabilitatem aliquam (in casu quo defecisset totum genus humanum) conjunctioni huic nefandæ Matrimonii legitimi tribuerint. Traditionem quidem continuam naturæ à Deo institutæ prohibere & damnare incestuosa connubia filiorum & filiarum cum patre, & matre, docet reverentia quædam & observantia sobolis ad parentes, & horror quidam naturalis talis conjunctionis, quem & in brutis experimur. Et quamvis non desint Historiæ hujusmodi commixtiones referentes, eas tamen non tantùm non appro-

approbant, sed personarum corruptissimarum mores condemnant, & ex similibus horrenda judicia Dei deducunt. Vide Historicos.

Gen. 19. 31. Traditionem porrò hanc naturæ, simul & horrorem, vide descriptum Gen. 19 in duabus filiabus Loth; cum crederent cum Sodomis

Vers. 32. totum mundum jam interiisse, dixit major natu ad minorem: *Pater noster senex est, & nullus virorum remansit in terra, qui possit ingredi ad nos juxta morem universæ terræ. Veni inebriemus eum vino, dormiamusque cum eo, ut servare possimus ex patre nostro semen.*

In quibus verbis tria noto: 1. Traditionem claram, qua filiæ Loth sciebant prohibitam conjunctionem cum parente, cum fateantur morem universæ terræ fuisse, ut viri ad illas ingrederentur. 2. Ex defectu universali virorum in universo muliebriter cogitasse, se posse ex parente semen suscipere ad naturæ propagationem conservandam. 3. Non potuisse tamen sibi persuadere, Loth parentem huic nefario concubitui condescensurum, etiam supposita tota generis humani deletione, ob innatum horrorem & aversionem; unde concluserunt illum inebriare, & tanta quidem ebrietate, ut omnem rationem in illo absorberet, non enim sensit, nec quando accumberent filiæ, nec quando surgerent.

Ex quibus clare infertur, nec quovis periculo deletionis, totius generis humani unquam Loth consensurum fuisse in hujusmodi commixtionem, tanquam naturæ & divinis legibus adversam: nec filias ei ausas, iisdem rationibus, hujusmodi commixtionem proponere, nec unquam præsumpsisse illi accumbere, nisi somno vinoque sepulto, & ipsis sine dubio vino fumantibus.

Gen. 2. 24. Porrò institutionem Matrimonii primævam similes exclusisse commixtiones testantur verba Domini Dei instituentis, ut nonnulli notarunt ad cap. 2. Gen. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ &c.* Ubi virum nubentem, & uxorem separat patenter à persona patris & matris mandans tanto divortio patrem & matrem relinqui, ut nec pater filiæ nubentis maritus esse; nec filius nubens matrem uxorem habere unquam possit: Si enim absoluto decreto homo debeat relinquere patrem & matrem, & adhærere uxori suæ, bene sequitur, nec filium matrem pro uxore: nec filiam patrē pro marito habere posse, repugnante naturæ honore & honestate: quod clarioribus exēplis posteà in gradibus Affinitatis patebit.

CONCLUSIO III.

Matrimonium inter consanguineos prohibitū est.

Iure Divino naturali prohibitū est Matrimoniū inter descendentes & ascendentes in linea recta in quocumq; gradu.

Ratio eadem est, quæ prioris: In linea enim recta descendentes habentur pro filiis; ascendentes pro parentibus, à quibus descendentes originem ducunt: Unde personæ Centricæ, ut Pater & mater, Avus, Abavus, Proavus, Tritavus apud Romanos, *Parentes* semper dicti sunt sive *Patres* l. Juris-Cons. § 5. *Parentes*: Quod si altius ascendendum foret, dicebantur *Majores*,

Deut. 32. Vers. 7. juxta illud Deut. 32. *Interroga Patrem tuum, & annūtiabit tibi majores tuos, & dicent tibi.* Itaque honestas quadam & reverentia naturæ repugnat ascendentium & descendentium in linea recta in eodem stipite commixtioni carnali, quidquid sibi fingat metaphysica naturæ corruptæ speculatio, seu potius imaginatio.

CONCLUSIO IV.

Matrimonium inter personas collaterales jure naturæ primario nō est prohibitum.

Cognatio consanguinitatis inter personas collaterales in nullo gradu jure naturæ primario prohibita est. Declaratur ex matrimoniis primævis inter fratres & sorores, qui in primo gradu Cognationis collateralis sunt, quos certum est ad invicem initio conditæ naturæ legitima Matrimonia iniisse.

Dixi (*jure naturæ primario*) successu enim temporis multiplicata natura jure Divino positivo prohibita sunt connubia inter fratres & sorores, quasi naturæ jam propagatæ incongrua, & inconvenientia. Unde est illud S. Augustini l. 15. de Civitat. Dei cap. 16. de conjugiis inter fratres & sorores: *Quod profecto quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente.* Infra: *Et cum sorores accipere in Matrimonium primis humani generis temporibus omnino licuerit; sic aversetur, quasi nunquam licere potuerit.* Primario itaque jure propagationis necessariò Matrimonium in primo gradu collaterali permissum fuit; postea consentius ad naturam prohibitum fuit, imò & alii gradus prohibiti usque ad septimum.

QUÆSTIO V.

Matrimonium cum consanguineis in 4. gradu collaterali invalidū est jure positivo Ecclesiæ.

Iure positivo Ecclesiastico Cognatio quævis naturalis sive ex legitimo, sive ex illegitimo concubitu proveniat, ad quatuor primos gradus collaterales est reducta; ita ut in illis solis quatuor gradibus consanguinitas impediat Matrimoniū contrahendum & dirimat contractum. Ita Concil. Lateranense sub Innoc. III. c. 5. & allegatur Extrav. de consanguin. & Affinit. Ubi quamvis antiquitus septem gradus essent prohibiri, illos reducit ad quatuor, allegans causam hujus determinationis & prohibitionis.

Cur etiam jus positivum illos gradus prohibuerit, rationem reddunt authores 1. Ad tollenda pericula continua peccatorum carnalium, quæ sub prætextu procandi inter propinquos fuissent, & ut alter propinquus alterius pudicitiam custodiret. 2. Ad socialem vitam & amicitiam inter diversas familias propagādam. 3. Ad fideles, quorum est unus Deus, unum Baptisma, strictius uniendos.

***

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quid sit impedimentum Cognationis spiritualis, & inter quos matrimonium dirimat?

CONCLUSIO I.

Cognatio spiritualis quid?

Cognatio spiritualis est, proximitas duarum personarum ob concurrentiam ad sacramenti regenerationis & confirmationis administrationem, & susceptionem ex Ecclesiæ instituto. Hæ personæ sunt v.g. baptizans cum baptizato, & patre ac matre baptizati; & patrini sive susceptores cum baptizato, & patre ac matre baptizati.

CONCLUSIO II.

Cognatio spiritualis dirimens matrimonium ad certa capita per Conc. Trid. reducta est.

Sublatis omnibus antiquis canonibus Concilium Tridentinum Cognationem spiritualem, qui matrimonium contrahendum impedit, & contractum dirimit, ad hæc capita redaxit: Ad baptizantem sive confirmantem, & susceptores in baptismo vel confirmatione (qui ad summum possunt esse unus & una) ex una parte: & ad baptizatum sive confirmatum, & patrem ac matrem baptizati sive confirmati ex altera. Ita clare Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. c. 2.

Ex quo Decreto infero 1. Nullam Cognationem nasci inter susceptores ad invicem, cum concurrunt unus & una.

Infero 2. Nullam Cognationem nasci inter baptizantem ex una & susceptores ex altera parte.

Infero 3. Si maritus suscipiat solus, uxorem illius nullam contrahere cognationem nec cum baptizato, aut confirmato, nec cum parentibus baptizati aut confirmati.

Infero 4. Cognationem confraternitatis, quæ antiquitus erat inter baptizatum & filiū aut filiam suscipientis, esse sublatam per Conc. Trid. Item illam quæ ex Catechismo antiquitus oriebatur.

Infero 5. In casu quo domi puer vel puella, ex imminenti periculo, vel alia causa, absque solemnitatibus fuerint vere baptizati, eos, qui ceremonias, & solemnitatibus in Ecclesia supplendis etiam tamquam patrini assistunt, nullam ex hac assistentia contrahere Cognationē: Quia vere nō tunc baptizatur puer, nec censetur vere suscipere baptismum, sed sacramentalia tātūm circa jam baptizatum exercentur. Quin immò qui domi in baptismo (ut præfertur) ex imminenti periculo assistunt, ubi nec Parochus aut Sacerdos ex officio baptizant, nec sacræ ceremoniæ servantur, probabilius est non contrahere Cognationem. Ratio est, quia ex Conc. Trident. requiritur, ut qui patrini sunt, eligantur, admittantur à Pastore, tangant formaliter tamquam patrini baptizatum, eumque suscipiant; quæ ordinariè in baptismate sic ex accidenti ministrato non concurrunt. Addo, nec parentem filium in tali casu baptizantem contrahere cognationem cum uxore &c.

Aliud est, si baptismus ex officio a Parocho, electis & designatis patrinis, domi administretur ad assecurationem cum aliqua solemnitate, & solemnitas major, & ceremoniæ reserventur ad aliud tempus, ut sit jam frequenter pro filiis nobilium; qui enim vere designātur & eliguntur, ut tamquam susceptores domi puerum de sacro fonte levent, & de facto concurrunt ut patrini, & tangunt, Cognationem spiritualem contrahunt: non vero illi qui in ecclesia solis solemnitatibus adsunt quia (ut dictum est) puerum de sacro fonte vere non levant.

Per procuratorē aliquem de sacro fonte levans non contrahit Cognationem spiritualem.

Infero 6. Non contrahi Cognationem spiritualem ab iis, qui per procuratorem aliquem de sacro fonte levant. Est contra communem sententiam. Hanc tamen necessariò docere debent qui ad contrahendum cognationem, tactum realem & physicum, tamquam de substantia requirunt, ut Capuz dec. 246. p. 3. Verall. decis. 146. p. 1. Nostram verò sententiam docet Sanchez l. 7. de Matrim. disp. 59. n. 4. Ratio est, quia verè baptismo non assistunt, nec puerum tangunt, prout requirit Concil. Trid. sed nec ipsi procuratores censentur Cognationem contrahere, quia verè patrini non sunt, nec ut tales electi aut designati nomine suo suscipiunt.

Infero 7. Solùm unum & unam, qui designati sunt, & electi in patrinos contrahere Cognationem tam in baptismo, quàm in confirmatione. Unde si plures concurrant, tantūm unus & una, qui electi & designati sunt, Cognationem contrahunt: quòd si plures, ex. g. quatuor, in confusio tangant & suscipiant parvulum, nec ullus eorum specialiter electus aut designatus sit, mea sententia, nullus eorum Cognationem contrahit. Ratio est, quia cum ex Concil. Trid. unus vel saltem duo tantum contrahere possint, non est potior ratio cur potiùs hic quàm alter, aut hi duo, quàm alii duo contrahant, cum ex supposito omnes æqualiter tangant & suscipiant, & nullus specialiter sit electus vel designatus. Ajunt tamen nonnulli primum qui tangit contrahere: sed hoc incertum est, nec certo jure fundatur. Hæc porrò omnia ex Concilii Trid. textu eruuntur, quod decernit 1. ut tantùm unus & una contrahant. 2. ut plures non admittantur. 3. ut susceptores electi à Parocho admittantur. 4. ut susceptores personaliter & realiter baptizatum tangant. Tandem ut nomina susceptorum trāscribantur, & de Cognatione moneantur. *Trident.*

Multæ circumferuntur Declarationes Cardinalium, quæ quia sunt partim incertæ, partim sibi invicem contrariantur, magis attendenda credo verba Concilii, nec amplianda onera, quæ per Concilium restinguntur, maximè cum multiplicationi impedimentorum, ob multa incommoda, voluerit Concilium providere, ut tollerentur quæ necessaria non videbantur.

* *
*

Dices: Sententia illa est contra praxim & intellectum communem; solent enim in hanc horam Reges & Principes procuratores suos mittere ad suscipiendos aliquos de sacro fonte suo nomine, intelliguntur que ipsi Reges & Principes pro susceptis fidejubere, & alii fide multum derogaretur antiquis baptismi ceremoniis, si interdum nullus esset fidejussor sive patrinus.

Respondeo: Distinguendum esse inter susceptionem seu fidejussionem, & contractionem Cognationis spiritualis. Etsi enim certum sit contractionem cognationis spiritualis in susceptoribus oriri ex susceptione sive fidejussione, non minus tamen certum est, non ex omni susceptione, & fidejussione oriri & contrahi cognationem spiritualem, sed tantum ex ea, quæ debitis circumstantiis & legibus Concilii Tridentini est vestita, ut superius latius deduximus. Unde dicendi eum qui per procuratorem suscipit, vere suscipere & fidejubere ac obligari suscepto; similiter omnes qui adhibentur, etiamsi quatuor, vere suscipere & fidejubere ac obligari, si se obligare intendant, eos tamen qui per procuratores pueros de sacro fonte levant, cognationem non contrahere, quia sacramenti ceremoniis ad cognationem contrahendam requisitis non conperatur tangendo, levando, suscipiendo. Plures etiam, ultra unum & unam, etsi suscipiant, fidejubeant, tangant &c. non contrahunt cognationem spiritualem, quia ecclesia, quæ hujusmodi cognationem instituit, non vult ut contrahant, & illos non contrahere declarat.

Nec derogatur antiquæ ceremoniæ baptismi, quia semper est unus fidejussor, sive susceptor. Et hanc sententiam æstimo (salvo meliori judicio) Concilio Tridentino magis conformem, ac in praxi securam, etsi pauciores Authores habeat.

QUÆSTIO III.

Quid sit impedimentum Cognationis legalis?

CONCLUSIO I.

Cognatio legalis quæ.

Cur hæc Cognatio statuta sit impedimentum dirimens.

Legalem cognationem vocant, quæ singulari lege contrahitur in vim adoptionis legitimæ, quæ legibus tum civilibus, tum ecclesiasticis sit conformis.

Ratio verò quæ movit Legislatores, ut hoc impedimentum dirimens statuerent, illa potissimum fuit, quia arrogatus, sive adoptatus, cum subeat leges filiorum, & patriæ subjiciatur potestati, eidemque familiæ inscribatur; ne concupiscentiæ carnali incentivum daretur ob familiarem conversationem, decreta est cognatio illa legalis, quæ non tantum matrimonium impediret, sed & eo ipso quo matrimonium antecedit, illud dirimeret.

CONCLUSIO II.

Cognatio legalis triplex exrespectu ad triplices personas.

Triplex est illa cognatio, respectu sumpto ad triplices personas. Prima est *inter adoptantem & adoptatum ac filios & posteros ejus in linea recta, & è contra.* Secunda est *inter uxorem adoptatis & adoptantem ac uxorem ejus.* Tertia, *inter adoptatum & filios naturales adoptantis.* Harum autem est inter illas distinctio, quod 1. & 2. perpetuo durent, utique quæ nec adoptantis defunctione nec emancipatione tollatur, sed sola morte desinat: 3. autem extinguatur statim desinente adoptione, vel filio naturali extra patriam potestatem emancipato. Vide Gratian. 30. q. 3. cap. 1. & c. *Per adoptionem.* Et c. *Unicum* de Cognatione legali in Decretalibus.

QUÆSTIO IV.

Quid sit affinitas naturalis, & usque ad quê gradum matrimonium dirimat?

CONCLUSIO I.

Affines, qui nâ dicantur?

Affines dicuntur viri & uxoris Cognati, ex eo dicti, quod duæ Cognationes diversæ ob copulam carnalem, altera ad alterius fines accedat; Ita ut cognati uxoris viro affines fiant, & e contrà.

Affinitas, duplex est.

Porrò duplex est *Affinitas.* Altera legitima, & civilis, quæ ex legitimo, & materiali thoro originem habet, altera illegitima, quæ ex illicito concubitu oritur. Pro quibus duas pono Conclusiones.

CONCLUSIO II.

Affinitas ex licito coitu in 4 gradibus collateralibus matrimon. impedit & dirimit.

Affinitas ex legitimo thoro in 4. gradibus collateralibus impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, Ita Concil. Lateran. supra quod (ut diximus) restrinxit gradus, qui ad septem prohibebantur, ad quatuor in Affinitate.

CONCLUSIO III.

Ex illicito coitu in duobus tantum primis.

Affinitas ex illicito coitu in duobus tantum primis gradibus collateralibus impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum. Ita Concil. Trident. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 4.

Dixi (*in collateralibus*) in ascendentibus enim in linea recta gradus illi prohibiti censentur, etiam jure divino; unde Matrimonium nurus cum socero, vel generi cum socru semper damnatum fuit: Similiter & privigni cum noverca. Historiam memorabilem lege 1. ad Cor. 5. de incestuoso Chorinthio, qui uxorem patris sui in uxorem duxerat, quem excommunicavit Paulus, & *Sathanæ tradidit in interitum carnis,* donec resipisceret, quam etiam fornicationem tantam & tam ignominiosam censet Apostolus, ut nec inter Gentes talem reperiri affirmet.

met. Lege etiam cap. 18. Levit. *Turpitudinem (uxoris) patrui tui non revelabis, nec accedes ad uxorem, jus quæ tibi affinitate conjungitur. Turpitudinem nurus tuæ non revelabis, quia uxor filii tui est nec discooperies ignominiam ejus* &c. Et c. 20. *Qui dormierit cum noverca sua & revelaverit ignominiam patris sui, morte moriantur ambo sanguis eorū sit super eos. Si quis dormierit cū nuru sua* &c. quæ non sunt tantum juris positivi legis Mosaicæ, sed etiam ex quadam naturali lege, sive indecentia deducuntur, ut verba Scripturæ ostendunt.

Levit. 18. 14. Vers. 15.

Levit. 20 11. Vers. 12.

Igitur Cajus ducens Cajam in uxorem, in linea quidem ascendente contrahit Affinitatē matrimonium dirimentem cum socru sua, id est, matre Cajæ, & consequẽter cū avia, abavia &c. Similiter & Caja cum socero suo, id est, patre Caji, & aliis ascendentibus. In linea autem collaterali Cajus contrahit ex legitimo thoro Affinitatem cum sorore, nepte, abnepte, & pronepte Cajæ: Caja autem cum fratre, nepote, abnepote, & pronepote Caji. Ex illegitimo autem thoro, sive illicito concubitu, Cajus contrahit Affinitatem, quæ est matrimonii impedimentum dirimens, cum sorore & nepte Cajæ tantum: Et Caja cum fratre, & nepote Caji, quæ omnia bene notanda sunt.

Collaterales autem ad invicem, & superiores in linea ascendente cum collateralibus nullam contrahunt Affinitatem: Unde frater, immò & pater Caji, potest ducere sororem Cajæ in uxorem. Ad solas enim personas quæ copulatur respectu collateralium pertinet affinitas, non ad alias quæ se invicem non tangunt: Affinitas enim ad personas matrimonio junctas, vel carnaliter se cognoscentes terminatur: ita ut vir contrahat Affinitatem cum consanguineis uxoris, uxor cum consanguineis viri; consanguinei tamen illorum adinvicem nullam contrahunt Affinitatem.

QUÆSTIO V.

Quid sit impedimentum publicæ Honestatis?

CONCLUSIO UNICA.

Quid sit hoc impedimentū.

IMpedimentum *publicæ honestatis* oritur, *quando quis cum aliqua Sponsalia valida contraxit* hoc enim ipso contrahit publicam honestatem, ne possit absque dispensatione contrahere matrimonium cum consanguinea ejus intra primum gradum. Unde *publica Honestas* diffiniri potest: *Propinquitas orta ex sponsalibus de futuro jure validis.* Vocaturque *Honestas*, quia ecclesia judicavit parum honestum esse, ut qui jam matrimonium de futuro datâ fide inchoarunt, cum consanguineis alterutrius commisceatur: ideoque ob honestatem matrimonium cum illis prohibuit; vocatur autem *publica Honestas*, quia sequitur ad actum, qui ex natura sua publicus est.

Quid publica honestas.

Porrò antiquitus *Publica honestatis* propinquitas ad quatuor gradus consanguinitatis extendebatur, & ex quibuscumque Sponsalibus oriebatur: Sed Jus antiquum reformatum est novo Concilii Tridentini jure, quo sess. 24. c. 3. cautum est. 1. Ut hujusmodi propinquitas primum gradum tam lineæ rectæ, quam transversalis non excedat; Unde Joannes contrahens sponsalia cum Margareta contrahit propinquitatem *publicæ honestatis* dumtaxat cum matre & sorore Margaretæ: Margareta etiam cum Patre Joannis, ejusque fratribus, & non ultrà.

2. Voluit et ex solis sponsalibus validis, non autem invalidis *hæc justitia publicæ honestatis* contraheretur. Unde si sponsalia fuerint invalida, eo ipso quo irrita cognoscuntur, omnis etiam suspicio *Publicæ honestatis* cessat, quia ubi causa non fuit, effectus supponitur non fuisse.

TITULUS VI.

De Impedimento Disparitatis Cultus.

QUÆSTIO I.

Quid sit Cultus Disparitas?

CONCLUSIO UNICA.

Disparitas Cultus quid?

CUltus Disparitas dicitur, *quando contrahentes sunt diversæ & contrariæ Religionis*: ut si Catholicus contrahat cum pagana, Mahumetana, Judæa, aut econtrà.

Unica tantum est vera & Salutaris Religio. Ephes. 4. 4. Vers. 5.

Porro advertendum est unicam esse veram & salutarem Religionem, quæ triplici vinculo Doctrinæ Unitati copulatur, juxta illud Apostoli ad Ephes. 4. *Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ Unus Dominus una fides unum baptisma.* Qui ergo ab hac unitate resiliunt, dispari cultu laborare convincuntur, & eorum cum fideli bus connubia condemnantur: Ethnicorum quidem, quia ab unitate Dei unius & Domini, unius fidei & baptismis recedunt: Hæretici autem, etsi in uno Deo aut Domino ac baptismate videantur copulari, ab unitate tamen fidei recedunt: quamvis nec in vera unitate Dei & Domini aut baptismis verè per omnia consistant, & aliàs verè coram Deo omnes infideles sint.

Quia autem non eadem est supradictorum omnium ratio, ad majorem distinctionem tres distinctas quæstiones pono: præmissâ annotatione fundamentali & doctrinali ad illarum & plurium aliarum quæstionum, quæ in his impedimentis, & materia matrimonii disputantur, resolutionem omnino necessariâ.

* *
*

Annotatio.

Doctrinalis & Fundamentalis.

De matrimonio ut Contractus naturalis civilisq́ue, & ut sacramentum est.

Matrimonii duplex consideratio.

OB varias difficultates in matrimoniorum causa occurrentes, Adverrendum est 1. Matrimonium dupliciter considerari posse.

Priori quidem modo, ut est Contractus naturalis ex Dei institutione in prima naturæ conditione proveniens, certis legibus successu temporis cohonestatus, ad legitimam propagationem generis humani institutus, de quo tit. 1. quæst. 1. satis fuse. Et hoc matrimonium in omni populo & gente tam fideli quam infideli celebratur & eo natura humana in hunc usque diem propagata est, & indies propagatur absque peccato, nisi forte legibus aliquibus aut circumstantiis à lege Divina & naturali alienis ab aliquibus nationibus vel Sectis fuerit deturbatum.

Posteriori modo matrimonium sumitur pro Contractu eodem, ab institutore naturæ Deo proveniente, quatenus eminentius à Christo Reparatore & Redemptore ad rationem sacramenti elevatum est & legibus Ecclesiasticis exornatum: mystica quidem significatione conjunctionem Christi cum Ecclesia significans, & gratiam sanctificantem ac auxilia opportuna efficaciter conferens, ad onera sufferenda, & fines matrimonii consequendos.

Advertendum 2. matrimonium hoc posteriori modo sumptum soli homini baptizato competere posse, quia baptismus est janua Sacramentorum, adeoque nec à baptizato cum infideli non baptizata, vel è contrà iniri posse; nec infideles inter se illo gaudere.

Matrimonii ut est sacramentum solus homo baptizatus capax est.

Adverrendum 3. Patres antiquos & Theologos, ut hanc doctrinam de matrimonii Contractu, & Sacramento distinctè proponerent, assignasse solemnem illam divisionem matrimonii in *legitimum tantùm, & ratum.*

Matrimonium legitimum tantùm vocabant, quod legitimo Contractu, legibus primævæ institutioni conformibus, & aliis honestis populorum consuetudinibus firmatum esset: Et ad hoc matrimonium legitimum reduxerunt omnia matrimonia inter infideles, paganos, Judæos & hæreticos legitimè contracta, modo (ut dixi) juxta leges primævæ institutioni conformes essent celebrata.

Ratum, quid apud Theologos

Matrimonium ratum vocaverunt, quod divino sacramento, & sacris legibus ecclesiæ velut ratificatum & approbatum esset. De qua etiam divisione vide *S.* Bonaventuram cum Magistro in 4. dist. 39. art. 1. quæst. 1. Scotum ibidem quæst. unica, **D. Thomam ibid. quæst.** unic. art. 5. & alios.

Vocant porrò prius *Matrimonium legitimum tantùm*, quia sicut legitimo consensu & contractu celebratum est, sic ejus usus licitus est & absque peccato, ac ex eo legitimæ proles nascuntur vel per illud legitimantur.

Alterum autem *legitimum & ratum* nuncupant, quia non tantum non peccaminosum est, sed divina sanctificatione per omnia probatum, & (si consummatum est) omnimodo indissolubile, quod infidelium matrimonio quantumvis legitimo non competit, ut postea dicemus. Ita verò loquitur Innocentius III. cap. *Quanto*, De Divorr. dum ait, *Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum & ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur.*

Innoc. III c. Quãto.

Distinctissimè Gratianus 28. quæst. 1. ad finem, tertium addens membrum divisionis, *Illud* (inquit) *Augustini: Non est ratum Conjugium quod sine Deo est, non negat Conjugium esse inter Infideles. Conjugium enim aliud est legitimum, & non ratum: aliud ratum & non legitimum: aliud legitimum & ratum. Legitimum Conjugium est quod legali institutione, vel provinciæ moribus contrahitur. Hoc inter infideles ratum non est, quia non est firmum, & ideò violabile conjugium eorum. dato enim libello repudii licet eis recedere ab invicem, & aliis copulari lege fori, non lege poli, quam non sequuntur. Inter fideles verò ratum Conjugium est; quia Conjugia semel inita inter eos ulteriùs solvi non possunt.* Et prosequens aliud membrum divisionis matrimonii inter fideles: *Horum* (ait) *quædam sunt legitima, veluti cùm uxor à parentibus traditur, à sponso dotatur, & à Sacerdote benedicitur: hæc talia Conjugia legitima & rata appellantur: Illorum verò Conjugia, qui contemptis omnibus illis solemnitatibus solo affectu aliquam sibi in conjugem copulant, hujusmodi Conjugium non legitimum, sed ratum tantummodo esse creditur.* Cujus verba postrema intelligenda sunt de nonnullis matrimoniis clandestinis, quæ verè quidem Sacramenta illo tempore erant, ob præcepta tamen Ecclesiæ contraria, & solemnitates omissas censebãtur, ratione peccati commissi in omissionibus solemnitatum, illegitima, id est cum peccato contracta, etsi aliàs valida.

Gratianus

Advertendum 4. Hanc distinctionem esse inter hominem baptizatum & hominem non baptizatum sive infidelem; quòd homo baptizatus eo ipso quo baptismum suscepit, & charactere christiano corpori Mystico Christi nempe Ecclesiæ incorporatus est, teneatur Christi, & Ecclesiæ legibus, adeoque & matrimonio elevato à Christo ad Sacramenti dignitatem, ac legibus matrimonialibus ab Ecclesia institutis: Homo verò non baptizatus infidelis illis legibus non obligetur, sed relinquatur quoad hæc legi naturali,

Baptizatus eo ipso quo baptismum suscepit tenetur Christi & Ecclesiæ legibus cõcernentibus matrimonium.

naturali sub constitutionibus civilibus juri naturæ conformibus.

Advertendum 5. in matrimoniis fidelis cum infideli distinguenda esse duo tempora. Alterum tempus infidelitatis, si nimirū fidelis cum infideli contraxit matrimonium antequā converteretur ad fidem, id est, dum adhuc in infidelitate esset, à qua postea conversus est. Alterum tempus fidelitatis, si nimirum, dum jam in fenio compo ito fidelis esset; infideli matrimonio copulatus fit. Hæc enim multum distinguuntur.

Advertendum 6. Aliud esse matrimonium illicite & peccaminose initū, aliud invalide. Matrimonium enim illicite contractum subsistit, & verum matrimonium censetur; quod autem invalide contractum est, nullum est & adulterinum.

Advertendum 7. Multa matrimonia jure pol: & communi humano invalida censeri debere, & mera adulteria, quæ tamen lege particulari civili alicujus Reipublicæ legitima censentur, quibus lex illa particularis nihil aliud confert: nisi quod proles ex illis matrimoniis natæ censeantur legitimæ, & hereditatum capaces, nō verò veri matrimonii rationem. De quibus omnibus in Quæstionibus & Conclusionibus sequentibus, in quibus hujus annotationis doctrina declarabitur, & manifesta fiet, ad multa dubia sedanda. His igitur suppositis sit

QUÆSTIO II.

An Cultus Disparitas inter Catholicum & infidelem sive ethnicum, vel è contra, impediat & dirimat matrimonium?

CONCLUSIO I.

Matrimonia fidelis cū infideli semper jure divino naturali & e prohibita fuere ut illicita. *Jure divino naturali, & positivo semper prohibita fuerunt matrimonia fidelis cum infideli, tamquam illicita & peccaminosa.* Unde S. Paulus 2. ad Corinth. 6. juxta interpretationem S. Hieronymi & aliorum patrum: *Nolite (ait) jugum ducere cum infidelibus? Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate; Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial; Aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templo Dei cum idolis?* Quæ omnia probant ad minus hujusmodi connubia illicita fuisse, ob peccati & subversionis periculum, ad Christianismi sanctitatem.

2Cor.6. 14. 15. 16.

Dixi (*jure divino naturali*) quo nimirum se & proles Deo educandas periculo manifesto vel etiam dubio subversionis, & infidelitatis exponere quilibet prohibetur.

Ex hoc præcepto Abraham adjuravit Eliezer Genes. 24. *Pone (inquit) manum tuam subter femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli & terræ, ut non accipias uxo-*

Gen. 24. 2.3.

rem filio meo de filiabus Chananæorum inter, quos habito: sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias uxorē filio meo Isaac. Vers. 4.

Et cap. 28. conformiter præcipit Isaac Jacob: *Noli accipere conjugem de genere Chanaan, sed vade & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde uxorem* &c. quæ omnia illo potissimum titulo nitebantur, quia Chananæi jam in infidelitatem præcipites abibant. Unde & Esau displicuerat multum matri, quòd acceperat uxores de genere Chanaan, ut habetur Gen. 26. & 27. Gen. 28. 1. 2.

Huc etiam facit quod dicunt filii Jacob Genes. 34. ad Hemor patrem Sichem dum postularet Dinam pro filio suo Sichem in uxorem post illius defloratonem: *Non possumus (ajunt) facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircumciso, quod illicitum & nefarium est apud nos* &c. etsi enim in dolo loquerentur, proferebant tamen præceptum, quod apud illos juris divini naturalis erat, ut incircumcisis infidelibus Matrimonio non jungerentur, unde postulabant ut circumcideretur & infidelitati renuntiaret. Gen. 34. 14.

Dixi (*jure divino positive*) quod enim prius jure divino naturali insitum erat, postea positivo jure declaratum est Deuteron 7. ubi Moyses sic ex parte Dei mandat: *Cum introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingrederis, & deleverit Gentes multas coram te &c. non inibis cum eis fœdus &c. Neque sociabis cum eis conjugia. Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Et causam à nobis relatam subjungit: *Quia seducet filium tuum, ne sequatur me, ut magis serviat Diis alienis* &c. Deut, 7. 1. Vers. 2. Vers. 3.

Et Exodi 34. *Cave ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam.* Infra: *Ne ineas pactum cum hominibus religionum illarum &c. Nec uxorem de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deo suos.* De cujus præcepti prava transgressione notatur Salomon 3. Reg 11. *Rex autem Salomon adamavit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis &c. de gentibus super quibus dixit Dominus filiis Israël: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras; certissimè enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos earum.* Cujus prædictionis effectus patet in eodem Salomone licet sapientissimo: *Cumque jam esset senex, depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos, nec erat cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor David patris ejus.* Clarissimus est etiam locus 1. Esdræ 9. ubi lugentur similia peccata populi, quia *non est separatus populus Israël, Sacerdotes & Levitæ, a populis terrarum, & abominationibus eorum &c. tulerunt enim de filiabus eorum sibi & filiis suis, & commiscuerunt semen sanctum cum populis terrarum: manus etiam principum & magistratuum fuit in transgressione hac prima.* Vers. 4. Exo. 34. 12. Vers. 15. Vers. 16. 3Reg. 11. 1 Vers. 2. Vers. 4. 1Esdr. 9. 1. Vers. 2.

Cui transgressioni ut satisfieret per veram pœnitentiam c. 10. per totum jubentur projicere omnes uxores alienigenas, & eos *qui de*
1. Esd. 10. 3 *his nati sunt juxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Domini Dei nostri, secundum legem fiat.*

Dixi (*tanquam illicita & peccaminosa*) Non enim fuerunt prohibita tanquam invalida. Quod probatur in uxoribus Esau, & uxoribus Salomonis, quæ permanserunt in matrimonio tanquam vero, etsi illicitum & peccaminosum esset.

Conclusio II.

Quomodo fuerint dissolubilia.

Matrimonia cum infidelibus contracta per fideles, etsi matrimonia vera essent, non fuerunt tamen indissolubilia, sed pro libitu, altero ad fidem converso, potuerunt dissolvi, & fideles ab infidelibus recedere.

Patet ex. cap. 10. 1. Esdræ suprà allegato, & facto filiorum Israël à Domino approbato.

Patet 2. Ex S. Paulo 1. ad Corinth. 7. ubi etsi sub spe conversionis consulat, ut altero conjugum ad fidem converso, si alter infidelis consentiat habitare cum fideli, simul permaneant in matrimonio; nihilominus declarat fidelẽ posse recedere ab infideli; cujus rationem
1. Cor. 7. 15 reddit: *Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi*, id est, non tenetur ad vinculum illud matrimonii, sed alteri nubere potest. Sed totum textum S. Pauli expendamus, quia necessariam in hac materia doctrinam continet.

1. Igitur cap. 7. ad Corinth. v. 10. loquens
1. Cor. 7. 10 S. Paulus utrimque fidelibus, qui jam matri-
Vers. 11 monio invicem juncti erant, declarat eorum matrimonium *ratum* & indissolubile jure Divino, sive mandato Divino. *Iis* (ait) *qui Matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.*

2. Separans fideles qui infidelibus juncti erant, ab iis qui utrimque fideles essent, subjungit: *Nam cæteris ego dico, non Dominus. Si quis frater* (id est fidelis) *uxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo* (nimi-
Vers. 13 rum in ejus subjectione, in pace, concordia, sine periculo subversionis prolium, aut contumelia Dei) *non dimittat illam* (id est, maneat in priori matrimonio cum illa.) Prosequitur de uxore: *Et si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa* (absque scilicet præjudicio fidei tam in se quàm in prolibus, & sine contumelia Dei, & periculo subversionis) *non dimittat virum.* Rationes verò duas subjungit: 1. est ob particularem benedictionem Dei, qui ratione
Vers. 14 fidelitatis alterutrius benedicit familiæ. *Sãctificatus enim* (inquit) *est vir infidelis per mulierem fidelem; & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem, alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt*: Ubi per *sanctificationem* intelligitur benedictio quædam, quam Deus largitur familiæ: tum propter orationem, vitam bonam, exemplum, directionem &c. fidelis conjugis; tum ratione honesti & pudici usus conjugii, tum maxime ob charitatem, qua infidelis suscipitur sub spe conversionis; fit enim, ut non tantum proles in Christo educentur, sed sæpius etiam ipsemet ad Dominum convertatur, & baptisma suscipiat. Unde & pro 2. ratione, cur fidelis benè faciat retinere infidelem, si nimirum absit periculum, & spes aliqua conver-
fionis affulgeat, subjungit v. 16. *Unde enim* Vers. 16.
scis mulier, si virum salvum facies: aut unde scis vir, si mulierem salvam facies: q. d. quamdiu res desperata non est, charitas exhibenda est, & uxor aut maritus infidelis retineri debent, spe futuræ conversionis.

Si nolit cohabitare &c. licitum est divortiũ etiã quoad vinculum.

3. Casu quo infidelis nolit fideli cohabitare permittit Apostolus fideli divortium, non tantùm quoad thorum, sed etiam quoad vinculum, ita ut non possit alteri nubere. Ita v. 15.
Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi: q. d. Si beneficio Matrimonii prius initi gaudere per pacificam & modestam habitationem infidelis non velit, & discedat, ita quidem dis- Vers. 15.
cedere potest, ut tamen servitus in vincula matrimonii fratrem aut sororem fidelem non ligent, quin ad alias nuptias transire possit. Hoc est enim *fratrẽ & sororem nõ esse subjectum servituti in hujusmodi.* Cujus rationem addit:
quia *in pace vocavit nos Deus*; q. d. Vocatio Ibid.
Christiana est ad pacem & animorum conciliationem, quæ est bonũ & finis matrimonii, quam dissipat infidelis nolens Catholico conjugi cohabitare, ob ejus ad fidem conversionem.

Porrò S. August. l. 1. de serm. Domini in S. August.
monte cap. 16. supradictæ expositioni consentit, ubi primò illa verba: *Nam cæteris ego dico, non Dominus* &c. sic explicat: *Quid sibi ergo vult quod ait. Cæteris? nisi quia superius eis loquebatur, qui sic copulati erant, ut pariter in fide Christi essent*: Cæteris *verò nunc dicit, id est, iis, qui sic copulati sunt, ut non ambo fideles sint.* Deinum ostendit patenter fidelem per conversionem ad fidem liberari à vinculo matrimonii cum infideli, virtute baptismi; quia verba Apostoli de retentione conjugis infidelis, verba sunt consilii, tanquam de opere castitatis meliori, non autem præcepti, sic autem loquitur: *Sed quid eis dicit? si quis frater habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: Et si qua mulier habet virum infidelem & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum.* Et explicans verba illa, *Cæteris dico ego, non Dominus: Si ergo non præcipit ex Domini persona, sed ex sua persona monet, ita hoc est bonum, ut si quis aliter fecerit non sit præcepti transgressor: sicut de virginibus paulò pòst dicit, præceptum Domini se nõ habere; consilium autem dare &c.* Infrà: *Aliud est enim quod jubetur, aliud quod monetur, aliud quod ignoscitur: Jubetur mulier à viro nõ discedere: quod si discesserit manere innuptam, aut*

viro

viro suo reconciliari: aliter ergo non licet facere. Monetur autem vir fidelis, si habet uxorem infidelem consentientem secum habitare, non eam dimittere: licet ergo & dimittere, quia non est præceptum Domini ne dimittat, sed consilium Apostoli, sicut monetur virgo non nubere: sed si nupserit, consilium quidem non tenebit, sed contra præceptum non faciet. Ignoscitur, cùm dicitur: Hoc autem dico secundùm veniam non secundùm imperium. Infra: Dominus permisit causâ fornicationis uxorem dimitti: sed quia permisit non jussit, dedit locum Apostolo monendi; ut qui voluerit, non dimittat uxorem infidelem quæ sic fortassis possit fieri fidelis. Sanctificatus est enim (inquit) vir infidelis in uxore fideli; & sanctificata est mulier infidelis in fratre fideli. Credo jam provenerat, ut nonnullæ feminæ per viros fideles, & viri per uxores fideles in fidem venirent: & quamvis non dicens nomina, exemplis tamen exhortatus est ad confirmandum consilium suum. Deinde sequitur: Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt, (quod explicans) Jam enim erant parvuli Christiani, qui sive auctore uno ex parentibus, sive utroque consentiente sanctificati erant quod non fieret, si uno credente dissociaretur Conjugium, & non tolleraretur infidelitas conjugis usque ad opportunitatem credendi. Hæc S. August.

CONCLUSIO III.

Matrimonium unde & cur, altero conjugum converso fit dissolabile

Dissolubilitas matrimonii, altero conjugum converso ad fidem, inducta est dispositione, sive dispensatione divina, in favorem fidei. Hæc dispensatio sive dispositio divina colligitur ex textu Apostoli suprà allegato: Non enim servituti subjectus est frater aut soror in hujusmodi, id est, non est alligatus indissolubili servituti, sive Matrimonii talis vinculo indissolubili. Sic explicat S. Aug. epist. 89. ad Hilarium ubi explicans illa verba Apostoli: Quod
1. Cor. 7. 15. si infidelis discedit, discedat, non est enim servituti subjectus &c. Id est, inquit, si infidelis noluerit esse cum conjuge fideli, hic agnoscat fidelis
S. Aug. suam libertatem ne ita se subjectum deputet servituti, ne ipsam dimittat fidem, ut conjugem amittat infidelem &c.

Signum verò dispensationis hujus divinæ
Luc. 14. 26. in indissolubilitate matrimonii, ut contractus naturalis est, sumunt nonnulli ex illo Lucæ 14. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem, & uxorem, & filios &c. non potest meus esse discipulus. Unde S. Aug. suprà ad Hi-
Matt. 19. 21. larium, ob propositis scripturis Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade vende quæ habes, & da
Marci 10. 29. pauperibus. Item Marci 10. Nemo est qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores &c. propter
Vers. 30. me, &c. qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc &c. & in sæculo futuro vitam æter-
S. Aug. num. Aliud est (ait) reliquerit, aliud vendiderit: nã & in iis quæ relinquenda mandavit, etiã uxor commemorata est, quam nullis humanis legibus licet vendere, Christi autem legibus nec dimittere, excepta causâ fornicationis. Quid sibi ergo volunt ista præcepta? Non enim possunt inter se esse contraria, nisi quia incurrit aliquando necessitatis articulus, ubi aut uxor dimittatur aut Christus. Ut alia omittam, si ipsi uxori maritus displicuerit Christianus, eique proposuerit aut a se divortium aut à Christo: hic ille quid eligat nisi Christum, & dimittat uxorem laudabiliter propter Christum: Ambobus quippe Christianis Dominus præcepit, neque quisquam dimittat uxorem excepta causa fornicationis, ubi autem qualibet ex eis persona infidelis est, consilium Apostoli attenditur: ut si infidelis consentit habitare cum viro fideli, vir non dimittat uxorem, similiter & uxor fidelis virum si cum illa habitare consenserit. Quod si infidelis discedit, discedat &c. quæ prosequitur ut suprà.

Ex quibus verbis colligitur: Ea ratione permitti à Deo divortium, quando alterutrum conjugum convertitur ad fidem; si fidelis cohabitans cum infideli patiatur periculum aut dispendium fidei & salutis ex hujusmodi cohabitatione, & nulla sit spes conversionis ipsius infidelis.

Hoc clariùs explicat idem S. Aug. l. contra S. Aug. Adimantium c. 3. Quamvis (ait) dominus dederit uxorem viro, relinquenda est tamen, si opus est propter regnum cœlorum. Non enim in hoc semper necesse est, sicut Apostolus dicit: Si quis fidelis habet uxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat eam: significat utique quòd si non consentit habitare cum illo, id est, si exsecratur in illo fidem Christi; & non eum patitur quod Christianus est, relinquenda est propter regnum cœlorum: Sicut idem Apostolus in sequentibus dicit: Quòd si infidelis discedit, discedat: non est enim subjectus servituti frater aut soror in hujusmodi &c.

Advertendum autem est: Augustinum non raro comparare ad invicem fornicationem & infidelitatem, quam vocat fornicationem spiritualem: unde infert eadẽ ratione qua permissum est dimittere uxorem fornicationis corporalis causa; ita ob infidelitatem, quæ est fornicatio spiritualis. Vide Aug. l. 1. de serm. Domini c. 16. ubi cùm retulit præceptum Domini esse, ut non dimittatur uxor, nisi fornicationis causa, subdit: Idololatria, quã sequuntur infideles, aut qualibet noxia superstitio, fornicatio est.

Dices: Qui dimittit uxorem suam, causa fornicationis corporalis, decernente Christo non potest aliam ducere: Ergò similiter qui causâ fornicationis spiritualis sive infidelitatis uxorem dimiserit, non poterit aliam ducere: hæc enim à S. Aug. ad invicem comparantur, & consequenter de divortio quoad thorum tantùm intelligenda sunt.

Respondeo: Hic distinguendum inter tempora dimissionis uxorum, nimirum ante legem gratiæ, & sub lege, sive post legem Gratiæ. Ante legem enim Gratiæ apud Hebræos, cùm uxores ab eis dimittebantur, dabatur libellus repudii, & matrimonium etiam quoad vinculum dissolvebatur, sicut & modo adhuc apud Hebræos perseverat. Apud Gentiles etiam dimissio uxorum supponebatur

potestatem utrique alteri nubendi, ut testatur ipsemet S. Aug. l. de bono Conjugali c. 8. his verbis: *Cæterum aliter se habere jura Gentilium quis ignorat? ubi interposito repudio, sine reatu aliquo ultionis humanæ, & illa cui voluerit nubit, & ille quam voluerit ducit? Cui consuetudini simile aliquid propter Israeliticam duritiam videtur permisisse Moyses* &c. At sub lege Gratiæ Christo decernente ista libertas à fidelium Matrimonio sublata est, & quamvis uxorum dimissio, propter fornicationem, quoad thorum sit permissa; non tamen quoad vinculum. Ad S. Augustinum itaque dico: Comparationem ab eo fieri inter matrimonia & dimissionem uxorum ante sive extra Gratiæ Legem, quia apud S. Paulum agitur de matrimonio infidelium, quando unus eorum convertitur ad fidem: quo tempore cùm matrimonia Sacramenta non essent, divortia & dimissiones uxorum vel virorum etiam quoad vinculum fiebant, ut constat in lege Moysi de libello repudii, & nos aliàs docuimus Matrimonia in infidelitate contracta potuisse aliquando etiã quo ad vinculum dissolvi eadem ratione, quia sacramenta non erant. Verba igitur Christi quoad dimissionem de matrimonio sub lege nova Gratiæ intelligenda sunt, quæ vere sunt sacramenta, & consequenter omni modo indissolubilia, non de matrimoniis contractis in statu infidelitatis, vel ante legem novam, quæ utroque modo rectis casibus dissolvebantur, unde fit

S. Aug.

CONCLUSIO IV.

Si alteruter fideliũ innova lege post initum matrimonium fiat infidelis non potest solvi quoad vinculum.

Matrimonio inter virum & feminam fideles in nova lege contracto, si alteruter in infidelitatem incidat, non est dissolubile quoad vinculum.

Ratio est: Quia Sacramenti rationem veram habet, & in eo lex Evangelica Christi vim habet: *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; libertas enim, sive potestas dissolutionis Vinculi matrimonialis, concessa est tantum pro matrimonio inter infideles ante baptismum contracto, quando alteruter ad fidem cõvertitur.

Matth. 19. 6.

CONCLUSIO V.

Alterutro conjugum ad fidem converso, si infidelis consentiat habitare cum fideli in pace, quiete fidelitate conjugii, absque periculo fidelis vel familia, aut contumelia Dei, peccat interdum mortaliter fidelis se separans ab eo, etsi factum postea divortium etiam quoad ad vinculum sit validum.

Ratio petenda est ex obligatione & ordine charitatis, quia cum illa sit vera uxor, & ad uxoris munia debita sit parata, absq; aliquo periculo vel contumelia Dei, tenetur vir illius salutem procurare, vel eius saluti providere: Constat autem ex textu Apostoli cohabitationem infidelis conjugis cum fideli esse sæpè causam conversionis illius ad fidem dicente Apostolo *salvabitur mulier infidelis per virum fidelem*, & e contrà. Et quamvis non sit omnimoda certitudo conversionis, ad hanc tamen charitatem exhibendam videtur fidelis teneri: *Unde enim* (ait) *scis mulier si virum salvum facies? aut unde scis vir, si mulierem salvã facies?* &c. q. d. idcircò non dimittas, si consentiat habitare; & ideò totum refert in vocationem Dei secretam & gratiarum divisionem, si fortè ex cohabitatione Deus sumat occasionem conversionis; unde subdit: *nisi unicuique sicut divisit Dominus, unumquemque sicut vocat Deus, ita ambulet.*

1. Cor. 7. 16.

Ibid. 17.

Dixi (*absque periculo, aut contumelia Dei*) si enim periculum aliquod subsit, vel divini nominis contumelia, ad hoc opus charitatis fidelis conjux non tenetur.

Dices: Cohabitationem vel continuationem Matrimonii tantum suadet Apostolus, alterutro converso ad fidem, sub consilio, & nõ sub præcepto, dicit enim, *Cæteris ego dico, non Dominus* &c. Atqui nemo tenetur ad consilium sub peccato mortali; Ergo nec tenetur ullo unquam casu conjux fidelis, post conversionem ad fidem, cohabitare conjugi infideli.

Respondeo: Negando consequentiam. Ad duas antecedentes dico: Consilium dupliciter considerari posse, materialiter scilicet & formaliter. Materialiter considerari consilium dicitur, quando ipsa materia substrata verè obligatoria non est, sed tantùm ut bona consulitur; sic virginitas dicitur materia consilii, quia per se consulitur tanquam bona, nec per se obligat. Formaliter consilium consideratur, quando etsi materia ejus sit obligatoria, non imponitur tamen sub obligatione præcepti ex parte consulentis, sed tantum sub consilio: ex. g. Consulit Confessarius pœnitenti, ut aliquam conversationem vitet, in qua est proximum periculum peccandi mortaliter, ex parte quidem materiæ res obligatoria est, & pœnitens peccat mortaliter, si conversationem hujusmodi non vitet; ex parte tamen consulentis sive Confessarii non est nisi consilium, & non præceptum, adeoque eo titulo non peccabit. Unde in præsenti casu, non dimittere conjugem infidelem altero ad fidem converso, ex parte Apostoli formaliter consilium tantùm est, adeoq; isto respectu, si dimittatur, peccatum non est: si tamen anima conjugis infidelis ex hac dimissione pereat, vel impediatur salus & conversio ejus qui illam dimittit, contra charitatem, ad quam naturali saltem fide Matrimonii obligatur, juxta modum causæ vel obligationis peccare mortaliter censebitur. Unde dixi in Conclusione (*peccare interdum mortaliter*) quia ob magnam dubietatem & alias circumstantias fieri potest, ut conjux fidelis dimittens uxorem infidelem vel non peccet, vel tantùm venialiter peccet.

Nec obstat quòd Apostolus dicat: *Ego dico, non dominus*, quasi omne præceptum Domini absit; intelligenda enim sunt verba in materia dumtaxat Matrimonii, de qua erat sermo

1. Cor. 7. 12. Dico ego

non Dominus, sermo q.d. non est præceptum Domini de non dimittenda uxore infideli, dum vir convertitur ad fidem, imò privilegium ut possit dimitti; consulo tamen ego, ut quando conjux infidelis consentit habitare cum converso fideli, & aliunde periculum nullum est, ut non dimittat eam, quia opus bonum & charitatis est, & occasio salutis, ad quod potest fieri ut charitatis præcepto obligetur ratione futuræ conversionis.

CONCLUSIO ULTIMA ET PRINCIPALIS.

Quo jure disparitas cultus facta sit impedimentum dirimens &c. & qualiter.

Iure Ecclesiastico antiquo, jure divino & Apostolico conformi, Disparitas cultus factum est impedimentum matrimonium contrahendum impediens, & dirimens contractum si nimirum disparitas matrimonium antecedat.

Dixi (*jure Ecclesiastico*) etsi enim jure divino & Apostolico talia matrimonia fuerint semper ratione periculorum & peccatorum, ac indecentiæ prohibita, non tamen irrita, quin potius facta tenebant, ut ex antiquis Historiis constat, & ex matrimonio S. Monicæ, quæ virum infidelem duxerat, inspiratione sine dubio divina, ad viri conversionem. Et hanc doctrinam habet S. August. l. 1. de adulterinis Conjug. c. 25. *Non enim* (inquit) *tempore revelati testamenti novi, in Evangelio, vel ullis Apostolicis litteris, sine ambiguitate declaratum esse recolo: utrum Dominus prohibuerit fideles cum infidelibus jungi: Quamvis beatissimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis constituat jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id esse dicat prostituere Gentilibus membra Christi.* Ex quibus verbis constat Divino jure matrimonia illa non fuisse prohibita tamquam irrita & invalida, sed tantum tamquam illicita. Ecclesiastico itaque jure hoc impedimentum inductum est; sed quando?

S. Aug.

Dixi (*antiquo*) neque enim singulariter determinari potest tempus, quo hoc impedimentum fuerit introductum. Et quidem Cardinalis Bellarm. l. 1. de Matrim. cap. 23. propos. 3. opinatur tantùm à quadringentis & quadraginta annis fuisse introductum: Ego vero cum aliis multis credo multò antiquius esse: Ducor, quia in Concilio Nicæno Generali I. can. 67. illius impedimenti non obscura fit mentio his verbis: *Quæcumque mulier fidelis viro infideli nupserit, ipsa ex ecclesia ejiciatur: quæ si pœnitentiam egerit malefici, & eum virum quem habere non poterat, id est infidelem, dimiserit, non est recipienda nisi eo modo quo recipitur, qui postquam fidem negavit ad fidem revertitur, debetque ipsa infidelem relinquere.* Ubi notanda sunt verba (*Eum virum quem habere non poterat; id est infidelem dimiserit* (item) *debetq; ipsa infidelē relinquere*) quæ sonant irritationem, & invaliditatem matrimonii, & dimissionem quoad vinculum. Clarè Theodorus Balsamon à Basilio Pontio l. 7. de matrim. c. 47. citatus scribens super Can. 72. sextæ Synodi in Trullo: *Lex* (ait) *civilis definit Matrimonium; societatem & communionem divini & humani* *juris: Hinc ergo consequenter sancti Patres decernunt jure matrimonii non esse conjungendum virum fidelem mulieri infideli, vel mulierem viro infideli, sed & siquid hujusmodi factū fuerit, divellendum ac separandum esse matrimonium, ut quod consistere non possit.* Concilia antiqua non cito, quia etsi apertissima illa matrimonia improbent ut illicita, & disjungenda, tamen à multis explicantur tantùm quoad thorum.

Concil. Nicænū.

Dixi (*juri Divino & Apostolico cōformi*) quia etsi jus divinum & Apostolicum aperte non declaret hujusmodi matrimonia irrita, ex eo tamen quod illa prohibeat, conformiter ecclesia ex præceptis prohibitivis formavit impedimentum irritans & dirimens. Magnam autem conformitatem habet hoc impedimentum cum loco Pauli 2. ad Chorinth. 6. *Nolite jugū ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitia cum iniquitate? aut quæ societas luci ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli?* q.d. nulla & 1. ad Cor. 7. *mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit quod si dormierit vir ejus, liberata est cui vult nubat tantùm in Domino;* quod Tertull. l. 2 ad uxorem sic explicat: *In nomine Domini, quod est indubitate Christiano.*

2. Cor. 6. 14.

Vers. 15.

1. Cor. 7. 39.

Tertull.

Dixi (*si nimirum Disparitas matrimonium antecedat*) si enim infidelitas, sive disparitas post matrimonium eveniat, ut cum post matrimoniū inter fideles contractū alter incidit in infidelitatē; in hoc casu disparitas matrimoniū non dissolvitur Concl. 4. suprà dictum est.

Quærunt hîc aliqui: An matrimonium fidelis cum infideli, juxta leges veri matrimonii celebratum, fuerit aliquando verum Sacramentum; tempore scilicet quo necdum disparitas Cultus erat declarata impedimentum irritans & dirimens? Et Respondent quidam affirmativè: modo intenderit infidelis contrahere & inire matrimonium, quale à Christō in Ecclesia institutum est.

An matrimoniū fidelis cū infideli āte introductionē hujus impedimēti, fuerit verū sacramentum.

Respondeo nihilominus nūquam fuisse verum sacramentum, etsi potuerit esse verum matrimonium. Ratio est, quia sacramentum matrimonii non est unius sed duarum personarum æqualiter concurrentium, afficitque ratio sacramenti ipsum vinculum, quatenus inter personas capaces cōtrahitur: constat autē infidelem ante baptismum non esse capacem sacramenti, cùm baptismus sit janua sacramentorum, nec fidelis solus rationis illius sacramenti, quod mutuum viculum includit, capax est ob ipsius naturam & essentiam.

Petes: Quid si, infidelis convertatur ad fidem, & posteà baptizetur? Respondeo, rationem sacramenti non consurgere, nisi consensum & contractum matrimonialem juxta Leges necessarias Ecclesiæ renovent; eo enim posito ratio sacramenti consurgit; aliàs fidelis cum infideli contrahens, & remanens in priori matrimonio, in uno & legitimo matrimonio, quale anteà fuit, remanere censetur; non tamen in matrimonio Sacramento. Unde arbitror conjugem non baptizatum in infidelitate remanentem, & cum fideli in

Matrimo-

matrimonio perseverantem : si posteà dissentiat, aut scandalo & peccati periculo afferri vel familiaris sit, quocumque tempore posse dimitti, juxta doctrinam apostolicam supra relatam. Ratio mea est, quia non fuit eorum matrimonium per conversionem infidelis ad fidem renovatum, aut ad quasi strictiori obligatione & vinculo confirmatum, sed tantum ut prius erat continuatum.

QUÆSTIO III.

An sit eadem ratio matrimonii fidelis cum Judæo, sicut cum infideli?

An Judæus comprehendatur sub nomine infidelis.

RAtio dubitandi est : Quia apud Paulum ubi supra ; cum agitur de matrimonio fidelis cum infideli , nomen infidelis videtur supponere pro Gentili : Judæi autem ratione cultus unius Dei habebantur pro fidelibus ; & constituebant populum Dei , ut ex scripturis passim constat ; unde non videntur sub Apostolica doctrina contineri, ac consequenter Judæo converso ad Christum no[illegible]cuisse alterum conjugem in Judaismo [illegible]nentem dimittere: quia Judæi communiter non tam ab infidelitate converrebantur , quàm à fide sub umbris & figuris velata ad veritatem Christi, & à lege veteri ad novam per fidem & baptismum.

CONCLUSIO I.

Judæo baptizato sicut nec cuilibet fideli licuit cōtrahere matrimonium cum Judæa antè con trà : post sufficientem promulgationem legis novæ &c.

LEge nova sufficienter promulgata , & Ecclesia stabilita non licuit Judæo baptizato sive cuilibet fideli contrahere matrimonium cum Judæa non baptizata, vel è contra.

Ratio sumenda est à periculo contaminationis vel perversionis; sive peccatorum , quæ talia matrimonia concomitantur aut consequuntur. De quibus conc. 1. quæst. præced. Est enim majus periculum seductionis conjugis fidelis à conjuge Judæa sive Judæo, quàm ab infideli, ob pertinaciam & Religionis Judaicæ superstitionem. Unde in omnibus antiquis Canonibus prohibentibus matrimonia tamquam illicita fidelis cum infideli, vel cohabitationem fidelis cum infideli, ferè semper tria hominum genera simul exprimuntur, & in prohibitionibus junguntur, nimirum p[illegible]ganus cum fideli vel è contrà; fidelis cum hæretica, vel è contrà; & fidelis cum Judæa, vel è contrà; quibus etiam adduntur interdum schismatici. Unde Concil. Calced. act. 15. can. 14 *Neque (ait) copulari debet nuptura hæretico aut Judæo vel pagano , nisi fortè persona orthodoxa copulāda promittat se ad orthodoxam fidem trāsferre. Si quis hanc diffinitionem S Synodi transgressus fuerit , corruptioni canonicæ subjacebit.* Similia leguntur in Conc. Carthag. 3. cap. 12. Et Nicænum antiquissimum can. 53 adfert rationem sui Decreti , dum postquam determinavit, ut *Christiani uxorem ducant ex quacumq; generatione modo ad fidem veniant,* subjungit: *Sed non debēt Christiani filias suas nuptui dare infidelibus, ne ad errorem maritorum pervertantur, & fiant vel Judæa vel Gentiles , propter infirmitatem, & qui non paruerit à Synodo excommunicatur.* Conformiter S Ambr l. 1. de Abraham c. 9. *Cave (inquit) Christiane Gentilem aut Judæam atq; alienigenā, hoc est hæreticam : & omnem alienam à fide tua , uxorem accersas tibi.* Cui concordat S. Aug. l. de fide & oper. c. 19. *omni modo (ait) conandum est , ne fiant tales conjunctiones : quod enim opus est in tantum discrimen ambiguitatis caput mittere ?*

S. Ambr.

S. August.

CONCLUSIO II.

Altero conjugum Judæorum ad fidem converso pot est solvi matrimonium etiā quoad vinculum.

IUdæo cum Judæa Matrimonio junctis si alteruter ad Catholicam fidem convertatur potest conversus dimittere conjugem, matrimonio etiam quoad vinculū dissoluto prout de infidelibus quæstione superiore ex doctrina apostolica explicatum est.

Ratio est: Quia omnia quæ de conjugio infidelium, altero ad fidem converso dicta sunt, eadem ratione de Judæo ad fidem converso concluduntur, sive quoad naturam matrimonii, cum illis non fuerit Sacramentum verum, sive quoad rationem periculorum &c. quorum evitandorum gratia, dispēsatio sive dispositio divina intervenire colligitur.

Ad rationem autem dubitādi respondetur: Promulgata lege nova & stabilitā ecclesia, Judæos vere infideles esse, & reputari. & quāvis interdum juxta materiam de qua S. Paulus loquitur, videatur Gentiles sub nomine infidelium à Judæis distinguere; ubi tamen universalis est locutio Judæi communiter sub infidelibus comprehenduntur. Unde ad Rom. 3. *Causati enim sumus Judæos & Græcos omnes sub peccato esse.* nimirum infidelitatis , juxta illud c. 11. *Cōclusit enim Deus omnia in incredulitate ut omnium misereatur.* Et iterum ad Tit. 1. generaliter con ludens Judæos cum Gentilibus : *Omnia (inquit) munda mundis : coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum.*

Rom. 3. 9.

c. 11. 32.

Tit. 1. 15.

CONCLUSIO III.

Quo jure disparitas cultus dirimat matrimoniū Christiani fidelis cū Judæa & è contra.

JUra Ecclesiastico , Divino & Apostolico juri conformi. Disparitas Cultus est impedimentum dirimens Matrimonium fidelis Christiani cum Judæa, & è contrà. Vide quæ diximus Conclusione ultima & principali quæstionis superioris; omnia enim, quæ ibi dicta sunt de matrimonio Christiani cum infideli, concludunt de matrimonio cum Judæa , & è contrà, nec est opus illa hic repetere.

* * *
* * * *

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

An Matrimonium catholici cum hæretica sit validum?

Concilia, Patres & Scripturæ videntur comprehendere sub nomine infidelis.

Ratio dubitandi est: Quia laborare videntur ad invicem *Disparitate Cultus*, quæ est impedimentum dirimens, & alias Concilia & Patres, imò & scripturæ, videntur hæreticos comprehendere sub nomine infidelis & æquiparare Gentilibus & Paganis. Pro Resolutione accurata hujus quæstionis.

Advertendum est 1. Hominem hæreticum supponere in se baptismum, & consequenter baptismalem characterem indelebilem, cujus virtute censetur incorporatus populo Christiano, & sub potestate Ecclesiæ Dei constitutus.

Advertendum 2. Hæreticum ex vi baptismi & characteris baptismalis (etsi actu infidelis sit) obligari ad fidem Christi & leges Ecclesiæ, specialiter autem ad leges Sacramentorum: ita ut ad eas per Ecclesiam cogi possit. Vide nostrum Alphonsum à Castro de justa hæreticorum punitione. Vide etiam S. August. epist. 127. ad Donatum proconsulem Aphricæ, ubi monet Proconsulem, ut quamvis in hæreticos animadvertat, abstineat tamen ab eorum nece & occisione. *Quæsumus igitur* (inquit) *ut cùm Ecclesiæ causas audis, quamlibet nefariis injuriis appetitam vel afflictā esse cognoveris, potestatem occidendi te habere obliviscaris.*

Ratio verò hujus obligationis est, quia in baptismo se juramento, & voto Christo obligarunt hæretici, & consequenter Ecclesiæ, quæ est corpus & respublica Christi. Unde

Mat. 18. 17 Matth. 18. Qui *Ecclesiam non audierit* reputatur *sicut ethnicus & publicanus.* Nec obstat, quod ab ecclesia ejecti sint; ejectio enim illa, non rescissio à corpore, sed à communione & vita corporis est. Nam & teste S. Au-

S. Aug. gust. l. 18. de Civit. Dei cap. 51. ipsi quoquo modo Christiani appellantur: & l. qq. Evang. secundum Matth. q. 11. *Inter hæreticos* (inquit) *& malè catholicos hoc inter est quòd hæretici falsa credunt: illi autē vera credentes non vivunt ita ut credunt: Solet autem etiam quæri, schismatici quid ab hæreticis distent? Et hoc inveniri, quòd schismaticos non fides diversa faciat, sed communionis disrupta societas.* Et post pauca, *Nec tamen consequens est, ut omnis hæreticus vel schismaticus corporaliter ab Ecclesia separetur &c.*

Advertendum 3. Quoad materiam præsentem, hæreticos specialiter subjici legibus Sacramentorum; ita ut si attentent in Sacramentorum administratione aliquid contra essentiam Sacramenti, prout à Christo instituta & ab ecclesia declarata est, nihil faciant, nec Sacramentum teneat. Unde & tenentur in ratione Matrimonii (quod reverà in Ecclesia Dei Sacramentum est) ad leges matrimonii essentiales, in ecclesia ubique receptas, & communi usu firmatas, atque ad contractum Matrimonii, validum requisitas; ita ut si cum impedimento dirimente contrahant, matrimonium eorum, prout à Christo in ecclesia institutū sive elevatum est, non subsistat.

Dixi (ad leges matrimonii essentiales, & ad contractum matrimonii validum requisitas) sunt enim quædam leges accessoriæ, quæ ad ceremoniam tantum aut solemnitatem pertinent, & quæ variæ apud varios reperiuntur, quæ cùm matrimonium non invalident, illarum prævaricatio inter hæreticos toleratur, cum facilè remedium adhiberi nequeat.

Dixi (receptas & communi usu firmatas,) Quid autem requiratur, ut leges receptæ, & usu communi firmatæ sive approbatæ sint, infrà dicemus. Repetenda etiam hic sunt, quæ in doctrina fundamentali ad quæstionem 1. à nobis annotata sunt. His sic prænotatis pono conclusiones sequentes.

CONCLUSIO I.

Matrimonia hæreticorum servatis legibus essentialib. sunt vera & sacramenta.

Matrimonia inter hæreticos conjuges inita servatis legibus Christi & Ecclesiæ catholicæ sunt non tantum vera matrimonia sed etiam Sacramenta.

Ratio mea est: Quia constant omnibus essentialibus non tantum ad contractum matrimonii, ut contractus naturalis est à Deo institutus, sed etiam omnibus ad Rationem Sacramenti in lege nova, ut supponitur, requisitis; & ipsi etiam charactere baptismali insigniti sunt, quibus omnibus stantibus nihil deest ad Sacramenti rationem.

Dices: Hæretici ut plurimum negant matrimonium esse Sacramentum: Ergo non contrahunt illud in ratione Sacramenti. Consequentiam probo: Quia ad rationem Sacramenti requiritur saltem virtualis intentio illud suscipiendi, sive etiam conficiendi; quomodo verò illam intentionem habere dicendi sunt, qui nec posse se conficere credunt, nec illud, ut Sacramentum, suscipere intendunt? Respondeo: Dupliciter poss. intendi matrimonium. 1. Specificative, sub speciali ratione Sacramenti, quomodo Catholici illud intendere censentur, cùm matrimonium Sacramentum esse profiteantur. 2. Generaliter, quatenus matrimonium est contractus validus, in Lege nova à principio apud Christianos usitatus, & à Christo probatus. Dico itaque priorem intentionem specificam non esse de necessitate Sacramenti, sive matrimonii, ut Sacramentum est, nec ad talem intentionem Conjuges Christianos teneri; sed posteriorem Intentionem generalem sufficere, nimirum tale matrimonium contrahendi, quale à Christo in lege nova probatum est: sicut enim illud, non obstante quolibet errore in intellectu, ex Christi institutione verè est Sacramentum, sic, adhibitis omnibus requisitis, intentio generalis supradicta ad illius, ut Sacramentum est, susceptionem & valorem in conjugibus sufficit: nec error in intellectu Sacramenti rationem tollere potest; quia error

in

in intellectu, & intentio in facto disparata sunt, & se invicem in eodem compatiuntur. Explico Exemplo.

Exemplificatur. Si infidelis qui de facto fidem baptismatis non habet, sed baptismum inutilem ceremoniam esse opinatur, inductus ab aliquo puerum baptizet, intendens facere quod Christiani faciunt, non obstante errore illo, si materiam & formam baptismi adhibeat, vere baptizat. Item, Sacerdos Catholicus in hæresim lapsus contra veritatem corporis Christi in Sacramento Eucharistiæ; si, 1. qua occasione, accepto pane, pronuntians verba consecrationis intendat facere quod Christus fecit, etsi credat Christum non transubstantiasse panem in corpus suum, verè tamen efficit corpus Christi, veréque consecrat, non obstante illo errore: Sic in praxi matrimoniali, Hæretici, legibus Christi & Ecclesiæ catholicæ servatis, Matrimonium contrahentes, etsi non credant matrimonium esse sacramentum, quia tamen ex supposito intendunt contrahere matrimonium, quod & quale Christus in Ecclesia approbavit (quod est verè ex Christi institutione sacramentum) verè matrimonium, ut est sacramentum, ineunt: Error enim intellectus, cùm ab intentione facti sit disparatus, intentionem non destruit, ut jam sæpe repetitum est.

Ex quibus infero 1. Matrimonia inter hæreticos, servatis legibus Christi & Ecclesiæ, contracta, esse per se in dissolubilitate vinculi indissolubilia, sive uterque, sive alter eorum posteà ad fidem convertatur. Ratio est, quia ut diximus talia matrimonia sunt vera sacramenta.

Infero 2. matrimonia hæreticorum in Anglia, Germania, & locis, ubi Concil. Trid. promulgatum ac receptum non fuit, absque Parocho contracta, si cætera ad matrimonium Christianum requisita servata fuerint, Sacramenta vera esse. Ratio est, quia præsentia Parochi ante Concil. Trid. ad valorem Sacramenti non erat necessaria. Qualiter verò post Concil. Trid in locis, ubi promulgatum est, necessaria sit præsentia Parochi, posteà dicemus.

Conclusio II.

Catholicus cum hæretica, vel è contrà esto illicitè, tamen validè contrahit si serventur leges essentiales &c.

MAtrimonium catholici cum hæretica, vel è contrà hæretici cum catholica, servatis legibus Christi & Ecclesiæ, etsi illicitum sit, est tamen validum.

Ratio est: Quia tales à fundamento non sunt disparis Cultus, cùm uterque baptizatus sit; uterque Christo per baptismum incorporatus; uterque ejusdem fidei obligatione teneatur ex baptismo, etsi quoad factum alter hæresis maculam incurrit, &, ut supponitur, catholicis legibus ad matrimonii valorem necessariis matrimonium inierint.

Dixi (*etsi illicitum sit*) illicitum enim probant Ecclesiæ Canones, conformiter ad Apostolicam doctrinam, ob periculum subversionis, & impedimenta salutis.

Conclusio III.

Si non serventur, etiam invalide contrahit, & cur.

MAtrimonium catholici cum hæretica, si leges ab Ecclesia necessariò requisitæ in contractu observatæ non fuerint, est in foro Ecclesiæ invalidum & nullum, non ratione Disparitatis Cultus, sed ob defectum alicujus conditionis lege divina vel Ecclesiastica requisitæ, sive impedimenti dirimentis concurrentis. Porrò impedimenta illa debent attendi juxta ea quæ in his titulis de impedimentis tractatur; potest enim fieri quòd apud hæreticos vel gradus omnes Cognationes prohibiti vel non observentur, vel ratio Cognationis spiritualis non habeatur: ordinariè autem deficit conditio Parochi etiam in locis, in quibus Concil. Trid. promulgatum est.

Conclusio IV.

Matrimonii hæreticorum, in quibus non servantur leges Ecclesiæ &c. an sint legitima.

MAtrimonium hæreticorum quæ juxta leges naturæ & divinas positivas ac civiles contrahuntur Contractus naturales & civiles sunt, ac intra suam politiam legitima Matrimonia, sacramenta tamen non sunt.

Ratio est: Quia verè sub legitimis legibus supponuntur contracta, adeoque primævam Matrimonii naturam sequuntur, ut de Matrimoniis infidelium superiùs diximus.

Dixi (*Matrimonia hæreticorum*) qui nimirum jam extra Ecclesiam facti sunt, & legibus Ecclesiæ se subduxerunt: etsi enim tales Ecclesiæ ratione baptismatis subjecti sint, & regi per Ecclesiam possint, quamdiu tamen non reguntur, sed schismate & infidelitate separati sunt, censentur illo tempore actu ab Ecclesiæ humanis & positivis legibus liberi, sive in ignorantiam invincibilem suæ obligationis, sive in conscientiæ erroneæ dictamen, sive in dissimulationem Ecclesiæ illam libertatem quis referat; quo posito ad jura naturæ & positiva divina ac politica revertantur, necesse est, ad tollendam universalem orbis confusionem. Unde & Pia Mater Ecclesia, etsi illa ut Sacramenta non admittat, illa tamen non damnat, sed & conversos ab hæresi in matrimoniis suis relinquit, etsi ad sacramenti rationem interdum piis suasionibus inducat. Signanter autem matrimonia hæreticorum notantur; si enim alteruter catholicus sit, & non servatis legibus Ecclesiæ contrahat, nec contractus quidem matrimonialis validus est, quia fidelis juxta Ecclesiæ statuta & leges ad invalidum contractum requisitis contrahere debet, quod, ut supponitur, hic non fit.

Dixi (*quæ juxta leges naturæ, & Divinas positivas ac civiles contrahuntur*) si enim ratione hæreseos, aut aliàs, illas leges hæretici in suis connubiis prævaricentur, de facto legitima Matrimonia non sunt, sed meræ fornicationes, & velata adulteria, ex. g. si intra gradus legibus communibus prohibitos: si inter voto solemni adstrictos: si inter alienos conjuges

juges &c. Matrimonia celebrentur. Hîc enim Advertendum est, omnia fere impedimenta matrimonii, quæ ab Ecclesia recipiuntur, paucis exceptis, non tantùm per canones Ecclesiasticos, sed etiam per leges civiles Imperatorum, Regum, &c. recepta esse, unde & illis hæretici se conformare tenentur.

Dixi (*Contractus naturales & civiles sunt, ac intra suam politiam legitima matrimonia*) Illa enim alias diximus vocari legitima Matrimonia, quæ legitimis legibus contrahuntur, id est, quæ legibus certis & justis, quæ nimirum naturæ honestati & legitimæ propagationi non adversantur. Et distinximus matrimonii legitimum a rato; quòd legitimum secundùm leges contractum sit, ratum autem, quòd à Christo singulari effectu & significatione velut ratificatum sit.

Matrimonia hæreticorum non sunt sacramenta. Dixi (*sacramenta tamen non sunt*) Ratio est, quia Contractus matrimonii, ut sacramentum esse possit, legibus Ecclesiasticis firmari debet, & ad Ecclesiam solam pertinet materiam & formam sacramenti declarare; si igitur hæretici quæ ad contractum matrimonialem necessaria esse Ecclesia declaravit, non observent, jam sacramenti ratio illorum matrimoniis deesse constat, quia materiam & formam sive substantiam necessariam ab Ecclesia declaratam non servant, & absque debita materia & forma sacramentum consistere nequit.

Ex his infero 1. Utroque hæretico viro & femina matrimonium contrahentibus, non servatis legibus Ecclesiæ necessario requisitis; si alteruter ad veram fidem convertatur, sicut libere potest in conjugio remanere, omni periculo subversionis & contumeliæ Dei sublato, si infidelis consentiat habitare cum illo, ita periculo aliquo subversionis permanente, posse catholicum relinquere conjugem hæreticam, & ad alias nuptias, quantum est ex lege Evangelica & Apostolica, transire. Ratio est, quia (ut diximus) matrimonium illud non fuit sacramentum, sed contractus mere naturalis & Civilis, adeoque nec per omnia indissolubile, sicut nec infidelium matrimonia. Unde sicut infidelis (ut ait Apostolus) *si discedit, discedat, non enim servituti subjectus est frater*;
1.Cor. 7. 15. ita si hæreticus discedit, discedat; cum enim vinculo sacramentali non sint colligati, ob periculum salutis & subversionis contractus naturalis & civilis, Christo per Apostolum ita declarante, dissolvi etiam quoad vinculum poterit. Dixi (quantum est ex lege Evangelica & Apostolica) sine dubio enim in externo foro civiles leges, ob reipublicæ bonum, hereditates, successiones prolium &c. contradicerent separationibus illis: loquor autem ego in foro conscientiæ.

Infero 2. Fideli matrimonium contrahente cum hæretica non servatis conditionibus per Ecclesiam necessariò requisitis, sicut Matrimonium nullum est, sic in foro Ecclesiæ & conscientiæ omnia matrimonium illud consequentia pro invalidis & illicitis haberi; ut sunt concubitus, tactus, legitimatio prolium, mutuæ successiones. Ratio: quia, ut dictum est, nec in ratione contractus, nec in ratione sacramenti matrimonia illa subsistunt. Dixi (in foro conscientiæ) in foro enim civili nonnunquam tollerantur, in foro autem Ecclesiæ & conscientiæ meræ fornicationes sunt.

ANNOTATIO DOCTRINALIS.

Benè igitur ad hæc advertere debent, qui apud hæreticos matrimonia contrahunt, & qui de matrimoniis illis dijudicare debent. 1. Quamvis hæretici sint, in contrahendo tamen tenentur ad omnia quæ ad matrimonium tam jure naturæ, quam divino positivo requiruntur, & ad alias leges humanas ad verum contractum matrimonialem necessario requisitas, ut eorum matrimonium, etiam in ratione matrimonii validum sit. 2. Si alteruter conjugum convertatur, altero in hæresi remanente, etsi in quantum periculi nullum subversionis imminet, melius sit in matrimonio remanere, tamen subsistente periculo potest catholicus factus, etiam quoad vinculum, ab uxore separari. 3. Damnanda semper sunt matrimonia catholici cum hæretica, & è contra, quæ sub legibus, & conditionibus ab Ecclesia necessariò requisitis nō sunt contracta & inita. Ut autem de legibus illis Ecclesiasticis plenius constet, & hæc materia clarius illustretur, pono Titulum sequentem.

TITULUS VII.

De Parochi præsentia, ejusque necessitate maximè in Belgicis Provinciis ab hæreticis occupatis.

QUia potissimum hoc tempore in matrimoniis hæreticorum non intervenit Parochus, sed Pseudo-minister, quæstionesque variæ moventur super Concilii Tridentini in Hollandia & locis ab hæreticis in Belgio occupatis debita promulgatione, & receptione; ne cogamur postea omnia repetere, hic placuit conditionem illam de Parochi & duorum Testium præsentia explicare.

QUÆSTIO I.

An Parochi proprii præsentia ad matrimonii valorem in ecclesia universali requiratur & quare?

PRo Resolutione Advertendum est 1. Parochi sive Sacerdotis præsentiam ab antiquissimis temporibus semper in matrimoniis fuisse requisitam tamquam ceremoniam sanctam, ad preces fundendas, sponsos benedicendos, exhortationes pias habendas. Meminit sacræ oblationis, cum qua matrimonium in ecclesia celebrabatur, Tertull. l. 2. ad uxorem circa finem *Antiquitus Sacerdos aderat Celebrationi matrimonii. Tertull.*

finem his verbis dignitatem matrimonii depr dicant: *Unde (inquit) sufficiam ad enarrandã felicitatem ejus conjugii quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio & obsignatum Angeli renũtiant Pater rato habet &c.* Ubi nota *conciliationem*, quæ fit per Sacerdotem nomine Ecclesiæ, dum dicit: *Ego vos conjungo &c. Oblationem*, quia inter Missarum solemnia multa prece celebrantur, & velut confirmabantur matrimonia: demum *Angelicam assistentiam & Dei Patris approbationem*, ut ostenderet matrimonium pro re solemni & sacra ab initio habitum esse, & sacris actionibus exornatum. Et Evaristus I. Epistola 1. ad Episcop. Africanos apud Gratian. 30. quæst. 5. cap. *Aliter legitimum*: *Aliter* (ait) *legitimum (ut a parentibus accepimus & à sanctis Apostolis, eorumq́; Successoribus traditum invenimus) non fit conjugium nisi & sacerdotaliter ut mos est cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur.* Super quo Conc. I Coloniense habitum ann. 1536. p. 7. c. 44. *Conjunctionem per Sacerdotem cum benedictione sacerdotali ac precibus inter missarum solemnia in templo secundum antiquos Canones, & Ecclesiasticum ritum fieri decernimus &c.* Videndus etiam S. Ambrosius epist. 23. ad Vigilium, & l. 3. in Lucæ c. 3.

Concil. Coloniense.

Advertendum 2. matrimonia absque Parocho & solemnitatibus ecclesiæ contracta semper fuisse reputata clandestina, & semper ecclesiam illa abhorruisse, non quòd vera matrimonia, si cetera servarentur, non essent, sed quòd essent multorum malorum seminaria, dum sæpe vel negarentur contracta, nec probari possent, aut absque debito examine & circumstantiis contracta adulteriis, fornicationibus, & aliis peccatis scatere reperirentur, ut ex epistola Evaristi suprà citata colligitur.

Advertendum 3. In Conc. Trid. sess. 24. legem sancitam, qua omne Matrimonium absque præsentia proprii Parochi contractum invalidum & nullum declaratur. His sic prænotatis sit

Conclusio I.

Erãt vera & rata matrimonia ante Cõc. Trid.

Ante concilium Trident. clandestina Matrimonia absque Parocho & solemnitatibus contracta modo leges cateræ necessaria servarentur, erant vera & rata Matrimonia, & pro validis & ratis reputata.

Con. Trid.

Est Conclusio expressa Tridentini sess. 24. in Decreto de Reform. Matrim. c. 1. *Dubitandum (ait) non est clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia illa irrita non fecit; & proinde jure damnandi sunt illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant.*

Dixi (*absque Parocho & solemnitatibus contracta*) ex duobus enim potissimum his capitibus censebantur clandestina: nimirum, si absque Parocho & Testibus, ceremoniis Ecclesiæ non adhibitis, essent celebrata, & si denuntiationes non essent factæ solemniter: alii requirunt ad solemnitatem necessariam parentum consensum.

Conclusio II.

Fuerunt semper ab ecclesia prohibita ut illicita

Ab antiquissimis Ecclesia temporibus clandestina Matrimonia semper fuerunt ab Ecclesia tamquam illicita prohibita, unde cùm gravis esset præcepti Ecclesiastici transgressio in re multùm periculosa, certum est sic contrahentes peccasse mortaliter.

Dixi (*semper fuisse tamquam illicita prohibita*) Ita Concilium Trid. suprà: *Nihilominus sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est*, conformiter. q. 30. q. 5. c. *Aliter* & c. *Nostrates*.

Cõc. Trid.

Dixi (*sic contrahentes peccasse mortaliter*) Materiæ quippe hujus præcepti gravitatem exponens Conc. Trid. sub Pio IV. sess. 24. de Refor. cap. 1. Et Senonense sub Clemente VII. c. 39. Excommunicationem sic contrahentibus imponit. *Sed cum (ait) ex clandestinis Matrimoniis gravia eveniant indies scandala & pericula, volumus omnes contrahentes, consulentes scientes, interessentes, auxiliantes & adjuvantes sententia excommunicationis ipso facto subjacere.*

Concil. Senonense

Conclusio III.

Ad matrimonii validitatem præsentia Parochi ac duorũ & e testiũ quãdo cæperit & ubi modo sit necessaria Cõc. Trid.

Præsentia Parochi & duorum vel trium Testium post Concil. Trid ita ad valorem Matrimonii ubi illud promulgatum & receptum legitimè fuit, est necessaria, ut Matrimonia sine dicta Parochi & Testium præsentia contracta sint penitus irrita & invalida.

In Clare Concil. Tridentinum suprà. *Qui aliter quam præsente Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat: Insuper Parochum vel alium Sacerdotem, qui cum minore Testium numero, & Testes, qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, necnon ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit.*

Causam porrò hujus Decreti justissimam indicat Concil. eodem capite, quòd quamvis Ecclesia ex justissimis causis Matrimonia clandestina detestata esset, atque prohibuisset, nihilominùs advertisse S. Synodum prohibitiones illas propter hominum inobedientiam nõ prodesse, sed gravia peccata ex clandestinis Matrimoniis suboriri: *præsertim (inquit) eorũ qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt Cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur, idcirco &c.* Et prosequitur tria Decreta; Alterum de *Denuntiationibus*: Alterum de *Modo servando à* Parocho in celebrando Matrimonio; Tertium

tium de necessitate præsentia Parochi & duorum Testium, prout allegavimus suprà.

CONCLUSIO IV.

Licitè ac justissimè Ecclesia decretum illud fecit de præsentia Parochi &c.

Hebr. 13. 4

L*Icuit Ecclesiæ & S. Synodo præsentiam Parochi & testium de necessitate Matrimonii lege stabili injungere, idque justissimè fecit.*

Ratio est; Quia cum contractus Matrimonii sit sacer, & ad ecclesiā potissimum spectet, utpote sacramenti rationem veram participās, ecclesiæ est providere, ut contractus debitis conditionibus vestiatur, ut juxta Apostolum ad Hebr. 13. *Honorabile connubium sit in omnibus, & thorus immaculatus.* Ad quod contra suprà relatos pessimos casus non poterat meliori viâ procedi, quàm si præsentia Parochi & testium, ut necessaria ad valorem sacramenti præscriberetur sicut in civilibus contractibus præscribitur frequenter Notariorum & Testium præsentia, immò & ficatio magistratus, ut contractus subsistant.

Nec denique gravamine hîc quærimonia interponi potest cum à tempore primitivæ ecclesiæ semper illicitum fuerit absque præsentia Parochi matrimonium inire, ut sæpiùs dictum est; nec hæretici ad politiam suam, & matrimonia prava impedienda aliam praxim meliorem invenerunt, quàm ut eorum matrimonia coram magistratu vel Pseudo-Ministro celebrarentur, ut ex eorum legibus constat.

Supersunt porrò plura ex his conclusionibus explicanda, quæ sequentibus quæstionibus examinabuntur.

QUÆSTIO II.

Quibus conditionibus lex Tridentini de præsentia Parochi & Testium vestiri debeat, ut obligentur subditi ad illius observantiam?

CONCLUSIO UNICA.

Tres conditiones ponit Trid.

T*Res conditiones ponit Concil. Trid ut lex illa de præsentia Parochi obliget subditos.*

I. Conditio *ut decretum illud ab Ordinariis omnibus populo publicetur, in singulis suarum diœcesum Parochiis.*

II. *Ut hæc publicatio primo anno quàm sæpissimè fiat (id est) repetatur; deinde verò quoties expedire viderint.*

III. *Quòd hujusmodi decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, à die primæ publicationis in eadem parochia factæ, numerandos.*

Ex quibus infero 1. quòd si decretum sive lex illa de præsentia parochi & testium non fuerit per ordinarios in singulis Parochiis legitime publicata; illam in Parochiis illis, in quibus non fuerit publicata, non obligare. Et sic interpretati sunt Cardinales, in responsione sacræ congregationis ad consultationes Episcopi Tricaricensis Nuntii Apostolici, formam Matrimoniorum, quæ in partibus Hollandiæ, Zelandiæ & Frisiæ contrahuntur, in qua ita censent: *Ubi hoc decretum nondum est publicatum in Parochia, valet matrimonium contractum absq; observatione formæ à Concilio præscriptæ.*

Infero 2. debuisse primo anno publicari, & sæpiùs inculcari. Unde ubi primo anno publicata non fuit, probabile est illam non obligasse, nisi acceptaretur, & in illam capita populi consentirent, sicut absque dubio in multis locis consenserunt.

Infero 3. Intra triginta dies à prima publicatione in qualibet Parochia fuisse adhuc liberum cuivis absq; Parochi præsentia matrimonium contrahere validè non servata formâ Concilii. Hoc constat ex verbis Concilii, quod decernit hanc legem tantum post triginta dies à die primæ publicationis incipere obligare.

QUÆSTIO III.

An fuerit liberum unicuiq; populo hanc legem Concilii de præsentia Parochi recipere, vel non recipere, & unde in diversis Regionibus non fuerit recepta.

CONCLUSIO I.

Potuit S. Synodus universalem ecclesiam obligare ad hoc suum decretum

N*On fuit simpliciter in potestate populorum hanc legem non recipere.*

Ratio est: Quia lex justissima est, & quoad materiam in voluntate & potestate Legislatoris, nimirum Ecclesiæ in S. Synodo congregatæ, sita: potuitque S. Synodus universalem Ecclesiam obligāre: Cùm enim sit Ecclesiæ determinare materiam hujus Sacramenti matrimonii, quæ in contractu consistit, & hæc lex valorem contractus contingat, si Ecclesia hanc legem ita contractui adstringat, ut non obstante qualibet reclamatione illius observationem urgeat, reclamatio populi ut talis nullatenus potest impedire.

CONCLUSIO II.

Unde nam in multis locis non sit recepta ac non obliget.

I*N multis Regionibus, & regnis dicitur non recepta, quæ vel non legitimè promulgata vel dissimulante a proposito Ecclesiâ ob justas causas, contrario usu sive consuetudine obligatio legis illius sublata est.* Hac causa in partibus nonnullis Galliæ & Poloniæ, & aliis Regnis non censetur obligare; quia primò Tridentinum Concilium non fuit ibi promulgatum, nisi multis post annis, ut in Gallia: aut si in genere promulgatum, non tamen obligatorie quoad omnes leges, & fortè quoad istam; & si in aliquibus partibus Regni promulgatum, non tamen in singulis locis. Hæc autem dijudicari debent ex facto & historia.

QUÆSTIO IV.

Unde colligatur legem Concilii de præsentia Parochi &c. fuisse legitimè promulgatam?

CONCLUSIO I.

Duo signa legitimæ promulgationis.

D*Uo præcipua sunt signa, ex quibus colligitur legem Concilii de præsentia Parochi &c. fuisse promulgatam.*

Primum signum certum & infallibile: Si personæ fide dignæ id testificentur, sive quia promulgationi interfuerunt, sive quia à Majoribus indubitatè & explicitè de promulgatione certiores facti sunt; sive quia tabulis & authenticis instrumentis de promulgatione constat.

Secundum signum: Si constet aliquo tempore hanc legem, tanquam obligatoriam ex vi Concilii Tridentini, fuisse observatam. Et hoc signum adfert Responso Cardinalium ad Tricariensem Episcopum supracitata his verbis: *Publicatio autem decreti falsò præsumitur, ubi Decretum ipsum fuit aliquo tempore in Parochia tanquam Decretum Concilii observatum.* In quibus quidem verbis tria notanda sunt. 1 Debuisse Decretum aliquo tempore fuisse observatum in loco sive parochia, in qua matrimonium est contrahendum. Quantò autem tempore: Id relinquitur prudenti judicio non sufficit tamen ut semel, aut bis, aut ter, sed requiritur tempus morale ad firmandam aliquam legem, ut pote unius aut alterius anni.

Secundò notandum est: Requiri, ut illa observatio fuerit in vim, seu virtute Concilii Tridentini. Pro cujus intelligentia sciendum Concilium Trident. non condere novam ceremoniam, sed cum præsentia Parochi antiquitus requireretur sub præcepto obligante transgressorem ad peccatum, Concilium Tridentinum addidit præcepto simplici conditionem necessariam ad valorem matrimonii; ita ut si absque Parocho contraheretur, non tantùm illicitè, sed omnino invalidè contraheretur. Potest ergo fieri, ut in aliquibus locis præceptum antiquum de præsentia Parochi rigidè usu communi servaretur ex vi legis prioris, non tamen ex vi Concilii Tridentini: quo casu observantia illa promulgationem Decreti Concilii Trident. non probaret; oportet enim ad illius Decreti Concilii promulgationem in aliquo loco probandam, ut ostendatur legem illam ex vi Concilii fuisse observatam, aliàs probatio nulla est.

Tertiò notandum; non sufficere decretum fuisse ab ordinario in sua Diœcesi promulgatum, sed debere fuisse promulgatum in singulis Parochiis; ita ut si in aliqua Parochia promulgatum non fuerit, nec aliquo tempore observatum, etsi in aliis locis Diœcesis ejusdem obligaret, in illa tamen Parochia nullatenus obligaret. Constat ex verbis Concilii Trid.

CONCLUSIO II.

Quid si sit dubiũ an in Parochia sit promulgatum.

Q*Uandocumque est verè dubium: An lex Concilii Trid. in aliqua Parochia sit promulgata, judicandum est in favorem populi non obligare.*

Ratio est. Quia in dubiis melior est conditio possidentis; cum autem dubitatur de lege, an sit promulgata; populus possidet contra legem ut latè docuimus tom. 1. tract. 5. tit. 4. q. 4. concl. 2. Et aliàs apud Jurisperitos, in dubiis in causa matrimonii, in favorem matrimonii semper judicandum est, & pro conjunctione magis, quam pro solutione: Ut habet Petrus Gregorius in Syntagmate Juris universi l. 9. c. 21. n. 3.

QUÆSTIO V.

Quæ præsentia Parochi necessaria sit ex lege Concilii Tridentini?

DIstinguendum hîc est inter præsentiam localem, humanam sive moralem, & politicam. Præsentia localis dicitur, secundum quam homo dicitur in loco præsens, sive dormiat sive vigilet, sive aliud agat. Præsentia humana sive moralis dicitur, quando homo est in loco videns & advertens quæ in loco fiunt. Præsentia politica est, quando quis est in loco ad actum aliquem politiæ sive ecclesiasticæ sive civilis exercendum. *Triplex præsentia Parochi.*

CONCLUSIO I.

Duæ priores non sufficiunt ad valorẽ matrim.

N*On sufficit præsentia localis aut humana Parochi simpliciter ad valorem matrimonii.*

Ratio est Quia hæc per se nihil pertinent ad Contractum: Potest enim Parochus in loco dormire, aut si aliquid agat humano modo, comedendo, scribendo, conferendo, confabulando, comedendo ibi præsens esse, non tamen ad matrimonii contractum ullo modo concurrere.

CONCLUSIO II.

Requiritur præsentia politica.

P*Ræsentia Parochi & Testium ex lege Concilii Tridentini ad matrimonii valorem requisita debet esse politica, ita ut aliquo modo ad contractũ matrimonii concurrat.*

Hæc conclusio colligitur ex textu Concilii Tridentini c. 1 de Reform. Matrim. in quo multa injunguntur Parocho, quæ politicam præsentiam præsupponunt. 1. Ut si opus fuerit, interroget contrahentes. 2. Ut intelligat mutuum eorum consensum. 3. Ut verba pronunciet. 4. Ut librum habeat, in quo conjugum & testium nomina, diemque & locum contractũ matrimonii describat: quæ etsi necessitate Sacramenti, sive contractus validi, necessaria non sint, manifestè tamen ostendunt requiri præsentiam, quæ debeat circumstantiis illis & & qualitatibus vestiri: Hæc autem est præsentia politica & juridica sive à jure requisita. Et quidem

quidem conclusionem sic probo: Omnes contractus politici civiles, in quibus Testes vel Notarius adhiberi debent, requirunt aliquam concurrentiam Testium in qualitate sua ad valorem contractus: Ergo multò magis contractus facere matrimonialis politiæ sacræ Ecclesiasticæ. Addo Parochum non requiri ut simpliciter audiat & videat quæ fiunt, sed ut personam qualificatam, quæ nomine ecclesiæ contractui velut præsideat, seu de veritate contractus respondeat, quod per simplicem humanam præsentiam adimpleri nequit. Unde in politicis aliud est fuisse præsentem alicui contractui, aliud fuisse Testem adhibitum.

Non sufficit quod casu transeant ad contrahendum matrimonium.

Ex quo infero: Non sufficere ut Parochus sive testes casu transeant, vel adsint & audiant, aut intelligant feminam & virum simul contrahere, sed vocari sive accersiri debent, & iis intimari, quod ad hoc vocati & accersiti sint, & quod in qualitate, qua à Concilio sive Ecclesia requiruntur, adhibeantur, ut matrimonio adsint & assistant. Eandem conclusionem probant Responsiones Cardinalium relatæ a Basilio Pontio l. 5. de matrim. c. 21. n. 4. ex Farinacio ubi expresse requirunt, ut Parochus sit adhibitus ad illum finem; sive ut Parochus appareat ad illum finem adhibitus fuisse. Et interrogati: An sit matrimonium, si duo contrahant per verba de præsenti proprio Parocho præsente, & aliis requisitis non omissis, cui contractui Parochus formaliter adhibitus non fuit, sed dum forte convivii, vel confabulationis, vel aliud tractandi causâ adesset, audit hujusmodi contractum geri, & postea alter contrahentium vult resilire: Congregatio respondit posse resilire; nisi alia intervenerint, quæ Parochum à contrahentibus adhibitum fuisse arguant, qui diceretur adhibitus ut supra, quamvis ex alia causa esset vocatus, dummodo sit adhibitus ad illum actum.

Dices: Quid si vel dolo adductus Parochus adhibeatur, & cogitur invitus adesse? Respondeo modò formaliter adhibeatur, & adsit, ac vere cognoscat quæ aguntur, quamvis invitus sit & de facto dissentiat matrimonium validum esse, etsi sæpe contrahentes tunc gravissime peccent. Ratio est, quia præsentia politica, sive jure requisita cujusvis testis, non requirit illius consensum, sed sufficit ut formaliter tanquam testis adhibeatur in re etiam à qua toto animo aversus est: Immò sæpe contingit detinentem vel vocantem uti jure suo contra aversionem alterius, qui injuste aliter adesse non vellet.

Dixi (etsi sæpè contrahentes gravissimè peccent) nimirum contra reverentiam Sacramenti: contra sacras ceremonias ecclesiæ in re gravi, utpote in Sacramenti ministerio: contra parentum honorem; præterquam quòd talia matrimonia frequenter sint semina discordiarum fomenta carnalitatum, litium & injustitiarum instrumenta.

QUAESTIO VI.

Cujus Parochi Præsentia requiratur?

Conclusio Unica.

R*Equiritur & sufficit ad valorem matrimonii præsentia Parochi etiam non Sacerdotis alterutrius contrahentium, si sint diversæ Parochiæ in quacunque Parochia matrimonium celebretur: ita tamen ut juxta leges in Parochia seu Territorio, in quo celebratur receptas celebretur.* Hæc Conclusio continet multas Resolutiones, quæ sparsim quæri solent, & quæ singulis particulis explicantur.

Sufficit præsentia Parochi alterutrius contrahentium.

Dixi itaque 1. (*Sufficere præsentiam Parochi etiam non Sacerdotis.*) Assistentia enim in celebratione matrimonii defertur, non sacerdotio, sed officio & beneficio Parochiali, quatenus illud persona possidet, etsi necdum sit sacerdos ordinatus. Et ratio est, quia assistit Parochus, & demandatur ut sit præsens, quatenus ipsi cura animarum incumbit & officio pastorali fungitur, ut Ecclesiæ respondeat, & sibi innotescat de veritate & legitimitate matrimoniorum circa Parochianos suos. Unde etsi non sit Sacerdos, si tamen actualis est Parochus vel per se vel per Sacerdotem alium (ut exprimit Concilium Tridentinum.) matrimonio præsidere debet.

Dixi 2. (*Sufficere præsentiam Parochi alterutrius contrahentium &c.*) Cum enim ex vi concilii unius tantum præsentia requiratur, pariterque in ratione contractus mutui ambo contrahentes habeantur, non est potior ratio cur unus alteri præferatur, & ex communi axiomate: *Cùm lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.*

Dixi 3. (*In quacunque Parochia matrimonium celebretur.*) Cum enim præsentia Parochi non sit actus jurisdictionis fori alicujus, non dependet à Territorio, sed quocunque loco matrimonium contrahatur cujuslibet Parochi alterutrius contrahentium præsentia legi Concilii satisfacit.

Dixi 4. (*Ita tamen ut juxta leges in Parochia seu territorio in quo celebratur, receptas celebretur.*) ob casum quo contrahentes essent diversi territorii sive Parochiæ, in quarum altera lex Tridentini promulgata & observata esset; in altera non esset: tunc enim, si matrimonium celebraretur in Parochia in qua Tridentinum obtinuit, præsentia Parochi alterutrius necessaria esset: Si verò celebraretur in Parochia, in qua lex Tridentini non obtinuit, tunc matrimonium absque Parochi præsentia valeret.

Ex quo dico, in casu quo Joannes, qui est parochiæ in qua Tridentinum nō obligat, contrahit cum Maria, quæ est Parochiæ in qua Tridentinum obligat, si matrimonium celebretur in Parochia Mariæ necessariò ad illius valorem alteruter Parochus præsens esse debet: Si autem celebretur in Parochia Joannis, absque præsentia alterutrius Parochi matrimonium valet.

valet. Liberum autem utrique est in alterutra parochia contrahere, ubi tamen utraq; de parochia esset in qua Tridentinum obligat, non liceret ad parochiam, in qua non obligat, transfire, ut sine Parocho contraherent, nisi domicilium in ea prius acquisivissent.

Petes? Quid requiratur ut quis reputetur esse alicujus parochiæ, ut Parochus matrimonio assistere possit?

Respondeo: Ad hoc ut quis Jus parochiæ acquisivisse censeatur, ut Parochus illius matrimonio assistere possit, debet habere domicilium vel quasi domicilium in loco Parochiæ, de cujus Parocho est quæstio.

Porrò domicilium duplex est; aliud originis, utpote quia quis in loco illo natus est; aliud habitationis, quia etsi quis ibi natus non sit, proponit tamen in eo loco habitare, quasi diuturnam figere, quasi loci incola & civis. Fieri autem potest, ut quis in duplici loco habeat domicilium, quia aliqua parte anni in una parochia, altera parte in alia habitat; sive, quia indifferenter tum in uno loco, tum in altero residere solet. Dicitur autem quis quasi domicilium habere, quando de facto in loco quasi incola habitat, etsi non animo ibidem continuò habitandi.

Quatuor modis transfertur domicilium. Contingit etiam 4. modis aliquem transferre domicilium. 1. Quando priorem habitationem omninò deserit, animo habitandi in altera. 2. quando retenta priori habitatione novam sibi constituit, ita ut modò in una modò in altera commoretur. 3. quando retenta priori habitatione tantùm ad tempus ad alteram vadit. 4. quando retenta priori habitatione simpliciter, alibi dumtaxat peregrinatur. In 1. itaque & 2. domicilium censetur habere sufficiens, ut coram Parocho illius matrimonium contrahat; in 3. & 4. non. Unde Studiosi etsi privilegiis locorum gaudeant quoad alia Sacramenta, non tamen quoad matrimonium.

QUÆSTIO VII.

Qui nomine Parochi comprehendantur, & qui possint alium Sacerdotem delegare ad assistendum matrimonio?

CONCLUSIO I.

Episcopus in tota diœcesi comprehenditur nomine parochi Papa in tota Ecclesia. NOmine Parochi non tantum comprehenduntur qui immediatè Parochiale beneficium possident, sed etiam quicumq; in linea Hierarchica Parochorum Superiores sunt. Unde Episcopi in tota sua diœcesi, & quilibet ordinarius Superior in suo districtu, ac summus Pontifex in universa Ecclesia possunt matrimoniis assistere, & facultatem assistendi Sacerdotibus præbere.

Ratio clara est: Quia potestas quæ in Parocho residet formaliter, in Episcopis & aliis Superioribus in linea Hierarchica continetur eminenter. Unde & in Tridentino suprà divisim requiritur facultas Parochi vel Ordinarii.

CONCLUSIO II.

Ordinariam potestatem quis censeatur habere? NOmine Ordinarii intelliguntur, qui potestatem ordinariam in contrahentes habent, ordinariam porro potestatem habere censetur, qui ex vi muneris Episcopalem vel quasi Episcopalem habet. idq; respectu contrahentium in causa matrimoniali.

Dixi (*ex vi muneris sive officii*) si enim ex vi officii non habeat, jam non ordinarius sed delegatus haberi debet, & potestas, si quam habet censetur delegata.

Dixi (*idq; respectu contrahentium*) neq; enim Episcopus alienæ Diœcesis potest assistere matrimoniis sibi non Subditorum. Unde nec Archiepiscopus extra suam Diœcesim propriam aliquid potest respectu non sibi subditorum: Potestas enim Archiepiscopi in Suffraganeos Episcopos, non concludit potestatem in subditos illorum, nisi causæ essent per appellationē contra Episcopos ad illum devolutæ.

Dixi (*etiam in causa matrimoniali*) sunt enim quidam Ordinarii in plerisq; causis, qui in causis matrimonialibus nullam potestatem habēt ut Archipresbyteri, & Pœnitentiarii Cathedrales.

COROLLARIUM.

ORdinarii igitur in causis matrimonialibus juxta Tridentinum communiter censentur.

1. Episcopi in sua Provincia sive Diœcesi.
2. Capitulum sive Vicariatus Sede vacante.
3. Vicarii Generales Episcoporum vivente Episcopo: per mortem enim Episcopi potestas Vicarii cessat.
4. Abbates Ecclesiæ parochialis exemptæ, nulli Episcopo subjectæ respectu subditorum dictæ parochialis Ecclesiæ, quibus æquiparantur Priores militiarum in suos famulos.
5. Cardinales in Ecclesiis sui Tituli.
6. Legati Apostolici de latere in provinciis sibi commissis.
7. Vicarii perpetui, vel etiam ad nutum amovibiles, qui pastoralem curam ex integro ex vi Vicariatus administrant. Unde sit

REGULA GENERALIS.

Quis matrimonio assistere possit. QUandocumque parochialis cura alicui stabiliter in perpetuum, vel ad certum tempus est demandata, potest Matrimonio assistere. & alteri Sacerdoti facultatem assistendi delegare.

Ratio est: Quia ex vi hujus commissionis vices Ordinarii subit ad universalitatem causarum parochiali curæ competentium: Unde quod potest Parochus proprietarius & verus, idipsum potest qui stabiliter ex commissione parochialem curam administrat.

Petes. An delegatus ad assistendum matrimonio subdelegare alterum possit?

Respondeo: Duplicem hic nos posse delegationem intelligere, sive delegatum dupliciter delegari posse. 1. Universaliter, & absque restrictione, sive in terminis juris, ad Universalitatem

salitatem causarum. 2. Ad aliquem vel aliquos actus tantum. Qui igitur est ad universalitatem causarum, id est, universaliter ad omnia matrimonia delegatus, ille subdelegare poterit, nisi ipsi prohibitum sit: qui verò tantum ad aliquot actus, ille subdelegare nequit. Unde pro priori est resolutio quædam Rotæ Romanæ in una Barchinonensi, allegata etiam in declaratione Cardinalium, quam refert Basilius Pontius l. 5. c. 29. *Vicarii (inquit) etiam temporales ad nutum amovibiles ecclesiæ Parochialis qui Sacramenta administrant & matrimoniis interveniunt; sicut ipsi intervenire possunt, ita etiam dare licentiam aliis interveniendi.* De posteriori nemo dubitare potest, quia illa delegatio est merè personalis & restricta.

Ex modo commissionis potest colligi qualiter quis sit delegatus.

Petes 2. Unde sciam aliquem esse delegatum in administratione matrimonii universaliter ut subdelegare possit? Respondeo: Id colligi ex modo commissionis; si enim quis sit constitutus Vicarius, aut quasi Vicarius, cui incumbat saltem ad aliquod tempus notabile cura pastoratus, sive Parochiæ, talis delegare potest: secus si ad aliquos dies in absentia rogetur ut vices Parochi absentis suppleat, vel ei favore singulari illa potestas à Parocho indulgeatur: tunc enim censetur delegatio merè personalis.

Explico: Martinus Parochus peregrinationem aliquot mensium suscipit vel Lovanium vadit ad aliquot menses ut suscipiat gradum licentiæ: interim Sacerdotem aliquem constituit, qui ejus subeat vices; immò vicinum Parochum rogat, ut suo gregi adsit: Illi sic delegati habent potestatem subdelegandi, si nulla facta est restrictio; quia Parochus censetur potestatem illam concedere, eo modo quo congruè necessaria est; cùm igitur qui sic constitutus est possit sæpius, sive per infirmitatem, sive ob aliam causam impediri, ita ut necessarium sit vel valde conveniens, istam potestatem subdelegare, omnino dicendum est posse. Neque enim interpretandum est talem velle curam supplere, nisi congruo modo, quo subiri solet: nimirum cùm potestate, ubi opus adjutorio fuerit, subdelegandi. Aliud est cùm accipitur aliquis ad aliquos actus tantùm, & brevi tempore quo speratur alia necessitas non superventura, maximè in matrimonio, quod non est Sacramentum necessitatis, sed maximè voluntarium, & quod potest differri. Unde addo, etiam casu quo moreretur Parochus, delegatum simpliciter, & universaliter, sive quasi Vicarium semper posse præsidere matrimoniis, donec aliud à lege vel Superiore fuerit dispositum: etsi enim dicatur potestas delegata morte concedentis expirare, id tamen intelligendum est re integrâ; integra autem res non censetur, quia publicum bonum Parochiæ, & interdum salus animarum periclitaretur, deficiente potestate delegati.

De vagorum Matrimonio. Con. Trid.

Petes 3. Quid de vagorum matrimonio? responsio clara est ex Concil. Trid. sess. 24. c. 7. ubi prohibet, *ne Parochi vagorum matrimoniis intersint, nisi priùs diligentem inquisitionem fecerint, & re ad ordinarium delatâ, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint.* Ordinarius ergo Diœcesis, in qua vagi matrimonio jungi volunt, debet potestatem delegare, nec aliter Parochis permittitur hujusmodi matrimoniis assistere.

QUÆSTIO VIII.

An in legem Tridentini de præsentia Parochi in matrimoniis cadat aliquando dispensatio, vel epikeia?

CONCLUSIO I.

Summus Pontifex potest dispensare.

Summus Pontifex potest dispensare ut matrimonium celebretur absque præsentia Parochi.

Ratio clara est: Quia hæc lex est merè Ecclesiastica, & Ecclesiastici juris; nec aliquid juris divini annexum habet; in iis autem quæ sunt ecclesiastici juris Pontifex potestatem habet dispensandi.

CONCLUSIO II.

Episcopi nō possunt.

Non possunt Episcopi in supradicta lege dispensare.

Ratio est: Quia lex Conciliaris est ad valorem sacramenti matrimonii requisita; Episcopi autem dispensare nequeunt in lege Superiorum, & in iis quæ ad valorem sacramenti requiruntur.

CONCLUSIO III.

Datur aliquando epikeia in illa lege.

Datur epikeia, & interpretatio in lege illa de præsentia Parochi in matrimonio, quando ex causis realibus illa præsentia est impossibilis, sive absque gravissimo detrimento haberi nequit, modo cetera, quæ ad matrimonium requiruntur, serventur.

Ratio est: Quia (ut dixi) lex est merè Ecclesiastica, & ad tollenda clandestini matrimonii mala ordinata; in Ecclesiasticam autem legem cadit prudens epikeia, & interpretatio: ut latè deduxi tom. 2. tract. 1. tit. 8. q. 5. per totam, quæ doctrina hîc applicanda est.

Probatur verò hæc epikeia ex declaratione seu potiùs interpretatione Cardinalium ad Episcopum Tricaricensem Nuntium Apostolicum in Belgio super matrimoniis in partibus Hollandiæ &c. contractis, de qua suprà, in qua sic habetur: *Si parochia in qua aliquando fuit observatum decretum Parocho careat, & Cathedralis itidem Episcopo & capitulo, habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi: nullusq; alius ibi sit, qui vices Parochi aut Episcopi suppleat matrimonium valet absque præsentia Parochi, servatâ tamen in eo, in quo potest, formâ Concilii, nempe adhibitis saltem duobus Testibus: Si verè extent quidem Parochus & Episcopus, sed nullo constituto Vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut verè ignoretur ubi sit, vel eodem metu à*

Diœcesi absit, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium contractum absque Parocho, adhibitis tamen Testibus. Hæc ibi.

Ejus ratio assignatur.

Quæ quidem declaratio meram continet epikeiam, in casu moralis impossibilitatis, vel periculi gravis detrimenti, ubi nec est Parochus, nec alius, qui potestatem Parochi formaliter, eminenter, vel ex delegatione habet, est in loco, aut ad eum non est securus accessus, tunc Matrimonium absque præsentia Parochi celebratum valere, si cetera serventur. cujus ratio est, quia Pia Mater Ecclesia non censetur suis legibus ad morales impossibilitates, aut cum gravis detrimenti periculo subditos suos velle obligare: quæ tamen omnia plenâ discretione ponderanda sunt, & realiter subsistere debent, ut in locis in quibus vere nullus est Parochus: & quamvis interdum Sacerdotes Missionarii, aut transeuntes reperirentur, nullam tamen habent in illos potestatem Parochialem. Sicque alias respondimus pro nonnullis partibus Zelandiæ, & eis adjacentibus, subjectis hæreticis, ubi non sunt Pastores, aut Missionarii potestatem Parochorum in matrimoniis habentes.

QUÆSTIO IX.

An lex Tridentini de præsentia Parochi in matrimoniis contrario usu possit aboleri sive cessare?

Lex illa non est mera lex, sed conditio necessaria &c.

PRo Resolutione advertendum est 1. Legem Tridentini non esse legem meram, sed constituere etiam conditionem necessariam Contractus matrimonialis, ad hoc ut elevetur ad rationem Sacramenti novæ legis, ita ut illa deficiente reddatur Matrimonium invalidum in Ecclesia Dei.

Advertendum 2. Contra legem Ecclesiasticam consuetudinem interdum præscribere duobus modis. 1. Contra legem jam communi usu receptam. 2. Contra legem communi usu necdum receptam, sive antequam recepta sit, etsi supponatur promulgata.

Advertendum 3. Ad hoc ut consuetudo legi prævaleat, tria requiri. 1. ut sit rationabilis & justa, id est, ut nec rationi, nec justitiæ repugnet. 2. ut legitimè præscribat, nimirum tacente Principe, & certo annorum spatio. 3. ut lex sit meri juris Ecclesiastici & positivi. His sic prænotatis sit

CONCLUSIO I.

Lex illa non obligat tanquam conditio necessaria &c. ubi Trid. receptum non est.

UBi Concilium Tridentinum communi usu receptum non fuit, etsi fortè promulgatum, ibi non obligat præsentia Parochi tanquam necessaria conditio ad valorem Matrimonii.

Ratio est: Quia lex quæcumque non censetur obligare, nisi usu communi alicujus temporis firmata fuerit, & velut possessionem acceperit: promulgatione enim lex jus quoddam acquirit, sed usu in possessionem inducitur, & velut intertinatur, ac respectu Subditorum firmatur, quo usu communi à principio deficiente aliàs vires amittit, & si legislator non urgeat deficit. Sic videmus experimento multas leges Ecclesiasticas hoc ipso deficere; quòd etsi promulgatæ, à principio tamen passim non sunt observatæ, eoque ipso quin executioni in aliquo Territorio demandatæ non fuerint, defecisse judicantur. Ut de Bulla Cœnæ in Belgio non parvæ notæ Authores tradunt.

Dixi (*tamquam conditio necessaria ad valorem Sacramenti*) semper enim fuit conditione essaria ad licitam Matrimonii susceptionem, ut ratio clandestini vitaretur, & sacri canones servarentur: quòd bene notavit Congregatio Cardinalium in responsione ad Tricaricensem Episcopum supra allegata, ubi observantiam & usum legis in signum publicationis requirit his verbis: *Publicatio autem decreti facta præsumitur, ubi decretum ipsum fuit aliquo tempore in parochia, tanquam decretum Concilii, observatum*: q. d. ubi tempore aliquo in parochia non fuit tanquam decretum Concilii observatum, ibi non censetur promulgatum, scilicet tanquam obligans, quia utique usu promulgatio firmata non fuit: Unde & in textu Concilii Trident. sess. 24. de Reform. Matrim. c. 1. Mandatur hoc decretum *sæpius promulgari & explicari*: nimirum ad illius observantiam, sine qua non poterat vim obtinere. *Trident.*

CONCLUSIO I.

Lex illa esto recepta potest contrariâ consuetudine aboleri.

LEx Tridentini de præsentia Parochi etsi usu recepta potest contraria consuetudine aboleri, si modo conditiones ad derogandum legi per contrariam consuetudinem abolitionem ejus probent.

Ratio est: Quia lex de præsentia Parochi, est lex mere positiva & ecclesiastica, & communem cum legibus aliis conditionem sortitur.

Dices: Præsentia Parochi transiit in conditionem necessariam Sacramento matrimonii: Ergo talem ex hac parte plus obtinet quàm lex alia mere Ecclesiastica, & consequenter ex hac parte majorem firmitatem obtinebit. Respondeo admisso consequenti, inde tamen non sequi omnimodam infirmitatem, quæ vel non usu, vel consuetudine rationabili minutari non possit, immò & aboleri. Conditio enim illa Contractui matrimoniali per legem Tridentini annexa sub pœna nullitatis, cum sit conditio mere Ecclesiastica, in materia Sacramenti, quæ ab ecclesiæ arbitrio procedit, potest consentiente, sive dissimulante Ecclesia, contrario usu tolli, immo sæpius ipsius declaratione tollitur & suspenditur: ut inter hæreticos, cum præsentia Parochi, aut nullatenus haberi potest, aut sine gravi Incommodo non potest; vel quia in loco illo nullus est Parochus, vel quia ob persecutionem latet, ut Congregatio Cardinalium declaravit. Unde etiam fieri potest, ut ad majorem securitatem catholicorum, præservationem Parochorum, & ob alias rationabiles causas, usu & consuetudine contrariâ multorũ annorũ ista lex sive conditio præsentiæ *Ratio quarè.*

Parochi

Parochi obligare cesset, etsi diu fuisset observata. Quantum autem temporis requiratur ad hujusmodi præscriptionem, id magis arbitrio Ecclesiæ resolvendum esse credo, quam aliqua juris determinatione singulari: Cum enim ad hujusmodi cessationem legis tria supposita requirantur, nimirum rationabilis & justa causa; consensus saltem implicitus vel dissimulatus ecclesiæ, & duratio aliqua temporis; erit ecclesiæ sive Pastorum diuturnitatem interpretari. Certum autem est, quod saltem 40. annorum tempus contrariæ consuetudinis legem aboleat.

QUÆSTIO X.

Quid in hac materia dicendum sit de matrimoniis in partibus Hollandiæ, Frisiæ &c. in Belgio?

Ex dictis hic nonnulla reservanda duxi, quæ ad matrimonia in partibus Hollandiæ, Frisiæ &c. regimini hæreticorum subjectis pertinent, quæ prius quam referantur.

Duplex in Hollandia est velut christiana Respubl. quoad spiritualia.

Advertendum est, in Hollandia quoad spiritualia duplicem velut reperiri Christianam rempublicam.

Alia est Pseudo-Ecclesia, quæ est hæreticorum & Synagoga sathanæ, in qua ritus sacri & ceremoniæ transferunt vel in politicas sanctiones, vel in adulterinos ritus: unde ut matrimonia non sint clandestina inter eos, vel contrahuntur coram magistratu, vel coram ministro. Et cùm hæc respublica, non tantum sit hæretica, sed etiam schismatica, non agnoscens Caput Ecclesiæ & Vicarium Christi, frustrà de legibus Ecclesiæ ab illis servandis disputamus, cùm nec legislatorem agnoscant nec legem, & jugum excusserint. Unde sive ex erronea conscientia, sive argumentosa, sive etiam dissimulante, & non urgente Ecclesiâ verâ sua præcepta, quia inutiliter illa urgeret, tanquam ex-leges à lege ecclesiastica habendi sunt: ideoque nec nobis de illis sermo. Vide tamen quæ diximus tit. præced. de Disparitate Cultus quæst. 4. conc. 4.

Alia est in illis locis Ecclesiæ vera, Catholicæ Romanæ membrum. Et de matrimonio Catholicorum potissimùm hîc ago, & pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Ubi non constat legem Trid. fuisse promulgatā &c. debet reputari non promulgata.

In locis Hollandiæ Zelandiæ, Frisiæ &c. in quibus non constat legem Tridentini fuisse legitimè promulgatam, & ex vi ejusdem Concilii aliquo notabili tempore, saltem unius aut alterius anni communiter & passim observantiam, pro non promulgata habenda est.

Ratio est: Quia, ut ex dictis constat, requiritur ad vigorem legis, ut non solùm promulgata fuerit, sed etiam aliquo usu communi firmata.

***

CONCLUSIO II.

Præsentia Parochi adhiberi solita non est sufficiens signū promulgatæ legis.

Sola adhibitio præsentiæ Parochi, etiam multo tempore usurpata in illis locis, non est sufficiens signum promulgatæ legis Concilii Tridentini.

Ratio est: Quia ante Concilium Trident. etiam præcepto & ritu Ecclesiæ præsentia Parochi adhibebatur, & proinde talis usus in priorem legem sive Ecclesiæ præceptum referri potest, non autem in vim Concilii nisi aliunde constet.

CONCLUSIO III.

In dubio debet censeri non promulgata nec observata.

In dubio, an sit Concil. Trid. promulgatum & lex de præsentia Parochi sufficienti usu confirmata in illis locis, probabiliter habenda est pro non observata in quibus non potest probari observatio.

Ratio est quam supra attulimus: Quia in dubiis possessionis legis judicandum est in favorem libertatis Subditorum, quam censentur possidere, quamdiu non cōstat de possessione legis.

Porrò, quidam chronologico argumento non male probant Concilium Trid. & hanc maximè legem de præsentia Parochi, nec sufficienter promulgari, nec usu cōmuni firmari à principio in Holland a potuisse, quia anno 1564. quo primùm Romæ promulgatum est, in Provinciis illis Belgii cœperunt cruentissima bella & seditiones civiles, hæreticis & hæresibus jam grassantibus, & venenum suum diffundentibus, ita ut anno 1565. templa spoliarentur, iconoclastarum furore imagines & altaria destruerentur, Pastores suis Parochiis exturbarentur; conciones hæreticæ publicè fierent, boni & fideles Regi exularent; donec tandem anno 1572. tota Hollandia, Zelandia, Frisia a Rege Catholico, & avita fide defecere. Quis his concussionibus & turbulento patriæ statu credat Concilium Trid. in locis tam afflictis fuisse legitimè promulgatum, & usu communi legem de præsentia Parochi receptam? maximè cùm Parochi exularent, ita ut nullus sacerdos auderet comparere, unusque fuerit fidelium luctus, quod ad sacramenta etiam necessaria ministranda eis sacerdotes deficerent. Super quo consulenda Chronica varia, quæ horum plenam fidem faciunt.

CONCLUSIO IV.

Postea à Catholicis in multis locis communi usu acceptata est.

Restituto tantisper cœtu fidelium in Hollandia, & Episcopis ac Vicariis Generalibus, Parochus & aliis ministris Catholicis restitutis per Hollandiam maximè verisimiliter ab iis qui Romana Catholica Ecclesia adhærent, Concilii Trid. & ejus leges, & specialiter de præsentia Parochi in matrimoniis, usu communi recepta sunt, adeoq, in locis, ubi de communi usu constat, lex de parochi præsentia in matrimoniis jam obtinuit, nec absq, invaliditate matrimonii (ubi nullum est periculū, aut justum impedimentum) omitti potest.

Ratio est: Quia etsi in Territorio quoad politiam civilem Concilium Trid. possit supponi

poni non receptum, quia tamen cœtus fidelium in politia Ecclesiastica rempublicam quãdam facit, & in eodem Territorio politiam Ecclesiasticam obtinet, legibus ejus usu receptis se conformare debet. Suppono autem legem de præsentia Parochi à fidelibus velut in parochias congregatis, ex zelo fidei & reverentia ad Ecclesiam catholicam Romanam, & Tridentinum ejusque leges susceptam, & Vicariorum Generalium in spiritualibus sollicitudine introductam esse, adeo quo regulariter & communitur, ubi justum impedimentum nõ est, observari debere. Dico (ubi justum impedimentũ nõ est) si enim justum impedimentum sit quominus præsentia parochi haberi possit, ex declaratione Congregationis Emin. Card. absque præsentia Parochi, servatis aliis conditionibus quæ servari poterunt, matrimoniũ valdè celebrabitur: pro quo sit

CONCLUSIO V.

Dum non potest in illis locis haberi Parochus &c. Catholici validè cõtrahũt sine eo, adhibitis tamen testibus &c.

IN Hollandia, Zelandia, & terris sub Statibus Hollandiæ & hæreticorum jugo degentibus, ubi sine gravi periculo, aut dispendio, graviq; incommoditate, Parochi vel Sacerdotis legitime delegati præsentia haberi non potest, licet catholicis absq; Parochi præsentia matrimonium celebrare, & sic celebratum validum est; adhiberi tamen debent Testes, & alia quæ adhiberi possunt.

Hæc Conclusio mihi clara est ex responsione sacræ congregationis super Concilio Trid. ad Episcopum Tricaricensem. *Si verò* (inquiunt) *Parochia, in qua fuit aliquando observatum decretum, Parocho careat, & Cathedralis sidem Episcopo & Capitulo habentibus à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id delegandi, nullusq; alius ibi sit, qui vices Parochi aut Episcopi suppleat matrimonium valet absq; præsentia Parochi, servatâ tamẽ in eo, in quo potest, formâ Concilii, nempe adhibitis saltem duobus Testibus. Si verò extent quidem Parochus & Episcopus, sed, nullo constituto Vicario, uterq; metu hæreticorum lateat, nec ad alterutrum sit tutus accessus, validum est matrimonium absque Parocho, adhibitis tamẽ duobus Testibus.*

Ex qua responsione colligo 1. Parochum aut Vicarium sive delegatum ad matrimonia debere esse in loco saltem moraliter, utpote in vicinia, ut saltem habeatur residẽs moraliter. Hoc enim indicant verba illa & particulæ: *Si verò Parochia &c. Parocho careat &c. Nullusq; ibi sit, qui vices Parochi aut Episcopi suppleat*, id est, nullus in loco, ubi celebrandum est matrimonium, sit delegatus. Unde infertur, quòd si Parochus vel delegatus ipsius Parochi aut Episcopi à loco moraliter censerentur abesse, aut incertis sedibus morari, tunc licere absque Parocho celebrare matrimonia.

Colligo 2. Non sufficere, si in loco sit Sacerdos, aut alienus parochus absque delegatione: hi enim cùm Pastoralem sive Parochialem authoritatem in loco illo non habeant, nihil in hac lege Tridentini præstare possunt.

Colligo 3. Non sufficere, si Parochus vel delegatus sit in vicinia, aut alibi extra degat, si moraliter Parochiæ, ob aliquod impedimentum, adesse non censeatur, in hoc enim casu abesse censendus est, quia in re morali verè ibi non est, juxta responsionis verba & sensum.

Colligo 4. Etsi in loco moraliter esset, requiri etiam accessum tutum sive ut tutò accersiri possit, vel tutò adire. Tutus autem accessus dicitur, qui sine periculo alicujus dispendii gravis fieri potest. Dispendium autem grave exponendum est ex circumstantiis bonorum, vitæ, fortunæ, familiæ, religionis in usu sacramentorum & aliis, persecutionis, multarum mulctarum, privationis meliorum officiorum & bonorum &c. Cùm enim hæc lex de præsentia Parochi & matrimonio sit merè ecclesiastica & positiva, & duntaxat ad finem vitandi clandestini matrimonii instituta, non videtur ex communi pietate & sensu Matris Ecclesiæ cum tanti detrimenti periculo aut incommoditate obligare; maximè cum finis legis per se fiet omni exceptione majores ad evitandam rationem clandestini valeat, concurrente periculo hujusmodi dispendiorum, suppleri. De ratione autem periculi prudens, doctus, & probatus ac timoratæ conscientiæ vir potest judicare, ad evitandas legis hujus tam salutaris relaxationes ex imaginario metu & formidine, aut prætextu levi oriundas.

Lex Trid ad quid instituta.

Petes: Quid si ad evitandum clandestinum matrimonium coram Magistratu vel Ministro hæretico juxta communem & civilem Territorii morem contrahetur? respondeo: Cùm in matrimonio Catholicorum reperiatur interdum duplex contractus, alter sacramentalis sive qui ad sacramentum matrimonii sufficiat; alter civilis, qui respicit communionem bonorum temporalium, hæreditates, successiones, donationes &c. Ad sacramentalem quidem requiri, ut leges Ecclesiasticæ ad amussim, juxta Ecclesiæ explicationem, observentur, & quidẽ ubi Decretum Concilii Trident. invaluit, ut coram vero Parocho vel delegato fiat, immò semper, ut saltem ad benedictionem assistentia Parochi requiratur; ad quæ nihil magistratus, vel minister hæreticus conferre potest. Immò coram ministro hæretico contrahere, vel irreverentiæ sacramẽto illatæ deputaretur, vel periculũ nonnunquã esset pravæ interpretatiohis, quasi Catholici sic cõtrahentes hæreticis in sua hæresi consentire externo facto viderentur. Quantum tamen ad contractum civilem, ut de communione bonorum, legitimatione prolium, successionibus & hæreditatibus, ac donationibus publicè & civiliter constaret, si ita legibus civilibus constitutum esset, liceret Catholicis coram magistratu aut personis lege constitutis contrahere, ad effectum civilitatis: ita tamen ut vel priùs vel posteriùs ad rationẽ sacramenti Catholici contrahentes catholicè contrahentur ante omnem matrimonii usum.

An Catholici possint ibidem contrahere corã magistratu vel ministro hæretico.

Et hæc sufficiant pro afflictis, & sub jugo Hæreticorum viventibus Catholicis.

TITV-

TITVLVS VIII.

De impedimentis matrimonium tantùm impedientibus.

QUÆSTIO I.

Quæ sint impedimenta Matrimonium solùm impedientia?

CONCLUSIO UNICA.

IMpedimenta solùm impedientia sequentibus versibus comprehendi solent,

Ecclesiæ Vetitum, nec-non tempus feriatum
Atque Catechismus, Sponsalia jungito Votum,
Impediunt fieri permittunt facta teneri.

Alia impedimenta sunt potius pœnæ quibusdam peccatis jure impositæ, ut sunt:

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors Presbyteralis,
Vel si pœniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc conjugium sociandum.

De prioribus hic maximè quæstio est, alia enim non impediunt nisi per sententiam aut pœnitentiam imponantur, & vix aliquis est talium sententiarum aut pœnitentiarum modò usus. Expedio breviter quinque priora.

QUÆSTIO II.

Quid intelligatur per Ecclesiæ Vetitum, & quanta ejus transgressio?

CONCLUSIO I.

Ecclesiæ Vetitum quid. Solũ præceptũ de denũtiationibus est in usu.

PEr Ecclesiæ Vetitum hic intelligitur prohibitio stricta præcepto ecclesiastico facta. Unicum tale speciale præceptum reperio in usu, nimirũ, de denunciationibus tribus ante matrimonii celebrationem, tribus festis continuis in ecclesia coram populo inter missarum solemnia præmittendis, ad impedimenta dirimentia, si quæ sint, cognoscenda.

Obligantur itaque sub peccato mortali nubentes, & Parochi providere, ut hujusmodi denuntiationes ante contractum matrimonii fiant, nisi in iis per Episcopum vel eis delegatum dispensatum sit, vel aliter provisum, ut distinctè sess. 24. de Reform. Matrim. c. 1. exprimitur: ubi & aliud præceptum est de contrahendo coram facie Ecclesiæ, hoc est publicè, sed cùm relictum fuerit arbitrio Ordinarii raró practicatur, non devotionis & solemnitatis hujus Sacramenti parvo respectu. Ut verò tota materia denuntiationum plenè intelligatur, pono sequentes Conclusiones.

CONCLVSIO II.

Contrahẽtes sine dispẽsatione denũntiationũ peccãt mort.

PEccant mortaliter qui absque dispensatione denuntiationum matrimonium contrahere præsumunt.

Ratio est: Quia decretum de denuntiationibus continet præceptum in re gravi, nimirum ad matrimonii impedimenta, si quæ sint, dignoscenda, & avertenda sacrilegia, & scandala gravia.

CONCLVSIO III.

Quis possit in iis dispẽsare.

EPiscopus, ejusq; Vicarius Generalis ordinariâ potestate in denuntiationibus dispensare possunt: alii, quibus cõmitti cõtingit delegatâ. De Episcopo, res est certa ex textu Concilii; de ejus Vicario, consuetudine, & usu constat, & hæc potestas officio Vicarii saltem consuetudine est adjuncta.

CONCLUSIO IV.

Peccat mort. dispensans sine justa causa, & nõ examinato an subsit imped.

NUllus sub peccato mortali potest dispensare in denuntiationibus, nisi subsit justa causa, & nisi summariè & moraliter examinatis examinandis constet non subesse aliquod impedimentum.

Ratio est: Quia dispensare absque justa causa, est legem gravem & necessariam in materia gravi dissipare, & si summariè & moraliter nõ cõstet aliquod impedimentum non subesse, est Sacramentum exponere nullitati, Conjuges verò sacrilegio & nefandæ libidini.

Causam porrò justam ponit textus Concilii Trid. *Si aliquando probabilis fuerit suspicio matrimonium malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes.* Quod intelligendũ vel de maleficio, vel de dolo & fraude, aut aliqua impostura, quæ vel ab inimicis, vel etiam amicis & proximis, quinimmò & parentibus, & tutoribus probabiliter timeretur, in casu maximè quo ob justam rationem matrimonia contra illorum voluntatem contrahuntur.

Alii alias addunt causas. I. *Ut si ex denuntiationibus scandalum, vel aliqua derisio sive despectus oriretur*: Ex. g. Si duo concubinarii, qui diu convixerunt & conjugati putabantur, matrimonio jungendi sint, dispensandum est in denuntiationibus, ad scandalum vitandum, ne detegatur quòd prius conjugati non essent. Similiter: Duo nulliter matrimonium publicè celebrant, ob impedimentum occultum quod suberat; dispensatione obtenta, vel impedimẽto sublato, si matrimonium denuo sit ineundum, secretò fieri debet cum dispensatione denuntiationum si prius factæ non fuerint ad evitandum scandalum. Ob irrisionem etiam & quendam despectum sive personarum, sive sacramenti, justè dispensatur in denuntiationibus, quando contrahentes sunt valde senes. Audivi ego aliquando denuntiationes fieri in publica Ecclesia inter Missarum solemnia pro duobus senibus, quorum vir centesimum annum, mulier octuagesimum quintum excedebat, quod & risu & cachinnis exceptum est.

II. Causa, est *necessitas urgens*: Ut concubinarius in extremo vitæ vult concubinam occultam ducere, ut proles legitimetur. Item, qui defloravit virginem vult eam ducere, & ad hoc est inductus, timetur autem ne à proposito

posito resiliat. Item, qui contrahere volunt in continuo periculo incontinentiae versantur, adeoque Matrimonium accelerandum est. Item, immediate contrahendum est matrimonium ante Ferias prohibitas, ut ante Adventum & Quadragesimam, nec congrue diutius expectari potest. In his similibus causis, ratione necessitatis, si nulla sit suspicio impedimenti, potest dispensari in denuntiationibus.

III. Causa est, *respectus & quidā honor personis concessus*, ut magnatibus & nobilibus: quamvis hæc causa denegaverit in meram corruptelam, qua quilibet, modò sit aliquorum mediorum, pro nobili habere vult, & dispensationem in denuntiationibus obtinere, ãque passim denuntiationes remittuntur, etiam ob leves causas, super quo onerantur conscientiæ eorum, qui dispensant, infinita enim deprehenduntur postea tum in foro fori, tum in foro conscientiæ & pœnitentiæ impedimenta, ob quæ gravissima peccata committuntur, quorum participatio revolvitur in leviter & imprudenter dispēsantes, nisi omnimoda scientia, vel certitudo moralis, quòd nullum inter contrahentes subsit impedimentum dispensantem excuset: putatem enim quòd tūc dispensans, etiam absque justa causa, non peccaret, saltem mortaliter, quia deficiēte fine legis, etiam lex non cēsetur in tantum obligare: cùm autem finis legis denuntiationū sit detectio impedimentorum, si certò constet nullum impedimentum subesse, lex non censetur in tantum obligare, sed in ea dispensari potest.

Ne quis vero sibi abblandiatur, ut dispensetur in denuntiationibus debet præcedere cognitio sufficiens & moralis per examen opportunum, quò nullum subsit impedimentum; & qui aliter dispensat, peccat mortaliter, ob periculum cui se exponit. Dixi (sufficiens & moralis) non enim requiritur judicialis sive juridica, ut perperā asserere aliqui voluerunt, cùm illa cognitio sit tantùm ad providendum conscientiæ Ordinarii & contrahentium.

Petitur hic: An qui scit aliquod impedimentum inter contrahentes subesse, illud teneatur manifestare? Respondeo teneri positis sequentibus conditionibus. 1. *Si* certò & infallibiliter sciat; si enim tantùm ex audītu & incerto rumore, non tenetur. 2. *Si* absque suo vel suorum gravi præjudicio id possit facere; cōtingit enim interdum ex tali manifestatione lites graves, injurias, & detrimenta in manifestantem excitari, & tunc licebit tacere. 3. *Si* licite propalare possit, unde qui occultum peccatum sive impedimentum sub secreto naturali, multò magis sacramentali, novit, non tenetur revelare. 4 *Si* putet & credat se profuturum; si enim probabiliter putet se non profuturum, sed excitandas majores difficultates, aut contrahentes nihilominus, sive licite, sive illicite processuros ulterius, melius est tacere, maxime si contrahentes in bona fide essent, & impedimentum probabiliter ignorarēt. Hæc omnia sumuntur ex communi doctrina de manifestatione defectuū alienorum, nec aliis rationibus indigent. Videantur quæ de correctione fraterna diximus tom. 2. tr. 2. tit. 4. sect. 2. q. 1. in appendice per totam.

APPENDIX.

Hic sub *Ecclesia Vetito* nonnulli addunt interdictum vel excommunicationem, ita ut interdicto aut excommunicato non liceat Matrimonium inire. Verum hæc ex singulari prohibitione & impedimento matrimonii non proveniunt, sed ex communi censurarum & pœnarum Ecclesiasticarum natura; de quibus hoc 3. tomo p. 1. sufficienter à nobis dictū, & pro hac quidem materia, interdicto non prohibentur nisi publicæ solemnitates nuptiarum, quæ in Ecclesia fiunt, non autem matrimonium ipsum sive matrimonii contractus; Excommunicatio autem major, cum peccatum mortale includat, & à participatione Sacramentorum excommunicatum removeat, mirum non est si matrimonium impediat. *Excōmunicato ut interdicto cur non liceat matrimonium inire.*

QUÆSTIO III.

Quid intelligatur per tempus feriatum, & quid in illo prohibeatur?

CONCLUSIO I.

Per *tempus feriatum intelligitur* (juxta decretum Concilii Trid. sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 10) *tempus quod fluit ab Adventu Domini nostri Jesu Christi usque in diem Epiphaniæ, & à Feria 4. Cinerum usque in octavam Paschatis inclusive*, ita Tride. t. *Tempus feriatum juxta Trid.*

CONCLUSIO I.

Illo *tempore prohibentur tantùm solemnitates nuptiarum*: Ut sunt publicus & solemnis in Ecclesia contractus, solemnis benedictio nuptiarum; deductio sponsæ ad sponsi domum; convivia nuptialia &c. *Solemnitates nuptiarum tunc tantum prohibentur. Trident.*

Colligitur ex verbis Concilii suprà. *Antiquas* (inquit) *solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari S. Synodus præcipit.* Unde qui absque solemnitate aliqua nuptiali in privato coram Parocho & Testibus istis temporibus contraheret, non peccaret; prædictis tamen solemnitatibus, quæ in nuptiis fiunt, sub peccato mortali abstinendum est ex præcepto ecclesiæ, quæ sanctis illis temporibus vetuit hujusmodi solemnitates, ob justas & rationabiles causas.

Hic verò quæritur: An licitum sit sic in privato conjunctis matrimonium consummare illis temporibus? Respondeo, licitum esse, si absque scandalo fiat; utpote cùm debeant isto tempore privatim ut sponsi se habere, cavere debent, ne vel putentur ab ignorantibus ante matrimonium carnaliter se cognovisse, aut ne scandalizentur alii ex eo quòd contra ecclesiæ institutum matrimonium interdicto tempore celebrarint.

Quod spectat ad benedictionem solemnem nuptiarum, ecclesia quidem exhortatur, ne ante illam sponsus & sponsa cohabitent; sicut etiam ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consummationem, sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum piè accedant; hæc tamen non sunt præcepta, nec ad culpam obligant, modo qui matrimonium contrahunt sint in statu gratiæ. Vide textum Trid. c. 1.

QUÆSTIO IV.

Quid intelligatur per impedimentum Catechismi & qualiter obliget?

CONCLUSIO I.

Quid Catechismus

IMpedimentum Catechismi fuit cognitio quædam imperfecta orta ex eo, quòd quamvis quis de sacro fonte prolem nt poto jam in privato baptizatam, non levaret, tamen Catechismo & aliis ceremoniis, quæ in Ecclesia solemniter fieri solent singulariter assistebat.

CONCLUSIO II.

Ex eo nullum jam oritur impediment.

NUllum jam oritur impedimentum ex assistentia ad Catechismum nullaque, quantumcumque imperfecta cognatio. adeoque illud Catechismi impedimentum amplius non subsistit.

Colligitur ex Concilio Trident. sess. 24. c. 2. ubi omnis cognatio spiritualis perfecta, sive imperfecta, quæ aliquod matrimonio præstet impedimentum, tollitur præter ibi enarratas. *Omnibus* (inquit) *inter alias personas hujus cognationis spiritualis impedimentis omnino sublatis.* Certum autem est illo capite nullam fieri mentionem de aliqua cognatione, vel impedimento ex Catechismo.

QUÆSTIO V.

Quid de impedimento sponsaliorum, & qualiter obliget, aut matrimonium impediat?

Diffinitio sponsaliorum.

SUpponenda est diffinitio Spōsaliorum: *sponsalia* enim sunt: *Promissio mutua matrimonii legitimis signis expressa.*

Dicitur (*Promissio*) nimirum vera, & cum intentione se obligandi; si enim quis non habuerit voluntatem se obligandi, etsi in externo foro habeatur pro obligato, in foro tamen conscientiæ non obligatur, quamvis peccet graviter pernicioso mendacio juxta rationem deceptionis & falsitatis commissæ.

Dicitur (*mutua*) requiritur enim utrimque tam ex parte viri, quàm feminæ reciproca promissio ad rationem Sponsaliorum. Unde etsi quis promisisset alicui puellæ eam in uxorem ducere, etiam Inducendo ad copulam carnalem, si puella reciprocam promissionem & fidem non dederit, Sponsalia non erunt; tamen obligabitur ex vi promissionis illam ducere, aut si copulam extorserit, illam dotare.

Dixi (*futuri matrimonii*) ab hoc enim dicuntur Sponsalia, quia pro futuro ad matrimonium obligant.

Dixi (*legitimis signis expressa*) nimirum sensibilibus, & ex natura circumstantiarum ad hoc determinatis. De solemnitate juris civilis non loquor, illa enim etsi in foro civili requiratur, in foro tamen Ecclesiastico sufficit mutua promissio externo signo legitimo expressa, juxta ea, quæ dicta sunt.

Dividunt hîc aliqui *sponsalia* in *promissoria simpliciter*, quæ simplici promissione fiunt, & in *jurata*, quæ juramento superaddito confirmantur: verum hæc prioribus nihil addunt, nisi obligationem religionis, quæ est rigorosior, & minus dispensabilis His suppositis sit

CONCLUSIO I.

In quo impedimentum sponsaliorum consistat.

IMpedimentum sponsaliorum in hoc consistit, quod qui sponsalia cum una contraxit, non possit absque peccato mortali cum alia matrimonium contrahere, quamvis tamen si actu contrahat cum alia matrimonium validum censeatur. Et quidem hoc verum est, etsi Sponsalia essent jurata, & quavis solemnitate celebrata.

CONCLUSIO II.

Si arrha sint data ad quid resiliens teneatur.

SI Arrha sint data; aut copula vi promissionis extorta; aut alia intervenerint pacta; qui ad alias nuptias transit, tenetur ad restitutionem omnium damnorum dotationem puellæ, & alia, tam in foro conscientiæ, quàm in foro externo.

Ratio sumenda est ex natura promissi pacti concordati &c.

Peres: An hoc impedimentum Sponsaliorum licitè tolli possit; & quibus modis licitè tolli contingat?

Respondeo tolli Sponsaliorum dissolutione: licitè autem & absque peccato Sponsalia dissolvuntur. 1. Mutuo utriusque consensu & obligationis remissione. 2. Cum ante pubertatis annos utrimque, vel saltem altero impubere sunt contracta, liberum est impuberi ad annos pubertatis pervenienti à Sponsalibus resilire. 3. Si alterutur Religionem ingrediatur & in ea profiteatur, aliàs si egrediatur, & qui manet in sæculo urgeat, tenetur ad sponsalia priùs contracta. 4. Qui Ordinem sacrum suscipit; sponsio enim sponsaliorum semper excipit melioris status electionem. 5. Si tempore per Sponsalia præfinito, alter inter longinquas regiones proficiscatur, ob diuturnam absentiam Sponsalia dissolvuntur, & puella potest licitè cum alio matrimonium inire. 6. Ex notabili mutatione vel impedimento in alterutro superveniente. Ex. gr. Supervenit ex alterutro morbus contagiosus, paralysis; lepra; impotentia; difformitas corporis notabilis; paupertas magna; deprehenditur in animo asperitas; oriuntur inter ipsos capitales inimicitiæ &c. Denique generaliter quando post Sponsalia aliquid deprehenditur vel evenit, quod si scitum vel prævisum fuisset, nullatenus Sponsalia contra-

TITVLVS IX.

De Dispensationibus in impedimentis matrimonium dirimentibus.

QUÆSTIO I.

An & quis in impedimentis Matrimonium dirimentibus dispensare possit?

Dispensationis diffinitio. SUpponenda est 1. diffinitio dispensationis propriè sumptæ, quæ sic diffinitur: *Relaxatio juris communis, cum causæ cognitione, facta ab eo qui jus vel potestatem habet.* Dicitur (*relaxatio juris*) ut distinguatur à quavis declaratione, interpretatione, epikeia, simplici permissione vel facultate. Dicitur (*juris communis*) ut excludatur jus personale & particulare, cujus relaxatio non tam vocatur dispensatio, quàm remissio vel absolutio; ut si Joannes jure aliquo particulari debeat Petro aliquod servitutis officium; si Petrus relaxet, dicitur remittere, non dispensare. Dicitur (*cum causæ cognitione*) si enim sine causa liberaliter fiat, etiam absolutio quædam est. Dicitur (*ab eo qui jus vel potestatem habet*) est enim dispensatio propriè dicta actus jurisdictionis sive potestatis publicæ.

Supponendum 2. ex impedimentis matrimonii nonnulla constituta esse jure naturali divino, quæ utique Deus Author naturæ constituit, & velut à principio ipsi naturæ observanda indidit. Quale docuimus esse impedimentum cognationis naturalis parentum cum Prolibus, prolium cum parentibus, & omnium ascendentium & descendentium in linea consanguinitatis recta, omni respectu ad invicem facto. Vide suprà tit. 5. quæst. 1. concl. 2. & 3. Alia sunt instituta jure divino positivo, quæ etsi naturali honestati, & inclinationi multum conformia sint, non fuerunt tamen obligantia, nisi interveniente singulari præcepto divino positivo: Talia docuimus esse Impedimentum inter collaterales fratres & sorores, qui etsi initio necessitate propagandæ naturæ humanæ à Deo permitterentur simul jungi, successu tamen temporis, propagata jam sufficienter natura, à Deo prohibiti sunt, & inter gradus illos impedimentum positum est, ut diximus loco citato concl. 3. Item impedimentum Affinitatis inter ascendentes &c. in linea recta, ut nurus cum socero, generis cum socru, divino enim jure positivo institutum est, & eodem jure inter illos matrimonia prohibita.

Supponendum 2. Inter præcepta & leges divinas alias esse merè divinas, nimirùm, quæ ab hominum sensu, dissensu, dispositione nullatenus pendent, ut: *Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies*, &c. aliæ sunt, quæ humanas dispositiones & sensus admittunt; ut: *Memento ut diem sabbathi sanctifices*, sanctificatio enim sabbathi aliquas dispositiones humanas admittit &c. Et hoc quidem commune est omnibus præceptis, quæ materiam hominum dispositioni & voluntati subjectam habent, ut de præceptis in votis, juramentis &c. in quibus de personarum ad illa habilitate & inhabilitate homines disponunt, & ob hominum mutabilitatem, ignorantiam, inconstantiam de iis varia judicia feruntur.

CONCLUSIO I.

In impedimentis juris merè divini ne quidem Pontifex potest dispensare. NOn datur dispensatio, nec quidem à Romano Pontifice, in impedimentis matrimonii jure divino naturali, aut positivo merè divino constitutis. Unde romanus Pontifex in impedimentis omnibus supposito 2. relatis, non potest dispensare, ut videlicet nubat filia cum patre; filius cum matre; nurus cum socero, gener cum socru sua &c.

Ratio est: Quia nec directè, nec indirectè, nec permissivè Pontifex potestatem habet in illa, quæ cum sint juris divini absoluti, nec ab humana dispositione eorum materia dependeat, soli Deo reservata censentur, quidquid aliqui in his philosophari velint.

Dices: Summus pontifex dispensare potest in votis tam simplicibus quàm solemnibus, & in juramentis, quæ juris divini obligationem participant: Ergo similiter poterit dispensare in impedimentis jure divino constitutis. Respondeo negando consequentiam. Vota enim & juramenta non sunt meri juris divini, sed à sensu, voluntate, & consensu humano dependent, & merum præceptum non sunt, sed, supposita voluntate humana, immò & legibus, commune quoddam vinculum constituunt, quod humanis divinisque conditionibus permixtum est, unde variæ mutationes contingere solent, ratione quarum in præceptis vota & juramenta contingentibus variæ dispensationes, imò & irritationes sæpius fiunt. Aliud est de impedimentis jure divino constitutis, illa enim nullo respectu ad humanam voluntatem aut potestatem à Deo constituta sunt, quippe qui absolute prohibet tales personas, suppositis talibus conditionibus, nubere, & matrimonia sic contracta annullat. *Disparitas de illis impedimentis.*

Singulariter verò hic Notandum est: In potestate illa amplissima data Petro Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis*; solum de iis quæ vinculi & ligaminis rationem habent, fieri mentionem: illa autem sola vinculi habere rationem, quæ à voluntate humana respectivam quandam obligationem sortiuntur, ut vota, juramenta, pœnæ, vincula peccatorum &c. Ut significetur non in quolibet præcepto divino, aut vinculo Petrum potuisse dispensare, sed tantùm in iis quibus homo sponte obligavit, ut voto, juramento, pœnis æternæ damnationis per peccatum voluntariè commissum. Matth. 16. 19.

Denique pro universali regula tenendum est Romanum Pontificem, Vicarium Petri non posse dispensare in iis, quæ à mero jure divino pendent, sed tantum in iis, quæ aliquid humanæ actionis, dispositionis, vel juris admixtum habent; quamvis nec in omnibus: Sunt enim inter humana nonnulla, quæ ita sunt juris naturalis strictè, ut nec Pontifex aliquid in illis possit, vel nonnisi consentientibus partibus. Vide quæ diximus tomo 2. tract. 1. tit. 7. q. 3. concl. 3. per totam. Ubi singulariter & amussim omnia, quæ ad hanc rem pertinent, explicata sunt.

CONCLUSIO II.

Potest dispensare in iis quæ sunt juris Ecclesiastici.

Romanus Pontifex potest dispensare in omnibus impedimentis matrimonium dirimentibus, quæ ecclesiastico jure constituta sunt.

Ratio clara est: Quia ipse est Caput Ecclesiæ, in quo tota potestas, quæ in Ecclesiam influit, tamquam in suo principio continetur.

Côc. Trid. Unde & Concilium Tridentinum sess. 24. de Reform. matrim. cap. 5. supponit residere in Pontifice potestatem dispensandi usque ad 2. gradum collateralem. *In contrahendis* (inquit) *matrimoniis vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idq; ex causa & gratis concedatur. In 2. gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes &c.*

QUÆSTIO II.

Quæ sint justa causa dispensationum in impedimentis matrimonium dirimentibus?

CONCLUSIO I.

Illa dicuntur justa causa dispensationum, quæ attentis circumstantiis rationabiliter movent, aut apta sunt movere dispensantem ad dispensandum.

CONCLUSIO II.

Justa causa dispensandi sumitur ex sex ferè circumstantiis.

Causa justa dispensandi in matrimonii impedimentis dirimentibus mensurantur his ferè circumstantiis, tempore, loco, personis, necessitate, utilitate, malo gravi vitando &c. quibus perspectis rationabiliter movetur Pontifex ad dispensandum. Et quidem, quæ usu Romanæ curiæ jam pridem approbatæ sunt, ad hos ferè terminos reducuntur.

Ex circumstantia temporis aliquando dispensandi causa proponitur, ut belli, pestis, ætatis, qualis est causa illa Romanis usitata pro Oratrice excedente 24. Annum: *Quòd dicta Oratrix 24. annum excedens hactenus virum paris conditionis, cui nubere posset, non invenit.*

Ex Circumstantia *Loci*, quales sunt, quæ propter loci angustiam obtinentur, *quòd cùm dicta Oratrix in dicto loco, propter illius angustiam, virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis cui nubere posit &c. invenire nequeat.* Item: *quòd cùm dicta Oratrix in dictis locis etiam de uno ad alium se transferendo, propter illorum angustiam, virum sibi invenire nequeat.* Item: *si extra locum vel dicta loca nubere cogeretur, dos, quam ipsa habet, non esset competens neque sufficiens, ut cum ea virum, cui juxta status sui conditionem nubere posset, invenire valeret.* Item, quod pro habitatiunculis locorum ad littus maris sitis in formulis ponitur.

Ex circumstantia *Personarum*: ut quia Magnates, & quod ad conservationem illustris familiæ in eodem sanguine aliàs periturae, utpote quia caput illius est fœmina, dispensatio petatur. Item, ob excellentiam meritorum in Ecclesiam personæ postulatis, vel pro qua petitur. Item, ad conservationem hæreditatum in eadem cognatione &c.

Ex necessitatis circumstantia, ut propter inopiam vel carentiam dotis: *Quòd cùm Oratrix dotem habeat minùs competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire queat, & dictus Orator intendat illam cum dicta minus competente dote in uxorem ducere.* Item, *cùm dicta Oratrix indotata existat, & dictus Orator illam sic indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem, secundùm Oratricis qualitatem competentem, ex integro dotare intendat.*

Ad necessitatem reducitur forma pro Belgis, *quòd cùm Oratores prædicti noverint se fidei orthodoxæ cultores, ac Deo dante sub obedientia S. R. E. vivere intendant, & in illis partibus, in quibus multi hæretici existunt, ne contingat eos cum hæreticis contrahere, cupiunt &c.* Quæ formula etsi justificaretur pro locis infectis, ubi hæreses communiter, & impunè grassantur; In locis tamen Belgii Regi Catholico & Romanæ ecclesiæ Obedientibus non credo justificari, etsi à nonnullis non satis prudenter apponatur cum magno periculo subreptionis, & conscientiæ gravamine.

Ex circumstantia *utilitatis, & majoris boni* Formulæ sequentes justificantur: propter inimicitias sedandas: *Quòd cùm inter dictorum Oratorum parentes, consanguineos & affines inimicitiæ graves ortæ sint, & ad præsens vigeant, aliunde tamen quàm ex causa Matrimonii inter Oratores contrahendi provenientes, & ante illius tractationem exortæ, & cùm sit quòd si Oratores prædicti invicem Matrimonialiter copularentur, inimicitiæ hujusmodi componerentur. Pro illis itaque componendis ac pro bono pacis Oratores prædicti cupiunt &c.* Item, *quod cùm inter dictos Oratores seu eorum parentes lites super rebus magni momenti ortæ jam sint, & ad præsens vigeant, lites hujusmodi*

modi componerentur, pro illis &c. Item pro confirmatione pacis: *Et licet inter ipsos pax de recenti inita fuerit, nihilominus pro illius firmiori confirmatione Oratores prædicti cupiunt &c.*

Ad magnam *utilitatem* pertinet: quando ex dispensatione in gradibus prohibitis oriretur reconciliatio hæreticorum cum Ecclesia, & propagatio Religionis. Et mihi quidem contigit, dum facultatibus à SSmo.D.N. Urbano VIII. dispensandi in gradibus prohibitis fruerer, in Patria Limburgensi, tempore quo Hollandi Limburgum obtinebant, me à R. Domino Pastore cujusdam loci sollicitari, ut cum plurimis in sua Parochia, qui occasione hæresis in gradibus prohibitis matrimonia contraxerant, dispensare vellem, tum ob confusionem plurimarum familiarum ex hujusmodi matrimoniis prohibitis subortam; tum quòd sponderent, obtentis dispensationibus, ad ecclesiam redire, & suam hæresim abjurare: quas dispensationes fructu sequuto lubens concessi, & multùm Romanæ Curiæ placuerunt.

Ex circumstantiis *mali gravioris vel scandali evitandi* dispensatione justificantur, quæ ad infamiam vitandam, & avertenda scandala conceduntur cognatis vel affinibus, qui carnaliter se cognoverunt, secutâ vel etiam non secutâ prole, aut muliere jam gravidâ, unde est illa formula: *Cum autem Pater sancte, nisi matrimonium inter Oratores contrahatur dicta Oratrix innupta & diffamata remaneret, graviaq; exinde scandala possint verisimiliter exoriri &c.* Quo etiam spectat, cùm ad obtinendam dispensationem allegatur familiaritas inducens apud alios suspicionem copulæ, quamvis secuta non fuerit, & aliæ similes formulæ in litteris Apostolicis continentur, quæ (ut dixi) usu Curiæ Romanæ hactenus justificatæ sunt.

ANIMADVERSIO NOTABILIS.

AD LECTOREM.

Plures alia etiam justiores causæ possunt occurrere.

ADvertetamen 1. Candide Lector, non solas eas causas; quæ in formulis Romanæ Curiæ continentur, justas esse; quinimmò multæ magis justæ, & rationabiles occurrere possunt, quæ animum Pontificis movere aptæ sunt, & quæ libellis supplicibus benè & manifestè exponuntur.

Advertæ 2. Experientiâ constare (prout ipse vidi) Scriptores litterarum Apostolicarum nonnunquam, subsistentibus veris, justis, & claris causis à supplicantibus propositis, quibus permotus Summus Pontifex dispensationes benignè elargitus est, allegatas causas omittere, & litteras expedire in consuetis formulis, sive quòd alias formulas non habeant, sive quòd laborem nolint sumere causas in supplicationibus expositas exprimendi; quod interdum non tantum litterarum Executoribus, sed etiam ipsis dispensatis non parvum scrupulum ingerere solet.

Advertendum 3. Nonnullos, etsi veras & reales causas habeant, inductione Agentium, qui solum stylum curiæ norunt, veris illis causis omissis, ad causas in curia Romana usitatas recurrere, etsi in eis verè non subsistant: Alios sibi velut applaudere, si aliquas causas Romano stylo usitatas adinvenire valeant, & fictionibus nonnullis sibi perperam applicare. Ad sedandas itaque & serenandas conscientias hujusmodi pono regulas sequentes.

REGULA I.

Debent allegari veræ & reales causæ.

ADvalorem dispensationis debent allegari vera & reales causæ, & quæ in personis pro quibus dispensatio petitur, verè à parte rei subsistunt: unde si causa falsa, ficta & à parte rei non existentes allegentur, quibus permotus Pontifex dispensationem concedat, dispensatio est penitus nulla, & matrimonium subsequens invalidum.

Ratio clara est; Quia dispensatio nulla est defectu voluntatis in dispensante, quem supponimus falsâ narratione deceptum.

Dixi (*quibus permotus fuerit Pontifex*) potest enim interdum fieri, ut aliquid minùs verè narretur, quod motivum principale non est nec dispensationis dare vera causa, quo casu si primaria causa movens sit vera, dispensatio censebitur valida, etsi narratio aliquid ficti vel falsi admixtum habeat, ut posteà dicetur.

REGULA II.

Quid si justa causa allegata & in litteris Apostolicis alia contineatur.

QUando constat veram & justam causam in libello supplici ad Pontificem directo fuisse allegatam, & Pontificem dispensasse, etsi in litteris Apostolicis causa vera fuerit omissa, & alia secundùm formulas in Curia Romana consuetas supposita; Executores litterarum Apostolicarum liberè procedere debent ad executionem earum, & dispensati tuti in conscientia sunt.

Ratio est: Quia ex vera causa allegata Pontifex supponitur dispensationem dedisse, accidentarium autem & extrinsecum est, quòd Scriptor causam in libello supplici allegatam non retulerit, sed pro sua commoditate formulam communem scripserit, quod illi quidem imputandum est, tertio autem nocere non debet.

Tunc autem censetur causa justa proposita, quando supplicantes fideliter affirmant, & referunt causam quam allegarunt, aut agentes illam se proposuisse testantur. Curaveram sanè aliquando exponi pro personis nobilibus, ad dispensationem impedimenti 2. & 3. gradus inæqualis, causam valdè justam & urgentem, quam ipsi allegarant, cui etiam Pontifex faciliè annuerat: Scriptor verò litterarum pro causa *angustiam loci, & quod puella non inveniret sibi parem*, ineptè posuerat, unde ostensa supplica Papæ, cùm de causa constaret, præsentata Executor prudens sine difficultate ad executionem litterarum processit.

***

QUÆSTIO III.

An Episcopi in impedimentis matrimonii dispensare valeant?

Ratio dubitandi est: Quia quod potest Papa in universali Ecclesia, hoc ipsum videtur Episcopum posse in sua diœcesi; Ergo & in impedimentis matrimonii dispensare, cùm sæpè ad Papam non possit haberi recursus.

CONCLUSIO I.

Episcopus ordinariâ potestate communiter dispensare non potest.

Non potest Episcopus communiter ordinariâ potestate dispensare in impedimentis matrimonium dirimentibus.

Ratio est: Quia nullus inferior ordinariâ potestate dispensare potest in lege Superioris; constat autem legem impedimentorum matrimonii esse legem Superioris, nimirum, Summi Pontificis, aut Concilii Generalis, quorum est impedimenta matrimonii constituere.

CONCLUSIO II.

Potest communi usu & epikeiâ juris à certis dirimentibus concurrentibus.

Communi usu & interpretatione juris, sive epikeia potest Episcopus interdum in impedimentis Matrimonium dirimentibus dispensare, concurrentibus maximè quatuor conditionibus. I. Si matrimonium jam sit (esti nulliter) contractum. II. Si impedimentum sit occultum III. Si separatio fieri nequeat absque scandalo gravi. IV. Si ob paupertatem, vel alias causas justas Romanus Pontifex adiri non possit. Ita Aloysius Riccius in Praxi rerum quotidian. Resolut. 228.

Ratio Riccii.

Fundamentum ejus est: Quòd si Romanus Pontifex requiri potuisset, aut requisitus fuisset, his concurrentibus circumstantiis in dispensationem consensisset: quod fundamentum pertinet id justam epikeiam, & interpretationem legis.

Ratio Authoris.

Addo ego communi usu & consuetutine, quæ est juris declarativa, hoc concessum Episcopis, ad supplendos defectus in necessariis casibus, qui ex absentia vel alia causa non permittunt recursum ad Summum Pontificem, ne Ecclesia deesse videatur in iis, quæ ad communem fidelium salutem, & vitanda peccati pericula, & alia mala requiri possunt. Unde ibidem Riccius putat hanc potestatem dispensandi non competere Vicario Generali Episcopi, nisi ipsi singulariter ab Episcopo committatur, utique quia tantùm pro casibus necessitatis Episcopis censetur communicata. Ut autem conditiones sive circumstantiæ suppositæ plenius intelligantur, pono dubia sequentia.

Petes. 1. An Episcopus nunquam possit dispensare in impedimento dirimente ante contractum matrimonium, sive in ordine ad contrahendum?

Episcopus potest interdum dispensare ante matrimonium contractum.

Respondeo, cum Thoma Sanchez l. 2. de Matrim. d. 40. num. 7. Posse evenire casum, in quo Episcopus dispensare possit in impedimento dirimente ante contractum matrimonium; si nimirum duo simul concurrant, quod sit periculū grave spiritualis salutis, vel ingentis damni in mora, si dispensatio differretur, & quòd non pateat aditus facilis ad Pontificem, vel alium potestatem delegatam habentem. Explico exemplo: est concubinarius qui concubinam habet tamquam uxorem, & quæ ab aliis putatur uxor; hic in extremis positus pœnitens sui concubinatus vult ducere concubinam in uxorem, reperitur autem concubina in aliquo prohibito affinitatis gradu, occulto tamen, illi conjuncta; cæterum proles habent, uxor legitima creditur, in legitimam bonorum communium succedit, gravissimum scandalum erit & infamia, si deprehendatur fuisse concubina, & non uxor, mors instat &c. In hoc casu credo Episcopum in impedimento illo dirimente ante contractum matrimonium posse dispensare. Ratio est: Quia gravissima necessitas est, & (ut supponitur) gravissima detrimenta, scandala & alia imminent, si non succurratur. In eo itaque casu valere debet axioma illud commune: Episcopum in lege Pontificia & Conciliari dispensare posse, quando est gravissima aliqua necessitas, cui statim succurrendum est, nec patet aditus ad S. Sedem.

Petes 2. Quod, & quando censeatur impedimentum occultum?

Respondeo: Illud dici occultum, quod vel nulli, vel paucis est cognitum, sive quod adhuc nullam in multitudine credulitatem accepit.

Hoc modo occultum censetur, quod etsi pluribus innotuerit, ita tamen secretò innotuit ut nec famosi, nec manifesti, nec notorii rationem induerit, sed adhuc manet inter paucos velut latitans. Explico exemplo: Joannes Mariam sororem uxoris suæ imprægnavit; inter domesticos res celatur: Maria separatur & alibi parit; quamdiu res inter domesticos latet, censetur occulta: quinimò potest fieri, ut unum in eadem re maneat occultum, altero divulgato, ut in exemplo allato; potest divulgari imprægnatio & partus Mariæ, manente occulto delicto Joannis, si nimirum sciatur Maria impraegnata quidem, ignoretur autem communiter à quo fuerit imprægnata.

Immò hoc modo occultum censetur, quod licet aliquando publicarum fuerit, utpote ad forum externum, etiam contentiosum, deductum, postea tamen occultum manet, quia non fuit probatum sufficienter. Ex. g. Joannes dicitur laborare impedimento matrimonii, quasi sororem Mariæ, cum qua contraxit carnaliter cognovisset, & impregnasset, de quo est publica fama, & accusatores litem inidipsum contestati sunt: Interim toto processu lite intentata peracto, nec sufficienter probato, quòd Joannes sororem Mariæ cognoverit, Immunis per sententiam declaratur; quamvis à parte

à parte rei contrarium sit verum, peccatum Joannis & impedimentum censetur occultum post litem, & Joannes integritati in foro externo restitutus.

Itaque etsi contingat frequenter eos, qui matrimonio jungi volunt, laborare impedimento affinitatis, singulariter ex copula illicita contractæ, quia tamen hæc non solent revelari aut probari, & credulitatem accipere in multitudine, ut plurimum talia impedimenta occulta sunt, unde censeo in casibus jam allatis & similibus Episcopos posse dispensare concurrentibus conditionibus, de quibus suprà concl. 2. Certè Christi ad Samaritanam verbum in multis verificatur; cùm enim Samaritana negaret se habere virum, intulit Christus: *Benè dixisti, quia non habeo virum, quinq; enim viros*
Joã. 4.17. *habuisti & nunc quem habes non est tuus vir*: utique quia ei legitimo matrimonio non erat junctus; ob aliquod absque dubio impedimentum occultum, quodque manebat occultum, quamvis Christus se scire mulieri insinuasset. Quot sunt quibus ob impedimenta illa occulta appritme diceretur illud: *Quia quem habes, non est tuus vir*: qui etsi, quamdiu non norunt, bona fide à peccato excusentur, ubi tamen norunt ad dispensationem saltem Episcopi recurrere tenentur.

Petes 3. Quid faciendum casu quo impedimentum occultum, super quo Episcopus ad effectum matrimonii revalidandi in foro conscientiæ dispensavit, postmodum in foro externo manifestum fiat? Ex. g. Jacobus obtentâ dispensatione Episcopi pro occulto impedimento, per Episcopum in foro conscientiæ dispensabili, matrimoniū cum Margareta in facie ecclesiæ anteà invalidè contractū occulte revalidavit; post aliquod tempus impedimentū publicum fit; quid fiet, cùm dispensatio pro solo foro conscientiæ ab Episcopo sit facta?

Episcopus potest declarare & in genere testari dispensationem obtẽtã ad vitandum scandalū.

Respondeo 1. In hoc casu, Episcopum debere declarare & testari in genere dispensationem sufficienter obtentam esse absque alia specificatione. Ratio mea est, quia revera matrimonium virtute dispensationis ejus in foro conscientiæ fuit validum & verè contractum, & eo modo quo tunc fieri poterat, cùm impedimentum occultum erat, adeoq; contrahentes in omni foro in possessione sunt matrimonii validi. Non enim repugnat dispensationem, impedimenti in conscientiæ foro esse factam, & matrimonium etiam in foro externo sustinere; quamvis in dispensationibus Pœnitentiariæ Romanæ, quæ pro occultis impedimentis post contractum matrimonium dantur, & ratione quarum matrimonia

Forma dispẽsationis pænitẽtiariæ romanæ super impedimẽto occultis

revalidantur, particula addi solent: *Ita quòd hujusmodi dispẽsatio in foro judiciario nullatenus suffragetur super his adhibitis testibus aut litteris datis, seu processibus confectis, sed præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis laniare tenearis, ita ut nullum illarum exemplar extet, neque eas latori restituas.* Alitet enim puto loquendum esse de Episcopo, aliter de Magistro Pœnitentiariæ: Magistro enim Pœnitentiariæ data est facultas absolvendi, suis conditionibus vestita, ita ut juxta terminos instrumentorum: *Non aliter, neque alio modo, nisi in foro conscientia, & in ipso actu sacramentali confessionis tantùm* (sic enim loquuntur Formulæ) *possit dispensare.* Non sic autem Episcopo: quia illi simpliciter & absolute, suppposito impedimentò occulto, positâ necessitate verâ, imminente certo scandalo si separentur, advenit & communicatur auctoritas dispensandi, si non pateat recursus ad summum Pontificem; & hoc interpretatione & epikeia justa juris communis; Unde etsi videatur restricta ad forum conscientiæ, quia nimirum est de occulto impedimento, & quod ratione scandali aliàs orituri occultum manere debet: si tamen contingat casu impedimentum in foro externo publicari & notum fieri, puto omninò Episcopum dispensationem factam in genere declarare posse. Ratio mea est, quia auctoritas dispensandi in impedimento occulto, hac ratione præcipuè in Episcopum devolvi censetur, nimirum ad removendum vel impediendum scandalum, quod ex separatione conjunctorum in facie ecclesiæ oritetur: publicato itaque impedimento ex casu, non minus scandalū oriretur, quasi tamdiu, & pluribus annis sic conjuncti in concubinatu vixissent, proles etiam illegitimæ haberentur & confusiones infinitæ nasci possent; quibus facilè obviaretur, si Episcopus declararet, vel testaretur, fuisse legitimè cum illis dispensatum.

Ex quo infero eadem interpretatione & epikeia, ad removendum scandalum in casu fortuito publicati impedimenti, aliàs occulti: Episcopum posse non tantum declarare, sed etiam testari dispensationem factam, quâ ad eundem finem scandali evitandi in occulto dispensavit. Addo non constare de restricta Potestate Episcopi in hoc casu, cum potestas dispensandi illi ex communi juris interpretatione adveniat, & æquales casus non excludat, maximè cùm communis sententia sit, Episcopum in sua Diœcesi posse, quidquid Pontifex in Ecclesia etiam quoad reservata, quando salus animarum periclitatur, vel grave scandalū imminet, nec datur ad supremam Sedem recursus, quæ quidem communis sententia fundatur in hoc, quòd Ecclesia non velit deesse in necessariis: in ista autem attestatione, ut ab Episcopo detur omnia concurrunt, scandalum scilicet imminens, necessitas, impossibilitas moralis, recursus.

Cõmunis sententia Episcopũ posse in sua Diœcesi dũ urget necessitas, quidquid potest Pontifex in tota ecclesia.

Respondeo 2. Non obstante hac declaratione & testimonio Episcopi, declaratione externa & dispensatione summi Pontificis opus esse.

Ratio est: Quia declaratio Episcopi tantum est ad removendum scandalum, ut jam diximus, nec servit in foro externo seu litigioso, adeoque casu quo matrimonium in controversiam vocaretur S. Sedes adiri debet, & nova dispensatio pro illo foro obtineri.

Petes 4. Quando censeatur non posse fieri separationem eorum, qui nulliter in facie Ec-

clesiæ cum impedimento occulto conjuncti sunt, absque scandalo? Respondeo id prudenti judicio relinqui, circumstantiis rei bene perpensis & examinatis.

Petes 5. Quæ dicantur causare impossibilitatem moralem, ut recursus ad S. Sedem dicatur fieri non posse? Respondeo plures hujus impossibilitatis causas hic posse assignari.

1. Inopia personæ, cujus paupertas non permittit accessum, sive ob expensas viæ, sive ob expensas sollicitationis, & alias istis negotiationibus necessarias.

2. Brevitas temporis, quia periculum est incontinentiæ continuæ, si putati conjuges sic diu remaneant simul, cum enim Roma longissime distet, sperari non potest dispensatio, nisi post multum temporis; multiplicantur interim incontinentiæ, & alia mala. In hoc casu non est attendenda paupertas, vel divitiæ periculum enim incontinentiæ ab illis abstrahit.

3. Scandalum imminens, quod non patitur dilationem. Et alia similia possunt occurrere, quæ excusent ab accessu ad Sedem Romanam, & quæ judicio prudentis committi debent.

QUAESTIO IV.

Qualiter Litteræ Pontificiæ dispensationum examinandæ & intelligendæ sint, ut suum effectum sortiantur?

Quatuor potissimũ illæ litteræ continent.

ADvertendum 1. Litteras Pontificias dispensationum quatuor potissimum continere. 1. Est narratio facti, seu impedimenti, super quo dispensatio prætenditur. 2. Causæ, quibus, sive ob quas dispensatio postulatur. 3. Forma dispensationis, quam Pontifex concedit cum circumstantiis & dependentiis. 4. Persona cui executio dispensationis committitur.

Advertendum 2. ut plurimum duo in supradictis contineri; unum, quod est principale & de substantia rei, facti vel causæ, sive etiam dispensationis: alterum, quod est planè accessorium & accidentale. Explico: Quæritur dispensatio in impedimento consanguinitatis, de substantia narrationis est, ut gradus exprimantur, & linea recta, transversalis &c. qualitas autem personæ, & nonnulla alia planè accessoria sunt. Similiter ad causæ substantiam pertinet, quidquid justè movere debet Pontificem ad dispensandum: nonnulla verò accidentia & circumstantiæ, quæ ad finem non conferunt, taceri possunt. Item, Pontifex in sua dispensatione aliqua requirit facienda, sine quibus dispensatio non potest executioni demandari.

His sic prænotatis, pono sequentes conclusiones.

CONCLUSIO I.

Narratio impedimenti an & qualiter debeat esse integra.

NArratio rei, sive impedimenti, debet esse integra, & vera quoad omnia quæ ad ejus substantiam in ordine ad dispensationem pertinent, ut dispensatio valida censeatur.

Conclusio clara est: Cùm enim narratio rei sit fundamentum totius dispensationis, si in iis quæ ad substantiam pertinent, deficiat; quidquid super illa ædificatur, sive quod illius ratione conceditur, etiam defectum patiatur, necesse est. Ex. gr. Qui petit dispensationem impedimenti consanguinitatis, si pro secundo gradu tertium; vel pro tertio quartum supponat. Pontifex dispensans in tertio, non censetur dispensare in secundo; nec si in quarto, censetur dispensare in tertio; & consequenter dispensatio tali narratione impetrata, est nulla. Aliud est, si petat dispensationem in secundo gradu, & posteà inveniatur tantum impedimentũ in tertio; quia enim secundus gradus potior est & propinquior, qui in secundo gradu dispensat, multò magis censetur dispensare in tertio, & allegatio secundi non vitiat substantiam impedimenti, sed auget.

Dixi (*quoad omnia, quæ ad ejus substantiam in ordine ad dispensationem pertinent*) quæ enim in ordine ad dispensationem nil faciunt, etsi aliquo modo ad substantiam pertinerent, exprimenda necessariò non sunt. Ex. g. Petitur dispensatio in 2. aut 3. gradu consanguinitatis vel affinitatis inter Margaretam viduam & Joannem, non est necessarium narrare, quod sit vidua, prolibus gravata, nobilis vel pauper, nisi fortè illa esset causa, propter quam dispensatio postuletur.

Similiter, credo non esse necesse exprimere, quòd carnalem copulam adinvicem habueriat si aliàs habeant sufficientes causas, ob quas obtinere dispensationem possint. Dupliciter enim potest allegari copula carnalis quæ intervenit. 1. Tamquam causa dispensationis ad evitandum scandalum, utpote quia ex copula Margareta imprægnata est, vel timetur impregnatio & proles secutura, & in hoc casu debet allegari & manifestari in narratione facti. 2. Potest allegari tanquam motivũ quoddam ad facilius impetrandam dispensationem: & tunc in libertate est postulantium allegare vel tacere: immo si aliter possit ex veris causis impetrari dispensatio, non video cur allegetur, cùm consultius sit tacere pro conservatione honoris & famæ. Unde miror Thomam Sanchez, & alios velle obligare dispensandos ad allegãda copulam carnalem, ubi aliunde causæ sufficientes suppetunt, cùm omnis turpitudo meliùs sileatur. Excipitur tamẽ casus, in quo ad obtinendã facilius dispensationẽ, dispensandi à proposito se carnaliter cognovissent, cùm enim in Conc. Trid. sess. 24. de reform. matrim. c. 5. in simili casu de iis, qui scienter inter prohibitos gradus matrimoniũ contrahunt & consummant, decernatur *eos spe dispensationis consequẽdæ carere*, eodem modo dicendum de iis, qui carnaliter se

cognô-

cognoverint ad facilitandam dispensationem: Malitia enim nemini suffragari debet, nec digni sunt, qui Ecclesiæ benignitatem facile experiantur, qui divina humanaque præcepta ex malitia mera transgrediuntur. Unde in hoc casu, si dispensatio petatur, alleganda est copula malitiose habita, ut Pontifex malitiam illam aboleat; non enim censetur talem malitiam dispensando tollerare vel dissimulare, nisi eam norit, & pœnitentibus indulgeat.

CONCLUSIO II.

Planè accessoria falso allegata non vitiant dispensationem in substãtia.

SI qua falsitas vel taciturnitas in re planè accessoria, & quæ ad rem dispensationis nil facit, in narratione continentur dispensationẽ in substantia non vitiant, sed debet reputari pro non adjecta; nisi de malitia & dolo aliquid constaret.

Prior pars constat: Si enim falsitas rei postulatæ plane accessoria sit, non censetur concurrisse ad dispensationem, & dispensatio aliàs supponitur fuisse concedenda, eo modo quo est concessa, unde reputari debet pro non adjecta.

Posterior etiam pars Conclusionis (*nisi de malitia & dolo aliquid constaret*) declaratur, Quia si malitia aliqua vel fraus de accessoria illa posita fuerint, quia putarunt dispensandi in aliquo Pontificem decipere tunc in pœnam fraudis putatæ, & contemptus deberent dispensationis gratiâ privari, nemini enim debet fraus & dolus patrocinari, nec dolo & fraudi favẽdum est, argumento Concil. Trid. suprà citato. Porrò si non constet de fraude vel dolo aut malitia; simplicitati, & inadvertentiæ, sive ignorantiæ, hujusmodi falsitates ad nil concurrentes deputandæ sunt. Vide Marcum Paulum in Praxi ad litt. Majoris pœnitentiariæ p.1. de forma votorum, tit. Trãsgressiones votorum, juxta impressionem Romanam pag. 62. 63. 64. & seqq. qui in hanc materiam multa tradit.

Marcus Paulus.

CONCLUSIO III.

Falsitas in causa finali concessionis, annullat dispensationem.

OMnis falsitas in causa finali concessionis, sive propter quam dispensatio conceditur, vitiat & annullat dispensationem.

Ratio est: Quia sublata causâ tollitur effectus; causa autem, positâ falsitate, destruitur, & cùm ex causa dispensatio datur, non censetur dispensatio dari, si causa non subsistat.

Dico (*in causa finali, sive propter quam dispensatio datur*) Duplex enim assignatur causa à Doctoribus in dispensationibus: Altera vocatur finalis propter quam, aut sine qua non daretur dispensatio. Ex. g. scandalum imminens evitandum, necessitas, utilitas magna, & aliæ, quas nos superiùs tit. 9. q. 2. recensuimus. Altera vocatur causa tantùm impulsiva, quando verè absque illa daretur dispensatio, sed tamen cum illa faciliùs datur, movetque sive impellit dispensantem ad faciliùs dispensandum. Et hæc non annulat dispensationem: Ratio est, quia, ut dictum est, etiamsi illa posita non fuisset, supponitur tamen dispensatio fore concedenda, etsi difficiliùs. Quãdo verò sit causa finalis, & sine qua non; & quando tantùm impulsiva; hoc ex textu litterarum, adhibito prudenti judicio, facilè constare potest: quando enim vel sola ponitur, vel æqualiter ad dispensationem movet, censetur finalis, si vero alia appareat causa sufficiens & principalis impetrationis, aliæ verò adjunctæ minus principales, & accessoriæ, signum est quod impulsivæ sint tantùm; in dubio autem, an aliqua causa finalis, an impulsiva sit, censendum esse impulsivam, affirmat Marcus Paulus suprà: cui facile assentior, si alia causa principalior fuerit in eodem casu ad impetrandam dispẽsationem allegata.

CONCLUSIO IV.

Simpliciter exequenda posita in litteris Apostolicis non possunt omitti.

IN forma litterarum Apostolicarum nonnulla ponuntur simpliciter & absolutè exequenda, alia vel respectiva sunt, vel judicio prudenti executorum relinquuntur. Illa igitur quæ simpliciter ponuntur exequenda, omitti non possunt sub pœna nullitatis dispensationis, ut examen rei, sive an preces veritate nitantur, & alia similia: illa verò quæ vel respectiva sunt, vel prudenti judicio Executorum relinquuntur, omitti vel etiam mutari possunt. Respectiva voco, quæ aliquo respectu vel mutari vel tolli possunt, ut impedimentorum examen, si enim de impedimẽtis & nonnullis aliis clare & certò Executori constet, frustrà examinarentur, Pœnitentiæ etiam & alia, quæ judicio executorum relinquuntur, censentur prudenti arbitrio eorum subjici.

CONCLUSIO V.

Error substantialis personæ vitiat dispẽsationem.

ERror substantialis in persona, vel qualitate in litteris dispensationis requisita in ordine ad dispensationem vitiat, & annullat dispensationem.

Ratio est: Quia hæc alterant, & immutant dispensantis veram intentionem. Error verò substantialis personæ dicitur, quando una persona alteri substituitur, sive per errorem, sive per malitiam. Explico: Petitur dispensationem pro Petro majori-natu Joannes ex errore & abusu, quæ petenda erat pro Joanne minore-natu, vel pro Petro filio Joannis: quæ petenda erat pro Petro ejus cognato, filio Jacobi. Dispensatio data non potest applicari secundo pro quo peti debebat, etsi eadem cõvenirent, quia verè Pontifex non intendit dispensare, nisi cum eo, pro quo determinatè dispensatio fuit postulata. Aliud est, si pro eadem persona dispensatio postulata esset, solò abusu facto in nomine; ut si nomen Petri positum sit abusivè pro nomine Joannis, reverà tamen pro illo in individuo, nimirum Joanne, postulata est dispensatio. Tunc enim, cum non supponitur fuisse aut esse ullus error in persona factus, sed tantum in nomine, dispensatio potest liberè applicari personæ, pro qua postulata est, & in cujus tantum nomine erratum est.

Quoad qualitatem verò personæ advertendum est: Quòd dupliciter possit esse error in qualitate: nimirũ vel in qualitate pertinente

tent

te ad ipsam personam, & rem super qua dispensatio petitur; aut error non tam consistit in qualitate personæ ad rem, quam in qualitate ex litteris Apostolicis requisita: Ex. g. Cum datur dispensatio in forma pauperum, requiritur ex litteris Apstolicis, ut cum quo dispensatur sit pauper, etsi enim paupertas nihil conferat ad dispensationem in se; confert tamen ad dispensationem juxta Pontificis intentionem, qui aliàs non sic dispensaret, sed mulctam consuetam (si dives esset) ei imponeret, nec sine imposita mulcta dispensaret. Pro quo rursus Advertendum est, ea quæ pro diversis dispensationibus dantur in curia Romana, non esse in mercedem, pretium vel expensas dispensationis; illa enim gratis datur, & sub pretium non cadit: sed dantur tâquam mulctæ eleemosynariæ velut in pœnam relaxationis legis, & utilitatem Ecclesiæ Romanæ, unde & juxta personarum qualitates & gravitatem dispensationis determinatæ sunt, juxta determinationes Pontificum imponuntur, & describuntur. Quãdo itaque in forma pauperum datur dispensatio, ob narrationem paupertatis, cum remissione mulctæ, quam dispensationem non dedisset Pontifex absolutam, nec intendit dare, nisi subsistente narratione paupertatis in supplica facta: si falsum narratum fuerit, dispensatio nulla est.

Quæ autem paupertas requiratur, & quomodo intelligenda sit, diximus aliquando in resolutione nonnullorum casuum: nec possum his diutiùs inhærere. Quæ de famulis dispensationum dicenda essent, ab aliis in praxi Curiæ Romanæ expertis integris voluminibus traduntur, exceduntque nostrum intentum: quamvis pro securitate conscientiæ credam non semper in rigore sumendas illas particulas, sed ex interpretatione boni & æqui absque scrupulis. Et quidem, quoad paupertatem, ille vere pauper est in hoc casu, qui ad mulctam solvendam, sine gravissima sua, & familiæ incommoditate, non est sufficiens &c.

TITVLVS X.

De finibus & bonis matrimonii.

QUÆSTIO I.

Qui sint matrimonii fines primarii?

DUplices *Fines Matrimonii* veri statui possunt. Alii *primarii* sive necessariò intenti. Alii *secundarii*, qui ex primariis consequentiam quandam habent, ex rei natura provenientem: De primariis hæc quæstio procedit.

CONCLUSIO.

Fines duo primarii post peccatum Adami.

DUo *sunt Fines primarii Matrimonii post primum peccatum Adami*. Prior *procreatio prolis*: Posterior, *remedium concupiscentiæ & illicitæ libidinis*.

Prior probatur Gen. 2. ubi describitur formatio mulieris: *Non est* (inquit Deus) *bonum esse hominem solum faciamus ei adjutorium simile sibi &c. Adæ verò non inveniebatur adjutor similis ejus*; positaque formatione Evæ ex costa Adami statim profertur institutio matrimonii: *Hoc nunc os ex ossibus meis* (ait) *& caro de carne mea &c. Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem, & adhærebit uxori, & erunt duo in carne una.* Ex quibus verbis, tamquam à priori & ex causa, colligunt Patres, 1. Mulierem non fuisse formatam nisi in adjutorium speciei humanæ propagandæ, neque enim alio adjutorio in statu Innocentiæ indigebat Adã, cui fuisset perpetua conversatio cum Deo, & Angelis ejus, cui nulla ex solitudine tristitia, vel gaudii privatio accessisset. Desiderabatur igitur adjutor, vel adjutorium simile sibi, ut modis congruis, ab Authore naturæ præfinitis, per generationem filiorum genus humanũ propagaretur. Et hoc est quod causaliter 2. exprimitur: *Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea*: propagatio miraculosa feminæ ex meis membris à Deo facta, ad finem utique est, propter quem finem *relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*, scilicet per copulam carnalem, quæ tunc ad solos gignendos filios adhibenda fuisset. Vide patres communiter hunc textum exponentes. Gen. 2. 18. Vers. 20. Vers. 23. Vers. 24. *Mulier cur formata.*

Posterior probatur ex Apostolo 1. ad Cor. 7. Ubi postquam in commendationem virginitatis & continentiæ dixisset: *Bonum est homini mulierem non tangere*, subdit *propter fornicationem autem unusquisq; suam uxorem habeat & unaquæq; suum virum habeat*, cujus causam postea subjicit: *melius est enim nubere quam uri*. Quibus verbis alter finis matrimonii clarè proponitur, matrimonium scilicet in remedium concupiscentiæ & incontinentiæ à Deo datum ex indulgentia, propter humanæ carnis fragilitatem, ut ibidem exponit S. Paulus, qui & leges divinas matrimonii ad hunc finem declarat de debito matrimoniali, nimirum, ut *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro*: quòd *mulier sui corporis potestatẽ non habeat, sed vir, similiter & vir sui corporis potestatem non habeat, sed mulier*. Et mandatum inserens: *Nolite* (inquit) *fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* Ex quibus omnibus certa, solida, & Catholica doctrina desumitur, quam paucis propositionibus declaro. 1 Cor. 7. Vers. 2. Vers. 9. Vers. 3. Vers. 4. Vers. 5.

PROPOSITIO I.

Ad quid matrimonium.

M*Atrimonium, quod ante peccatum ad solam procreationem prolium erat a Deo institutum, Dei benigna dispositione factum est etiam in remedium libidinis, & innocentia.* Constat ex verbis Apostoli: *propter fornicationem autem unusquisq; uxorem suam habeat.* Vers. 2.

PRO-

PROPOSITIO II.

Sub posteriori etiã ratione nõ est preceptum sed indultum.

Dispositio divina de matrimonio in remedium libidinis & incontinentiæ solutis non est posita in præceptum, sed tantum in indulgentiam. Ita Apostolus supra: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium: Volo enim omnes vos esse, sicut meipsum*; id est, virginitatem servare, Paulus enim virgo permansit. Et suprà præmiserat: *Bonum est homini mulierem non tangere*, & posteà subjicit: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant.*

PROPOSITIO III.

Nuptiis licita est copula carnalis sola causa vitãda libidinis. *Vers. 6.*

Nullum est peccatum nuptiis, etiam sola vitanda libidinis causa carnaliter copulari. Hanc pono contra nonnullos antiquos, qui interpretantes verba Pauli, *secundum indulgentiam*, saltem veniale peccatum in quolibet concubitu ad vitandam incõtinentiam assumpto comminiscuntur, ad quos opus esset indulgẽtiaDei sive remissione. Dico verò tales concubitus inter nuptos libidine tentatos (si alia inordinatio non concurrat) nullum plane esse peccatum; quod sic probo.

1. Talis concubitus authorizatur facultate & permissione divina, blasphemum autem esset dicere Deum authorizare & consulere peccatum etiam veniale. Authorizatur autem in verbis Apostoli, dum consulit, ut propter fornicationem vitandam unusquisque uxorem suam habeat.

2. Quia actum illum carnalem, altero conjugum postulante, imponit per modum præcepti & debiti, nec permittit abstinere, nisi ex mutuo consensu ad tempus. *Nolite* (ait) *fraudare invicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipsum.* Et non aliam causam ponit hujus mãdati, quam evitationem incontinentiæ. *Ne* (ait) *tentet vos sathanas propter incontinentiam vestram.* *Vers. 5.*

PROPOSITIO IV.

Ad solum illum finẽ conjux tenetur alteri petenti debitũ reddere.

Conjugi petenti concubitum ad evitandam duntaxat incontinentiam, tenetur alteri reddere. Hoc iterum constat ex eodem Pauli loco *Uxori vir debitum reddat &c.* quod quidem debitũ refert in ipsã matrimonii obligationem, quia nec vir, nec mulier sui corporis potestatem habet.

Ad rationem itaque antiquorum, & locum Pauli de *indulgentia*, clara responsio est. Dupliciter enim nomen *indulgentiæ* sumi potest. 1. Ut significat remissionem peccati vel pœnæ. 2. Ut significat favorem aliquem & dispensationem rigoris legis, sive facultatem aliquam relaxativam legis. Hoc 2. modo à Paulo accipitur, dum dicit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* id est, permitto ex parte Christi, ut unusquisq; liber & solutus propter fornicationem uxorem habeat &c. secundum indulgentiam, id est, ex favore Dei Christi, & relaxatione primævę institutionis, quia matrimonium, quod tantum ad procreationem prolis erat ante peccatum institutum, post peccatũ Deo condescendente, & infirmitati humanæ misericorditer indulgente, ampliatum est, ut etiam, in remedium libidinis & incontinentiæ cedat.

Qualiter Patres talem copulam condẽnaverint peccati venialis.

Ad dicta Patrum respondendum est, ipsos concubitus ad remedium libidinis assumptos condemnasse peccati venialis, non in se, nec universaliter, sed quia ut plurimum ob imbecillitatem humanam aliqui motus veniales illos concomitantur, nõ tamen necessariò nec semper. Quando verò, & qualiter in istis peccari contingat latius dicemus infra cum de legitimo usu matrimonii disseremus. Noranda sunt verba D. Augustini l. de bono conjugali, cap 4. *Eo ipso* (inquit) *quòd sibi invicem conjuges debitum solvunt etiamsi id aliquantò intemperantius & incontinentius expetant, fidem tamẽ sibi pariter debent, cui fidei tantum juris tribuit Apostolus ut eam potestatem appellarit dicens: Mulier non habet potestatem sui corporis sed vir.* *S. Aug.*

QUÆSTIO II.

Quando fuerit institutum matrimonium in remedium libidinis?

CONCLUSIO I.

Probabiliter statim post peccatum matrimoniũ in remedium libidinis institutum est.

Verisimiliter à principio post peccatum Adami & Evæ secreta dispensatione divina dispensatum fuit ut in remedium libidinis conjuges convenire possent.

Ratio est: Quia non est verisimile, Deum in tanta necessitate absque singulari remedio hominem reliquisse; cum autẽ primos homines concupiscentia maxime urgeret & officio naturæ ad multiplicationem generis humani omnibus fere vacandum esset, Deus in gravi necessitate hominem reliquisse censetur, si vehementibus concupiscentiæ motibus, quæ concubitum necessariò concomitabantur, hanc saltem Indulgentiam elargitus non fuisset, maximè cum etiam de copula carnali communiter sicut de re honesta inter conjuges scriptura loquatur & conceptus ex concubitu Deo adscribantur, ut constat toto c. 4. Gen. ubi in partu Cain Eva Dei favorem agnoscens: *Possedi* (ait) *hominem per Deum.* Et iterum in partu Seth. *Posuit* (ait) *mihi Deus semen aliud pro Abele quem occidit Cain.* Addo in maledictione Evæ Deum in motus concupiscentiæ in concubitu carnali futuros, doloribus & pœnis sequentibus velut compensasse & correxisse, ac sub compensatione pœnarum concupiscentiæ motus intervenientes dissimulasse; *Multiplicabo* (inquit) *ærumnas tuas, & conceptus tuos: In dolore paries filios &c.* *Gen. 4. 1. Vers. 25.* *Gen. 3. 16.*

CON-

CONCLUSIO II.

Post diluvium videtur id publicè declaratum.

PRobabiliter Deus Gen. 8. *Omnem culpam à legitimo concubitu per declarationem publicam abstulit, dum egressis Noë, & filiis ejus de arca, praeceptum primitus ante peccatum Adamo & Evæ datum renovavit*, dicens: *Crescite & multiplicamini super eam*, scilicet terram Et iterum cap. 9. *Benedixitque Deus Noë & filiis ejus, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini & replete terram*: Non enim benedictionem, & liberum ad illud mandatū absque restrictione Deus daret, maximè cùm jam ob nimiam hominum libidinem diluvio universum genus humanum delevisset, si peccatum in legitimo concubitu esset. Censendum igitur est Deum benedictione illa & mandato declarasse legitimo concubitu peccatum abstulisse, & illum in remedium libidinis & concupiscentiæ singulari favore indulsisse. Et ita tenet Abulensis in l. 1. Reg. cap 8. quæst. 42. agens de matrimonio infidelium: *Nam* (inquit) *post peccatum non poterat fieri concubitus sine quodam peccato cùm ex ardore concupiscentiæ fieret, providit Deus contra hoc instituens matrimonium, ut illud esset remedium contra morbum, scilicet, ut utentes venereis non peccarent.* Ex quo infert, quod quamvis matrimonium illud ante legem novam non esset absolute & perfecte sacramentum (prout & nos aliàs docuimus) participasse tamen aliquam rationem Sacramenti, sive sanctificationis in genere, quia nimirum, concubitus inter conjuges, qui ob motus concupiscentiæ absque aliquo peccato fieri non poterat, ex Dei indulgentia sine peccato in remediū concupiscentiæ fiebat, quæ saltem privativa sanctificatio erat, in eo quod peccati rationem à concubitu legitimo conjugium, concomitantibus venereis motibus, auferebat.

Gen. 8. 17.
Gen. 9. 1.

Abulens.

Notanda verò est hic Abulensis distinctio de variis institutionibus, sive potius mutationibus circa matrimonii institutionē. *Nam habet* (ait) *diversas institutiones: Unam ante peccatum à Paradiso*, Genes. 2. *scilicet*, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. *Aliam post peccatum in lege naturæ*, Genes. 6. Crescite & multiplicamini, *Aliam in veteri testamento; Aliam in novo, Aliam in jure civili vel humano.* Et explicans quinque illas institutionum mutationes, *Prima* (ait) *institutio fuit in officium & ad prolis procreationem. Secunda fuit contra vulnus peccati in remedium. Tertia fuit ad idem remedium addendo determinationem personarum.* Levit. 18. & 20. Ubi nimirum prohibitiones variæ ponuntur, ne concupiscentia in quasvis personas inardesceret. *Quarta fuit ad significationem conjunctionis Christi & Ecclesiæ* ad Ephes. 5. *Quinta est ad utilitates humanas, ut amicitiam, & obsequia mutua à conjugibus impensa, quæ considerant leges humanæ &c.* quæ omnia explicant diversas considerationes, multùm proficuas ad intelligētiam multorum modorum, quibus scripturæ, Patres, Concilia, & Jurisconsulti variè de matrimonio sunt locuti. Stabiliunt autem doctrinam de primariis finibus matrimonii, quæ sunt procreatio prolis, & remedium concupiscentiæ sive libidinis.

Gen. 2. 23.
Gen. 9. 1.

QUÆSTIO III.

Qui sint secundarii fines matrimonii?

CONCLUSIO.

Duo fines matrimonii.

SEcundarii fines matrimonii sunt educatio prolis, & Communicatio mutua at individua societatis. Et prior quidem respicit Bonum prolis, posterior Bonum fidei, & mutuæ societatis. Hæc verò Conclusio deducitur. Illi dicuntur fines secundarii, qui ex primariis ita nascuntur, ut primarii convenienter absque illis consistere non possint: atqui procuratio prolis non potest convenienter consistere absque educatione, remedium etiam concupiscentiæ absque mutua & individua communis vitæ societate: Ergo illi sunt fines necessarii.

S. August.

Sub educatione comprehendo non tantùm sustentationem & nutrimentum corporale prolis, ad quā parētes obligantur, sed etiā ejus debitam institutionem etiam in ordine ad Deum & salutem. Ita S. Aug. l. S. Virginitate c. 12. *Habeant* (inquit) *conjugia bonum suum, non quia filios procreant, sed quia honestè, quia licitè quia pudicè, quia socialiter procreant, & procreatos pariter salubriter instanter educāt, quia thorū fidē invicē servāt, quia sacramentū connubii non violant.* Hæc ibi quæ bona matrimonii explicant, de quibus infrà.

Sub communicatione mutuæ & individuæ societatis comprehendo communicationem communem operum, & mutui auxilii ad œconomiam familiæ, ac onerum matrimonii supportationem, sine quibus matrimonii operationes claudicant, nec benè subsistere aut dirigi possunt. De quibus omnibus passim scriptura Tob. 10. ad Tit. 2. 1. ad Tim. 2. & alibi, quæ suis locis expenduntur.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint bona matrimonii?

CONCLUSIO.

Tria bona matrimonii.

TRia potissimùm Bona Matrimonii referuntur, quibus à Deo & Natura matrimonium cohonestatum est. nimirum *Proles, Fides. Sacramentum.* Quæ quidem vocantur *Bona* Quia matrimonio junctis quandam bonitatem conferunt; & velut divinæ bonitatis benedictiones reputātur. De quibus compendiosè Apostolus 1. ad Tim. 2 loquens de muliere: *Salvabitur* (ait) *per filiorum generationem, si permanserit in fide & dilectione, & sanctificatione cum*

1. Tim. 2. Vers. 15.

ne cum sobrietate. Ubi per filiorum generationem *Bonum prolis*, per fidem & dilectionem *Bonum fidei*, sive *fidelitatis*, *& fidelis amoris*; per sanctificationem cum sobrietate *Bonum Sacramenti*, quod & sanctificationem & sobrietatem sive sobrium & continentem usum Matrimonii designat, quibus tamquam tribus Bonis salvantur conjuges in Matrimonio suo.

Porro Bona illa passim celebrantur in Scriptura; & quidem *Bonum Prolis* tamquam benedictio singularis divina celebratur in benedictione Abrahæ, cui promisit Deus semen
Gen.28.14 multiplicatum. *Eritq; (ait) semen tuum quasi pulvis terræ: dilataberis ad Occidentem, & Orientem & Septemtrionem, & Meridiem &c.* & passim fœcunditas prolis tamquam donum Dei reputatur.

Bonum fidei non minùs commendatur. Unde Eccli. 25. inter tria Deo probata & placita
Eccli.25.2
11. ponitur, *Vir & mulier bene sibi consentientes, &*
Eccl.26.3 ibidem prædicatur *Beatus qui habitat cũ muliere sensata* & cap. 26. *Pars bona mulier bona. in parte timentium Deum dabitur viro pro factis bonis.*

Eph.5.32. Denique *Bonum Sacramenti* solemnizatur ad Ephes. 5. in comparatione ineffabilis illius mysterii, conjunctionis nimirum Christi cum Ecclesia, cujus ratio infrà explicabitur.

Tria hæc bona paucis complectitur S. Augustinus l. 9. de Gen. ad literam c. 7. *Id quod*
S. August. *bonum habent nuptiæ, & quod bona sunt nuptiæ, peccatum esse nunquam potest. Hoc autem tripartitum est. Fides, Proles, Sacramentum. In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cũ altera vel altero concumbatur: In Prole, ut amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur. In Sacramento autem ut conjugium nõ separetur, & dimissus aut dimissa nec causâ prolis alteri conjungatur: Hæc* (inquit) *est tanquam regula nuptiarum, quâ vel naturæ decoratur fœcunditas, vel incontinentiæ regitur pravitas.* Vide & l. 2. de peccat. originali cap. 34. ubi Scripturas allegat.

TITVLVS XI.

De Honestate, Honore & Sanctitate Matrimonii.

QUÆSTIO I.

An in matrimonio & actibus ejus reperiatur Honor & Honestas?

Ratio dubitandi ob verecundos actus. Ratio dubitandi est: Quia cùm matrimonium ad prolis generationem primariò ordinetur, quæ quidem nonnisi per copulam carnalem & verecundos actus ac concubitus fieri potest, concupiscentiâ carnis motibus suis generationi cooperante, non videtur in his Honestas prævalere posse.

Pro resolutione advertendum est: *Honestum* illud dici, quod rationi & Legi tam naturali quàm divinæ conforme est: unde & apud Antisthonem referente Laërtio l. 6. c. 1. honestum & bonum convertuntur, sicut turpe & malum. *Honoratum* autem & *Honorabile* dicitur, cui aliqua reverentia & dignitas exhibetur; Unde apud Simplicium l. 1. de Anima text. 1. honestum & honoratum eodem subjecto sunt, ratione autem differunt; nam honestum expetitur; honoratum propter excellentiam sic appellatur.

CONCLUSIO.

Honestas & Honor in matrimonio ejusq; actibus. Tam Honestas quàm Honor in matrimonio & actibus ejus reperitur. Ita ad Heb. 13. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus.* Sicque probari potest: Quod à Deo
Heb.13.4. ante lapsum Adami institutum est, & post lapsum confirmatum, ac demum Sacramenti magni excellentia honoratum propriam honestatis & honoris rationem habet: Sed ista verificantur de matrimonio: Ergò matrimonium vere honestum & honorabile est. Minor probatur Gen. 1. Matth. 19. ad Ephes. 6. Simili argumento idem concludit S. Martialis epistola ad Tholosanos c. 9. *Non prohibemus* (ait) *nubere legitimo connubio, cùm & hoc conjugium honestum confessum sit, & constitutum à Deo ab initio mundi in multiplicationem generis humani: in tantum enim Dominus meus, & Magister Jesus Christus legitimum & immaculatum thorum connubii approbavit, iis qui in sanctificatione & honore castitatis nubere volunt, ut ad quasdam nuptias invitatus eas præsentiâ suæ Majestatis sanctificaverit, & miraculo magnificè stupendo lætificaverit.* Tertullianus etiam antiquissimus l. 2. ad uxorem circa finem, Honestatem & honorem matrimonii concludit ex iis quæ adhibet, & de matrimonio tradit Ecclesia: *Unde sufficiam* (ait) *ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, & obsignatum Angeli renuntiant, Pater ratò habet?*

Ad rationem dubitandi respondeo, dupliciter considerari posse concubitum. 1. In se prout est officium & actus naturæ & potentiæ generativæ. 2. Prout à concupiscentia carnis, sive parte concupiscibili imperatur vel movetur. Iterum pars concupiscibilis, in suis motibus vel à ratione temperatur & dirigitur; vel rationem prævenit, excludit, & superat. Rursus motibus concupiscentiæ vel voluntas plene & deliberatè consentit, vel ei resistit, aut violenter illos patitur. His sic benè consideratis & distinctis

Dico 1. Actus matrimoniales, ut sunt officium naturæ, non includere per se vitiosam concupiscentiam, sed tantum naturalem, ut est portio naturæ: Unde in statu innocentiæ, etsi concupiscentia naturalis, ut est naturæ portio, cooperata fuisset, omnem tamen turpitudinem sive integritate naturæ, sive justitia originali prædominante exclusisset.

Dico 2. post lapsum, Deo matrimonium iterum benedicente, non defuisse homini divina subsidia & media; quibus in concubitu legitimo, carnis concupiscentia rationi & spiritui subjiceretur, & motus ejus conjugali pudicitia

dicitia attemperarentur, quod præcipuè invenire cernimus in matrimonio fidelium sacramentali gratiâ dotato, nec defuisse in matrimoniis SS. Patriarcharum probabile est, ut juxta S. August. supra lib. de virginitate c. 12. *Honestè, licitè, pudicè, socialiter proles procrearent.* Et S. Ignatius epist. ad Philadelphios: *Non vitupero* (ait) *Divos, quòd rei uxoriæ se dederint, opto enim ut dignus sim in regno cælorum ad horū pedes locum mihi dari, ut Abrahæ, Isaac, Jacob, &c.* Et hanc concupiscentiæ subjectionem, & in motibus ejus sanctam moderationem & directionem agnoscit Apostolus ad Thess. 4. *Hæc est enim voluntas Dei* (ait) *sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore non in passione desiderii, sicut & gentes quæ ignorant Deum.* In quibus verbis parenter distinguit, concubitum uxorum & legitimum à fornicatione & concubitu, qui fit ex passione desiderii, sive motivo meræ concupiscentiæ & libidinis; & quidem in concubitu legitimo prædominante nimirum ratione, & gratiâ Sacramenti, asserit vas generationis possideri in sanctificatione & honore, quod idem est, ac fieri honestè & sanctè absque peccato. Quod bene exprimit sanctus Basilius de vera virginitate post medium: *Ita fiunt* (inquit) *honorabiles nuptiæ, quando rationem conjugii non prævit obscœna voluptas, sed jacto secundū leges divinas sancto fundamento, matrimonium necessariò sequi voluptas ipsa concubitus, unamq; carnem duos facere deprehenditur.*

S. August.

Thess. 4. 3

Distinctio copulæ legitimæ & fornicariæ.

S. Basilius

Ex quibus dico 3. Etsi in omni concubitu carnali motus quidam concupiscentiæ carnis naturaliter interveniant; illos tamen honestos esse & honestari, qui 1. legitimo matrimonio, 2. sancto fundamento, id est, gratiâ sacramentali, vel Dei sanctificatione, 3. secundum leges divinas, intentione nimirum prolis, vel ad evitandam fornicationem fiunt; intentione debita, nimirum turpitudinem auferente matrimonio actum legitimante, gratiâ & virtute motus concupiscentiæ præveniente, dirigente & temperante ne exorbitent. Et hic est usus matrimonii legitimus, & qui absque omni peccato fit, in quibus si aliquis excessus fiat, juxta sui qualitatem aut veniale aut mortale peccatum inducit.

Unde dico 4. quod sicut in portione irascibili datur moderatio post lapsum, ita & in portione concupiscibili moderamen dedit Deus, ut mandatum de matrimonio datum ad multiplicationem generis humani legitimè executioni mandari posset; quod bene Clemens Alexand. l. 3. Stromatum post medium deducit. *Si* (inquit) *peccatum est matrimonium quod est ex lege, nescio quomodo quis dicat se Deum nosse, dicens Dei jussum esse peccatum. Quod si lex, scilicet matrimonii, sancta est, sanctum est matrimonium. Sacramentum ergo hoc ad Christum & Ecclesiam ducit Apostolus.* Hæc ibi: Et his titulis verè ab Apostolo dicitur: *Honorabile connubium & thorus immaculatus.*

QUÆSTIO II.

An in matrimonio & actibus ejus reperiatur Sanctitas?

CONCLUSIO.

A *Principio creationis hominis matrimonio & actibus ejus legitimis varia sanctitas velut inserta fuit, sive ad decorem, sive ad prolium benedictionem, sive ad concupiscentiæ sanitatem.* Hæc conclusio ex ipsis Scripturis constat.

Matrimonium ejusq; actus habēt sanctitatem.

1. *A causa efficiente*: Gen. 1. *Et creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum masculum & feminam creavit eos.* Et c. 2. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile sibi*; ubi & à Deo singularis & immediata efformatio feminæ in ordine ad matrimonium describitur, & prophetia futuri mysterii incarnationis prænuntiatur, ut colligunt Patres: quod autem à Deo institutum est, malum esse nequit, sed sanctitatē ab Instituente participat, ut superius ex Clemente Alexandrino diximus, & Christus Matthæi 19. declaravit.

Gen. 1. 27.
Gen. 2. 18.

2. *A Benedictionibus.* Gen. 1. & 9. *Benedixitq; illis Deus, & ait: Crescite & multiplicamini & replete terram &c.* Etsi enim hæc verba fœcunditatem (ut alias docuimus) significent, cum tamen fœcunditas illa ad æternam salutem & replendas sedes Angelorum apostatarum ordinaretur, sine dubio cælestia etiam dona & favores concomitanter indicabat; unde & per miraculum sanatâ sterilitate, à Deo fœcunditas quibusdam data est, & proles ex sterili utero natæ singulares benedictiones hereditarunt. Et Gen. 24. pro grandi beneficio Abraham reputat matrimonium filii sui *Qui* (ait) *locutus est mihi & juravit mihi dicens: Semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet Angelum suum coram te, & accipies inde uxorem filio meo.* Cui consonat Sapiēs Prov. 19. *Domus & divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens.* Ab his benedictionibus matrimonii inter fideles proles vocabantur *semen sanctum*, 1. Esd. 9. Tob. 8. *Filii* (ait) *sanctorum sumus, & non possumus ita conjungi, sicut gentes quæ ignorant Deum.*

Gen. 1. 28.
Gen. 24. 7
Prov. 19. 14.
Tob. 8. 5.

3. Sanctitas matrimonii declaratur *à nova in novo Testamento ejus approbatione*, dum Christus sua præsentia, & miraculo in Cana Galilææ illud sanctificavit & cohonestavit, Joannis 2. & ejus indissolubilitatem ex divina institutione renovavit Matth. 19.

4. Sanctitas specialis *ex ejus ad Sacramenti veri rationem elevatione*, manifestata est, quam tradit Apostolus ad Ephesios 5. ubi dilectionem viri & uxoris comparans cum dilectione Christi & Ecclesiæ, allegatâ institutione matrimonii Genes. 2. concludit tandem: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia*, id est, significans conjunctionem Christi cum Ecclesia, tam in uniformitate naturæ, quam in communicatione gratiæ, subindicans ad conjunctionem viri & fœminæ per Sacramentum in Christo

Eph. 5. 32

Christo & Ecclesia significatam gratiam sanctificantem conferri. Dixerat enim superiùs Christum dilexisse Ecclesiam, *ut exhiberet ipse sibi gloriosam, non habentem maculam neq; rugâ, sed ut esset sancta & immaculata*: quasi subinsinuans rationem matrimonii sancti in Christo & Ecclesia, sanctitate similiter à Deo donari, & 1 ad Cor. 7. permittens mulieri viduæ nubere:

1Cor. 7.39 *Cui vult (ait) nubat, tantum in Domino*, id est, matrimonio à Domino sanctificato, sive Sacramento instituto.

Porro cùm gratia sacramentalis matrimonii detur ob matrimonii officia, & ejus operationes, quarum 1. est in actibus generationis & prolium procreatione, consequenter dicendū est gratiam illam officia & operationes sanctificare, sive speciali auxilio à libidini maculis protegendo sive expurgando. Unde non tantum prædicatur ab Apostolo: *Honorabile connubium*, sed etiam *thorum*, sive (ut exponit S. Hieron epist. 9.) *cubile immaculatum*, quod autem immaculatum est, gratia Dei sanctum &

S. August. immaculatum est: juxta quod dicit S. Aug. l. de Bono conjugali c. 24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes atq; omnes homines in causa generandi est & in fide castitatis quod autem ad populum Dei pertinet etiam in sanctitate Sacramenti.* Et l. de Fide & Oper. c. 7. *In civitate Domini, in monte sancto ejus hoc est in Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, sed etiam Sacramentum commendatur.*

5. Sanctitatem probant *sacræ ceremoniæ*, quæ in matrimonii Sacramento, ex præcepto adhibentur, ut orationes, preces, benedictiones Sacerdotum, oblatio Sacrificii, & alia quæ etiam initio nascentis Ecclesiæ usurpata fuerunt, ut ex Tertulliano suprà l. 2. ad uxorem retulimus,

S. Ambr. & de quibus S. Ambros. epist. 23. ad Vigilium mentionem facit. *Nam cùm (ait) conjugium velamine Sacerdotali, & benedictione sanctificari oporteat, quomodo conjugium dici potest ubi non est fidei concordia?* Sane Angelus Raphael sanctitatem matrimonii sacris ceremoniis prævenienda docuit Tob. 6 Ubi tres noctes præpara-

Tob. 6. 18. toriasindixit, in quarum 1. per orationem & fumigationem dæmonii fugationem, in 2. admissionem ad benedictionem in copulatione sanctorum Patriarcharum, in 3. benedictionem in sanctitate & incolumitate filiorum: *Ut filii (ait) ex vobis procreentur incolumes*, consequerentur: Sanctum Catholicis exemplum, juxta quod in

Con. Trid. S. Concilio Tridentino sess. 24. c. 1. sancitum est, ut conjuges futuri antequam contrahant, *saltem triduò ante matrimonii consummationem, peccata sua diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum piè accedant.* Quinimmò & antiquitus servabatur, ut ante solemnem benedictionem Sacerdotalem, quæ dabatur in fine Missæ, non convenirent, De quibus omnibus infrà.

TITULUS XII.

De omnibus Obligationibus Conjugum ratione matrimonii, & eorum peccatis.

QUÆSTIO I.

Quotuplices sint obligationes Conjugum ratione matrimonii?

CONCLUSIO.

Triplices sunt obligationes conjugum in ratione matrimonii: Aliæ enim sunt antecedentes, quæ contractum matrimonii antecedunt, & in Conjugibus de futuro requiruntur. Aliæ ipsi contractui intrinsecæ sunt, vel contractum concomitantur: vocanturq; intrinsecæ vel concomitantes. Aliæ tandem quæ ipsum contractum sive matrimonium consequuntur & perdurant. De quibus omnibus pono sequentes quæstiones cum paragraphis, dubiis & Regulis ad faciliorem doctrinam. *Triplices sunt obligationes Conjugū.*

QUÆSTIO II.

Quæ sint obligationes Conjugum de futuro contractum antecedentes, & quæ peccata ex illis nascantur?

CONCLUSIO.

Quatuor sunt potissimum obligationes antecedentes, ad quas qui matrimonium inire volunt, obligantur. Nimirum: *Intentio recta, Electio discreta; Fidelitas sincera; Præparatio anima congrua & sacrarum ceremoniarum observantia.* De his subjicio paragraphos sequentes. *Antecedentes potissimum quatuor.*

§. 1.

De Intentione recta.

Intentio recta juxta fines matrimonii in tribus consistit, nimirum, ut quis matrimoniū contrahat motivo conjugalis & individuæ societatis, ordinatæ ad propagationem prolis, remedium evitandæ aut vincendæ libidinis; mutui auxilii & consolationis. Hi enim sunt fines matrimonium rectificantes. *Intentio recta in tribus consistit.*

Dixi (motivo conjugalis & individuæ societatis) hæc est enim basis matrimonii, nam societas verè conjugalis duo dicit: 1. Societatem vitæ, amoris, adjutorii mutui & perseverantis. 2. Conjugalis potestatis & necessitudinis, ita ut in illis sit radicalis potestas ad reddendum debitum, in casu quo legitimè & justè exigatur. Quod ultimum addo ad includenda matrimonia, quæ à castè & continenter vivere volentibus (ut fuerunt matrimonia B. Virginis, & S. Joseph, SS. Chrysanti & Dariæ, Elzearii & Delphinæ) vel à senibus & decrepitis contrahuntur, quæ verè matrimonia sunt, & ad

&ad excludenda matrimonia frigidorum, eunuchorum, vel perpetuò impotentium, quæ prohibentur, & veri matrimonii rationem non habent: Hæc est utique manifesta differentia inter dicta conjugia, quòd illi qui castè absque concubitu carnali in societate conjugali vivere volunt, etsi explicite & formaliter prolis procreationem, vel fornicationis sive libidinis remedium per matrimonium non intendant; radicaliter tamen potentes esse debeant, ut in casu alicujus dispositionis legitimæ & justæ, sive à Deo, sive à potestate legitima procedente, debitum conjugale ad duo primarios fines reddere possint: unde & senes, etsi generare nō possint, tamē vero, licet infirmo ad generationem, semine gaudere supponuntur, adeoque cum reddere & exigere debitum possint, verè conjugalem societatem sortiuntur. Non ita autem frigidi, eunuchi, vel alias perpetuò impotentes, qui cum potentia radicali ad seminandum non gaudeant, etsi societatem vitæ, amoris & adjutorii mutui habere possint ad conjugalem tamen societatem sunt inepti, adeoq; matrimonii incapaces, & à matrimonio jure excluduntur, quia nulli vero fini matrimonii satisfacere possunt, etsi enim societatis vitæ &c. capaces sint, non tamē societatis conjugalis, sive ad conjugii finem aliquē idoneæ.

Ex quo infero, quod qui matrimonium contrahunt, etsi non teneantur formaliter & absolute intendere redditionem debiti, sive ad generationem & procreationem prolis, sive ad remedium libidinis, tenentur tamen simpliciter intendere societatem conjugalem, quæ potestatem reddendi debiti in casu justæ petitionis continet, quamvis sive ex speciali proposito & voto, sive aliunde ex causa legitima, actualis redditio non sit secutura; Unde verum matrimonium inter B. Virginem & S. Joseph fuit, quia vere societatem conjugalem intenderunt, quamvis ex utriusq; voto actus carnalis copulæ non esset secuturus, Deo superiori providentia, etiam absq; concubitu, Spiritus S. obumbratione in & ex utero virginis causarum secundarum vim supplente, & de prole providente. Tenentur itaq; in genere conjuges intendere societatem conjugalem quatenus conjugalis est, & potens ad reddendum debitum, si aut legitimè præciperetur, aut juste ac legitime non impediretur.

PECCATA
Ex defectu rectæ Intentionis.

Contrahere ob meram libidinem est peccatum mort. Tob.6.17 PEccans itaq; mortaliter 1. qui ob meram libidinem & voluptates carnis matrimoniū contrahūt. De quibus Tob.6, Angelus Raphael, *Hi* (inquit) *qui conjugium ita suscipiunt ut Deū à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem dæmonium super eos.* Tales autem, qui mero motivo libidinis exsaturandæ matrimonium contrahunt, esse in peccato mortali, ex ipsa intentionis deformitate constat; verè enim Deum à se & à sua mente excludunt, qui *honorabile connubium in omnibus* sua libidine dehonestare, & *thorum immaculatum* fœdo concubitu commaculare intendunt ut sicut equus & mulus suæ libidini vacent: ita ut mirum non sit, si potestatem in eos dæmonium habere dicatur, quia in peccata mortalia se sua libidinosa intentione præcipitant. Benè Tobias c. 8. *Et nunc Domine tu scis quia non luxuriæ causa accipio sororem meam conjugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum.* Tob.8.9. Superius autem dixerat: *Filii quippe Sanctorum sumus, & non* Vers.5. *possumus ita conjungi, sicut gentes quæ Deum ignorant*, id est, luxuriosi & ad libidinem parati. Et hanc pravam nubendi intentionem fuisse causam dilevii colligunt Patres ex c.6 Gen. *Cumq;* (inquit textus) *cœpissent homines multiplicari super terram & filias procreassent: videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant.* Ubi S. Chrys. Hom.22. in Gen. *Concupiscentia* (inquit) *illos in hanc perduxit perniciem pulchritudo aspectus intemperantiæ eis occasio fuit &c. à pulchritudine victi sunt & frænum imponere inordinatæ concupiscentiæ suæ noluerunt, sed spectando capti, mersiq; sunt.* S.Chrys.

2. Peccant contra intentionem rectam, qui uxorem ducunt ob divitias, honores, fastum, & ob alios aliquos fines matrimonium ineunt, qui tamen, si primarius finis non excludatur, venialiter tantum peccant, non raro tamē gravissimorum peccatorum fundamenta jaciunt; brevi utiq; displicet uxor, & declinatur vel in adulteria vel in rixas continuas, contemptus, tædia mutuæ societatis, ex quibus maxima ut plurimum peccata mortalia oriuntur.

§. 2.
De electione discreta.

PRoverb. 19. *Domus* (inquit sapiens) *& divitiæ dantur à parentibus, à Domino autem propriè uxor prudens!* Prov.19. 14. vel ut Hebræus, *uxor intelligens*, & Septuag. *domum & substantiam dividūt patres pueris, à Domino autem aptatur mulier* Hebræus. Septuag. *viro.* Ex quo loco bene infertur non minorem requiri vigilantiam & discretionem, imo majorem in uxore eligenda, quam in divitiis cōparandis, & domo acquirenda: quia cùm uxor sit donum Dei, precibus, deliberatione, consultationibus piis requirenda est; & sicut in deligendo statu spirituali multâ consultatione S. Chrys. opus est, ita in deligenda uxore discretio magna est adhibenda. Horribilis est sententia Chrysost. hom. 1. in c. 1. Matth. *Qui* (inquit) *secundùm Deum accipit uxorem à Deo provisam, in virtute generat filios, & in seipsis virtutem habentes & prævalentes: qui autem accipiunt uxores ex provisione diaboli, id est, non Religionis intuitu, nec fideles in infirmitate generant filios, nec prævalentes unquam, nec fortes nisi in malo.*

* * *

PECCATA

Per Electionem indiscretam.

Contra discretionem electionis peccant graviter, qui absq; ulla salutari consultatione, animi levitate, & quadam libidine uxores accipiunt, unde sæpius gravissima mala tam corporis quàm animæ incurrunt.

Peccant, qui absq; consensu & consilio parentum nubunt non tantum contra obedientiã sed etiam contra discretionis virtutem; à principio enim parentũ erat eligere suis filiis uxores, vel filiabus maritos, & quasi instinctu divino matrimonia à parentibus dirigebantur.

Petes: quantum sit peccatum absq; congrua discretione & electione matrimonio conjungi?

Respondeo 1. Ex natura sua non esse nisi veniale peccatum; ex consequenti tamen, ob peccata, quæ sequuntur, & injuriam quæ fit Sacramento, esse semen multorum peccatorũ mortalium, & causam damnationis æternæ.

Respondeo 2. Ducere uxorem vel inire matrimonium contempto consilio parentum, & contra eorum justam voluntatem, esse peccatũ mortale. Ratio est, quia est contra præceptum de honore & subjectione ad parentes. Dixi (contempto consilio) si enim absq; contemptu fiat, sed sanioris consilii occasione, non est peccatum. Similiter, si quis nubat contra injustam vel minus æquam voluntatem eorum, requisito tamen, etsi non obtento consensu. Ratio est, quia etsi teneatur quis parentes consulere, & eorum consensum petere, occurrente tamen aut meliori consilio, aut causâ magis favente, non tenetur quis eorum consilium sequi aut consensum obtinere: hoc enim libertati electionis status relictum est: unde & Concil. Trid. sess. 24. de Reform. matrim. c. 1. damnat eos: *Qui falsò (inquit) affirmant matrimonia à filiis-familias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse.* Et c. 9. invehitur in Dominos & Magistratus, qui directè vel indirectè cogunt subditos ad certas nuptias. *Trident.*

§. 2.

De Fidelitate sincera.

In quo consistat fidelitas. Fidelitas & sinceritas ante nuptialis consistit in Sponsalibus, Contractibus matrimoniorum, fideli & casta conversatione desponsandorum. Tenentur enim in his omnibus servare fidelitatem illis actionibus ex natura rei & legis annexam.

PECCATA

Injustè à sponsalibus resilire est peccatum mortale.

Ob transgressionem Fidelitatis.

Peccant itaq; mortaliter 1. qui sponsalia legitimè contracta injustè vel illegitimè derelinquunt, juxta ea quæ in prioribus de sponsalibus & eorum dissolutione diximus.

Peccant 2. Qui sponsalia malâ fide contrahunt, absque intentione contrahendi, vel absq; intentione nubendi, sive absq; intentione se obligandi. Ratio est, quia in re gravi proximum decipiunt.

Peccant 3. Qui in contractibus antenuptialibus se invicem in materia gravi decipiunt, allegando bona quæ non habent, vel si habent, allegando cum intentione non servandi: in quibus aliquando parentes, aliquando contrahentes se invicem, aliquando Procuratores decipiunt, vel decipiuntur. Generaliter itaque juxta rationem damni vel infidelitatis sive deceptionis, quicumque in dictis contractibus in materia gravi alterum decipiunt, peccant mortaliter, & si damnum injustum, sive contra justitiam incurrat, tenentur ad restitutionem. Quæ omnia ex Regulis fidelitatis & justitiæ sunt examinanda.

Peccant 4. Qui sponsalia contraxerunt, si se invicem impudicè & inhonestè tangant, aut carnaliter cognoscant; etsi enim honesta amoris oscula & amplexus, ratione futuri matrimonii, inter sponsos, tanquam subinchoato matrimonio urbanè permittantur; impudicitiæ tamen nullæ permitti possunt, cùm in mutua corpora nullam adhuc potestatẽ habeant; & aliàs impudici actus, quatenus impudici, ne quidem in matrimonio permittuntur, sed tantum quatenus ad matrimonii debitum ordinantur vel concurrunt, ratione generationis prolis, vel evitandæ libidinis, ut aliàs docuimus.

§. 4.

De præparatione animæ congrua, & sacrarum ceremoniarum observantia.

Cum inter Catholicos matrimonium sit verum legis novæ Sacramentum, gratiã conferens legitimè contrahentibus; manifestũ est contrahentes obligari se ad gratiam suscipiendam mediis congruis ante contractum matrimonii præparare, ut contritione vel confessione actuali peccatorum, orationibus & dispositionibus, sive ex ratione Sacramenti, sive legibus ab Ecclesia præscriptis. Unde & Concil. Trid. sess. 24. de reform. matrim. c. 1. *Postremò (ait) S. Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduò ante matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad SS. Eucharistiæ Sacramentũ piè accedant: Si quæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus, & ceremoniis hac in re utuntur, eas omninò retineri S. Synodus vehementer optat.* Quæ verba etsi exhortationem tantùm contineant, supposito tamen peccato mortali, vel aliquo scandalo obligant ad mortale, ea ratione quòd nullum Sacramentũ cum conscientia peccati mortalis suscipi possit quia peccatum mortale obicem gratiæ sacramentali ponit. *Contrahentes debent esse in statu gratiæ.* *Con. Trid.*

Ad ceremonias præparatorias pertinent denuntiationes coram populo faciendæ, de quibus supra.

PECCATA.

Contra præparationem congruam ante matrimonii contractum.

Contrahentes in mortali peccant mort.

PEccant itaq; mortaliter 1. qui cum peccato mortali ad contrahendum matrimonium accedunt, unde ad contritionem veram, vel ad confessionem actualem obligantur, priusquam matrimonium contrahant, ob allegatam superius rationem.

Peccant 2. mortaliter peccato scandali, qui absq; ulla animi præparatione publice matrimonium contrahunt, non præmissa confessione & sacra communione, si illa omissio publice constet. In cæteris peccata venialia tantùm sunt, secluso contemptu & scandalo.

Peccant 3. mortaliter, qui absq; dispensatione legitima denunciationes omittunt, vel ante illas factas contrahunt.

QUÆSTIO III.

Quæ sint Obligationes Contractui intrinsecæ, vel contractum matrimonii concomitantes?

CONCLUSIO.

Tres potissimum sunt obligationes contractui intrinsecæ

TRes potissimum sunt obligationes matrimonio intrinsecæ sive illud concomitantes; nimirũ: *Libertas ab omni impedimento tam dirimente quam impediente; Præsentia Parochi & duorum testium; Consensus verus mutuò signis externis legitimè utrimq; datus.* Hæc ex superioribus constant sufficienter. Dixi verò (*Libertas ab omni impedimento tam impediente quam dirimente*) etsi enim sola impedimenta dirimentia contractum matrimonii invalidēt, & nullum reddant; illi tamen qui cum impedimento impediente tantum matrimonium contrahunt, etsi validè contrahant, tamen mortaliter peccant, sicut & illi, qui ratione impedimenti dirimentis invalidè contrahunt: hi enim præter invaliditatem matrimonii similiter peccatum mortale incurrunt.

PECCATA

Contrahentes cũ aliquo impedimento peccant mort.

PEccant itaq; 1. mortaliter, qui aliquo impedimento irretiti matrimoniũ contrahunt, & siquidem impedimentum sit dirimens, præter peccatum mortale, matrimonium invalidum est.

Peccant 2. mortaliter, qui scienter cum impedimento dirimente contraxerunt, quoties carnaliter seinvicem cognoscunt, aut actus inter solutos illicitos adinvicem habent, nisi posteà matrimonium revalidetur.

Peccant 3. mortaliter, qui cum impedimento impediente contrahunt, quoties debitum exigunt, etsi enim illud reddere possint, durante tamen impedimento impediente debitum petere sive exigere nequeunt absque dispensatione.

Peccant 4. mortaliter, qui absque consensu vero, vel absque signis externis legitimis, vel Parochi vel duorum Testium præsentia contraxerunt, & quoties posteà prætextu matrimonii se invicem carnaliter cognoscunt, aut actus matrimoniales solutis illicitos exercent.

Petes 1. Quid agendum cum iis, qui bonâ fide, & ignorantes impedimentum, contraxerunt, & matrimonium consummarunt, & in eadem fide actus matrimoniales continuant.

Respondeo: Ubi tales deprehenduntur, nec apparet via absque peccatis vel scandalo illos separandi, relinquendos esse in sua bona fide & ignorantia. Ratio est, quia ob bonam fidem & ignorantiam uterque à peccato excusatur, & quod absque peccatorum sequela & scandalo gravi emendari nequit, tamquam impossibile hic & nunc reputari debet: unde oportet confessarios esse prudentes, nec facile talibus scrupulos ingerere, ubi non est spes effectus convenientis.

Petes 2. Quid si dubitent de impedimento dirimente & matrimonii nullitate?

Respondeo: Exhortandos esse ad diligentem inquisitionem, & ut interim à concubitu carnali abstineant: si tamen morali diligentiâ adhibita non inveniant certum impedimentum subesse, relinquendi sunt, & in favorem eorum resolvendum, jam enim diligentia adhibita, fit melior conditio possidentis, & dubium practicè deponere possunt.

Excipio tamen casum, quo dubium illud practicum exstitisset dum contraxerunt matrimoniũ, tunc enim mala fide censentur contraxisse, & in contractu matrimonii mortaliter peccasse, & invalidè contraxisse, in dubiis enim non acquiritur possessio, unde adhibita diligentia, & deposito dubio tenerentur denuo contrahere, sive consensum revalidare.

Petes 3. Quid agendum cum eo qui laborat tantùm impedimento impediente, Ex. g. voto simplici continentiæ ante matrimonium emisso, ad hoc ut debitum petere possit?

Respondeo: Dispensationem petendam, in voto: Possunt verò ex Privilegio Pii V. Confessarii Fratrum Minorum, à suis Provincialibus ad hoc licentiati, dispensare in voto simplici castitatis ante matrimonium emisso, in ordine ad petendum debitum conjugale, quæ tamen dispensatio non durat, nisi matrimonio isto durante, ita ut 2. matrimonium contrahere nequeat. Idem possunt iidem Fratres Minores, & cum eis communicantes in Privilegiis, circa impedimentum affinitatis post matrimoniũ ex copula cum consanguinea conjugis &c. contractum in ordine ad petendum debitum. Vida Hieron. Rodriguez Resol. 32. n. 29. & 30.

Petes 4. Quid si uterque vel alteruter impedimenti dirimentis cum quo contraxit sit conscius?

Respondeo debere sine alia tergiversatione ab invicem separari, si uterque sciat: si unus tantùm, & huic media suggerenda sunt, quibus se à copula subtrahat, aut sibi consulat, per dispensationem.

QUÆ-

QUÆSTIO IV.

Quæ sint obligationes matrimonium contractum consequentes.

CONCLUSIO I.

TRiplices sunt obligationes matrimonium consequentes. *Aliæ sunt mutua, & utrimque pares. Aliæ sunt personales, etsi ad invicem respective, ut singulariter mariti ad uxorem, & uxoris ad maritum. Aliæ sunt ad alios ordinata; ut ad proles &c.*

Obligationes mutua tres. Obligationes *mutua* & utrimque pares, etiam ad tria capita reduci possunt: nimirum *ad redditionem conjugalis debiti, fidem intemeratam thori, dilectionem & societatem indivisam conjugii.*

Obligationes *personales mariti ad uxorem* tres etiam recenseri possunt, nimirum *uxoris sustentatio, instructio protectio.*

Obligationes *uxoris ad maritum* tribus etiam membris continentur; debet enim marito 1. *subjectionem & obedientiam*: 2. *reverentiam & honorem*. 3. *liberorum & familia conservationem.* de his omnibus singulares paragraphos subjicio.

§. 1.
De debiti conjugalis redditione.

Sine justa causa negare debitum est peccatum more

1. Cor. 7. 4

TAnta est hujus *debiti reddendi mutua obligatio*, ut absque mortali peccato non possit alter alteri negare, nisi justa admodum causa excuset. Fundatur vero in contractu justitiæ quia ut ait Apostolus 1. ad Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Unde & ante intulerat: *Uxori vir debitum reddat: similiter autem & uxor viro.* Et

Vers. 3. ostendens obligationem illam ex justitia procedere, negationem debiti conjugalis nomine fraudis indigitat: *Nolite* (inquit) *fraudare invicem, nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis*

Vers. 5. *orationi: & iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram.* In quibus verbis mutua obligatio ad usum conjugii bene exprimitur, ex mutua enim traditione & acceptatione in matrimonio utrimque facta oritur ista obligatio, & vincu-

Vers. 39. lum quoddam legis, de quo infrà: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus liberata est &c.*

Porrò hæc obligatio mutua suis terminis coarctatur. 1. Est honestas conjugii: non enim tenetur conjugi inhonestè vel inhonesta petenti debitum reddere, sed tantum intra terminos honestatis conjugalis. Quod bene adnotavit S. Aug. l. de bono conjugali c. 10. ubi exponens illud Apostoli: *Hoc autem dico secun-*

S. August. *dùm indulgentiam. Ignosci* (ait) *impetrant, si tamen* (concubitus) *non ita sit nimius, ut impediat quæ seposita debent esse tempora orandi, nec immutetur in eum usum, qui est contra naturam; de quo Apostolus tacere non potuit, cùm de corruptelis nimiis immundorum & impiorum hominum loqueretur.* Unde potestas viri in corpus mulieris, vel mulieris in corpus viri intelligenda est, ut juxta naturam matrimonii sit ordinata, etsi enim uti possint mutuis corporibus, non tamen abuti ad nefarios usus, tactus nefandos, concubitus cōtra naturam, aut alios inordinatos & periculosos. Neque enim uxor tenetur reddere debitum accedenti præposterè, & contra ordinarium modum cum periculo effusionis seminis, vel alterius inordinatæ immunditiæ & libidinis, quia non tenetur ad reddendum debitum, immò absque peccato reddere non potest, nisi intra terminos honoris & honestatis pudicitiæ conjugalis. Eadem ratione non tenetur reddere debitum, si publice vel in loco inhonesto petatur.

2. Terminus conjugalis debiti est, ut justè petatur; si enim injuste petatur, non tenetur alteruter reddere. Tunc autem injuste censetur peti, quando cum magno detrimento alterutrius Conjugis, aut Tertii petitur, aut in irreverentiā Dei. Ex quo capite conjux infirmus, cui graviter noceret concubitus, non tenetur petenti debitum reddere. Item, si ex impetu vehementi timeat probabiliter infirmitatem. Item, si ex nimio uteri tumore timeat aborsum. Item apud me, tempore menstruorum, si probabiliter timeat in prole monstruositatem. Etsi enim plurimi inter Doctores censeant tempore menstruorum posse mulierem reddere debitum, ob mariti importunitatem, & periculum incontinentiæ; non credo tamen, ubi subesset periculum in prole, teneri, quia verè injuste petitur, quod cum tanto damno petitur; & si vir in incontinentiam dilabatur, sibi imputare debet, quòd cum tali periculo prolis futuræ debitum petat, quod irrationabile & injustum est: nec mulier hìc est causa peccati, sed tantùm negative se habet, ad evitandum aliud multùm æstimabile malum. *Quando censetur injustè peti.*

Ad injustitiam revocamus, quod in Dei injuriam sive irreverentiam cedit; ut si debitum petatur in loco sacro, non enim tenetur alteruter reddere, ob reverentiam Dei & loci sanctitatem, qui moraliter illis actibus profanatur: quamvis, ubi per longum tempus ratione belli conjuges in templo & locis sacris coguntur se recipere, velut in continua habitatione & domicilio, putarem tunc in loco & cubili sequestro honestè licere debitum reddere: quia tunc ex hac parte, ob communem & domesticam habitationem, cēsetur locus profanatus, vel, ut Scripturæ phrasi loquamur, *Sanctificatio deserta*, dum locus communibus usibus jam accommodatus est. Aliud est, si ad unum aut alterum tantum diem tenerentur conjuges se recipere in templum, quia tunc non censetur locus cōmunibus usibus accommodatus, minus profanationi expositus.

3. Terminus conjugalis reddendi debiti est, oportunitas, nimirum, ut oportune petatur. Oportunitas autē mensuranda est loco, tēpore, circumstantiis nonnullis, unde non tenetur

 reddere

reddere in cubiculo, ubi proles dormiunt, vel etiam cubant, neque enim congruum est ut audiatur, unde est importunus locus. Quoad tempus; non judicatur oportunum, quando vel orationi, vel devotioni vacandum est, specialiter nocte præcedēte diem quo sacra communio sumenda est; unde singulariter Apostolus 1. ad Cor. 7. excipit à redditione debiti tempus, quo jejunio & orationi est vacandum: *Nolite* (inquit) *fraudare invicem nisi ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* (ubi textus Græcus legit, *ut vacetis jejunio & orationi*) & eodē modo de oratione exprimit S. Hieron. l. 1. contra Jovinian. Quod & monuit S. Pet. 1 epist. 3. *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorē, tamquā & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ.* Ubi imponit viris discretionis virtutem in concubitu, & postulatione vel redditione debiti, nimirū 1. ut non cohabitent, id est, utantur uxoribus nisi prudenter & secundum discretionem, & scientiam tam quoad tempus, quà alias circumstantias: 2. ut non ex impetu libidinis, sed velut impartientes honorem infirmiori vasculo muliebri, id est, eo honestè utentes: 3. ut non animaliter, sed quasi coheredes vitæ æternæ, ad quam proles generantur. 4. ut tali modo utantur, ut non impediantur orationes & exercitia pia. Vide Oecumenium in hunc locum; in quo maximè fundatur hæc lex, sive traditio Apostolica, ut quando vacādum est orationi & bonis operibus, quæ sub nomine *jejunii* in textu Græco comprehenduntur, tantisper à concubitu carnali conjuges abstineant consensu mutuo: ita ut subindicetur his verbis, *ex consensu ad tempus*, Conjuges debere pro reverentia Dei & orationis consentire in subtractionem debiti conjugalis ad tempus. Et hoc ipsum in Ecclesia ab antiquo invaluerat, ut fideles ex pietate in jejuniis quadragesimalibus, & adventualibus ab usu conjugii abstinerent, in cujus velut traditionis signum in Adventu & Quadragesima prohibitæ fuerunt nuptiæ.

1. Cor. 7. 5.

1. Petr. 3. 7

Hic non disputo: An hæc sancta consuetudo & traditio inter antiquos usurpata, induxerit præceptum sub mortali peccato, ut Conjuges abstinerent à concubitu sacris temporibus, aut ut vacarent orationi: Sufficit mihi quòd monitio, ut velut inhibitio Apostolica sit per observantiam piæ antiquitatis multis temporibus in Ecclesia saltem pie observata, & velut pro traditione habita. Unde & illa saltem traditio emanavit, & fideles Conjuges nocte sacram communionem antecedente à concubitu abstinerent, quam puto legis vim obtinuisse, etiam antiquissimo non tantùm Judaico sed etiam naturali ritu & instinctu, ut nemo ad sacra accederet carnali concubitu quantumvis licito pollutus. Unde & Achimelech 1. Reg. c. 21 ad David cum peteret panes, nec ibi alii essent præter panes propositionis: *Non habeo* (ait) *laicos panes ad manum, sed tantùm panem sanctum:*
1. Reg. 21. 4.
si mundi sunt pueri maximè à mulieribus: q. d. non possunt comedere panem sanctum, nisi à mulieribus & concubitu carnali sint mundi: quibus verbis replicavit David: *Equidem si de mulieribus agitur: continuimus nos ab heri & nudiustertius quādo egrediebamur &c.* Et Propheta Joël c. 2. exhortans populum ad jejunium & orationem: *Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo.* Itaque reverentiæ & pietatis ac antiquissimæ traditionis Ecclesiæ est, ut diebus solemnioribus orationum, precum ac jejuniorum, magis autem sacræ communionis abstinerent conjuges mutuo consensu à concubitu carnali, adeoque judicarem illos non teneri tunc (nisi aliâ aliquâ extraordinariâ causâ urgente & prævalente) sibi invicem debitum reddere, quia importuna res est, & multum illo tempore derogant reverentiæ Dei, & contraria pietati ac devotioni.

Vers. 5.

Joëlis 2. 16.

PECCATA.

Contra debitum conjugale

PEccant igitur mortaliter conjuges 1. Qui absque justa causa vel ratione, in terminis jam explicatis contenta, sibi invicem debitum negant, etiam extra periculum incontinentiæ.

Negantes sine justa causa peccant mort.

Peccant 2. mortaliter; Qui, ubi est proximū periculum gravis incontinentiæ in alterutro, illud non reddunt, vel uxores quæ non patiuntur copulam. In quo causa notanda est Regula generalis: Quòd quandocumq; ex negatione debiti imminet grave malum, etsi aliàs alteruter conjugū non teneretur tunc reddere; potest tamen & melius est ut reddat aut potius patiatur: nisi aliunde sequeretur æquale vel majus malum.

Peccant 3. mortaliter viri, qui sequentes passionem desiderii & impetus voluntatis absque delectu circumstantiarum, loci, temporis & honestatis, sicut equus & mulus debitum urgent, aut in concubitu, periculo aborsus, gravis informitatis, prolis monstruosæ, se exponunt; etsi enim ad menstruatam accedere simpliciter, & ex causa justa peccatum mortale non sit, ubi tamen periculum imminens monstruosi fœtus subesset, à peccato mortali non excusarem: quia grave detrimentum non tantùm proli generandæ, sed & familiæ ex intempestivo isto cōcubitu oriundum, prævideri debet.

Denique peccant mortaliter; Qui in materia gravi extra terminos honestatis, justitiæ, & oportunitatis debitum exigunt & urgent. De Peccatis Conjugum in concubitu libidinoso extra metas honestatis Matrimonii hîc non ago, quia sufficienter dixi tom. 2. tract. 7. tit. 1 q. 2. in Appendice post §. 2. ubi & posui regulam generalem.

§. 2.

De fide intemerata thori conjugalis.

FIdes intemerata thori conjugalis, ad quam æqualiter, & mutuâ obligatione conjuges tenentur, & hoc consistit, ut nec affectu, nec facto in alterius copulam unquam consentiāt. Unde S. Aug. l. de bono conjugali c. 4. *conjuges* (ait) *fidem sibi pariter debent. Cui fidei tantùm juris tribuit Apostolus, ut eam potestatem appellaret dicens:*

Fides thori in quo consistat.

S. August.

dicens: Mulier non habet potestatem sui corpo-
1.Cor.7.4 ris, sed vir: Similiter autem & vir non habet
potestatem sui corporis, sed mulier. *Hujus
autem fidei violatio dicitur adulterium, cum vel
propriæ libidinis instinctu, vel aliena consensu, cum
altero vel altera contra pactum conjugale concum-
bitur: atq; ita frangitur fides, quæ in rebus etiam
corporeis & abjectis magnum animi bonum est. Et
ideo eam saluti quoque corporali qua etiam vita
nostra ista continetur, certum est debere preponi.*
Hæc S. Aug. conformiter ad Scripturam, quæ
passim hujus fidei in matrimoniis mentionem
1. Tim. 2. facit. Unde est illud 1. ad Timoth. 2. *Salvabitur*
15. (mulier) *per filiorum generationem, si permanserit
in fide & dilectione, & sanctificatione cum sobrieta-
te.* Quam fidē nomine legis exprimit ad Rom.
7. *Nam quæ sub viro est mulier, vivente viro alli-
Rom.7.2 gata est legi* nimirum fidelitatis: *Igitur* (subdit)
Vers. 3. *vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum a-
lio viro.*

PECCATA.

Contra fidem thori conjugalis

adulterium est pec catum contra fidem thori. PEccatū radicale unicum contra fidem tho-
ri est *adulterium*, sive sit mentale voluntatis
ac pravi desiderii interni, sive sit externum in
alieno concubitu, & actibus ac tactibus impu-
dicis adulterium concomitantibus vel antece-
dentibus. Non enim solum adulterium actu
externo consummatum prohibitum est, sed e-
tiam quod oculo libidinoso & affectu interno
2. Pet.2. committitur, unde 2. Pet. 2. notantur gravis-
14. sime *Oculos habentes plenos adulterii, & incess-
sabilis delicti*, & Jerem. 13. non tantum adulte-
Jerem. 13. ria, sed etiam affectus pravi, sub figura & no-
27. mine hinnitus graviter reprehenduntur: *Adul-
teria* (ait) *tua & hinnitus tuus, scelus fornicatio-
c.5. nis tuæ* Et c. 5. *Equi amatores & emissarii facti
sunt: unusquisq; ad uxorem proximi sui hinniebat*

Porro hic triplex adulterium respectu facto
ad diversas personas notari potest. 1. Conjuga-
ti cum conjugata. 2. Soluti cum conjugata. 3.
Conjugati cum soluta, quorum ultimum mi-
nus est, quia minoris mali est causa. Multa por-
rò hic dicenda essent de adulterii gravitate, de
peccatis ex adulterio provenientibus, de filiis
adulterorum, & obligatione ad illos, qualiter
prolibus ex adulterio natis provideri possit: sed
hæc à nobis tom. 2. tract. 7. tit. 2. q. 2. § 2. dub. 1. 2.
late sunt explicata, nec hîc aliquid est addendū.

§. 3.

De Conjugum dilectione & societate indivisa.

Ephes. 5. D*Ilectionem conjugum & societatem indivi-
25. sam* magnificant & multùm urgent Scri-
pturæ, & quidem S. Paulus ad Ephes. 5. in dile-
ctione illa extollēda totus est: *Viri* (inquit) *dili-
Vers. 28. gite uxores vestras, sicut & Christus dilexit Ec-
clesiam &c.* Iterum: *Ita & viri debent diligere
Vers. 29. uxores suas ut corpora sua. Qui suam uxorem di-
Vers. 30. ligit, seipsum diligit. Nemo enim unquam carnem
suam odio habuit sed nutrit & fovet eam sicut &
Christus Ecclesiam: quia membra sumus corporis
ejus de carne ejus, & de ossibus ejus.* Et allegans
fundamentalem illius dilectionis causam ex ip-
sa matrimonii institutione: *Propter hoc relinquet* Vers. 31.
*homo patrem & matrem suam, & adhærebit ux-
ori suæ, & erunt duo in carne una. Sacramentum* Vers. 32.
*hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in ec-
clesia. Verum tamen & vos singuli unusquisque* Vers. 33.
*uxorem suam sicut seipsum diligat: uxor tamen
timeat virum suum.*

Ex quibus verbis colligitur excellentia &
magnitudo amoris conjugalis; 1. enim benefi-
cus esse debet, sicut amor Christi ad Ecclesiam,
tradidit enim seipsum pro ea, ut illam sanctifi-
caret &c. & exhiberet sibi gloriosam: ita ma-
riti totum amor ad uxorem benevolus esse de-
bet, & favore ac omni bono refertus: Unde i-
terum Apostolus docens viros debere diligere Vers. 29.
uxores ut corpora sua, addit: *Nemo enim unquam
carnem suam odio habuit sed nutrit & fovet eā, si-
cut & Christus Ecclesiam* q. d. amor uxoris talis
esse debet, ut vir eam consolationibus foveat,
& necessario nutriat alimento.

2. Amor viri ad conjugem debet esse castus.
Est enim viri castus libidinosos contr*inere* & Thessal.4
moderari: *Ut sciat unusquisq;* (ait Apostolus) *vas* Vers. 14.
*suum possidere in sanctificatione & honore, non in
passione desiderii, sicut & gentes, quæ ignorant
Deum.* Unde sicut amor Christi ad Ecclesiam
fuit purissimus, ut exhiberet illam immacula-
tam sine ruga &c. ita amor conjugalis viri ad
feminam castus esse debet: Nam ut bene Sextus Sextus.
quidam: *Adulter est* (inquit) *in suam uxorem
amator ardentior, in aliena quippe uxore omnis
amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judi-
cio debet amare conjugem non affectu:* Unde & S.Hieron.
S. Hieron. *Origo amoris honesta, magnitudo
deformis, nihil autem interest si ex honesta causa
quisquam insaniat.* & bene exaticus ille B. Æ-
gidius S.P.N. Francisci socius: *Unusquisque po-
test tam proprio quàm alieno vino inebriari*, nil
enim interest ad ebrietatem, si quis proprio
an alieno vino inebrietur, id est, propria an ali-
ena conjuge. Ethnicis quidem sapientibus hæc
communis doctrina erat, ut ad uxorē maritus
magna cum temperantia, modestia & pu-
dore accederet, fas & honestatem in opere,
fidem & moderantiam in conversatione ser-
varet. Speculum quod intueri debet Christia-
nus.

3. Amor ad conjugem debet esse honorabilis,
sive (ut dixit S. Petrus) *quasi infirmiori vasculo
muliebri impertiēs honorem:* Unde & Malachias Malach.2
c. 2. in despicientes uxores invehitur, malorum 13.
quæ in Israel erant causam assignans, *Quia* (in-
quit) *Dominus testificatus est inter te & uxorem
pubertatis tuæ quam tu despexisti: & hæc particeps
tua & uxor fœderis tui* quid sit contra posititutæ
dilectioni, & amoris conjugalis quod eorum
despicis, & referens hanc dilectionem ad con-
jūctionem ex Dei instituto factam: *Nonne* (in- Vers. 15.
quit) *unus fecit, & residuum spiritus ejus est? Et
quid unus quærit nisi semen Dei? custodite ergo spi-
ritum vestrum, & uxorem adolescentiæ tuæ noli
despicere.* Ubi juxta Patres & Expositores com-
muniter, Malachias ponit insigne totius amo-

ris

ris conjugalis paradigma, adferens omnes rationes ob quas amor conjugum indefectibilis esse debet. 1. Quia Deus amorem illum mutuum ab initio præcepit, cum nimirum Adamum & Evam conjunxit: Et hoc præceptum vocatur *testificatio Dei*, ibi: *Quia Dominus testificatus est inter te & uxorem pubertatis tuæ*, id est, hanc legem amoris fixit in matrimonio. 2. Quia uxor est individua viri socia, ibi: *Hæc particeps tua*, id est, consors sive socia à Deo tibi data. 3. Ob pactum quod Deo velut teste & paranympho inter se conjuges feriunt ibi: *& uxor fœderis tui*. 4. A facto conditoris Dei, ibi: *Nōne unus fecit*: q. d. Unus Deus primam feminam cum viro, & ex viro suam fecit, in concordiam amoris cum viro. 5. A modo animationis feminæ ex eodē halitu, ibi: *& residuum spiritus ejus est*. Alii legunt, *halitus*: & alludit ad formationem Evæ Gen. 2. ubi dicitur Deus ædificasse costam viri in mulierem, nulla autem fit mentio singularis animationis mulieris, sed tantum superius dixerat Moyses: *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*. Hic igitur Propheta alludens ad primam creationem innuit, quòd sicut mulieris corpus ex costa Adami constitutum fuit, ita anima mulieris velut ex residuo halitus sive spirationis Dei producta & infusa est; unde dicitur à Propheta mulieris anima, *residuum spiritus* Dei in faciem Adami inspirantis spiraculum vitæ, adeoque virum & uxorem debere se individue diligere, quia eodem halitu, & spiritu Dei animati sunt, vir quidem spiritu primario, mulier ejusdem spiritus sive halitus residuo. 5. Argumentum amoris sumitur ex eodem unico fine quem uterque intendit, ibi: *Et quid unus quærit nisi semen Dei*? q. d. quid unus Deus, qui virum & feminam condidit, inde quæsivit, nisi ut ex eis propagarentur filii Dei filii, amoris & charitatis? Concludit: *Custodite ergo spiritum vestrum*, id est, qui à Deo in amoris indivisam societatem utrique conjugi inspiratus est; *& uxorem adolescentiæ tuæ noli despicere*, id est, ama & honora, quia eadem divinâ lege, pacto, testimonio, eodem spiritu, ad eundem finem in Deo conjuncti estis. Ita ferè omnes Patres, & Expositores, S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Hugo Cardinalis, noster Lyranus, quæ vere aurea sunt, & notanda pro amore conjugali fundando.

Gen. 2. 7.

Vir & mulier eodem halitu & Spiritu Dei, animati sunt.

S. Hieron. Theodor. Remigius Hugo Car Lyranus.

Ephes. 5. 28.

4. Amor viri ad conjugem debet esse intimus, & velut primitivus, unde suprà ad Ephes. 5. *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit*. Infrà: *unusquisque uxorem suam sicut seipsum diligat*. Itecum. *Viri debent diligere uxores suas sicut corpora sua*: Cùm igitur nihil intimius sit homini seipso, nihil vicinius corpore suo, consequēter dicendum est, amorem conjugum debere esse intimum & primitivum. Nota verò particulam *(sicut seipsum)* in hoc loco quandam identitatem significare, potiùs quàm proportionem: Ratio est, quia superiùs dixit: *Qui uxorem diligit seipsum diligit*: quasi sit quædam affectus identitas, idq; ut distinguatur ab amore generali proximi, qui proportionem tantùm habet: major enim & magis intimus esse debet amor conjugum adinvicem, quàm amor proximi cujuscumque in qualitate tantùm proximi: Sicut enim quædam identitas, reperitur inter virum & uxorem; *erunt duo in carne una*, sic amor inter illos consurgens est amor unitatis, & velut cujusdam identitatis, quasi non ad alium, sed quasi ad seipsum. Qualiter autem amor parentum debeat interdum præferri amori Conjugum, diximus tomo 2. tract. 5. tit. 5. §. 2. ubi & plura de obligatione Conjugum adinvicem, quæ hic repeti non debent.

Vers. 33. Vers. 28.

Sicut seipsum *apud Apostolū, quid significet.*

Intimitas illius amoris quanta esse debeat Gen. 2. 24

Porro quæ dicta sunt de amore viri ad uxorem, è converso debent aptari amori uxorum ad maritos. Unde monet Apostolus ad Tit. 2. *Anus similiter in habitu sancto &c. Ut* (inquit) *prudentiam doceant Adolescentulas, ut viros suos ament*. Et pro summe grato inter tria Deo grata mutuus hic amor recensetur Eccli. 25. *In tribus* (inquit) *placitum est spiritui meo quæ sunt probata coram Deo & hominibus: Concordia fratrum, & amor proximorum; & vir & mulier bene sibi consentientes*. Et c. 40. *Amicus & sodalis in tempore convenientes, & super utrosq; mulier cum viro*.

Tit. 2. 3.

Eccli. 25. v. 1 & seq

c. 40. 23.

Peres. Cur scriptura agens de amore Conjugum, clariùs fortiusq; locuta fuerit de dilectione viri ad mulierem, quàm mulieris ad virum.

Respondeo: Quia amor viri princeps est, & directivus amoris mulieris: amor mulieris passivus magis est, & per modum recipientis se habet: unde & Aristoteles alicubi docet *Materiam formam appetere, ut mulier virum, ut turpe pulchrum*. Amor itaque mulieris ex parte materiæ se tenet, multatum formarum appetitivus, inconstans, variè mutabilis, qui ab amore viri velut determinari debet & perfici, ideoque de viri dilectione determinante, perficiente, dirigente rationem habuit scriptura.

Hactenus quidem de dilectione mutua, ex illa verò oritur indivisa societas, quæ est dilectionis requisitæ, individuus comes & effectus ex verbis Domini Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrē suam & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: per quam *adhæsionem* individuam vitæ consuetudinem intellexerunt Patres, quam nectit vinculum dilectionis debitæ inesse, etsi proch dolor! sæpè absit, unde & vinculum habitationis dissolvatur necesse est. Sed qualiter, & quando individua illa societas abrumpi possit hic distinctè statuendum est.

Indivisa societas oritur ex mutua dilectione. Gen. 2. 24

* * *

DU-

Dubium Incidentale.

Qualiter & quando individua vitæ societas inter Conjuges abrumpi possit?

Varia abruptio societatis cõjugalis.

PRo clara dubii hujus resolutione advertendum est: Individuam vitæ societatem inter conjuges varie abrumpi intelligi posse. 1. quoad vinculum & obligationem juris primarii ex matrimonii contractu oriundi. 2. quoad factū, id est, quoad obligationem juris secundarii, quod respicit cohabitationem in eadem domo vel loco. Rursus separatio sive abruptio quoad factum & habitationem, vel censetur perpetua, vel tantum ad tempus. Tandem vel dissolutio communis & individuæ habitationis est justa, sive ex causa justa procedit, vel ex aliqua violenta separatione, aut est voluntaria ex mera voluntate alterutrius vel utriusque procedens.

Resolutio I.

Quoad vinculum non potest abrumpi, nisi per professionem religiosam si necdum fuerit consũmatum.

MAtrimonio legitimè contracto & subsistente non datur dissolutio individuæ societatis quoad vinculum & obligationem juris primarii, nisi ex translatione ad Religiosam professionem Matrimonio necdum consummato.

Hæc resolutio constat ex matrimonii indissolubilitate à nobis in superioribus sat probata, ex qua nascitur individuę vitæ societas saltem quoad dilectionis obligationem. Unde qui matrimonio consummato, imò & rato extra casum allatum, juncti sunt, quantumvis quoad habitationem & thorum se separent, manet tamen semper in eis individuæ societatis obligatio quoad dilectionis vinculum, juxta illud Marci 10. *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Infra: *Quicumq; dimiserit uxorem suam, &*
Mar. 10. 9 *aliam duxerit, adulterium committit super eam.*
Ver. 11. 12 *Etsi uxor dimiserit virum suum, & alii nupserit, mœchatur.*

Resolutio II.

Quoad thorum & habitationem licita est separatio, & ob quas causas.

INterdũ licita est separatio individuæ societatis vitæ, quoad thorum dumtaxat & habitationem. Hujus causæ variæ referuntur in jure communi. Ex. g. ob alterutrius adulterium, nimiam sævitiam, periculum alicujus mali gravis, infamiæ, peccati mortalis, mortis &c.

Ratio est: Quia individua vitæ societas ex matrimonio oriens, excludit ex se omnia, quæ huic societati, divino naturali, aut positivo jure quocumque adversantur, supradicta autem huic individuæ habitationi obstaculum legitimum præbere patet, quia nemo se istis periculis aut confusioni exponere obligatur.

Advertere tamen ut separatio illis sit publica ac perpetua requiri sententiam judicis, tum ad cognitionem causæ, tum ad tollendum scãdalum, quod ex hujusmodi separatione procedere potest.

Resolutio III.

Ratione militiæ &c. licita est ad tempus.

SEparatio ad tempus quoad thorum aliquando justa est & licita; nimirum quando ex causa justa procedit. Sic ratione militiæ, mercaturæ, itineris sive peregrinationis in longinquas regiones, contingit virum ab uxore multo tempore separari. Super quo tamen advertendum est, ubi autem militia non obligat, aut mercatura plane voluntaria est, requiri utriusque Conjugis consensum, ut possit alteruter tamdiu abesse. Dixi (si militia non obligat) si enim regio mandato vel alio decreto obligat, etiam renitente uxore debet vir parere: quemadmodum si vir in bello captus carceribus detineatur ad plures annos, quia separatio illa non censetur dependere a voluntate conjugis.

Resolutio IV.

Mutuo cõsensu etiã perpetuò.

EX mera voluntate & consensu mutuo si absit periculum peccati vel gravis detrimenti, possunt liberè Conjuges non modo ad tempus, sed etiam in perpetuum ab invicem separari. Ut cum ambo religionem, vel alteruter mutuo consensu ingrediuntur. Quando tamen unus tantum religionem ingreditur, altero manente in sæculo, requiritur Episcopi judicium & facultas, & ut, qui in sæculo manet, sit circiter sexaginta annorum, probatæ vitæ, & castitatis, quam etiam voveat est necesse.

Resolutio V.

Is separatis quoad thorum manet semper vinculum societatis mutuæ.

NOn obstantibus omnibus separationibus factis quoad thorum & habitationem, semper manet vinculum vitæ individuæ, & societatis mutuæ, quod variè reviviscere potest. Ex. g. in separatione propter adulterium, si alter etiam in adulterium incidat, tenetur qui dimisit ad habitationem alium recipere, quia in eadem culpa est. Similiter, si vir consensum dedit uxori ad ingrediendam religionem, ipsaque de facto est ingressa & annum probationis perfecit, quamdiu professionem non emisit, si revertatur, vir tenetur illam recipere; & è contra. Et multi alii similes casus occurrere possunt. Generaliter: Quoties cessat causa separationis, censetur jus cohabitationis reviviscere, unde si aliud non obstet, putarem teneri in idipsum redire.

Peccata

Conjugum, ob defectum mutuæ dilectionis vel individuæ societatis.

Viri durè &c. tractantes uxores peccant mor.

PEccant mortaliter viri, qui durè, asperè, crudeliter tractant uxores suas tamquam ancillas suas, cum sint sociæ & consortes.

2. Qui uxoribus dumtaxat utuntur ad libidinem exsatiandam, absque affectu vero maritali.

3. Qui

3. Qui uxores percutiunt, domo ejiciunt, opprobrio afficiunt, illis ex prava suspicione, vel zelotypia, crimina imponunt, Item, qui vexationibus & morositatibus illas in desperationem, melãcholias graves, & hujusmodi præcipitant. Uxores similiter mortaliter peccare dignoscuntur, quæ suos maritos morositate sua, importunis quærelis, improperiis, & molestiis afficiunt, rixas perpetuas aut suscitando aut sovendo. Similiter, quæ suâ zelotypiâ viris suis causa sunt gravis tristitiæ & afflictionis, & interdum multorum peccatorum, ebrietatum, & dissolutionum.

Generaliter. 1. Conjuges, qui in actibus necessariis conjugalis aut Christianæ charitatis sibi invicem notabiliter deficiunt, quoties id deliberatè agunt, & necessariæ charitatis subsidia sibi invicem subtrahunt, contra obligationem mutuæ dilectionis, mortalier peccant.

2. Quamdiu in rixis, molestiis, turbatione mutua & familiæ ob supradicta perseverant, nec ad invicem reconciliantur, sunt in continuo statu peccati mortalis, & damnationis ex duplici capite, 1. ex actibus charitati etiam Christianæ contrariis. 2. ratione multorum peccatorum, quorum tum in se, tum in familia, causa existunt.

3. Omnis separatio quoad thorum & habitationem absque legitima causa facta est peccatum mortale in conjuge, qui nullitatis causæ conscius eam requisivit vel procuravit. Ratio est, quia injustè alterum Conjugem suo jure privavit, idque in re gravissimi momenti, qualia sunt jura matrimonialia.

4. Qui culpâ suâ causam separationi dedit, si in ejus potestate est illam auferre, tenetur auferre, & ad conciliationem cooperari, Ex. g. Maritus qui nimiâ sævitiâ & crudelitate uxorem velut abegit, tenetur sub mortali peccato sævitiam deponere, & uxorem ad reconciliationem revocare; si tamen illa nolit, liber à peccato erit, quia per eum non stat. Et hæc sufficiant, neque enim omnes singulares casus possumus assignare, qui videndi magis sunt apud Summistas.

§. 4.

De mariti personalibus obligationibus respectu uxoris.

TRes potissimùm suprà retulimus mariti ad uxorem personales obligationes; nimirum: Ad *sustentationem, instructionem, protectionem*, illas breviter expedio.

Ad Congruū alimentum & vestimentum uxori, esto dotem non obtulerit, tenetur.

Jure sustentationis itaque obligatur maritus uxori ad congruum alimentum & vestimentum, etiamsi dotem non attulerit. Ita habetur c. *omnino*, 31. dist. Hoc enim ipso quo indotatam mulierem maritus ducit, censetur in suum onus eam ducare, & onus alendi in se suscipere; ita ut etiam indotatam cogatur maritus rixosus extra domum alere, ut multis juribus ostendit Petrus Gregorius Tholosanus in Syntagmate juris universi l. 9. c. 19. Ubi & probat onus vestimenti congrui, quo uxor tegatur, marito incumbere, eadem ratione, quia sicuti absque alimento, sic absque congruo suo statui vestimento vivere nequit. Dixi (congruo suo statui vestimento) non enim tenetur maritus satisfacere cupiditati mulierum, quæ in magnum tum mariti, tum familiæ detrimentum vestitum pompas & vana ornamenta impudenter concupiscunt, & viros fatigant ut impertiantur: *Tanta enim* (ait Petrus Gregorius suprà n. 11. *est istius sexus superbia, ut quia se nõ novit, nec mariti, vel parentũ gradum metiatur semper monilia ornatiora, luxuriosumq; & peregrinum ambiat vestitum, & maritum ad stultitiam sæpius impellat implendam.* Infrà: *Splendidè vivere & delicatè, & mollibus vestiri, indiget pecuniis majoribus. & idcirco in his rebus prudentes legislatores Antiquorum solliciti fuerunt, & curam non modicam adhibuerunt legibus sumptuariis modũ conviviis adjicientes, & vestitui prospicientes.* Ubi multa congerit, tũ ex legibus, tũ ex historiis, ad quæ lectorem remitto.

Petrus Gregorius Tholosan.

Mensura vestitus mulieris Christianæ.

Certe vestitus mulierum nec vilis nimis esse debet, nec nimis pretiosus aut vanus, & meliorem mensuram dare non possum, quàm datam ab Apostolo Petro 1. Epist. c. 3. Ubi describens conversationẽ sanctam mulierum Christianarum: *Quarum* (ait) *nõ sit extrinsecùs capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus: sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabãt se subjectæ propriis viris.* Ubi non omnem ornatum muliebribus uxoratis dissuadet S. Petrus, sed honestum permittit, sicut & S. Paulus ad Timoth. 1. c. 2. clarè explicat: *Similiter* (inquit) *& mulieres in habitu ornato, cum verecundia & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veste pretiosa, sed &c.* In quibus verbis ornatus honestus mulieri juxta statum suum imponitur, & condemnat Apostolus omnis vanitatis præsumptionem, *non in tortis crinibus &c. sed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona.*

1. Pet. 3. 3.

Vers. 4.

Vers. 5.

1. Tim. 2. 9

Vers. 10.

Sub *Instructione*, ad quã tenetur maritus respectu uxoris, continentur omnia quæ pertinẽt ad uxoris & familiæ congruam directionem tam in moribus, quam in aliis, quæ ad vitã probatam & honestatem familiæ spectant, quę omnia ad virum pertinent potissimum, qui est caput familiæ, imò & uxoris. Unde tenetur illam instruere vel curare instrui in iis, quæ sunt salutis & bonorum morum, ac muneris verę matrisfamilias, tenetur corrigere ubi errat aut à recto declinat; tenetur & uxoris infirmitates & fragilitates tollerare: Hæc omnia fundantur in titulo *capitis*, quem marito respectu uxoris singulariter Scriptura tribuit. Unde ad Ephesios 5. *quoniam vir caput est mulieris: sicut Christus caput ecclesiæ: Ipse salvator corporis ejus*, & 1. ad Cor. 11. *Omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris, vir: caput vero Christi, Deus.* Iterum: *Vir quidem non debet velare caput suum: quoniam imago & gloria Dei est, mulier autem gloria viri est. Nõ enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro.*

Ephes. 5. 23.

1. Cor. 11. 3

Vers. 7.

Vers. 8.

Itenim

*Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed
mulier propter virum. Ideò debet mulier potesta-
tem habere suprà caput propter Angelos*: Itaque
etsi vir & mulier sint caro una sive corpus u-
num, ex eo tamen quod vir teneat rationem ca-
pitis, omnia quæ capitis sunt respectu corporis,
pertinent ad virum respectu mulieris. Certum
autem est, quòd in capite vigeant sensus, & sen-
sibus ratio præsideat, per quam cætera omnia
membra, & ipsum corpus regendum & diri-
gendum est. Est ergo viri uxorem & familiam
regere, instruere, & de ea disponere, ut ratio &
1. Tim. 2. circumstantiæ postulant. De instructione eti-
12. am apertus est locus 1. ad Timoth. 2 *Docere
autem mulieri non permitto, neq; dominari in vi-
Vers. 11. rum: sed esse in silentio*, sive (ut sup. dixit) *Muli-
er in silentio discat cum omni subjectione*. Cujus
Vers. 13. rationem postea adfert. *Adam enim primus for-
matus est, deinde Eva: & Adam non est seductus,
mulier autem seducta in prævaricatione fuit*. De
quo & monuerat 1. ad Corinth. 14 *Mulieres (in-
1. Cor. 14 quit) in Ecclesiis taceant, non enim permittitur
34. eis loqui, sed subditas esse sicut & lex dicit. Si quid
autem volunt discere domi viros suos interrogent*.
Vers. 35 Ad directionem & instructionem pertinet
potestas virorum in vota, & exercitia pietatis
suarum uxorum, ut in jejunia, orationes &c. ne-
que enim vota uxorum rata sunt, nisi de con-
sensu maritorum, qui ea pro suo beneplacito ir-
Num. 30. ritare possunt. Unde est lex illa judicialis Num.
11. 30. *Uxor in domo viri cū se voto constrinxerit &
Vers. 12. juramento si aud erit vir & tacuerit nec contra-
dixerit sponsioni reddet quodcumq; promiserat. Sin
Vers. 13. autem extemplò contradixerit, non tenebitur pro-
missionis rea quia maritus cōtradixit & Dominus
Vers. 14. ei propitius erit. Si voverit & juramento se con-
strinxerit ut per jejunium, vel cæterarum rerum
abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio vi-
ri erit, ut faciat sive non faciat*.

Uxor non potest validè vovere quæ sūt contra leges matrimonii &c. Circa quam legem nonnulla notanda sunt. 1.
Uxorem non posse validè vovere aliquid, quod
contra leges & officia matrimonii, ac contra
viri aut familiæ utilitatem, libertatem, aut quā-
cumq; dispositionem ad matrimonium & fa-
miliam pertinentem, spectat. Ratio est: Quia in
his omnibus viro est subjecta, unde non potest
vovere castitatem, aut non reddere debitum,
aut abstinentias noxias & jejunia: quia illa ad
matrimonium & dispositionem naturæ in
matrimonio pertinent.

Similiter nec vir. Et ita de votis mariti proportionatè philoso-
phandum est: neque enim maritus potest non
consentiēte uxore aliquid vovere, quod matri-
monio, & officiis ejus, ac familiæ interesse ali-
quod alicujus momenti inferat. Dixi (propor-
tionatè) in aliquibus enim maritus circa uxo-
rem & familiam aliqua potestate & authori-
tate potitur, qua non gaudet uxor in mari-
tum, ut ex dictis & dicendis constare potest.

2. Omnia vota uxorum quæ supradictam
materiam concernunt posse irritari & cassari à
maritis; & similiter maritorum ab uxoribus,
proportione servata, ut superiùs est dictum:
quod etiam intelligendum est de nonnullis vo-
tis ante matrimonium emissis, quæ officiis
matrimonii contrariantur, vel ea impediunt:
hæc enim, in quantum impediunt, suspensivè
a maritis irritari possunt pro tempore quo ma-
trimonium durat, vel quo impedimentum præ-
stant, ut vota jejuniorum, abstinentiarum, pe-
regrinationum; etsi enim voluntati mariti tem-
pore quo facta sunt non subjicerentur, posi-
to tamen matrimonio, eorum executio ma-
riti voluntati jam subjacet.

3. Uxorem, insciomarito, posse vovere li-
citè & validè quidquid est extra materiam, le-
ges, officia, exercitia matrimonii & familiæ.
Ratio est: Quia in his est arbitra suæ volunta-
tis, neque enim se viro tradidisse intelligenda
est, nisi in spectantibus aliquo modo ad jura ma-
trimonii, & officiorum, ac eorum quæ aliquò
modo ad illa diriguntur: Unde potest vovere
nonnulla, quæ sunt meræ libertatis & salutis,
ut aliqua pia exercitia pietatis, eleemosynas ex
propriis & paraphernalibus bonis, in quantum
tamen non spectant ullo modo ad matrimonii
onera aut jura. Item potest vovere castitatem
defuncto dumtaxat viro servandam, & alia
hujusmodi.

4. Vota de consensu conjugum, respectivè
emissa, valida quidem & observanda sunt. si
tamen conjuges non se adstrinxerint ad non
irritandum, sive sua potestate, qua ad irritanda
alterius vota gaudent, se non privaverint, cen-
sentur semper aliqua causa interveniente illa
irritare posse. Ratio est: Quia concessio tem-
poraria est, etsi votum illimitatum, neque cen-
setur maritus, sive alteruter Conjux, se absolu-
tè sua potestate privare, nisi id expresserit. Un-
de iterum si ex. g. Conjuges mutuo consensu
per compromissum se invicem obligaverint
ad non petendum vel reddendum debitum,
nullo præfinito tempore, aut etiam tempore
præfinito; occurrente causa potest uterque ju-
ri suo & obligationi compromissi renuntiare,
& reverti in idipsum. Ratio est. Quia omnis
contractus & compromissum liberum, & li-
berè factum, potest utriusque partis consensu
dissolvi, si in præjudicium tertii non cedat. Vi-
de de his quæ habet Basilius Pōtius l. 10. de ma- *Basilius*
trim. cap. 17. & 18. & Thomas Sanchez l. 9. de *Pontius*
Matrim. disp. 39. quorum etsi sententias in om- *Thom.*
nibus non sequamur, possunt tamen lucem præ- *Sanchez.*
bere lectoribus.

Sub protectione comprehenditur omnis *Uxorem*
propulsatio injuriæ, sive in bonis corporis & *in quibus*
naturæ, sive in bonis fortunæ, & in fama ac ho- *protegere*
nore. Tenetur enim maritus omnem injuriam *mari. ita*
ab uxore propulsare quantum justè potest. Et *debeat.*
hæc est potior pars dilectionis, quam ma-
ritus ad uxorem exercere te-
netur.

PECCATA

Contra obligationes mariti respectu uxoris.

Denegant uxori necessaria peccat mortaliter. PEccant mortaliter 1. mariti, qui uxoribus alimenta & vestimenta juxta statum suum, & familiæ præsentem constitutionē denegant, eas contundunt, & velut derelictas habent, & præter peccatum præcisè contra illam obligationem commissum, plurimorum causa malorum & criminum sunt, dum uxores, ut illa habeant, ad injusta media recurrere coguntur.

2. Mortaliter peccant, qui eis tempore infirmitatis & morbi non assistunt, vel non curant, ut congruis remediis & medicinis eis succurratur, ita ut non rarò vel mori, vel diutini languoris ex suo defectu & crudelitate illis causa sint.

3. Peccant mortaliter, qui uxores suas vel non instruunt, vel instrui non curant in necessariis, & qui eas in malis moribus, affectibus, jurgiis, &c. fovent, nec reprehendunt.

4. Qui eas diffamant, calumniantur, eorum honorem non defendunt, ubi de justa defensione agitur. Et alia peccata facile ex dictis colligi possunt.

Porrò viri advertere debent, mulieres esse infirmæ rationis, naturæ fragilis, in passionibus bonis malisve ferventiores, suarum passionū prodigas, suorum conceptuum pertinaces, ideo debent prudenter illis compati, illas juvare, illis bene consulere, illas oportune reprehendere, & ubi est pertinacia, etiam duriùs arguere. Peccata enim virorum ad uxores in tribus maximè consistunt: vel in tolerantia nimia, vel in duritie & acerbitate excessiva, vel in negligentia perniciosa.

§. 5.

De obligationibus uxoris ad maritum.

Uxor viro tria debet. UXor marito tenetur, ut suprà dictum est, ad tria: Ad *Obedientiam & subjectionem*. Ad *Reverentiam & honorem*: Ad *Liberorum & familiæ conservationem*.

De *Obedientia & subjectione* satis superq; §. præcedenti: vir enim caput mulieris est, unde 1. Pet. 3. *Subjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans.* 1 ad Tim. 5. *Docere autem mulieri non permitto, neq; dominari in virum: sed &c.* Et Eccli. 25. *Mulier, si primatum habeat, contraria est viro suo.*

1 Pet. 3. 5. 6.

1 Tim. 2. 12.

Ecc. 25. 30.

De *Honore & reverentia* patet 1 Petr. 3. in eo quòd Sara vocabat Dominum suum. Unde ad Ephes. 5. *Uxor autem timeat virum suum*, timore scilicet casto, puro, ex amore sincero.

Eph. 5. 33.

Liberorum & familiæ conservatio consistit, ut administrationem communem intra familiam suscipiat, prolibus necessaria subministret, eorum curam singularem gerat, sit adjutorium & consolatio mariti. Omnes perfectiones & actiones mulieris tam ad virum quàm ad familiam perlege Prov. 31. ubi mulieris fortis, prudentis, patientis, operosæ munia & perfectiones eleganter describuntur. Et alibi præconiū hujus conservationis familiæ mulieribus adscribit Eccli. 26. *Mulieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illius duplex. Mulier fortis oblectat virum suum, & annos vitæ illius in pace implebit.* Item, *Gratia super gratiam mulier sancta & pudorata.* Item. *Sicut Sol oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus ejus.*

Prov. 31.

Eccli. 26. v. 1. 2. 19. 21.

PECCATA

Contra obligationes uxoris respectu mariti.

PEccant 1. mortaliter mulieres, odio, aversione, tædio habentes viros suos, eos affligentes morositatibus, & indignationibus suis.

2. Inobedientes, rixosæ, garrulæ, domum & familiam perturbantes, nullum viris suis honorem exhibentes, male de illis loquentes, &c.

3. Zelotypiâ gravi & injustâ suis maritis molestæ, in quibus sibi perpetuam damnationem acquirunt, ob injuriam & calumniam marito & aliis illatas, de quibus vix pœnitere possunt. Nihil sanè periculosius zelotypa muliere, ob temeritatem & audaciam, quia tali passione adacta in omnia etiam facta involat. Vide caput 26. Eccli. *Super mortem omnia gravia: dolor cordis & luctus, mulier zelotypa. In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans.* Eccl. 26. 7. 8. 9.

4. Peccat mortaliter mulier, quæ liberorum & domesticorum suorum curam non gerit, nec rei familiaris ullam sollicitudinem habet, sed substantiam & bona familiæ & mariti dissipat &c.

De mulierum gravissimis excessibus videat Lector c. 25. Eccli. à v. 17. usq; ad finem. & c. 26. v. 6. & seqq.

APPENDIX.

De regimine œconomico sive domestico.

Origo regiminis domestici. PRimus regiminis modus ejusq; origo ex naturalibus principiis ortum habuit, qui etiam in statu innocentiæ fuisset; sine dubio enim regimen parentum in filios in statu innocentiæ fuisset, si Adamo non peccante propagatio generis humani ramos suos extendisset. Quod demum regimen, peccante Adamo, ex ipsis, & in ipsis naturæ visceribus remansit. Etsi enim potestas dominativa mariti ad uxorem ex peccato processerit, juxta Dei in Evam sententiam Genes. 3. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*: Dominium tamen quoddam parentum in filios semper fuisset. quod & ipso primo partu Eva cognoscit, eùm nato Caino: *Possedi* (ait) *hominem per Deum.* Tandem multiplicato genere humano, & illo per familias distributo, cœperunt habere famulos & ancillas, & consequentes eis dominari, illosque

Gen. 3. 16.

losque regere; ut ex contextu Geneseos constat. Itaque primum regimen in orbe œconomicum & domesticum fuit, quo, sic Deo & natura providente, parentes filiis, patresfamilias domesticis velut subditis principabantur. Hic igitur agendum fuisset de patria potestate in soboles, de obedientia filiorum erga parentes, vel eos qui parentum vices subeunt, de potestate patrum-familias, & dominorum ad servos, sed cùm jam ea præstiterimus tomo 2. lectorem illuc remittimus. Videantur itaque quæ dicto tomo 2. tract. 3. tit. 1. 2.3.4.5. à nobis sunt dicta.

TITVLVS XIII.

De Statu Viduarum.

STatui Matrimonii status Viduitatis affinis est, quia ex maritatis, post mortem conjugum Viduæ, velut libertati renascuntur, & à lege nuptiarum ad libertatem cœlibatus redeunt.

QUÆSTIO I.

Quæ dicantur vera vidua?

VAriè loquuntur Scripturæ de viduis. Aliquando enim significant simpliciter orbatas viro, ut 1. ad Corinth. 7. *Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant.* Aliquando nomine viduarum intelligunt, non simpliciter orbatas viro, sed eas, quæ firmo proposito vel voto eligunt post matrimonium absque viro in cœlibatu vivere. 1. Cor. 7. 8 & 9.

CONCLUSIO UNICA.

Quæ dicantur vera vidua in Script.

SOla illa vera vidua in Scriptura vocantur, quæ firmo proposito vel voto statum vidualem in continentia sibi delegerunt.

Colligitur passim ex scripturis, quæ viduitatem quendam statum faciunt, ob perpetuum cœlibatum & vidualem continentiam honore singulari dignum. Unde est illud 1. ad Timoth. 5. *Viduas honora, quæ verè viduæ sunt.* Et infrà. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum* &c. Illas verò quæ verè viduæ erant, ut plurimum fuisse voto adstrictas constat ex sequentibus, ubi reprehendit & vitari mandat adolescentiores viduas: *Cum enim (ait) luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt: habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Ex quibus posterioribus verbis constat hujusmodi viduas voto adstrictas fuisse, unde & primam fidem stabilis promissionis dicuntur violasse, sive irritam fecisse, adeoque damnationem sibi acquirere ob solutionem voti. Non enim damnatio infertur in violatione solius propositi, quantumcumque firmum sit. 1. Tim. 5. 3 v. 9. Vers. 11. 12

Triplicem porrò Noto apud Apostolum viduitatem. 1. quæ non aliud quàm orbitatem à viro, sive solutionem à lege viri, viro mortuo, indicat, sive hujusmodi vidua intendat secundas nuptias, sive non, utpote quæ in sua libertate manet, ut ad secundas nuptias transeat, vel ut in viduitate perseveret. De his loquitur Apostolus suprà, dum de adolescentioribus viduis sic loquitur. *Volo juniores nubere, filios procreare, matres-familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ. Jam enim quædam conversæ sunt retro satanam.* Ubi patenter intelligit juniores viduas, quæ nullo adhuc voto se obstrinxerunt, & adhuc liberæ sunt; aliàs si voto ligatæ essent, non suaderet illis nuptias Apostolus. Nuptias ergò Apostolus indulgere cogitur junioribus viduis, teste S. Hieron. Epist. 9. ad Salvinam, *metu fornicationis. Cur enim indulserit, statim subjecit.* Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam, *ideò*, inquit, *adolescentula vidua, quæ non se potest continere, vel non vult, maritum potius accipiat quàm diabolum.* Et energicè nimis epist. 11. ad Ageruchiam viduam: *Singula* (ait) *testimonii verba tractanda sunt.* Volo (inquir) adolescentulas nubere. *Cur quæso? quia nolo adolescentulas fornicari.* Procreare filios: *Quam ob causam? ne metu partus ex adulterio filios necare cogantur.* Matres-familias esse. *Quare obsecro? quia multò tolerabilius est bigamam esse quàm scortum, & secundum habere virum, quàm plures adulteros, in altero enim miseriarum consolatio, in altero pœna peccati est.* Sequitur, nullam occasionem dare adversario maledicti gratiâ, *in quo brevi succinctoq; Præcepto multa simul monita continentur, ne propositum viduæ exquisitior cultus infamet; ne oculorum nutibus & hilaritate vultus juvenum post greges trahat: ne aliud verbo, aliud habitu polliceatur &c. Ideo ergò secunda, & si necesse est, tertia incontinentibus aperit matrimonia, ut à Sathana abstrahat, ut magis mulierem qualicumque viro junctam faciat esse, quàm diabolo.* Hæc S. Hieron. Eleganter etiam S. Ambros. lib. de Viduis: *Nam utique pro remedio nuptias suasit, ut periturâ sanctur: non pro electione præscripsit, castâ & continens quid sequatur: aliud enim est subvenire labenti, aliud suadere virtuti.* Vers. 14. 15 S. Hieron. Idem. S. Ambr.

Aliæ erant viduæ, quæ viduitatem firmo proposito, vel etiam voto firmabant, voventes castitatem vidualem reliquo vitæ tempore servare. Et his multa præcepta sive leges dat Apostolus, de quibus infrà.

Tertiæ viduæ erant, quæ ab Ecclesia ad aliquod ministerium publicum assumebantur, & eligebantur, illæque Ecclesiæ bonis alebantur. De his iterum 1. ad Tim. 5. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens* (quæ bona opera singulariter perstringit) *si filios educavit, si hospitio recepit, si Sanctorum pedes lavit, si tribulationem patientibus subministravit, si omne opus bonum subsecuta est.* Ad quid verò eligerentur; varia certè ministeria matronis illis viduis Concredita fuisse narrant Au- 1. Tim. 5. 9 10.

Authores. S. Epiphanius in Hæresi Collidianorum refert electas fuisse pro baptisterio, ut adessent feminis in fide instruendis, baptizandis, & ministeriis variis, de quibus egimus ad finē tituli de Diaconis, in appendice 2. de Diaconissis.

QUÆSTIO II.

Quæ fuerit Disciplina viduarum initio Ecclesiæ?

CONCLUSIO UNICA.

Quales viduæ initio ecclesiæ debebant esse.

D*isciplina viduarum, quæ se pro veris viduis gerebant, sive ex firmato proposito, sive ex voto, hæc fuit.*

1. Ut irreprehensibiles essent in sua vita, sive probatæ vitæ: hoc enim præscribitur ab Apostolo 1. ad Tim 5. *Et hoc præcipe, ut irreprehensibiles sint: Propter hoc enim* (ait S. Ambrosius in hunc locum) *se ad Deum contulit, ut probabilem vitam agat, sublatis enim occasionibus, quæ aditus solent aperire peccatis, potest bona conversatio incolumis permanere.* Dicitur verò illa irreprehensibilis, quæ occasionem reprehensionis non dedit, ut benè exponit S. Hieron. epist. 14. ad Celantiam. *S. Ambr.*

2. Debebant vacare bonis operibus: de quibus suprà ad Tim. 5. *In operibus bonis testimoniū habens, si filios educavit, si hospitio recepit &c.* Talia enim opera in viduis eligendis requirebantur. Unde S. Ambrosius lib. de Viduis, notat omnem in dictis verbis seriem bonorum operum contineri, quæ in Viduis requiruntur. *Vide* (ait) *quàm multas comprehenderit virtutum disciplinas; primò pietatis officium; secundò hospitalitatis studium & humilitatis obsequium, tertiò misericordiæ ministerium, liberalitatisq; subsidium, ad summam omnis executionem boni operis flagitavit.*

Porrò in illo textu 1. ad Tim. 5. instruuntur viduæ juxta diversas conditiones & qualitates suas. Si enim filios aut nepotes habebant, principaliter inducitur illis: *Ut discant primùm domum suam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum est coram Deo.* Quibus verbis tacitè ab Apostolo reprehenduntur, quæ sub titulo orationis, devotionis & cultus Dei, contemnunt familiam, filiorum aut nepotum educationem, contemnunt honorem & obsequium parentum: quibus non rarò occasionem dant illi, qui sub titulo pietatis & charitatis, aut extranearum eleemosynarum, illas ab amore & educatione filiorum & nepotum ac agnatorum, & ab honore parentū abstrahunt; quæ est vera contra scripturam hæresis, & de qua nequitia in diversis locis Scripturæ reprehenduntur Scribæ & Pharisæi, Matth. 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.* Certè hæresi & infidelitati illa adscribit Paulus suprà: ubi occasione viduarum concludens: *Si quis* (inquit) *suorum & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.* Præmiserat ante de viduis, quæ familiam non habent: *Quæ* (inquit) *verè vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus & orationibus nocte ac die.* 1 Tim. 5. 8 / Vers. 5.

3. Hoc est tertium exercitium quod viduis præscribitur ab Apostolo, ut quando aliis domesticis curis & operibus charitatis non vacant, orationi & obsecrationi insistent nocte ac die, id est, quantum possunt exemplo Annæ Prophetissæ filiæ Phanuelis de tribu Aser, de qua Lucæ 2. quæ fuerat tantum septem annis in matrimonio, sed defuncto viro, usque ad annum ætatis octogesimum quartum vidua, *non discedens de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.* Nec minora prædicat Scriptura de Judith cap. 8. libri, quæ *in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur & habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbatha & neomenias, & festa domus Israel.* Et quamvis in commendatione orationum agat singulariter S. Paulus de viduis desolatis; per istud verbum *desolata*, non intelligitur pauper, quia illa sine dubio laborare saltem manibus tenetur, si potest: sed *desolata* dicitur, familiâ, parentibus, filiis, amicis, sive solatio propinquorum destituta, etsi aliàs opulenta, cui eò magis commendatur oratio, quòd jam externis conversationibus & sollicitudinibus non gravetur. Luc. 2. 36. 37. / Judith 8. 5.

4. Requirebatur in viduis frugalitas vitæ, 1. ad Tim. 5. *Nam quæ in deliciis est, vivens mortua est.* Super quo S. August. epist. 121. ad Probam c. 3. *Has ergò delitias, in quibus vidua se agit, hoc est, si in delectatione carnis hæret atque habitat, vivens mortua est, multi Sancti & Sanctæ omnimodo caventes; ipsas velut matres deliciarum divitias dispergendo pauperibus abjecerunt &c.* Infrà: *Pertinet tamen ad vidualem curam tuam, delitiæ si affluant, ne apponas cor, ne in eis putrescendo moriatur, quod sursum esse debet, ut vivat.* 1 Tim. 5. 6 / S. August.

Et hæc disciplina non ita fuit singularis initio ecclesiæ, quin etiam ad hæc usque tempora in bonis & fidelibus Christo viduis multis perseveret, quas imitari deberent omnes, quæ suam viduitatem saltem firmo proposito Deo consecrarunt. Hoc itaque earum Speculum sit, & vitæ sanctæ exemplar.

QUÆ-

QVÆSTIO III.

Quæ sint peccata viduarum?

Tria genera viduarum.

NOtat S. Augustinus seu Author libri de Vita Christiana cap. 15. Tria esse genera Viduarum. *Tria esse* (inquit) *viduarum genera non ignorare te credo: Unum quod perfectissimum est, cælestiq; præmio destinatum, quod ritu illius de Evangelio vidua, Deo orationibus & jejuniis die noctuq; deservit. Aliud verò, quod filiorum curam habere dicitur & domus, non tamen tanto præmio dignum, nec tamen peccatu obnoxium. Tertium autem genus est in epulis & delitiis, quod æterna morti servatur & pœnæ. Sicut scriptum est;* Viduas honora, quæ vere viduæ sunt: & paulò infrà: *Qualis autem Christi vidua debeat esse, Apostolus dicit*: Quæ vere vidua est, speret in Domino, & instet orationibus die ac nocte.

Distinguendum hic igitur est inter viduas liberas, & firmo proposito vel voto ad cœlibatum obligatas, ut suprà. Quæ enim viduæ sunt tantùm orbatæ viris suis, ad nuptias alias aspirantes, ad nil plus tenentur, quàm puellæ nubiles in iis quæ sunt castitatis, quamvis alias obligationes habeant ordinarias, sive quoad liberos, sive quoad familiam & famulos, sive quoad parentes honorandos, unde hæc illarum peccata.

PECCATA

Viduarum, quæ ad matrimonia altera vel aspirant, vel libera sunt.

Variè peccant viduæ.

PEccant 1. delectatione, verbo vel opere in materia carnis sicut solutæ quælibet, juxta omnes species & circumstantias, de quibus in 2. tomo ad 6. Præceptum Decalogi.

Peccant 2. in cura filiorum & familiæ, sicut & aliæ matres-familias; si dilapident bona & hereditatem filiorum, si eorum curam debitam non gerant; si sint illis causa ruinæ suæ in anima, sive in temporalibus &c. quæ omnia juxta materiæ qualitatem, quantitatem & circumstantias, vide in iis quæ diximus tomo 2. loco supra allegato ad Appendicem.

Peccant 3. peccato scandali, si conversationes scandalosas admittant, aut ea faciant exteriùs, quæ honestas matronas, & fideles viduas non decent: unde & juxta Silvestrum V. *Tutor.* Jure civili jus tutelæ filiorum amittunt, si incontinenter vivant.

Peccant 4. Si justam voluntatem maritorum defunctorum non curent exequi, ut in sepulturis, funeribus, piis operibus, ad quæ se obligaverunt. Quinimò, si donatione vel legato aliquorum bonorum mariti morientes eas obligaverunt, ut caste viverent, vel debent cedere bonis, vel debent cœlibem vitam agere. Vide Navarrum in Manuali c. 23. n. 62. Et quod de mulieribus viduis dictum est, proportionaliter viro applicari potest.

Peres: An liceat viduæ delectari de recogitata copula cum marito defuncto?

Respondeo: Vel copula & delectatio illi objicitur ut præterita, & tunc licita, & intra terminos matrimonii honesta, absq; præsenti motu carnis, cum sola mentali complacentia & delectatione ejus quod honestum erat, & tunc tamquam de objecto licito potest vidua delectari, modò periculo præsentis carnalis delectationis se non exponat: Vel copula etsi consideretur ut præterita, delectatio tamen ex ista cogitatione in carne & voluntate oriens sic afficit, quasi copula esset præsens, sive reducta ad præsens & hoc modo non licet, & vidua peccatum mortale committit. Ratio est, quia illa delectatio vestitur conditionibus & circumstantiis verè in mente & voluntate præsentibus, quæ ut præsentes carnem & voluntatem afficiunt, & delectationem ut nunc illicitam causant. Vide quæ diximus tom. 1. tract. 3. tit. 2. q. 6. reg. 2.

PECCATA

Viduarum, quæ firmo proposito vel voto ad statum vidualem sive cœlibatum perpetuum se obligarunt.

QUæ publicò proposito vel voto se ad statum vidualem & cœlibatum perpetuum obligarunt, sicut pluribus obligationibus, sic pluribus peccatis, si secundum suum statum non vivant, obstrictæ sunt.

Peccant transgrediendo castitatem.

Peccant itaq; 1. Viduæ, quæ se viduali statui, & cœlibatui voto obstrinxerunt, peccato sacrilegii, in omnibus transgressionibus castitatis, sicut & aliæ castitatem voventes, tenenturq; circumstantiam illam confiteri.

Peccant 2. Viduæ illæ voto adstrictæ, si vestimentorum vanitate, conversationibus variis, conviviis & commessationibus &c. se oblectent, quia etsi votum cœlibatus ista absolute & per se non prohibeat; Status tamen vidualis, qui ex communi judicio hominum, modestiam, sobrietatem, vitam exemplarem, pietatis officia complectitur, hæc excludit, sive propter periculum incontinentiæ in se vel in aliis, sive propter scandalum & malum exemplum, congruitq; illis singulariter illud Apostoli 1 ad Timoth. 5. *Quæ in delitiis est, vivens mortua est.* 1 Tim. 5. 6.

Ex quo 3. etiam peccare convincuntur Viduæ illæ, quæ solo firmo proposito, publicè tamen cognoscuntur se viduali statui addixisse, etsi enim non obligentur ex vi solius propositi; obligantur tamen ex vi status vidualis ad modestiam, sobrietatem, exemplum, opera bona, & contemptum vanitatum mundi &c. unde si contra illa graviter coram aliis excedant; peccant peccato scandali dati, quia viduali statui, quem factò, si non voto, profitentur, illa repugnant, & externa in illis immodestia, intemperantia, &c. scandalum generant & offensam. Dixi (publicè tamen cognoscuntur se viduali statui addixisse) Ex hac enim ratione ad exemplum externum & vitam viduali statui congruam saltem in exteriori homine obligantur, quamvis in cæteris, & in privato per se non

non se teneantur ad plura, quam illæ quæ liberæ sunt ad nuptias secundas.

Hic de viduarum dignitate; Dei ergà illas singulari protectione, & illarum piorum operum merito dicendum foret; sed quia illa magis Concionatorum & Encomiastarum muneris sunt, lubens transeo, ut in necessariis amplior sim.

TRACTATUS II.

De Statu Politico & Civili.

TITVLVS I.

De natura, origine, & multiplicitate status Politici Civilis.

QUÆSTIO I.

Quid & quotuplex sit Status Politicus Civilis.

Nomē politiæ quid concernat

PRo Resolutione hujus Quæstionis advertendum est. Nomen *Politia* generale esse ad omnem cujuscumque cœtus honestam & prudentem directionem, à quocumque tandem fiat; unde & à Gersone *Gersòn.* lect. 3. de vita spirit. Anim. dividitur in politiam Divinam, Naturalem, Humanam. Politiam *Politia triplex.* Divinam vocat, *communitatem viventem sub jure purè Divino: vel secundùm id regulatam*; qualis est ecclesiastia. Politicam naturalem; *communitatem secundùm leges puræ naturæ principaliter regulatam*: Politiam Humanam, *Communitatem secundùm leges purè civiles & humanas principaliter directam.* Nos hìc tantùm agimus de Politia Civili.

CONCLVSIO I.

Descriptio status politici civilis:

STatus Politicus Civilis sic rectè diffiniri potest: *Congregatio sive cœtus multitudinis personarum, certo ordine & regimine ad invicem se habentium, juris consensu, & utilitatis communione sociata.*

Sumitur hæc diffinitio ferè ex verbis sancti Augustini libro 2. de Civitate Dei cap. 21. ubi agit de diffinitione Reipublicæ à Scipione allata, quâ dixerat Rempublicam esse, *Rem populi, populum autem non omnem cœtum multitudinis, sed cœtum juris consensu, & utilitatis communione sociatum.* Quæ verba addidimus in definitione. Sic verò explicanda est hæc diffinitio, sive potiùs status politici descriptio.

Status politici substratum materiale

Dicitur (*Congregatio, sive cœtus multitudinis personarum*) Politia enim subjectivè in Congregatione multitudinis solùm reperitur, & Status Politicus pro substrato materiali habet regendam sive dirigendam multitudinem, quod & nomen ipsum indicat, πόλις enim Græcè, civitatem aut multitudinem Latinè designat, & πολιτικός civilis dicitur. Status igitur Politicus congregationem multorum communi vinculo coadunatorum indicat; unde & Aristoteles libro 3. Politic. Politiam, *Ordinem quendam incolentium civitatem in dominatione & subjectione consistentem* definit. Malui autem ego statum ipsum nomine *Congregationis* diffinire, quia status politicus dicitur, qui est politiæ subjectum, subjectum autem politiæ est ipsa Congregatio, cui status politicus adheret.

Dixi (*certo ordine & regimine ad invicem se habentium*) in hoc enim ordine consistit formalitas politię juxta Aristotelis diffinitionem, ex eo enim quod personæ Reipublicæ ad invicem diversimode sibi aut dominentur, aut subjiciantur, aut aliàs ad invicem conveniant, Politicum cœtum constituere dicuntur.

Statū politicū duo firmant.

Dixi (*juris consensu, & utilitatis communione*) Hæc enim duo politiam firmant: Consensus quidem juris & legum concordia stabilitatem donans: Communio autem utilitatis ad eundem finem & scopum multitudinem determinans, ut totius multitudinis sit velut cor unum & anima una, ac in bonum commune omnes conspirent.

Con-

CONCLUSIO II.

Ex varia Principantium seu Regentium ratione triplex status Politicus assignari solet: Monarchicus, Aristocraticus, & Democraticus.

Status politicus civilis triplex.

Monarchicus dicitur, qui *ab uno bono regitur*, ut à Rege vel Imperatore. *Aristocraticus*, qui *à paucis Optimatibus*, indivisibiliter tamen & conjunctim se habentibus, ut à Senatu, vel Consulibus. *Democraticus*, qui *à plurimis*, id est, (ut ait S. Aug. supra) *ab universo populo*, sive multitudine nomine universorum administratur.

S. Aug.

Et hi omnes status in hoc quidem conveniunt, quòd bonum commune populi per leges ordinatas, & perfectos bonos respiciant & procurent; sed in hoc differunt, quod primus ab uno; secundus à pluribus; tertius à multitudine regatur & administretur.

Advertendum porro est hos status interdum permixtos esse. Aliquando enim Monarchia Aristocratiæ permiscetur, dum Rex vel Imperator regimen aliquot Optimatibus committit. Nonnunquam autem Monarchia Democratiam admittit, dum singulari privilegio Monarcha populorum Congregationi suffragium indulget. Aliquando Aristocratia democratiæ jungitur, dū ita penes aliquos Optimates potestas regiminis residet, ut tamen consensum populi & multitudinis requirat.

Optima sanè politia est, quæ ad Monarcham & unum reducitur, cujus sit consilia discernere, decreta dare, justitiam administrare, populi bonum prosequi, ita quidem, ut quamvis Aristocratia quædam & Democratia immisceatur, ad unum tamen principium & velut Monadem reducantur, cujus judicio, sollicitudine, sapientia, justitia quod optimum est eligatur. De quibus postea.

QUÆSTIO II.

Unde, & quando politia civilis originē habuerit?

Hic iterum distinguenda sunt quæ ad Politiam spectant in duo genera. Alia enim sunt Politiæ in se absolutè considerata velut essentialia. Alia juxta diversos naturæ Status Politiæ accesserunt, & velut accessoria & accidentalia reputantur. Prioris generis sunt: Societas multitudinis personarum ad invicem, ordo Regulis justitiæ & prudentiæ constitutus, & quidquid ad illam, abstrahendo à quovis statu, spectare potest: ut sunt reverentia & obedientia quędam inferiorum ad superiores, amor mutuus, actio & operatio conveniens &c. Posterioris generis sunt, quæ peccati statum supponunt: ut servitutes, dominia civilia, onerosa officia &c. quæ non nisi post peccatum, & peccati causâ in genus humanum devoluta sunt.

Status politico alia essentialia, alia accidentalia.

CONCLUSIO I.

Omnis vera, honesta, & justa politia juxta essentialia sua à Deo & Dei ordinatione originem ducit.

Essentialia habent à Deo originem.

Conclusio clarè probatur: Ad essentiam enim politiæ tria potissimùm requiruntur: Potestas directiva; Societas multitudinis; & Ordo parium dispariumque ad invicem convenientium per modum superioris & inferioris, digni vel minùs digni: Atqui tria illa à Deo singulariter procedunt: ergo & ipsa Politia, quæ ex illis coalescit: Minorem probat Apostolus ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim Potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* In quibus verbis 1. Supponit Apostolus inter creaturas rationales sive homines à Deo ordinem quendam positum, ut unus altero dignior & sublimior existat, nimirum donis naturæ, & talentis sapientiæ & virtutis &c. de quibus infrà; unde vocat *sublimiores potestates*. 2. Docet *omnem potestatem a Deo esse*. 3. Humanam societatem, *ab illa potestate, divina ordinatione regi & dirigi*. Quod etiam S. Petrus confirmat 1. Petri 2. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum: sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus tamquam ab eo missis* &c. & Proverb. 8. *Meum est consilium, & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, & potētes decernunt justitiam.* Quæ qualiter intelligenda sint, infrà pleniùs examinabitur.

Rom. 13. 1

1. Pet. 2. 13

Prov. 8. 14. 15.

Dixi in Conclusione *(vera, honesta, & justa)* ad excludendas Antipolitias, quę sunt tantum Synagogæ impiorum, & Ecclesia malignantium, in quibus fucus & mendacium pro veritate, vitium pro virtute, iniquitas pro justitia venditatur. De quibus S. Gregorius lib. 10. cap. 16. in cap. 12. Job; à qua Antipolitia Politici hujus sæculi nominati sunt, qui potiùs Athei, Deum, divinam providentiam, justitiam, judiciumque abnegantes, in omnem effrænis genii temeritatem & libidinem efferuntur, à Secta *Machiavellista* dicti.

Dixi *(juxta essentialia sua)* quæ nimirum excludunt peccatum & statum peccati; multa enim in politiam derivata sunt ad peccata & mala impedienda & corrigenda, quæ ad integritatem Politiæ pro illo statu magis pertinent, quàm ad essentiam.

* *
*

CONCLUSIO II.

In statu Innocētia fuisset vera politia.

INstatu innocentia ante omne peccatum multiplicato genere humano fuisset vera Politia juxta essentiam sibi competentem.

S.Thomas Rationem hujus Conclusionis affert S. Thomas opusc.20. de Regimine Princip.lib 1. c.1. *Si ergo* (ait) *naturale est homini, quòd in societate multorum vivat, necesse est in hominibus esse, per quod multitudo regatur: multis enim existentibus hominibus, & unoquoq; quod sibi congruū est, providente, multitudo in diversa dispergeretur* &c. *sicut & corpus hominis & cujuslibet animalis deflueret, nisi esset aliqua vis regitiva communis in corpore qua ad bonum commune omnium membrorum intenderet* &c. Hæc S. Thomas. Quæ omnia probat lib. 3. cap. 1. ex ratione & analogia *entis*, quia *ab uno ente omnia dependent*. juxta illud Eccli.1. *Unus est altissimus Creator Omnipotens & Rex potens, & metuendus nimis, sedens super thronum illius, & dominans Deus* &c. à quo utique omnia entia dependent in esse, virtute & operatione. Et cap.2. ratione *motus*. quia juxta Philosophum lib. 8. Physic. *Omne quod movetur, ab aliquo movetur* juxta quod in lib. Sapientiæ, describitur *omnibus mobilibus mobilior sapientia. attingit autem ubiq; propter suam munditiam.* Et tandem cap.3. ostendit ex ratione *finis*, ad quem omnia disponuntur &c.

Eccli.1.8.

Aristot.

Sap.7.24.

Singulariter autem probatur Conclusio ex analogia ad cælestem Hierarchiam: Quemadmodum enim in cælesti Hierarchia ordo quidam & politia est, ut Cherubim & Seraphim, Throni per Cherubim, & reliqui ordines inferiores per superiores illuminentur & regantur; sic absque dubio in statu innocentiæ ordines & gradus fuissent terrenæ alicujus Hierarchiæ: sicut enim Angeli, etsi ejusdem naturæ, non tamen ejusdem gradus, capacitatis, dignitatis, donorum fuerunt: ita nec homines in statu innocentiæ ante peccatum eadem dona naturæ vel gratiæ in eodem gradu participassent; sed alii aliis (ut in Angelis) prælati fuissent, & ad exemplar Hierarchiæ cælestis, ordo & prælatura ac præsidentia inter illos fuisset.

Quam quidem politiam in domibus Justorum agnoscit & describit S. August. lib. 19. de Civit. Dei c. 14. *Ordinatam imperandi obediendiq; concordiam cohabitantium.* Et ut distinguat imperium & obedientiam ante peccatum ab illa quæ est post peccatum, imperium nomine *consulendi*, obedientiam autem nomine *consilium recipientis* indigitat; dū ait; *Imperant. qui consulunt* &c. *Obediunt autem, quibus consulitur.* Infrà; *Neq; enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi: nec principandi superbia, sed providendi misericordia.* Et hujusmodi politiam, in statu innocentiæ, si perseverasset, futuram, sed sublimiori modo, agnoscit S. Thomas opusc. 20. de Regim. Princip. lib. 3. c. 9. prout ipsa quandam potestatem dirigendi & consulendi importat. *Unde* (inquit) *istud dominium est* (nempe hominis) *competebat in quantum homo est animal sociale naturaliter sive politicum: ut dictum est supra Talem autem societatem oportet ad invicem ordinari In his autem que sunt ad invicem ordinata, oportet semper aliquid esse principale & dirigēs primum.* Subdit. *Et ideo secundùm hanc considerationem, dominium hominis super hominem est naturale & est in Angelis, & fuisset in primo statu, & est etiam modo.* Hæc S. Thomas.

S. August.

S.Thom.

CONCLUSIO III.

Quando Politia civilis post peccatum incaperit.

POlitia Civilis post peccatum incœpit statim à multiplicatione hominum super terram.

Hæc Conclusio probatur ex Gen. cap. 4. ubi dicitur Cain ædificasse civitatem, *quam vocavit ex nomine filii sui, Henoch*. Cum enim civitas ex nomine suo importet quandam civium & populi aggregationem, etsi adhuc pauci homines essent, civiliter tamen cœpisse in ea habitare verisimile est: Nec enim id absque causa Scriptura retulit; pro quo & notandum est primam civitatem mundi ædificatam in sorte impiorum per Cain.

Gen.4.17.

CONCLUSIO IV.

Per quos gradus politia sensim ascenderit.

POlitia gradibus minorum societatum ad perfectiores sensim deducta est antequam ad Monarchias universales perveniret. A Monastica ad Oeconomicam; ab Oeconomica ad Civicam; à Civica ac populari ad Monarchicam, Aristocraticam, Democraticam, paulatim ascendit. Primò enim a societate viri & mulieris ventum est ad familias & domesticas societates. & multiplicatis prolibus additi sunt famuli, famulæ, servi, sive ex voluntate eorum, qui se famulatui & operibus mancipabant; sive ex servitute, quæ eis velut hæreditaria nativitate obtingebat. Deinde familiæ in tribus & populos excreverunt, civitates constituerunt, se in regna & respublicas ampliarunt, unde & diversis nominibus, diversis regiminibus, diversis legibus inter se coaluerunt. Hæc omnia ex Scripturis constant; à particularibus enim familiis Patriarchæ venerunt; ex filiis Patriarcharum nationes constitutæ sunt; sicut de filiis Japhet dicitur Gen. 10. *Ab his divisa sunt Insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundùm linguam suam & familias suas in nationibus suis.* Et ibidem de filiis Cham per Chus describitur descendisse Nemrod, cujus regnum in Babylone, & aliis locis enarratur.

Gen.10. Vers.8.

***

QUÆ-

QUÆSTIO III.

Quæ sint politiæ Civilis partes.

PRo resolutione notandum est: Politiam constitui certis generibus personarum, ex quibus politicus cœtus conflatur & coalescit, quæque anologicæ partes nuncupantur, ex quorum actionibus, & velut conspiratione corpus Regni vel Reipublicæ constituitur.

CONCLUSIO UNICA.

Constituitur tribus generibus personarum.
S. Thom.

T*Ribus personarum generibus tamquam partibus integrantibus Politia consurgit nimirum, Rectoribus, Plebe, Milite.* hanc Conclusionem docet Thomas opusc. 20. sæpè citato de Regim. Princip. lib. 4. cap. 15. ex Hypodomo & Romulo.

Porrò sub *Rectoribus*, omnes qui ad regimen concurrunt, ut Senatores, Consilarii, Sapientes, Jurisperiti, qui velut assessores Regum & Rectorum sunt: Sub *Plebe*, omnes Agricolæ, Opifices, Artifices, & quicumque ad commune bonum laborant: Sub *Milite*, omnes qui defensioni populi & patriæ ex officio & stipendio vacant, comprehenduntur.

His verò tribus partibus quamcumque politiam sufficienter constitui patet. Ad politiam enim perfectam tria potissimùm concurrunt: Regimen, Conservatio, Defensio populi: Atqui Regimen, sufficienter à Præfectis & Rectoribus, sive eis assistentibus: Conservatio boni communis per Plebem ab Agricolis, Artificibus, Opificibus; & Defensio à Milite exercetur: Ergo &c.

Præclaram porrò harum partium Politiæ explicationem & applicationem tradit antiquus & doctus Author Joannes Valensis Ordinis Minorum, in libello quem inscripsit de Regimine vitæ humanæ. in quo describit partes supradictas ad similitudinem corporis humani; ita ut Rectores & eis assistentes capiti, & potentiis, quæ in capite maxime vigent, comparentur, alii aliis. Quemadmodum enim caput superiorem in corpore locum obtinet, in eoque omnes vigent sensus & potentiæ tamquam in Principio suo, & à capite regimen totius corporis per spiritus animales derivatur; ita in Rege, Principe, & Magistratu residet tota potestas, & virtus ad populi regimen necessaria; unde Judices, Præsides Provinciarum, & Primarii regiminis Ministri, sunt velut oculi, & aures in capite; Oratores, Jurisperiti, velut lingua; Consiliarii, & Senatores, velut cor; Thesaurarii & Financiarii, ut stomachus; Milites, ut manus; Populus laborans, pedum & lacertorum locum gerunt; illa autem omnia membra communis boni spiratione, concordiæ unanimitate, mutua fidelitate & adjutorio, communi Rectorum velut animæ influentia, ordinantur & uniuntur.

QUÆSTIO IV.

Quotuplices sint Politiæ Civilis Moderatores sive Rectores, & quomodo ab invicem distinguantur?

CONCLUSIO UNICA.

Quadruplices sunt Rectores Politiæ civilis.

Q*Uadruplices reperiuntur Politiæ Civilis Moderatores sive Rectores:* nimirum, *Reges, Imperatores, Principes, Magistratus.*

Reges dicuntur, *qui una, universali suprema, & independente potestate, populum sive populos continent & gubernant in commune multitudinis bonum.*

Dicitur (*unâ*) ut excludatur omnis Poliarchia, in qua penes plures potestas residet, & ad fundandam monarchiam, in qua unus Optimus una potestate jus dicit & gubernat.

Dicitur (*universali*) ut excludantur partiales potestates, quibus aliqui aliquibus tantùm, & singulari ac restrictâ potestate præsident, ut Provinciarum Præsides, Tribuni &c.

Dicitur (*suprema*) Dignitas enim Regalis suprema est post Deum in regimine civili & politico, nec se majorem agnoscit in suo Regno verus Rex.

Dicitur (*independente*) ut excludantur Principes subalterni, & Feudatarii, qui etsi suorum Subditorum respectu dicantur supremam potestatem gerere, tamen in nonnullis à Regibus vel Imperatoribus dependent, immò & à popularibus constitutionibus & juribus.

Dicitur (*populum vel populos*) fuerunt enim Reges, qui tantùm populo, immò & civitati præsidebant, de quibus frequenter in Scriptura ut Gen. 14. *Rex Ponti: Rex Sennaar; Rex Elamitarum; Rex Sodomorum; Rex Gomorrha, Rex Seboim; Rex Adama; Rex Bala.* Gen. 14.
Et Josue 8. mentio fit, de *Rege Jericho*, de *Rege Hai*. Et cap. 10. nominantur *Rex Jerusalem, Rex Hebron, Rex Jerimoth, Rex Lachis* &c. Jos. 8. Jos. 10.

Dixi (*continent*) utique in observantia legum, disciplina politica, obedientia, sive etiam (*continent*) id est, in pace & securitate ac concordia conservant, phrasi Scripturæ Sap. 6. *Præbete aures vos qui continetis multitudines* &c. Sap. 6. 3.
Unde notant Interpretes nomen βασιλεύς, quod Regem significat, derivari a basi, quasi Reges populum sua sustentatione contineant, & sint velut multitudinis basis & firmamentum, juxta illud Sap. 6. *Rex sapiens stabilimentum populi est.* Sap. 6. 26.

Dicitur (*& gubernant*) hoc est enim præcipuum Regis munus populum sibi subditum

tum regere & dirigere? Nam ut benè notavit S. Augustinus lib. 5. de Civit. Dei cap. 12. *non Reges aut Domini à regnando atque dominando sed Reges utique* (inquit) *à regendo dicti melius videntur, ut Regnum à Regibus, Reges autem* (*ut dictum est*) *à regendo, sed fastus regius non desciplina putata est regentis, vel benevolentia consulentis, sed superbia dominantis*. Et rursus idem, vel quisquis est Author libri de 12. Abusionum gradibus, gradu 9. *Nomen enim regis intellectualiter hoc retinet, ut subjectis omnibus Rectoris officium procuret &c. quoniam in justitia Regis exaltatur solium, & in veritate Regis solidantur gubernacula populorum*. Hæc S. August. vel, ut diximus, quisquis est Author libri illius. Ex quibus etiam passim docent Patres Regem in terris esse quandam Majestatis Divinæ imaginem. Et Seneca lib. 1 de Clementia Regum, comparat eum animæ corput regenti

Dicitur (*in commune multitudinis bonum*) In hoc enim, teste Aristotele 8. Ethic. cap. 10. Tyrannus à Rege differt, quòd Rex commune bonum & salutem populi; Tyrannus proprium bonum & gloriam, neglecto communi populi bono, intendat. *Tyrannus quidem* (inquit) *suum, Rex autem eorum, qui ab ipso reguntur, considerat commodum*. Quo sensu Xenophon lib. 3. de Memorabilibus Socratis, *Rex* (ait) *eligitur, non ut sui ipsius curam habeat, sed ut per ipsum qui eum elegerunt in felicitate degant*. A quo vix differt locus S. Pauli 1. ad Timoth. 2. ubi orandum pro Regibus monet, & causam subtexens; *ut* (inquit) *quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & castitate*, sub felici, utique, eorum imperio, Regalem hanc sollicitudinem eleganter descripsit Seneca in Consolatione ad Polybium cap. 26. *Cæsari* (ait) *ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium ipsius labor, omnium delitias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit, & siderum modo, quæ irrequieto motu semper cursus suos explicant, nunquam illi licet nec subsistere, ne que quicquam suum facere*.

Imperatores in natura regiminis similes sunt Regibus, in hoc tantùm à Regibus distincti, quod universalius extensivè & fastuosius quoddam dominium contineant, ad plura se extendens. Unde ab isto universali & (ut vocat) *supremo dominio* S. Thomas cit. opusc. 20. lib. 3. de Regim. Princip. cap. 12. docet nomen imperatoris, *fastuosè & elatè traxisse originem, quasi omnium dominus*; non quòd Regibus propriè dominetur, sed quod eminentiam quandam & aliquas prærogativas habeat.

In tribus verò Imperatores cum Regibus conveniunt. 1. In modo Jurisdictionis & potestatis, quia imperatores & Reges à legibus civilibus non pendent, sed leges in pectora continent, & eas tradunt; populos dominio mixto, politico scilicet & despotico gubernant; tributa & vectigalia jure divino à populis accipiunt &c. 2. Quia Reges & Imperatores coronantur, etsi diversis ad distinctionem coronis. 3. Quia ipsorum est Principes, Duces, Marchiones, Barones constituere, dignitates conferre, Magistratus instituere pro arbitrio, prudentia & voluntate sua, quæ inferioribus Magistratibus concessa non sunt.

Principes dicuntur, *qui sub Imperatoribus & Regibus, Regionibus & Provinciis imperant*: Et hi in duplici differentia sunt. Alii enim sunt Principes supremi, & independentes, sive qui supremam sibi Regibus & Imperatoribus potestatem obtinent respectu Subditorum, in hoc tamen ab Imperatoribus & Regibus distincti, quòd Regum voluntate & consensu sint constituti, unde interdum Regum Feudatarii sunt; vel alia regalia Regibus & Imperatoribus pendent: In hoc autem cum Regibus conveniunt, quòd modum Regiæ potestatis, & regiminis imitentur & participent. Alii sunt Principes Regibus sive Imperatoribus subjecti, & ab illis dependentes, ut sunt Comites, Duces, Marchiones, Barones, quorum regimen mere civile est; in hoc à Regibus & supremis Principibus distincti, quod legibus Regum & Imperatorum subditi sint, & regimen merè civile in Subditos participent.

Magistratus sunt, qui electione vel nominatione ad tempus præficiuntur populis; unde eorum dominium à regali differt 1. quòd sit temporale, & à populo certo modo dependens. 2. quòd merè politicum sit & politicis populi legibus diffinitum 3 quòd sit mercenarium & velut mercede conductitiū, accipiunt enim salarium à populo.

Porrò cum juxta diversas Regiones & mores hominum diversi modi regiminis, diversaque officia sint, quæ similiter multiplicia nomina consequuntur; videat, oro, lector quæ habet de his omnibus S. Thomas opusc. sæpè citato lib. 3. de Regim. Princip. cap. 21. & 22. nec-non lib. 4. cap. 26. Hæc enim ad institutum nostrum non spectant.

TITULUS II.

De Regum, Principum, & Magistratuum potestate, dominio, & aliis juribus.

QUÆSTIO I.

Unde Regum & Præfectorum potestas originem duxerit?

Hic potestas Regum & aliorum, qui populis præsunt, dupliciter considerand a est. 1.

est. 1. Originativè, & prout in seipsa considerata ab aliquo principium seu originem ducit. 2. Derivativè, prout in personas singulares certo quodam modo derivata est, & velut in illis residet.

CONCLVSIO I.

Potestas Regum & originativè est à solo Deo

Potestas legitima regum, & eorum, qui populis præsident, originativè à solo Deo est, à quo omnis potestas in cœlo & in terra nominatur.

Ratio est: Quia omnis potestas creata legitima est divinæ potestatis quædam participatio. Hanc Conclusionem probant passim Scripturæ Prov. 8. *Meum est consilium & æquitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges regnant, & legum Conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt justitiam.* Sap. 6. *Audite ergo Reges & intelligite, discite Judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra* &c. ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt.* 1. Petri 2. *Subjecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum sive Regi, quasi præcellenti: sive ducibus, tamquam ab eo missis* &c.

Prov. 8. 14. 15. 16. Sap. 6. 2. 3. 4.

Rom. 13. 1. 2.

1. Petr. 2. 13

Idem dilucidè declarat Hugo de S. Victore in Prologo seu libro 1. sui Commentarii in D. Dionysii cælestem Hierarchiam c. 2. *Ipse* (ait) *rerum omnium conditor Deus, cujus ineffabilis Majestas, & indeficiens virtus potens erat sola gubernare, quod creaverat sola, voluit in rerum a se creatarum gubernatione participes habere & cooperatores: non ut illorum ipse ministerio juvaretur: sed ut ipsi potestatis ejus consortio sublimes efficerentur. Dominus ergo solus, & Princeps omnium, dominationes & Principatus sub se & secundum se esse instituit in ministerio perficiendo quod universitatis ordo deposcebat, ut opera ejus complerentur per ordines & dispositiones* &c. Hæc Hugo. Quæ omnia posteà explicat ex ordine regiminis creaturarum in Universo, *Sic igitur* (inquit) *bonus & sapiens Deus creaturas a se solo conditas gubernat ordine quodam; inferiora scilicet secundum gradum perfectionis mediantibus superioribus; sic enim gubernat corpora per spiritus, & corpora grossiora per subtiliora, ut generabilia & corruptibilia per incorruptibilia; sic cælestia & spiritus inferiores per superiores.* Vide ad hoc S. Gregorium & S. Bonifacium citatos à Gratiano dist. 89. cap. *Ad hoc.*

Hugo de S. Vict.

Gratian.

Qualiter verò hæc communicatio gubernationis in Universo sub Deo sit facta respectu creaturæ rationalis, sic exponitur: Ut 1. ratio data sit homini ad regendum seipsum & potentias inferiores; 2. ut Angeli hominibus, 3. hominibus homines præficerentur, ordinata quadam ratione. Unde & benè hæc potestas legitima originativè à Deo deducitur, ita ut in Deo primo resideat; demum dependenter à Deo inferioribus creaturis variis modis communicetur, in ordine tamen ad creaturarum bonum, tamquam medium quoddam providentiæ & potentiæ Dei. Quæ omnia attigit S. Augustinus lib. 4. de Civit. Dei. cap. 33. *Deus igitur* (inquit) *ille felicitatis auctor & dator, quia solus est verus Deus, ipse dat regna terrena & bonis & malis: neque hoc temere & quasi fortuitò, quia Deus est, non fortuna, sed pro rerum ordine ac temporum occulto nobis, notissimo sibi; cui tamen ordini temporum non subditus servit, sed eum ipse tamquam Dominus regit, moderatorq; disponit.* Hæc S. August.

S. August.

Dixi in Conclusione & posteà (*legitima potestas*) illa verò legitima potestas, quæ intra limites justi & honesti continetur, unde illa sola à Deo est: quæ verò tyrannica, aut quovis modo injusta, aut inhonesta est, illa à Deo non est, nec originative, nec subjectivè sive derivativè. Unde pono Conclusionem 2.

CONCLVSIO II.

Non omnis potestas, quæ originativè est à Deo, ab ipso positivè in personas derivatur, sive personis advenit.

Nõ omnis est positivè à Deo personis advenit.

Ratio est; Quia sæpè legitima potestas illegitimè & inique usurpatur. Unde Scriptura, Oseæ 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi.* Quæ ut bene intelligantur.

Oseæ 8. 4

Notandum est: Quadifariam se habere homines respectu facto ad potestatem gubernandi legitimam. 1. Enim aliqui potestatem legitimam viis legitimis legitimè sunt adepti, & illa legitimè utuntur, ut de David & de Regibus bonis constat. Et de his certum est, quod potestas illorum sit derivativè & subjectivè à Deo.

2. Alii, nec potestatem legitimam legitimè sunt adepti, nec potestate quam habent rectè utuntur, & de his iterum certum est, potestatem eorum derivativè & subjectivè à Deo non esse, nisi eo modo providentiæ, quo Deus permittit mala in universo ob secretos fines. Tales dicuntur fuisse primi Reges de genere Cham, ut Nemrod, de quo Gen. 10. *Ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino &c. Fuit autem principium regni ejus Babylon, & Arach, & Achad, & Chalanne in terra Sennaar. De terra illa egressus est Assur &c.* Dicitur autem communiter Nemrod ad Regni potentiam pervenisse, & regiam potestatem usurpasse violentia, cæde & oppressione hominum, unde & regna inter malos simili via multiplicata sunt, & ab iis idololatria initium sumpsit, juxta ea quæ referuntur. Sap. 14.

Gen. 10. 8. Vers. 9. Vers. 10. Vers. 11.

3. Alii

3. Alii quidem regnum & potestatem legitimam recte acquisiverunt, sed injuste & illegitimè ea usi sunt. Et hi iterum a Deo derivativè potestatem habent, etsi illa in perniciem suam & subditorum abutantur.

4. Alii denique ad potestatem regiam illegitimo modo evecti sunt, illam tamen rectè & justè administrarunt. Et illi quidem nec derivativè nec subjectivè illam à Deo accepisse dicendi sunt; illorum tamen potestas in tantum à Deo illis data dicitur, in quantum illâ in bonum aliquod usus est Deus, & sic interpretatur Durandus Episcopus Meldensis in tract. de orig. Jurisdict. q. 1. ea quæ scribuntur de Cyro Rege Persarum Isaiæ 44. & 45. quem asserit violentia & via illegitima ad regnum ascendisse, illum tamen dici Pastorem Dei Isaiæ Isa. 44. 28. 44. *Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*: Et c. 45. vocari Christum ejus. Isa. 45. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram* &c. Non quia legitimè ad regnum ascenderit, sed quia singulari providentia Dei bene usus est potestate regia, sive quia Deus singulari dispositione permiserat, ut violentia regnum & imperium obtineret, quatenus è malo bonum eliceret, & per illum, destructo regno Babylonis, populum suum è captivitate educeret, & in Judæam remitteret, templum restitueret, & aliis bonis populum Judæorum cumularet; de quibus 2. Isa. 45. 4. Paral. 36. & 1. Esdræ 1. Unde notanter Isaiæ 45 dicitur: *Propter servum meum Jacob, & Israël electum meum* (scilicet liberandum) *vocavi te nomine tuo: assimilavi te*, id est, permisi ut regiam majestatem indueres, *& non cognovisti me*, id est non habuisti oculum ad me, cujus providentia permissiva ad regnum pervenisti: Vers. 5. *Ego Dominus, & non est amplius extra me non est Deus accinxi te, & non cognovisti me*, id est in fortitudine mea, & non tua, liberatus est populus meus, quamvis illud non agnoveris primum, ego enim eorum ordinavi ad liberationem populi mei. Et sic (ait Durandus suprà) illa auctoritas non arguit, quòd Cyrus fuerit legitimè adeptus imperium, seu à Deo, sed potius quod Deus providerit, ut vi imperium occuparet, & victoria sibi à Deo provisa benè uteretur ad populum è captivitate liberandum: Quod tamen postea recognovit Cyrus 2. Paralip. 36. 2. paral. 36 23. *Hæc* (inquit) *dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi, ut ædificarem ei domum in Jerusalem, quæ est in Judæa, &c.* Ex quibus verbis bene colligitur, quòd ad finem sive effectum ut educeret populum de captivitate, & restitueret templum Domini, datæ sint victoriæ Cyro; non autem quod potestas regia simpliciter & via ordinaria fuerit ei à Deo concessa.

CONCLUSIO III.

Omnis potestas regia, sive cujusvis præfecturæ à Divina providentia provenit sive quia illam indigno obvenire permittit, sive etiam quia positivè in peccati pœnam vel populi vindictam, potestatem illam indigno subjecto dimittit. A divina providentia provenit omnis potestas regia. Et ita intelligendus est locus Scripturæ Job. 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Job 34. 30 Et Eccli. 10. *Regnum a gente in gentem transfertur propter injustitias & injurias & contumelias, & diversos dolos.* Eccli 10 8 Isaiæ 3. Isa. 3. 1. *Ecce enim dominator Dominus exercituum auferet a Jerusalem & a Juda validum & fortem &c fortem* Vers. 2. *& virum bellatorem judicem & Prophetam, & ariolum & senem &c. Consiliarium & sapientem* Vers. 3. *de architectis, & prudentem eloquii mystici. Et dabo pueros principes eorum & effeminati dominabuntur eis.* Vers. 4 Et cap. 19 *Et tradam Ægyptum in manu Dominorum crudelium*, Isa. 19. 4. Et c. 10 *Væ Assur, virga furoris mei & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea* Isa. 10. 5. Cui etiam providentiæ adscribendum est illud Eccle. 4. *Quod de carcere, catenisque, interdum quis egrediatur ad regnum; & alius natus in regno inopia consumatur.* Eccl. 4. 14

Unde bene S. August. l. 5. de Civit. Dei c. 21. *Non tribuamus* (inquit) *dandi regni atque imperii potestatem nisi Deo vero; qui dat felicitatem in regno cœlorum non nisi solis piis; regnum vero terrenum & piis & impiis, sicut ei placet, cui nihil injuste placet. Quamvis enim aliquid dixerimus quod apertum nobis esse voluit, tamen multum est ad nos & valde superat vires nostras, hominum occulta discutere, liquido examine merita dijudicare regnorum* S. August. Hæc S. August. qui alibi exemplificat, *Ita de regibus id sentire possumus, quod publico judicio manifestum est; ubi autem de publico judicio non constat, Dei potestas enim in impio, & discolo honoranda est, sive illam directè in eum derivaverit Deus, sive occulto suo judicio permiserit eti am per iniquas causas secundas derivari, vel in pœnam regnantis, vel in populi vindictam: Divina enim providentiæ effectus vel permissivus, vel positivus est: permissivus quidem, quia justo judicio peccata & mala permittit: positivus, quo vindictam positivam & pœnam infligit.*

QUÆSTIO II.

Quibus modis potestas regia & Præfectorum legitimè & ordinatè personis adveniat?

CONCLUSIO UNICA.

Quatuor ferè modis legitima potestas tam regia quàm magistratus & Præfectorum personis ordinatè advenire solet, nimirum, *Divina ordinatione: Superioris potestatis designatione: Paterna successione: Electione multitudinis.* 4. Ferè modis advenit.

Hæc Conclusio ex Scripturis constat; Et quidem

quidem *diviná ordinatione* & præcepto facto Samueli, Saul primò unctus, posteà per sortes Rex constitutus est, 1. Reg. 10. David divino decreto per Prophetæ designationem, 1. Reg. 16. Moyses & Aaron, ille ut princeps populi, hic ut Sacerdos à Deo sunt constituti, Exod. 4 Et notabilis illa institutio septuaginta virorum seniorum, quibus dispertit Dominus spiritum Moysi, ut essent tamquam Magistratus & judices super populum, Num 11. hanc Dei ordinationem confirmat.

Designatione potestatis superioris.

De *designatione* verò *per potestatem superiorem* patet Exodi 18 ubi Moyses ex consilio Iethro soceri sui constituit Principes populi Tribunos, & Centuriones, & quinquagenarios, & Decanos, qui judicabant populum omni tempore.

Paterna successione. — Ps. 131. v. 11. — Vers. 12.

De *paterna* autem *successione* constat in Salomone & Regibus Juda, prout promiserat Deus David Ps. 131 *Iuravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, &c. Infrà: *Et filij eorum usque in sæculum, sedebunt super sedem tuam*: Conformiter ad ea quæ referuntur 2. Reg. 7.

Electione multitudinis.

De *electione* etiam *multitudinis* locus apertus est; 1. Mach. 9. ubi electus est Jonathas in locum Judæ à multitudine in Principem & Ducem populi. Et cap. 13. Simon in locum Jonathæ à populo electus & acceptatus est.

Nec his temporibus modi illi derivationis regnorum desunt, etsi enim immediata ordinatio divina jam cessarit: interdùm tamen & superioris potestatis designatione, & optimatum nomine, populique electione fiunt, & ut plurimum paternâ successione Reges & Principes, ac præfecturæ Magistratuum personis adveniunt. De quibus agere propositi & professionis meæ in hoc opere non est, consulantur historiæ

QUÆSTIO III.

An & quibus terminis potestas Regum & Principum concludatur?

Malè aliquos asserrere eam nullis claudi terminis. Ulpianus.

POtestatem Regum & Principum supremorum nonnulli tantam fecerunt, ut nullis in terra clauderetur limitibus, sed voluntati effreni Regum omnia relinquerentur, ita ut dictum Ulpiani: *Quod Principi placet, legis habeat vigorem*, extendant; sive justum sit, sive injustum, sive turpe, sive honestum, voluntate rationis locum obtinente, juxta commune illud dictum. *Sic volo sic jubeo, sit pro ratione voluntas.* Quam illimitatam potestatem indicant verba illa Pharaonis, Exodi 5. *Quis est Dominus, ut audiam vocem ejus, & dimittam Israel?* &c. Et Rex Assyriorum Isaiæ, *Quis est ex omnibus Diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Ierusalem de manu mea?* &c.

Exod. 5. 2. — Isai 36. 20.

CONCLUSIO I.

Clauditur terminis.

P*Otestas Regum & Principum supremorum certis clauditur terminis, ita, ut non liceat Regibus & Principibus quodlibet impunè agere.*

Sap. 6. 2. — Vers. 4. — Vers. 5. — Vers. 6.

Conclusio illa declaratur Sap. 6. *Audite* (ait) *Reges, & intelligite, discite judices finium terræ*, &c. *quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo; qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundùm voluntatem Dei ambulastis.* Ex quibus verbis sic concluditur: Reges sunt ministri Dei, & vicariam tantum respectu Dei potestatem habent, ut rectè judicent, leges justitiæ observent, & secundùm voluntatem Dei ambulent; Ergo potestas eorum certis clauditur terminis, nec quod lubet possunt impunè agere. Unde subdit Sapiens: *Horrendè & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.*

CONCLUSIO II.

Quatuor potissimùm terminis clauditur.

P*Otestas Regum & Principum ac Magistratuum quatuor potissimùm clauditur terminis, religione, honestate, justitiâ, fidelitate; religione* quidem, ut observent & provideant de iis, quæ spectant ad Deum, & ejus cultum & honorem: *Honestate*, ut virtutem colant: *Iustitia*, ut tam respectu sui quàm aliorum legibus divinis maximè & naturalibus se coaptent, *fidelitate*, ut populum servent & conservent. De quibus omnibus sequentes subjicio Titulos ad methodum meliorem.

TITVLVS III.

De obligatione Regum, Principum, ac cuiuslibet potestatis civilis circa Religionem veram, & alia ad Religionem pertinentia.

QUÆSTIO I.

Quid possit & qualiter teneatur potestas civilis ad Religionem conservandam, & ejus defensionem?

Olim aliqua persona fuere simul Reges & Sacerdotes.

TRitum est omnibus in sacra Scriptura, vel historiis versatis antiquitùs frequenter potestatem regiam cum sacerdotali fuisse in eadem persona conjunctam & unitam, eundemque hominem Regem & Sacerdotem fuisse. Sic enim de Melchisedech constat, quòd & *Rex salem, & Sacerdos Dei summi fuerit.* De Job etiam constat, quòd Rex fuerit, ipso de se testante, & velut suam curiam describente cap. 29. Undè & concludit ibidem: *Cùmque sederem* — Hebr. 7. 1. — Job. 29. 25.

quasi Rex circumstante exercitu, erat tamen mœrentium consolator. Fuisse tamen & Sacerdotem constat ex cap. 1. ubi describitur offerens sacrificia pro filijs suis, eosque sanctificans; & cap. 42. mittuntur ad Iob amici, ut pro illis sacrificium offerat. Undè Isidorus l. 7. ethymol. commune fuisse refert, ut primogeniti Regum Reges & Sacerdotes essent. Nec hoc alienum fuit à temporibus primis Romanæ Reipublicæ, in qua Reges eorum simul Pontifices dicebantur, & Sacra faciebant, eò quod regia & sacerdotalis dignitas in eadem persona conveniret. Huc etiam pertinet, quod Samuel fuerit simul Iudex & Sacerdos populi, & in patulo est, populum Iudaicum sub regimine temporali & spirituali Machabæorum, qui de stirpe sacerdotali erant, multo tempore mansisse.

Iob. 42. 8.

Ex quo inferendum est, potestatem regiam & sacerdotalem, etsi fine partiali distinguantur, incompatibiles tamen non esse, imò eidem Reipublicæ in regimine semper necessarias fuisse, sive in unam personam, sive in diversas conveniant. Undè Isidorus lib. de summo bono, & habetur 23. quæst. 5. cap. *Principes. Principes* (inquit) *sæculi nonnunquam intrà Ecclesiam potestatis adepta culmina tenent, ut per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant. Cæterum intrà Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi ut quod non prævalent Sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impetret per disciplinæ terrorem,* &c. Intrà: *Cognoscant Principes sæculi Deo se esse reddituros rationem propter Ecclesiam, quam Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur: ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suam Ecclesiam tradidit.* Et Leo Papa epist. 31. ad Pulcheriam Augustam: *Res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad Divinam confessionem pertinent, & regia & sacerdotalis defendat authoritas.* His sic prænotatis pono Conclusiones sequentes.

Utraque illa potestas non est simul incompatibilis.

Isidorus c. Principes.

S. Leo Papa.

CONCLUSIO I.

A*uthoritas & potestas regalis & sacerdotalis in ijs, quæ ad regnum & rempublicam spectant, sibi invicem communi nexu subserviunt & auxiliantur.* Benè Nicolaus Papa epist. ad Michaelem Imperatorem apud Gratianum d. 96. c. *Cùm ad verum. Cùm* (inquit) *ad verum ventum est, ultrà sibi nec Imperator jura Pontificatùs arripuit: nec Pontifex nomen imperatorium usurpavit; quoniam idem mediator Dei & hominum homo Christus Iesus actibus proprijs & dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit,* &c. Subdit: *Et ut Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent: & Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum imperialibus legibus uterentur quatenùs spiritualis actio à carnalibus distaret incursibus, & Deo militans minimè se negotijs sæcularibus implicaret: ac vicissim non ille rebus Divinis præsidere videretur, qui esset sæcularibus negotijs implicatus.* Et Gelasius I. ad Anastasium Imperatorem eâdem d. c. *Duo sunt: Duo sunt* (inquit) *Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regitur: authoritas sacra Pontificum, & regalis potestas.* Qualiter autem potestas regalis sive civilis adjuvet Sacerdotalem, ostendit Concilium Turonense III. apud Gratianum 23. quæst. 5. cap. *Incestuosi. Incestuosi* (ait) *parricidæ, homicidæ multi apud nos reperiuntur, sed aliqui ex illis Sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus: quos oportet per sæcularis potentiæ disciplinam à tam prava consuetudine coercere, qui per salutifera Sacerdotum monita noluerunt reverti.* Et ibidem cap. *Administratores* ex Ioanne VIII. *Administratores planè sæcularium dignitatum, qui ad Ecclesiarum tuitionem, pupillorum ac viduarum protectionem, rapacium que refrænationem constituti esse procul dubio debent, quoties ab Episcopis & Ecclesiasticis viris conventi fuerint: eorum querimonias attentiùs audiant, & secundum quod necessitas expetierit, absque negligentia examinent, & diligenti studio corrigant,* &c.

Sibi invicem subserviunt & opitulantur.

Nicolaus P. c. Cùm ad verum.

Gelasius I. c. Duo sunt.

Concil. Turon. III c. Incestuosi.

c. Administratores.

CONCLUSIO II.

R*Egia, vel quævis sæcularis potestas ità Religionis veræ terminis conscribitur, ut nil illi liceat contrà fidem, Religionem, & Ecclesiasticam libertatem attentare.*

Regia potestas non potest aliquid attentare contra fidem, &c.

Hæc clarè indicantur Deut. 17. ubi loquens de Rege futuro: *Postquam* (inquit) *sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine accipiens exemplar à Sacerdotibus Leviticæ Tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt.*

Deut. 17. 18.

Ex quibus verbis constat Reges non tantùm obligari ad mandata Dei, sed etiam ad omnia, quæ sunt Religionis, & sacrarum observationum, quæ indicantur per ceremonias, & per Deuteronomium, quod sacras Religionis ordinationes potissimùm continebat, ideoque conformiter præcipiebatur eis accipere librum illum de manu Sacerdotum Leviticæ Tribus. Unde & David 3. Reg. 2. in fine vitæ monet Salomonem filium suum: *Ego* (inquit) *ingredior viam universæ terræ: confortare & esto vir. Et observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in vijs ejus, ut custodias ceremonias ejus, & præcepta ejus & judicia, & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi: ut intelligas universa quæ facis, & quocumque te verteris,* &c.

Nec contrà Religionem & sacras ordinationes.

3. Reg. 2. 2.

CONCLUSIO III.

R*Egia & sæculari potestati, ex ratione sibi commissæ potestatis circa Religionem, incumbit Religionem cum vera fide conservare in se & ditionibus suis, & quantùm in se est illa promovere: Ecclesiam cum omnibus bonis juribus, & privi-*

Debet eam conservare ac promovere.

privilegijs defendi & favere: Ecclesiæ procures & ministros protegere. Hæc tùm ex Scriptura, tùm ex Patribus ac Concilijs, Historijsque sunt clara.

S. August. Et catalogum quidem ex Scripturis deducit sanctus Augustinus epistolâ 50. ante medium: *Aliter* (inquit) *servit* (utique Rex) *Deo, quia homo est, aliter, quia etiam Rex est: quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia verò etiam Rex est, servit leges justa præcipientes, & contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo. Sicut servivit Ezechias lucos & templa idolorum, & illa excelsa, quæ contra præcepta Dei fuerant constructa, destruendo. Sicut servivit Iosias, talia & ipse faciendo. Sicut servivit Rex Ninivitarum universam civitatem ad placandum Dominum compellendo. Sicut servivit Darius idolum frangendum in potestatem Danieli dando, & inimicos ejus leonibus ingerendo. Sicut servivit Nabuchodonosor, de quo jam diximus, omnes in regno suo positos a blasphemando Deo lege horribili prohibendo*, &c. Infra: *Quis mente sobrius Regibus dicat: Nolite curare in regno vestro, à quo teneatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit esse sive religiosus, sive sacrilegus, quibus dici non potest, non ad vos pertineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, sive impudicus.*

4. Reg. 18. 4.
4. Reg. 23. 4.
Ionæ 3. 7.
Daniel. 4. 21. & 41.
Dan. 3. 96.

Insignis Regis sollicitudo circa Religionem. Qui verò vult videre insignem Regis circà Religionem sollicitudinem, legat ad longum totum caput 23. libri 4. Regum. Ubi producto libro legis, quem Helcias Pontifex reparando sarta tecta in templo invenerat, Rex Iosias ad amussim juxta legem, totam Ecclesiam Iudaicam reformat. Universaliter autem Reges, pietati & cultui Dei ac Religioni addicti, in Scripturis laudantur; alij reprehenduntur, & condemnantur.

Illa Regum obligatio ulterius probatur. Singularis verò textus de obligationibus Regis in ordine ad Religionem conservandam, defendendam, & propagandam, habetur Deuteronomij 13. *Si audieris* (inquit) *in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filij Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus & serviamus Dijs alienis, quos ignoratis: quære sollicitè & diligenter rei veritate perspecta, si inveneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores urbis illius in ore gladij, & delebis eam, ac omnia, quæ in illa sunt, usque ad pecora, &c. ita ut universa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus*, &c. In quæ verba sanctus Cyprianus lib. de exhortatione martyrij capite 5. *Cujus* (inquit) *præcepti & vigoris memor Mathathias, interfecit eum, qui ad aram sacrificaturus accesserat, quòd si ante adventum Christi circa Deum colendum, & idola spernenda hæc præcepta servata sunt? quantò magis post adventum Christi servanda sunt, quando ille veniens, non verbis tantùm nos hortatus est, sed & factis* &c.

Deut. 13. 12.
Vers. 13.
Vers. 14.
Vers. 15.
Vers. 16.
S. Cypr.

S. August. Præclarè sanctus Augustinus Tractatu 11. in Ioannem ad caput 3. *Sic ergo quando vult Deus concitare potestates adversùs hæreticos, adversùs schismaticos, adversùs dissipatores Ecclesiæ, adversùs sufflatores Christi, adversùs blasphematores baptismi, non mirentur, quia Deus concitat, ut à Sara verberetur Agar.* Et paulò infrà ait: *Mirantur autem, quia commoventur potestates Christianæ adversùs detestandos dissipatores Ecclesiæ. Non ergo moverentur? Et quomodo redderent rationem de imperio suo Deo? Intendat charitas vestra quid dicam, quia pertinet hoc ad Reges sæculi Christianos, ut temporibus suis pacatam velint Matrem suam Ecclesiam, unde spiritualiter nati sunt.* Citatur à Gratiano 23. quæstione 5. capite *Quando vult*, sed mendosè.

Undè in Concilio Toletano VI. capite 3. pro Regibus Hispaniæ sancitum est: *Sancimus, ut quisquis succedentium temporum regni sortierit apicem, non ante conscendat regiam sedem, quàm inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit hanc, se Catholicam non permissurum esse* (utique Iudæos & hæreticos) *violare fidem; sed & nullatenùs eorum perfidiæ favens, vel quolibet neglectu, aut cupiditate illectus tendentibus ad præcipitia infidelitatem, aditum præbeat prævaricationis*, &c. Infrà: *Ergo postquam ordine præmisso ad gubernacula accesserit regni, si ipse temerator extiterit hujus promissi, sit anathema, maranatha in conspectu sempiterni Dei, & pabulum efficiatur ignis æterni, simul cum eo damnatione perculsi, quicunque Sacerdotum, vel quilibet Christianorum sui impietati fuerint consensi.* Concil. Tolet. VI. illam obligationem specialiter agnoscunt Reges Hispaniarum.

Non solùm autem Regibus Hispaniæ id in confesso est, licet fortè illis expressiùs & specialiùs, sed etiam Regibus omnibus & potestatibus à principio mundi sub vera Dei Religione militantibus hoc ipsum notum fuit, ut ex Scripturis constat. Et quidem de Regibus & Iudicibus Israël suprà mandatum Domini ex Deuteronomio 13. & 17: citavimus, post tempora verò antiquæ legis statim ubi Imperatores & Reges Catholici surrexerunt, obligationem illam sibi à Deo impositam agnoverunt. *Et eam agnoverunt omnes ab initio mundi, qui habuerunt veram Dei fidem.* Videnda est Constantini I. epistola ad Celsum Africæ Vicarium, apud Baronium ad annum 316. *Nequaquam* (ait) *me aliter maximum reatum effugere posse credo, quam ut hoc, quod improbe fit, maximè existimem dissimulandum: cùm nil potiùs à me agi pro instituto meo, ipsiusque Principis munere oporteat, quàm ut discussis erroribus, omnibusque temeritatibus amputatis, veram Religionem universos, concordemque simplicitatem, atque meritam omnipotenti Deo culturam præsentare perficiam.* Hinc idem Constantinus (teste Optato Milevitano libro 2. contrà Parmenianum) leges condidit contrà Arianos, ut etiam refert Sozomenus libro 2. capite 30. Celebrantur etiam hoc nomine à sanctis Patribus Imperatores Gratianus & Valentinianus Theodosij filius, ab alijs Arcadius, Martianus, &c. Et quotquot ferè Imperatores fuerunt in Occidente idem agnoverunt. Quamvis

Constant. I. Imp.
Constantinus & alij quidam Imperatores excelluerunt in conservatione fidei, &c.

Item aliqui Reges.

inter Reges in fidei conservatione, & hæreticorum extirpatione excelluerunt Reges Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, cùm Catholica esset, Hungariæ, Poloniæ, &c.

Ut verò obligationi illi Divinæ manum præberet Ecclesiastica authoritas, in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. mandatum est Principibus & Magistratibus, ut juramento se obligarent ad hæreticos è finibus suis extirpandos. Præclarâ sancti Augustini libro 5. de civitate Dei capite 24. sententiâ rem totam concludo: *Neque enim nos Christianos quosdam Imperatores ideò felices dicimus, quia vel diutiùs imperárunt, vel imperantes filios morte placidâ reliquerunt, vel hostes Reipublicæ domuerunt, &c sed felices eos dicimus, &c. si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum majestati ejus famulam faciunt: si Deum timent, diligunt, colunt, &c.*

S. August.

PECCATA

Regum & potestatis sæcularis contrà superiorem obligationem.

Permittentes libertatem conscientiæ &c. peccãt mort.

PEccant igitur Principes & Magistratus Catholici mortaliter 1. Qui libertatem conscientiæ (ut vocant) in suis regnis & rebuspublicis permittunt; templa vel domos pro suæ hæreseos exercitijs hæreticis aut tradunt, aut relinquunt; conventicula eorum dissimulant, quandò armis aut potentiâ suâ impedire possunt. Ratio est: quia Matri suæ Ecclesiæ, & Baptismi professioni infideles sunt, & omnium, qui pervertuntur & pereunt, ratione imperfectionis hæreseos, perditio ipsis justè imputatur, cùm ad hoc dati sint, ut fidem & Religionem armis & potentiâ defendant, ut superiùs sat superque ostensum est.

2. Permittentes in suis ditionibus libros hæreticorum imprimi, &c.

2. Peccant mortaliter, qui impunè (si debitè super hoc moniti fuerint) permittunt in suis ditionibus libros hæreticorum aut schismaticorum imprimi, distrahi, legi; etsi enim id curæ Episcoporum sit, quia tamen legibus Ecclesiasticis coërceri nequeunt, à civili & armata potestate puniri debent, ut Ecclesia & fideles à periculo liberentur.

Generaliter peccans mort. qui &c.

3. Peccant mortaliter in universum, qui quidpiam contrà Dei cultum, Religionis promotionem quovis modo aut inducunt, aut induci permittunt, rationibus supradictis.

An quis per potestatem civilem ad fidem cōpellatur.

DICES: Fides est donum Dei, ad quam nemo compellendus est, sed Dei vocationi relinquendus. Respondeo ex sancto Augustino lib. 2. contrà litteras Petiliani, cap. 83. per potestatem civilem armatam neminem ad fidem cogi, sed aut perfidiam puniri, aut incentiva perfidiæ & infidelitatis tolli, matris Ecclesiæ paci, & fidelium saluti consuli, aut ipsis pœnis hæreticos ad meliora vocari. *Nunquid* (inquit) *quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideò mores pessimi non legis integritate puniuntur?* & post pauca: *Si qua igitur adversùs vos leges constituta sunt, non ex eis benefacere cogimini, sed malefacere prohibemini.* Et rursùs idem Augustinus citatus à Gratiano 23. quæstione 5. capite *Si vos*, ait: *contrà Ecclesiam Christi altaria erexisse, & à Christiana unitate (quæ toto orbe diffunditur) sacrilego schismate separatos esse, & corpori Christi (quod est Ecclesia toto orbe diffusa) rebaptizando & blasphemando, & quantum potestis, adversàrius oppugnando, sancta & canonica Scriptura convincit, vos impij atq; sacrilegi estis: illi autem, qui vos pro tanto scelere, tam leviter damnorum admonitionibus, vel locorum, vel bonorum, vel pecuniæ privatione deterrendos, coercendosque decernunt, ut cogitantes quare ista patiamini, sacrilegium vestrum cognitum fugiatis, & ab æterna damnatione liberemini, diligentissimi rectores, & piissimi consultores deputantur.*

S. August.

Idem c. Si vos.

Pelagius Papa Narsæ Patricio scribens apud Gratianum suprà capite *Quali nos*, postquàm principem ad coërcendos hæreticos exhortatus est, de obligatione illa sic concludit: *Hoc enim* (inquit) *& Divinæ & humanæ leges statuerunt, ut ab Ecclesiæ unitate divisi, & ejus pacem iniquissimè perturbantes, à sæcularibus etiam potestatibus comprimantur. Nec quicquam majus est, unde Deo sacrificium possitis offerre, quàm si id ordinetis, ut hi, qui in suam & aliorum perniciem debacchantur, competenti debeant vigore compesci.*

Pelag. Papa c. Quali nos.

Clarum est Constantini I. edictum adversùs hæreticos, quod refert Baronius ad annum Christi 326. pag. 299. (cujus etiam edicti meminit Eusebius Cæsariensis libro 3. de vita Constantini capite ultimo, & Sozomenus libro 2. capite 30.) in quo Constantinus eos vocat: *veritatis inimicos, hostes vitæ, internecionis authores & consiliarios*, &c. & indicans se parcere eorum internecioni, eos interdicit omni conventu, jubet ædes, in quibus congressus celebrare consueverant, penitùs everti, & generaliter constituit, ut *omnia hæreticorum templa* (*si*, inquit *templa appellare convenit*) *sine recusatione aut controversia diruantur, & diruta absque mora Catholicæ tradantur Ecclesiæ*, &c. Et concludens ait; *Sit igitur hoc ratum statutumque, ut post hunc diem nullo in loco, vel publico, vel privato, nefarij vestri conventus in unum coire audeant.* Hæc Constantinus. Similia edicta Theodosij & aliorum Imperatorum vide apud Historicos, & in Iure civili C. de Hæreticis & Manich.

Constantinus Imp.

4. Gravissimis etiam peccatis se exponunt, qui confœderati hæreticis eos in debellandis Catholicis armis adjuvant, urbes Catholicorum expugnant, cùm certum sit, quòd potentiâ hæreticorum introductâ hæresis plantabitur, & Catholica exercitia proscribentur, & quamvis libertas aliqua Catholicis concederetur, ex pronitate tamen naturæ humanæ ad malum, plures boni pervertuntur, & longitudine

Quid de principibus adjuvantibus hæreticos in debellãdis Catholicis, &c.

dine temporis, defunctis parentibus, liberi fæcem vulgi & libertatem hæresis sequuntur. *Ratio est*: quæ præcedens, quia his modis & mediis fidei Catholicæ detrimentum grave inferunt, & ex natura rei propagandæ hæresi viam patant. Unde est illud Prophetæ Jehu ad Josaphat 2. Paral. 19. *Impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum amicitia jungeris, & idcircò iram quidem Domini merebaris*, &c. Rationem autem, cur hæc fœdera Deus prohibeat, explicat Deus Exodi 34. ubi prohibens fœdera & amicitias cum Chananeis & aliis infidelibus: *Cave (ait) ne unquam cum habitatoribus terræ illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam, sed aras eorum destrue, confringe statuas, lucosque succide*, &c. Infrà: *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cùm fornicati fuerint cum Diis suis, & adoraverint simulacra eorum, vocet te quisquam ut comedas de immolatis*, &c. id est, ne conversatione malorū & illorum exemplo inducaris ad malum. Quibus similia habentur, Deut. 7. sed & Josue 9. de inito fœdere cum Gabaonitis murmuravit populus, quia contra præceptum Domini erat. Et Judicum 9. reprehenduntur Israëlitæ de pactis cum infidelibus initis. Porrò hic restant duo dubia incidentalia breviter expedienda.

2. Paral. 19. 2. — *Cur Deus similia fœdera prohibeat.* — *Exod. 34. 12.* — *Vers. 15.*

Petes itaque 1. An aliquando Reges & potestas sæcularis Catholica possit libertatem religionis in terris suis permittere, aut templum aliquod vel locum hæreticorum pseudo-prædicationi cedere, aut aliquo modo connivere?

Illicitum est si non suasit vera & urgens necessitas. Respondeo 1. Nullâ subsistente necessitate vera & urgente non licere. Ratio est, quæ supra in primo casu, quia præceptum Domini est, & ex natura sua est res Ecclesiæ & fidei, ac membris Ecclesiæ Catholicæ admodum damnosa. Et hoc concludunt omnia, quæ in superioribus allegata sunt.

Secus si talis necessitas subsit. Respondeo 2. Urgente verâ & reali necessitate, si cogantur interdum Principes supra scripta permittere, perseverante necessitate à peccato excusantur. Tunc verò censentur urgente verâ & reali necessitate cogi, 1. Quando armis & potentiâ hæreticorum victi impedire non possunt, ut heu! his temporibus malo nostro experti sumus. 2. Quando in contractum fidelitatis abiit: ut eùm Princeps Catholicus capiens civitatem hæreticam, libertatem exercitii suæ religionis illis relinquere promisit; in hoc enim casu non tam concedit aut permittit hæresim, quàm ubi jam plantata erat ante victam civitatem ex conventione cum victis facta relinquit, ut parcatur sanguini; compensatione tamen in utilitatem Ecclesiæ cedente, qui per civitatis occupationem, & Catholica fides plantatur & restituitur, & Catholici rebus potiuntur. 3. Quando tolerantia hæreticorum in utili-

Censetur subesse talis necessitas.

tatem Catholicæ fidei aliquo modo cedit, sive quia zizania non possunt eradicari & colligi, absque detrimento & eradicatione tritici, sive quia præstat cancro rodente objicere unum membrum, ut reliquum corpus salvetur.

Plura hic specialiùs fortè explicanda fuissent, sed aliud consulit Amos Propheta cap. quinto: *Quia cognovi multa scelera vestra, & fortia peccata vestra: hostes justi accipientes munus, & pauperes deprimentes in porta*: *Ideo prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.* Amos 5. Vers. 13.

Petes 2. An licita sit aliquando confœderatio Catholicorum cum hæreticis?

Licita est interdum confœderatio cum hæreticis. Respondeo: Ubi nullum ex fœdere malum fidei Catholicæ vel Ecclesiæ, sive populo Catholico imminet, licet interdùm justa de causa cum hæreticis aliquod fœdus inire. *Ratio est*: quia fœdera cum hæreticis non prohibentur nisi ob periculum corruptionis fidei vel morum, vel etiam ob hæresis abominationem: Ergo cessante periculo, & justâ causâ, utpotè utilitate magnâ Reipublicæ Christianæ accedente, licebit Principibus Catholicis cum illis fœdus inire. Hæc fœdera justificantur exemplis Machabæorum, qui cum Romanis statuerunt amicitias & fœdera, ut nimirùm non tantùm non nocerent, sed etiam ut contra Antiochum, Demetrium & alios Reges se meliùs eorum auxilio tutare possent. Vide cap. 8. & 14. libro 1. Machabæorum. Unde & Exodi 34. *Cave (ait) ne unquam cum habitatoribus terra illius jungas amicitias, quæ sint tibi in ruinam*, quæ enim non in ruinam sed utilitatem populi Dei etiam ex obliquo erant, non prohibebantur.

Cur illa prohibeantur. — *Exod. 34. 12.*

QUÆSTIO II.

Qualiter obligetur potestas sæcularis ad immunitates Ecclesiasticas conservandas & protegendas?

ANtequam ad resolutiones accedamus, aliqua circa potestatem sæcularem & ecclesiasticam sunt adnotanda.

Potestas sæcularis & Ecclesiastica in quo differant. 1. Has potestates, etsi in multis differant, in plurimis tamen saltem materialiter convenire. Differunt quidem, quia civilis seu sæcularis potestas hominem gubernat in his, quæ sunt naturæ & morum, juxta rationem naturalem & leges naturales & humanas, ad finem omninò naturalem, ut nimirùm homines intra fines justi & honesti quietè & socialiter ad se, & cum invicem vivant: Potestas autem ecclesiastica superiori quâdam eminentiâ hominem diri-

git legibus supernaturalibus à Deo singulariter prævisis, & per modos supernaturales, quibus homines ad Dei fruitionem & æternam beatitudinem perveniant. Conveniunt verò in eo, quòd cùm gratia non excludat naturam sed supponat, nec beatitudo supernaturalis beatitudinem naturalem, quæ in bono honesto & justo consistit, necessarium est, ut in materiali coincidant, & directiones earum, etsi diversis modis easdem tamen actiones contingant. *Explico*: Potestas civilis dat leges, quibus avertat intemperantiam civium, & mala ex intemperantia oriunda in perniciem Reipublicæ comprimat; similiter quibus injuriæ, & injustitiæ propulsentur: Potestas ecclesiastica eadem mala persequitur, & eâdem quidem ratione, ut mali à Republica christiana arceantur, sed supposito hoc bono altioribus principiis procedit, & eàdem prohibet vel præcipit, ut nimirùm non tantùm bonum Reipublicæ conservetur, sed ut animæ à peccatis & damnatione eripiantur, & ad beatitudinem æternam, Dei gratiâ operante, comitante, & consequente, per virtutes & opera bona perveniant.

In quo conveniant.

Ecclesiastici qualiter subsint Principi sæculari.

Notandum 2. Ecclesiasticos & sæculares formare eandem Rempublicam sub duplici potestate: Et ideo ecclesiasticas personas, quatenus membra sunt, & cives Reipublicæ temporalis, subesse Principi temporali in ordine ad bonum publicum & regimen totius communitatis, ut tenet Dominicus Soto in 4.d.25.q.2.art.2.& alii, ut videre est apud Bellarminum l. 1. de Clericis c. 28. Item Clericos tamquam cives Reipublicæ gaudere omnibus privilegiis patriæ, quæ statui communi absque distinctione competunt, ut latè docet Grassiis de effectibus effectu 2.& alii apud Salgado de protect. Reg. p. 1.cap.1. prælud.2. Denique eosdem in omnibus legibus & decretis, quæ tangunt publicum bonum Reipublicæ, & non adversantur regimini, & bono, ac libertati ecclesiasticæ, teneri Principi obedire. Ratio omnium horum est: quia omni juri & naturæ, etiam creaturæ irrationalis, commune est, ut partes universi subjiciantur primo motori, & causis moventibus pro conservatione universi, quâ lege gravia adscendunt sursum, & levia deorsum descendunt universali quidem illâ lege, quâ ad bonum & conservationem universi omnes partes conspirare debent.

Dom. Soto Bellarm.

Grassis Salgado.

In quibus tenentur eis obedire.

Omnes laici, &c. subjiciuntur in spiritualibus Prælatis Ecclesiæ.

Notandum 3. proportionatâ lege, quâ Clerici sive Ecclesiastici in regimine temporali tamquam cives & membra Reipublicæ temporalis subduntur pro communi bono Reipublicæ legibus temporalibus, & regimini temporali Principem; similiter omnes laicos in Christiana Republica in spiritualibus subjici regimini spirituali Prælatorum ecclesiasticorum, & Ecclesiæ legibus, ac spirituali ac supernaturali directioni, ita ut nemo eximatur ab illa, sive sint Reges, sive Principes, aut quicumque Magistratum gerentes. *Ratio est*: quia Respublica Christiana sive Catholica, continet sub se omnes, qui Sacramento Baptismatis initiati, ad æternam beatitudinem ex vi Baptismi suscepti, & professionis fidei in Baptismo factæ, tenentur sub regimine Ecclesiæ & paratis a Christo mediis aspirare, & Ecclesiæ obedire, ut latè docuimus hujus tom. 3. p. 1. Et consequenter lege proportionatâ, sicut gravia sursum ascendunt, levia deorsum ad bonum universi conservandum descendunt, & veluti naturali lege descendere coguntur; ita sive Imperatores, sive Reges, Principes, aut Magistratus sint, sive subditi, ad Ecclesiæ & fidei Catholicæ & Christianæ defensionē tenentur, quia legibus & bonis communibus Catholicæ Ecclesiæ fruuntur in spiritualibus, quilibet pro conditione & capacitate sua.

Reges, &c. Subjiciuntur Ecclesiæ & Summo Pontifici tamquam capiti.

Notandum 4. Etsi principatus Ecclesiasticus & politicus, in regimine disparato, nimirùm spirituali & politico, respectivam æqualitatem habere videantur, tamquam duo ejusdem corporis capita, quorum alterum influit esse & operari spirituale, alterum esse & operari morale & honestum intra terminos naturæ rationalis; nihilominus caput politicum subjacere capiti Ecclesiastico & spirituali, & non è contrà. *Ratio est*: quia caput politicum, ut Imperator, Rex, aut Princeps supremus Catholicus, eo ipso quo baptizatus est, vi Baptismi Catholicæ fidei adhærere debet, nec potest ullâ potestate legibus Catholicæ Reipublicæ, & fidei orthodoxæ liberari, & consequenter subjicitur tum Ecclesiæ matri, tum Summo Pontifici, Christi Vicario, tamquam capiti & patri, quia fidei professione & Baptismi susceptione Ecclesiæ se incorporavit, in Baptismo juramento fidelitatis se adstrinxit, & charactere Christi, ut ejus membrum, insignitus est.

Non autem Summus Pontifex Regibus.

Dixi (non econtrà) supremus enim Pontifex Vicarius Christi, etsi subjaceat legibus justitiæ & æquitatis, non tamen Regibus, à quibus nullatenus judicari potest, *Prima enim sedes à nemine judicatur*: Et cùm Pontifex summus Vicarius Christi in terris sit, regiam simul & sacerdotalem potestatem participat; sacerdotalem quidem in facto, regiam autem in habitu & potentia, qua & Regibus omnibus eminet, & deficiente regiâ potestate in Ecclesia & Republica Catholica illam supplere teneretur. Et hi sunt *duo gladii hic*, id est, in collegio Apostolorum reperti. Christo ad passionem procedente, quorum uno omni tempore uti poterat Petrus, altero tantùm in necessitate. Quapropter & illud Christi ad Pilatum: *Regnum meum non est de hoc mundo*, non ita intelligendum est, quasi Christus Rex mundi non esset, cùm sit *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, & in Apocalypsi dicatur; *In capite ejus diade-*

Habet simul potestatem regiam & sacerdotalem.

Joan. 18. 36.

Apoc. 16. 19. v. 12.

diade-

diademata multa, sed quia potestate regiâ mundanâ non fuit usus, quamvis tamen Regibus omnibus superior esset, cui utique *omnis potestas in cœlo & in terra* (à Patre) *data erat*.

Matth. 28. 18.

Ipsius est Reges errantes corrigere, & eorum vices supplere ubi desunt.

Proportionaliter Vicarius Christi summus Pontifex Regibus præsidet, quia si aberrent à via veritatis & justitiæ, illius est illos corrigere, & ad viam veritatis & justitiæ reducere; & ubi desunt Imperatores & Reges, ipsius Pontificis est in Republica Catholica vices illorum supplere, tam ad conservandam & regendam, quàm ad defendendam Ecclesiam. Eleganter S. Bernardus epist. 256. ad Eugenium, exhortans illum ut pro defendenda orientali Ecclesia etiam gladium materialem exerat: *Exerendus est nunc* (inquit) *uterque gladius in passione Domini, Christo denuò patiente, ubi & alterâ vice passus est. Per quem autem nisi per vos? Petri uterque est: alter suo nutu; alter suâ manu, quoties necesse est, evaginandus. Et quidem de quo minùs videbatur, de ipso ad Petrum dictum est: Converte gladium tuum in vaginam. Ergo suus erat & ille, sed non suâ manu utique educendus.* Et subdit: *Tempus & opus esse existimo, ambos educi in defensionem orientalis Ecclesiæ. Cujus locum tenetis, zelum negligere non debetis. Quale est hoc principatum tenere, & ministerium declinare? vox clamantis, venio Ierosolymam iterùm crucifigi. Ad quam vocem etsi alii tepidi, alii & surdi sint, successori Petri dissimulare non licet.* Similia & ferè eadem repetit lib. 4. de consideratione ad eundem Eugenium post initium: *Converte* (inquit) *gladium tuum in vaginam: Tuus ergo & ipse tuo forsitan nutu, etsi non tuâ manu, evaginandus. Alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis, ecce gladii duo hic, non respondisset Dominus, satis est, sed nimis est. Uterque ergo Ecclesiæ & spiritualis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia; ille verò & ab Ecclesia exerendus est; ille Sacerdotis, is militis manu, sed sane ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris.* Ex quibus verbis constat Pontificem summum habere ex jure divino, & institutione Christi etiam gladium materialem, quo, deficiente Imperatore aut Regibus, uti potest ad defensionem Ecclesiæ & populi Christiani, etsi non propriâ manu, per collectionem tamen militum & exercitus Summo Pontifici in re militari obedientis. Hæc omnia probantur ex iis, quæ Pontifices summi in Imperatores & Reges inobedientes exercuerunt, & bellis, quibus Ecclesiam tutati sunt, super quibus consule Historiographos, quia hæc professionis nostræ limites excedunt. Vide quæ de hac potestate suprema Pontificis habentur apud Gratianum dist. 96. cap. *Cùm ad verum*, & cap. *Satis evidenter*, & cap. *In Scripturis*, & cap. *Duo sunt*, & cap. *Si Imperator*.

S. Bernard.

Quo jure & qualiter Summus Pontifex hoc agere possit.

Gratianus

Regum & Imperatorum Catholicorum obligatio specialis ad defendendam Ecclesiam, &c.

Notandum 5. Imperatores & Reges à tempore quo Catholici fuerunt, præter obligationem quam habent ex Baptismo tamquam Ecclesiæ membra, singularem protectionem Ecclesiæ suscepisse, & juramento se ad defendendam Ecclesiam & Ecclesiæ bona, ac ministros se obligasse. Constat ex juramentis Imperatorum, quæ ponuntur in Bulla Clementis V. in Concilio Viennensi, & habetur Clementinarum libr. 2. tit. 9. de Jure jurando in 6. in qua inter cætera hoc habetur: *Ego Henricus Romanorum Rex annuente Domino futurus imperator, promitto, spondeo, & polliceor, atque juro coram Deo, & B. Petro me de cetero protectorem, procuratorem, & defensorem fore Summi Pontificis, & hujus S. Romanæ Ecclesiæ in omnibus necessitatibus & utilitatibus suis, custodiendo & conservando possessiones honores, & jura ejus, quantum divino suffultus adjutorio fuero, secundùm scire & posse meum, rectâ ac purâ fide: Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Et in alio juramento ibidem recensito obligat se etiam ad servanda privilegia omnium aliarum Ecclesiarum, quocumque tempore concessa. Aliud juramentum suprà citavimus Regum Hispaniæ ex Concilio Toletano.

Immunitates variæ Ecclesiæ & Ecclesiasticorum.

Notandum 6. Varias esse Ecclesiæ exemptiones, privilegia, & immunitates quibus à potestate civili, sive jure divino, sive humano, Ecclesia & Ecclesiastici sunt exempti. Et quidem immunitas sive exemptio alia versatur circa res & bona Ecclesiæ, alia circa loca & templa, alia circa personas, quibus defendendis potestas Regia sive sæcularis obligatur: his omnibus prænotatis pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Eas tenetur sæcularis potestas servare & defendere.

Potestas sæcularis sive Regia, sive alia quæcumque, tenetur non tantùm servare, sed etiam defendere omnes immunitates, privilegia, exemptiones, non tantùm circa res & bona temporalia Ecclesiæ sive Ecclesiasticorum, sed etiam quæ loca & personas contingunt.

In lege naturæ terra sacerdotalis declarata fuit immunis.

In lege scripta similiter Levitæ.

Jure moderno Ecclesiastico & civi-

Ratio sumitur ex prædictis: quia tum jure divino, tum etiam civili hæc exemptio confirmata est. Unde in lege naturæ Joseph accipiens in Ægypto quintam partem frugum pro Rege, exceptam declaravit solam terram sacerdotalem, quasi lege naturali divinâ liberam ab isto onere. Et in Lege Moysi liberi servabantur Levitæ omnes ab officiis & oneribus populi, quia divino cultui dedicati ex primitiis, decimis, & aliis bonis Deo oblatis vivebant, nec acceperant partem in terræ promissionis divisione, sed tantùm urbes ad habitandum. Vide Numer. 1. 3. 18. Deuteronom. 12. Josue 14. 2. Paralip. 31. Malach. 3. Et jure moderno ecclesiastico in Bulla Cœnæ Domini fulminatur excommunicatio in imponentes vectigalia, pedagia, gabellas, Ecclesiastico-

II, Ecclesiasticorumque bona sunt exempta.

rum bonis, & Ecclesiæ decus. Vide in jure communi titul. de immunitat. Eccles. Et Concil. Tridentin. Sessione 22. de Reformatione capite 11. & Sessione 25. capite 20. Vide & Codicem libro 1. titulo 5 de Sacrosanctis Eccles. titulo 6. de Episcop. & Cleric Ratio verò fundamentalis ex jure Divino desumitur, quia quod semel Deo dicatum est, non potest usibus humanis applicari, & quæ Dei sunt, Deo reddenda & conservanda sunt. Undè cùm Ecclesiastici & Clerici sint de Dei hæreditate & familia, tanquam ejus ministri, quod in sua ad Clericatum assumptione testantur Clerici ex Psalmo 15. *Dominus pars hæreditatis mea*, &c. Et bona Ecclesiæ sint Deo donata, oblata, & assignata in perpetuum, injuriam Deo facit, qui humanis oneribus & vectigalibus bona illa gravat, & velut à Deo & Divinis ad humanos usus transfert absque legitima dispensatione, & legitimo dispensantium ex parte Dei consensu. Item, qui quoad immunitates personis Deo dicatis sunt molesti. Sed ut benè hæc intelligantur, dubia nonnulla incidentalia resolvenda sunt.

Sunt ipsi de familia Dei.

Bona Ecclesiastica sunt Deo donata, hinc &c.

PETES itaque 1. Quæ reputanda sint bona Ecclesiastica, sive Ecclesiasticorum, ut gravari non possint?

Triplicia bona Ecclesiasticorum.

Respondeo 1. Triplicia posse hîc distingui bona Ecclesiastica, sive Ecclesiasticorum. Alia enim sunt, quæ donationibus & oblationibus, fundationibus pijs Regum, Principum, Imperatorum, sive quorumcumque Christi fidelium Ecclesiæ jam incorporata sunt, & à civili jure (ut loquuntur) amortizata: & hæc propriè dicuntur Ecclesiastica, sive Ecclesiæ bona. Alia sunt, quæ ad Ecclesiasticos quidem pertinent, sed Ecclesiæ incorporata non sunt, nec à civilitatis jure & oneribus per amortizationem liberata. Alia denique sunt, quæ usu in familia Ecclesiasticorum quotidiè pro alimentis & alijs consumuntur.

Prima & ultima eorum bona sunt libera à vectigalibus, &c.

Respondeo 2. Prima & postrema, id est, quæ Ecclesiæ verè incorporata sunt per donationes, oblationes, fundationes pias, & hujusmodi pias voluntates; item, quæ usibus Ecclesiasticæ familiæ in domo & familia consumuntur, non subjacere oneribus civilibus, ut vectigalibus, tributis, &c. Ratio priorum sufficienter in corpore resolutionis assignata est: quia illa ad Deum pertinent, & in sola administratione Ecclesiasticorum propriè sunt. Ratio posteriorum est, quia quæ usu quotidiano in familia Ecclesiastica consumuntur, similiter contractu implicito à civilibus obligationibus eximuntur, eâ quidem lege, qua Dei famulatui & ministerijs spiritualibus mancipati, alimenta libera à civibus accipere debent, juxtà illud 1. ad Corinthios 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Item ad Galatas 6. *Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat in omnibus bonis.* Item 1. ad Corinthios 9. *Non alligabis os bovi trituranti.* Et *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit ijs, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Quinimò sanctus Paulus ad Romanos 15. ea, quæ pauperibus Ecclesiæ dabantur, inter debita computat: *Probaverunt enim* (inquit) *Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes Sanctorum, qui sunt in Ierusalem, placuit enim eis: & debitores sunt eorum.* Cùm igitur, quæ domi in Ecclesiastica familia consumuntur, in sustentationem ministrorum Christi & Ecclesiæ cedant, ex natura sua ab oneribus civilibus libera sunt; quæ enim ex debito juris Divini ministris Dei cedunt ad alimentum, ad Deum spectare dignoscuntur: turpe autem est ea, quæ Deo cedunt, gravare civilibus oneribus. Generaliter hæc omnia benè inferuntur ex facto Christi Matthæi 17. ubi qui accipiebant didrachma, petierunt à Petro, an Magister ejus solveret didrachma? quem cùm prævenisset Christus, interrogavit: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ, à quibus accipiunt tributum vel censum? à filijs suis, an ab alienis?* Quo respondente: *ab alienis*: Intulit Christus: *Ergò liberi sunt filij?* Ad evitandum autem scandalum misit Petrum ad mare, ut inventum staterem in ore piscis daret eis in tributum pro se & pro ipso. Ex quo bene infertur Christum & Petrum, sub quibus tanquam capite & Vicario Ecclesiastici sive Ecclesiæ ministri intelliguntur, tanquam filios à Christo declaratos, liberos à tributo & censu.

1 Cor. 9. 11.

Galat. 6. 6.

1. Cor. 9. Vers. 13. & 14.

Rom. 15. 26.

Vers. 27.

Matth. 17. 27.

Eorum bona patrimonialia &c. non sunt libera.

Respondeo 3. Bona patrimonialia, & quæ civilibus contractibus ab Ecclesiasticis acquiruntur, non esse libera ex sua natura à vectigalibus & oneribus civilibus. Huic responsioni à pluribus contradicitur, sed attendendæ sunt rationes non contemnendorum Authorum; hæ nimirùm, quia etsi ab Ecclesiasticis possideantur, Ecclesiæ tamen verè incorporata non sunt, nec ad Ecclesiam propriè pertinent, nec naturam civilitatis & civilium bonorum exuerunt: undè cum onere civili ad Ecclesiasticos transire censentur, utpotè, quia ex se civilia, & civiliter, sive per hæreditates, sive per contractum civilem, personæ acquisita, non Ecclesiæ.

PETES 2. An nullo casu possint bona Ecclesiastica gabellis & tributis, sive vectigalibus civilibus gravari?

Ecclesiastica bona possunt interdum gravari vectigalibus.

Respondeo 1. In casu necessitatis, vel magnæ utilitatis communis, ut belli, vel calamitatis singularis totam Regionem, sive provinciam concernentis, possunt imponi talliæ, angariæ, & vectigalia bonis Ecclesiasticis de facultate Summi Pontificis, & con-

modò non fiat in fraudem, & exactiones, & onera non sint ex iis, quæ in jure etiam civili sordida habentur.

Ratio est: quia ipsi sunt pars Reipublicæ, & in communi necessitate gravi eorum bona & personæ æquali periculo exponi censentur: unde cùm in gravi necessitate sua & proximi liceat sacra vasa frangere & vendere, seu totaliter distrahere, multò magis licebit bona Ecclesiastica gravare & onerare, ad solutionem justæ & rationabilis contributionis.

Et hoc tantùm ob magnam necessitatem, &c.

Dixi (in casu necessitatis vel magnæ utilitatis communis) non enim in quacumque necessitate, vel quocumque bello id licet, sed tantùm quando ærarium publicum vel bona laicorum vix sufficerent ad onera belli vel necessitatis purtanda: semper enim habenda est ratio bonorum Deo sacratorum, quæ divino humanoque jure privilegiata sunt. Porrò hanc necessitatem judicio Prælatorum Ecclesiæ subjicit Concilium Lateranense, ut habetur in decretalibus tit. de immunit. Eccles. cap. *Non minus*, ubi sic legitur, & abusus exprimuntur: *In diversis mundi partibus Consules civitatum & Rectores: necnon & alii, qui potestatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt Ecclesiis, ut deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quàm sub Pharaone fuerit, qui legis divinæ notitiam non habebat. Ille quidem (omnibus aliis servituti subactis) Sacerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & eis alimoniam de publico administravit; isti verò onera sua ferè universa imponunt Ecclesiis, & tot angariis eas affligunt, ut eis quod Hieremias deplorat competere videatur; Princeps provinciarum facta est sub tributo.* Et explicans angarias: *sive quidem fossata, sive expeditiones, seu alia quælibet sibi arbitrentur agenda: de bonis Ecclesiarum & clericorum & pauperum Christi usibus deputatis volunt ferè cuncta compleri.* Infrà: *Quocirca sub anathematis districtione fieri de cætero talia prohibemus, nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel utilitatem aspexerint, ut absque ulla exactione, ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi Laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda. Si autem Consules, aut alii de cetero ista commiserint, & commoniti desistere noluerint, tam ipsi quàm fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere; nec communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem.* Hæc ibi, quæ ferè omnia reperuntur ibidem c. *Adversus Consules*.

Concil. Lateran. c. Non minus

Thren. 1. 1

Item de consensu Summi Pontificis (saltem interpretativo pro locis remotis) & Episcoporum.

Dixi (de facultate Summi Pontificis & consensu Episcoporum) Ita enim habetur citato cap. *Adversus Consules*, quoad facultatem Summi Pontificis: *Propter imprudentiam tamen* (inquit) *quorumdam* (utique Episcoporum) *Romanus Pontifex prius consulatur.* Verùm sufficit interpretativa illius ad hoc facultas ex praxi communi, ubi enim prudentia Episcoporum & Cleri judicat expedire, & consensum præbet in regionibus remotis, censetur Pontifex interpretativè consentire.

Dixi (modò in fraudem non fiat) reprehenduntur enim & graviter peccant Episcopi, qui respectu humano faventes Principibus, & sibi aut suis honores &c. ambientes, Clericos onerant, sive onerari permittunt gabellis, tallis, & exactionibus pro casu non necessariis: unde Innocentius III. in eodem Concilio scribens Scotiæ Regi, ut supra habetur cap. *Quia plerique Prælati*, ob fraudem commissam in simili casu injustorum vel fraudulentorum subsidiorum indicit Prælatis restitutionem. *Quia* (inquit) *plerique Prælati, ut procurationem aut servitium aliquod impendant legato, vel aliis plus extorquent à subditis quàm solvant, & in eorum damnis lucra sectantes quærunt prædam potiùs, quàm subsidium in subjectis, id de cetero fieri prohibemus. Quòd si quis fortè præsumpserit, & sic extorta restituat, & tantumdem cogatur pauperibus erogari.*

Episcopi con[...] tes in fraude [...] [...] pos[...]

Prohibi[...] [...] restitutio[...] nem Innocent. III.

Dixi (& exactiones, &c. non sint ex iis, quæ in jure etiam civili sordida habentur) ob aliqua quæ lege *placet*, libro 1. Cod. de sacrosanctis Eccles. in jure civili imponi Clericis prohibentur sub nomine *sordidi, extraordinarii & superinducti oneris*, & mandatur, ut si Clerici sive Ecclesiæ sint onerandæ, non nisi ordinario Canone, & adventitia necessitate onerentur. Quæ autem illa sint sordida, superinducta, & canonica onera, ibidem explicatur per authorem glossæ.

[...] quibus [...] [...] [...] [...] l. Placet.

Respondeo 2. Quando consensu Cleri impositæ sunt gabellæ super Ecclesiasticis bonis, illarum exactio debet fieri per personas Ecclesiasticas ab Episcopo sive Clero deputatas, & non per sæcolares. Et ita decretum fuisse per Urbanum VIII. in quadam Bulla directa ad Ducatum Mediolanensem refert Diana p. quinta, Tract. primo, resolut. 11. in fine. Et ratio est, quia sicut Ecclesiastici sunt exempti à foro civili & ipsius ministris in cæteris, sic, & magis in exactione gabellarum; cùm enim consentiant Episcopi in gabellam, non tamen in aliquam ad Magistratum vel ministros subjectionem, cùm gabella non censeatur imponi ab illis, sed tantùm gratiosè assumi illud onus ab Ecclesiasticis ad Magistratuum requisitionem, habitâ ratione publicæ & communis necessitatis. Unde quoad Ecclesiasticos; Prælati Cleri debent deputare viros Ecclesiasticos, qui dictas gabellas exigant, & recipiant, & in manus receptorum regiorum consignent. Et contrarium facientes derogant in re gravi exemptioni & immunitati Ecclesiasticæ, & irreverentiæ exponunt statum clericalem, ut nonnunquam in hoc Belgio proh dolor! experti sumus. Fateor, vidi cum amaritudine cordis exactores illos gabellarum intrasse clausuram monialium in nonnullis monasteriis, & ad dormitoria & quæcumque loca penetrasse, prætextu videndi caminos, super quibus sordidæ illæ exactiones positæ erant. Et quod me magis torquebat, allegabatur jus & potestas Magistratûs ex conventio-

Item non [...] quas personas.

Diana.

Quiemodo [...] [...]vandum.

Abusus gravis [...] [...]cularium aliquorum exactorum &c.

ventione cum Publicanis facta, quòd propriis oculis domos quascumque visitarent, quasi verò ex incongruo illo contractu cum exactoribus potuisset Magistratus disponere de sancta clausura monialium, & in loca immunitate ecclesiasticâ gaudentia propriâ auctoritate involare: quod (Deo laus) in Conventibus monialium mihi subditis impedivi. Vidi & aliud: Satellites & alios prætendisse in clausuras intrare, & de facto alicubi intrasse, ut prædæ inhiantes viderent, quæ illuc in asylum asportata fuissent.

Item aliquando fe.ll tum. &c.

Tam ipsi, tum mandantes fore excommunicatos.

Dico ego & mandantes, & executores præter gravissima peccata, non potuisse excusari in supradictis casibus ab excommunicationibus latis contra violantes immunitatem Ecclesiæ, & specialiter clausuram sacrarum virginum: Nec sub iisdem pœnis Superiores religionum posse permittere similes ingressus & violentias, dum possunt prohibere. Nec hîc fingendi sunt casus necessitatis, & regiæ securitatis; sunt enim Episcopi & eorum delegati; sunt Superiores Ordinum, qui (si quid difficultatis realis oriatur, quæ non possit dirimi absque ingressu clausuræ) possunt per se & Ecclesiasticos suos clausuram cum reverentia intrare, & de controversiis prudenter & religiosè disponere. Quidquid sit, turpe & indignum est Ecclesiasticos, loca, ac res illorum à civili potestate tractari, cùm sui fori judices, & ministros habeant, qui satisfacere in omni æquitate possint, & ubi potestatem eorum crimina excederent, qui impios & iniquos tradere potestati sæculari valeant tamquam adjutrici.

Petes tertiò: Quid de ceteris immunitatibus?

Debent Reges &c. alias etiam immunitates eorum conservare.

Respondes: Cùm immunitates omnes in ordine ad sanctitatem locorum sive personarum fuerint, vel Deo ordinante, vel conformiter ad ordinationes divinas ecclesiasticâ & civili potestate concurrente concessæ, obligari Imperatores & Principes ad illas conservandas.

Hic immunitates recensendæ fortè essent, sed illas sufficienter ad rem nostram proposuimus, dum de privilegiis & immunitatibus Clericorum egimus 1.p Tract. 6. tit. 1. quæst. 5. conclus. 2. & 3.

Unum tantùm hîc repetendum puto: De reis a locis sacris non extrahendis: in quam immunitatem passim potestates sæculares impingunt, præsumptione potentiæ magis quàm jure.

QUÆSTIO III.

Quid potestas sæcularis possit in extractione reorum confugientium ad loca sacra?

Pro reis semper fuere aliqua asyla, &c.

ADvertendum 1. Ad avertendas innocentium mortes, & crudelitatem humanam, quâ unus alterum persequitur, & (ut dici solet) quâ *homo homini lupus est*, ex instinctu communi naturæ & jure Gentium semper fuisse aliqua loca assignata quæ *asyla* nuncupabantur. Patet de civitatibus refugii Numerorum, 35. Deuteron. 19. Josue 20. & 21. Patet etiam ex Historiis infideles & paganos hujusmodi loca eodem instinctu constituisse, quæ ut plurimùm erant templa suorum Deorum. Vide Cælium Rhodiginum lect. Antiquit. lib. 7. cap. 23. Hanc etiam legem tenuit sancta Mater Ecclesia, quæ suis templis & Basilicis jus immunitatis & asyli pro reis addixit; & quæ non tantùm ecclesiastico jure, sed etiam civili confirmata sunt.

Quæ intelligantur nomine templi.

Advertendum secundò, sub nomine *Templi*, intelligi omnem Capellam de consensu Episcoporum ad cultum divinum ædificatam, quæ perpetuò Deo dicata est. Item cœmiterium, januam & porticus Ecclesiæ, sive junctas appendices, domus religiosas, ambitum claustri & dormitorium, hortos, areas, officinas, ac alia ædificia intra murorum circuitum existentia, &c. domus Episcoporum etiam Ecclesiæ non adjacentes: & apud aliquas nationes domus capitulares Canonicorum, dum à Canonicis actualiter inhabitantur. Eodem asyli privilegio gaudent Hospitalia, de licentia Episcopi ædificata.

Quid Greg. XIV. circa istā immunitatem statuerit.

Advertendum tertiò, Gregorium XIV. in Bulla quæ incipit, *Cùm alias*, data Romæ in monte Quirinali anno 1591. 9. Kalend Junii Pontificatûs anno 1. Cùm videret jus commune de immunitatibus Ecclesiarum variis interpretationibus, privilegiis, dispensationibus alteratum; ut deinceps altercationes omnes tollerentur aliqua statuisse, & potestatem sæcularem excedentem antiquorum canonum & legum etiam civilium terminos ad certos limites restrinxisse.

Et 1. quidem certos casus excepisse, in quibus rei immunitate ecclesiasticâ non gauderent, sed omninò ab Ecclesia extrahi possent. 2. Modos observandos in extractione tradidisse. 3. In dubio criminum, modum procedendi explicasse, super quibus pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Primariò ad Pa[...] & Episcopos spectat dare leges super immunitate &c.

DAre leges super immunitate Ecclesiarum non pertinet ad Principes sæculares primariò, sed ad Summum Pontificem & Episcopos in sua Diœcesi.

Ratio

Ratio est: quia Ecclesiæ ipsæ, & loca Ecclesiastica, eo ipso quo divino cultui sunt mancipata, aut in cultum Dei oblata & acceptata, pertinent ad jus Pontificis, & propriè nullius territorii alicujus Principis sunt, sed a lege territorii civilis separata reputantur: unde est Pontificis de iis, quæ ad Ecclesiam pertinent, diffinire & disponere, ad quam specialiter spectat ejus immunitas.

Secundariò ad Principes sæculares.

Dixi (*ad Principes sæculares primariò non pertinere*) secundariò enim eos contingit, cùm asyli ratio ad temporalis etiam Reipublicæ utilitatem spectet, & à Principibus in locis sæcularibus statui possit absque Ecclesiæ aliquo concursu: posito itaque quòd immunitas Ecclesiis & Religiosis sive Ecclesiasticis locis sit annexa, illius dispositio pertinet ad Pontificem, cujus foro & jurisdictioni Ecclesiæ sunt subjectæ.

CONCLUSIO II.

7 Septem sunt crimina ob quæ reus possit asylo extrahi.

Nullus reus potestate sæculari ab Ecclesia extrahi potest, nisi qui de sequentibus criminibus sunt convicti: sunt autem septem.

1. Latrocinium publicum, & viarum obsessio: *Latrones* enim *publici, viarumque grassatores, qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur*, juxta Decretum Gregorii ab immunitate excluduntur.

2. *Depopulatores agrorum*, sub quibus incendiarii.

Tripliciter dicitur committi homicidium in Ecclesia.

3. Qui *homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis vel cœmiteriis committere non verentur*: quod quidem tripliciter contingere potest: uno modo, si qui occidit sit in Ecclesia, & alter foris: altero, si qui occidit est extra Ecclesiam, & hominem in Ecclesia existentem occidit: tertiò si uterque intra Ecclesiam vel cœmiterium existat: In his enim casibus, si homicidium injustum est, qui occidit iniquè hominem, quomodocumque occidat, ratione homicidii in Ecclesia commissi privatur beneficio immunitatis.

Quæ sit proditoria occisio.

4. *Qui hominem proditoriè occidit*: quid sit autem proditoriè occidere, disputant Juristæ. Ego proditorium homicidium existimo, ubi quis simulatâ amicitiâ, vel inimicitiâ dissimulatâ, dolo vel fraude vulnus infert, ut de occisione Abner & Amasæ a Joab in lib. Reg exprimitur. lib. 2. cap. 3. & 20. Et lib. 3. cap. 2.

5. *Assasini*, id est, qui acceptâ vel promissâ pecunia ex pacto hominem occidunt.

6. Qui ratione *hæreseos*, quâ quis damnatus est, ad Ecclesiam sive asylum Ecclesiasticum refugit.

7. Qui crimen *læsæ Majestatis in personam ipsius Principis commisit.*

CONCLUSIO III.

Qualiter reus asylo extrahendus.

Et si constet de delicto, sive crimine à reo ab immunitatis beneficio excepto, perpetrato; non licet potestati sæculari reum è loco sacro extrahere immediatè, sed id debet fieri per ministrum Ecclesiasticum. Ita expresse Gregor. XIV. qui mandat ut tradantur ad requisitionem Magistratûs civilis, ubi de delicto manifestè constat, absque periculo irregularitatis, qui & sequentia ordinat. *Ne autem* (inquit) *curia sæcularis prædicto ministerii facultate, illos per se & propria authoritate extrahendi & educendi sibi olim (ut præfertur) attributâ, & per præsentes revocatâ abutatur, volumus, dictâque auctoritate decernimus & declaramus, ut curia sæcularis, ejusque judices & officiales ab Ecclesiis, monasteriis, locisque sacris prædictis, laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem in nullo ex casibus supradictis, sine licentia expressa Episcopi, vel ejus officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis, ad quos solos & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alii ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut conservatores ab hac sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat*, &c. Et posteà plura ordinat, quæ in Belgio non sunt in praxi, & vix possunt executioni mandari.

dus etiam ubi constat de crimine.

Greg. XIV

Summariè autem hic quoad substantiam constitutio illa sic observanda est, meo judicio & sensu (salvo meliori:) ut aliquo, ob superiora delicta quæ à beneficio immunitatis reum excludunt, ad Ecclesias vel loca sacra ac monasteria refugiente: moneatur Episcopus, vel aliquis Ecclesiasticus loco Episcopi facultatem habens, qui requisitus (si de delicto manifestè constet) per se, vel alium Ecclesiasticum cum superpelliceo reum educat extra Ecclesiam & curiæ sæculari exponat: quòd si noluerit egredi (supposito delicto manifesto) tunc ministri curiæ sæcularis, reverentiæ Ecclesiæ & locis sacris debitæ memores, minori, quo id fieri poterit, tumultu eum extrahere curent. In casu autem, quo delictum est dubium, reus tradatur carceri Ecclesiastico si ibi fuerit, vel propinquo, & si opus fuerit opportunâ custodiâ per curiam sæcularem adhibitâ benè custodiatur, donec de crimine plene constet, & tunc demùm à judice ecclesiastico tradatur curiæ sæculari, ut de eo disponat.

Qualiter constitutio Gregor. quoad substantiam sit observanda Ubi delictum est manifestum.

Ubi delictum est dubium

Porrò Gregor. XIV. sub tanta obligatione in sua constitutione, præfata proponit, *ut si quis quidquam præter, aut contra illius constitutionis tenorem, attentare præsumpserit, ipso facto censuras & pœnas omnes eum incurrere declaret, quas contra libertatis, juris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones & Conciliorum generalium, suorumque prædecessorum constitutiones sunt promulgatæ.*

Sub quanta obligatione Greg. illam suam constitutionem ed derit.

Ex quibus colligo 1. immunitatem & asylum concessum esse locis, non personis qui locis præsident, vel loca inhabitant: unde etsi Ecclesia, vel monasterium, aut locus quilibet sacer non habitaretur de facto, nihilominus reus ad illa loca confugiens liber est, nec ab eis ullatenus in delictis non reservatis extrahi potest. Nec in prædictis delictis Rector

Immunitas illa concessa est locis non personis inhabitantibus.

ctor Ecclesiæ, aut quivis alius Superior licentiam dare potest, ut extrahatur reus. Undè pessimè faciunt civitatum gubernatores, & alij præfecti, qui refugientibus reis ad Ecclesias & monasteria potissimè Regularium, inipsos Regulares insurgunt, illos convitijs imperunt, monasteria pervadunt, & insoleotias nonnullas impudentnr exercent, quasi rectores Ecclesiarum, aut monasteriorum præfecti in illa re aliquid conferrent, aut conferre possent: cùm etsi suorum locorum defensio sit ipsis concredita, oullatenùs tamen immunitas ad illorum personas pertineat, sed locum sequatur, eique adhæreat.

Reprehenduntur gubernatores &c. insurgentes in illas personas, &c.

Colligo 2. Causam delicti, sive delictum judicialiter non debere recognosci à judice Ecclesiastico (excepro crimine hæreseos) sed à potestate civili; Ecclesiasticum autem præfectum debere tantùm extrajudicialiter informari de certitudine facti, sive delicti in factò, id est, an ex reservatis delictis sit, & an factum sive commissum sit.

Causa delicti à quo recognoscenda sit.

Colligo 3. Multa delicta, quæ antiquitùs immunitatem non habebant, modò immunitate gaudere post decretum Gregorij XIV. Antiquitùs enim infideles, ut Judæi, Mauri, Pagani, hæretici, ratione præcisè infidelitatis, pro nullo delicto immunitate gaudebant: modò autem omnes gaudent, exceptis ijs, qui propter causam formalem hæreseos ad judicium compelluntur. Similiter, qui vi aliquem ex Ecclesia extraxisset, aut subdolè, in causa refugij, abduxisset, si ipse in delictum cadebat, privabatur in vindictam privilegio asyli. Item, qui à proposito homicidium propè Ecclesiam commiserat, spe confugieodi in illam, beneficio refugij privabatur. Et alia reperiuntur delicta, quibus modò jus asyli per decretum Gregorij restitutum est.

Antè constit. Greg. plura delicta non gaudebant illâ immunitate.

Colligo 4. Crimina sive delicta, ob quæ jus asyli negatum est, strictè interpretanda esse, quia odia restringenda sunt: undè graviter abutuotur Principes & præfecti militiæ, qui ob quodvis delictum à milite contrà militiam commissum, volunt eum violenter extrahi: ut pro custodia malè observata, pro duello, pro transgressione stationis, &c. Nullum enim delictum militem privat jure asyli, nisi solum crimen læsæ majestatis in personam Regis commissum; undè nec omne crimen læsæ majestatis jure asyli privat, sed solum quod in ipsam personam Regis committitur: non autem quod committitur in Principes, aut Duces, aut Consiliarios, sive justitiæ regiæ ministros, &c. Supersunt paucula dubia.

Crimina reservata sunt strictè interpretand. Abusus præfectorũ contrà suos milites.

Nota pro crimine læsæ majestatis.

PETES. 1. An Clerici gaudeant jure asyli & refugij in Ecclesijs & locis sacris, ità ut ab Episcopis captivari non possint, aut violenter extrahi? Negaot nonnulli Clericis hanc immunitatem, & inter alios Abbas in cap. *Inter aliâ*, de immunit. cum pluribus, quos citat Hieron. Rodrig. in compend. qq. Reg. resolut. 56. Hoc quidem fundamento: quòd Clerici, cùm sint Ecclesiæ ministri, & in Ecclesiam adscripti, semper & ubique ab Episcopis & suis Prælatis intrà Ecclesiam puniri possiut, maximè cùm de causa sanguinis in Ecclesia non agatur. Et quidem quæstionem illam per viam violentiæ vidi contrà quendam Clericum per Officialem Episcopi Iprensis moveri, qui ut manus Episcopi fugeret, ad nostrum Conventum confugerat.

Plures immunitatem Clericis negant.

Respondeo nihilominùs etiam respectu Episcopi & judicis Ecclesiastici jure asyli & immunitatis Ecclesiarum Clericos in delictis non reservatis gaudere. Ratio est: Quia jus asyli est naturale divinum ad conservandum hominem non solùm à morte, sed etiam ab injurijs alijs, quæ Clericis & Laicis sunt communes. Et fundamentum immunitatis non est simpliciter volunras vel concessio Ponrificis, sed reverentia loci Deo sacrati, à quo idcircò propulsanda est omnis violentia, & quidquid est conrrà divinæ majestatis reverentiam, & honorem; magis autem debent Clerici illâ gaudere immunitate, cùm sint portio præcipua hæreditatis Dei. Adfert ad hanc resolutionem probandam Diana responsionem S. Congregat Cardinal. datam anno 1617. 19. Ianuarij. Et aliam anno 1618. 10. Augusti. Addit tamen reservari casus degradatione dignos, in quibus nulla reo Clerico datur immunitas; sed & hoc debet probari aliquo decreto vel lege.

Asserit Author eos illâ gaudere.

Fundamentum immunitatis.

Ad rationem contrariæ opioionis initio positam: Respondeo eam supponere, quòd nullo fundamento subsistit: Clericus enim, quâ Clericus, etsi subsir suo Episcopo in crimine, non sequitur ramen in omni loco judicium contrà illum exerceri posse, &, ut diximus, cùm loca sacra ex sanctitate illis velut adhærente habeant immunitatem, pro omnibus ad illa confugientibus censentur habere, nec Clericus in hoc est Iudæo deterior: quinimò communis opinio est Sacerdotem actu Venerabile Sacramentum, imò & Extremam Unctionem, deferentem ad infirmos, vel processionaliter, non posse capi ob sanctitatem sive Corporis CHRISTI, sive materiæ Sacramentalis, quam publicâ actione pottat.

Respondet Author ad rationem contrariæ opinionis.

PETES 2. An liceat potestati sæculari politicæ, reo in locis sacris sive Ecclesijs aut monasterijs refugo, locum sive Ecclesiam milite armato circumcingere?

Respondeo, varijs modis dici posse cingi Ecclesiam milite, &c. reo refugo in illa existente. 1. Per modum nudæ vigiliæ & excubiarum, ut si egrediatur reus, captivari possit; seu ut non possit evadere. 2. Per modum violentiæ ad Ecclesiam invadendam, & captivum vi educendum. 3. Ad impediendum, nè reo alimenta deferri vel subministrari possiot.

Tribus modis potest locus sacer militi cingi.

Dico igitur 1. modo posse locum sacrum sive Ecclesiam milite circumcingi ad meras excubias nè reus evadat, vel etiam si egressus fuerit, capiatur: hoc enim non tangir immunitatem loci, & (ut suppooitur) nullam miles

1. Modus est licitus.

miles prætendit violentiam in refugium, quamdiu in loco sacro est; In aliis verò duobus casibus non licet, & de 2. quidem constat, quia violentia formaliter intenditur: de 3. etiam constat, quia impedito alimento violentia in refugum cadit, eò quòd vel mori fame debeat, vel egredi ob defectum & impedimentum alimenti cogatur: quæ implicita violentia est in refugum redundans; unde tantùm abest quòd refugæ possit negari vel impediri alimentum, ut etiam teneantur illi non habenti in necessitate præbere, jure naturæ ob præsentem necessitatem.

a. & 3. nequaquam

Alia hic plura desiderantur super ceteris immunitatibus à potestate civili non violandis, sed alibi suis locis examinantur, sufficitque pro hoc loco ista propositio universalis. Non licere potestati civili ullam libertatem sive immunitatem ecclesiasticam, sive competat bonis & rebus Ecclesiæ, sive locis sacris, sive personis Ecclesiasticis & factis, violare sive infringere sub peccato mortali (ubi est materia sufficiens) & censurarum ac pœnarum ecclesiasticarum incursu, ac restitutione damni illati.

Resolutio universalis contra violantes immunitates Ecclesiasticas.

PECCATA

Potestatis civilis contra immunitates Ecclesiasticas.

Ex dictis multis peccatis mortalibus suas conscientias intricare convincuntur Principes, aut potestatis civilis ministri.

Specificantur magis eorum peccata.

1. Qui contra libertatem & immunitatem rebus & bonis Ecclesiæ competentem, bona, decimas, & res Ecclesiæ, monasteriorum, Hospitalium surripiunt, dolosè occupant, defraudant, vel distrahunt, aut ne recuperent impediunt. Vide 12. quæst. 2. per totam, specialiter c. *Qui Christi*, c. *Nulli liceat*, &c. *Quicumque*; item 16. quæst. 1. c. *Similiter*, &c. *Quia juxta*.

2. Qui pias donationes & legata Ecclesiis vel monasteriis legitimè facta nituntur revocare, vel eorum effectum impedire. 17. quæst. 4. c. *Sunt qui opes*, & c. *Sacrilegium*.

3. Effractores Ecclesiarum, & qui ex Ecclesiis bona refugarum auferunt, vel vim aliquam Ecclesiis inferunt.

4. Qui instrumenta, chartas, *&c.* bona & libertates Ecclesiæ concernentes detinent, abscondunt, vel lacerant, unde damna Ecclesiis oriuntur.

5. Qui gabellis, vectigalibus, talliis, extra casum necessitatis & absque eorum consensu, bona vel personas Ecclesiasticorum onerant c. *Non minùs*, & c. *Adversus*, de immunit. Eccles. Et in 6. eodem tit. cap. 1. &c.

6. Qui contra locorum sacrorum, Ecclesiarum aut monasteriorum immunitatem reos extra casus reservatos ex eis extrahunt, aut eis vim inferunt, aut quovis modo juri asyli violentiam faciunt, de quibus sat superiùs est dictum.

7. Qui in Ecclesiis & locis Deo dicatis judicia civilia, concursus, & congregationes pro rebus sæcularibus, nundinas, comœdias profanas agunt. Vide Silvest. & alios Canonistas *V. Immunitas*, & tit. de immunit. Eccles. in Decretalibus.

8. Peccant gravissimè quoad personas, qui Clericos percutiunt, c. *Si quis suadente*, l. ē, qui clericos conveniunt coram judice laico. c. *Consulendum* d. 28. Et de aliis obvii sunt ubique Canonistæ.

TITULUS IV.

De obligationibus potestatis civilis ad rationem honesti.

QUÆSTIO UNICA.

An, & qualiter potestas civilis teneatur ad rationem honesti?

Hic 1. diffiniendum est honestum: Honestum itaque in hac materia nihil aliud est, quàm quod rationi rectæ consentaneum & conforme est: Et ab honesto sic dicto, derivatur honestas, quam describit Gerson *Honoris statum, terminum boni, finem honoris*: Eo enim ipso quo actio humana rationi rectæ conformis & consentanea est, aliquem gradum moralis bonitatis participat, sicque vocatur terminus boni: Rursus, quia gradus bonitatis æstimatione dignus est, & virtuti alicui affinis, honor illi debetur: Tandem, quia persona ob illam actionem honore digna est, honestas finis honoris nuncupatur.

Gerson tr. 12 super Magnificat coll. seu notula 4.

CONCLUSIO UNICA.

Potestas civilis, sive sit Regia, sive inferior quæcumque, ita legibus honestis & honestatis continetur, ut si quid contra præsumat, pro qualitate excessûs gravissimis peccatis se & subditos leges observantes liget.

Qualiter claudantur legibus honestis.

Ratio fundamentalis est: quia omnis potestas legitima à Deo ordinata est, repugnat autem divinæ ordinationi, quidquid directrici rationis rectæ adversarium est, quia ratio recta participatio quædam est divinæ, & æternæ rationis, quæ est mensura omnis rectitudinis ac honestatis, à qua proinde in legibus voluntariè deviare, sicut summæ amentiæ est, sic & summæ prævaricationis. Et ad hanc limam probandæ sunt primùm leges cujuscumque potestatis civilis, si quid enim contineant inhonesti, hoc ipso prohibitæ sunt, nec licet illis obedire.

Quid recta ratio.

Hinc condemnata sunt in regnis & nationibus benè ordinatis gymnasia & ephebiæ, lupanaria, & libidines promiscuæ, magi, arioli, aruspices, prohibiti histriones, &c. quæ legibus pravis quorumdam Regum instituebantur. Lege libri 1 Machab. cap. 1. & 2. Machab. cap. 4. de legibus Gentium quas promulgavit,

Quæ contra honestum fuere condemnata in regnis benè ordinatis.

vit, & observari curavit Antiochus Reprehenditur etiam apud Dionem Cassium l. 59. Cajus Caligula, qui lupanaria in suo palatio instituerat, indeque ex prostitutis primariis feminis pecuniam colligebat. Et l. 60. abominabile factum recitat Messalinæ uxoris Claudii Cæsaris, quæ publicè in palatio feminas adulteria & stupra in conspectu maritorum suorum committere cogebat: quæ omnia non tantùm jura sacra & civilia, sed etiam tota natura abhorret; unde & hujusmodi nationes cum suis Regibus & præfectis *in reprobum sensum datas* Scriptura affirmat ad Rom. 1.

Dio Cass.

Omne inhonestum maximè Reges dedecet.

Regibus sanè tamquam honestatis omnis speculis omne quod inhonestum est repugnat, & in vitium vertitur: Sardanapalos natura abhorret, & Scriptura Salomonem per mulieres depravatum indigitat, & pro magna plagâ regni vel nationis Isai. 3: refertur, *si effeminati dominentur ei*, & omnem intemperantiam à Regibus & Principibus abigit Salomon, Eccl. 10. *Væ*, (ait) *tibi terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes manè comedunt. Beata terra, cujus Rex nobilis est, & cujus Principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Quo sensu Prov. 31. ubi prohibitis Regibus, ne mulieribus dârent substantiam suam, subdit: *Noli Regibus, ò Lamuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas. Et ne forte bibant & obliviscantur judiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.* Iterùm Saul 1. Reg. 28. laudatur, quod *magos & ariolos de terra abstulerit.* Et Josias Rex sanctus & magnus 4. Reg. 23. celebratur, quòd *pythones & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes quæ fuerant in terra Iuda & Ierusalem abstulerit:* sub quibus comprehenduntur omnes turpes & inhonestæ artes & actiones, quas introduxerant perversi Reges.

Isa. 3, 4.

Eccl. 10. v. 16. & 17.

Prov. 31. 4. vers. 5.

1. Reg 28. 3.

4. Reg. 23. 24.

Benè S. Augustinus, (sive apud alios) S. Cyprianus l. de 12. abusionum gradibus gradu 9. inhonestas Regum leges perstringens, Regem instruit: *Impudicos & histriones non nutrire, &c. Magorum & ariolorum phythonissarumq; superstitionibus non intendere, &c.* quia hæc sunt Regnorum, & Rerumpublicarum ruinæ. Et de vera Relig. c. 31. generaliter concludit: *Conditor* (inquit) *legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli anima judicare datum est, ut secundum ejus incommutabiles regulas quid sit pro tempore jubendum vetandumque discernat.*

D. Aug.

PECCATA

Contra supradictam obligationem.

Permittentes lupa- naria publica graviter peccant.

PEccant igitur graviter non tantùm Reges, sed quicumque potestate civili præsidentes, qui lupanaria publica impunè permittunt: quamvis enim interdum permissa legantur lupanaria ad majora mala & promiscuas libidines impediendas, quia tamen notatum est, illa non tam esse remedia quàm incentiva libidinum, corruptiones juventutis, laqueos incautorum & simplicium, & sentinam omnium malorum, jam abolita sunt: & siquid in privatis dissimuletur, quia impediri nequeunt, illa tamen velut lege quâdam à proposito permittere, christianum non est. Certè Philo Judæus l. de specialibus legibus, post initium; *Scortum*, inquit, *lex ejicit è Republica, ut honestate, pudore, sobrietate, ac cæteris virtutibus vacuum, & replens viros fœminasq; impudicitiâ &c.* Infra: *Ergò ut pestis labesq; publica saxis obruetur &c.* Et Concil. Generale VI. Constantinopolit. III. can. 86. Eos qui ad animarum lapsus meretrices cogunt & alunt decrevit tamquam excommunicatos segregari.

Philo Iudæus.

Concil. Const. III.

Quam graviter in Christiana Republica condemnet lupanaria Salvianus, videat lector libro 7. de gubernatione Dei n. 254. 255. 256. Vbi extollit Wandalos & Gothos: *Qui* (ait) *ad emendandam nostrarum turpitudinum labem, abstinuerunt de omni Africa sordes virorum mollium, contagiones etiam horruerunt meretricum* (en quibus nominibus vocet ephebias & lupanaria) subdit, *nec horruerunt tantùm, aut temporariè submoverunt, sed penitùs jam non esse fecerunt.* Infrà: *Addiderunt quoq;* (inquit) *hoc ad libidinem comprimendam, severas pudicitiæ sanctiones decretorum, gladio impudicitiam coercentes*, (ubi sub nomine libidinis intelligit fornicationem, sub nomine impudicitiæ adulterium) *ut* (inquit) *puritatem scilicet utriusq; sexûs, & domi connubij servaret affectus, & in publico metus legum.* In quibus verbis notandum Barbaros severis legibus coërcuisse libidinem, omnia lupanaria tamquam contagiones publicas auferendo, & adulteria gladio puniendo. Irridet porrò Salvianus Romanos, qui ut libidini succurrerent, lupanaria ædificaverant, libidini viam impunitatis sternentes, unde subdit: *Leges autem illorum* (idest Wandalorum sive Gothorum) *nequaquam illis sunt legibus consentanea, quæ ita partem improbitatis removent, ut partem obscænitatis admittant; ut Romana illa decreta, quæ scortatores quidem ab alienis uxoribus removerunt, ad omnes autem solitarias passim admiserunt, adulteria vetantes, lupanaria ædificantes. Timuerunt videlicet ne nimis casti homines ac puri essent, si ab omni eos penitùs impuritate prohiberent.* Infrà, *Erubescamus quæso & confundamur, jam apud Gothos impudici non sunt, nisi Romani: jam apud Wandalos nec Romani.* Infrà: *Pudeat vos Romani ubique populi, pudeat vitæ vestræ; nulla penè urbes lustra, nulla omninò impuritatibus vacant, nisi illa tantùm, in quibus Barbari esse cœperunt. &c.* Hæc latiùs tanquam speculum contra illos, qui lupanaribus favent, & putant publico bono interesse, si lupanaria permittantur.

Salvianus.

Idem.

Peccant 2. Qui ludos scænicos, comœdias turpes, spurcitiis plenas in civitatibus & locis exhiberi, per circumforaneos illos theatricos & comœdos procurant, vel eis ad hoc facultatem faciunt. Unde est illud Concilii Arelatensis I. can. 5. *De theatricis & ipsos placuit quamdiu agunt à communione separari.* Quæ autem mala indè proveniant, vide, si placet, Tertullianum l. uni-

Item permittentes exhiberi Comœdias turpes in civitatibus, & c. Conc. Arel. grave mala in his proveniunt.

l. unico, de ſpectaculis. Et S. Auguſt. l. de Catechizandis tudibus c. 16. S Chryſoſt. hom. de Davide & Saole, & hom. 38. in Matth. Clementem Alexand. l. 3 pædagogi, c. 11. poſt medium. Graviter Tertullianus l. de corona militis c. 6. *Sic itaq;* (ait) *& circa voluptates ſpectaculorum infamata conditio eſt, ab iis, qui naturâ quidem, Dei omnia ſentiunt, ex quibus ſpectacula inſtruuntur, ſcientia autem deficiunt. Illud quoque intellige omnia à Diabolo eſſe mutata* Vide quæ latè diximus, p. 1. tract. 2. tit. 2. q 3. §. 4. Advertant autem, quòd ſi peccant mortaliter theatrici illi, & ſpectatores, ut jam monuimus, non minùs peccare eos, quorum eſt illa ſpectacula prohibere.

Tertull.

Peccant 3. Admittentes hiſtriones, ariolos, & magos, vel iis affines artes exercentes, ut in publico ſua præſtigia exerceant: hæc enim, ut loco allegato diximus, ad pompam Diaboli ſpectant, & animas incautorum decipiunt, & retibus Diaboli illaqueant.

Similiter admittentes ariolos, magos &c.

Quò etiam pertinent, qui Ægyptiacas illas, ſive cantabricas, & vagabundas mulieres per regiones divagantes admittunt. Peccant enim Magiſtratus, qui illas ſua præſtigia, fictiones, divinationes, deceptiones, ſortilegia agere ſuſtinent, eiſque ſalvas guardias & facultates, excepto ſimplici tranſitu, concedunt: Sunt enim coërcendæ, ut ſaltem turpes & inhoneſtas ſuas artes non exerceant.

Nec non Ægyptiacas & vagabundas illas mulieres.

TITVLVS V.

De obligatione Regis, & poteſtatis cuiuslibet civilis ad communis juris & juſtitia leges.

IN commune aliquando axioma relatum eſt, Regem ſive Principem legibus ſolutum eſſe, ſeu legibus oon teneri; cui adſtipulari videtur quod ſcribit Juſtinianus Novel. 105. c. 2. §. 4. *Omnibus* (inquit) *à nobis dictis Imperatoris excipiatur fortuna: cui & ipſis Deus leges ſubjecit, legem animatam committens hominibus.* Unde & inſtitut. l. 1. de jure naturali §. 6 *Quod Principi* (ait) *placuit, legis habet vigorem, cùm lege regiâ, quæ de ejus imperio lata eſt, populus ei, & in eum omne imperium ſuum & poteſtatem conceſſit.* Qualiter verò illud axioma intelligi debeat, & qualiter Princeps ſupremus legibus ſit ſolutus, aut legibus ſubjiciatur, pono pro claritate ſequentes Quæſtiones.

Juſtinian.

QUÆSTIO I.

An Legibus omnibus Rex abſolutus ſit?

HIc diſtinguendum eſt de juribus & legibus: Triplex enim jus hic diſtinguendum eſt, nimitùm; divinum naturale, jus divinum poſitivum, & jus humanum: Juri autem humano ſubſerviunt jus Gentium, jus humanum eccleſiaſticum, jus humanum civile ſive politicum.

Jus triplex.

Ab his juribus variæ leges derivantur. A jure divino naturali, leges naturæ, ſive naturales divinæ; à jure divino poſitivo, leges poſitivæ divinæ; à jure humano gentium, leges humanæ, pro univerſitate orbis, & ad conſervandam ſocietatem univerſalem, ab omnibus communiter receptæ; à jure humano eccleſiaſtico, leges eccleſiaſticæ; à civili, leges civiles, & quæ ad politiam civilem ſpectant. His ſic diſtinctis pono ſequentes Concluſiooes.

Variæ leges ab illo triplici jure emanarunt

CONCLUSIO I.

NIhil Regibus licet agere contra jus naturale vel divinum poſitivum, adeoque legibus divinis naturalibus & poſitivis Reges, & conſequenter omnis poteſtas humana ſubjicitur.

Rex ſubjicitur juri naturali & divino poſitivo.

Ratio eſt: quia Rex, quantumvis ſuper omnes eminens, creatura & homo eſt: & ut creatura ſubjicitur legibus Creatoris; ut homo, naturæ rationalis dictamini, & lumini vultûs Dei ſignati ſuper nos. unde Pſ. 81. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat;* Deos, utique Reges, & Principes, qui, quia hominibus præſunt & ſupereminent, Dii vocantur, quos Deus judicabit, *Ego enim dixi, Dij eſtis, & filii excelſi omnes: vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de Principibus cadetis.* Quid inde? *Surge Deus judica terram,* id eſt, homines, & Principes, qui in terra ſunt; *quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus.* Clariſſimè Sap. 6 *Data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur: quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius, non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neq; ſecundùm voluntatem Dei ambulaſtis.* Hoc agnovit divinâ ultione coactus omnium mortalium maximè ſuperbus Rex Antiochus 2. Mach. 9. *Qui cùm fœtorem ſuum ferre non poſſet* ita ait: *Juſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire.*

Pſ. 81, 1.
V. 6. & 7.
Sap. 6. v. 4. & 5.
2 Macha. 9 v. 12.

CONCLUSIO II.

REges & qualibet poteſtas civilis ſubjicitur legibus juris gentium, in quantum à jure naturali divino derivatum eſt.

Item legibus juris gentium, &c.

Ratio eſt: quia jus gentium immediatè ex jure naturali procedit, eſtque veluti determinativum juris oaturalis, in ordine ad hominem, prout animal ſociale eſt, & multiplicatâ jam humanâ naturâ in populos & nationes excrevit: Sequitur autem principia primaria legis naturæ, quæ ſunt; *honeſtè vivere; neminem lædere; unicuique quod ſuum eſt tribuere;* quæ baſes ſunt & fundamenta omnis legis. Et hoc jus Gentium, multo tempore, cùm leges ſpeciales non eſſent, index boni & recti fuit, & ab omnibus ſervabatur. Nam & Jud. 11. Jephte de juſta acquiſitione terræ diſputans cootra filios & Regem Ammon jure Gentium utitur ad probandum, quòd terra illa ad Iſrael pertineret. Propter transgreſſionem etiam juris Gentium Saul 2. Reg. 21. qui fregerat fidem, quâ Joſue cum Gabaonitis fœdus inierat, in ſua ſtirpe ſerè periit, & Deus populum percuſſit. Eodem jure Gentium Hanon cum tota gente ſua, ob legatos David opprobrio habitos, 2. Reg. 10. percuſſus eſt; Et omnia ferè quæ à gentibus juſtè

Principia legis naturæ.
2. Reg. 21. 5. &c.
2. Reg. 10. 13.

justè & rectè facta sunt, illo jure Gentium primario & universali in Scriptura expenduntur.

CONCLUSIO III.

Item legibus Ecclesiæ. **R**eges & omnis potestas civilis Catholica tenetur & obligatur legibus Ecclesiæ.

Ratio est: quia hoc ipso quo per fidem & Baptismum Ecclesiæ Christi incorporati sunt, obedientiam Ecclesiæ debent, nisi audire velint sententiam à Christo promulgatam: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, &c.* eo autem ipso quo Petro datæ sunt claves, & demandatum ut oves Christi pasceret, potestas leges condendi ad regimen populi Christiani, illi & successoribus tradita est. Vide quæ à nobis sunt dicta p. 1. hujus tomi. Et si de legibus à fundamentis plura eruere velis, vide quæ de tota illa materia à nobis fusè tom. 2. tract. 1. de leg. tit. 1. q. 1. & seqq. sunt deducta. *Matth. 18. v. 17.*

Ex his autem omnibus patet, qualiter absq; ulla tergiversatione Rex & quælibet potestas legibus naturæ, divinis positivis, juri Gentium quoad primaria fundamenta, nec non ecclesiasticis teneantur, nec absolutè ab illis sint liberi, sive soluti Principes & Magistratus quacunque authoritate polleant.

QUÆSTIO II.

An Rex & potestas quæcumque civilis suprema teneatur legibus civilibus?

Ratio dubitandi. **R**atio dubitandi est, quia Rex est legum civilium conditor & approbator, ita ut per illum pro ratione circumstantiarum condi & mutari, cassari & revalidari possint, ergo legibus civilibus non tenetur, sed super illas est, cùm ab eo tamquam conditore & confirmatore, ejusque authoritate dependeant. Confirmatur; quia tota potestas populi in Regem transfusa est, adeoque potest in legibus quidquid populus ante Reges in illis poterat. Pro resolutione accurata hujus Quæstionis,

Leges civiles quid. Prænotandum est 1. Leges civiles nihil aliud esse, quàm media quædam juxta circumstantias temporum, locorum, personarum, &c. à potestatem habentibus decreta, rectæ rationi & juri divino ac naturali conformia ad bonum populorum conservandum vel promovendum, vel remedia ad malum avertendum, justè ordinata. Unde sicut varia & diversa media, & remedia juxta rationem temporum & locorum ac personarum occurrunt, & quæ uno tempore prosunt, alio tempore vel obsunt, vel inutilia fiunt, sic diversimodè leges civiles mutari, aboleri, revalidari possunt, & aliæ substitui, prout potestatem habentibus videtur expedire. *Cur leges civiles condantur & interdum mutentur.*

Aliæ sunt merè civiles. Prænotandum 2. Inter leges civiles alias esse merè civiles, alias mixtas. Merè civiles dicuntur, quæ à potestate merè civili sunt inventæ, etsi tamen semper conformiter ad legem naturalem, sive rectæ rationis, & divinam: ut sunt leges pecuniariæ, militares, censuales, &c. Mixtæ dicuntur, quæ formaliter in se aliquod præceptum naturale vel divinum continent: ut leges de non furando, de non occidendo, de debito parentibus reddendo, &c. quibus etsi addantur pœnæ, modificationes vel mandata civilia, purè tamen civiles non sunt, nec mutant naturam vel obligationem legis divinæ vel naturalis, sed in se illam retinent, & includunt, ita ut quoad fundamentum naturæ vel obligationis divinæ invariabiles & immutabiles sint, etsi quoad additamentum civile variari possint. *Aliæ mixtæ.*

Item aliæ fundamentales. Prænotandum 3. Triplices leges civiles in quolibet regno vel republica reperiri. Aliæ sunt, quas fundamentales regni vel reipublicæ vocant, quia super illis, tamquam super basibus firmis, regnum à principio constitutum est, ita, ut regnum nemini conferatur, nisi ut talibus legibus vestitum est. Tales sunt leges regni Hebræorum Deut. 17. nimirùm quod Rex electione Dei, vel populi, Dei nomine fieret. 2. quòd ex fratribus suis, id est, Hebræis, eligeretur. 3. quòd non multiplicaret equos, nec uxores, nec auri immensa pondera. 4. quòd legem Deuteronomii scriberet, legeret, & ad praxim reduceret. 5. quòd non elevaretur per superbiam super fratres suos. 6. quod non declinaret ad dexteram & sinistram, sed rectè & justè viveret. Similes conditiones habentur in republica eorundem Hebræorum 1. Machab. 14. ubi in lege summi Principis data Simoni Duci Israel à populo electo: Statuitur ei libertas, id est, liberatur ab oneribus communibus populi, 2. imposita est illi cura de Sanctis. 3. committitur ei illi ut constitueret præpositos super opera populi, super regionem, super arma, super præsidia. 4. mandatum est omnibus, ut illi obediant. 5. ut omnes conscriptiones in nomine ejus scribantur. 6. ut Sacerdotum nemo illi contradicat, & nemo vocare possit conventum in regione absque ipso. 7. ordinatus est ei habitus Principis, ut operiatur purpurâ, & bysso, & uti possit fibulâ aureâ. Similes leges vocantur fundamentales, quia absque illis regnum à principio non stetit, & sub conditionibus illis datum est. Et tales à principio habuerunt, & in hunc diem habent regna Hispaniæ & Galliæ, de quibus Historiographi. *Deut. 17. & sequentibus.* *1. Mach 14.* *Cur vocentur fundamentales.*

Aliæ juratæ. Præter fundamentales, aliæ sunt leges juratæ: quæ nimirùm à Rege, Principe, vel Magistratu in eorum investitura jurari coram populo solent solemni juramento, utpote, servare leges fundamentales regni, privilegia populi, conventiones, fœdera, & pacta aliqua communia, &c.

Aliæ ordinariæ. Aliæ tandem leges sunt ordinariæ & communes, quæ scilicet nec ad fundamentales, nec ad juratas pertinent, sed communi usu in regno observantur. His sic prænotatis pono sequentes Conclusiones.

CON-

CONCLUSIO I.

Reges, &c. tenentur legibus fundamentalibus & juratis.

R*Eges & Principes supremi tenentur legibus fundamentalibus & juratis regni sive Reipublicæ subdire, & illas observare.*

Ratio clara est: Quod enim spectat ad fundamentales leges regni sive reipublicæ, cùm ex illis & per illas regnum constitutum sit, qui accipit, vel in quem devolvitur regnum sive regimen reipublicæ, censetur sub illis oneribus, & illis conditionibus accipere, aut in illum devolvi, quibus regnum à principio constitutum est, nisi populi communi consensu aliquid fuerit immutatum.

De legibus etiam juratis res extra controversiam est: Nam jure divino unusquisque tenetur ad id, ad quod intra limites recti & honesti se juramento solemni obligavit: nec potest quis juramento tali absolvi absque consensu tertii, quia per illud Reges & Principes se obligaverunt tertio, id est, regno vel reipublicæ. Unde benè Plinius in Panegyrico ad Trajanum Imperatorem: *In rostris similibus* (inquit) *ipse te legibus subjecisti, ô Cæsar, quas nemo Principi scripsit, &c.* Infrà: *Ego nunc audio, nunc primùm disco: non est Princeps super leges, sed leges supra Principem* (nimirùm ratione juramenti, quo se legibus subjecit) unde subdit: *Idem Cæsari Consuli, quod ceteris non licet; jurat in legem attendentibus Diis, nam cui magis quàm Cæsari attendant: jurat observantibus his, quibus jurandum est, non ignarus alioqui, nemini religiosius quod juraverit custodiendum, quàm cuius maximè interest non peierare.* Hæc Plinius. Et quidem hæc juramenta introducta esse jure gentium Historiæ antiquæ satis convincunt.

Plinius.

CONCLUSIO II.

Reges, &c. tenentur legibus mixtis, & quomodo.

R*Eges & Principes supremi tenentur legibus mixtis pro illa parte, qua aliquod mandatum juris naturalis vel divini complectuntur.*

Ratio est: quia, ut superiùs probatum est, Reges tenentur & obligantur legibus juris naturalis ac divini, quas in mixtis contineri ostensum est suprà.

CONCLUSIO III.

Non tenentur merè civilibus ordinariis.

R*Eges & Principes supremi non tenentur legibus merè civilibus, non fundamentalibus aut juratis, modò aliundè justitiæ, & æquitati sit provisum.*

Ratio est; quia Reges & Principes supremi sunt legum authores & conditores, adeoq; sicut pro aliis de iis variè disponere possunt, ita suo arbitrio stat illis uti, vel non uti, illas cassare vel continuare.

Dixi (*legibus merè civilibus*) hæ enim supponunt legem naturalem, & divinam integram & inviolatam: unde etiam signanter

Modò justitiæ sit provisum.

Dixi (*modò aliundè justitiæ & æquitati sit provisum*) cùm enim ut in 1. prænotato dictum est, leges sint remedia ad bonum, & remedia contra malum: si Rex, non observando particulares leges, aliundè per aliquod aliud medium providerit, ne quid mali fiat, aut quis injustè lædatur, utitur legitimè potestate suâ, cujus prudentiæ in regno, boni & æqui observantiâ, ac mali & iniqui propulsatio commissa est; nec alligatur huic aut illi medio aut remedio, cum quolibet medio aut remedio pro sua libertate & arbitrio uti possit: nec quisquam conqueri potest.

Adverte tamen, quòd Reges non teneantur omnes subditos in singulari à læsione vel detrimento servare, in mutatione vel non observatione legis alicujus civilis in particulari: sufficit enim quòd consideratâ ratione causæ & Regis ipsius, aut communis boni, nemo injustè lædatur.

CONCLUSIO IV.

Magistratus, &c. tenentur legibus merè civi.

D*Omini temporales, Magistratus, & quælibet potestas civilis, Regibus & Principibus supremis inferior, tenetur omnibus legibus etiam merè civilibus juxta rationem obligationis legis.*

Ratio est: quia penes illos propriè potestas non residet, sed tantùm administratio eorum sub Majoribus est concredita, & ut plurimum stipendiaria est: unde vel regno, vel potestati alicui superiori subjiciuntur, aut certè ab ipsis populis, quorum interest, stipendiariè dependent. Patet id maximè in Democratia, in qua à multitudine totum regimen reipublicæ dependet.

QUÆSTIO III.

Cur Reges & Principes supremi dicti sint supra leges esse, seu legibus soluti?

EX dictis quidem constat reverà Reges subdi legibus plurimis; quia tamen hoc velut commune axioma est passim usurpatum *Reges supra leges esse*, placet axioma illud paucis in vero & sano sensu explicare.

CONCLUSIO.

Reges dicuntur supra leges, ob rationes sequentes.

V*Ariis rationibus Reges verè supra leges esse dicuntur.*

1. Quia tota potestas legum iis à Deo concredita est, tamquam Dei in regimine populi vices tenentibus. Nam, ut quidam ait, Rex est similitudo sive imago quædam divinitatis in terris, dum idipsum agit in limitato regno, quod Deus in universo.

2. Quia Regum est leges populo edicere, eas (ubi opus est) in dubiis interpretari, illas temporibus, & locis ac personis applicare, appositis pœnis roborare, de illarum observatione judicare, denique legibus populos sibi subditos conservare, & ad finem debitum dirigere.

Dicuntur Reges suprà leges esse, & à legibus soluti esse, accommode & juxtà potestatem regiam strictè dictam, quæ cùm politiæ & civilitati tantùm per se, & velut ex stricto munere deserviat; si aliæ leges superveniant, verè Rex suprà leges, & à legibus merè civilibus, sive intrà strictos limites civilitatis & politiæ liber & absolutus est, eo sensu, quo diximus quæst. superiori concl. 3. Et in hoc sensu sententiæ, initio ante quæstionem 1. relatæ, sunt interpretandæ.

TITULUS VI.

De Fidelitate Regis & potestatis civilis circà subditos, & de jure regio.

QUÆSTIO I.

Quo sensu intelligendum sit jus regium jussu Domini populo à Samuele denuntiatum. 1. Reg. 8.

Ius Regis à Samuele 1. Reg. 8. 5. propositum, tyrannicum videtur. Mirum visum est multis jus illud regium, quod populo Dei jussu à Samuele propositum est, dùm peteret sibi constitui regem, *sicut & universa* (ut aiebat) *habent nationes*: in illo enim plurima videntur derogare æquitati & justitiæ, imò naturali ac divinæ legi, ità ut potiùs
Vers. 11. sapiat tyrannidem, & tyranni crudelitatem; Ex. g. separatio filiorum & filiarum à parentibus illis invitis, ut servitio & voluntati Regis mancipentur: v. 11. *Hoc erit jus Regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum*
Vers. 13. *suarum*, &c. Item v. 13. *Filias quoque vestras facient sibi unguentarias, & focarias, & panificas, &c.*
Vers. 14. Addit spoliationem bonorum v. 14. *Agros quoque vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit*
Vers. 15. *servis suis.* Item v. 15. *Sed & segetes vestras & vinearum reditus addecimabit, ut det eunuchis & famulis suis.* Et alia ponit, quæ ad limam aliquam justitiæ vix reduci possunt.

Aliqui asserunt ibi non proponi verum jus Regis sed usurpatum. Propter hoc Doctores in varias sententias abierunt: alijs quidem asserentibus, illo loco non jus verum & legitimum regium declarari, sed tantùm jus usurpatum, & illegitimum, sive tyrannicum, quod præsumpserunt & usurpàrunt Reges in gravamen subditorum: hoc verò jus usurpatum, dissimulato legitimo, ità propositum fuisse à Samuele, ut à petendo Rege populus averteretur, ob oneris & juris tyrannici crudelitatem. Et huic sententiæ favet: *Sententia huic favet quæ habetur Deut. 17. v. 16.* quòd omnia, quæ hîc dicûtur esse de jure regio, repugnent his, quæ Deut. 17. à Domino futuro Regi præscribuntur: ibi enim prohibentur Reges multiplicare sibi equos, plurimas habere uxores, accumulare auri & argenti immensa pondera, jubentur timere Dominum Deum, & custodire legem, non elevari fastuosè super fratres suos; hîc econtrà omnia Regi permittuntur, quæ barbarus quisque exercere posset. *Item quæ* Ad hanc sententiam facit, quod hoc jure prætermisso posteà cap. 10. dicitur, Samuel locutus fuisse ad populum legem regni, & scripsisse in libro, & reposuisse coram Domino; quod de vera lege regni & jure regio interpretantur Patres. Quòd verò Samuel hoc jus usurpatum proclamaverit, non id dissimulationi alicui, aut fictioni tribuendum est; sed proportionatæ postulatis responsioni; dixerant enim: *Constitue nobis Regem, ut judicet nos, sicut & universa habent nationes.* Samuel itaque recitavit jura Regum nationum infidelium, quæ consuetudine pravâ induxerant, & in quorum possessione tyrannica erant. *1. Reg. 10. 25.* *1. Reg. 8. v. 5.*

Alij asseruerunt hoc jus Regis justum esse, non quidem universaliter & absolutè, sed in certis duntaxat casibus, causâ, & circumstantijs ea exigentibus, quæ in singulis articulis continentur. Et hæc est sententia S. Thomæ l. 2. de regim. Princip. c. 9. & l. 3. c. 11. ubi ponit S. Thomas duos casus, in quibus Reges possunt uti jure illo regio l. 1. Regum. c. 8. descripto. Prior est, *ratione delicti*: Posterior, *pro bono communi seu regiminis.* Et ratione quidem delicti prosequitur: *Primo, inquit, modo propter ingratitudinem suos privat feudis fideles; alios autem titulis justitiæ, propter quam sunt concessa dominia,* (nimirum ad puniendam injustitiam) Et hoc ipsum deducit S. Thomas Dei exemplo, *qui transgressores divinorum præceptorum mandat lapidari, & diversis cruciari pœnis*; & exemplo medici in corpore humano: *Amputamus enim manum,* (ait) *ut conservetur cor & cerebrum, in quibus principaliter hominis vita consistit, quod lex Evangelica approbat. Si* (inquit) *oculus tuus scandalizat te, & sive manus, sive pes* (quod pro gradu hominum accipit Augustinus) *erue eum, & projice abs te.* Et explicans alterum membrum pro bono communi ibidem subdit. *Item quòd pro bono reipublicæ possit exigere, sicut pro defensione regni, vel pro quacunque alia causa pertinente rationabiliter ad bonum commune seu dominij, ratio est in promptu, quia supposito quod humana societas sit naturalis, ut probatum est suprà, omnia necessaria ad communem conservationem dictæ societatis erunt de jure naturæ; hoc autem est in proposito.* Hæc S. Thomas, quæ sigillatim posteà discutientur. Et huic sententiæ subscribit Lyranus noster in citatum locum, ubi distinctione utitur: urgente enim necessitate publicâ, justum hoc jus Regis asserit, quia privata bona tunc pertinere censentur ad jus regium pro bono communi dispensanda; non urgente autem jus esse tyrannicum, quia tunc non potest Rex privata civium bona ad libitum dispensare. *Alij asserunt hoc jus Regis justum esse in certis casibus.* S. Thom. S. Thom. Lyranus.

CONCLUSIO UNICA.

Utraque sententia suprà posita in suo sensu vera est. Universaliter enim jus enarratum esse jus verum Regi legitimè competens asseri non potest, quia extra omnem casum necessitatis vel justitiæ iniquum esset, & rationi naturali repugnans: in casu autem necessitatis communis vel justitiæ ad verum jus Regis per- *Utraque sententia in suo sensu vera est.*

pertinere in sequentibus, ubi singula examinabuntur, magis patebit.

Jus Regis aliud regale.

Placet autem & hic addere aliam distinctionem quam habet S. Thomas loco proximè allegato ex Arist. lib. 1. Polit. ubi duplex jus Regis distinguit: Aliud Regale sive politicum, aliud despoticum & servile: Et quidem prius liberale esse, juxta quod Reges pro fine non habent, nisi ut regnum benè regant & gubernent, & unumquemque in suo jure conservent, &c. *Finis enim* (inquit) *Regis est, ut regimen prosperetur, quòd homines conserventur per Regem; Et hinc habet commune bonum cujuslibet principatûs participationem divinæ bonitatis, &c. ut sicut Deus, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, cujus virtute Principes imperant, nos regit & gubernat, non propter seipsum, sed propter nostram salutem, ita & Reges faciant, & alij dominatores in orbe:* quibus tamen à populo jure naturæ præstanda sunt quæcumque ejus statui necessaria sunt, & hujus juris Regum institutio traditur Deut. 17.

S. Thom.

Aliud despoticum.

Alterum tandem despoticum, quod servitutem annexam habet, & heriliter imperat, & hoc in homines propter peccata eorum inductum est, quod jus in pœnam delicti à Deo non datum sed permissum in l. 1. Reg. refertur. Sed de hoc etiam infrà suo loco.

QUÆSTIO II.

Quæ sint obligationes mutuæ & correlativæ inter Reges veros, sive potestatem civilem legitimam, & populum, & unde oriantur?

CONCLUSIO I.

Tres Regis obligationes ad populum; Conservatio populi; Directio; Defensio.

TRes potissimùm obligationes sunt Regis ad populum. Prima est, *conservatio populi per necessariorum providam subministrationem.* Secunda, *Directio illius per leges, judicia, & incorrupta justitiæ tam distributiva quàm commutativa, sive etiam præmiativa & vindicativa administrationem.* Tertia, *Defensio contra omnem adversæ potestatis injuriam & infestationem.* Hi sunt termini boni communis civilis, quibus finitur obligatio regia.

Et quidem communi axiomate, cùm Rex sit institutus propter regnum, non regnum propter Regem, diversis nominibus has obligationes significantibus Reges antiquitùs appellati sunt. 1. quidem à prima obligatione non rarò vocati sunt *Pastores* in Scripturis ut Ps. 77. *Et elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium: de post fætantes accepit eum. Pascere Jacob servum suum, & Israel hæreditatem suam. Et pavit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Isaiæ 44. *Qui dico Cyro pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis*

A 1. vocantur pastores.
Ps. 77. 71.
Isa. 44. 28.

A 2. Reges Isidorus.

A 2. obligatione dicuntur *Reges*, nam juxta Isidorum c. 48. & 49. Rex à regendo vel à rectè agendo vocatur: si enim piè & juste & misericorditer regit meritò Rex appellatur, si his caruerit, non Rex, sed Tyrannus est. Antiqui autem omnes *Tyrannos* vocabant, sed posteà piè & justè & misericorditer regentes *Regis* nomen adepti sunt. Unde & Philo l. 2. de vita Moysis in initio: *Regis officium est, jubere quæ oportet fieri, & vetare à quibus abstinere decet.*

Philo.

A 3. Principes & Duces.

A 3. obligatione Rex interdùm vocatur *Princeps*, interdùm *Dux*, sive quòd ordine, authoritate, dignitate cæteros antecellat, sive quòd præeat exercitui ad populum defendendùm: Quâ ratione etiam vocatur apud Græcos βασιλεύς quasi *basis* supra quam regnum innititur, ut in pace & quiete contra omnes adversos impulsus firmiter conservetur. Nonnulli vocaverunt Reges *Anax*, quod *medelam* significat, quia Regis est morbis populi medelam adferre.

CONCLUSIO II.

3. Populi obligationes ad Regem; subsidium, obedientia, obsequium.

TRes sunt correlativæ obligationes populi ad Regem. Prima est, *Regi conferre omne subsidium ad se & commune bonum conservandum.* Secunda, *Omnem præstare obedientiam, in iis quæ ad regni pacem & bonum ab eo decernuntur, & quæ divinis & ecclesiasticis ac regni legibus non adversantur.* Tertia, *Omnem honorem & obsequium Regiæ majestati jure Gentium vel regionis constitutum.*

Has utrimque obligationes firmat communis fides sive fidelitas, quam jurat quidem Rex sive Princeps, ubi regnum suscipit, & ad quam subditi se obligant, dum per primores suos ipsi homagium, hoc est, sacrum juramentum præstant. De his itaque agendum est ordinatè, quia omnia quæ ad politiam spectant, his cardinibus continentur, & volvuntur, & ab his tamquam lydio lapide omnis utrimque fidelitas, omnisque æquitas probanda est. Et quidem quæ spectant ad obligationes Regis illa in tractatum sequentem referemus; quæ verò ad populum spectant, modò prosequemur.

QUÆSTIO III.

Quod, & quale jus obveniat Regi ratione subsidii, ad quod populus obligatur?

Quàm multa sint Regi necessaria pro sustentatione & instructione familiæ, &c.

ADvertendum 1. Multa Regibus & rerumpublicarum Præfectis necessaria esse sive ut regiam domum & familiam alant, & suis necessariis instruant, sive ut regnum administrent, & commune bonum conservent, ac ab injuriis tum cives, tum regiones defendant. Expende enim, quibus sumptibus indigeat Rex, ut palatium regiâ majestate dignum suis ædificiis, areis, hortis, &c. completum, suis aulæis, tapetibus, picturis, sculpturis & omni regiâ supellectili instructum habeat. Quid in nobiles aulicos, œconomos palatii & aulæ præfectos, consiliarios, secretarios, domesticos, palatinos, ephebos, cursores, satellites, milites, corporis custodes, cæteros famulos & ancillas impendere debeat. Quid in recreationes regias, ludos, venationes insumat, &c.

ventione cum Publicanis facta, quòd propriis oculis domos quascumque visitarent, quasi verò ex incongruo illo contractu cum exactoribus potuisset Magistratus disponere de sancta clausura monialium, & in loca immunitate ecclesiasticâ gaudentia propriâ auctoritate involare: quod (Deo laus) in Conventibus monialium mihi subditis impedivi. Vidi & aliud: Satellites & alios prætendisse in clausuras intrare, & de facto alicubi intrasse, ut prædæ inhiantes viderent, quæ illuc in asylum asportata fuissent.

Item aliquorum satellitum, &c.

Dico ego & mandantes, & executores præter gravissima peccata, non potuisse excusari in supradictis casibus ab excommunicationibus latis contra violantes immunitatem Ecclesiæ, & specialiter clausuram sacrarum virginum: Nec sub iisdem pœnis Superiores religionum posse permittere similes ingressus & violentias, dum possunt prohibere. Nec hîc fingendi sunt casus necessitatis, & regiæ securitatis; sunt enim Episcopi & eorum delegati; sunt Superiores Ordinum, qui (si quid difficultatis realis oriatur, quæ non possit dirimi absque ingressu clausuræ) possunt per se & Ecclesiasticos suos clausuram cum reverentia intrare, & de controversiis prudenter & religiosè disponere. Quidquid sit, turpe & indignum est Ecclesiasticos, loca, ac res illorum à civili potestate tractari, cùm sui fori judices, & ministros habeant, qui satisfacere in omni æquitate possint, & ubi potestatem eorum crimina excederent, qui impios & iniquos tradere potestati sæculari valeant tamquam adjutrici.

Tum ipsorum mandantes fore excommunicatos.

Petes tertiò: Quid de ceteris immunitatibus?

Respondeo: Cùm immunitates omnes in ordine ad sanctitatem locorum sive personarum fuerint, vel Deo ordinante, vel conformiter ad ordinationes divinas ecclesiasticâ & civili potestate concurrente concessæ, obligari Imperatores & Principes ad illas conservandas.

Debent Reges &c. aliam etiam immunitatem eorum conservare.

Hic immunitates recensendæ fortè essent, sed illas sufficienter ad rem nostram proposuimus, dum de privilegiis & immunitatibus Clericorum egimus 1. p Tract. 6. tit. 1. quæst. 5. conclus. 2. & 3.

Unum tantùm hîc repetendum puto: De reis a locis sacris non extrahendis: in quam immunitatem passim potestates sæculares impingunt, præsumptione potentiæ magis quàm jure.



QUÆSTIO III.

Quid potestas sæcularis possit in extractione reorum confugientium ad loca sacra?

Advertendum 1. Ad avertendas innocentum mortes, & crudelitatem humanam, quâ unus alterum persequitur, & (ut dici solet) quâ *homo homini lupus est*, ex instinctu communi naturæ & jure Gentium semper fuisse aliqua loca assignata quæ *asyla* nuncupabantur. Patet de civitatibus refugii Numerorum, 5. Deuteron. 19. Josue 20. & 21. Patet etiam ex Historiis infideles & paganos hujusmodi loca eodem instinctu constituisse, quæ ut plurimùm erant templa suorum Deorum. Vide Cælium Rhodiginum lect. Antiquit. lib. 7. cap. 23. Hanc etiam legem tenuit sancta Mater Ecclesia, quæ suis templis & Basilicis jus immunitatis & asyli pro reis addixit; & quæ non tantùm ecclesiastico jure, sed etiam civili confirmata sunt.

Pro reis semper fuisse aliqua asyla, &c.

Advertendum secundò, sub nomine *Templi*, intelligi omnem Capellam de consensu Episcoporum ad cultum divinum ædificatam, quæ perpetuò Deo dicata est. Item cœmiterium, januam & porticus Ecclesiæ, sive junctas appendices, domus religiosas, ambitum claustri & dormitorium, hortos, areas, officinas, ac alia ædificia intra murorum circuitum existentia, &c. domus Episcoporum etiam Ecclesiæ non adjacentes: & apud aliquas nationes domus capitulares Canonicorum, dum à Canonicis actualiter inhabitantur. Eodem asyli privilegio gaudent Hospitalia, de licentia Episcopi ædificata.

Quæ intelligantur nomine templi.

Advertendum tertiò, Gregorium XIV. in Bulla quæ incipit, *Cùm alias*, data Romæ in monte Quirinali anno 1591. 9. Kalend. Junii Pontificatûs anno 1. Cùm videret jus commune de immunitatibus Ecclesiarum variis interpretationibus, privilegiis, dispensationibus altercatum; ut deinceps altercationes omnes tollerentur aliqua statuisse, & potestatem sæcularem excedentem antiquorum canonum & legum etiam civilium terminos ad certos limites restrinxisse.

Quid Greg. XIV. circa ipsã immunitatem statuerit.

Et 1. quidem certos casus excepisse, in quibus rei immunitate ecclesiasticâ non gauderent, sed omninò ab Ecclesia extrahi possent. 2. Modos observandos in extractione tradidisse. 3. In dubio criminum, modum procedendi explicasse, super quibus pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Dare leges super immunitate Ecclesiarum non pertinet ad Principes sæculares primariò, sed ad Summum Pontificem & Episcopos in sua Diœcesi.

Primariò ad Papam & Episcopos spectat dare leges super immunitatem &c.

Ratio

Ratio est: quia Ecclesiæ ipsæ, & loca Ecclesiastica, eo ipso quo divino cultui sunt mancipata, aut in cultum Dei oblata & acceptata, pertinent ad jus Pontificis, & propriè nullius territorii alicujus Principis sunt, sed à lege territorii civilis separata reputantur: unde est Pontificis de iis, quæ ad Ecclesiam pertinent, diffinire & disponere, ad quam specialiter spectat ejus immunitas.

Secundariò ad Principes sæculares.

Dixi (*ad Principes sæculares primariò non pertinere*) secundariò enim eos contingit, cùm asyli ratio ad temporalis etiam Reipublicæ utilitatem spectet, & à Principibus in locis sæcularibus statui possit absque Ecclesiæ aliquo concursu: posito itaque quòd immunitas Ecclesiis & Religiosis sive Ecclesiasticis locis sit annexa, illius dispositio pertinet ad Pontificem, cujus foro & jurisdictioni Ecclesiæ sunt subjectæ.

CONCLUSIO II.

7 Septem sunt crimina ob quæ reus possit asylo extrahi.

Nullus reus potestate sæculari ab Ecclesia extrahi potest, nisi qui de sequentibus criminibus sunt convicti: sunt autem septem

1. Latrocinium publicum, & viarum obsessio: *Latrones enim publici, viarumque grassatores, qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident, ac viatores ex insidiis aggrediuntur*, juxta Decretum Gregorii ab immunitate excluduntur.

2. *Depopulatores agrorum*, sub quibus incendiarii.

Tripliciter dicitur committi homicidium in Ecclesia.

3. *Qui homicidia & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis vel cœmiteriis committere non verentur*: quod quidem tripliciter contingere potest: uno modo, si qui occidit sit in Ecclesia, & alter foris: altero, si qui occidit est extra Ecclesiam, & hominem in Ecclesia existentem occidit: tertiò si uterque intra Ecclesiam vel cœmiterium existat: In his enim casibus, si homicidium injustum est, qui occidit iniquè hominem, quomodocumque occidat, ratione homicidii in Ecclesia commissi privatur beneficio immunitatis.

Quæ sit proditoria occisio.

4. *Qui hominem proditoriè occidit*: quid sit autem proditoriè occidere, disputant Juristæ. Ego proditorium homicidium existimo, ubi quis simulatâ amicitiâ, vel inimicitiâ dissimulatâ, dolo vel fraude vulnus infert, ut de occisione Abner & Amasæ à Joab in lib. Reg. exprimitur. lib. 2. cap. 3. & 20. Et lib. 3. cap. 2.

5. *Assasini*, id est, qui acceptâ vel promissâ pecuniâ ex pacto hominem occidunt.

6. Qui ratione *hæreseos*, quâ quis damnatus est, ad Ecclesiam sive asylum Ecclesiasticum refugit.

7. Qui crimen *læsæ Majestatis in personam ipsius Principis commisit*.

CONCLUSIO III.

Qualiter reus asylo extrahendus.

Et si constet de delicto, sive crimine à reo ab immunitatis beneficio excepto, perpetrato; non licet potestati sæculari reum è loco sacro extrahere immediatè, sed id debet fieri per ministrum Ecclesiasticum. Ita expresse Gregor. XIV. qui mandat ut tradantur ad requisitionem Magistratûs civilis, ubi de delicto manifestè constat, absque periculo irregularitatis, qui & sequentia ordinat. *Ne autem* (inquit) *curia sæcularis prædictâ ministerii facultate, illos per se & propria authoritate extrahendi & educendi sibi olim (ut præfertur) attributâ, & per præsentes revocatâ abutantur, volumus, dictâque authoritate decernimus & declaramus, ut curiæ sæcularis, ejusque judices & officiales ab Ecclesiis, monasteriis, locisque sacris prædictis, laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem in nullo ex casibus supradictis, sine licentia expressa Episcopi, vel ejus officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo authoritatem habentis, ad quos solos & non alios Episcopis inferiores, etiamsi alii ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut conservatores ab hac sede specialiter vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat*, &c. Et posteà plura ordinat, quæ in Belgio non sunt in praxi, & vix possunt executioni mandari.

dum etiam ubi constat de crimine.

Greg. XIV

Qualiter constitutio Gregor. quoad substantiam sit observanda Ubi delictum est manifestum.

Summariè autem hic quoad substantiam constitutio illa sic observanda est, meo judicio & sensu (salvo meliori) ut aliquo, ob superiora delicta quæ à beneficio immunitatis reum excludunt, ad Ecclesias vel loca sacra ac monasteria refugiente: moneatur Episcopus, vel aliquis Ecclesiasticus loco Episcopi facultatem habens, qui requisitus (si de delicto manifestè constet) per se, vel alium Ecclesiasticum cum superpelliceo reum educat extra Ecclesiam & curiæ sæculari exponat: quòd si noluerit egredi (supposito delicto manifesto) tunc ministri curiæ sæcularis, reverentiæ Ecclesiæ & locis sacris debitæ memores, minori, quo id fieri poterit, tumultu cum extrahere curent. In casu autem, quo delictum est dubium, reus tradatur carceri Ecclesiastico si ibi fuerit, vel propinquo, & si opus fuerit opportunâ custodia per curiam sæcularem adhibitâ bene custodiatur, donec de crimine plene constet, & tunc demùm à judice ecclesiastico tradatur curiæ sæculari, ut de eo disponat.

Ubi delictum est dubium

Sub quanta obligatione Greg. illam suam constitutionem ad serv.

Porrò Gregor. XIV. sub tanta obligatione in sua constitutione, præfata proponit, *ut si quis quidquam præter, aut contra illius constitutionis tenorem, attentare præsumpserit, ipso facto censuras & pœnas omnes eum incurrere declaret, quæ contra libertatis, juris, & immunitatis Ecclesiasticæ violatores per sacros Canones & Conciliorum generalium, suorumque prædecessorum constitutiones sunt promulgata.*

Immunitas illa concessa est locis non personis inhabitantibus.

Ex quibus colligo 1. immunitatem & asylum concessum esse locis, non personis qui locis præsident, vel loca inhabitant: unde etsi Ecclesia, vel monasterium, aut locus quilibet sacer non habitaretur de facto, nihilominus reus ad illa loca confugiens liber est, nec ab eis ullatenus in delictis non reservatis extrahi potest. Nec in prædictis delictis Re-

Ctor

ctot Ecclesiæ, aut quivis alius Superior licentiam dare potest, ut extrahatur reus. Unde pessimè faciunt civitatum gubernatores, & alij præfecti, qui refugientibus reis ad Ecclesias & monasteria potissimè Regularium, in ipsos Regulares insurgunt, illos convitijs impetunt, monasteria pervadunt, & insolentias nonnullas impudenter exercent, quasi rectores Ecclesiarum, aut monasteriorum præfecti in illa re aliquid conferrent, aut conferre possent: cùm etsi suorum locorum defensio sit ipsis concredita, nullatenus tamen immunitas ad illorum personas pertineat, sed locum sequatur, eique adhæreat.

Reprehenduntur gubernatores &c. insurgentes in illas personas, &c.

Colligo 2. Causam delicti, sive delictum judicialiter non debere recognosci à judice, Ecclesiastico (excepto crimine hæreseos) sed à potestate civili; Ecclesiasticum autem præfectum debere tantùm extrajudicialiter informari de certitudine facti, sive delicti in facto, idest, an ex reservatis delictis sit, & an factum sive commissum sit.

Causa delicti quo recognoscenda sit.

Colligo 3. Multa delicta, quæ antiquitùs immunitatem non habebant, modò immunitate gaudere post decretum Gregorij XIV. Antiquitùs enim infideles, ut Judæi, Mauri, Pagani, hæretici, ratione præcisè infidelitatis, pro nullo delicto immunitate gaudebant: modò autem omnes gaudent, exceptis ijs, qui propter causam formalem hæreseos ad judicium compelluntur. Similiter, qui vi aliquem ex Ecclesia extraxisset, aut subdolè, in causa refugij, abduxisset, si ipse in delictum cadebat, privabatur in vindictam privilegio asyli. Item, qui à proposito homicidium propè Ecclesiam commiserat, spe confugiendi in illam, beneficio refugij privabatur. Et alia reperiuntur delicta, quibus modò jus asyli per decretum Gregorij restitutum est.

Ante const. Greg. plura delicta non gaudebant illâ immunitate.

Colligo 4. Crimina sive delicta, ob quæ jus asyli negatum est, strictè interpretanda esse, quia odia restringenda sunt: undè graviter abutuntur Principes & præfecti militiæ, qui ob quodvis delictum à milite contrà militiam commissum, volunt eum violenter extrahi: ut pro custodia malè observata, pro duello, pro transgressione stationis, &c. Nullum enim delictum militem privat jure asyli, nisi solum crimen læsæ majestatis in personam Regis commissum; undè nec omne crimen læsæ majestatis jure asyli privat, sed solum quod in ipsam personam Regis committitur: non autem quod committitur in Principes, aut Duces, aut Consiliarios, sive justitiæ regiæ ministros, &c. Supersunt paucula dubia.

Crimina reservata sunt strictè interpretand. Abusus præfectorū contrà suos milites.

Nota pro crimine læsæ majestatis.

PETES, 1. An Clerici gaudeant jure asyli & refugij in Ecclesijs & locis sacris, ità ut ab Episcopis captivari non possint, aut violenter extrahi? Negant nonnulli Clericis hanc immunitatem, & inter alios Abbas in cap. *Inter aliâ*, de immunit. cum pluribus, quos citat Hieron. Rodrig. in compend. qq. Reg. resolut. 56. Hoc quidem fundamento: quòd Clerici, cùm sint Ecclesiæ ministri, & in Ecclesiam adscripti, semper & ubique ab Episcopis & suis Prælatis intrà Ecclesiam puniri possint, maximè cùm de causa sanguinis in Ecclesia non agatur. Et quidem quæstionem illam per viam violentiæ vidi contrà quemdam Clericum per Officialem Episcopi Iprensis moveri, qui uc manus Episcopi fugeret, ad nostrum Conventum confugerat.

Plures immunitatem Clericis negant.

Respondeo nihilominùs etiam respectu Episcopi & judicis Ecclesiastici jure asyli & immunitatis Ecclesiarum Clericos in delictis non reservatis gaudere. Ratio est: Quia jus asyli est naturale divinum ad conservandum hominem non solùm à morte, sed etiam ab injurijs alijs, quæ Clericis & Laicis sunt communes. Et fundamentum immunitatis non est simpliciter voluntas vel concessio Pontificis, sed reverentia loci Deo sacrati, à quo idcircò propulsanda est omnis violentia, & quidquid est contrà divinæ majestatis reverentiam, & honorem; magis autem debent Clerici illâ gaudere immunitate, cùm sint portio præcipua hæreditatis Dei. Adfert ad hanc resolutionem probandam Diana responsionem S. Congregat Cardinal. datam anno 1617. 19. Ianuarij Et aliam anno 1618. 10. Augusti. Addit tamen reservari casus degradatione dignos, in quibus nulla reo Clerico datur immunitas; sed & hoc debet probari aliquo decreto vel lege.

Asserit Author eos illâ gaudere.

Fundamentum immunitatis.

Ad rationem contrariæ opinionis initio positam: Respondeo eam supponere, quòd nullo fundamento subsistit: Clericus enim, quâ Clericus, etsi subsit suo Episcopo in crimine, non sequitur tamen in omni loco judicium contrà illum exerceri posse, &, ut diximus, cùm loca sacta ex sanctitate illis velut adhærente habeant immunitatem, pro omnibus ad illa confugientibus censentur habere, nec Clericus in hoc est Iudæo deterior: quinimò communis opinio est Sacerdotem actu Venerabile Sacramentum, imò & Extremam Unctionem, deferentem ad infirmos, vel processionaliter, non posse capi ob sanctitatem sive Corporis CHRISTI, sive materiæ Sacramentalis, quam publicâ actione portat.

Respondet Author ad rationem contrariæ opinionis.

PETES 2. An liceat potestati sæculari politicæ, reo in locis sacris sive Ecclesijs aut monasterijs refugo, locum sive Ecclesiam milite armato circumcingere?

Respondeo, varijs modis dici posse cingi Ecclesiam milite, &c. reo refugo in illa existente. 1. Per modum nudæ vigiliæ & excubiarum, ut si egrediatur reus, captivari possit; seu ut non possit evadere. 2. Per modum violentiæ ad Ecclesiam invadendam, & captivum vi educendum. 3. Ad impediendum, nè reo alimenta deferri vel subministrari possint.

Tribus modis potest locus sacer militi cingi.

Dico igitur 1. modo posse locum sacrum sive Ecclesiam milite circumcingi ad meras excubias nè reus evadat, vel etiam si egressus fuerit, capiatur: hoc enim non tangit immunitatem loci, & (ut supponitur) nullam miles

1. Modus est licitus.

miles prætendit violentiam in refugum, quamdiu in loco sacro est; In aliis verò duobus casibus non licet, & de 2. quidem constat, quia violentia formaliter intenditur: de 3. etiam constat, quia impedito alimento violentia in refugum cadit, eò quòd vel mori fame debeat, vel egredi ob defectum & impedimentum alimenti cogatur: quæ implicita violentia est in refugum redundans; unde tantùm abest quòd refugæ possit negari vel impediri alimentum, ut etiam teneantur illi non habenti in necessitate præbere, jure naturæ ob præsentem necessitatem.

2. & 3. nequaquam

Alia hic plura desiderantur super ceteris immunitatibus à potestate civili non violandis, sed alibi suis locis examinantur, sufficitque pro hoc loco ista propositio universalis. Non licere potestati civili ullam libertatem sive immunitatem ecclesiasticam, sive competat bonis & rebus Ecclesiæ, sive locis sacris, sive personis Ecclesiasticis & sacris, violare sive infringere sub peccato mortali (ubi est materia sufficiens) & censurarum ac pœnarum ecclesiasticarum incursu, ac restitutione damni illati.

Resolutio universalis contra violantes immunitates Ecclesiasticas.

PECCATA

Potestatis civilis contra immunitates Ecclesiasticas.

Specificantur magis eorum peccata.

EX dictis multis peccatis mortalibus suas conscientias intricare convincuntur Principes, aut potestatis civilis ministri.

1. Qui contra libertatem & immunitatem rebus & bonis Ecclesiæ competentem, bona, decimas, & res Ecclesiæ, monasteriorum, Hospitalium surripiunt, dolosè occupant, defraudant, vel distrahunt, aut ne recuperent impediunt. Vide 12. quæst. 2. per totam, specialiter c. *Qui Christi*, c. *Nulli liceat*, & c. *Quicumque*; item 16. quæst. 1. c. *Similiter*, &c. *Quia juxta*.

2. Qui pias donationes & legata Ecclesiis vel monasteriis legitimè facta nituntur revocare, vel eorum effectum impedire. 17. quæst. 4. c. *Sunt qui opes*, & c. *Sacrilegium*.

3. Effractores Ecclesiarum, & qui ex Ecclesiis bona refugarum auferunt, vel vim aliquam Ecclesiis inferunt.

4. Qui instrumenta, chartas, *&c* bona & libertates Ecclesiæ concernentes detinent, abscondunt, vel lacerant, unde damna Ecclesiis oriuntur.

5. Qui gabellis, vectigalibus, talliis, extra casum necessitatis & absque eorum consensu, bona vel personas Ecclesiasticorum onerant c. *Non minùs*, & c. *Adversus*, de immunit. Eccles. Ec in 6. eodem tit. cap 1. &c.

6. Qui contra locorum sacrorum, Ecclesiarum aut monasteriorum immunitatem reos extra casus reservatos ex eis extrahunt, aut eis vim inferunt, aut quovis modo juri asyli violentiam faciunt, de quibus sat superiùs est dictum.

7. Qui in Ecclesiis & locis Deo dicatis judicia civilia, concursus, & congregationes pro rebus sæcularibus, nundinas, comœdias profanas agunt. Vide Silvest. & alios Canonistas *V. Immunitas*, & tit. de immunit. Eccles. in Decretalibus.

8. Peccant gravissimè quoad personas, qui Clericos percutiunt, c. *Si quis suadente*, h. e. qui clericos conveniunt coram judice laico. c. *Consulendum* d. 28. Et de aliis obvii sunt ubique Canonistæ.

TITVLVS IV.

De obligationibus potestatis civilis ad rationem honesti.

QUÆSTIO UNICA.

An, & qualiter potestas civilis teneatur ad rationem honesti?

HIc 1. diffiniendum est honestum: Honestum itaque in hac materia nihil aliud est, quàm quod rationi rectæ consentaneum & conforme est: Et ab honesto sic dicto, derivatur honestas, quam describit Gerson *Honoris statum, terminum boni, finem honoris*: Eo enim ipso quo actio humana rationi rectæ conformis & consentanea est, aliquem gradum moralis bonitatis participat, sicque vocatur terminus boni: Rursus, quia gradus bonitatis æstimatione dignus est, & virtuti alicui affinis, honor illi debetur: Tandem, quia persona ob illam actionem honore digna est, honestas finis honoris nuncupatur.

Gerson tr. 12. super Magnificat coll. seu notula 1.

CONCLUSIO UNICA.

Qualiter tenedatur legibus honesti.

POtestas civilis, sive sit Regia, sive inferior quacumque, ita legibus honesti & honestatis continetur, ut si quid contra præsumat, pro qualitate excessûs gravissimis peccatis se & subditos leges observantes liget.

Ratio fundamentalis est: quia omnis potestas legitima à Deo ordinata est, repugnat autem divinæ ordinationi, quidquid directrici rationis rectæ adversarium est, quia ratio recta participatio quædam est divinæ, & æternæ rationis, quæ est mensura omnis rectitudinis ac honestatis, à qua proinde in legibus voluntariè deviare, sicut summæ amentiæ est, sic & summæ prævaricationis. Et ad hanc limam probandæ sunt primùm leges cujuscumque potestatis civilis, si quid enim contineant inhonesti, hoc ipso prohibitæ sunt, nec licet illis obedire.

Quid recta ratio.

Hinc condemnata sunt in regnis & nationibus benè ordinatis gymnasia & ephebiæ, lupanaria, & libidines promiscuæ, magi, arioli, aruspices, prohibiti histriones, &c. quæ legibus pravis quorumdam Regum instituebantur. Lege libri 1 Machab. cap. 1. & 2. Machab. cap. 4. de legibus Gentium quas promulga-

Quæ contra honestum semper fuere condemnata in regnis benè ordinatis.

vit, & observari curavit Antiochus Reprehenditur etiam apud Dionem Cassium l. 59. Cajus Caligula, qui lupanaria in suo palatio instituerat, indeque ex prostitutis primariis feminis pecuniam colligebat. Et l. 60. abominabile factum recitat Messalinæ uxoris Claudii Cæsaris, quæ publicè in palatio feminas adulteria & stupra in conspectu maritorum suorum committere cogebat: quæ omnia non tantùm jura sacra & civilia, sed etiam tota natura abhorret; unde & hujusmodi nationes eum suis Regibus & præfectis *in reprobum sensum datas* Scriptura affirmat ad Rom. 1.

Dio Cass. etc.

Omne inhonestum maximè Reges dedecet.

Regibus sanè tamquam honestatis omnis speculis omne quod inhonestum est repugnat, & in vitium vertitur: Sardanapalos natura abhorret, & Scriptura Salomonem per mulieres depravatum indigitat, & pro magna plaga regni vel nationis Isai. 3. refertur, *si effeminati dominentur eis*, & omnem intemperantiam à Regibus & Principibus abigit Salomon, Eccl. 10. *Væ*, (ait) *tibi terra, cujus Rex puer est, & cujus Principes manè comedunt. Beata terra, cujus Rex nobilis est, & cujus Principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, & non ad luxuriam.* Quo sensu Prov. 31. ubi prohibuit Regibus, ne mulieribus darent substantiam suam, subdit: *Noli Regibus, ô Lamuel, noli Regibus dare vinum: quia nullum secretum est, ubi regnat ebrietas. Et ne forte bibant & obliviscantur judiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.* Iterùm Saul 1. Reg. 28. laudatur, quòd *magos & ariolos de terra abstulerit.* Et Josias Rex sanctus & magnus 4. Reg. 23. celebratur, quòd *pythones & ariolos, & figuras idolorum, & immunditias, & abominationes quæ fuerant in terra Iuda & Ierusalem abstulerit*: sub quibus comprehenduntur omnes turpes & inhonestæ artes & actiones, quas introduxerant perversi Reges.

Isa. 3. 4.

Eccl. 10. v. 16. & 17.

Prov. 31. 4 vers. 5.

1. Reg. 28. 3.

4. Reg. 23. 24.

Benè S. Augustinus, (sive apud alios) S. Cyprianus l. de 12. abusionum gradibus gradu 9. inhonestas Regum leges perstringens, Regem instruit: *impudicos & histriones non nutrire, &c. Magorum & ariolorum phythonissarumq; superstitionibus non intendere, &c.* quia hæc sunt Regnorum, & Rerumpublicarum ruinæ. Et de vera Relig. c. 31. generaliter concludit: *Conditor* (inquit) *legum temporalium, si vir bonus est & sapiens, illam ipsam consulit æternam, de qua nulli animæ judicare datum est, ut secundùm ejus incommutabiles regulas quid sit pro tempore jubendum vetandumque discernat.*

D. Aug.

PECCATA

Contra supradictam obligationem.

Permittentes lupanaria publicè graviter peccant.

Peccant igitur graviter non tantùm Reges, sed quicumque potestate civili præsidentes, qui lupanaria publica impunè permittunt: quamvis enim interdum permissa legantur lupanaria ad majora mala & promiscuas libidines impediendas, quia tamen notatum est, illa non tam esse remedia quàm incentiva libidinum, corruptiones juventutis, laqueos incautorum & simplicium, & sentinam omnium malorum, jam abolita sunt: & si quid in privatis dissimuletur, quia impediri nequeunt, illa tamen velut lege quâdam à proposito permittere, christianum non est. Certe Philo Judæus l. de specialibus legibus, post initium; *Scorrum*, inquit, *lex ejicit è Republica, ut honestate, pudore, sobrietate, ac cæteris virtutibus vacuum, & replens viros fœminasq; impudicitiâ &c.* Infra: *Ergò ut pestis labesq; publica saxis obruetur &c.* Et Concil. Generale VI. Constantinopolit. III. can. 86. Eos qui ad animarum lapsus meretrices cogunt & alunt decrevit tamquam excommunicatos segregari.

Philo Iudæus.

Concil. Const. III.

Quam graviter in Christiana Republica condemnet lupanaria Salvianus, videat lector libro 7. de gubernatione Dei p. 254. 255. 256. Vbi extollit Wandalos & Gothos: *Qui* (ait) *ad emendandam nostrarum turpitudinum labem, abstulerunt de omni Africa sordes virorum mollium, contagiones etiam horruerunt meretricum* (en quibus nominibus vocet ephebias & lupanaria) subdit, *nec horruerunt tantùm aut temporariè submoverunt, sed penitùs jam non esse fecerunt.* Infrà: *Addiderunt quoq;* (inquit) *hoc ad libidinem comprimendam, severas pudicitiæ sanctiones decretorum, gladio impudicitiam coercentes*, (ubi sub nomine libidinis intelligit fornicationem, sub nomine impudicitiæ adulterium) *ut* (inquit) *puritatem scilicet utriusq; sexûs, & domi connubij servaret affectus, & in publico metus legum.* In quibus verbis notandum Barbaros severis legibus coërcuisse libidinem, omnia lupanaria tamquam contagiones publicas auferendo, & adulteria gladio puniendo. Ittidet porrò Salvianus Romanos, qui ut libidini succurrerent, lupanaria ædificaverant, libidini viam impunitatis sternentes, unde subdit: *Leges autem illorum* (idest Wandalorum sive Gothorum) *nequaquam illis sunt legibus consentaneæ, quæ ista partem improbitatis removerent, ut partem obscænitatis admittant; ut Romana illa decreta, quæ scortatoret quidem ab alieno uxoribus removerunt, ad omnes autem solitarias passim admiserunt, adulteria vetantes, lupanaria ædificantes. Timuerunt videlicet ne nimis casti homines ac puri essent, si ab omni eos penitùs impuritate prohiberent.* Infrà, *Erubescamus quæso & confundamur, jam apud Gothos impudici non sunt, nisi Romani: jam apud Wandalos nec Romani.* Infrà: *Pudeat vos Romani ubique populi, pudeat vitæ vestræ; nulla penè urbes lustro, nulla omninò impuritatibus vacant, nisi illæ tantùm, in quibus Barbari esse cæperunt, &c.* Hæc latiùs tanquam speculum contra illos, qui lupanaribus favent, & putant publico bono interesse, si lupanaria permittantur.

Salvianus.

Idem.

Peccant 2. Qui ludos scænicos, comœdias turpes, spurcitiis plenas in civitatibus & locis exhiberi, per circumforaneos illos theatricos & comœdos procurant, vel eis ad hoc facultatem faciunt. Unde est illud Concilii Arelatensis I. can. 5. *De theatricis & ipsos placuit quamdiu agunt à communione separari.* Quæ autem mala indè proveniant, vide, si placet, Tertullianum l. uni-

Item permittentes exhiberi Comœdias turpes in civitatibus, &c. Conc. Arelat. gravia mala ex his proveniunt.

l. unico, de spectaculis. Et S. August. l. de Catechizandis rudibus c. 16. S Chrysost. hom. de Davide & Saule. & hom. 38. in Matth. Clementem Alexand. l. 3. pædagogi, c. 11. post medium. Graviter Tertullianus l. de corona militis c. 6.

Tertull.

Sicutaq; (ait) & circa voluptates spectaculorum infamata conditio est, ab iis, qui natura quidem, Dei omnia sentiunt, ex quibus spectacula instruuntur, scientia autem deficiunt. Illud quoque intellige omnia à Diabolo esse mutata Vide quæ latè diximus, p. 1. tract. 2. tit. 2. q 3. §. 4. Advertant autem, quòd si peccant mortaliter theatrici illi, & spectatores, ut jam monuimus, non minùs peccare eos, quorum est illa spectacula prohibere.

Similiter ... histriones ariolos, magos &c.

Peccant 3. Admittentes histriones, ariolos, & magos, vel iis affines artes exercentes, ut in publico sua præstigia exerceant: hæc enim, ut loco allegato diximus, ad pompam Diaboli spectant, & animas incautorum decipiunt, & retibus Diaboli illaqueant.

Nec non Ægyptiacas & vagabundas mulieres.

Quò etiam pertinent, qui Ægyptiacas illas, sive cantabricas, & vagabundas mulieres per regiones divagantes admittunt. Peccant enim Magistratus, qui illas sua præstigia, fictiones, divinationes, deceptiones, sortilegia agere sustinent, eisque salvas guardias & facultates, excepto pro simplici transitu, concedunt: Sunt enim coërcendæ, ut saltem turpes & inhonestas suas artes non exerceant.

TITVLVS V.

De obligatione Regis, & potestatis cuiuslibet civilis ad communis juris & justitiæ leges.

IN commune aliquando axioma relatum est, Regem sive Principem legibus solutum esse, seu legibus non teneri; cui adstipulari videtur quod scribit Justinianus Novel. 105. c. 2. §. 4.

Justinian.

Omnibus (inquit) *à nobis dictis Imperatoris excipiatur fortuna: cui & ipsas Deus leges subjecit, legem animatam committens hominibus.* Unde & institur. l. 1. de jure naturali §. 6 *Quod Principi* (ait) *placuit, legis habet vigorem, cùm lege regiâ, quæ de ejus imperio lata est, populus ei, & in eum omne imperium suum & potestatem concessit.* Qualiter verò illud axioma intelligi debeat, & qualiter Princeps supremus legibus sit solutus, aut legibus subjiciatur, pono pro claritate sequentes Quæstiones.

QUÆSTIO I.

An Legibus omnibus Rex absolutus sit?

Jus triplex.

HIc distinguendum est de juribus & legibus: Triplex enim jus hic distinguendum est, nimirùm; divinum naturale, jus divinum positivum, & jus humanum: Juri autem humano subserviunt jus Gentium, jus humanum ecclesiasticum, jus humanum civile sive politicum.

Variæ leges ab illo triplici jure emanantes.

Ab his juribus variæ leges derivantur. A jure divino naturali, leges naturæ, sive naturales divinæ; à jure divino positivo, leges positivæ divinæ; à jure humano gentium, leges humanæ, pro universitate orbis, & ad conservandam societatem universalem, ab omnibus communiter receptæ; à jure humano ecclesiastico, leges ecclesiasticæ; à civili, leges civiles, & quæ ad politiam civilem spectant. His sic distinctis pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

NIhil Regibus licet agere contra jus naturale vel divinum positivum, adeoque legibus divinis naturalibus & positivis Reges, & consequenter omnis potestas humana subjicitur.

Rex subjicitur juri naturali & divino positivo.

Ratio est: quia Rex, quantumvis super omnes eminens, creatura & homo est: & ut creatura subjicitur legibus Creatoris; ut homo, naturæ rationalis dictamini, & lumini vultûs Dei signati super nos. unde Ps. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos dijudicat*; Deos, utique Reges, & Principes. qui, quia hominibus præsunt & supereminent, Dii vocantur, quos Deus judicabit, *Ego enim dixi, Dii estis, & filii excelsi omnes: vos autem sicut homines moriemini, & sicut unus de Principibus cadetis.* Quid inde? *Surge Deus judica terram*, id est, homines, & Principes, qui in terra sunt; *quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Clarissimè Sap. 6 *Data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neq; secundùm voluntatem Dei ambulastis.* Hoc agnovit divinâ ultione coactus omnium mortalium maximè superbus Rex Antiochus 2. Mach. 9. *Qui cùm fœtorem suum ferre non posset ita ait: Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire.*

Ps. 81. 1. — V. 6. & 7. — Sap. 6. v. 4. & 5. — 2 Macha. 9 v. 12.

CONCLUSIO II.

REges & qualibet potestas civilis subjicitur legibus juris gentium, in quantum à jure naturali divino derivatum est.

Item legibus juris gentium, &c.

Ratio est: quia jus gentium immediatè ex jure naturali procedit, estque velut determinativum juris naturalis, in ordine ad hominem, prout animal sociale est, & multiplicatâ jam humanâ naturâ in populos & nationes excrevit: Sequitur autem principia primaria legis naturæ, quæ sunt; *honestè vivere; neminem lædere; unicuique quod suum est tribuere*; quæ bases sunt & fundamenta omnis legis. Et hoc jus Gentium, multo tempore, cùm leges speciales non essent, index boni & recti fuit, & ab omnibus servabatur. Nam & Jud. 11. Jephte de justa acquisitione terræ disputans contra filios & Regem Ammon jure Gentium nititur ad probandum, quòd terra illa ad Israel pertineret. Propter transgressionem etiam juris Gentium Saul 2. Reg. 21, qui fregerat fidem, quâ Josue cum Gabaonitis fœdus inierat, in sua stirpe ferè periit, & Deus populum percussit. Eodem jure Gentium Hanon cum tota gente sua, ob legatos David opprobrio habitos, 2. Reg. 10. percussus est; Et omnia ferè quæ à gentibus

Principia legis naturæ. — 2. Reg. 21. 5. &c. — 2. Reg. 10. 53.

justè & rectè facta sunt, illo jure Gentium primario & universali in Scriptura expenduntur.

CONCLUSIO III.

Item legibus Ecclesiæ.

REges & omnis potestas civilis Catholica tenetur & obligatur legibus Ecclesiæ.

Ratio est: quia hoc ipso quo per fidem & Baptismum Ecclesiæ Christi incorporati sunt, obedientiam Ecclesiæ debent, nisi audire velint sententiam à Christo promulgatam: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, &c.* (*Matth. 18. v. 17.*) eo autem ipso quo Petro datæ sunt claves, & demandatum ut oves Christi pascere, potestas leges condendi ad regimen populi Christiani, illi & successoribus tradita est. Vide quæ à nobis sunt dicta p. 1. hujus tomi. Et si de legibus à fundamentis plura eruere velis, vide quæ de tota illa materia à nobis fusè tom. 2. tract. 1. de leg. tit. 5. q. 1. & seqq. sunt deducta.

Ex his autem omnibus patet, qualiter absq; ulla tergiversatione Rex & quælibet potestas legibus naturæ, divinis positivis, juri Gentium quoad primaria fundamenta, nec non ecclesiasticis teneantur, nec absolutè ab illis sint liberi, sive soluti Principes & Magistratus quâcunque authoritate polleant.

QUÆSTIO II.

An Rex & potestas quæcumque civilis suprema teneatur legibus civilibus?

Ratio dubitandi.

RAtio dubitandi est, quia Rex est legum civilium conditor & approbator, ita ut per illum pro ratione circumstantiarum condi & mutari, cassari & revalidari possint, ergo legibus civilibus non tenetur, sed super illas est, cùm ab eo tamquam conditore & confirmatore, ejusque authoritate dependeant. Confirmatur; quia tota potestas populi in Regem transfusa est, adeoque potest in legibus quidquid populus ante Reges in illis poterat. Pro resolutione accurata hujus Quæstionis,

Leges civiles quid.

Prænotandum est 1. Leges civiles nihil aliud esse, quàm media quædam juxta circumstantias temporum, locorum, personarum, &c. à potestatem habentibus decreta, rectæ rationi & juri divino ac naturali conformia ad bonum populorum conservandum vel promovendum, vel remedia ad malum avertendum, justè ordinata. Unde sicut varia & diversa media, & remedia juxta rationem temporum & locorum ac personarum occurrunt, & quæ uno tempore prosunt, alio tempore vel obsunt, vel inutilia fiunt, sic diversimodè leges civiles mutari, aboleri, revalidari possunt, & aliæ substitui, prout potestatem habentibus videtur expedire.

Cur leges civiles tandem, interdum mutentur.

Aliæ sunt merè civiles.

Prænotandum 2. Inter leges civiles alias esse merè civiles, alias mixtas. Merè civiles dicuntur, quæ à potestate merè civili sunt inventæ, etsi tamen semper conformiter ad legem naturalem, sive rectæ rationis, & divinam: ut sunt leges pecuniariæ, militares, censuales, &c. Mixtæ dicuntur, quæ formaliter in se aliquod præceptum naturale vel divinum continent: ut leges de non furando, de non occidendo, de debito parentibus reddendo, &c. quibus etsi addantur pœnæ, modificationes vel mandata civilia, purè tamen civiles non sunt, nec mutant naturam vel obligationem legis divinæ vel naturalis, sed in se illam retinent, & includunt, ita ut quoad fundamentum naturæ vel obligationis divinæ invariabiles & immutabiles sint, etsi quoad additamentum civile variari possint.

Aliæ mixtæ.

Item aliæ fundamentales.

Prænotandum 3. Triplices leges civiles in quolibet regno vel republica reperiri. Aliæ sunt, quas fundamentales regni vel reipublicæ vocant, quia super illis, tamquam super basibus firmis, regnum à principio constitutum est, ita, ut regnum nemini conferatur, nisi ut talibus legibus vestitum est. Tales sunt leges regni Hebræorum Deut. 17. nimirùm quòd Rex electione Dei, vel populi, Dei nomine fieret. 2. quòd ex fratribus solis, id est, Hebræis, eligeretur. 3. quòd non multiplicaret equos, nec uxores, nec auri immensa pondera. 4. quòd legem Deuteronomii scriberet, legeret, & ad praxim reduceret. 5. quòd non elevaretur per superbiam super fratres suos. 6. quòd non declinaret ad dexteram & sinistram, sed rectè & justè viveret. Similes conditiones habentur in republica eorundem Hebræorum 1. Machab. 14. ubi in lege summi Principis data Simoni Duci Israel à populo electo: Statuitur ei libertas, id est, liberatur ab oneribus communibus populi, 2. imposita est illi cura de Sanctis. 3. commissum est illi ut constitueret præpositos super opera populi, super regionem, super arma, super præsidia. 4. mandatum est omnibus, ut illi obediant. 5. ut omnes conscriptiones in nomine ejus scribantur. 6. ut Sacerdotum nemo illi contradicat, & nemo vocare possit conventum in regione absque ipso. 7. ordinatus est ei habitus Principis, ut operiatur purpurâ, & bysso, & uti possit fibulâ aureâ. Similes leges vocantur fundamentales, quia absque illis regnum à principio non stetit, & sub conditionibus illis datum est. Et tales à principio habuerunt, & in hunc diem habent regna Hispaniæ & Galliæ, de quibus Historiographi.

Deut. 17. & sequentibus.

1. Mach. 14.

Cur vocentur fundamentales.

Aliæ juratæ.

Præter fundamentales, aliæ sunt leges juratæ: quæ nimirùm à Rege, Principe, vel Magistratu in eorum investitura jurari coram populo solent solemni juramento, utpote, servare leges fundamentales regni, privilegia populi, conventiones, fœdera, & pacta aliqua communia, &c.

Aliæ ordinariæ.

Aliæ tandem leges sunt ordinariæ & communes, quæ scilicet nec ad fundamentales, nec ad juratas pertinent, sed communi usu in regno observantur. His sic prænotatis pono sequentes Conclusiones,

CON-

CONCLUSIO I.

Reges, &c. tenentur legibus fundamentalibus & juratis.

Reges & Principes supremi tenentur legibus fundamentalibus & juratis regni sive Reipublicæ obedire, & illas observare.

Ratio clara est: Quod enim spectat ad fundamentales leges regni sive reipublicæ, cùm ex illis & per illas regnum constitutum sit, qui accipit, vel in quem devolvitur regnum sive regimen reipublicæ, censetur sub illis oneribus, & illis conditionibus accipere, aut in illum devolvi, quibus regnum à principio constitutum est, nisi populi communi consensu aliquid fuerit immutatum.

De legibus etiam juratis res extra controversiam est: Nam jure divino unusquisque tenetur ad id, ad quod intra limites recti & honesti se juramento solemni obligavit: nec potest quis juramento tali absolvi absque consensu tertii, quia per illud Reges & Principes se obligaverunt tertio, id est, regno vel reipublicæ. Unde benè Plinius in Panegyrico ad Trajanum Imperatorem: *In rostris similibus* (inquit) *ipse te legibus subjecisti, ô Cæsar, quas nemo Principi scripsit, &c.* Infrà: *Ego nunc audio, nunc primùm disco: non est Princeps super leges, sed leges supra Principem* (nimirùm ratione juramenti, quo se legibus subjecit) unde subdit: *Idem Cæsari Consuli, quod ceteris non licet; jurat in legem attendentibus Diis, nam cui magis quàm Cæsari attendant: jurat observantibus his, quibus jurandum est, non ignarus alioqui, nemini religiosiùs quod juraverit custodiendum, quàm cujus maximè interest non pejerare.* Hæc Plinius. Et quidem hæc juramenta introducta esse jure gentium Historiæ antiquæ satis convincunt.

Plinius.

CONCLUSIO II.

Reges, &c. tenentur legibus mixtis, & quomodo.

Reges & Principes supremi tenentur legibus mixtis pro illa parte, quæ aliquod mandatum juris naturalis vel divini complectuntur.

Ratio est: quia, ut superiùs probatum est, Reges tenentur & obligantur legibus juris naturalis ac divini, quas in mixtis contineri ostensum est suprà.

CONCLUSIO III.

Non tenentur merè civilibus ordinariis.

Reges & Principes supremi non tenentur legibus merè civilibus, non fundamentalibus aut juratis, modò aliundè justitiæ, & æquitati sit provisum.

Ratio est; quia Reges & Principes supremi sunt legum authores & conditores, adeoq; sicut pro aliis de iis variè disponere possunt, ita suo arbitrio stat illis uti, vel non uti, illas cassare vel continuare.

Dixi (*legibus merè civilibus*) hæ enim supponunt legem naturalem, & divinam integram & inviolatam: unde etiam signanter

Modò justitiæ sit provisum.

Dixi (*modò aliundè justitiæ & æquitati sit provisum*) cùm enim ut in 1. prænotato dictum est, leges sint remedia ad bonum, & remedia contra malum: si Rex, non observando particulares leges, aliundè per aliquod aliud medium providerit, ne quid mali fiat, aut quis injustè lædatur, utitur legitimè potestate suâ, cujus prudentiæ in regno, boni & æqui observantiâ, ac mali & iniqui propulsatio commissa est; nec alligatur huic aut illi medio aut remedio, cum quolibet medio aut remedio pro sua libertate & arbitrio uti possit: nec quisquam conqueri potest.

Adverte tamen, quòd Reges non teneantur omnes subditos in singulari à læsione vel detrimento servare, in mutatione vel non observatione legis alicujus civilis in particulari: sufficit enim quòd considerata ratione causæ & Regis ipsius, aut communis boni, nemo injustè lædatur.

CONCLUSIO IV.

Magistratus, &c. tenentur legibus merè civi-

Domini temporales, Magistratus, & qualibet potestas civilis, Regibus & Principibus supremis inferior, tenetur omnibus legibus etiam merè civilibus juxta rationem obligationis legis.

Ratio est: quia penes illos propriè potestas non residet, sed tantùm administrationi eorum sub Majoribus est concredita, & ut plurimum stipendiaria est: unde vel regno, vel potestati alicui superiori subjiciuntur, aut certè ab ipsis populis, quorum interest, stipendiariè dependent. Patet id maximè in Democratia, in qua à multitudine totum regimen reipublicæ dependet.

QUÆSTIO III.

Cur Reges & Principes supremi dicti sint supra leges esse, seu legibus soluti?

Ex dictis quidem constat reverà Reges subdi legibus plurimis; quia tamen hoc velut commune axioma est passim usurpatum *Reges supra leges esse*, placet axioma illud paucis in vero & sano sensu explicare.

CONCLUSIO.

Reges dicuntur supra leges ob rationes sequentes.

Variis rationibus Reges verè supra leges esse dicuntur.

1. Quia tota potestas legum iis à Deo concredita est, tamquam Dei in regimine populi vices tenentibus. Nam, ut quidam ait, Rex est similitudo sive imago quædam divinitatis in terris, dum idipsum agit in limitato regno, quod Deus in universo.

2. Quia Regum est leges populo edicere, eas (ubi opus est) in dubiis interpretari, illas temporibus, & locis ac personis applicare, appositis pœnis roborare, de illarum observatione judicare, denique legibus populos sibi subditos conservare, & ad finem debitum dirigere.

pertinere in sequentibus, ubi singula examinabuntur, magis patebit.

Ius Regis aliud regale. Placet autem & hic addere aliam distinctionem quam habet S. Thomas loco proximè allegato ex Arist. lib. 1. Polit. ubi duplex jus Regis distinguit: Aliud Regale sive politicum, aliud despoticum & servile: Et quidem prius liberale esse, juxta quod Reges pro fine non habent, nisi ut regnum benè regant & gubernent, & unumquemque in suo jure conser-

S. Thom. vent, &c. *Finis enim* (inquit) *Regis est, ut regimen prosperetur, quòd homines conserventur per Regem; Et hinc habet commune bonum cujuslibet principatùs participationem divinæ bonitatis, &c. ut sicut Deus, qui est Rex Regum, & Dominus Dominantium, cujus virtute Principes imperant, nos regit & gubernat, non propter seipsum, sed propter nostram salutem, ita & Reges faciant, & alij dominatores in orbe:* quibus tamen à populo jure naturæ præstanda sunt quæcumque ejus statui necessaria sunt, & hujus juris Regum institutio traditur Deut. 17.

Aliud despoticum. Alterum tandem despoticum, quod servitutem annexam habet, & herilitèr imperat, & hoc in homines propter peccata eorum inductum est, quod jus in pœnam delicti à Deo non datum sed permissum in l. 1. Reg. refertur. Sed de hoc etiam infrà suo loco.

QUÆSTIO II.

Quæ sint obligationes mutuæ & correlativæ inter Reges veros, sive potestatem civilem legitimam, & populum, & unde oriantur?

CONCLUSIO I.

Tres Regis obligationes ad populum; Conservatio populi; Directio; Defensio. Tres potissimùm obligationes sunt Regis ad populum. Prima est, *conservatio populi per necessariorum providam subministrationem.* Secunda, *Directio ejus per leges, judicia, & incorrupta justitia tam distributiva quàm commutativa, sive etiam premiativa & vindicativa administrationem.* Tertia, *Defensio contra omnem adversæ potestatis injuriam & infestationem.* Hi sunt termini boni communis civilis, quibus finitur obligatio regia.

Et quidem communi axiomate, cùm Rex sit institutus propter regnum, non regnum propter Regem, diversis nominibus has obligationes significantibus Reges antiquitùs appellati sunt. 1. quidem à prima obligatione non rarò

A 1. vocantur pastores. Ps. 77. 71. vocati sunt *Pastores* in Scripturis ut Ps. 77. *Et elegit David servum suum, & sustulit eum de gregibus ovium: de post fœtantes accepit eum, Pascere Iacob servum suum, & Israel hæreditatem suam. Et pavit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus*

Isa. 44. 28. *manuum suarum deduxit eos.* Isaiæ 44. *Qui dico Cyro pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis.*

A 2. Reges Isidorus. A 2. obligatione dicuntur *Reges*, nam juxta Isidorum c. 48. & 49. Rex à regendo vel à rectè agendo vocatur: si enim piè & justè & misericorditer regit meritò Rex appellatur, si his caruerit, non Rex, sed Tyrannus est. Antiqui autem omnes *Tyrannos* vocabant, sed posteà piè

& justè & misericorditer regentes *Regis* nomen adepti sunt. Unde & Philo l. 2. de vita Moysis in initio: *Regis officium est, jubere quæ oportet fieri, & vetare à quibus abstinere decet.* Philo.

A 3. Principes & Duces. A 3. obligatione Rex interdùm vocatur *Princeps*, interdùm *Dux*, sive quòd ordine, authoritate, dignitate cæteros antecellat, sive quòd præeat exercitui ad populum defendendùm: Quâ ratione etiam vocatur apud Græcos βασιλεύς quasi *basis* supra quam regnum innititur, ut in pace & quiete contra omnes adversos impulsus firmiter conservetur. Nonnulli vocaverunt Reges *Anax*, quod *medelam* significat, quia Regis est morbis populi medelam adferre.

CONCLUSIO II.

3. Populi obligationes ad Regem, subsidium, obedientia, obsequium. Tres sunt correlativæ obligationes populi ad Regem. Prima est, *Regi conferre omne subsidium ad se & commune bonum conservandum.* Secunda, *Omnem præstare obedientiam, in iis quæ ad regni pacem & bonum ab eo decernuntur, & quæ divinis & ecclesiasticis ac regni legibus non adversantur.* Tertia, *Omnem honorem & obsequium Regiæ majestati jure Gentium vel regionis constitutum.*

Has utrimque obligationes firmat communis fides sive fidelitas, quam jurat quidem Rex sive Princeps, ubi regnum suscipit, & ad quam subditi se obligant, dum per primores suos ipsi homagium, hoc est, sacrum juramentum præstant. De his itaque agendum est ordinatè, quia omnia quæ ad politiam spectant, his cardinibus continentur, & volvuntur, & ab his tamquam lydio lapide omnis utrimque fidelitas, omnisque æquitas probanda est. Et quidem quæ spectant ad obligationes Regis illa in tractatum sequentem referemus; quæ verò ad populum spectant, modò prosequemur.

QUÆSTIO III.

Quod, & quale ius obveniat Regi ratione subsidii, ad quod populus obligatur?

Quàm multa sint Regi necessaria pro sustentatione & instructione familiæ, &c. Advertendum 1. Multa Regibus & rerumpublicarum Præfectis necessaria esse sive ut regiam domum & familiam alant, & suis necessatiis instruant, sive ut regnum administrent, & commune bonum conservent, ac ab injuriis tum cives, tum regiones defendant. Expende enim, quibus sumptibus indigeat Rex, ut palatium regiâ majestate dignum suis ædificiis, areis, hortis, &c. completum, suis aulæis, tapetibus, picturis, sculpturis & omni regiâ supellectili instructum habeat. Quid in nobiles aulicos, œconomos palatii & aulæ præfectos, consiliarios, secretarios, domesticos, palatinos, ephebos, cursores, satellites, milites, corporis custodes, cæteros famulos & ancillas impendere debeat. Quid in recreationes regias, ludos, venationes insumat, &c.

His enim omnibus & sancti Reges pro magnificentia regia usi sunt; ut de Davide & alijs Regibus, qui à Scriptura commendantur, constat. Præter autem hæc domestica, quid pro regno & justitia & judicio administrando? nam ut benè Iethro Exodi 18. Rex *stulto labore* seipsum consumere non potest; ideoque providendi sunt de omni plebe viri sapientes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, ut constituantur judices, tribuni, centuriones, quinquagenarij, decani, qui judicent populum omni tempore, reservatis tantùm quæ majora sunt Regi. Expende quot debeant præfecti regij poni in civitatibus, municipijs, pagis, portubus, castris, &c. super negotijs regni. Expende & militiam totam, quæ sive tempore pacis, sive tempore belli haberi debet. Et hæc omnia vel sumptibus regijs, vel populi subsidijs debent sustineri, & quilibet eorum sustentari pro qualitate & ratione status & ministerij sui.

Exodi 18. 18. Item pro administratione regni & communis boni.

Advertendum 2. In principio regnorum multa regibus & principibus temporalia bona in prædijs, terris, dominijs, censibus, reditibus, juribus in portubus, mercatutis, contractibus, &c. concessa fuisse, quibus ordinarijs impensis tam domesticis, quàm regni satisfacere possent, nè utique populum exactionibus gravavarent & opprimerent.

Varia bona sub-regibus initio regni concessa & sufficien a oer, nè &c.

Quæ omnia benè exprimuntur Ezech. 45. ubi mandat Dominus aliquam portionem in arvis & prædijs sanctificari pro Levitis: alias partes & prædia consignari pro populo, sive in possessionem populi Israël: aliam partem & maximam dari in possessionem Regis, sic autem habet sacer textus: *Principi quoque hinc & indè in separationem sanctuarij, & in possessionem civitatis, contrà faciem separationis sanctuarij, & contrà faciem possessionis urbis; à latere maris usque ad mare, & à latere Orientis usque ad Orientem, &c. De terra erit ei possessio in Israel, & non depopulabuntur ultrà Principes populum meum; sed terram dabunt domui Israel secundùm tribus eorum.* Et subdit convertens sermonem ad Principem: *Hæc dicit Dominus Deus: sufficiat vobis principes Israel; iniquitatem & rapinas intermittite, & judicium & justitiam facite, separate confinia vestra à populo meo, ait Dominus Deus.* Ubi iterùm assignat certam taxam principi pro sacrificijs publicis offerendis, nè populus gravaretur. Ac tandem c. 46. iterùm eadem repetens, de filijs etiam principum disponit, ut nimirùm dona à principe parente eis facta pro hæreditate possideant. Et concludit: *Et non accipiet princeps de hæreditate populi per violentiam, & de possessione eorum; sed de possessione sua hæreditatem dabit filijs suis; ut non dispergatur populus meus unusquisque à possessione sua.*

Ezech. 45. 7.

Vers. 8.

Cap. 46. 16.

Advertendum 3. Ubi verè non sufficerent Regi vel Principi ex possessionibus suis & juribus ac regalijs sumptus ad familiam regiam & curiam conservandam, ad stipendia ministrorum, ad bellum ac militiam, sive id ex tenuitate proventuum, sive ex aliquo eventu instantis aut præsentis necessitatis eveniat, populum teneri contribuere Regi, quæ ad suam familiam & ministrorum stipendia, ac belli sumptus necessaria sunt pro bono communi ex communibus bonis. Ratio est: quia illa omnia sunt communi bono necessaria, & aliàs nec Rex, nec alij tenentur stipendijs suis sive regere, sive ministrare, sive militare. Undè est illud: *Cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal.* Ex his pono sequentes Conclusiones.

Ubi illa verò non sufficiunt, tenetur populus plura contribuere &c.

Rom. 13. 7.

CONCLUSIO I.

Ex vi subsidij debiti Rex nullum habet jus dominij in bona civium, sive populi sui.

Rex nō habet dominium in bona civium ex vi &c.

Hæc conclusio constat ex Scripturis allegatis in annotatione 2. Undè Cujacius jurisconsultus observat. 15. c. 30. respondens ad quæstionem, quæ communiter movetur: *An Regis sive Principis suprema sint omnia? Respondet* (inquit) *Seneca; Omnia Rex imperio possidet, singuli dominio. Nec enim quæ tua sunt, principis sunt, aut certè tua non sunt, quoniam dominium in solidum duorum esse non potest, & communia esse inter te & principem dici non potest.* Dicitur autem Rex omnia possidere imperio, quia quandam generalem potestatem habet præcipiendi, ut bona illa variè distribuantur, vel ex eis sumptus sumantur in usum communis boni, quandò id necessitas reipublicæ postularet; verùm id dominio, quod civis habet, non derogat, sed tantùm actuali usui, vel usufructui, qui bono comoni sublevando, vel malo avertendo deservit, saltem ad tempus.

Cujacius.

Qui dicatur omnia possidere imperio.

CONCLUSIO II.

Ex vi subsidij debiti Rex sive Princeps, deficientibus opibus & thesauris regijs, ad subveniendum necessitatibus familiæ, regni, militiæ, stipendijs justis ministrorum, jus habet illa subsidia necessaria ex bonis civium petendi, exigendi, & subditos ad illa cogendi intrà terminos justitiæ & æquitatis.

Potest Rex subditos cogere ad præstanda subsidia debita, quando &c.

Hæc conclusio etiam clara est ex justitia tributorum & vectigalium, de qua S. Paulus ad Rom. 13. ubi postquam explicavit ministeria, quæ potestas civilis ex parte Dei in populum exercet, sive in bonum, sive in vindictam, subdit: *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideò enim & tributa præstatis; ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes;* q. d. Ideò tributa præstatis, quia oportet ministerio illorum necessaria præbere, ut rempublicam benè & justè administrare possint, sive præmiando bonos, sive malos gladio compescendo, undè & generaliter subdit, & debitum, sive jus subsidiorum urget: *Reddite ergò* (inquit) *omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem.*

Rom. 13. 5.

Vers. 7.

Et hæc est doctrina S. Thomæ opusc. 21. de regimine Iudæorum ad Ducissam Brabantiæ circa finem, ubi cùm docuisset reditus terrarum principibus assignatos esse, *ut ex illis viventes à spoliatione subditorum abstineant*, subdit: *Contingit tamen aliquandò, quod principes*

S. Thom.

cipes non habent sufficientes reditus ad custodiam terræ, & ad alia, quæ imminent rationabiliter principibus expetenda. Et in tali casu justum est, ut subditi exhibeant, unde possit communis eorum utilitas procurari. Prosequitur per exempla : *Et inde* (inquit) *est, quòd in aliquibus terris ex antiqua consuetudine Domini suis subditis certas collectas imponunt, quasi non sunt immoderata, absque peccato exigi possunt, quia secundùm Apostolum: Nullus militat stipendiis suis.* Undè infert : *Princeps, qui militat utilitate communi, potest de communibus vivere, & communia negotia procurare, vel per reditus deputatos* (in bona principio) *vel si hujusmodi desint, aut sufficientes non fuerint, per ea, quæ à singulis colliguntur.* Et exemplificat in casibus diversis : *Similis* (ait) *ratio esse videtur, si aliquis casus emergat de novo, in quo oportet plura expendere pro utilitate communi, vel pro honesto statu principis conservando, ad quæ non sufficiunt reditus proprii, vèl exactiones consueta, puta, si hostes terram invadant, vel aliquis similis casus emergat; tunc enim & præter solitas exactiones possent licitè terrarum principes à suis subditis aliqua exigere pro utilitate communi.*

Sed intrà terminos justitiæ, & alias violenter. Dixi in conclusione (*intrà terminos justitiæ & æquitatis*) quidquid enim extrà terminos justitiæ & æquitatis a subditis exigitur, violenter & iniquè exigitur, ac præter peccata mortalia, quæ committuntur, restitutionis onus remanet vel principi, vel ministris, qui dissimulante aut ignorante principe exigunt, aut scienter recipiunt, sive princeps sciat, sive non. Et ità demùm S. Thomas : *Si verò* (inquit) *velint exigere ultrà id, quod est institutum, pro sola libidine habendi, aut propter inordinatas & immoderatas expensas, hoc eis omninò non licet.* Et ponit resolutionem S. Ioannis Baptistæ: *Undè* (inquit) *Ioannes Baptista militibus ad se venientibus dixit : Neminem concutiatis, nec calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Et applicans principibus : *Sunt enim* (ait) *quasi stipendia principum eorum reditus, quibus debent esse contenti, ut ultrà non exigant, nisi secundùm rationem prædictam, & si utilitas est communis.* Hæc S. Thomas, qui & opusc. 20. lib. 3. c. 11. eadem ferè repetit, & quidem hoc jus subsidii, quo Rex utitur in tributis & vectigalibus imponendis, putat esse de jure naturæ. Sic porrò loquitur : *Item quòd pro bono reipublicæ possit exigere, sicut pro defensione regni, vel pro quacunque alia causa pertinente rationabiliter ad bonum commune sui dominii. Ratio est in promptu, quia supposito quòd humana societas sit naturalis* (quod antè probaverat) *omnia necessaria ad communem conservationem dictæ societatis erunt de jure naturæ, hoc autem est in proposito.* Hæc ibi.

S. Thom.

QUÆSTIO IV.

Qualiter se debeat Princeps & potestas civilis gerere in impositione vectigalium, tributorum, & gabellarum, &c. & de earum justitia vel injustitia.

CONCLUSIO I.

Ut imponantur nova vectigalia &c. 5. requiruntur. QVinque requ[i]runtur, *ut Rex vectigalia, gabellas, tributa, &c. nova imponere valeat populo suo.* Primo, *Causa justa imminens, præsens, vel perseverans.* Secundò, *Insufficientia opum & redituum principis.* Tertiò, *Qualitas & proportio vectigalis.* Quartò, *Exactio congrua.* Quintò, *Distributio sive applicatio debita & rationabilis.*

Justa causa quæ. *Causa justa* dicitur : Necessitas Regis aut regni, sive ad illorum in statu congruo & pacifico conservationem, sive ad defensionem contrà hostes, sive ad aliquam publicam calamitatem avertendam & evincendam. Patet ex superiori quæstione.

Insufficientia opum, &c. debet esse vera. *Insufficientia opum & redituum Regis* (sub quibus comprehenduntur tributa, & vectigalia antiqua & ordinaria, quæ jam in jus & reditus annuos regios transierunt) censetur, quandò verè & à parte rei servatis, quæ ad majestatem regiam requiruntur, non sufficiunt omnes proventus regii ad providendum necessitati, de qua suprà. Et ita D. Thomas locis allegatis, & lib. 3. de regimin. Princip. c. 11. *In necessitatibus* (inquit) *regni, quod pertinet ad conservationem socialis humanæ vitæ, Rex, qui est artifex, architectus dictæ societatis, non debet deficere, sed omnem defectum supplere cum ipsa societate : & ideò concludendum est, quòd isto casu possunt legitimæ exactiones & tallia, ac census sive tributa imponi, dummodò non transcendant necessitatis metas*: undè ponitur tertium requisitum, nimirùm Qualitas & proportio vectigalis. S. Thom.

Qualitas attendenda qualitas & proportio vectigalis. *Qualitas igitur & proportio vectigalis, &c.* attendenda est, ut ait S. Thomas, ut non excedat necessitatis metas, sive etiam causæ, pro qua gabella, vel tallia imponitur : quod enim superfluit, jam in gravamen populi censetur impositum: si nimirùm gravis sit excessus; in his enim non mathematica aut physica, sed moralis proportio est attendenda, & videndum, si plures simul necessitates, quibus est satisfaciendum, non concurrant.

Exactio vectigalis &c. sit congrua. *Qualitatem* & proportionem vectigalis debet sequi *Exactio congrua*, ut nimirùm ordinatè & honestè fiat, non crudeli exactione, & ut habeatur ratio paupertatis, vel conditionis personarum & rerum, quibus impositum est vectigal : undè & allegatur à S. Thoma illud S. Ioannis Baptistæ : *Neminem concutiatis, nec calumniam faciatis* : solent enim non raro Publicani illi, eorumque ministri tantâ immanitate agere, ut verè inopem & pauperem concutiant, calumniis opprimant, ut, quod est etiam extremæ necessitatis eorum, abripiant, & ut dicit Propheta Amos cap. 2.

Ven-

Amos 2. 6.

vendunt pauperem pro calceamentis. Et hæc summæ injustitiæ sunt, cùm extrema necessitas pauperis nullam obligationem incurrat juris subsidij, quippè qui sibi non sufficit, alteri subvenire non potest. Undè est illud S. Augustini de verbis Domini, quem citat S. Thomas suprà ad illud: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: Igitur quod Cæsar præcipit, ferendum est; quod imperat, tolerandum; sed fit intolerabile, dum prædam exactores accumulant.* Et exponens supradicta verba S. Ioannis Baptistæ: *Neminem concutiatis, nec calumniam faciatis: Hoc* (inquit S. Th.) *sumi potest de militibus, prætoribus, cunctisque rectoribus.* Addo ego, maximè de Publicanis & exactoribus talliarum, de quibus aliàs.

Matth. 22. S. August. S. Thom.

Sequitur quintum, quod est: *Distributio sive applicatio debita & rationabilis*, quæ consistit in hoc, ut pecunia distribuatur & applicetur necessitatibus, ob quas impositiones & tributa postulata sunt, nisi fortè aliqua necessitas æque, vel magis urgens eodem tempore occurreret, cui judicaret Princeps primò pro bono publico providendum: cùm enim supponatur veris necessitatibus boni communis applicari, ex epikeia judicio Regis vel Principis benè applicata censetur.

Applicatio debita quæ est.

CONCLUSIO II.

Magistratus quando & quomodo possint suas gabellas &c. imponere.

IN ijs *necessitatibus, quæ ad particulares civitates, vel provincias pertinet, possunt Magistratus civitatum, vel Status provinciæ imponere gabellas & tallias de licentia Regis, suppositis quinque supradictis conditionibus.* Primò, *ut sit vera necessitas communis.* Secundò, *ut non sufficiant bona communia civitatis vel provinciæ.* Tertiò, *ut gabella sit proportionata tam in se, quàm respectu necessitatis.* Quartò, *ut exactio congrua fiat.* Quintò *ut pecuniæ distribuantur justè in necessitatem veram communem, pro qua postulata est, vel in æqualem, æqualiter vel magis urgentem.*

Tantùm de licentia Regis, & cur.

Dixi (*de licentia Regis*) solis enim Regibus & Principibus supremis, vel Rebuspublicis, quæ supremam & independentem nactæ sunt potestatem, competit gabellas imponere; alij autem inferiores non possunt, nisi ex facultate Regis ob causam justam, vel nisi ob exiguam gabellam in possessione immemoriali essent: tunc enim censentur habere ex concessione Regis, vel liberali recognitione subditorum. Vide Legistas & Canonistas communiter. Est autem Regis invigilare super rectoribus & magistratibus civitatum & provinciarum, ne opprimant & devorent plebem, & ad suam libidinem eorum bonis abutantur, & talia præsumant.

PECCATA

Quæ oriuntur ex gabellarum injusta vel incongrua impositione.

Qui absque causa justa, &c.

1. PEccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem, qui absque causa justa, nimirùm necessitatis, vel utilitatis magnæ, sive publici boni, novas gabellas imponunt, & ijs populum opprimunt. Undè Ezech. 22. *Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas, & avarè ad sectanda lucra.* Et S. Thomas opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ damnat Principes aiens: *Qui volunt exigere ultrà id, quod est institutum* (id est, ultrà ordinaria onera) *pro sola libidine habendi, aut propter inordinatas & immoderatas expensas, hoc eis omninò non licet.* Quæ sunt autem inordinatæ & immoderatæ expensæ? Eheu! quis enarrabit? Generaliter tamen dico: Illas esse inordinatas, quæ in meras libidines, jactantias excessivas, prodigalitates effusas, tam privatas, quàm publicas, vel in turpes & fœdas causas fiunt; illas autem immoderatas, quæ etsi in honestas ex se causas fiant, immoderatiori tamen superfluitate excedunt. Vide Caiet. V. *Vectigalia* initio. Petrum Navarr. lib. 3 de restitut. c. 1. n. 255 & alios.

Ezech. 22. 27. S. Thom.

Inordinatæ expensæ Principum quæ.

Multa hic dicenda forent, sed ad tribunal conscientiæ Reges & Principes, aut potiùs eorum ministros, magistratus, consiliarios, & aularum præfectos, omnesque in universum provinciarum, statuum, civitatum moderatores vocamus, quorum hæc peccata potissimum, ob quòd Reges & Principes suis adulationibus in illa, propriæ commoditatis gratiâ, inducant & impellant: multitudine officiariorum inutilium, titulariorum, commissariorum, superintendentium, principum opes exhauriant, & velut harpiæ omnia populi subsidia, tributa, vectigalia devorent, & semper ad novas exactiones imponendas Regem incitent, veræ principum pestes, & populi devoratores. Appello etiam ad conscientiarum tribunal Iudices & præfectos, confessarios ac concionatores, quorum est conscientias Regum urgere, ut evigilent & excitentur tandem à somno gravi, quo oppressi sunt. En omnibus speculum Osee c. 7. *In malitia sua lætificaverunt Regem, & in mendacijs suis Principes. Omnes adulterantes quasi clibanus succensus à coquente: quievit paululùm civitas à commistione fermenti, donec fermentaretur totum. Dies Regis nostri: cœperunt principes furere à vino: extendit manum suam cum illusoribus. Quia applicuerunt quasi clibanum cor suum, cùm insidiaretur eis: totâ nocte dormivit coquens eos, manè ipse succensus quasi ignis flammæ. Omnes calefacti sunt quasi clibanus, & devoraverunt judices suos: omnes Reges eorum ceciderunt: non est qui clamet in eis ad me,* &c. Videat Lector doctissimos expositores, & Patres, non est meum hic concionari.

Ministri, Consiliarij, confess. & concionatores quomodo peccant.

Osee 7. & seqq.

Dixi (absque justa causa necessitatis, vel magnæ utilitatis) non enim coarctandi sunt Principes & Reges opinione vulgi, quod regalis administrationis dimensiones non considerat, nec attendit sumptus regalis familiæ, & quæ ad regimen & protectionem universalis regni per personas idoneas impendi debent, stipendia militiæ, liberalitates Regibus necessariæ, ut hostes contineant, amicos concilient, vexationes redimant, & infinitas expensas, quæ conservationi regni aut utiles, aut necessariæ sunt. Dixi (novas gabellas)

Non [illegible] taxandi Reges [illegible] [illegible].

quæ

quæ enim ab antiquo positæ sunt, & usu longo receptæ, de earum justitia præsumi debet, nec aliter judicare licet. Dixi (tenentur ad restitutionem, sed qualiter, & quibus restitutio fieri debeat & possit: accipe sententiam S. Thomæ opusc. 21. ad Ducissam Brabantiæ sæpè citato in fine: *Septimò* (inquit) *quærebas, si Officiales vestri absque juris ordine aliquid à subditis extorserint, quod ad manus vestras devenerit, vel non fortè, quid circa hoc facere debeatis*? Respondet S. Thomas: *Super quo plana est responsio, quia si ad manus vestras devenerit, debetis restituere; vel certis personis, si potestis; vel in pios usus expendere, sive pro utilitate communi, si personas certas non potestis invenire.*

Quî facienda restitutio injustarum gabellarum. S. Thom.

Hæc est vera & sincera doctrina Angelici Doctoris. Itaque 1. tanquam certum ponit quidquid absque ordine juris à subditis extorquetur, debere restitui: constat autem, quod quidquid ultra communes reditus & jura regalia, ac antiqua tributa extrà casum necessitatis vel publicæ ac magnæ utilitatis subditis solvendum imponitur, absque ordine juris & contrà justitiam extorqueri, ac consequenter debere restitui.

Debet restitui quod injustè extorquetur absque ordine juris.

2. Non minùs certum est, si determinatæ personæ sciantur, à quibus pecunia est injustè accepta, illis debere fieri restitutionem.

3. Quia in publicis illis exactionibus difficile, imò impossibile esset singulis personis suam contributionem reddere, duos alios modos assignat restitutioni congruos. Alter, ut accepta sic injustè pecunia in pios usus applicetur, ut in pauperes, in Ecclesiarum reædificationem, in xenodochiorum & hospitalium augmentum, &c. Alter, ut supervenientе aliquâ aliâ necessitate, vel utilitate publicâ, in qua populus aliquo vectigali esset onerandus, Rex vel præfecti dictam pecuniam pro sublevatione populi, nullo exacto alio vectigali, in istam supervenientem necessitatem insumant. Et hæc responsio sicut doctissima est, sic sanctissimum consilium complectitur.

Duplex modus illud restituendi.

Sed & alium casum altero membro resolvit, qui fortè communior est: si nimirùm pecunia sic injustè collecta ad manus Regis sive Principis non pervenerit, sed inter manus officialium, ut non rarò contingit, propriis usibus applicanda remanserit?

Quid si illa pecunia remaneat inter manus officialium.

Respondet S. Thomas: *Si autem ad manus vestras non devenerit, debetis compellere officiales vestros ad consimilem restitutionem etiamsi non fuerint nota vobis aliqua certa persona, à quibus exegerint, nè à sua injustitia commodum reportent. Quintò sunt à vobis super hoc gravius puniendi, ut cæteri à similibus abstineant in futurum, quia sicut Salomon dicit: Pestilente flagellato stultus sapientior fit.* Hæc S. Thomas.

S. Thom.

Secundò, Peccant mortaliter, & ad restitutionem obligantur, qui gabellas & alias assisias sive impositiones ob necessitates vel utilitates magnas boni publici justè institutas, cessantibus necessitatibus & utilitate prætensâ, abs que justa causâ in multos annos prodocunt, & velut perpetuas perennare volunt solius lucri prætensione, vel solâ thesauri augendi libidine. Hoc sequitur ex casu priori: cessante enim necessitate, vel grandi utilitate publicâ, cessat causa justa imponendi hujusmodi vectigalia & tributa, ergò injustè imponuntur, & ex alieno injustè conquisitæ sunt pecuniæ, adeoque injustè detinentur, & cum obligatione restituendi. Vide Canonistas & Theologos passim.

Cessante necessitate ob quam imposita fuere, gabellarum, peccant mort. &c.

Dixi (cessantibus necessitatibus & utilitate prætensâ) dupliciter autem durare potest necessitas: aut formaliter, quia reverà adhuc est, aut nondum cessavit: aut virtualiter, quia etsi jam necessitas cessaverit, nondùm tamen sumptus ad necessitatem, quæ transijt, soluti sunt, adeoqs saltem quoad solutioné ex priori oebito contractam censetur remanere: tunc autem produci gabellæ possunt, donec totū debitum, quod ex dictis necessitatibus contractum fuit, solutum sit, quia non dicitur vere cessasse, quod adhuc in debito virtute censetur permanere.

Necessitas dupliciter durare potest.

Addo, si æqualis aut similis necessitas vel utilitas magna publica, alterâ cessante, superveniat, cui ob insufficientiam publici ærarij non possit satisfieri, ideoqs nova impositio populo facienda esset, prius vectigal posse continuari titulo supervenientis necessitatis. Ratio est, quia à parte rei subest vera necessitas & causa novum vectigal imponendi: ne autem apprehendat populus gravamen novum, honestius est primas gabellas continuare, quod potest fieri à Rege, jure subsidiorum Regi competente, per epikeiam justam & occasioni accommodatam, modò nulla fraus vel dolus interveniat.

Si unâ necessitate cessante alia superveniat, potest continuari vectigal.

PETES: Quid si populus etiam absque necessitate vel magnæ utilitatis causâ in aliqua vectigalia consentiat, motus tantum ratione congrui & honesti, sive in signum affectûs in Principem?

Si populus ratione honesti, &c. in vectigal consentiat, licitè exigitur.

Respondeo: Illud licere, & vectigal taliter impositum honestum reputari, ut fit in inaugurationе Principum, in nativitate filiorum, in matrimonijs, aut simili de causa: justificantur enim hujusmodi gabellæ titulo consensûs liberi absque exactione, & causæ honestæ, quæ est amoris & recognitionis in Principem.

Tertiò, Peccatis varijs mortalibus se implicant senatus & magistratus, & alij, quorum consilio & judicio gabellæ & tributa imponuntur, si qualitatis & proportionis in gabellis imponendis singularem rationem non habeant. Qualitas porrò & proportio illa attendi debet in tribus. 1. In ipsâ gabella, comparativè ad causam, pro qua imponitur, ut nimirùm gabella necessitatem, pro qua imponitur, non excedat: qui enim immoderatam imponit gabellam, si excessus sit gravis ultrà necessitatem, cui subveniendum est, peccat mortaliter juxtà gravitatem excessûs, & obligatur ad restitutionem.

Senatus, &c. consilium et in gabellis non habentes qualitatis &c. rationem his peccatis se implicant.

2. Attendi debet proportio rei, super qua imponitur, ut nimirùm unus præ altero injustè non gravetur, undè potiùs imponenda sunt vectigalia rebus, quæ publici sunt juris, & his, quæ causâ mercimonij, vel negotiationis deferuntur, quàm ijs, quæ privatam cujus-

Qualiter attendenda proportio in earū impositione quoad res quibus imponuntur.

cujuslibet hominis vitam, sive necessaria vitæ contingunt; qua ratione beoè imponuntur agris publicis, vijs regijs, pontibus, fluminibus, navigabilibus, portubus, mercibus, metallis, vino, pascuis, &c. non autem sine oppressionis vero periculo, pani & cerevisiæ mediocri, sive potui communi; quia cùm hæc pauperibus ad vitam quotidiaoam sint necessaria, & vix aliud ad sustentaodam vitam humanam habeant, imò sufficienter vix habeant, genus quoddam crudelitatis est hujusmodi rebus gabellas imponere, tùm quia gtavamen intolerabile est, tùm quia pauperes, cùm ferè solo pane vivant, plusquam divites tunc contribuere censentur.

Angelus.

Et ità Angelus V *Pedagium*. n. 3. ubi citat l. *Universi*. C. de vectigal. quæ imponit pœnam capitis ijs, qui super talibus pedagia sive vectigalia ponunt; quibus etiam applicari potest illud Dei conquerentis Ezech. 13. *Violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis*. Meliùs & convenientiùs imponerentur gabellæ auro, gemmis, bysso, serico, rhedis, equis phaleratis, pellibus Indicis & pretiosis; de quibus l. *Interdum* §. *species*. ff. de publicanis & vectigalibus, idque exemplo Alexandri Severi, qui teste Lamptidio, bracariorum, linteonum, vitrariorum, pelliouum, plaustrariorum, argentariorum, aurificum, & cæterarum artium vectigal pulcherrimum instituit.

Ezech. 13. 19.

Consiliariorũ &c Principis est illa attendere.

Advertant sanè dictam qualitatem & proportionem illi, qui tenentur Principibus consulere, vel quorum interest vectigalia imponere, præterquam enim quòd populus opprimatur, dignitas regia cootemnitur, juri vectigalium detrahitur, & fraudibus communis via aperitur, &c. ipsi autem hujusmodi vectigalibus causam dantes; præter injustitiam, quam committunt, consequentium peccatorum causa sunt, & in eorum sinum clamores populi oppressi refunduntur.

Item quoad personas attendenda est proportio.

3. Attendanda est proportio in personis; ut non excipiantur & eximantur divites, potentes, vel aliquâ affinitate & amicitiâ illis juncti, alijs interim minùs divitibus & potentibus gravatis. Etsi enim censeantur nonnulli privilegio singulari à gabellis exempti; vidimus tamen aliquandò acceptionem injustam personarum, ità ut aliqui exempti (ut Religiosi) gravarentur; alij non exempti liberarentur. Peccant igitur contrà justitiam, qui hujusmodi acceptiones personarum in re gravi inducunt, vel tolerant.

Eas violenter exigere à pauperibus quale peccatum.

Quartò peccant juxtà rationem violentiæ mortaliter, qui cum multa violentia, damnificatione, & injuria pauperum; tributa & gabellas exigunt, cùm non sint solvendo. Sæpè enim contingit, quòd collectores illi per se & satellites domos pauperum invadant, paueulam supellectilem arripiant, & inhumanè distrahant, vacculam aur capram, porcellum pauperis abducant, nullo aut pauco fructu suo, maximò verò pauperis detrimento. Ratio horum fundamentalis est, quia jure naturæ tributum sive vectigal supponit capacitatem solvendi in eo, cui vectigal imponitur, aliàs enim injustum est. quomooo autem pauper, qui vix necessaria ad simplicem victum habet, & cui Rex potiùs tenetur de alimento providere, justè obligatus dici potest ad vectigal solvendum?

Graves abusus.

Nec valet, quòd qui accepit in se vectigalium collectionem sive solutionem Regi faciendam, damnum patiatur: præterquam enim quòd multò minori pretio vectigalia conducat, ob pericula quæ in solutione vectigalium eveniunt, consequenter etiam se huic periculo exponere censetur, ut qui nil habet, nil pendere possit.

Vectigalia justa, cùm distrahuntur in privatos usus &c. peccãt mort. & debent restituere.

Quintò peccant mortalitet, & ad restitutionem tenentur, qui vectigalia pro causâ necessitatis publicæ exacta, vel in privatos usus, vel in largitiones prodigas, aut in causas bono communi actu non necessarias expendunt & distrahunt, Ratio est, quia vectigalia non sunt alia ratione justa, nisi quia Regi pro publico regni vel reipublicæ bono necessaria, nec aliâ ratione Principi vel magistratui cedunt, nec tandem aliâ intentione data sunt: Ergò qui ob aliam causam ad reipublicæ bonum & neccisitatem non spectantem, illa retinet vel effundit, furti & alienæ rei injustæ detentionis convincitur, adeoque ad restitutionem eis, à quibus exacta sunt, tenetur, vel saltem ut in bonum publicum & necessarium reipublicæ reponat necesse est.

Indebita consumptio, &c. pecuniæ ex gabellis collectæ fit: 1. Directè ob effusas largitiones.

Hæc autem indebita consumptio aut distributio pecuniæ ex gabellis collectæ dupliciter fieri solet. 1. Si directè in finem alium publico bono intento verè non necessarium pecunia distrahatur, ex. g. in effusas largitiones & dona; in mercedes non urgentes aliquorum nobilium; in aliquas magnificentias importunas Regum, aut Principum: frequentissimè autem in usum & satisfactionem privatorum ministrorum, dùm titulo suorum stipendiorum particularium magnam partem dictarum pecuniarum sibi veluc in solutionem arrogant, contemptâ causâ boni & necessitatis publicæ, ob quam vectigal institutum erat. Undè fit ut publicæ necessitati patriæ non possit satisfieri, quia militi non solvitur, quia exercitui non providetur, sed patria tota tam hostis, quàm patrij militis prædæ exponitur defectu (ut dicitur) pecuniarum.

2. Indirectè ob multiplicationem ministrorum inutilium. &c.

2. Indirectè, quandò sive in collectione, sive in receptione, sive in administratione pecuniarum, tot & tam varij ministri planè inutiles concurrunt, ut inter eos, titulo ministerij & officij, quamvis verè inutilis & non necessarij, magna pars pecuniæ absorbeatur in injuriam manifestam publicæ necessitatis, pro qua, & ad quam destinata erat.

Magistratus consumentes pecunias illas &c. similiter peccãt.

Hoc eodem peccato involvuntur magistratus & officiarij, qui collectâ pecuniâ pro publica reparatione pontium, murorum, viarum, & alijs publicis necessitatibus tot superintendentias, tot vacantias, tot titulos comminiscuntur, ut in injuriam publicam marsupium unum faciant, & pecunias necessitati veræ assignatas particularibus commodis consumant: pro quibus omnibus strictam

Deo

Deo rationem reddent, multis peccatis mortalibus veræ injustitiæ intricari.

QUÆSTIO V.

An subditi in conscientia teneantur vectigalia sive gabellas jure subsidij impositas solvere?

CONCLUSIO I.

Tenentur subditi in conscientia solvere antiqua tributa, &c.

ANtiqua tributa, gabellas, vectigalia sive assisias Regibus & Principibus assignatas tenentur subditi in conscientia ex justitia solvere, & illa defraudantes in materia gravi peccant mortaliter.

Ratio est: quia illa censentur Principibus & Regibus in eorum possessionem pro regni administratione, & status sui stabilimento collata; undè jure illa possident, & in hæreditariam possessionem eorum transierunt. Et hoc modo intelligenda est responsio Christi ad Pharisæos Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, &c. & illud Pauli ad Rom. 13. *Ideò necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideò enim & tributa præstatis*, &c. *Reddite ergò omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal*, &c.

Matth. 22. 21. Rom. 13. 5. Vers. 6. Vers. 7.

CONCLUSIO II.

Item nova si sint justa.

TEnentur etiam subditi in conscientia nova vectigalia sive gabellas solvere; si nimirùm sint justa, servatis conditionibus, de quibus in superiori quæstione; videlicet ut à potente imponere pro vera necessitate, vel gravi utilitate publica sint imposita, qualitate & proportione debitâ observatâ, videlicet tam in ratione impositionum, quàm in distributione earum.

Ratio est, quia illæ reverà sunt de jure subsidij, & ex justitia debentur tùm Regi, tùm regno, sive reipublicæ ad ejus conservationem & administrationem. Undè illis convenit, quod de antiquis gabellis, sive tributis in superiori conclusione probatum est, & ab omnibus recipitur quia revera est de jure naturali, ut justa & necessaria tributa Regi pendantur.

Secùs si manifestè injusta sint.

Dixi (*si sint justa*) quia manifestè injustas gabellas nemo solvere tenetur; imò si cogatur quis illas solvere, potest datâ occasione sibi aliundè compensare, quia quod ab illo acceptum est, injustè acceptum supponitur. Vide Sylvestrum V. *Gabella* 3, n. 34. Bartolum l. *Vectigalia*. ff. de Publicanis & vectig. & alios communiter.

Injustæ, quæ.

Petes 1. Quæ censeantur manifestè injustæ? Respondeo illas esse injustas manifestè, quæ absque causa publica necessaria, vel in superfluas, aut privatorum expensas sciuntur impositæ: aut quas constat in veram & justam causam non expendi, sed in alias dissipari potiùs, quàm dispensari, ut benè notat Angelus V. *Pedagium* n. 6. his verbis: *Sed ego dico, quòd ubi imponentes talia pedagia non laborant loco & tempore pro universali utilitate, scilicet viarum, pontium, salvatione personarum & rerum juxtà posse suum, ad quod tenentur secundum Archidi. in c.* Si quis Romipetas 24. *q.* 3. *non peccant qui ea defraudant, sine mendacio tamen & perjurio, nec tenentur ad restitutionem*. Hæc Angelus. Imò injustas existimo, quas contrà æquam proportionem constat esse impositas, respectu personarum, quæ censentur læsæ. Undè non peccant pauperes gabellas non solventes, qui ità pauperes sunt, ut vix habeant, quo propriæ familiæ subveniant: sibi enim primò providere jure naturæ possunt, & quamvis bonum publicum debeat præferri privato, cùm parùm sit, quod à paupere pendi potest, debuisset aliundè per potentiores &c. compensari, censeturque pauper injustè gravari. Eâdem ratione non tenetur quis solvere subsidia & tributa, si ultrà conditionem suam verè gravatus sive odio, sive ignorantiâ reperitur.

Angelus.

Item in quibus nõ servatur proportio personarũ, &c.

PETES 2. Quid si dubium sit de justitia vel injustitia gabellæ?

Ad quos spectet judicare de justitia tributi.

Resp. 1. Non omnium, nec privatorum esse de his judicari, sed debent viri cordati, in rebus publicis exercitati, & qui negotia Regum vel rerumpublicarũ norunt, interrogari. Multæ enim necessitates vel utilitates veræ sunt, quæ publicum bonum tangunt, & eorum causas nescit vulgus, sæpiusq; superfluum judicat, quod bono publico summè utile & accommodum est. Undè non licet judicare de gabellis, quæ à multo tempore sunt in usu; quia cùm nemo contradixerit, censentur justè impositæ, & justè continuatæ, nisi tamen constaret, jam causam cessâsse, & in superfluos aut iniquos usus modò dispensari. Item, quandò non est expressa causa impositionis, sive quandò clarè non constat propter quid gabella sit imposita, in antiquis gabellis justitia servata præsumitur; secùs in novis; nisi generaliter pro necessitatibus patriæ imponantur, quas plurimas esse populus non ignorat, etsi determinatè non explicentur.

Quæ tributa debeant subire hoc judicium.

Si verum dubium sit de justitia in foro cõscientiæ nullus tenetur. Angelus.

Resp. 2. Si tributum sive gabella sit nova, & sit verum dubium de justitia, nullus in foro conscientiæ tenetur solvere. Ità expressè Angelus suprà V. *Pedagium*. n. 6. *Adverte* (ait) *quòd pedagia nostri temporis sunt communiter illicita: undè nisi probent legitimè imposita, debemus præsumere injusta c.* Quanquam *de Censibus in 6. ergò antequam probent esse legitima stabo in præsumptione juris, scilicet quòd sint injusta, & sic non teneor solvere*. Hæc Angelus, qui posteà prosequitur casum in exigente, quem putat offendere Deum mortaliter, si exigat pedagia, nisi sit certus quòd justè sint imposita ab habente auctoritatem imponendi, & ex legitima causâ, extrà quam jus præsumit omnia injusta. Addit: *Verum est quòd subditus, qui cogeretur ad ipsa exigenda, excusaretur in dubio propter bonum obedientiæ; sed non illi, qui voluntariè ea exigunt; nec excusarem eos à mortali peccato, quandò de hoc adverterent, si ea voluntariè exigerent*. Hæc iterùm Angelus. Indè, obligat exigentes ad restitutionem exactorum, quandocunque deprehenderint pedagia fuisse illegitima.

Tota porrò hæc doctrina fundatur in materia justitiæ; cùm enim cives & subditi sint domini veri suorum bonorum, illi gravari non pos-

possunt, nisi in casu, quo justè aliquid ab eis exigi potest: cùm autem exactio illa a principibus, regibus, vel magistratibus jure determinetur ad causam publici boni, vel utilitatis publicæ, & ut pecunia de facto illi necessitati impendatur, cessante causâ vel debita expensione, ruit omnis exactionis justitia, & exactio planè injusta reputatur. Quod si de injustitia dubium sit, jam in dubio melior est conditio possidentis: civis autem & subditus possidet suam libertatem, & jus integrum ad bona sua, quamdiu alius non probat juris sui prætensi justitiam.

Secus in foro externo.

Dixi (in foro conscientiæ) in foro enim externo, ubi non constat manifestè de injustitia, debet se accommodare; tamdiu enim Rex habetur in suis decretis justus in foro externo, quamdiu non probatur injustus. Unde si quis in foro externo publicè refragaretur dubiæ gabellæ, quasi injusta esset, scandalum committeret, incusans Regem de manifesta injustitia: secluso tamen scandalo à dubiæ gabellæ solutione se potest vindicare, ut notat etiam Angelus suprà. Vide Sylvestrum V. *Gabella* 3. Cajetanum V. *Vectigal*, & alios.

PETES 3. An quando gabellas non solventibus imposita est pœna temporalis, posito quòd sint gabellæ justæ, obligentur subditi in conscientia ad earum solutionem.

Hic 1. ferè omnia repetenda essent, quæ diximus tom. 2. tract. 1. tit. 9. per totum, & maximè in appendice de lege pœnali, ad quæ, nè prolixior fiam, Lectorem remitto.

Obligatio ad solvendum gabellas, &c. pendet à voluntate Regis.

2. Advertendum est: Quòd quamvis solutio tributi sive vectigalis justi sit velut de jure naturæ, & obliget in conscientia; illam tamen obligationem pendêre à volontate Regis, sive Principis gabellam imponentis, & à qualitate impositionis. Explico: Id, quod a Rege exigitur ex bonis civium, ex natura rei non debetur Regi, sed tantùm ex voluntate Regis imponentis, suppositâ necessitate & qualitate rei, propter quam gabella imponitur. Unde est in libertate Regis, suppositâ verâ causâ, subditos obligare, vel non obligare, obligare ad culpam juxta rationem materiæ substratæ, vel tantùm obligare ad pœnam; non enim solutio gabellarum obligat ex parte materiæ ad culpam, nisi ratione injuriæ, vel injustitiæ, quæ committitur in debito subsidij justi per Regem impositi, & proindè sicut est in potestate & libertate Principis renuntiare subsidio quamvis necessario ob causas, sic in potestate & libertate Principis est in foro conscientiæ nolle obligare, sed tantùm ad pœnam & compensationem externam

Leges gabellarum obligant ad culpam ratione damni quod eas defraudans Regi infert.

3. Advertendum est. Leges gabellarum non obligare in conscientia ratione inobedientiæ, aut transgressionis formaliter, sed tantùm ratione damni, quod infertur Regi ob non solotam, aut defraudatam gabellam. Undè si Ioannes aliâ viâ præstaret in subsidium Regis, quantùm gabella ab ipso solvenda requirit, & istâ intentione faceret, non teneretur in conscientia ad gabellæ solutionem. Imò si Rex Ioanni debitor esset, nec posset Ioannes aliâ viâ debitum recuperare, posset sibi compensare non solvendo gabellas Regi justè debitas, ad proportionem debiti, quod à Rege justè prætendit: compensato itaque damno, quod Regi obvenire potest ex defraudatis gabellis, nullum subjectum remanet obligationis in conscientia, in gabellarum etiam justa indictione.

Pœnæ pecuniariæ, quæ defraudantibus imponuntur, damnum compensant.

4. Advertendum est: Pœnas, quas imponit Rex fraudationi gabellarum, tales & tantas esse, ut per illas damnu, quod ipsi Regi, &c. indè provenire potest, sit sufficienter provisum, imò non rarò abundantiùs, quàm damnum illatum expendi possit. Explico: Rex imponit defraudanti gabellas, confiscationem rei, ut vini, mercium, &c. quibus gabella imposita est, insuper mulctam pecuniariam, quæ decuplùm, aut ampliùs gabellam excedit, idque toties, quoties quis deprehensus fuerit: sine dubio reparatur facilè damnum, quod aut Rex, aut collectores, sive publicani ex defraudatis gabellis incurrere possunt, cùm unus interdum deprehensus solvat pro plurimis. His sic prænotatis:

Quandò pœnæ illæ graves sunt, non censetur Rex velle aut posse obligare ad culpam.

Respondeo 1. Quandò Rex vel Princeps in indictione gabellarum tantam imponit pœnam, quæ prudenter considerata sufficit ad reparandum damnum, quod ex defraudatione gabellarum à subditis evenire potest, non censetur velle obligare ad culpam, nec id justè potest velle. Ratio ex prænotatis clara est: cùm enim culpa formaliter non consistat in transgressione legis, sed in damno, quod Regi & subsidio publico infertur, compensatâ per pœnas legis omni damnificatione, quæ ex defraudatione gabellarum oriri solet, omnis ratio culpæ jam ablata censetur, atque ideò culpam Rex non intendit, quia materiam culpæ per suppletionem aliundè tollit, dùm per confiscationes rerum, & mulctas pecuniarias suum subsidium replet & auget. Nec censetur Rex justè posse velle obligare ad culpam; cùm ad summum positâ culpâ tantùm jurè exigere possit restitutionem damni, non autem decuplum, quod ex impositione pœnæ consurgit. Et hæc benè expendenda sunt: recurrendum enim non est (ut nonnulli faciunt) in hac materia ad leges merè pœnales: leges enim gabellarum ex natura sua non sunt merè pœnales, quia obligant, ubi gabellæ sunt justæ, in conscientia ratione substrati damni, quod injustè infertur ex negatione debiti subsidij, ad quod subditi jure naturæ tenentur: quia tamen impositio subsidij ex libertate Principis provenit, natura obligationis ex modo damni & ordinationis legis interpretanda est. Cùm itaque Princeps per ordinationem suam sufficienter damno secuturo provideat, jam causâ damni ablatâ, vel aliundè suppletâ, aufertur subjectum & ratio culpæ, quæ formaliter in damni illatione consistebat; & consequenter lex, quæ relictâ culpâ & damno erat mixta, transit in meram pœnalem, pœnâ supplente quod culpâ dignum intervenire poterat.

Leges gabellarum ex natura sua non sunt merè pœnales.

DICES:

DICES: Qui defraudat gabellam saltem voluntariè, dat causam damno, cui incertum est, an per deprehensionem fraudis poterit provideri. Resp. Sicut Rex imponens graves illas pœnas confiscationis & mulctæ pecuniariæ, exponit suum subsidium aleæ justæ compensationis damni secuturi; sic qui in tali casu defraudant gabellas, exponunt se, & interdùm subeunt aleam decuplæ solutionis; adeoque omnem rationem culpæ Rex tollit, tam ab eo, qui paratus est pœnam subire, quàm à se, ut si ex mulctis recipiat ultra sortem subsidij sibi debiti, non teneatur restituere.

Addo omnium Canonistarum calculo Regi nihil plùs, nec minùs advenire, sive gabellæ defraudentur, sive non; quia publicani & collectores non plùs reddent Regi, quam quod conventum est, ubi gabellas à Rege conduxerunt. Nec ipsis collectoribus damnum infertur, quia solâ consideratione damnorum, quæ inferri possunt, multò minori pretio illas obtinuerunt, accipientes nihilominùs in commodum suum & incrementum, quidquid à defraudantibus per vigilantiam suam accipere possunt, & sic nulli aliquid deperit.

Attendant Reges, &c. an non melius foret gabellas sua natura relinquere, quàm tantas pœnas adjungere.

Advertant Reges & Principes, eorumque Consiliarij, an non meliùs foret relinquere gabellas & vectigalia suæ naturæ, ut antiquitùs, hoc est, obligationi conscientiæ subditorum potiùs, quàm legibus gabellarum tantas pœnas adjungere, ob quas tot excitantur quæstiones. Si enim suæ naturæ & obligationi in foro conscientiæ relinquerentur, viri probi conarentur satisfacere, mali à confessarijs monerentur & adigerentur; modò autem leges tot pœnis alteratæ non pariunt, nisi quæstiones, in quibus cuilibet fas est opinari. Hæc propono, si fortè licet anseri inter olores vocem efferre.

PETES 4. Quid de collectis pecuniarijs, quæ in populo pro Regis vel provinciæ, sive regni necessitatibus fiunt?

Angeli sententia.

Causam huic quæstioni dedit Angelus V. *Pedagium*, n. 6. ubi distinguit pedagium à collecta, & vult interdùm posse poni collectam, & non pedagium. Advertendum itaque dupliciter ordinari collectas. 1. Quandò, Rege summam pecuniæ pro subsidio postulante, ordinat magistratus, ut pecunia per domos civium colligatur, ut quisque pro suo arbitrio & commoditate contribuat. 2. Quandò summâ aliquâ Principi postulanti concessâ, per impositionem aliquam capitatim, vel super rebus aliquibus per modum vectigalis imponitur.

Collecta pecuniaria dupliciter ordinantur.

1. Modo habens rationem liberalis præstationis.

Resp. itaque 1. Si collecta 1. modo fiat, solâ collectione pecuniarum juxtà cujuslibet arbitrium contribuendarum, nil referre quomodò fiat, aut pro qua causâ fiat. Ratio est, quia hæc collecta se habet per modum liberalis præstationis, in qua quilibet liberè dat & confert, quantùm vult, absque alia obligatione vel coactione.

2 Rationem gabellæ.

Resp. 2. Quandò collecta illa fit per impositionem aliquam certam sive capitatim, sive super aliqua re habere omnimodam rationem gabellæ, adeoq; in omnibus observari debere, quæ circà gabellas superiùs observanda esse docuimus: nimirùm ut fiat auctoritate potestatem habentis, pro justa & rationabili causa, servata proportione qualitatis gabellæ & personarum, & justâ distributione consequente: aliàs nec ad similes collectas, prout nec ad gabellas, istis conditionibus deficientibus subditi tenentur.

QUÆSTIO VI.

An Reges habeant jus subsidij in personas subditorum?

SEnsus quæstionis est: Indiget Princeps ultrà ordinarios domesticos personis pro conservatione digna suæ aulæ; pro comitatu suo; pro guidagio per vias; pro operibus tam in agricultura, quàm in alijs; pro advectione lignorum, & aliorum onerum; pro militiæ adjumentis, vallis & aggeribus struendis, fossis replendis, &c. An jus habeat suos subditos, sive personas ad præfata cogendi, sive obligandi?

CONCLUSIO I.

Reges, &c. in publica necessitate habent jus subsidij in personas subditorum.

REges & Principes, nec non magistratus, urgente publicâ necessitate, vel magnâ utilitate regni, provinciæ vel civitatis, ijsdem conditionibus, quibus jus subsidij in gabellis & pecunijs postulandi habent, etiam jus subsidij in personas obtinent, ut ipsis necessaria, sive ad statum suum, sive ad publicum bonum conservandum, & ab injurijs defendendum suppeditentur.

Ratio eadem est proportionatè, quæ de gabellis; sæpè enim subsidium personarum æquè, aut magis necessarium est Regi vel regno, quàm subsidium pecuniarum: tenentur enim societates humanæ regnorum & civitatum se & capita sua conservare jure naturæ omnibus medijs, quæ ad sui conservationem oportuna creduntur: sæpè autem personæ publico bono necessariæ sunt ad defendendas civitates, itinera secura conservanda, propulsandos hostes vel latrocinia exercentes, avertendas devastationes & plagas in inundationibus aquarum, & similibus; in quibus casibus ubi Rex vel civitas indiget jure subsidij personæ peti possunt, & tenetur populus subministrare, maximè cùm Rex, Princeps vel magistratus non possunt de publico ærario illis providere. Et hoc juri naturæ conforme est, & in praxi regnorum & provinciarum servatur.

CONCLUSIO II.

Non licet prolibito illas in suum obsequium assumere, sed juxtà leges, &c.

NOn licet Regibus & Principibus pro suo libitu personas subditorum in suum servitiū vel operas assumere, sed servandæ sunt leges publicæ necessitatis suæ vel regni, quibus Rex tenetur se accommodare, si aliud non obstet.

Ratio est: quia subditi Regum non sunt servi, nec servituti eorum subjecti, sed tantùm publicæ necessitati, vel utilitati ex condicto liberè obsequentes, ex communi homagio, quo promittunt Principi sive Regi in sua inauguratione, in salute reipublicæ unà cum eo procuranda, se totos in ejus potestate futuros, & imperata facturos, modò divinis & Ecclesiæ ac regni legibus non repugnent. Undè ista servitutis non sunt, sed publicæ salutis & utilitatis & communis directionis.

Persona alia ratione gradûs perpetuò Regis &c. obsequio sunt deputata, ut comites &c.

Porrò personæ diversimodè obsequio Regis & publico bono addicuntur: habent enim Reges & Principes suos ministros, quorum aliqui perpetuis eorum obsequijs deputati sunt. 1. Ex ratione graduum & dignitatum, ut sunt comites, marchiones, barones, milites, nobiles, feudatarij, qui ex suo feudo & ipsi, & eorum successores ad Regum obsequia sunt perpetuò obligati. Undè juxta S. Th. l. 3. de regim. Principum c. 21. *Comites vocati sunt à comitando, quia ipsorum officium est Reges & Imperatores sequi in rebus bellicis, vel quacunque re militari, & in alijs quibuscunque gerendis pro totius regni utilitate. Duces, à ducatu populi*, præcipuè in castris & exercitu. *Marchiones à servitute justitiæ*, cui præficiebantur. *Barrones* (ut ait idem S. Doctor) *à Barra* græco quod latinè *fortis* dicitur, quia in continuis laboribus Regum occupabantur. Aliorum officialium nomina, & interpretationes vide apud eundem c. 22.

S. Thom.

Alia mercede conducta. Alia liberali sua voluntate.

2. Præter illos, qui ex ratione dignitatis vel gradûs perpetuò Regibus obsequuntur, alij sunt, qui mercede conducti deserviunt.

3. Alij, qui ex liberali sua voluntate & affectu se Regum obsequijs offerunt, ad sui honoris cumulum, vel virtutis profectum. Et de his non est quæstio, quia jam Regibus addicti censentur, & velut familiam & aulam Regis constituunt.

Præter has quæ familiam Regis constituunt, alij subditi interdum assumuntur ob necessitatem publicam.

Quæstio igitur est de ijs, qui in necessitate publica Regis vel regni assumuntur, & militiæ vel custodiæ civitatum, vel alijs publicis operibus deservire coguntur, qui cùm nullâ servitutis conditione obligentur, nihilominùs superveniente causâ urgente compelluntur servire, sive per sortes, sive per electionem magistratûs, sive per decimationem personarum, sive per familiarum oblationem, sive per justam Principis designationem.

Dicendum itaque jure naturæ, quo unum membrum pro salute capitis vel corporis exponitur, hujusmodi personas ad conservationem Regis vel regni exponi, non tanquam servituti addictas, sed ut illius corporis, cujus partes sunt, saluti & necessitati servientes. Undè illis de communibus sumptibus tanquam filijs providendum est, nec possunt pro libitu assumi, sed duntaxat urgente publicâ necessitate, ut sæpè repetitum est.

Unde peccant pro ratione materiæ mortaliter Reges vel Principes, sive etiam magistratus, qui pro privato commodo absque necessitate vel utilitate publica personas hujusmodi liberas ad operas & labores compellunt, aut præter necessitatem illas multiplicant: quia reverà jus subsidij, etsi respectu publici boni sit gratiosum, respectu tamen personarum, quæ impendunt, vel etiam subditiorum, odiosum est, & quantùm fieri potest, restringendum. Et hoc ipsum est, quod implicitè prohibetur Deut. 17. Regi. *Non multiplicabit* (inquit) *sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum*, &c. quia equos multiplicando, equites & ministros inutiles multiplicare debet, undè sumptus publici crescunt. Nec minùs id infert, quod sequitur: *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus* &c. illæ enim uxores non alliciunt animum Regis, nisi ad vana, pedissequas innumeras, & supellectilem ac mundum muliebrem infinitum.

Deut 17. 16.

Vers. 17.

Habent itaque Reges, quæ Regis sunt, ministeria plurima, de quibus S. Thomas l. 2. de regim. Princip. c. 10. quibus si opes & ærarium non sufficiunt, succurrendum est à populo: quòd si publico bono alia ministeria & operæ publicæ sint necessariæ, ex communibus populi sumptibus providendum est, tam de personis ministrantibus, & necessitati opportunis, quam de earum mercede & alimento.

QUÆSTIO VII.

An Rex habeat potestatem in bona subditorum, ut ea possit alienare, distrahere, vel etiam destruere?

Subditi habent dominium bonorum suorum.

Suppono ex antè dictis bona subditorum in regno libero non pertinere ad Regem, aut Principes, sed dominium esse subditorum; quod probavimus clarè ex c. 45. Ezechielis, ubi triplicia bona ab invicem Dei mandato separantur, tanquàm possessiones planè disparatæ; nimirùm sanctificata Deo pro Levitis in unam; bona Regis in alteram; bona civium in distinctam partem sequestrata sunt, idque ne Reges in bona civium aut Levitarum involarent, ut etiam sacer textus exponit.

Ezech. 45.

Quibus modis bona illa intelligi possint à Rege alienari, &c.

Porro antè quæstionis resolutionem Advertendum est: Bona subditorum a Regibus diversimode posse alienari, vel distrahi. 1. Per venditionem, impignorationem, per mutationem, & hujusmodi contractus pro arbitrio & voluntate libera Principis, aut privato suo commodo, ut si Rex illa donet amicis, vel in suum commodum convertat, ut de vinea Naboth 3. Reg 21 ab Achab factum dicitur.

3. Reg. 21.

2. Pro communi & publica necessitate; quomodò pro fortificanda civitate accipiuntur agri vicini, pertinentes ad cives. Item, ad defensionem patriæ contingit plurimorum agros etiam in perpetuum inundari. Item ad fluvios pro commoditate vel necessitate patriæ effodiendos, multorum arva pereunt, &c.

3. Contingit agros & bona à proprijs dominis abstrahi in pœnam delicti ex legum præscriptione, ut fit in confiscationibus bonorum ob crimina legibus expressa. His sic prænotatis, sit:

CONCLUSIO I.

Rex pro libitu non quit illa usurpare.

Non possunt Reges suâ liberâ voluntate, seu privato suo, aut alterius commodo, de bonis subditorum contra eorum voluntatem disponere; & si faciunt, furtum & rapinam committunt, & obligantur ad restitutionem. Hanc conclusionem probat historia Achab 3. Reg. 21 qui vineam Naboth, ipso nolente eam vendere, & propterea lapidato, sibi usurpavit; undè & statim ab Elia ei in vindictam horrendi eventus sunt prædicti, ut quòd sanguinem Achab canes lingerent in eodem loco, ubi linxerunt sanguinem Naboth, & alia. Vide locum.

Patet ex historia Achab 3. Reg. 21.

Et quidem nec Rex Achab, quantumvis impius, putavit sibi licere occupare vineam illam

illam Naboth non dato pretio, nam & obtulerat pretium : *Dabo tibi* (inquit) *pro ea vineam meliorem, aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est.* Nec credidit se posse auctoritate regiâ illum ad hoc compellere, cùm mœrore conficeretur ob negatam emptionem: Undè & illum irridet Iezabel uxor ejus vaferrima: *Grandis* (inquit) *auctoritatis es, & benè regis regnum Israel.* Imò nec ipsa Iezabel hanc auctoritatem, quam exprobrat Regi, sufficere putat, recurrit itaque impijssime ad justitiæ velamen impijssimum, & falsò accusato Naboth & condemnato ac lapidato, jure ementito confiscationis in vineam involavit, pœnas luitura pro crimine falsi, & homicidio ac raptu.

Vers. 2.

Vers. 7.

Et hæc fuit semper in conscientia Regum lex inscripta : non licere aliena sibi civium bona usurpare. Attende ad scrupulum David 1. Par. 21. qui volens altare erigere ad aream Ornan Iebusæi, ad quam Angelus percutiens apparebat, ut pro salute populi sacrificium offerretur, etsi publica causa & necessitas subesset, noluit aream illam gratis offerente etiam Ornan, accipere : sed (inquit) *Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Domino ; ità ut quantum valet argenti, accipias, & cesset plaga à populo.* Quo pretium recusante, & gratis aream offerente, subintulit David: *Nequaquam* (ait) *ità fiet, sed argentum dabo quantum valet.* Et addens causam scrupuli : *Neque enim tibi* (ait) *auferre debeo*, &c. Insigne sanè speculum cuilibet in potestate constituto, ut sciat sibi non licere nec directè, nec indirectè subditorum bona invadere.

David Regis justitia commendatur.

1 Par. 21. 22.

Vers. 24.

Sanè ob transgressionem hujus obligationis communiter interpretes, inter quos Abulensis & Cajetanus, David injustitiæ & injuriæ incusant, quòd bonorum Miphiboseth medietatem quasi jure regio confiscationis assignaverit Sibæ ejus famulo 2. Reg. 19. *Tu* (inquit) *& Siba dividite possessiones* : quamvis enim certum sit Sibam decepisse David, & falsò accusâsse Miphiboseth, nihilominus accusatur David, quòd præcipitanter, & non examinatâ causâ bona subditi alteri tradiderit. Et quidem Abulensis q. 30. opinatur ad hanc injustitiam eluendam David damnum alio beneficio compensâsse, quamvis Hebræi nonnulli cum Glossa referant, David in Roboam filio Salomonis filij sui propter hoc crimen punitum, diviso nimirùm ejus regno cum Ieroboam ; fingunt enim dùm David diceret : *Tu & Siba dividite possessiones*, audi-tam è cœlo vocem : *Roboam & Ieroboam regnum divident*, quam tamen historiam inter fabulas hebraicas referendam puto, cùm alia causa hujus divisionis lib. 3. c. 11. referatur.

Ejusdem notatur injustitia.

2 Reg. 19. 29.

CONCLUSIO II.

COmmuni & publicâ necessitate urgente licet Regibus, & potestatem in republica gerentibus, occupare, commutare, imò destruere civium bona ad populum & civitates conservandas. Hæc conclusio salvatur communi juris axiomate: Quòd in necessitate bonum publicum sit præferendum privato, & membrum secandum, nè cancer in totum corpus sæviat. Lege etiam naturali, qua ad conservandum universum levia deorsum descendunt, gravia sursum ascendunt. Hoc jure dùm obsidetur civitas, in propinquis agris necessarij accipiuntur ad fortalitia extruenda, quæ etiam postea in conservationem civitatis manent ; pomaria etiam & domus destruuntur in suburbijs ; alia inundantur, &c. Nec licet privato dicere: cur ita facis?

In necessitate licet Regi occupare, destruere bona civium ad urbium &c. conservationem.

CONCLUSIO III.

QVandocunque ager ablatus à privato cive in Regis, communitatis, vel alterius usum & possessionem posteà cedit, vel inde publico vel privato commoditas aliqua est acquisita, tenetur Rex vel communitas, aut privatus, in cujus usum cedit, compensationem justam juxtà rationem commoditatis acquisitæ, et, à quo ager ablatus est, facere. Explico : Ager in obsidione acceptus cessit Regi, aut civitati in fortalitium, in ampliatione loci pro militibus, in fossas civitatis, in fluvium commoditati civitatis deservientem ; in his casibus debetur ex justitia compensatio privato pro agro suo. Ratio est : quia ex agro privati civitas profecit in fortitudine, commoditate, & boni acquisitione, & facta est ditior, & privatus pauperior, undè ex justitia compensatione utendum est, vel ex communi & publico ærario, vel per commutationem seu restitutionem alterius agri, vel commoditatis privato accommodæ, ut sibi nimirùm aliquo modo, quod suum est, reddatur.

Quandò bona privato ablata, cedunt posteà in Regis commodum, &c. compensatio privato fieri debet.

CONCLUSIO IV.

QVando agri & bona ob defensionem reipublicæ, vel ejus securitatem communi plagâ vel ruinâ pereunt, ità ut in nullius utilitatem cedant, habenda sunt pro deperditis, & fortuito eventu pereuntibus, nec tenetur Rex vel respublica ad compensationem. Hoc exemplificatur in inundationibus communibus, quas vel hostes faciunt, vel etiam Rex & status ad defendendam patriam ab hostium irruptione. Item, quandò integra suburbia, vineæ, pomaria antè obsessionem destruuntur. Ratio est, quia nemo ex similibus fit ditior, & alias veri domini cessante vastatione ad pristina redire possunt, per aggeres, qui ab ijs extruuntur, per novam culturam & ædificationem, agris & fundis iterùm ad priores Dominos jure revertentibus.

Quandò ob bonum publicum communi ruinâ pereunt, habenda pro deperditis.

CONCLUSIO V.

LIcet Regibus & potestatem gerentibus delicta & crimina subditorum plectere confiscatione & spoliatione bonorum, illaq; benè meritis tradere, aut de ijs disponere intrà terminos justitiæ naturalis & civilis.

Licet Regi ob delictū bona subditorum confiscare.

Hæc conclusio manifesta est ex legibus pœnalibus justitiæ vindicativæ, qua enim ratione possunt in vitam & personas subditorum animadvertere, possunt multò magis in eorum bona temporalia. Quæ verò sint leges fisci & confiscationum, ex civilibus legibus requirendum est, nec ad materiam nostram pertinet ; solùm enim dicendum est, leges fisci debere esse æquitati & justitiæ accommodas t

Personæ alia ratione gradûs perpetuò Regis obsequio sunt deputata, ut comites &c.

Porrò personæ diversimodè obsequio Regis & publico bono addicuntur: habent enim Reges & Principes suos ministros, quorum aliqui perpetuis eorum obsequijs deputati sunt. 1. Ex ratione graduum & dignitatum, ut sunt comites, marchiones, barones, milites, nobiles, feudatarij, qui ex suo feudo & ipsi, & eorum successores ad Regum obsequia sunt perpetuò obligati. Undè juxta S. Th. l. 3. de regim. Principum c. 21. *Comites vocati sunt à comitando, quia ipsorum officium est Reges & Imperatores sequi in rebus bellicis, vel quacunque re militari, & in alijs quibuscunque gerendis pro totius regni utilitate. Duces, à ducatu populi*, præcipuè in castris & exercitu. *Marchiones à servitute justitiæ*, cui præficiebantur. *Barrones* (ut ait idem S. Doctor) *à Barra* græco, quod latinè *fortis* dicitur, quia in continuis laboribus Regum occupabantur. Aliorum officialium nomina, & interpretationes vide apud eundem c. 22.

S. Thom.

Alia mercede conducta. Alia liberali sua voluntate.

2. Præter illos, qui ex ratione dignitatis vel gradûs perpetuò Regibus obsequuntur, alij sunt, qui mercede conducti deserviunt.

3. Alij, qui ex liberali sua voluntate & affectu se Regum obsequijs offerunt, ad sui honoris cumulum, vel virtutis profectum. Et de his non est quæstio, quia jam Regibus addicti censentur, & velut familiam & aulam Regis constituunt.

Præter has quæ familiam Regis constituunt, alij subditi interdum assumuntur ob necessitatem publicam.

Quæstio igitur est de ijs, qui in necessitate publica Regis vel regni assumuntur, & militiæ vel custodiæ civitatum, vel alijs publicis operibus deservire coguntur, qui cùm nullâ servitutis conditione obligentur, nihilominùs superveniente causâ urgente compelluntur servire, sive per sortes, sive per electionem magistratûs, sive per decimationem personarum, sive per familiarum oblationem, sive per justam Principis designationem.

Dicendum itaque jure naturæ, quo unum membrum pro salute capitis vel corporis exponitur, hujusmodi personas ad conservationem Regis vel regni exponi, non tanquam servituti addictas, sed ut illius corporis, cujus partes sunt, saluti & necessitati servientes. Undè illis de communibus sumptibus tanquam filijs providendum est, nec possunt pro libitu assumi, sed duntaxat urgente publicâ necessitate, ut sæpè repertum est.

Undè peccant pro ratione materiæ mortaliter Reges vel Principes, sive etiam magistratus, qui pro privato commodo absque necessitate vel utilitate publica personas hujusmodi liberas ad operas & labores compellunt, aut præter necessitatem illas multiplicant: nam reverà jus subsidij, etsi respectu publici boni sit gratiosum, respectu tamen personarum, quæ impenduntur, vel etiam subsidiorum, odiosum est, & quantùm fieri potest, restringendum. Et hoc ipsum est, quod implicitè prohibetur Deut. 17. Regi: *Non multiplicabit* (inquit) *sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum*, &c. quia equos multiplicando, equites & ministros inutiles multiplicare debet, undè sumptus publici crescunt. Nec minùs id infert, quod sequitur: *Non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus*, &c. illæ enim uxores non alliciunt animum Regis, nisi ad vana, pedissequas innumeras, & supellectilem ac mundum muliebrem infinitum.

Deut. 17. 16.

Vers. 17.

Habent itaque Reges, quæ Regis sunt, ministeria plurima, de quibus S. Thomas l. 2. de regim. Princip. c. 10. quibus si opes & ærarium non sufficiunt, succurrendum est à populo: quòd si publico bono alia ministeria & operæ publicæ sint necessariæ, ex communibus populi sumptibus providendum est, tam de personis ministrantibus, & necessitati oportunis, quam de earum mercede & alimento.

QUÆSTIO VII.

An Rex habeat potestatem in bona subditorum, ut ea possit alienare, distrahere, vel etiam destruere?

Subditi habent dominium bonorum suorum. Ezech. 45.

SUppono ex antè dictis bona subditorum in regno libero non pertinere ad Regem, aut Principes, sed dominium esse subditorum; quod probavimus clarè ex c. 45. Ezechielis, ubi triplicia bona ab invicem Dei mandato separantur, tanquam possessiones planè disparatæ; nimirùm sanctificata Deo pro Levitis in unam; bona Regis in alteram; bona civium in distinctam partem sequestrata sunt, idque ne Reges in bona civium aut Levitarum involarent, ut etiam sacer textus exponit.

Quibus modis bona illa intelligi possint à Rege alienari, &c.

Porro antè quæstionis resolutionem Advertendum est: Bona subditorum à Regibus diversimode posse alienari, vel distrahi. 1. Per venditionem, impignorationem, permutationem, & hujusmodi contractus pro arbitrio & voluntate libera Principis, aut privato suo commodo, ut si Rex illa donet amicis, vel in suum commodum convertat, ut de vinea Naboth 3. Reg 21 ab Achab factum dicitur. *3. Reg. 21.*

2. Pro communi & publica necessitate; quomodò pro fortificanda civitate accipiuntur agri vicini, pertinentes ad cives. Item, ad defensionem patriæ contingit plurimorum agros etiam in perpetuum inundari, Item ad fluvios pro commoditate vel necessitate patriæ effodiendos, multorum arva pereunt, &c.

3. Contingit agros & bona à proprijs dominis abstrahi in pœnam delicti ex legum præscriptione, ut fit in confiscationibus bonorum ob crimina legibus expressa. His sic prænotatis, sit:

CONCLUSIO I.

Rex pro libitu nequit illa usurpare.

N*On possunt Reges suâ liberâ voluntate, seu privato suo, aut alterius commodo, de bonis subditorum contrà eorum voluntatem disponere; & si faciunt, furtum & rapinam committunt, & obligantur ad restitutionem.* Hanc conclusionem probat historia Achab 3. Reg. 21 qui vineam Naboth, ipso nolente eam vendere, & propterea lapidato, sibi usurpavit; undè & statim ab Elia ei in vindictam horrendi eventus sunt prædicti, ut quòd sanguinem Achab canes lingerent in eodem loco, ubi linxerunt sanguinem Naboth, & alia. Vide locum.

Patet ex historia Achab 3. Reg. 21.

Et quidem nec Rex Achab, quantumvis impius, putavit sibi licere occupare vineam illam

illam Naboth non dato pretio, nam & obtulerat pretium: *Dabo tibi* (inquit) *pro ea vineam* Vers. 2.
meliorem, aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. Nec credidit se posse auctoritate regia illum ad hoc compellere, cùm mœrore conficeretur ob negatam emptionem: Unde & illum irridet Iezabel uxor ejus vaferrima: *Grandis* (inquit) *auctoritatis es, & benè regis* Vers. 7.
regnum Israel. Imò nec ipsa Jezabel hanc auctoritatem, quam exprobrat Regi, sufficere putat, recurrit itaque impijssime ad justitiæ velamen impijssimum, & falsò accusato Naboth & condemnato ac lapidato, jure ementito confiscationis in vineam involavit, pœnas luitura pro crimine falsi, & homicidio ac raptu.

David Regis justitia commendatur.

Et hæc fuit semper in conscientia Regum lex inscripta: non licere aliena sibi civium bona usurpare. Attende ad scrupulum David 1. Par. 21. qui volens altare erigere ad aream Ornan Iebusæi, ad quam Angelus percutiens apparebat, ut pro salute populi sacrificium offerretur, etsi publica causa & necessitas subesset, noluit aream illam gratis offerente etiam Ornan, accipere: sed (inquit) *Da mihi locum areæ tuæ, ut ædificem in ea altare Domino; ità ut quantum valet* 1 Par. 21. 22.
argenti, accipias, & cesset plaga à populo. Quo pretium recusante, & gratis aream offerente, subintulit David: *Nequaquam* (ait) *ità fiet, sed argentum dabo quantum valet.* Et addens causam scrupuli: *Neque enim tibi* (ait) *auferre debeo,* &c. Insigne sanè speculum cuilibet in potestate constituto, ut sciat sibi non licere nec directè, nec indirectè subditorum bona invadere. Vers. 24.

Ejusdem notatur injustitia.

Sane ob transgressionem hujus obligationis communiter interpretes, inter quos Abulensis & Cajetanus, David injustitiæ & injuriæ incusant, quòd bonorum Miphiboseth medietatem quasi jure regio confiscationis assignaverit Sibæ ejus famulo 2. Reg. 19. *Tu* (inquit) *& Siba dividite possessiones*: quamvis enim certum sit Sibam decepisse David, & falsò accusâsse Miphiboseth, nihilominus accusatur David, quòd præcipitanter, & non examinatâ causâ bona subditi alteri tradiderit. Et quidem Abulensis q. 30. opinatur ad hanc injustitiam eluendam David damnum alio beneficio compensâsse, quamvis Hebræi nonnulli cum Glossa referant, David in Roboam filio Salomonis filij sui propter hoc crimen punitum, diviso nimirum ejus regno cum Ieroboam; fingunt enim dùm David diceret: *Tu & Siba dividite possessiones*, auditam è cœlo vocem: *Roboam & Ieroboam regnum divident*, quam tamen historiam inter fabulas hebraicas referendam puto, cùm alia causa hujus divisionis lib. 3. c. 11. referatur. 2 Reg. 19. 29.

CONCLUSIO II.

In necessitate licet Regi occupare, destruere bona civium ad urbium &c. conservationem.

Communi & publicâ necessitate urgente licet Regibus, & potestatem in republica gerentibus, occupare, commutare, imò destruere civium bona ad populum & civitates conservandas. Hæc conclusio salvatur communi juris axiomate: Quòd in necessitate bonum publicum sit præferendum privato, & membrum secandum, nè cancer in totum corpus sæviat. Lege etiam naturali, qua ad conservandum universum levia deorsum descendunt, gravia sursum ascendunt. Hoc jure dùm obsidetur civitas, in propinquis agris necessarij accipiuntur ad fortalitia extruenda, quæ etiam posteà in conservationem civitatis manent; pomaria etiam & domus destruuntur in suburbijs; alia inundantur, &c. Nec licet privato dicere: cur ita facis?

CONCLUSIO III.

Quando bona privato ablata, cedunt posteà in Regis commodum, &c. compensatio privato fieri debet.

Quandocunque ager ablatus à privato cive in Regis, communitatis, vel alterius usum & possessionem posteà cedit, vel inde publico vel privato commoditas aliqua est acquisita, tenetur Rex vel communitas, aut privatus, in cujus usum cedit, compensationem justam juxtà rationem commoditatis acquisitæ, ei, à quo ager ablatus est, facere. Explico: Ager in obsidione acceptus cessit Regi, aut civitati in fortalitium, in ampliatione loci pro militibus, in fossas civitatis, in fluvium commoditati civitatis deservientem; in his casibus debetur ex justitia compensatio privato pro agro suo. Ratio est: quia ex agro privati civitas profecit in fortitudine, commoditate, & boni acquisitione, & facta est ditior, & privatus pauperior, undè ex justitia compensatione utendum est, vel ex communi & publico ærario, vel per commutationem seu restitutionem alterius agri, vel commoditatis privato accommodæ, ut sibi nimirùm aliquo modo, quod suum est, reddatur.

CONCLUSIO IV.

Quandò ob bonum publicum communia ruinâ pereunt, habenda pro deperditis.

Quando agri & bona ob defensionem reipublicæ, vel ejus securitatem communi plagâ vel ruinâ pereunt, ità ut in nullius utilitatem cedant, habenda sunt pro deperditis, & fortuito eventu pereuntibus, nec tenetur Rex vel respublica ad compensationem. Hoc exemplificatur in inundationibus communibus, quas vel hostes faciunt, vel etiam Rex & status ad defendendam patriam ab hostium irruptione. Item, quandò integra suburbia, vineæ, pomaria antè obsessionem destruuntur. Ratio est, quia nemo ex similibus fit ditior, & alias veri domini cessante vastatione ad pristina redire possunt, per aggeres, qui ab ijs extruuntur, per novam culturam & ædificationem, agris & fundis iterùm ad priores Dominos jure revertentibus.

CONCLUSIO V.

Licet Regi ob delicta bona subditorum confiscare.

Licet Regibus & potestatem gerentibus delicta & crimina subditorum plectere confiscatione & spoliatione bonorum, illaq; benè meritis tradere, aut de ijs disponere intrà terminos justitiæ naturalis & civilis.

Hæc conclusio manifesta est ex legibus pœnalibus justitiæ vindicativæ, qua enim ratione possunt in vitam & personas subditorum animadvertere, possunt multò magis in eorum bona temporalia. Quæ verò sint leges fisci & confiscationum, ex civilibus legibus requirendum est, nec ad materiam nostram pertinet; solùm enim dicendum est, leges fisci debere esse æquitati & justitiæ accommodas &

fiscum autem non posse in se accipere alicujus bona, nisi datâ & declaratâ sententiâ.

PECCATA.

Imponentes rusticis angarias sine necessitate. Peccant igitur 1. Abutentes jure subsidij in personis, qui extrà casum necessitatis regiæ vel communitatis personis angarias, & parangarias, vulgò *Crauvveyen* imponunt, rusticos & agricolas his fatigant; ad operas non necessarias cogunt, &c. & tenentur illis ad restitutionem damni injustè illati, vel ad laboris impensi mercedem. *Nota.* In quam culpam sæpiùs incidere reperiuntur officiarij tempore belli, vel alio, qui sub prætextu militiæ varias angarias, & parangarias imponunt nonnullis, eos gravantes, ut ab alijs in redemptionem pecunias sibi extorqueant. Huc referuntur inutiles excubiæ civibus impositæ, hospitia militum, & alia id genus; de quibus lariùs, dùm de militia nobis agendum erit.

Vastantes agros, domos, &c. Peccant 2. mortaliter ministri regij, qui sine gravi publica necessitate agros civium occupant, illos devastant, domos destruunt. Et non minùs peccant, & ad restitutionem tenentur, qui se destructuros minantur, ut cives ea redimant, & præstationes aliquas eis faciant.

Cogentes pauperes ea vendere. *3.Reg. 21.* Peccant 3. gravissimè, qui sub prætextu regiæ necessitatis vel utilitatis, cogunt pauperes domos, agros, & exiguam suam hæreditatem vendere, exemplo pessimi Achab postulantis vineam Naboth pro horto olerum sibi complanando. Alias similes injustitias ex hac doctrina metire, non enim possumus singula exemplificare.

COROLLARIUM

Pro concordia opinionum de jure Regum à Samuele 1. Reg. 8. promulgatum.

Quæstio, ne Samuel exaggeraverit jus Regis. Ex dictis duæ illæ solemnes opiniones q. 1. relatæ de jure Regum à Samuele 1. Reg 8. declarato concordari possunt, nimirùm, in dicto capite jura Regum in suis, & publicis necessitatibus, sive utilitatibus regni declarata fuisse populo, quæ quidem ratione necessitatis, vel magnæ utilitatis justa sunt & justificata: ex pia autem industria exaggeravit illa Samuel, ut populum à petendo Rege deterreret, eò quòd illa ipsa absque vero titulo necessitatis, vel publicæ utilitatis sæpiùs à Regibus, sive eorum ministris, tyrannicè & injustè usurpentur; in quo casu juxtà aliam sententiam non sunt jura, sed meræ injustitiæ & tyrannicæ usurpationes.

Explicantur loca 1. Reg. 8. 11. Hæc verò explicatio summariè sic proponi potest: *Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietque sibi equites & præcursores quadrigarum* *Vers. 12.* *suarum, & constituet sibi tribunos & centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, &* *Vers. 13.* *fabros armorum & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi unguentarias, & focarias, & panificas*, &c. Hæc porrò tripliciter fieri possunt. 1. Ex mera liberali voluntate filiorum & filiarum, qui etiam illa honoris gratiâ ambiunt, ut serviant Regi, expectantes vel laudem, vel mercedem ab illo. Undè de Salomone 3. Reg. 9. dicitur: *De filijs autem Israel non constituit Salomon servire quemquam, sed erant viri bellatores, & ministri ejus, & principes, & duces, & præfecti curruum & equorum*, &c. *3.Reg.9. 22.* Utique elevati ad ista non tanquàm ad onera servilia, sed officia regiæ potestatis & magnificentiæ.

2. Illis uti potest Rex, ex justa conductione, & libero contractu ad stipendium justum; & hoc iterùm nullam injustitiam continet, estque liberum Regi pro sua familia, equis, agris, tot servos pretio conducere, quot vult, & se offerunt. 3. Urgente necessitate suâ vel publicâ, contingit Regem cogere subditos ad supradicta officia, munia & onera, & populum urgere, ut sibi ex civibus, & filijs civium idoneos viros ad hujusmodi subministret. In his sanè tribus nulla injustitia vel injuria fingi potest, cùm in duobus primis concurrat voluntas libera subditorum, volenti autem injuria non fiat: in tertio Rex jure subsidiorum necessariorum possit cogere populum, ut sibi necessarias personas subministret, vel ipsemet violenter accipere, si negentur.

Tota itaque injustitia in hoc textu fingi potest: si Rex pro sua libidine, cupiditate, affectu, vel odio absque contractu stipendiario, vel voluntaria oblatione, absque necessitate vel utilitate communis boni cogat aliquos sibi in præfatis ministrare, & servire, separans filios filiasque à parentibus ac eorū consolatione & obsequio. Item maritos ab uxoribus, uxores à viris, servos etiam & ancillas obligatas ab heris suis: sed hoc non fuit à Regibus bonis & justis usurpatum, sed sine dubio, etsi haberent familiam multam nimis, justè sibi ministros adlegerunt. Vide 1. Paral. c. 27. ubi recensentur *1.Paral. 27.* honorificè omnes officiarij & ministri David usque ad eos, qui operi rustico & agricolis, qui exercebant terram, vinearumque cultoribus, cellis vinarijs, olivetis, ficetis, apothecis olei, bobus, ovibus præerant, stipendiariâ utique & voluntariâ conventione.

Majus dubium esse posset de sequenti jure: *Agros quoque vestros & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis*, &c. *1.Reg. 8. 14.* quod verè injuriam & injustitiam continet, nisi juxtà dicta superiùs hac quæst. explicetur: non enim jus ullum Regi competit in bona, nisi in casu, ut diximus, publicæ necessitatis, vel in pœnam delicti in casu confiscationis, & in his saltem duobus casibus jus regium aliquid potest, quod autem ampliùs est, injuriosum est, nisi fortè subintelligatur aliquis contractus vel emptio, quibus sibi Rex bona danda servis suis acquireret; hoc tamen vix fit absque gravamine civium, qui sæpè ob reverentiam regiam inviti consentiunt.

Quod sequitur de segetum & vinearum & ovium addecimatione, hoc justificari potest jure subsidij gabellarum & vectigalium, sive tributorum, de quibus suprà. Similiter quod de servis & ancillis subjungitur, recurrit ad primum punctum in hoc corollario justificatum.

TITVLVS VII.

De obligatione correlativa fidelitatis, quâ Reges & potestates civiles tenentur subditis, & subditi illis.

QUÆSTIO I.

Ad quam fidelitatem Rex, sive potestas civilis teneatur erga subditos?

CONCLUSIO.

Reges, &c. ad 3 obsequia sua officia tenentur subditis.

R*Eges & potestates civiles ad tria fidelitatis obsequia tenentur subditis suis, nimirùm: ad eorum conservationem; ad eorum regimen; ad eorum defensionem & mali propulsationem.* Hæc designantur triplici officio Regio, nimirùm: pascere providentiâ necessariorum, regere sapientiâ, defendere potentiâ.

A 1. officio vocantur pastores, patres, &c. Plato.

A primo officio antiquitùs nonnunquam vocati sunt *pastores*, ut in superioribus docuimus ex Scripturis: nonnunquam *patres-familias*, ut à Platone lib. 16. de regno: nonnunquam *patres*, quia sicut pastores suo gregi, patres-familias suæ familiæ & domui, patres suis filiis providere tenentur de omnibus necessariis & commodis, ita Reges & Magistratus, sive potestatem civilem gerentes suis subditis. Unde est illud Agesilai Lacedæmonum Regis, qui rogatus, qualiter Rex feliciter regere posset? respondit: *Si suis populis ita imperet, ut parentes filiis.* Conformiter Philo Judæus lib. de creatione Principis circa medium: *Principes* (ait) *publici parentes sunt civitatum & gentium, quotquot boni sunt, nec cedunt pietati naturalium.*

Agesilaus Lacedamonum Rex. Philo Iud.

A 2. Reges.

A 2. officio dicuntur *Reges*, quia populum sapientiâ dirigunt in omnibus justis & honestis: unde est illud Biæ Sapientis ad Prieneios: *Nemo* (ait) *Prienensium Gubernator legitur, nisi præclarè sit Græcis litteris eruditus: nulla enim major pestis est reipublicæ, quàm sapientiâ, prudentiâq; Gubernatorem destitui.* Quod & Salomon Sapientiæ 6 indicat omnibus Præfectis: *Diligite lumen sapientiæ, omnes qui præestis populis.* Et ipsâ Sapientiâ loquente: *Ad vos ergo Reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint justa, justè justificabuntur; & qui didicerint ista, invenient quid respondeant.*

Bias. Sap. 6. 23 v. 10. Vers. 11.

A 3. Principes & Duces.

A 3. officio vocantur *Principes & Duces*, qui suâ fortitudine populum ab injuriis & hostibus defendant: unde est illud Israëlitarum ad Samuelem 1. Reg 8 *Rex* (inquiunt) *erit super nos, & erimus nos quoque sicut omnes gentes: & judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Sed de his omnibus sigillatim tractabimus sequentibus.

1. Reg. 8. 20.

QUÆSTIO II.

Ad quam fidelitatem teneantur subditi erga Regem, & potestates civiles?

CONCLUSIO.

S*Vbditi tria tenentur ex fidelitate Regi sive potestati civili præstare, nimirùm: Obedientiam, reverentiam, obsequium.*

Subditi tenentur ad obedientiam, reverentiam & obsequium.

Obedientiam quidem in omnibus, quæ limitibus legum civilium & politiæ comprehenduntur. Qualiter autem teneantur subditi legibus, & quousque potestas Regum & Magistratuum protendatur, latissimè docuimus tomo 2. tract. 1. tit. 3. q. 2 §. 3. tit. 4. q. 2 & in appendice; tit. 5. q. 2. §. 3. & in doctrina notabili; & tit. 9. per totum: ubi & peccata contra obedientiam enumerantur

Reverentia consistit in honore debito Regi sive Magistratum gerentibus impendendo, juxta illud: Pet. 2. *Subjecti estote, &c. sive Regi, quasi præcellenti; sive Ducibus, tamquam ab eo missis, &c.* Et iterùm: *Deum timete; Regem honorificate, &c.* Ad Rom 13. *Cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*: in hoc autem consistit reverentia Rectoribus debita, 1. ut agnoscatur in eis quædam præcellentia gradûs, & potestas gubernandi, ob quam suspici debent, & eis honor & observantia quædam exhiberi: Est enim definiente S. Thomâ 2. 2. quæst. 80. art. unico, observantia, per quam homines aliquâ dignitate antecedentes cultu quodam & honore dignantur, qui honor juxta eumdem q. 81. art. 4. diversis excellentiis diversus debetur; alius patri, alius Regi, &c. 2. præter honorem reverentia importat quemdam timorem filialem vel reverentialem ratione eminentis potestatis: *Non enim* (inquit Apostolus) *sine causa gladium portat.* 3. Reverentia complectitur *subjectionem* juxta illud ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à Deo, &c. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

1. Pet 3. 13 14. Vers. 17. Rom. 13 7 *Reverentia in quo consistat.* S. Thom. Rom. 13. 4 Vers. 1. Vers. 5.

PECCATA

Contra reverentiam.

Sunt detractiones, maledictiones, &c.

POrrò peccata, quæ contra reverentiam Magistratibus debitam committuntur, sunt: detractiones, maledictiones, & contemptus sive vilipensiones, quæ à subditis fiunt, & gravissima crimina sunt, non tantùm ob aversiones animorum, quæ contra Principes per similia concipiuntur, quæ non rarò proditiones, seditiones, & infidelitates causant; sed per se & formaliter præceptis Dei contradicunt: unde est illud Exodi, c. 22. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices*: ubi per *Deos* Reges & Principes intelliguntur: *per Principem populi*, Optimates, qui populo præsunt: & Eccle. 10. *In cogitatione tua Reg. ne detrahas, & in secreto cubiculi*

Exod. 22. 28. Eccle. 10. 20.

biculi tui ne maledixeris diviti; quia & aves cœli portabunt vocem tuam, & qui habet pennas, annuntiabit sententiam. Legenda est vindicta gravis Num. 12. quam exercuit Deus contra Mariam sororem Moysi, quæ candens leprâ apparuit, quia murmuraverat contra Moysen, ubi & Aaron simul reprehenditur: *Quare non timuistis detrahere servo meo Moysi? &c.* (Num. 12. 9) sed & populus sæpiùs ob murmurationes contra Moysen percussus est. Venenum sanè pessimum in republica lingua detrahens & maledicens Magistratibus; & Confessariis incumbit benè peccata ista examinare & ponderare; sunt enim ex illis quæ consequentias magnas trahunt, & quibus difficile est mederi.

Restabat dicere de obsequio Regibus & Magistratibus debito, sed sufficienter dictum est cùm egimus de subsidiis Regibus & Magistratibus debitis: sub subsidiis enim obsequia comprehenduntur.

TRACTATUS TERTIUS.

De primo Regum & potestatis civilis officio, quod est: Pascere populum providentiâ; *ac personis ei subordinatis, sive officio illi deservientibus.*

QUÆSTIO SUMMARIA.

Quæ contineantur sub verbo pascere, *quod est officium primum potestatis civilis?*

Hic repetenda sunt, quæ à nobis dicta sunt de officio veri pastoris, cùm ageremus de Episcopis p. 1. tract. 8. per totum; quæ enim de spirituali regimine, & pastorali cura animarum ibi sunt dicta, quâdam proportione hîc applicari debent ad regimen temporale Regum & Magistratuum, qualis enim cura Episcopis & animarum pastoribus incumbit circa animas; talis proportionatè incumbit Regibus & Magistratibus in cura temporali circa populum sibi commissum.

CONCLUSIO I.

Pascere in officio Regum, &c. quid dicat.

Pascere in Regum & Magistratûs civilis officio, dicit omnem curam & sollicitudinem, quam potestati civili incumbit per personas idoneas adhibere, ad providendum ut populo obveniant, quæ ad conservationem vitæ humanæ communiter necessaria sunt. Hoc deducitur ex primo officio pastoris, cujus est de pascuis ovili, & necessariis ad vitam ovium conservandam providere.

CONCLUSIO II.

Ad illud spectat, ut populo alimenta, vestimenta, medicamenta & habitatio non desint.

Quatuor potissimùm complectitur verbum pascere, *ut potestatis civilis officium spectat, nimirùm, congruis mediis & modis opportunè providere, ut populo alimenta, vestimenta, medicamenta, & congrua habitatio non desint, sed populo ad sufficientiam obveniant.*

Ratio est: quia sine his non potest vita humana sustentari, & consequenter nec societas aut hominum congregatio. Unde S. Basilius in Regulis q. 55. (S. Basilius.) *Vniuscujuslibet (ait) artis suffragium in hoc nobis à Deo est indultum, ut nostræ occurramus infirmitati: ceu sunt agricultura, quòd quæ suâ sponte è terra gignuntur ad sublevandas victûs necessitates satis non erant: texendi ars, quòd indumentis necessariò vita hominum indigebat, cùm ad honestatem tenendam, tum ad cæli incommoda depellenda: similiterque ædificandi disciplina, quòd sine ea haud facilè stare vita hominum potuisset. Item eadem quoque in medicina ratio est, cùm enim corpus nostrum morbidum noxiis variis expositum sit, &c. Medicina nobis ars à totius vitæ nostræ moderatore Deo concessa est.* Hæc Basilius. Et quidem in alimentorum provisione, quod primum est, enituit Pharaonis, ex consilio Joseph Patriarchæ, insignis providentia, qui quintam partem fructuum septem totis annis fertilitatis reservans, immensam congeriem fecit victualium, quæ septem annis sterilitatis præbuerunt populo terræ annonam aliisque provinciis fame consumptis. Genes. 41.

Providentia Pharaonisque ad alimentum. Gen. 41.

TITVLVS I.

De personis alimento deservientibus.

Alimento quæ personæ deserviant.

De alimento populi providetur per subsequentes reipublicæ subministros, nimirùm: *Agricolas pastores, Armentarios, venatores, &c.* quibus demùm subserviunt, *molitores, pistores, laniones, macellarii, caupones, vinitores, braxatores, &c.* Horum sufficientia simul & necessitas explicatur ex iis, quibus vescuntur homines: vel enim vescuntur fructibus ex terra nascentibus, ut frumento ad panem, herbis, fructibus arborum, &c. & ad hoc requiruntur agricolæ, qui colant terram; sub agricolis enim omnes, qui circa plantas operam suam exhibent, comprehenduntur; vel vescuntur carnibus animalium, & ad hoc requiruntur pastores & armentarii, venatores, sub quibus comprehendo piscatores, & qui similibus vacant. Rursùm ut frumentum ad panem aptetur requiruntur molitores & pistores: Iterùm ut carnes

Horum sufficientia & necessitas.

tarius animalium comestioni & digestioni deserviant, variè aptandæ sint, ad quod requiruntur laniones, macellarii, coci, caupones, &c. Tandem cum solo cibo non vivat homo absque ejus vehiculo & ministerio potûs: potui deserviunt vinitores & braxatores sive cerevisiarii, quibus alii junguntur, qui siceram, hydromel, aut alios potus conficiunt. De quibus pono sequentes paragraphos.

§. 1.

De Agricolis, & agricultura.

TRia de agricolis dicenda hic occurrunt 1. de eorum necessitate, 2. de eorum utilitate, & bonis ex illis provenientibus, 3. de agricolarum obligatione. Tandem subjiciemus peccatorum summulam.

Agricultura ante lapsum hominis data est ad recreationē & exercitium.

Primò itaque necessitatem agriculturæ demonstrat ejus ab initio naturæ humanæ creatæ institutio: si enim statum innocentiæ perpendamus, illam, quamvis non laboriosam, sed jucunditate & recreatione plenam, pro particulari exercitio homini dederat Deus Genes. 2. *Plantaverat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formaverat.* Ad quid? subdit infrà: *ut operaretur, & custodiret illum,* operaretur, inquam, gratioso, jucundo & recreatione pleno exercitio circa plantas, fruteta, segetes, arbores. Cur enim & homo, cui tradita erat omnis herba afferens semen super terram, & universa ligna, quæ habent in semetipsis sementem generis sui, ut essent illi in escam, (Gen. 1.) non vixisset tritico, & suam operam circa triticum recreationis gratiâ non impendisset, sicut circa herbas alias & arbores? Et hinc concipio innatam ab initiu pro libertate humana inclinationem in agriculturam, quam in statu innocentiæ exercuisset, juxta illud: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam.* Quid enim est subjicere terram, nisi eam ad subjectionem operis & fructuum sub se habere? quâ inclinatione Patriarchæ agriculturam exercuerunt; Reges cum delectatione terram coluerunt, & eis in delitiis fuisse hortos & plantas in Scripturis passim legitur. Hoc restatur de seipso Salomon Eccle. 2. *Magnificavi (inquit) opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos, & pomaria, & conservi ea cuncti generis arboribus, & exstruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem silvam lignorum germinantium, &c.* Tanta fuit æstimatio agriculturæ etiam apud Reges ipsos. Exempla & historiæ Romanorum obviæ sunt apud auctores, ubi Reges primi eorum agriculturam exercuisse, & præcipui eorum dictatores ab agricultura ad militiam transiisse, & à militia ad agriculturam rediisse describuntur.

Gen 2. 8.

Vers. 15.

Gen. 1. 28.

Eccle. 2. 4. & seqq.

Post lapsum necessaria & laboriosa.

Porrò, quæ in statu innocentiæ ad recreationem hominis data erat: post peccatum facta est generi humano ad conservandam vitam necessaria, ac laboribus & sudoribus plena. Unde Gen. 3. Deus ad Adam: *Maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultûs tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es, &c.* In quibus verbis & necessitatem agriculturæ ad vitam sustentandam ostendit, & in pœnam peccati agriculturam, quæ in statu innocentiæ absque labore fuisset, in ærumnis, laboribus, & sudoribus exercendam indicat. Et hinc statim ab Adamo ad hominis sustentationem agricultura cœpit exerceri, & Cain, Adami primogenitus, agricola Gen. 4. fuisse describitur: & c. 9 cœpit Noë vir agricola exercere terram, & plantare vineam: & de Aser Gen. 49. à studio agriculturæ dicitur: *Aser, pinguis panis ejus, & præbebit delitias Regibus:* & Zachariæ 13. Propheta quidam se à prophetando excusat, *Non sum (ait) Propheta, homo agricola ego sum: quoniam Adam exemplum meum ab adolescentia mea:* q.d. securus sum exemplum primi parentis Adam, qui ab origine mundi agriculturam, tanquam homini necessariam, exercendam reliquit. Monet quidem Ecclesiastes c. 11. *Mane (inquit) semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua; quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud; & si utrumque simul, melius erit.* Et ad diligentiam circa hoc exhortatur Sapiens variis locis: Proverb. 24. *Præpara (inquit) foris opus tuum, & diligenter exerce agrum tuum, &c.* Et referens quæ vidit in agro hominis pigri, præmonet unumquemque de iis, quæ negligenti succedunt: *Parùm (ait) dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut quiescas: & veniet tibi quasi cursor egestas, & mendicitas quasi vir armatus.* Unde & Eccli. 7. *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo:* quia, ut addit, c. 20. *qui operatur terram suam, inaltabit acervum frugum, &c.* Sed de his satis pro proposito nostro, quia frustrà in probatione necessitatis insistitur, cùm vita ipsa illam satis testetur. Compertum est quidem apud Antiquos, qui æqui rerum æstimatores necessitatem agriculturæ tanti existimarunt, ut in bellis etiam ferocissimis crederent parcendum agricolis utrimque, illosque fovendos tamquam liberos & neutrales, ne depopularetur terra, & defectu panis exercitus extinguerentur. Ita suadebat Cyrus apud Xenophontem l. 5. Cyropæd, rationibus probans utrisque exercitibus sibi invicem adversantibus utile esse, liberam arandi licentiam agricolis impertiri. *Etenim (inquit) qui superior existet is demum fructus percipiet; victus autem nullo indè damno afficietur, quin potiùs ob præsentem rerum copiam, mitiorem victoris animum continget experiri:* quo consilio, & Cyro auctore, cum Babyloniis fœdera percussa sunt: Ut nimirùm, operantibus utrimque pax esset, armatis verò bellum. In quam sententiam etiam ivisse videtur, qui 4. Reg. 24. translato omni populo in Babylonem ne depopularentur agri, de *pauperibus populi terræ,* reliquit vinitores & agricolas.

Gen. 3. 17. & seqq.

Gen. 4.

Gen. 9. 20.

Gen. 49. 20.

Zach. 13. 5.

Eccle. 11. 6.

Prov. 24. 27.

Vers. 33.

Vers. 34.

Eccli. 7. 16.

c. 20. 30.

Quam necessariam æstimarint Antiqui.

Cyrus apud Xenophon.

Quam

Quam ferè praxim iniisse Philistæos cum Hebræis victis interpretes volunt, exponentes c. 13. 1. Regum ad versus sequentes: *Porrò faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel: caverant enim Philistym, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israel ad Philistym, ut exacueret unusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum.* Dicunt itaque expositores, quòd Hebræis devictis, & velut in servitutem redactis, Philistæi reliquerint liberam agriculturam, eò quòd esset Philistæis utilis & necessaria, quia ex illis accipiebant tributa, & necessariam annonam; ne autem occasione fabrorum ferrariorum, qui ad instrumenta agriculturæ necessaria requiruntur, Hebræi sibi arma pararent, Philistæi illis abstulerunt omnes fabros ferrarios, & coëgerunt Hebræos, ut pro vomeribus, ligonibus & aliis ad agriculturam necessariis sive conficiendis, sive exacuendis, descenderent ad Philistæos, ibique sibi fieri, aut acui procurarent: unde veniente ad regnum Saule, in Israele omnes ferè repetit agricolas, nullum autem militem, quia armis carebant: cùm enim (inquit Scriptura) *venisset dies prælii, non est inventus ensis & lancea in manu totius populi qui erat cum Saule & Ionatha, excepto Saul & Ionatha filio ejus.*

1. Reg. 13. 19 & seqq. — *Vers. 22.*

Agricultura utilis & honesta. Secundò: Si agricultura tam necessaria vitæ humanæ agnoscatur, non minùs utilis aut honesta reputanda est. Et quidem 1. innocentissimam vitam profitetur, teste enim sancto Augustino Hæres. 46. *Omnium artium est innocentissima*; agricultura enim ex se nulli vitio exposita est, quippe cujus tota est circa terram, fruges, arbores occupatio: Quis enim (ait quidam) in agro laborans aliena usurpat, quis dejerat, quis blasphemat, quis superbit, quis irascitur aut invidet, &c. quippe qui totus in hoc est, ut sibi & aliis fructificet: unde 2. agricultura est communis boni comes, & charitatis ministra: 3. agricultura est otii inimica, laboris & fortitudinis parens, sobrietatis comes, pacis amans, vitiorum nescia. Unde Cicero l. 1. de officiis circa finem: *Omnium* (inquit) *rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est agricultura meliùs, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.*

S. August. — *Nulli vitio ex se exposita.* — *Cicero.*

Eleganter & mysticè de agricola Ecclesiasticus c. 7. *Honora Deum ex tota anima tua, &c. & purgate cum brachiis. Da illis partem, sicut mandatum est tibi, primitiarum & purgationis; & de negligentia tua purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum & sacrificium sanctificationis offeres Domino, & initia Sanctorum: & pauperi porrige manum tuam, ut perficiatur propitiatio & benedictio tua.* In quibus verbis, juxta Lyranum nostrum & Hugonem Cardinalem, designantur utilitates agriculturæ benè gestæ sub symbolo brachiorum, sive dari brachiorum, utique quia agricultura brachiis maximè & lacertorum labore exercetur.

Eccli. 7. 33 & seqq.

Triplex ejus utilitas. Triplicem porrò utilitatem illius ponit: 1. est respectu Dei & Religionis sive Sacerdotum, qui ex agricultura accipiunt sustentationem per decimas & primitias, quæ ab agricolis Deo offerri debent, unde dicitur: *Honora Deum ex tota anima tua, & purga te cum brachiis*; quod aliis terminis exprimitur Prov. 3. *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei: & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Itaque sive primitiæ, sive decimæ, vel quidquid Deo offerebatur ex agricultura, vel armentis, quæ agriculturam consequuntur, vocatur apte *Datum brachiorum* eâdem phrasi quâ Deut. 12. dicitur: *Offeretis, &c. decimas & primitias manuum vestrarum*, quæ triplicem benedictionem offerentibus impertiuntur, nimirum, sanctificationem, purgationem à delictis & negligentiis, & remunerationem magnam à Domino, ideoque tripliciter fiebant Deo. 1. in sacrificium & oblationem, 2. in sustentationem Sacerdotum, 3. in alimentum pauperum per eleemosynæ largitionem: Et de his tribus mentio fit in citata Scriptura, nimirùm de primitiis, quæ offerebantur Deo, & vocantur *initia Sanctorum*, deinde de Decimis, quæ sustentationi Sacerdotum applicabantur; tandem singulis trienniis pars bonorum agriculturæ separabatur, & distribuebatur in pauperes, pupillos, & viduas. Vide etiam Num. 18. & Deut. 14. sub finem.

Prov. 3. 9 — *Deut. 12. 6*

Tertiò: Nec obligationibus suis agricolæ carent; cùm enim juxta Aristotelem lib. 1. Oecon. c. 2. Agricultura sit maximè naturalis & justa, suas quoque leges habet tam naturales quàm divinas humanasque: quas ne sæpiùs idem cogar repetere cum peccatis simul repono.

LEGES

Et peccata Agricolarum.

UT leges & peccata agricolarum adversus eas plenius intelligantur, Notandum est non omnes agricolas ejusdem esse juris, & consequenter nec obligationis. Nos itaque triplicis generis agricolas hic distinguimus, etsi alii variis conditionibus illos multiplicent: Alii enim propria colunt rura, vel per se, vel servorum suorum operâ utentes: alii colunt rura aliena, locatione tamen vel emphyteusi ad tempus facta sua sub certo reditu vel pensione: alii colunt rura merè aliena, qui in duplici etiam differentia sunt: Alii enim tantùm operas suas mercede ex conventione factâ elocant, ut illi qui in patris familias vinea Matth. 20. conventione denarii laborabant; alii acceptâ parte fructuum in se & pro sua utilitate, proprietate agrorum in potestate dominorum remanente, alteram fructuum partem in utilitatem domini, ejusque proprietatem reddunt: unde & partiarii passim dicuntur.

Agricolarum triplex species. — *Alii locatarii vel emphyteutæ.* — *Alii mercenarii vel partiarii.* — *Matt. 20.*

Quæ inter eos distinctio. Hæc autem inter omnes illos est distinctio, quòd agricolæ qui simul agrorum domini sunt, liberam habeant de suis agris dispositionem, sive

sive ut colantur, sive ut à cultura cessent, sive ut hoc vel illo semine seminentur, sive ut his vel aliis modis excolantur; Agricolæ verò locatarii teneantur legibus locationis, sive de quibus in locatione conventum est: Et eodem modo partiarii tenentur conditionibus sive legibus, quibus cum domino proprio convenerunt: qui autem solùm operas suas mercede locant, ab arbitrio domini principalis in omnibus pendent.

Leges igitur agricolarum, sive proprietarii domini sint; sive locatarii & emphiteutici, sive partiarii, hæ sunt.

Quomodo peccent circa agros alienos.

Naturales quidem ut ab alienis agris, qui ad eos nullo modo pertinent, abstineant; circa quod dupliciter peccare solent, 1. Si ex agris ad se pro tempore non pertinentibus fructus accipiant. 2. Si ut plus terræ occupent, terminos agrorum suorum excedant, & in alienos agros transferant. De his Job 24. *Alii* (inquit) *terminos transtulerunt, diripuerunt greges, & paverunt eos*, Infra: *Agrum non suum demetunt; & vineam ejus, quem vi oppresserint, vindemiant*: Et tales peccant mortaliter, & ad restitutionem tenentur. 3. Huc etiam pertinet, si permittant animalia sua in alienis agris pascere, Exodi 22. *Si læserit quispiam agrum vel vineam: & dimiserit jumentum suum ut depascatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro suo, vel in vinea, pro damni æstimatione restituet.* Item si sua incuriâ alienis agris damna inferunt, ut ibidem explicatur de eo, cujus negligentia ignis in colendo agro in spinas injectus in alienum agrū incurrit, segetes stantes vel acervum frugum comburendo.

Iob 24. 2.

Vers. 6.

Exod. 22. 5

Quomodo locatarii.

Contra justitiam naturalem & jus Gentium similiter peccare convincuntur locatarii, qui agrorum conservandorum curam habent, & permittunt illos dilabi in sterilitates, in damnū proprietariorum, & qui leges in locatione positas non servant, expendendaque sunt eorum peccata juxta materiam læsionis sive damni.

Quomodo partiarii.

Partiarii similiter juxta rationem materiæ peccant, qui suos patronos defraudant, non restituentes partem integram fructuum, de qua conventum est, vel non nisi ex pejoribus.

Quomodo proprietarii.

Proprietarii agrorum, & qui per se vel famulos, agros proprios excolunt contra præcepta juris naturalis vix in ipsa agrorum cultura peccare possunt, quia suo arbitrio de ipsis, ut volunt, disponunt: non rarò tamen in venditione sive distractione fructuum peccant, nimirùm vendendo fructus, ut grana & frumenta, excessivo pretio, vel diminutis mensuris, sive etiam ponderibus, vel fruges vitiatas pro bonis, vel commutando aut vendendo grana tempore quo vili pretio comparantur, ut altero tempore summum & excessivum pretium, vel in ampliori mensura recipiant, quod usuram implicitam continet.

Circa 4. versatur agricultura, hinc distincta peccata.

Porrò peccata illa non committuntur in una tantùm rerum specie, cùm enim circa quatuor potissimùm agricultura versetur; nimirùm circa agri seminationem; & frugum messem, 2. circa frutetorum vel arborum plantationem, ut circa nemora, vineas, oliveta, pomaria, 3. circa pascua animalium in pratis, silvis, arvis, &c. 4. circa florida, ut circa hortum, & hortalitia, ac flores; sicut damna & injustitiæ committi possunt in uno, sic in altero, quæ omnia à Confessariis bene expendenda sunt: in hoc enim sæculum devenimus, quòd agricultura, quæ de se innocentissima erat, humanâ malitiâ in peccatorum quandam voraginem dilapsa videatur.

Et quæ leges à Deo annexa.

Sed & agriculturæ tanquam à Deo institutæ leges aliquæ sunt ab ipso positæ, quarum duæ sunt principaliores: altera quidem decimarum & primitiarum: altera in favorem pauperum.

1. de Decimis. Earum antiquitas & obligatio.

Et de decimis quidem tanta est earum antiquitas, ut Sacerdotibus sive Ministris Sacrorum solvantur (ut constat ex lege naturæ de Abrahamo Gen. 14. de Jacob Gen. 26.) ut non possimus dubitare earum solutionem, quoad substratum ipsum sive contributionem, quæ fit in sustentationem Sacerdotum, à lege naturali divina emanasse, etsi postea quoad aliquas additiones per Moysen lege positivâ fuerint præscriptæ, ut videre est Num. 5. 4. & 18. Malachiæ 3. Vnde quòd in Ecclesia novi Testamenti etiam invaluerint, ex Traditione Apostolica sumendum est, de qua Clemens Romanus Apost. Constitut. l. 8. c. 30. Vide & S. Hieron. in c. 3. Malach. Ecclesia enim perpendens decimas jure naturali divino, etiam in lege naturæ, solutas fuisse, illas resumens novo jure in statu Legis Gratiæ reduxit ad Ministrorum Ecclesiæ sustentationem, conformiter ad Scripturam Matth. 10. *Dignus enim est operarius cibo suo*. 1. ad Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam?* Et *si* (ait Apostolus) *nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Item: *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt; & qui altari deserviunt, cum altari participant?*

Math 10. 10.

1. Cor. 9. 7.

Vers. 11.

Vers. 13.

Peccant igitur Agricolæ juxta qualitatem materiæ mortaliter, qui decimas negant, aut quovis modo injustè defraudant, nisi privilegio aliquo, & exemptione ecclesiastica ab illis solvendis liberi sint.

Decimæ prædiales.

Porrò triplices decimæ assignantur: aliæ enim sunt prædiales, aliæ personales, aliæ mixtæ. Prædiales vocantur, quæ ex fructibus prædiorum, ut grano, oleo, & similibus conferuntur: Personales, quæ ex lucro, industria, aut labore personæ operantis petuntur: Mixtæ, quæ partim ex prædiis, partim ex industria proveniunt, ut ex fœtibus animalium, pullis volatilium &c. Et quidem personales in usu non sunt; prædiales autem & mixtæ solvuntur juxta rationem regionum & provinciarum. Ad mixtas revocantur novales, quia etsi ex prædiis accipiantur, in hoc tamen industriā humanam adjunctam habent, quòd ex nova agri cultura, quæ priùs non fuit, procedant: Et hæ ordinariè debentur parochialibus Ecclesiis, cùm

Personales mixta.

Novales reducantur ad mixtas.

cùm illæ à principio non cessetint decimarum antiquarum possessoribus cùm necdum essent. Videatur totus titulus, de decimis, in Decretalibus Gregorii.

2 In favorem pauperum. Levit. 19. 9. Vers. 10.

Alteram legem reperio, ut pauperibus de agris suis agricolæ portionem relinquant, Levit. 19. *Cùm messueris segetes terræ tuæ, non tondebis usque ad solum superficiem terræ; nec remanentes spicas colliges. Neque in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes. Ego Dominus Deus vester*: quæ ferè eadem repetit c. 23. Etsi enim hoc præceptum videatur legis Mosaicæ, ex lege tamen divina naturali promanat, quod confirmatur ex eo, quòd utroque loco ad finem præcepti per energiam ponatur: *Ego Dominus Deus vester*, quæ verba indicant præceptum illud aliquid juris divini pro substrato habere, quod explicasi communi Scripturæ colligitur, & apud fideles in hunc diem traditione quâdam perseverat: unde peccato gravi inhumanitatis villici peccant, qui pauperes tempore messis à suis agris & messoribus abigunt, & solis suis domesticis sequi messores, & colligere spicas permittunt.

Levit. 23. 22. *Qualis hæc lex.*

Sunt & aliquæ leges civiles, nonnulla super agricolis decernentes, quæ cum divinis naturalibus conveniunt, & ex vi naturalis juris, & damni illati peccata continent; de quibus, cùm coincidant, plura disserere, sicut importunum, sic inutile est.

Agricolæ sæpè utuntur superstitionibus &c.

Alia quædam sunt peccata, quæ etsi agricolis non sint propria, apud illos tamen valdè frequentia sunt: Talia sunt observationes vanæ aëris, volucrum; superstitiones in seminibus jactandis, in animalibus conservandis à lupis, sanandis ab infirmitatibus & id genus, quæ interdùm maleficiis permiscentur; tantaque sæpè est in illis ignorantia, ut illa tamquam artes inter se communicent, & variè edoceant: quibus etiam superstitionibus non tantùm circa animalia, sed etiam circa seipsos & familiam utuntur, in magnam animarum jacturam, quæ omnia examinari debent juxta ea, quæ diximus de vanis observationibus & superstitionibus tomo 2.

§. 2.

De pastoribus gregum, & Armentariis.

AGricolis, tamquam pars ad agriculturam necessaria etiam in ordine ad alimentum, succedunt pastores gregum & armentarii, horum enim beneficio animalia nutriuntur, tam ut agriculturæ, quàm ut hominum necessitatibus subserviant. Inde enim à principio patriarchæ, imò & Reges ipsi pastores pecudum fuerunt, & divitiæ illorum in animalibus constituebantur. De quibus Scriptura passim.

Pastores alii mercenarij.

Porro, triplicis generis pastores, sive armentarii reperiuntur. Alii enim mercenarii, alii partiarii, alii domini sunt. *Mercenarii* dicuntur, qui ad custodiam & curam animalium & gregum suam operam & industriam dispendio certo elocant. *Partiarii*, qui industriam suam & operam gregibus impendunt contractu quodam societatis, ut certa pars gregis eis cedat, sive ut inter se gregem, & ex grege toto nascentia, dividant, ita ut dominus animalia, partiarius operam & industriam ex contractu contribuant: qualem contractum fecit Jacob cum Laban, ut quidquid furvum vel maculosum in gregibus nasceretur, pertineret ad Jacob, cætera ad Laban Gen. 30. & 31. *Domini* dicuntur & pastores qui per se sive filios sibi animalia pascunt absque opera aliena: quales fuerunt Abel, & cæteri Patriarchæ, etiam David.

Alii partiarii. *Alii domini.*

Pastorum nomine intelliguntur.

Sub nomine verò pastorum comprehenduntur quicumque animalium pastui invigilant, quocumque tandem vocabulo nuncupentur à variis animalium speciebus; ut Caprarii, qui capras custodiunt; Bubulci, qui bobus pascendis vacant; Porcarii & suarii, qui porcos; equisones & agasones, qui equos; Muliones, qui mulos, &c. pascunt & gubernant.

OBLIGATIONES

Et peccata pastorum sive armentariorum.

Pastorum est 1 gregem custodire.

TRes potissimùm sunt obligationes pastorum & armentariorum. 1. Ut gregem & singula gregis sive armenti animalia ab omni injuria, quantum possunt, defendant, & suo domino benè conservent & custodiant. Et hæc obligatio specialiter spectat ad partiarios & mercenarios; domini enim de grege suo & animalibus suis pro arbitrio disponere possunt absque præjudicio tertii.

2. Eum ad pascua salubria ducere.

2. Obligatio, ut gregem ad pascua salubria, & animalibus proficua deducant. Et hoc iterùm singulariter respicit partiarios & mercenarios; de quibus duabus obligationibus Jacob Gen. 31. se justificat coram Laban: *Viginti* (inquit) *annis fui tecum, oves tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tui non comedi; nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam; quidquid furto peribat à me exigebas.* Gen. 31. 38

3. Cavere, ne alicui noceant.

3. Ut caveant ne greges & animalia suorum armentorum alicui damnum inferant. Et hæc obligatio tam dominos, quàm alios respicit.

Ratio 1. & 2. obligationis constat ex natura rei, quia ex vi contractûs curam animalibus impendendam susceperunt, & quod impendunt, domino impendunt, ut animalia illi fructificent, & nullum damnum ex ipsorum armentariorum culpa illis adveniat. Ratio autem 3 obligationis ex jure naturæ est, ut nemo alteri noceat, nec faciat quod sibi fieri nollet.

Contra 1 peccant, si negligentiâ eorum grex damnum patiatur.

Ex his licet peccata armentariorum colligere. 1. itaque contra primam obligationem peccant mortaliter in materia gravi, si ex eorum culpa vel negligentia aliquod pecus pereat; utpote, vel devoretur à lupo vel alia fera, vel

vel furto auferatur, aut ob imperitiam & negligentiam eorum gravem animalia incutiant morbos, quibus aut sterilescant, aut emoriantur. Et in his pro ratione culpæ & negligentiæ tenentur ad restitutionem, quia reverà ex eorum culpa & imputabili negligentia Dominus damnum injustum patitur.

Secus si casu, &c. Dixi (ex eorum culpa vel negligentia) si enim debitam curam adhibuerint, & animal vel violentiâ, vel fortuito planè eventu perijt absque eorum culpa, sicut non peccârunt, sic nec ad restitutionem tenentur. Undè Iulianus in leg. *Si quis fundum* §. *Imperator* ff. Locati & conducti, docet custodem caprarum non teneri judicio locati casum præstare, si sine ejus fraude vel negligentia captæ à latronibus sint abactæ. Et Iustinianus tit. 5. de legibus rusticis, eximit bubulcum à restitutione, si eo die, quo casu amisit bovem, id Domino indicaverit, censetur enim vigilantiam adhibere, & adhibuisse. Item, non teneri de bove à lupis interempto, si cadaver Domino indicet; intelligitur enim diligentiam adhibuisse, ex eo quòd insecutus lupum fuerit, & cadaver invenerit; posset tamen ipsius negligentiâ bos ab armento separatus devoratus esse, bubulco absente, vel non invigilante, & tunc in conscientia de culpa tenetur ad restitutionem. Undè est alia lex ejusdem Iustiniani: *Mortuo bove, si armentarius sine fraude sua perijsse juret, indemnis est. Item si luscatus excœcatusque fuerit. Si tamen convictus jurejurando præstito de perjurio fuerit, per duos vel tres idoneos testes linguam mutilatus, indemnitatem bovis præstato.* Ex qua lege colligitur, si suâ fraude sive negligentiâ perierit, eum peccâsse mortaliter pro causa negligentiæ.

Iulianus.

Iustinian.

Iustinian.

Item si eorum imperitia. Dixi (aut ob imperitiam, & negligentiam eorum gravem, incurrant morbos, quibus aut sterilescant, aut emoriantur) Nam, ut benè Celsus in simili ait: *Qui pascendos vitulos accipiunt, habere artem (utique debent) & tanquam artifices, si quid imperitiâ peccaverint, teneri ac pro culpa* leg. *Si quis fundum*, §. *Celsus* suprà. Et hoc ampliari debet ad quoslibet pastores & armentarios: est enim pastoritia ars quædam, quæ curandis etiam, & à morbis præservandis animalibus invigilat, ità ut si imperitus mercenarius, vel partiarius gregis curam suscipiat, ad illa damna resarcienda teneatur, quæ ex imperitia & negligentia curæ necessariæ gregibus adveniunt. Undè Ezechiel capite 34. alludens ad obligationes veri pastoris & armentarij, inter peccata & vitia refert: *Quod infirmum fuit, non consolidâstis: & quod ægrotum, non sanâstis: quod confractum est, non alligâstis: & quod abjectum est, non reduxistis: & quod perierat, non quæsistis.* Infrà: *Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum*, &c. In quibus verbis ad amussim enumerantur obligationes pastorum, & eorum transgressiones, simul & onus restituendi damnum, in eo, quòd requiret gregem de manu eorum, quæ omnia in pastoribus, ad quos fit comparatio, verificantur.

Celsus.

Ezech 34. 3.

Vers. 10.

Item si furentur oves Dominorum, &c. Peccant 2. & maximè contrà eandem obligationem 1. Qui furantur oves suorum dominorum, vel cum furibus paciscuntur, aut etiam eas vendunt, vel quomodolibet dominos in ovibus & armentis defraudant, quæ non tantum mortalia peccata sunt, sed etiam ad restitutionem obligant; de quibus etiam in comparatione illa Ezechielis: *Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis*, &c. Item, qui ex imprudentia aliquod animal lædunt, & inutile reddunt; undè iterùm est lex Iustiniani: *Si armentarius baculo, quem manu gestabat, vel bovem occiderit, vel membro mutilaverit, vel eluscârit, non est extrà noxam, sed damnum præstato: si verò lapide eum petiverit, à damno liber esto.* Ratio est, quia qui tenens baculum manu percutit, cùm dirigere & moderari baculum possit & debeat, censetur malitiosè, aut gravi imprudentiâ fecisse, qui verò à longè, ut abigat bovem, lapidem jacit, si bos lædatur, vel occidatur, casu occisus vel læsus reputatur, quia lapis jactus in potestate plena jacentis non est.

Vers 3.

Si imprudenter animal lædant.

Iustinian.

Contrà 2. si de pascuis salubribus non curent. Peccant 3. contrà 2. obligationem, qui de pascuis salubribus non curant, & pecoribus defectu congrui alimenti damnum inferunt, sive ex imperitia, sive ex negligentia, si modò alia pascua haberi commodè possint, undè legibus ad restitutionem coguntur, qui scienter animalia in satum pascuum ducunt, ubi sunt malæ herbæ, ex quibus vel mortua, vel deteriora facta sunt. Ratio hujus est, quæ supradictorum; pastor enim, qui id facit scienter, censetur voluntariè damnum inferre, vel saltem debitam diligentiam non adhibere, ut damnum gregi non obveniat, ad quam ex vi muneris & contractûs obligatur.

Contrà 3. si per gregem quoquo modo noceant. Peccat 4. contrà 3. obligationem quicunque gregibus & armentis præfectus, qui vel positivè per animalia suæ curæ commissa infert alicui tertio in se, vel in suis bonis notabile aliquod damnum, vel ex sua negligentia indirectè inferri permittit, sive non impedit, & ad reparationem, sive restitutionem damni tenetur. Hinc caprarijs lex posita est; nè in agro surculario capras pascant, eò quòd comedentes germina, & externas partes surculorum maxima arboribus damna inferant. Hinc non licet absque peccato in aliena pascua, sylvas, vel saltus, sive sint privata, sive Principis, animalia pascendi causâ immittere. Et quidem juxta leges civiles, si alienum animal reperiatur in pascuis Principis, illud fisco addicitur, sin in pascuis alicujus privati, qui immisit, damno resarciendo tenetur. Excipitur viator, qui necessitate compulsus in itinere existens equum suum deficientem in adjacente prato pascit. Ratio est: quia necessitas illum excusat, juxtà cap. *Quod non est licitum*, de Regul. juris.

Non licet in aliena pascua, &c. gregem immittere.

Nisi alicui servituti subjiciantur.

juris. Quod quidem intelligendum est: nisi ipsa pascua, prædia, sylvæ, vel saltus alicui servituti subjiciantur, ut sunt interdùm prædia communia civitatum, oppidorum, ac municipiorum, & in aliquibus partibus pascua vacua, postquàm herba detonsa est. In sylvis etiam alienas tempore glandium animalia immittere non licet. Hinc iterùm prohibitum est lege civili in quævis pascua porcos immittere, quæ lex etiam in conscientia obligat, eò quòd porci rostro terram invertentes gravissimum interesse & damna pascuis inferant.

Item si defectu custodiæ grex intret aliena sata.

Peccant iterùm, etsi animalia non immiserint, armentarij, quorum negligentiâ ob defectum custodiæ in aliena sata & prædia irrumpunt, & ad restitutionem damni tenentur. Undè etiam extat lex Iustiniani: *Si bos* (inquit) *mane armentario traditus pascendus à reliquo armento segregatus in sata vel vineas digressus fuerit, pauperiemque fecerit, pauperiem factam præstato armentarius, non tamen mercede suâ privatur.*

Iustinian.

Similiter si viatorem lædat.

Huc etiam referri debent, quæ tauri excitati, vel bruta cornupeta inferunt viatoribus obvijs, si ex negligentia custodiæ pastorum sive armentariorum aliquem lædant, tenenturque similiter ad reparationem, sive expensas medicorum, &c.

Pastores magiæ &c. dediti.

Peccata alia communiter etiam reperiuntur in pastoribus pecorum & armentarijs, ut magiæ, sortilegia, superstitiones, vanæ observantiæ, quibus otiosi illi homines se intricant; & eheu! vidimus aliquandò plures de latrocinijs, & assasinijs publicè convictos. Et de his juxtà personarum rationem examen à confessarijs prudenter faciendum est: sæpiùs etiam divina relinquunt, missas in Dominicis & Festis non audiunt, cùm tamen extrà casum necessitatis teneantur.

§. 3.

De Venatione.

Agriculturam & armentariam sequitur Venatio & Piscatio, quæ etiam ad alimentum spectant. Multa verò in primis circà venationes tam jure Ecclesiastico, quàm civili constituta sunt, quæ multùm conferunt ad venationis æquitatem, iustitiam, modumque investigandum.

Venatio oppressiva quid.

Primò itaque dividitur Venatio in oppressivam, arenariam & saltuosam, sive quæ fit in silvis & saltibus. Oppressiva dicitur, quæ in hominum maximè pauperum oppressionem cedit, de qua Genes. 10. *Nemrod ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino*, id est, ut communiter Interpretes, hominum oppressor & exactor. Arenaria dicitur, quandò quis contrà bestiam aliquam denratam in arena luctatur, ut eam superet & occidat; ut fit cum tauris excitatis, cum leonibus, &c. Et de istis hic non agitur; constat enim utramque venationem istam illicitam esse, & tam iure naturali Divino, quàm Ecclesiastico prohibitam: prior quidem ob manifestas injurias & oppressiones: posterior ob periculum mortis, cui se quis exponit. Hic igitur agitur duntaxat de saltuosa, quæ per silvas, saltus, agros fit ad capiendas feras & animalia silvestria, quæ libertate silvarum & agrorum fruuntur, nec ad aliquem hominem spectant, ad quam etiam pertinet aucupium.

Gen. 10. 9.

Quid arenaria.

Utraque illicita est.

Hic solum agitur de saltuosa.

Ut autem hujus venationis & venatorum modus & ratio pleniùs intelligatur, distinguenda est iterùm venatio; quoad locum, quoad modum, quoad causam, quoad personas.

Venatio considerari potest quoad locum.

1. Quoad locum, id est; an venatio fiat in loco, qui in alicujus jam dominium cessit; ut in silva, agro, territorio alicujus principis, domini, nobilis, oppidi, vel etiam privati hominis. Item, an in loco muris, vel aliquo vallo & sepimento concluso, ubi feræ conservantur sub custodia & dominio alicujus domini particularis; an verò locus sit liber, nullo singulari sepimento clausus.

Quoad modum.

2. Venatio considerari potest quoad modum; utpotè si canibus, laqueis, instrumentis & quibus modis fiat. Item, si grave incommodum & damnum ex conculcatione segetum, & agrorum vicinorum in frugibus, sepimentis, & alijs ad rem rusticam pertinentibus non causetur. Item, si ex modo grave damnum reipublicæ, vel venationi non inferatur, ex destructione sobolis ferinæ. Item, si venatores ex modo peccatorum & salutis periculis se non exponant.

Quoad causam.

3. Venationis causa examinanda est; an ad recreationem; an ad lucrum; an ad utilitatem publicam fiat; utpotè ad exterminanda animalia & feras, quæ hominibus infestæ sunt, vel agros depopulantur.

Quoad personas.

4. Considerandum est, quæ personæ venationi vacent; an nobiles; an privatæ; an clerici; an monachi. Super quibus omnibus pono sequentes propositiones.

PROPOSITIO I.

Venatio saltuosa animalium non est per se prohibita, sed licita; humano generi utilis, & interdùm necessaria, tùm ad cibum, tùm ad vestimentum.

Venatio saltuosa licita est, utilis, & interdum necessaria.

Sumitur hæc propositio ex ipsis Scripturæ visceribus, cùm enim Genes. 1. acceperit homo dominium super pisces maris, & volatilia cœli, & universa animantia, quæ moventur super terram, sine dubio habuit homo potestatem illis utendi, & consequenter feras prosequendi & occidendi, maximè post diluvium, quandò etiam data sunt animantia homini in escam, undè Genes. 9. *Crescite & multiplicamini, & replete terram, & terror vester ac tremor sit* super

Gen. 1. 28.

Gen. 9. 1. & seqq.

super cuncta animantia terræ, & super omnes volucres cæli cum universis quæ moventur super terram; omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Et omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum; quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Ex quibus verbis claré colligitur, saltem post diluvium venationem fuisse licitam: cùm enim feræ animalia sint data homini in cibum, non potuerunt capi, nisi industria venatorum. Addo: etsi ante diluvium carnes communiter non comederentur; Deus tamen, qui fecit primis parentibus Adam & Evæ tunicas pelliceas, reliquit cæteris hominibus potestatem ex pellibus animalium sibi vestimenta providendi, & proinde etiam ex pellibus ferarum, quas venatione apprehendere poterant.

Gen. 27. 3. 4. Licitam vero fuisse venationem, explicité ostendit Patriarcha Isaac Genes. 27. ubi mandat Esau filio suo venationem: *Sume* (inquit) *arma tua pharetram, & arcum, & egredere foras; cumque venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum sicut velle me nosti, & affer ut comedam, & benedicat tibi anima mea antequam moriar.* Si enim illicita foret venatio, quomodò illam sanctus Patriarcha demandâsset filio suo? quomodò ex illa cibum quæsiisset? quomodò de illa comedisset? quomodò denique occasione illius benedictionem dare voluisset, quam etiam postea titulo cibi ex venatione oblati Iacob eximiam obtinuit? Quinimmò cap. 25. dicitur: *Isaac amabat Esau, eò quòd de venatione illius vesceretur*; erat enim, ut ibidem dicitur: *Esau vir gnarus venandi, & homo agricola.* Nec obstat quòd S. Augustinus in Psalm. 102. videatur venationem tanquam Sanctis & Christianis prohibitam, abhorrere; & apud Gratian. d. 86 c. *Qui venatoribus*; & c. *Vident homines*, graviſſime reprehendat eos, qui venatoribus aliquam donationem faciunt: *Qui* (inquit) *venatoribus donant, non hominibus donant, sed arti nequissimæ: nam si homo tantum esset, & venator non esset, non ei donares, honoras in eo vitium, non naturam.* Et S. Hieron. in Psal. 90. apud eundem Gratian cap. *Esau* generaliter loquens: *Esau* (ait) *venator erat, quoniam peccator erat, & penitùs non invenimus in Scripturis sanctis sanctum aliquem venatorem, piscatores invenimus sanctos.* &c. Non, inquam, obstat, non enim locuti censentur de venatione, ut venatio est; sed de venatione oppressiva, & venatoribus illis antiquis, quatenus vitijs pleni erant, & oppressionibus pauperum addicti, ut de Nemrod suprà exemplificatum est.

Cap. 25. 28. Vers 27. Quomodò Sancti illā improbent

S August. c. Qui venatoribus.

S. Hieron. c. Esau.

PROPOSITIO II.

Venatio jure naturæ & gentium cuilibet quocunque loco licita est.

VEnatio animalium silvestrium, *sicut & aucupium, nec jure naturæ, nec jure gentium aliquibus locis limitata fuit, sed quocunque loco liberam feram sive silvestre animal jure gentium cuilibet capere licet & venari.*

Ratio est: Quia illa sub nullius dominium singulatè cadunt, nec in divisione dominiorum in ullius partem cesserunt, adeoque nullius sunt, sed primò capienti derelicta. Ità communiter Iuristæ, Hostiensis, Ioannes Andreas, Decius, Tiraquellus, qui etiam putat Reges non posse jus illud à quocunque tollere, vel quomodò intelligendum sit, posteà dicemus.

PROPOSITIO III.

Quomodò jus venandi à privatis ablatum Regibus, &c. competat.

EX *consensu populorum pro commoditate vel utilitate Principum, & reipublicæ bono, successu temporis permissum est Regibus & Principibus jus venandi auferre à privatis in aliquibus locis publicis, ut silvis, agris, territorijs, &c. illud jus inter regalia sibi reservando.* Id jura civilia & decreta Regum & Principum docent, & ex communi praxi manifestum evadit.

Ratio est: Quia cùm Rex, sive Princeps sit caput regni & reipublicæ, & primaria persona, ratione dignitatis & laboris, quem impendit regno, justum est, ut ei idipsum concedatur; quinimò & jure ad illum de his disponere pertinet, si hæc reservatio in publicam utilitatem redundet. Hinc enim etiam fit, quòd Reges interdùm reservent jus venandi, aucupandi, & piscandi certis personis nobilibus, vel de republica benè meritis in locis certis, ut & ipsis merces aliqua fiat, & reipublicæ decori, & congruæ venationis administrationi provideatur.

Dixi (*in aliquibus locis publicis*) sicut enim Rex de bonis privatorum disponere non potest, sic nec de jure venandi in agris ad eos spectantibus ipsis invitis; & notanter posui (*aliquibus*) quia universaliter non potest à privatis jus venandi, quod habent jure naturali & gentium, pro omni loco auferre, aut sibi reservare.

PROPOSITIO IV.

Reges, &c. habentes jus venationis feras liberas non faciunt suas.

REges *& Principes jus venationis aucupij, sive etiam piscationis, in suis terris, silvis, nemoribus, ac locis non clausis sibi reservantes, non faciunt feras suas, adeoque si quis in locis illis venetur, & aliquam feram apprehendat, non tenetur ad restitutionem.*

Ratio est: Quia supponitur quòd feræ, aves & animalia silvestria, quæ certâ custodiâ non concluduntur, libera sint, adeoque quamdiu libera sunt, quòd nullius sint, sed primò capientis; undè Princeps jus venationis auferens, tantùm aufert venandi liberam potestatem, non autem jus, quod potest quilibet in animal liberum, & quod à nullo possidetur, acquirere, quod quidem captione acquiritur, per accidens autem est ad dominium, sive manucaptionem animalis liberi, an in hac terra ac loco, an in alio capiatur, cùm, (ut suppponitur) quamdiu liberum est, non sit domini loci, vel terræ, sed (ut diximus) nullius; sit autem primò capientis, qui quidem, etsi respectu loci vel silvæ jure non venetur, respectu tamen anima- *Feræ liberæ nullius sunt.*

lis liberi (quod ubique capi potest) si illud capit, jure capit, & sibi vendicat, cùm ad neminem alio jure spectet. Undè dixi (*in locu non clausis*) aliud est enim de locis clausis, ubi feræ silvestres sive ad recreationem, sive usum asservantur; pro quo sit:

PROPOSITIO V.

Feras, aves & pisces clausos non licet capere sine consensu domini. In loco, muro, vel sufficienti sepimento clauso, ubi animalia silvestria aliàs libera asservantur, sive ad recreationem, sive ad utilitatem dominorum illorum locorum, non licet alicui absque consensu domini venari, aut feram aliquam capere, & qui capit, tenetur ad restitutionem.

Ratio est: Quia ratione clausuræ & custodiæ feræ sunt acquisitæ domino loci quamdiu conclusæ sunt, & in custodia detinentur: nec tantùm jus ibi venandi est domino loci acquisitum, sed etiam jus in ipsa animalia & feras, de quibus sic conclusis disponere potest. Quod etiam proportionatè dicendum est de avibus silvestribus, in aliquo loco, & communi cavea, aut columbario detentis; & de piscibus in certo stagno & vivario conclusis; eâdem ratione, quia jam in potestate & dominio, ac usufructu, & usu juris domini loci censentur esse. Dixi (quamdiu conclusæ sunt) si enim custodiam evaserint, & pristinæ silvestri libertati redditæ sint, tunc iterùm liberæ sint, & ad neminem spectant. *Si custodiâ evaserint, licet.* Videl. *Quod enim nullius ff.* de acquirendo rerum dominio.

Hic tamen notanter distingvendum est inter feras silvestres, aves, &c. juxtà rationem feritatis, vel silvestris libertatis. *Nisi sint cicurata & domestica reddita.* Quædam enim omninò cicuratæ sunt, & ferinam educationem exuerunt, redditæque sunt domesticæ (ut interdùm de cervis, capreis, phasianis, columbis constat: quæ naturali depositâ feritate communiter cum cæteris domesticis animalibus vivunt, & extrà custodiam dimissæ familiariter redire solent.) Hæ autem simpliciter ad jus domini spectant, & in ejus possessione absoluta reputantur, nec quis absque furti culpa, & pœna restitutionis illas capere potest, ut habetur l. *Nisi sint mansueta facta* supra. Aliæ sunt, quæ violenter detinentur, nec feritatem, vel silvestreitatem suam exuerunt, & hæ, ubi pristinam libertatem recuperârunt, à dominio cujuscunque liberantur, & denuò fiunt primò capientis.

PROPOSITIO VI.

Non licet venari cũ notabili damno agrorum. Non licet exercere venationem in agris & silvis privatorum, quando damnum aliquod notabile illis agris infertur ratione segetum, frugum, plantarum quia etiam ferarum si in agris illis continua sua receptacula habeant.

Pro cujus propositionis pleno intellectu advertendum est: *Agri alij fructuosi.* duplices hic agros, nimirùm, frugiferos & infertiles distingui debere. Agri enim nonnulli sunt, qui vel naturaliter, vel per culturam domino fructificant, & frugem magnam afferunt, quos pedibus venatorum, canum, equorum in venatione contingit conculcari & proteri, ac consequenter fructum, quem domino redderent, impediri: inter quos fructus reputantur arbores & plantæ ex proprietate glebæ ibidem enascentes; item fruges, segetes, & alia post seminationem & culturam. Sunt etiam quandoque in agris, etiam privatorum, quædam receptacula continua animalculorum, ut cuniculorum, ità ut ibi continuè se recipiant, & generent intrà terram, quæ loca vocantur vulgò *garena* & *cuniculária*, utique a cuniculis ibi se recipientibus, ibidemque generantibus. *His annumer antur garena.* Alij porrò sunt agri infertiles, qui non nisi dumeta, arbusta, & plantas infructuferas habent, solent tamen in illis feræ & animalia silvestria se recipere, & fortè frequentiùs quàm alibi. *Alii infructuosi.* Dico itaque de primis agris fructificantibus, dominum quemcumque posse jure impedire, nè quis in dictis agris suis venetur, & venantes in illis, ob damnum, quod causant, peccare, ac obligari consequenter damnum illatum reparare, sive restituere. *De prioribus cum clausis intelligitur.* Ratio est: quia etsi jus venandi sit commune omni homini, & fera silvestris libera nullius sit, tamen semper intelligitur jus illud exerceri debere absque damno & interesse tertij: quia igitur venator infert damnum, ex. g. conculcat cum equis & canibus plantas, frangit arbores, proterit segetes, quæ domino fructificant, in damnum domini, sive possessoris prædij, in materia gravi peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem. Et hoc multùm advertere debent Principes & nobiles, & alij venatores: ità enim jus habent venandi, ut tamen damnum tertio non inferant, & si intulerint, obligentur ad reparationem.

Similiter de garena dicendum est proportionaliter; etsi enim in garena aliena non sit peccatum mortale jure venationis aliquot cuniculos capere, quia reverà, etsi cuniculi in tali agro continuè recipiant, non tamen sunt propriè domini garenæ, cùm in potestate absoluta illius non sint, sed sit tantùm possessor, sive dominus fundi; non licet tamen ibidem venationes multiplicare, quia alias garena exhauritur, & inutilis redditur, undè magnum damnum dominus agri incurrit, etsi enim (ut dixi) cuniculi ejus propriè non sint, quia tamen ager naturâ suâ, vel arte garenam cuniculorum habet, eo titulo multùm domino suo per elocationem, sive per usumfructificat, undè injustè dominus hoc emolumento agri privatur per alienas venationes frequentatas, quia privatur reditu & fructu, sibi, vel locatario ex tali agro proveniente. *Qui crebrà venationis garenam alie nam exhaurit, tenetur damnum domino resarcire.* Quare l. *Item si fundi*, ff. de usufructu dicitur: *Aucupiorum quoque & venationum reditum ad usumfructum pertinere*, &c. *l. Item si fundi.* Igitur non tam ratione venationis per se, quàm ratione damni emergentis, & fructûs impediti, qui agro velut adhærebat, in hujusmodi agris venari peccatum est: æstimandum porrò est damnum ex circũstantijs venationis, Quod in simili,

juxtà

juxta textum allegatum, accidere solet in aucupio in locis quibusdam, in quibus certa species avium vel volatilium silvestrium concurrere solet, etsi enim aliquot aviculas capere non sit peccatum, eò quòd aviculæ illæ verè nullius sint, ita tamen aucupari, ut aucupium destituatur, vel multùm deficiat, est inferre grave damnum domino, ad quem locus ille aucupii pertinebat, & qui domino ratione aucupii multùm fructificabat. Denique idem exemplificari potest in piscatione, etsi enim in flumine, etiam ad privatum dominum pertinente, accipere aliquot pisces non sit peccatum, cùm verè pisces, qui in flumine sunt, propriè domini non sint, non licet tamen ita in illo piscari, ut reddatur fluvius sterilis domino suo.

Idem dicendum in aucupio & piscatione in certis locis, &c.

Propositio 7.

Omnis venatio, quæ in detrimentum reipublicæ vel cujuscumque privati sive quoad locum, sive quoad modum cedit, peccaminosa & illicita est, & qui damnum infert, damno reparando tenetur.

Venatio quævis modo in damnum tertii cedens illicita est.

Hanc propositionem ex jure naturali & gentium deduco; Nulli enim malum injustè inferendum; nulli jus suum auferendum; bonum publicum curandum, & privato præferendum est. Et ad hanc limam examinandæ sunt leges civiles, quæ in aliquibus locis omnem venationem prohibent; in aliquibus autem tantùm modum, utpotè ne quis venetur bombardis, retibus tenuibus aut minoribus, instrumentis extraordinariis, fossis, &c. in aliis denique circumstantiam temporis *Ex. gr.* ne tempore nivium, aut tempore quo feræ sunt gravidæ, ne videlicet contra publicum vel privatum bonum venatio omninò pereat, destructis vel abactis per varios modos animalibus silvestribus: quales etiam leges reperiuntur in aucupio & piscatione proportionaliter, Unde pono Regulas duas generales.

Regulæ generales.

Omnes leges civiles venationem vel in se, vel modo aliquo prohibentes ratione damni veri, quod vel publico bono, vel privato injustè infertur per illam, obligant in conscientia. Ratio est: quia substratum legis obligat de jure naturali.

Leges civiles prohibentes venationem damni quod infertur, obligant in conscientia, non item aliæ.

Econtrà: *Nullæ leges politicæ & civiles circa venationes obligant in conscientia, nisi quia aliquod damnum injustum, aut alias occasionem & causam peccati removent.* Ratio est, quia cæteræ solam recreationem vel politiam externam continent, & merè pœnales sunt; unde etiam nullam obligationem restitutionis, secum inducunt: Et hæ Regulæ etiam aucupio & piscationi possunt applicari: Exempla autem Regularum ex superioribus desumi possunt.

Propositio 8.

Licitum est venari quocumque loco & modo silvestria animalia, quæ publica vel privata damna gravia inferunt; qualia sunt lupi, vulpes, leones, ursi, &c.

Licet quolibet loco & modo venari silvestria nociva.

Ratio est: quia venationis illius causa est publica, utique ad obviandum publico malo & nocumento, quod à similibus animalibus infertur, ita ut nec homines nec animalia domestica sint tuta, si permittantur dicta animalia liberè grassari. Dixi etiam (*si privata*) si enim hostem & furem sive latronem, cùm aliter impedire illius gravem injuriam non possim, licet occidere, multò magis feram, quæ mihi vel domesticis meis bonis nocet.

Propositio 9.

Omnis venatio, quam peccatum vel peccati periculum concomitatur, prohibita est.

Venatio cum peccato vel ejus periculo illicita.

Ratio clara est: quia *qui amat periculum, in illo peribit*. Ex hac causa prohibentur venationes in Dominicis & Festis, quia ut plurimum sanctificationi festorum derogant, cùm vel venatores vel famuli & alii venationi laboriosæ deservientes Missam non audiant, aut nonnulla opera verè servilia ratione venationis facere cogantur. Similiter, periculosæ venationes, in quibus morti vel periculosæ vulnerationi aliqui se & alios absque legitima causa exponunt. Dico (absque legitima causa) possunt enim aliquando exponere se periculis illis ex justa causa, dum publicâ authoritate, vel etiam privatâ, persequuntur feras, quæ hominibus multùm noxiæ sunt, & publicis, ac privatis depopulationes & gravissima damna inferunt.

Licet interdùm cum periculo mortis venari.

Propositio 10.

Clericis & monachis sola illa venatio est interdicta, quæ clamorosa & tumultuosa est, & magnum strepitum, & tumultum secum defert. Ita antiqui Canones: unde si quieta sit & modesta, honestum exercitium & recreationem sapiens, permitti posse absque peccato Doctores passim censent; & antiquos rigidissimos Canones de clamorosa & tumultuosa venatione interpretantur.

Clericis & monachis sola venatio clamorosa est interdicta.

Ratio verò omnium horum est: quia cùm venatio per se sit honesta, quòd prohibeatur Clerico, id fit ratione modestiæ & honestatis sive decentiæ status, unde prohiberi non censetur, si modum modestiæ & honestatis sive decentiæ status non excedat; non censetur autem excedere, si paucis canibus, vel ave, absque strepitu clamoroso, & debitis circumstantiis exerceatur. Et hæc de venatione sint dicta. Peccata non recenseo in singulari, quia in propositionibus explicantur, & interdùm exemplificativè ponuntur.

§. 4.

De Piscatione.

Quæ de venatione dicta sunt, piscationi applicantur.

DE piscatione nil superaddo, omnia enim quæ de venatione sunt dicta, piscationi applicari possunt.

Primò enim in fluminibus & mari jure naturæ & gentium licet cuilibet piscari rationibus quibus ubique venari licet, ut suprà diximus.

2. Licuit Regibus & Principibus pro sua dignitate & recreatione sibi piscationem in aliquibus reservare, eisdem rationibus, quibus venationem & aucupium.

3. Non licet in stagnis conclusis piscari, quia pisces jam in potestate domini stagni conclusi censentur, sicut nec venari in locis conclusis muris, &c.

4. Non licet piscari cum damno aliquo vel publico vel privato alicujus, sicut nec venari.

5. Non tenetur quis ad restitutionem piscis capti, benè autem ad restitutionem damni, si ex piscatione sua reddatur fluvius sterilis, aut grave aliàs incommodum causet sive impediat, ne fluvius ille vel piscatio domino suo fructificet; etsi enim verè pisces liberi in flumine non pertineant singulari jure ad dominum fluminis, sicut nec feræ silvestres ad dominum fundi, quia tamen fluvius in piscibus fructificabat, & jus piscandi primò domino competebat (qui & illud fortè elocabat) damnum grave censetur inferre, qui variâ piscatione illum infructuosum reddit, & reditum fluminis graviter diminuit.

Piscatio cum confectionibus aromaticis illicita.

6. Hinc prohibentur piscationes cum quibusdam confectionibus aromaticis, quæ pisces inficiunt, & sterilitatem piscationi inducunt, ita ut & Reipublicæ & Principi, vel etiam privato possessori grave damnum inferant. In quibus ratione damni non tantùm incurritur peccatum mortale, sed etiam obligatio ad damnum resarciendum. Et hæc sufficiant de piscatione, cætera enim quæ dici possent conformiter ad ea, quæ de venatione sunt dicta, applicanda sunt.

Petes: An fera laqueo alicujus capta, piscis alicujus nassâ vel rete captus, sit illius.

Fera, piscis &c. laqueo, reti alicujus captus non est ejus donec manu capiat.

Respondeo necdum esse, donec ad manus capientis pervenerit, & in plena ejus potestate sit. *Ratio est*: quia necdum illius possessionem accepit, etsi aliquam videatur potestatem propinquam habere: itaque puto si ab altero capiatur, non teneri eum ad restitutionem, quia necdum fuit capientis, nec jus aliquod propriè ei, cujus est laqueus vel rete, advenit, sed tantùm quædam propinqua potestas in feram vel piscem; quâ etsi irrationabiliter privetur, non tamen propriè injustè.

§. 5.

De Molendinis & Molitoribus.

AD alimentorum præparationem primi accedunt molitores, cùm panis inter alimenta hominis primum computetur: itaque primò pauca de molendinis, demùm de molitoribus hic sunt dicenda.

Molendinorum divisio.

Primò itaque Molendina diversis modis fiunt: Alia enim ventosa sunt; Alia aquatilia: Alia à jumentis, vel etiam hominum labore volvuntur: & in jure duplicia molendina distinguuntur:

Molendina bannaria quæ.

Alia enim vocantur banneria sive bannaria, ad quæ omnes incolæ coguntur sua grana molenda deferre, ita ut nec possit in loco aliud molendinum extrui; quod proinde debet fieri ex consensu & communi conventione incolarum, & impositione Principis: unde jus bannarii habere dicuntur, quæ à longissimo tempore in tali possessione sunt: Alia molendina sunt, publica quidem, sed non bannaria, quæ auctoritate Principis & Dominorum pro publica utilitate ædificata sunt, nemo tamen cogitur in illis molere nisi volens: His jungi possunt molendina, quæ quis in proprio fundo, propriis expensis & adminiculis pro sua familia extruit, sive sit aquatile, sive ventosum, sive manuale vel proprio animali vertatur. De his videndæ leges civiles, & regionum ac patriarum consuetudines: quæ verò ad nostrum propositum & professionem spectant, paucis propositionibus expono, in quibus etiam molitorum peccata comprehenduntur.

Propositio 1.

Publicorum molendinorum extructio quando illicita.

NOn licet publica molendina construere in præjudicium juris priùs acquisiti ab alio, vel in illius injuriam & damnum.

Ratio est: quia cùm sine auctoritate Principis publica molendina extrui nequeant, qui jus primò acquisivit ad molendinum extruendum, justè acquisivisse censendus est, adeoque injustè fructu juris acquisiti privatur, si in ejus præjudicium alius posteà molendinum extruat, supposito tamen quòd prior verè damnum aliquod notabile patiatur: quod fit maximè quando, extructo prius molendino bannario, pro quo conventum est cum incolis, ut omnia eorum grana in uno illo molendino molantur, & non alibi, posteà aliud extruitur molendinum, & pars populi à priori recedit; non enim sine prioris conventionis injuria recedit, & qui bannarium molendinum priùs extruxerat damnum maximum patitur, cui causam donat, qui novum molendinum extruit.

Extructo bannario, quando liceat vel non liceat aliud extruere.

Porrò diversis modis contingere solet injustitia in ædificatione molendinorum. 1. Ut diximus, si sit aliud publicum & bannarium, ad quod ex conventione omnes incolæ concurrere, & in quo grana sua molere obligantur; tunc enim si absque justa causa alius

aliud

aliud molendinum ædificet,& ad ſuum molendinum incolas inducat,aut admittat, injuſtitiam cauſat , eò quòd ex ſubtractione incolarum à primo molendino damnum poſſeſſori , ſive molitori inferatur. Dixi (abſque juſta cauſa) poteſt enim fieri, ut molendinum primum non ſufficiat pro multitudine incolarum , vel ineptum reddatur , aut alia ſimilis cauſa juſta ſupetveniat , quo caſu alius poteſt ædificationem molendini alterius prætendere. Eſt porrò principis vel magiſtratus independentis de juſtitia cauſæ judicare. & aliud molendinum indulgere l. 2. C. de ſervit.

Alia injuſtitia circà molendinum.

2. Injuſtitia contingit; ſi molendino in flumine publico extructo , alius in ſuperiori loco fluminis ædificet , ita ut inferiori per diverſionem aquæ noceat : quæ etiam injuſtitiæ committi poteſt , quandò molendino ventoſo extructo aliquis in vicinia in tantam altitudinem ædificium elevat, ut ventum impediat, & molendinum inutile reddat.

3. Injuſtitia contingere poteſt; quandò pluramolendina legitimè ſunt extructa , ſic tamen,ut una pars determinata populi ad unum, alia ad alterum deferre ſua grana molenda teneatur. Quo caſu & molitores inducentes, & alij ad alterum divertentes, pro ratione damni illati,& juſtitia conventionis,ſive obligationis peccant. Dico pro ratione damni , & juſtitia conventionis,&c) ſæpè enim damnum valdè exiguum eſt , & conventio ac obligatio ſervitutem minùs juſtam inducit , & tunc non tenetur quis in conſcientia , ſed tantùm ad pœnam legis, ſi quæ ſit poſita. Undè apud me certa eſt ſequens

REGULA GENERALIS.

Lex merè civilis non obligat in conſcientia.

L*Ex merè civilis , quæ in ſe nullum includit ordinem ad legem naturalem, vel divinam, non obligat , nec obligare poteſt in conſcientia.* Vide quæ diximus to.n.2 tract.1. tit.9. quæſt.1 ,concluſ. 3. & per totum titulum. Undè cùm illa , quæ molendinorum inſtitutiones ſpectant , reſpectu civium merè civilia ſint , & ſervitutem quandam ſapiant , non videntur obligare in conſcientia,niſi eos,qui ex ſpeciali conventione ſe ad ea obligârunt ; ordinariè enim leges his adjunctæ, merè pœnales ſunt.

PROPOSITIO II.

Licet in ſuo fundo pro ſua familia molendinum extruere.

L*Icet cuilibet in proprio fundo pro ſe & ſua familia duntaxat molendinum extruere , modò illud nemini præjudicium inferat.*

Ratio eſt : Quia illud ad jus naturale & gentium ſpectat , & libertati uniuſcujuſque familiæ competit , niſi aliquâ lege ob cauſas prohibitum ſit.

Qui hoc illicitum eſſe poſſit.

Dixi (*modò illud nemini præjudicium inferat*) utpotè ſi aqua extrà fundum proprium ſit advehenda, aut ſi ex proprio fundo ſervitutem aliquam debeat decurſus in alterius fundum , qui per extructionem molendini diverteretur , aut inutilis redderetur. Dixi etiam in ratione (niſi aliquâ lege ob cauſas prohibitum ſit) poteſt enim fieri , quòd lege publicâ prohibeatur,quia eſſet in aliquod reipublicæ damnum. De his conſulendæ ſunt leges quarumlibet regionum.

PROPOSITIO III.

M*Olitores legibus juſtitiæ & æquitatis tam reſpectu molitionis , quàm reſpectu ſtipendij,& portionis acceptandæ ex farina,&c. obligantur,& juxtà qualitatem damni illati peccant mortaliter , vel venialiter,& obligantur ad reſtitutionem.*

Injuſtitiæ molitorum commun.æ. 1. Si granum mutent in deterius.

Tribus porrò modis injuſtitiam molitores committere ſolent. 1. Si bladum vel granum acceptum immutent in aliud,quod etſi ſit ejuſdem ſpeciei,eſt tamen minoris bonitatis & valoris;hoc autem ſolent facere , ut illud meliùs divendant & pretio diſtrahant , vel ipſi conſumant,in quo & multùm lucrantur, & alteri injuriam faciunt, teneniorque ad reſtitutionem, ſaltem pretij,quo illud plùs valebat , prætterquàm quòd ratione farinæ ex malo frumento extractæ,& ſuppoſitæ pro bona , varia incurrant incommoda illâ utentes : poteſt enim fieri,quòd farina,quam pro probato grano reddiderunt,proveniat ex grano corrupto , non tantùm minùs valente , ſed etiam naturæ officiente , in quo ratio damni vel infirmitatis cauſatæ benè expendenda eſt.

2. Si varia miſceant.

2. Peccant , ſi diverſorum granorum farinam ſimul immiſceant , cùm acceperint unius ſpeciei granum : indè enim fraudes multæ fiunt in damnum eorum , qui granum attulerunt.

3. Si plùs debito pro ſtipendio accipiant.

3. Peccant, ſi pro ſtipendio & portione ſibi pro opere aſſignata plùs debito accipiant , vel, ut non advertatur , pondera immutent , alterius generie farinam , immò quiſquilias immiſceant,& farinas corruptas,nec non horrendo facinore, quandoque arenam : ſuper quibus ſunt examinandi. Et hæc ſunt ordinaria molitorum peccata ſpectantia ad ſuum opus : alia enim , ut : quòd in die feſto molant , aut Miſſam non audiant,ad Eccleſiæ præcepta pertinent. Similiter,ſi (quod non eſt rarum) gabellas juſtas defraudent.

§. 6.

De Piſtoribus.

Piſtorum obligationes quæ.

P*Iſtores,* Molitores in præparatione alimenti panis ſequuntur , quorum obligatio eſt :

1. Artem piſtoriam benè callere.
2. Ex farina probata panes pinſere.
3. Si publici ſint , & pro populo in clibanis, ſive piſtrinis bannerijs vel publicis panem pinſant,eâdem farinâ,quæ oblata eſt,panes pinſere,& benè coctos reddere;ſi alijs divendant, in debita bonitate & pondere juſto pretio panes

suos venales exhibere. 4. Ab omni fraude & injustitia abstinere.

PECCATA

Pistorum.

Peccant si panes malè pinsunt.

VNdè graviter peccant 1. Si ex ignorantia artis pistoriæ alienos panes malè pinsunt & coquunt, ità ut vix comedi possint, undè tertio grave damnum & injuriam facere convincuntur, farinam aliàs bonam potiùs corrumpentes, quàm in panem convertentes.

Si farinã acceptam miscent.

2: Qui farinam acceptam adulterant, miscent, & variè componunt, in grave damnum eorum, pro quibus operantur.

Si pro pane triticeo mixtum vendant.

3. Qui pro pane triticeo vendunt panem mixtum vel alteratum siligine, hordeo, &c. æquali tamen pretio, quo merum triticeum venderent.

Si pondus diminuunt, vel, ut suppleant, varia immiscent.

4. Qui de pondere justo diminuunt, aut, ut pondus suppleant, varia immiscent, aut non benè coquunt, ut humiditatis aliquid remaneat; immò inventi sunt, qui furfur, quisquilias, & arenam intùs immiscent, quod abominandum scelus est, & contrà omnem humanitatem.

Culpantur præfecti, &c. annonæ militaris.

De quam humanitate, & plusquam ferina crudelitate, ac intolerabili injustitia damnandi sunt, qui cum Rege conveniunt, ut annonam panis militibus distribuant; etsi enim de probato pane distribuendo conveniant justo immò sæpè excessivo pretio, panem tamen corruptum, malè pistum, pessimè coctum, vix cane dignum, militibus administrant: in quo sæpè etiam ejusdem criminis rei sunt annonæ præfecti: qui cum pistoribus conveniunt, & non rarò capitanei vel tribuni, qui etiam ab illis contributionem aliquam capiunt, quæ reverà peccata in cœlum clamantia sunt, pro quibus sæpè sæpiùs ira Dei in regna & patrias desævit.

§. 7.

De Laniontibus, Macellarijs, Cocis, Cauponibus, & alijs cibo aptando deservientibus.

HI sunt ferè, qui ad paranda alimenta in carnibus, & hujusmodi humanæ vitæ deserviunt: Laniones quidem in mactatione congrua animalium, ut alimento aptentur. Macellarij, ut carnes vendant, & communi necessitati distrahant. Coci, ut præparent. Caupones, ut præparatum cibum apponant. Nil porrò in hoc sæculo tam integrum, quin fraudibus & peccatis pateat.

PECCATA

Lanionum & Macellariorum.

Peccant si carnes corruptas, pro bonis vendunt.

LAniones igitur & Macellarij, qui ordinariè in eandem personam conveniunt, 1. Peccant juxtà qualitatem & quantitatem damni, si carnes infectas aut corruptas divendant, earum infectionem, aut corruptionem malitiosè tegentes, maximè si ex illis infirmitates causentur, in casu enim infirmitatis causatæ, præter peccatum, tenentur satisfacere damno.

Si inflationibus &c. alterant.

Peccant 2. Qui carnes variè alterant inflationibus, vel alijs medijs, ut corpulentæ appareant, quo peccato non rarò offendunt laniones.

Si unam pro alia vendant

Peccant 3. Qui variè illas immutant, vendentes ovinam pro vervecina, vel arietina, vaccinam pro bovina, auctione pretij.

Si pondus falsificant, &c.

Peccant 4. Qui ponderibus falsificatis utuntur, vel miscent ossa, ut pondus augeant. Denique quidquid æquitati & justitiæ contrarium attentant, juxtà rationem damni, peccatum mortale vel veniale committunt. An verò possint laniones in Dominicis & Festis animalia occidere, excoriare, aut ad macellum præparare; id examinandum est juxtà levitatem vel gravitatem operis, & necessitatis circumstantias; communiter enim id non licet, quia opus servile est; levitas autem operis attenditur in excoriatione & præparatione leporis v.g. & similium, quæ videntur leviorem operam requirere. *Nota.*

PECCATA

Cocorum.

DE Cocis hîc vix aliquid occurrit dicendum; cùm enim officium cocorum maximè consistat in præparandis cibis, duobus tantùm ferè modis ex indirecto peccare possunt.

Peccant si in præparatione ciborum omnis temperantiæ modos excedant.

1. Si in præparatione & condimento ciborum omnis frugalitatis & temperantiæ humanæ modos excedant, sive ille modus in excessu pretij & impensarum prodigarum, sive in incentivo gravi carnis & appetitûs, aut concupiscentiæ carnalis consistat, per innumerabiles præparandorum ciborum inventiones: contrà quas declamant sancti Patres, D. Ambrosius lib. de Elia & jejunio cap. 8. *Vacet* (ait) *fumo & seminstolorum nidore non coquinam, sed carnificinam putes: prælium geri, non prandium parari: ità sanguine omnia natant. Malè domina servitur gula, qua semper expetit, nunquam expletur.* Gravissimè Clemens Alexandrinus l. 2. Pædag. c. 1. *Cùm corruptus* (ait) *& constupratus sit gustus miserâ & infaustâ condiendi arte, & inani in faciendis bellarijs artificio.* Infrà. *Videntur reverà hi insatiabiles, & solliciti, ac anxij ciborum indagatores, ad delitias ac voluptates suas mundum irretire, sibilantibus sartaginibus undique circumstrepentes, & certà cochleare ac mortarium totam vitam suam consumentes, edaces, atque adeò omnivori homines materiam ignis instar apprehendentes.* Et infrà iterùm: Nullum (inquit) *habet terminum delicata ingluvies. In liba enim placentas, & bellaria provecta est, merendatum, & cœna appendicum*

S. Ambro.

Clemens Alexand.

dicum multitudinem inveniens: &c. Et turpitudinem illam homine indignam concludens: *At mihi quidem* (ait) *videtur homo, qui est hujusmodi, nihil est aliud, quàm bucca aut maxilla.* Videatur Author Quæ omnia etiam deplorabat aliquando Philo Judæus l. 2. de plantatione Noë

Philo Iud

circa finem: *Nostra verò* (inquit) *ætas fert coquos & cupediarios, tinctores & unguentarios, magnâ curiositate semper novum aliquem colorem, novamve formam, aut odorem, aut saporem comminiscentes in gratiam sensuum, ut Imperatorem suum oppugnent intellectum.* & lib. de vita contemplativa statim post medium, loquens de excessu in mensis conviviorum, ait: *Sic fit ut septem vel etiam plures mensæ inferantur, plenæ omnium quæ terra, mare, amnes, aerque ferunt, selectu suavissimis carnibus terrestrium, aquaticorum ac volucrium, paratura simul ac conditura variantibus.* Vide & S. Chrysost hom. 15. ad pop. Antioch. & alios passim.

In his igitur sicut homines, qui eis utuntur, in gravissima peccata prodigalitatis, gulæ, intemperantiæ, & carnalitatum incidant necesse est; sic coci. & qui ea præparant, inveniunt, comminiscuntur, tamquam peccatorum gravissimorum ministri, & cooperatores, in statu damnationis vivunt peccatis multis mortalibus irretiti.

Si cibos ita alterant, ut noceant sanitati.

2. Ex indirecto peccant, qui cibos ita alterant, ut sæpè sanitati hominis noceant, ex ignorantia quidem condimentorum, quæ sanitatis venena sunt, quarum tamen rationem ex vi artis suæ habere tenentur.

Alia etiam peccata.

Alia etiam peccata hic poni possunt, ut si tempore prohibito parati sint cibos etiam vetitos præparare, non attentâ necessitate vel causa rationabili ejus qui postulat, sive comedentis, nisi qui petit potestatem in illos habeat, cui sine suo notabili incommodo non possint resistere.

PECCATA

Cauponum sive Tabernariorum.

SEquuntur caupones, qui nimirùm tabernas tenent, & ad mensam sive hospitium quosvis adventantes recipiunt: de quibus multa in Canonibus: etsi enim per se tabernæ & caupones necessitati publicæ deserviant, quia tamen in illorum domibus multa inordinata & mala contingere solent, habentur nomus tabernariorum minùs honestæ, & personis frequentantibus illas infamia quædam inuritur.

Distingui debent taberna à meris hospitiis.

Distinguendæ tamen sunt tabernæ ab hospitiis meris, ad quæ solùm hospitii & itineris sive necessitatis gratiâ homines declinare solent; hæc enim absque nota ex occasione adire, nullam habet causam inhonesti. Et quidem Clericis semper inhibitum fuit tabernas intrare: unde Canon 53. Apostolorum allegatus à Gratiano d. 44. cap. Nulli: *Si quis Clericus in caupona comedens deprehensus fuerit segregetur; præterquam si in publico diversorio in via propter necessitatem*

Can. Ap. st. c. Nulli.

diverterit. Et ibidem allegatur Can. 27. Concilii Carthaginensis III. *Clerici* (ait) *edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.*

Concil. Carthag

Peccata igitur Cauponum sive tabernariorum paucis subjicio.

Peccant, si potum mixtum pro puro vendunt.

Peccant itaque 1. Caupones sive tabernarii, qui cerevisiam vel vinum lymphatum vel sophisticatum aut variè mixtum pro puro vendunt, vel dolosè subministrant; & si mixtio sanitati hominis sit nociva, ita ut hospes, sive qui ibi potum sumit, ex illa infirmetur, tenentur ad damnum.

Si mensuram minuunt. &c.

Peccant 2. Qui mensuris iniquis, sive diminutis cerevisiam vel vinum subministrant, aut excessivo pretio vendunt; aut plùs adnotant, quàm bibitum sit; qui denique universaliter, in cibis, potibus, lignis ad ignem & aliis hujusmodi injustitias committunt, ea occultè subtrahendo, immutando, vel cariùs vendendo, tenentur ad restitutionem, ac in materia gravi mortale peccatum committunt.

Si scorta, ludos alearum &c. fovent

Peccant 3. Qui lenones, meretrices, ludos alearum & chartarum in suis tabernis communiter fovent & tollerant. *Ratio est*: quia eis imputantur peccata, quæ in ludis hujusmodi committi solent, utique gravissima; censentur enim illis, si non impulsivam, occasionalem tamen causam præbere, quia societates illas non tantùm fovent, sed etiam alliciunt, & juxta axiuma commune ex cap. *Sicut dignum*, de homicidio §, *Illi etiam: Non caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.* Item d. 83. c. *Error: Error, cui non resistitur, approbatur; Negligere quippe cùm possis perturbare perversos, nihil est aliud quàm fovere*: & c. *Consentire: Consentire videtur erranti, qui ad resecanda, quæ corrigi debent, non occurrit.*

c. Sicut dignum.

c. Error.

c. Consentire.

Si ad potum inebriativum alliciunt.

Peccant 4. Qui non tantùm promunt potum petentibus, sed etiam alliciunt ad potum etiamsi videant eos actu inebriari.

Si sustinent fures &c.

Peccant 5. Qui sustinent fures, latrones, grassatores viarum, &c. & eò magis qui eorum furtis communicant, vel cooperantur in furtis vendendis, distrahendis, quæ omnia non tantùm mortalia peccata sunt, sed etiam tales tabernarii pœnas tam juris ecclesiastici quàm civilis incurrunt, digni etiam morte temporali.

Si hospitantibus infideles sunt.

Peccant 6. Qui hospitantibus apud illos infideles sunt, non tantùm non eos protegentes, sed permittentes, ut hospitum sarcinæ, & res quælibet in hospitio quasi hospitis fidei commissæ, capiantur, aut saltem non impedientes ne capiantur; multò magis qui cooperantur, aut de periculo venientes aut exeuntes non monent, si periculum advertant. Hæc omnia & plura in istis tabernis tam in civitatibus, quàm furis ita communia sunt, ut vindictam miris clament, væ iis, quorum est invigilare ne fiant.

§. 8.

§. 8.

De vinitoribus & braxatoribus.

Vinitores dicuntur, qui ex uvis vinum exprimunt ut divendatur vel distrahatur; Vinopolæ verò, qui vinum distrahunt & vendunt. Sub his comprehenduntur ficeram exprimentes & vendentes. Braxatores denique sive coctores cerevisiæ dicuntur, qui ex granis cerevisiam conficiunt, qui est Belgarum communis potus.

Hi, cùm in venditione vini sive cerevisiæ interveniat contractus justus, tam in ratione rei quæ venditur, quàm in pretio, ac etiam mensura, varias injustitias committunt.

Vinitorum varia injustitia. 1. Si corrupta vina variè sophisticent & misceant, ut illa distrahi possint, quæ posteà dum ad emptores perveniunt, aut conservari non possunt, aut ita corrumpuntur & acescunt, ut divendi nequeant, magno emptorum damno, quibus etiam in causa sunt, ut diversas artes adinvenire debeant denuò vinum alterandi, ut se à damno totali immunes reddant.

Nota. Et hæc falsitas in vino multis patet non tantùm injustitiis & damnis, sed etiam sacrilegiis ratione sanctissimi sacrificii Missæ, cujus materia cùm sit vinum de vite, ita solent vina alterare, ut in compositum aliquod artificiale transeat, nec ampliùs sit vinum; unde nec in illo de facto consecrari potest, nec à parte rei verè consecratio fit: quod non solùm in vino hispanico contingit, quod melle ut plurimum ita miscetur, ut vix aliud quàm mel sapiat, sed & in aliis vinis. De quo monendi essent Sacerdotes, vel qui vinum pro sacrificiis subministrare tenentur, ut de vino puro solliciti essent.

2. Si aquam aut minora vina admisceant, & velut pura magno pretio vendant.

3. Qui denique fraudes, quarum indies nova seges crescit, adinveniunt, quibus & personis, & eorum bonis, damnum inferunt.

Item braxatorum. De coctoribus cerevisiæ vix minora dici possunt; hi enim grano bono & puro parcunt, & malis ac incongruis granis, ut boucquettis, &c. seminibus, herbis inebriativis, radicibus, & (ut veriùs exprimam) sordibus suam aquam inficiunt; præterquam quòd lignis & igni parcentes aquam vix coctam, quæ per siliquas aliquas transivit, pro cerevisia, magno pretio & iniquissimo nomine cerevisiæ divendunt; unde infirmitates graves proveniunt: quorum delictorum Magistratus, qui non invigilant, aut non curant ea emendari, participes fiunt.

TITVLVS II.

De personis vestimento servientibus.

Alimentum consequi debet vestimentorum cura & solicitudo, quæ etiam in hoc pertinet ad populi Rectores, ut personæ in rempublicam adsciscantur, quæ & materiam vestimentis convenientem suppeditent, & vestimenta juxta morem regionis conficiant. Unde & Proverb. 31. laudatur providentia mulieris fortis, quæ non tantum providit cibaria domesticis, sed etiam cujus domestici vestiti sunt duplicibus, ut non timeret domui suæ à frigoribus nivis; hæc utique duo ad conservationem vitæ humanæ spectant. *Prov 31.*

Porrò personæ sequentes ad vestimentorum congruam providentiam in republica pertinere dignoscuntur: *Lanifices*, sive *pannifices, textores, sartores, sutores*, de quibus sequentibus paragraphis. *Vestimenta quæ personæ deserviant.*

§. 1.

De Lanificibus sive pannificibus, & textoribus.

Lanificina quidem artium mechanicarum prima, vitæ humanæ necessaria est, tum ad arcendum frigus, & corpus ab injuriis defendendum, tum ad pudorem nuditatis humanæ cooperiendum, &c. sub se verò continet textoriam, filatoriam, & omnem artem, quæ in lana, lino, pilis, serico operatur. *Lanificina hominibus necessaria*

Hæc porrò ars ex se bona & laudabilis est; unde & Proverb. 31. mulier illa fortis, de qua suprà, laudatur, quia *quæsivit lanam & linum, & operata est consilio manuum suarum*; quia *stragulatam vestem fecit sibi*; *byssus & purpura indumentum ejus*; demùm quia *sindonem fecit, & vendidit, & cingulum tradidit Chananæo*: quæ omnia hujus artis opera sunt, & quæ unicuique pro sua necessitate, & congruitate status, conveniunt: Etsi autem artes illæ ex se laudabiles & necessariæ sint, ex corruptione tamen naturæ, & malitia hominum multis fraudibus & injustitiis sunt subjectæ. *Prov 31 13 Vers 22. Vers. 24.*

Peccant igitur 1. qui lanam præparant & vendunt adulterinam vel diminutam pro bona & probata; infectam vel corruptam pro integro, Belgicam pro Hispanica, &c. & eodem quidem pretio quo probatam vel certæ qualitatis lanam venderent, cùm tamen alterius sit qualitatis, æstimationis, vel pretii. *Lanificii, textorum, &c. peccata enumerantur.*

Item peccant, qui in pondere defraudant; madefacientes sive humectantes lanam, ut ampliùs ponderet, & minùs de illa præstent, quæ fraudes etiam in lino, serico, & hujusmodi intervenire solent.

Item

Item peccant, qui lanas tinctas divendentes, tincturis adulterinis & sophisticis utuntur, vel etiam in tincturæ opere lanam inficiunt, comburunt, aut aliter valori lanæ officiunt; & nihilominus pretium probatæ tincturæ, & tinctionis accipiunt: Quod iterum ad tincturam lini, serici, &c. applicandum est.

Item, qui diversas lanas permixtas ad invicem divendunt eodem pretio quo si ejusdem qualitatis essent: tenenturque ad restitutionem damni, quod ex ista commixtione sequitur.

Peccant 2. Qui lanam, linum, sericum filant, simisceant fila scienter unius qualitatis lanæ cum altera; vel linum cum lana; aut linum cum serico, &c. Dixi (scienter) si enim ignorent, jam peccatum redundat in eos qui illis filationem imposuerunt, sive materias tales subministrarunt. Nec minùs peccant, qui pauperculas filatrices decipiunt, vel defraudando in pretio laboris, vel augendo opus ut in 13. aut 14. uncias ad opus dando pro decem vel undecim.

Peccant 3. Textores, qui lanam, linum sericum sibi pro textura data in damnum magnum mercatorum vel ementium mutant, miscent & alterant. Item, qui non satis torquent, vel stringunt, aut texunt. Item, qui nimis extendunt, ut in aliquot ulnis unam lucrentur: qui in extensione dilacerant, & denuò studiosè consuunt, ut divisio non appareat.

Peccant 4. Qui eadem sequentes mala principia quæ præcedentes, distrahunt pannos supradictis defectibus aut fraudibus alteratos aut diminutos, tamquam probatos. Item, qui summum pretium excedunt. Item, qui in ulnis & mensuris injustitiam committunt: Quâ etiam lance examinandi sunt, qui linea, serica, pellicea vendunt & distrahunt, similes enim in omnibus fraudes miscentur, & prout in Apocalypsi c.13 dicitur: Pauci inveniuntur qui possint *emere aut vendere, nisi qui habet characterem bestiæ aut nomen ejus.* Apoc. 13. 17.

§. 2.

De Sartoribus.

Sartorum fraudes & peccata.

ET hi vestimento necessarii sunt, interim ars illa suis fraudibus scatet.

1. Si non fideliter vestimenta consuant, aut arte debitâ illa disponant, unde damnum oriatur ei cui vestimentum conficitur, aut quia citò dissuitur, aut aliunde citiùs frangitur, maximè si sufficiens pannus sive materia est subministrata.

2. Si de panno serico, tela, bombice, &c. partem subtrahant & suffurentur, nisi fortè in compensam laboris facerent in casu quo eis stipendium sufficiens non daretur.

3. Si inventores novitatum fuerint, aut singulari industriâ vestes impudicitati & vanitati servientes faciant, de quibus omnibus egimus, ubi de vestimentorum luxu. part. 1. tract. 2. it. 2 quæst. incidentali §. 1. egimus. Hæc enim est opinio Sanctorum, quòd qui talia vestimenta, ornamenta, & alia, quæ ad pompam Diaboli spectant, invenerunt, publica fecerunt, suis industriis augent, & ex professo illis vacant; tamquam cooperatores Diaboli, & ministri ejusmodi damnatarum vanitatum in peccato mortali & statu damnationis vivunt. Vide nostrum Alexandrum de Ales Doctorem sanctum & irrefragabilem tract. 2. de ornatu.

N vitatum &c. inventores ac promoteres sunt in statu damnationis.

Alexander de Ales.

4 Peccant juxta rationem damni & injustitiæ, qui veteres vestes ita appositè purgare, restituere, & apparenti quâdam specie parare norunt, ut eas pro novis & integris vendant in grave ementium interesse.

§. 3.

De Sutoribus.

ET ars cerdonum sive sutoria reipublicæ utilis & necessaria suas fraudes habet & peccata.

Fraudes & peccata Sutorum.

1. Materiam calceorum immutant vendentes in calceis unius generis corium pro altero, impingentes intùs vetus & improbum corium pro novo, madefactione, percussione, calefactione variè corium immutantes, ut ementes decipiant in grave damnum eorum, quibus reverà pro damno tenentur, eò quòd omnibus computatis ultra dimidium, nonnunquam vendant calceos, ocreas, & alia suæ artis opera.

2. Nec vanitati, luxui, & impudicitiis augendis in extrema & contemptibili parte corporis desunt, suis inventionibus & industriis quibus etiam pompæ Diaboli adminiculo sunt. Si enim apud Isaiam cap. 3. *In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, &c.* in detestationem istarum vanitatum; quid de intolletabilibus modò calceorum figuris, quibus non tantùm contra Scripturam adjicere volunt ad staturam mulierculárum cubitum unum, sed audaciâ majori in longitudinem calceorum addunt ferè palmum dimidium, ut non modò in Idumæam, sed & in infernum extendant homines calceamentum suum: Quibus non aliud dicendum, quàm quod sartoribus dictum, quòd sicut vanitati, sic & libidini faces administrent; tritum est enim illud Scripturæ de Judith respectu Holofernis c. 16. *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus.* Nec aliâ ratione illa fiunt, nisi ad insipientium oculos rapiendos, veræ Diaboli pro incautis tendiculæ.

Qualiter peccent per inventiones novitatum. Isa. 3. 18.

Nota.

Iudith 16. 11.

Hic specificandum fortè fuisset de aliis multis artificibus, qui & præfatis deserviunt, sed vel in iisdem, vel in similibus eorum peccata consistunt: ita, ut non sit opus illos specificare, quinimò & hoc impossibile reputo, quia infinitæ artes meretriculæ indies multiplicantur pro Babylone illa ornanda, quorum nomina & modi novitet inventi, utinam ab omnibus sicut & ipsæ res ignorarentur.

TITU-

TITVLVS III.

De personis medicamento servientibus.

Medicina hominibus necessaria. Vitæ humanæ, morbis & infirmitatibus subjectæ, non sufficit in republica alimentum, vestimentumque, nisi etiam medicina illi subveniat; ideo medicorum & Physicorum ars & scientia à Deo subministrari debuit Eccli 38. *Honora medicum propter necessitatem; etenim illum creavit Altissimus. A Deo enim est omnis medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina medici exaltabit caput illius, & in conspectu Magnatorum collaudabitur. Altissimus creavit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa, &c. Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis.* Et enarrans effectus medicinæ & medicamentorum: *In his (ait) curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis, & non consummabuntur opera ejus, &c.* Ex quibus omnibus colligitur, quanta sit necessitas Medici, quantaque scientia ejus esse debeat, & à quo præcipuus medicinæ effectus sperandus sit.

Eccli 38. & seqq.

Vers. 6.

Vers. 7.

Et quæ personæ deserviant. Porrò personæ medicamento servientes communiter assignantur, Medici, Chirurgi, Circulatores, Aromatarii, sive Pharmacopolæ, quibus jungunt nonnulli obstetrices: de quibus omnibus sequentibus paragraphis.

§. 1.

De Medicis.

Tria in Medicis requiruntur. Tria in Medicis requiruntur, ut reipublicæ in sua arte publicè deserviant: *Scientia approbata juncta experientia; Fidelitas; cura & sollicitudo vigilans circa infirmum.*

1. Scientia approbata. Primum itaque est *scientia approbata*; absque enim scientia sufficienti nulli licet officium Medici suscipere, aut illud administrare ob periculum cui infirmi exponerentur, & damnum quod reipublicæ inde eveniret; unde tam persona se exponens, quàm Magistratus admittens, in casu defectus scientiæ mortaliter peccant, tenenturque tum homicidiis, tum damnis, quæ populo ex hujusmodi admissione solent accidere.

Illa quid requirat. Porrò scientia illa, etsi potissimùm sit ars practica, quia circa praxim versatur, requirit tamen speculationem & notitiam corporis humani, & constitutionis ac complexionis ejus: similiter herbarum, succorum, radicum, metallorum & aliorum, quæ in medicinis adhibentur; nam ut benè Ecclesiasticus supra: *Altissimus creavit de terra medicamenta*, id est, ea quæ medendi virtutem habent, & subdit: *Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus scientiam Altissimus, honorari in mirabilibus suis.* A qua scientia laudatur Salomon, qui juxta Scripturam *disputavit super lignis, à Cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete, &c.* Ex cujus scientia sine dubio multa successu temporis didicerunt Medici, & traditione quâdam continuâ in alios transfuderunt. Unde & S. Ambrosius lib. 3. Hexameron c. 13. *Ea (inquit) medicina antiquior, quæ herbis curare consuevit & succis, nec ulla firmior sanitas, quàm quæ salubribus reformatur alimentis, &c.* Infrà: *Herbis certè ulcera aperta clauduntur, herbis curantur interna. Ideoque Medicorum est opus, herbarum potestates noscere; hinc enim medendi usus inolevit.* S. Ambr.

Eccli. 38. 4.

3 Reg. 4. 33.

A quibus debeant approbari. Dixi (*scientia approbata*) approbatio autem illa debet dari, vel ab Universitatibus, vel à magistris in medicina peritis, idque fideli testimonio, & non favoribus emendicato in perniciem reipublicæ, & infirmorum: unde S. Antoninus 3. p. tit. 7. c. 2. *Medicus sit (ait) peritus in arte, ita quòd à peritis talis facultatis communiter reputetur idoneus; nec sufficit quòd sit Doctoratus; cùm multi hodie in omni facultate magistrentur, & doctorentur indigni, in damnationem sui & promoventium eos: aliàs ubi ex ignorantia notabili in curis suis nocent infirmis, semper peccant mortaliter, facientes contra illud preceptum: Non occides, &c.* Addit idem S. Antoninus ibidem §. 5. Medicos, qui ad officium medendi in republica assumuntur, debere esse legitimo thoro natos, & juramento publico obstrictos, quod ex variis juribus probat: quem vide. Majorem verò requiri scientiam hoc tempore quàm antiquitùs benè notat Seneca epist. 95. *Medicina quondam (inquit) paucarum fuit scientia herbarum, quibus sisteretur fluens sanguis, vulnera coirent paulatim: Deinde in hanc pervenit tam multiplicem varietatem. Nec mirum est (subjungit) tunc illam minùs negotii habuisse, firmis adhuc solidisque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto.* S. Anton. Seneca.

Debet esse juncta experientia. Dixi (*scientia approbata juncta experientia*) scientia enim medicinæ absque experientia periculosa est; nec Medicus inexpertus, quantumvis doctus, admittendus est, nisi sub aliis, vel cum aliis experientiam congruam sit adeptus: quod benè notavit S. Ambrosius in præfatione ad psal. 37. in initio. *Unde (inquit) medicina, nisi de vulnere sumpsit exordium; dum prima ætas generis humani docet alios quod sibi profuit, & quemadmodum vulnus suum sanaverit alys ostendit; usus artem fecit, & ægritudo magisterium. Ipsa est enim prima & valida secta medicina, quam experientia, non conjectura formavit. Ideoq. ab experientia ἐμπειρικοὶ, primò Medici sunt vocati, & ex ea secta cætera derivata sunt, atque ab ea usum quendam sua sumpsere virtutis.* Hæc sanctus Ambrosius, qui in his alludit ad quandam divisionem Medicorum, quorum alii Methodici, qui quandam methodo brevi & succinctâ medicinam tradiderunt & exercent: Alii rationales, qui multâ doctrinâ & quæstionibus, non solùm medicamentorum virtutem, sed & corporis humani naturam, causas etiam externas aëris regionem, astrorum, diligenter inquirunt, ut morbis medeantur. Alii Empyrici, qui S. Ambr. *Medici methodici qui.* *Rationales qui.* *Empyrici qui.*

qui solâ experientiâ innituntur, ut sunt illi circumforanei & circulatores, de quibus infrà. In omnibus autem experientiam doctrinæ cujuscunque directricem esse debere, extrà controversiam est, quia ut benè Plinius lib. 26. natur. cap. 2. *Medicina præcipuè efficacissimus magister, usus*: sola tamen experientia non sufficit, quemadmodùm nec scientia sola, sed utraque in eandem personam convenire debet, ut boni medici officio ritè fungatur.

Plinius.

2 Requiritur in medico fidelitas, & in quo consistat.

Secundù quod in medico requiritur, est *Fidelitas*, quæ in hoc maximè consistit, ut fideliter primùm de morbo, de causis, & qualitatibus morbi, de personarum constitutione & complexione inquirat; deinùm magis certa, congrua & efficacia ad sanitatem consequendam medicamina adhiberi procuret. fidei enim ejus infirmus committitur, & ejus consilio & sententiæ statur juxta illud ejusdem Plinij lib. 29. cap. 1. *In hac artium sola evenit, ut cuicunque medicum se professo statim credatur, cum sit periculum in nullo mendacio majus.* Undè & S. Gregorius Nazianzenus in primo apologetico post initium: *Enimverò (inquit) medicus regiones & tempora & ætates, & anni partes, cæteraque hujus generis explorabit, medicamenta etiam proponabit ægrotanti, victusque rationem præscribet, noxiaque observabit, nè prædijs artis ægroti cupiditates obsistant.* Nam ut benè Seneca ad Helviam matrem: *In morbis nihil est magis periculosum, quàm immatura medicina.*

Plinius.

S. Gregor. Nazianz.

Seneca.

Ad eam spectat à superstitionibus, &c. abstinere.

Ad fidelitatem etiam medici spectat, ut naturalibus medicinis contentus, ad superstitiones, vanas observantias, artes magicas non recurrat. quæ in aliquibus regionibus satis familiares sunt, maximè circumforaneis illis medicis, empiricis & circulatoribus, sive parabolanis, ad quas ingrediendas servandæ sunt regulæ, quas dedimus tomo 2. tract. 2. p. 3. tit. 1. q. 2.

Secretos morbos &c. non propalare.

Rursùs fidei medicorum committuntur secreti morbi, vel causæ secretæ morborum. & aliæ circumstantiæ, quæ illis declarantur, & quæ committuntur secreto naturali; quæ si revelentur, interdum aut infamiam, aut aliud detrimentum causare possunt.

Non suadere media peccaminosa.

Denique ad fidelitatem medici ex Divino, ac Ecclesiastico præcepto pertinere dignoscitur; nè volens corpori subvenire noceat animæ; quod fit, si aliquid ordinet, suadeat, vel etiam simpliciter proponat, cui annexum est mortale peccatum: ex. g. ut ad humores evacuandos mulierem extra statum matrimonij cognoscat, ut seipsum polluat, vel pollui se procuret; ut ad vomitum causandum inebrietur. Qui autem ista suadent, vel etiam infirmo proponunt, præter peccatum mortale pœnam excommunicationis incurrunt, ut habetur c. *Cùm infirmitas*. §. *Cæterùm* de pœnitent. & remiss. ubi sic legitur: *Cæterùm cùm anima sit multò pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, nè quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculum animæ convertatur.*

c. Cùm infirmitas.

3. Cura diligens circa ægrotum, & qua illa requirat.

Tertium, quod in medico desideratur, est *Cura & Sollicitudo diligens circà ægrotum*: medicus enim, qui advocatur ut visitet ægrotum, eò ipsò, quò illum visitat, censetur suscipere curam illius, teneturque necessariam sollicitudinem adhibere secundùm principia suæ artis, ut quantum humana diligentia patitur, ei succurratur, quam curam exprimit Ecclesiasticus supra: *In his* (ait) *curans mitigabit dolorem, & unguentarius faciet pigmenta suavitatis, & unctiones conficiet sanitatis, & non consummabuntur opera ejus*: id est, adhibebit omnem operam, etsi interdùm non sanetur æger. Undè non sufficit simpliciter ægrum visitare ad salarium: sed, etsi non teneatur continuè adesse ægroto, tenetur tamen sæpiùs, si necessarium fuerit, redire; tenetur ordinare tam de diæta & observatione victûs, quàm de medicinis probatis, & maximè super pharmacopolis invigilare, ut quæ ordinantur, fideliter subministrent: ubi enim de pharmacopolæ scientia, aut probitate dubitaret, obligaretur ipsemet videre, & præsens esse in mixtione, & confectione potionis & medicamenti, ut docet S. Antoninus tomo 3. tit. 7 cap. 2, antè §. 1.

Eccli. 38. 7

S. Antoninus.

Ad curam etiam medici pertinet observare tempus magis oportunum, quandò æger non periclitatur, vel non urget necessitas, interim disponere corpus suis præparationibus, antequàm adhibeat urgentia medicamenta, quæ adhibita tempore non suo interdùm aut mortem, aut periculosa symptomata causarent. Undè S. Ambrosius in Psal. 36. ad illum versum: *Desine ab ira, &c. Medicus* (ait) *non statim adhibet medicamenta languori: si dolor fervet, fomenta adhibet ut mitescat dolor: si febris exæstuat, remedij tempus expectat, &c.*

S. Ambr.

Quæ in muliere gravida medico sint attendenda.

Ad curam etiam medici non parùm facit, ut benè advertat, nè dùm potionem medicam mulieri præscribit, gravida sit, & nè per potionem procuret abortum, maximè animato fœtu; in hoc enim homicidij reus convincitur, sive id ex negligentia, sive ex culpabili ignorantia contingat. Etsi enim in casu, quo mulier infirma periclitatur de vita, & aliter ei succurrere non potest, si constet fœtum necdùm animatum esse, liceat, immò teneatur medicus dare potionem; quia tunc tantùm censetur animatio impediri; meliùs autem est, ut non animetur fœtus, quàm ut mater extinguatur: (ut patet ex sancto Antonino supra §. 2.) peccaret tamen mortaliter medicus, qui extra casum periculi mortis potionem daret mulieri, qua aborsum procuraret, & fœtûs animationem impediret. Ratio est, quia in re gravi naturæ obesset, & opus Dei, & naturæ in fœtu jam ad animationem disposito impediret, in gravamen generationis humanæ.

S. Antonin.

Qualiter & quandò teneatur ægrum ad-

Denique debito charitatis additum est Ecclesiæ præceptum, ut medici curam spiritualis salutis ægroti gerant; nimirùm, ut ubi advertunt

monere de confessione facienda. Innoc. III. c. Cùm infirmitas.

tunt morbum invalescentem, etiam antè periculum mortis suadeant, ut advocetur primùm spiritualis medicus, qui à peccato animam curet: ità Innocentius III. c. *Cùm infirmitas* suprà citato. *Cùm infirmitas corporalis* (ait) *nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino languido quem sanaverat: Vade, & ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: præsenti decreto statuimus, & districtè præcipimus medicis corporum, ut cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos antè omnia moneant, & inducant, ut medicos advocent animarum: ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubriùs procedatur: cùm causâ cessante cesset effectus.* Hæc ibi. Quòd autem in morbo invalescente antè omne periculum mortis id sit providendum, constat ex causa, quam ibi adfert: *Quòd quidem in ægritudinis lecto jacentes, cùm eis à medico suadetur, ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde faciliùs mortis periculum incurrunt*: quia nimirùm terrore apprehensæ mortis conturbantur ex subito nuntio, cui malo providetur, si omnibus ægrotis, etiam antè omne mortis periculum instans, confessio peccatorum, & alia media salutis suadeantur.

Constitutionem Innocentij III quoad hoc innovavit & confirmavit Pius V. & qualiter.

Porrò hanc constitutionem Innocentij III. innovavit & confirmavit Pius V. constitut. 3. quæ incipit: *Suprà gregem*, data Romæ anno 1566. designato etiam tempore monitionis illius, nimirùm: nè ultrà tertium diem infirmum visitent, nisi peccata sua confessi sint accepto testimonio à confessario, vel nisi confessarius judicet confessionem in aliud tempus differendam: auget autem pœnam in constitut. Innocentij III. positam, quæ erat privatio ad tempus ingressûs Ecclesiæ, nimirùm, ut ultrà dictam pœnam habeantur infames, & gradu medicinæ, quo insigniti erant, priventur, & à collegio, seu universitate medicorum ejiciantur, ac pœnâ pecuniariâ arbitrio Ordinariorum mulctentur. Et demùm prohibet universitatibus aliquos ad gradum doctoratûs, vel praxim medicinæ promovere, vel admittere, nisi coram Notario publico, & testibus in eorum manibus, vel Ordinarij juraverint, se omnia in dictâ constitutione contenta observaturos, ità ut de hoc juramento facto mentio fiat in facultate, vel privilegio, quod accipiunt, medicinam exercendi; aliàs privetur universitas facultate alios ad gradus licentiæ, sive doctoratûs medicinæ promovendi: Item, mandat Episcopis, & alijs Ordinarijs locorum, nè quemcumque in civitatibus & diœcesibus suis permittant exercere medicinæ artem, nisi de hoc juramento præstito illis constet.

Constitutiones Pij IV & Gregor. XIII. circà medicos.

Quò etiam respicit constitutio Pij IV. quæ incipit: *In sacrosancta*, qua mandatur omnibus medicis, ut professionem fidei faciant antequam promoveantur. Et altera Gregorij III. quæ incipit: *Aliàs piæ*, qua prohibet medicos Judæos admittere ad curandos infirmos Christianos, sine dubio ob periculum tùm subversionis, tùm quia non tantùm non providerent infirmorum saluti secundùm animã, sed potiùs illam impedirent. Quæ omnia, etsi ubique non serventur, servari tamen in Ecclesia Catholica deberent, cùm non sint præcepta merè Ecclesiastica, sed pro substrato habeant debitum charitatis Christianæ, quam quilibet debet in hujusmodi occasionibus præstare proximo suo.

Amici &c. infirmi obligantur de advocando Parocho, &c.

Undè in constitut. Pij V. non tantùm obligantur medici procurare, ut infirmo Sacramentum pœnitentiæ administretur; sed etiam omnes conjuncti ac familiares & domestici monentur, ut Parochum certiorem de infirmitate faciant, & infirmum ad confessionem peccatorum suorum inducant. Et his concordat monitum Sapientis Eccli. 38. ubi cùm dixisset non consummari opera medici, id est, solâ curâ medici non restitui sanitatem, subjungit: *Pax enim Dei super faciem terræ*, id est, plena sanitas, quæ vocatur pax, à solo Deo provenit super terram. Eccli. 38.
Undè graviter & ordinatè infirmum exhortatur: *Fili, in tua infirmitate nè despicias teipsum, sed ora Dominum, & ipse curabit te*, quasi diceret, oratione opus est, non sufficiente medelà medici ad sanitatem consequendam. Vers. 9.
Et subdit virtutem pœnitentiæ: *Averte à delicto, &* Vers. 10.
dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum. Vers. 11.
Et adjungens sacrificium: *Da suavitatem & memoriam similaginis, & impingua oblationem*, &c. Tandem post hæc omnia, nimirùm, orationem, pœnitentiam, & oblationem, tunc primùm consulit adhibendum medicum: *Et da* Vers. 12.
(inquit) *locum medico: etenim illum Dominus creavit: & non discedat à te, quia opera ejus sunt necessaria.*

DUBIUM NOTABILE.

PETES 1. Quid si æger ex nimia apprehensione morbi vel mortis securæ ob monitionem medici, vel assistentium de confessione facienda, quasi de præparatione ad mortem, ità terrendus sit, ut periculum gravioris morbi, vel etiam mortis incurrat: an tunc medicus teneatur monere, & post tertiam visitationem infirmum deserere, nisi confiteatur?

Præceptum illud obligat medicos ad mortale. S. Antonin.

Pro resolutione hîc Advertendum est 1. ex sancto Antonino supra §. 4. mandatum Ecclesiæ medicis impositum, ut moneant & inducant infirmos antè omnia, quatenùs medicos animarum ad se advocent, antequàm corporales medicinæ adhibeantur, obligare ad peccatum mortale ex terminis præcepti, quod probat ex 14. quæst. 1. cap. *Quod præcipitur*, ubi quod imperatur, dicitur necesse ut fiat, hîc autem particula, *districtè præcipimus*, imperium & præsertim obligans importat: Unde & apud illum Ostiensis in Glossa hâc eâdem ratione hoc præceptum docet obligare ad peccatum mortale, asserens contrà illam constitutionem

præ-

præscribi non posse, nec eam aliquâ cõsuetudine tolli, cujus causam sine dubio supponere debet materiæ gravitatem, & periculum, cui infirmus exponitur, quod est damnationis æternæ, si in peccato mortali contingeret illum discedere.

Est limitatum ad 3. diem visitationis. Advertendum 2. Illud præceptum, quod generale erat omni tempore, per Pium V. fuisse limitatum ad tertium diem, quo medicus infirmum visitavit, ità ut ante tertiam illam visitationem medicus non teneatur præcepto Ecclesiastico ad monendum, vel inducendum infirmum ad confessionem. Dico (præcepto Ecclesiastico;) præcepto enim naturali divino, si periculum advertat, tenetur monere, ut infrà latiùs.

Distinctio aliquorum ad enucleationem istius præcepti. His sic prænotatis, nonnulla sunt etiam distinguenda. 1. Aut enim infirmus in aliquo periculo mortis vel gravioris morbi versatur, qui illum posset reddere ad munia salutis obeunda ineptum, ut in vehementi febre, &c. Aut nullum subest omninò periculum mortis, vel gravioris morbi. 2. Aut infirmus probabiliter creditur Sacramento pœnitentiæ indigere, eò quòd timeatur, nè sit in statu peccati mortalis, eò quòd fortè tantam curam salutis suæ non habuerit, rarò confessus fuerit, &c. Aut creditur probabiliter non indigere, eò quòd frequentiùs, ut singulis hebdomadibus confiteatur, ac frequenter communicet, vel Missam celebret. 3. Aut speratur infirmus acquieturus monitioni medici: Aut timetur propter vehementem apprehensionem mortis, & turbatam imaginationem non acquieturus, sed majori turbatione percellendus, & ex illa apprehensione & turbatione incapax reddendus ad confessionem faciendam, & ad alia munia salutaria. His sic suppositis & distinctis:

Ex vi præcepti tenentur medici admonere omnes notabiliter infirmos. Respondeo 1. Præceptum medicis impositum decreto Innocentij III. de monendo infirmo ad faciendam confessionem, est universale, comprehendens non tantùm infirmos in periculo mortis, vel gravioris morbi constitutos, sed etiam quoscunque aliquâ considerabili infirmitate laborantes.

Præcepti ultima mens & finis. Responsio hæc constat ex fine & occasione præcepti, quam Pontifex ponit in citato capite *Cùm infirmitas*, nimirùm ad tollendum terrorem aliquorum, qui acceptâ monitione confessionis tanquam si mors immineret, aut periclitarentur de vita, in desperationem abierant: ad tollendam igitur apprehensionem illam ordinavit Pontifex, ut omnibus infirmis tempestivè illa monitio à medicis fieret, ut cùm jam omnibus infirmis ista observantia esset communis, nemo terreretur. Finis etiam præcepti insinuatur, quòd infirmitas corporalis nonnunquàm ex peccato proveniat, quod cùm commune sit non tantùm infirmitati mortiferæ, sed etiam alijs minùs periculosis, imponitur confessio tanquàm medium sanitatis, ut scilicet sublato peccato infirmitas (casu quo ob peccatum à Deo inflicta esset) tolleretur: quod etiam commune est infirmis, cùm nesciant, an à Deo immittente: an aliundè infirmitas proveniat. Undè communiter debet servari à medicis hoc præceptum, quia pro communi bono infirmorum, & ad præcavendos eventus aliquos fortuitos, qui omnibus evenire possunt, adhibitum est, adeoque communiter adhiberi debet, nisi aliqua causa rationabilis excuset.

Periculosè infirmos tenentur admonere sub mortali. Respondeo 2. In morbis periculosis semper adhibenda est monitio dicta sub peccato mortali.

Ratio est: Quia in morbis periculosis supponitur esse materia gravis, & præcepti illius transgressio potest esse respectu infirmi causa damnationis æternæ, ob neglectam pœnitentiam, & confessionem Sacramentalem, adeoque medicus advertens periculum, ex charitate tenetur tempestivè infirmum monere, cui obligationi præceptum Ecclesiasticum additum est ad majorem energiam.

Secùs si nullatenùs periculosè infirmi fuit, aut probabiliter creduntur non indigere confessione. Respondeo 3. In morbis nullatenùs periculosis, vel quandò infirmus moraliter creditur non indigere confessione, sive quòd sæpiùs confiteatur, sive quòd à paucis diebus fuerit confessus, etsi sanctum & utile sit monere, medicus tamen sub peccato mortali non tenetur admonitionem illam præmittere.

Ratio est: Quia cessante materiâ rigoris præcepti, cessat præcepti rigor; Atqui in infirmo, qui nullatenùs periculosè laborat, aut qui confessione non indiget, cessat materia præcepti: Ergò cessat & præcepti rigor. Minor patet, quia (ut dixi) etsi confessio semper utilis sit, non est tamen verè necessaria ei, qui laborat infirmitate ab omni periculo libera, cùm nihil premat, nihil urgeat, si verò qui peccatum mortale non habet, ex natura Sacramenti non tenetur ad confessionem, etiam Ecclesiastico præcepto indictam. Undè monitiones illæ ab Ecclesia sub præcepto indictæ accommodè sunt accipiendæ, nimirùm, ubi causa & materia subsunt.

Objectio. DICES. Ecclesia hoc præceptum indixit in bonum aliorum, ut nimirùm eos, qui nimis apprehensivi sunt, communis observantia hujus præcepti apud omnes infirmos usurpata, liberet à nimia apprehensione mortis vel periculi. Respondeo hanc fuisse quidem causam occasionalem aliquam, sed non principalem præcepti, ut indicatur clarè in cap. *Cùm infirmitas*, ubi sic legitur: *Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto*, &c. Undè etsi fuerit occasionalis causa inter alias edicti, non fuit tamen causa rigoris præcepti, ut sub tanto rigore indiceretur, sed causa principalis fuit, nè infirmi, superveniente aliquo accidenti, aut ex vi ipsius morbi absque pœnitentia in peccato mortali morerentur. In casibus autem in responsione data expressis, tale periculum supponitur abesse. *c. Cùm infirmitas.* *Causa principalis ultima præcepti quæ.*

Quid si infirmus sit multùm apprehensivus.

Respondeo 4. Posito infirmo quantumcunque apprehensivo & refractario, de quo aliàs non constat probabiliter, quòd sit ad mortem dispositus, sive quòd in peccato mortali non sit, etsi credatur non acquieturus, sed magis perturbandus, tenetur medicus vel per se, vel per alium, aut alios, modis congruis illum monere, ac conari inducere tempestivè ad confessionem, & ut disponat de anima sua.

Ratio mea est: Quia ille verè in periculo æternæ damnationis versatur, & per Ecclesiam medico ipsi adhibito imponitur, ut illum moneat, & jure naturæ in tali casu, tanquam magis expertus & noscens periculum morbi infirmi, incumbit ei ex charitate, quantùm in se est, ab isto periculo infirmum liberare, cùm sit ejus proximus.

Quid si credatur quòd non acquiescet, sed magis turbabitur, &c.

Dixi (posito infirmo quantumcunque apprehensivo & refractario) Item (etsi credatur non acquieturus, sed magis perturbandus) Ratio est, quia, ut supponitur, in peccato mortali est, sive in periculo damnationis æternæ, quam non potest evadere sine debita & legitima pœnitentia, & peccati remissione. Undè saltem monendus est, & inducendus, ut saluti suæ provideat; quòd si refractarius maneat, aut in turbationem mentis incidat, nec velit acquiescere, saltem medicus suo officio satisfecit, nec est illi causa damnationis, quia æquè benè sic manens damnandus erat, & in peccato moriturus, nec poterat aliter eripi. Hic enim non valet effugium, quo dicitur: Ex duobus malis minus eligendum: nullum enim hucminus malum collatum cum malo periculi æternæ damnationis; cui omne aliud malum postponendum est. Heu! quantas fatuitates vidi, & à dæmonibus inductas fascinationes mundanis illis cognatis & agnatis, prohibentibus nè aliquis infirmo periculum, in quo versabatur, ullo modo indicaret, illo solo ducti argumento: quia turbabitur; quia apprehendet mortem; quia morbus augebitur. Et non attendunt animæ salutem periclitari, judicium Dei & damnationem æternam imminere, ideoque potiùs turbandum & commovendum esse in corpore ut anima salvetur, potens est enim Deus tunc apprehensiones sedare, & mentem quietare, de quo dicitur: *Commovisti terrã, & conturbasti eam: sana contritiones ejus, quia commota est.* Non rarò enim accidit, ut tales, qui putabantur turbandi, tanquam agnelli acquiescant, qui si commoniti non fuissent, æternùm periissent. Vidi ego aliud malum sub sole, virum magnum, quem suis damnabilibus tergiversationibus detinuerant, nè illi periculum certum mortis indicaretur, valdè resolute se ad mortem disponentem, cui aliundè majores insidias nonnulli struebant, dùm horulam, quæ illi relicta erat ad pœnitentiam, volebant denunciato periculo in dispositione temporalium harpiæ illæ impendi, quas abigere necessarium fuit.

Psal. 59. 4.

Qui putantur turbandi, tunc sæpè non turbatur.

Non tenetur medicus semper per se monere infirmum de confessione &c.

Dixi (tenetur medicus per se, vel per alium, aut alios, congruis modis infirmum monere) non enim tenetur per se, sed sufficit, & interdùm magis congruum est, ut per alium vel alios moneat, ac inprimis per Parochum, cui animæ cura incumbit; aut per alium confessarium, cui infirmus addicitur: vel denique per aliquem amicum & familiarem: bonum tamen semper est, ut medici judicium & auctoritas allegetur, quia eis in hoc casu magis credendum est. Nec etiam incongruis & importunis modis est agendum, sed res prudenter, discretè & suaviter est intimanda, nisi crederet alioquo terrore magis pru circumstantijs personæ & temporis utendum.

PETES 2. An infirmo nolente acquiescere, ut medicus spiritualis introducatur, medicus corporalis obligetur illum deserere? hoc enim indicant verba constitutionis Pij V. supracitata, ubi prohibetur medicis: *Ne ultrà tertiam diem infirmos visitent, nisi peccata sua confessi sint*, &c.

Nec tamen nolentem confiteri post 3. diem absolutè deserere.

Respondeo: Medicum post tertium diem non teneri omninò & absolutè infirmum nolentem confiteri deserere. Ratio est, quia hoc contrà jus naturæ & charitatis naturalis militaret (præcepta enim omnia intelligi debent intrà limites juris naturæ & charitatis) potest enim fieri, quòd infirmus, qui hâc horâ confiteri non vult, post unam aut alteram horam, immò & diem confiteatur, quia duodecim horæ diei sunt, quo tempore medicus interdùm possit vitam suis medicamentis prolongare, & pro salute spirituali ex charitate teneretur.

Substantia præcepti quoad hoc in quo sita sit.

Substantia itaque præcepti in hoc consistit: ut medicus ultrà diem tertium non procedat ad visitandum infirmum, sed tunc adhibeat omnem diligentiam, per se, vel per alium, ut ægrotus confiteatur, etiam sub pœna quòd illius curam derelinquet; si tamen adhibitâ diligentiâ, & aliquâ desertione ex parte medici, infirmus refragaretur, essetque adhuc aliqua spes vitam saltem protrahendi, non est interpretandus Pontifex nolle ut vita operâ medici protrahatur, si fortè infirmum respiciat ex alto Deus: hoc enim præceptum, quantùm ad hoc punctum, contrà charitatem Dei & salutem animæ militaret, cujus minister est Pontifex.

§. 2.

§. 2.

De Medicis, Circumforaneis, Empiricis, &c.

Hi quinam sint.

HI quidem, qui circumforanei dicuntur, potiùs pertinent ad pharmacopæos, vel empiricos, quia eorum operæ consistunt in quibusdam extractis, mixtionibus, confectionibus per alchimiam & alias artes eductis vel confectis, quorum quia nonnullam habuerunt experientiam in aliquibus, utuntur ferè communiter ad omnes simili morbo laborantes. Et hi ut plurimùm sunt vitandi; cùm enim medicinæ studium aut scientiam non habeant, non rarò infirmos gravissimis periculis exponunt: hoc enim tantùm habent, quòd sciant extracta illa ex re quavis educere, unguenta conficere, varias confectiones componere & miscere, sed quia statum infirmi ex principijs medicinæ deprehendere nequeunt, consequenter nec vim suæ medicinæ perfectè cognoscunt, etsi enim fortè in uno, aut altero medicinæ illorum aliquem sortiantur effectum favorabilem, id casui potiùs depurandum est, quam arti, vel scientiæ medicæ, & frequenter si in uno proficiant, in altero errant, & ei nocent; immò si sequatur aliquis bonus effectus quoad aliquam malam corporis affectionem, alteri corporis parti detrimentum magnum afferunt. Undè nec à magistratibus admitti deberent, cùm tamen non sine reipublicæ detrimento civitates & oppida circumeant, histrionem magis & morionem agentes, quàm medicum, medicis & medicinæ vel in hoc inimici.

Vt plurimùm sunt vitandi, & cur.

Et repellendi à magistratu.

§. 3.

De Chirurgis.

Chirurgi qui & in quo à medicis differant.

CHirurgi sunt medicinæ ministri, sive officiales; in hoc à medicis differentes, quòd medici de infirmitatibus judicent; medicamenta præscribant; modum, quo infirmis applicentur, ordinent: Chirurgi verò ad ea, quæ manu velut adhibitâ curari debent, manum curatricem arte dirigente adhibeant, ut in vulneribus, ulceribus, phlebotomia, membrorum alligationibus, secationibus, &c. Undè nominantur à χεὶρ χειρός, quod est *manus*.

Vnde dicti.

Quæ scientia in eis requiratur.

Et in his eadem proportionaliter requiruntur, quæ in medicis, nimirùm: *Scientia chirurgiæ experientiâ approbata*, & expertorum judicio confirmata, sine qua chirurgiam exercere nequeunt, & si absque tali scientia experientiaque à magistratibus admittantur, ipsi exercentes & magistratus admittentes, ob pericula quibus hominem exponunt, mortali peccato ut plurimùm se polluunt. Requiritur & *Fidelitas*, ut curando homini fideliter assistant, & remedia legitima suæ artis cum omni circumspectione adhibeant, & ab eventibus fortuitis & malis, quæ ex varijs causis evenire possunt, caveant. Requiritur & *Sollicitudo*, ne negligentiâ suâ, vel defectu vigilantiæ ac industriæ aliquod periculum, vel detrimentum patienti superveniat. Et omnia, quæ dicta sunt de medico, proportionatè chirurgo applicari debent: quæ prudens Lector expendat.

Fidelitas.

Sollicitudo.

§. 4.

De Pharmacopæis, sive Aromatarys.

Pharmacopæorum officium & obligatio.

ET medicis omninò necessarij sunt Pharmacopæi, sive Aromatarij, quorum officium est medicinas componere, & ad præscriptum medicorum disponere: In quo, cùm publico deserviunt, juramento adstricti sunt, utpotè se præscriptiones medicorum observaturus; se ea, quæ ad medicinas spectant, in apotheca sua fideliter asservaturos; se nemini, quod venenosum esse dignoscitur, præbituros. Et hos artis scientia, fidelitas & justitia in distribuendis medicinis maximè obligat. Scientia quidem, ut praxim medicinas conficiendi, miscendi, adhibendi norint. Fidelitas, ut probas (prout præscribuntur à medicis) non mutatas, non vitiatas, non corruptas, non nimis vetustas, aut jam evanidas subministrent. Iustitia: ut justo pretio divendant, in quibus multæ fraudes intervenire non rarò solent.

§. 5.

De Obstetricibus.

Obstetricũ officium in partu.

ET Obstetrices particulam aliquam medicinæ sibi usurpant, dùm industria & quadam arte uti debent, ut feliciter, absque detrimento matris & fœtûs, parturienti obstetricem manum adhibeant, ut lotioni, præcisioni umbilici, compositioni corporis puerilis, dùm partus egressus est, invigilent, ut denique omnia observent, quæ ad fœtûs & matris in illo actu conservationem necessaria sunt. Et ad hoc opus non possunt assumi nisi providæ & honestæ, ac expertæ, quarum vita & fama integra sit: multa enim illis incumbunt; nam præterea, quæ superiùs numerata sunt, adhiberi solent interdùm ut cognoscant: An puella integri claustri virginalis sit, an corrupta: an capax cultûs matrimonialis, an incapax, sive quoad aliquam impotentiam, sive quia nimis arcta: quarum judicio (si nihil obstet) statur. In necessitate etiam debent invigilare, ut proles tempestivè, etiam vix egressæ ex matris utero, si membrum sufficiens appareat, baptizentur, & ipsæ possunt & debent, ubi non est alia persona dignior, baptizare, adeoque formam baptismi callere: tenenturque magistratus & Parochi illas benè examinare, & juramentum de fidelitate servanda ab eis exigere. O! quot diaboli ministræ proles è ventre prodeuntes occiderunt,

Earum conditio.

Ad quæ extra partum interdum adhibeantur.

Qualiter eis vigilandum ut proles baptizetur in necessitate.

Quanta mala facere queant.

runt, baptismo privârunt, & veneficiis ac sortilegiis [illegible] umbra addixerunt: quot superstitionibus & vanis observationibus [illegible] & [illegible] quantùm reipublicæ [illegible] sunt, tantum [illegible] sit, ut suis muniis probè & fideliter satisfaciant.

§. 6.

De salario Medicorum, & Chirurgorum.

Medici ex ærario publico salarium plenum accipientes à particularibus nihil recipiunt.

SAlarium medicorum diversimodè assignatur. Alijs enim plenissimum salarium ex ærario publico solvitur, ut omnium civium infirmitatibus medeantur, sive curam omnium ægrotorum civitatis gerant: & hi à particularibus, qui civitatis membra sunt, salarium non accipiunt; sicut nec qui ab hospitalibus benè dotatis constitutum stipendium habent.

Quanto hi in honore habiti.

Fuerunt autem hi in honore maximo apud Principes: undè & Archiatri, id est, Principis, vel Reipublicæ medici dicebantur, eisque aliquandò titulus Comitis datus est, & eadem immunitas, quæ magistratum gerentibus concessa, nobilesque habiti.

Qui diminutum aut nullum accipiunt à particularibus, exceptis pauperibus, accipere possunt stipendium.

Alij sunt, qui stipendium quidem ex ærario publico accipiunt, sed non sufficiens ad alendam familiam & conservandum statum, & his licet accipere stipendium à particularibus, quos visitant, exceptis pauperibus, quibus ex vi stipendij publici servire tenentur. Alij denique sunt, qui nullum quidem ex ærario publico stipendium accipiunt, se tamen publico ministerio addicunt, ut jus publicum exercendi medicinam in republica eis conferatur, & nonnullis privilegijs & immunitatibus gaudeant, & hi cùm solis stipendijs particularium contenti sint, ab eis conveniens salarium accipere possunt: cujus quantitas publico decreto usu, vel consuetudine approbatâ & receptâ mensurari debet. In aliquibus enim regnis & provincijs, ut in Anglia, sunt summa, in alijs minora.

Quandò ultrà consuetum aliquid possint exigere.

Unum tantùm hic dicendum est: medicum non posse ultra constitutum, vel consuetum stipendium aliquid ab infirmo exigere, nisi extraordinariam aliquam operam, diligentiam, vel industriam, ad quam communiter non tenetur, adhibuisset, tunc enim habitâ ratione operis & laboris potest plùs exigere, æstimatione justa concurrente. Et hæc quidem de medicis, qui tantùm artem & industriam adhibent.

Quid de stipendio chirurgorum.

Aliud est de Chirurgis, qui artem, industriam, laborem, medicinam, unguenta, &c. præstant; hæc enim omnia in æstimationem, & computum deduci debent, quia non tantùm stipendium operæ, sed etiam medicinarum, unguentorum, temporis impensi pretium æstimari debet, & secundùm illa solutio fieri.

DICES: Quid si chirurgus contraxerit de certo stipendio pro tota cura & medicinis adhibitis? Item: Si medicus aliquid postulaverit pro tota cura, quam adhibere debet, & interim infirmus moriatur, aut post aliquam apparentem sanitatem in infirmitatem reincidat?

Duplex contractus medici aut chirurgi cum infirmo.

Pro resolutione notandum: dupliciter chirurgum sive medicum contrahere posse. 1. Absolutè: ex. g. tantum mihi dabitis pro ista cura, & adhibendis ad illam. 2. Conditionaliter, ex. g. tantum mihi dabitis, si infirmum curavero, sin minùs, ad nihil obligabimini.

In absoluto contractu debetur stipendium, esto infirmus moriatur, vel non sanetur: modò non possit malitia, &c.

Respondeo itaque 1. Quandò absolutè contractum est pro cura, etsi contingat infirmum mori, vel non sanari, debetur tamen medico stipendium. Ratio est, Quia censetur (nisi aliud constet) adhibuisse, quod juxta prudentiam artis debuit, & quamvis conventum videatur pro cura, sive curatione, quæ non successit, illa tamen propositio debet intelligi humano modo & morali, id est, pro cura, quam sincerè adhibebo, & quam juxtà principia artis meæ intendo, ità ut eventus nihilominùs maneat suâ naturâ incertus, tùm ob naturæ varias affectiones, tùm ob dispositionem divinam, quæ non sunt in manu chirurgi & medici, sed intelliguntur semper hominem comitari: quapropter si non possit negligentia vel malitia aliqua, quæ fuisset causa inefficacitatis ad curam, probari, stipendium medico, sive chirurgo debetur cum impensis adhibitis.

Quid si post sanitatem acquisitam recidat in morbum.

Quod spectat autem ad recidivam; si aliquo tempore stabiliter sanitas duraverit, non tenetur medicus, sive chirurgus ulteriorem operam absque stipendio novo adhibere, quia tunc censetur cura perfecta fuisse, etsi ob naturæ pravas affectiones, & fortè etiam negligentiam, vel pravum sanitatis regimen, recidivam æger patiatur: si verò statim post paucos dies reincidat, tenetur pro stipendio, de quo erat conventum; iteratam operam adhibere, quia tunc non censetur curatus fuisse.

In conditionali contractu non debetur effectu non secuto.

Respondeo 2. Si medicus adhibuit conditionalem, de qua suprà, si non curetur infirmus, aut si in infirmitate moriatur, non deberi illi stipendium ullum ex justitia. Ratio est, quia (ut supponitur) ità convenit, & fortuitum eventum in suum periculum, & damnum accepit, ut expositum est, adeoque sibi imputare debet, quidquid in hac cura insumpsit.

Si judicet morbum incurabilem, non potest cum moderamine intentione stipendij, &c.

PETES: An possit medicus stipendium accipere, vel etiam curam adhibere sub intentione stipendij, si judicet morbum incurabilem?

Respondeo 1. Si incurabilem omninò judicet, ex se non debere medicinam adhibere, & consequenter non posse salarium petere. Ratio est: Quia ipsiusmet judicio morbus incurabilis est.

Nisi ab infirmo vel

Respondeo 2. Si infirmus vel parentes urgeant,

aliis urgeatur.

geant, ot non obstante suo de incurabilitate judicio medicinam adhibeat, tunc liberè posse, modò quæ adhibet non noceant, vel mortem promoveant: *Ratio est*: quia (ut supponitur) quam potest operam adhibet, & infirmus stipendium offert, nec opera omninò inutilis est, quia vel ad solatium & lenimentum infirmi, vel ad prolongationem vitæ, vel ex secreta naturæ affectione, & fortuito casu ad sanitatem prodesse potest.

§. 7.

Peccata Medicorum, & personarum medicinæ servientium.

Insufficientes docti finentes se promoveri &c. cum intentione exercendi medicinam & eos qui promovent.

EX dictis facilè deduci possunt peccata Medicorum & personarum medicinæ servientium, quæ paucis pro majori commodo Lectorum subjicio.

Primò, itaque peccant mortaliter, qui permittunt, vel procurant se ad gradus licentiæ vel Doctoratûs in medicina promoveri, quamvis sciant se ignaros vel insufficientes, si intentionem habeant exercendi medicinam in hujusmodi ignorantia & insufficientia: Similiter & illi, qui hujusmodi promovent. *Ratio est*: quia in illis contioetur ad minus mendacium perniciosum, quo exponuntur orbi tamquam digni & eruditi in scientia medica, cùm verè non sint.

Dixi (si habeant intentionem exercendi &c.) si enim non habeant intentionem, nec de facto medicinam exerciturı sint, tunc à peccato mortali excusati sunt, & mendacium transit à nocivo in officiosum; si enim non exerceant, nec intendant exercere, ab omni nocumento liberi sunt. Peccatum autem mortale in hac materia oritur ex nocumento inferendo, cui alios exponunt.

Ignari &c. exercentes medicinam cum periculo vel damno.

Secundò peccant mortaliter, qui ignati scientiæ medicæ & inexperti, medicinæ præscripta ordinant, vel medicinam exercent subsistente aliquo periculo vel damno. *Ratio est*: quia qui alicui periculo vel damno gravi alium exponit tantum peccatum admittit, quantum est periculum; censetur autem infirmum exponere periculo mortis, vel gravioris infirmitatis, aut diuturni morbi, qui ignorat constitutionem ægroti, qualitatem morbi, virtutem medicinæ, &c. Et quamvis nullum fortè damnum oriatur, si communia medicamenta adhibeantur, quæ omnibus dantur, & dari possunt absque periculo alicujus nocumenti, nihilominus, eo ipso quo se ut medicum gerit, saltem inutiliter infirmum detinet, & hoc ipso illum in re gravi decipit, atque illudit.

Ordinantes cum periculo infirmis, solum ad experientiam, &c.

Tertiò peccant, qui etsi artis medicæ gnari, adhibent tamen ex proprio cerebro nonnulla, quibus infirmus gravibus periculis exponitur, solùm ut experimentum accipiant: Qualiter etiam peccaot, qui dubias medicinas adhibent, dubii an infirmo nocere possint: securi enim esse debent secundùm principia suæ artis, quòd etsi minus fortè proderunt medicinæ, tamen non nocebunt.

Prolongantes infirmitatem &c. ob majus lucrum.

Quartò peccant, qui spe majoris lucri infirmitates prolongant, quas citiùs sanare possent, quo vitio singulariter laborant Chirurgi in longum curas suas protrahentes absque causa.

Utens medius illicitis.

Quintò, qui utuntur aliquibus mediis, vel suadent ægroto aliqua, quæ sunt contra Dei mandata, vel sunt contraria animæ saluti, ut superiùs expressimus de superstitionibus, & consiliis venereis, &c.

Scienter causantes abortum.

Sextò, qui abortum post animatum fœtum per potiones medicas scienter causant, hi enim homicidii rei sunt. Similiter, qui extra casum gravissimæ necessitatis potionem ad abortum præbent, etiam ante animatum fœtum, mortaliter peccant.

Negligentes in visitationibus &c.

Septimò, qui negligentiâ necessariæ vel opportunæ visitationis, cùm curam ægroti susceperunt, in causa sunt vel gravioris infirmitatis, vel diuturnioris languoris, vel etiam mortis.

Non admonentes periculosè infirmum de confessione, &c.

Octavò, qui infirmum periculosè laborantem non monent, aut per alium non curant efficaciter moneri ut confiteatur, & de sua anima disponat: multò magis qui mortem instantem non denuntiant, vel denuntiari non faciunt, unde & animæ ægri, & hæredibus in bonis temporibus quandoque multa damna proveniunt. Modos adhibendos vide suprà.

Ob æmulationes ad invicem &c.

Nonò, si ob æmulationes, quas ad invicem habent, à proposito nolunt cum aliis Medicis ad consultationem concurrere; aut in consultatione à proposito & malitiosè sibi invicem contradicunt; aut consilium suum pertinaciter, etiam contra veritatem agnitam, defendunt, & alieno consilio, etsi vero agnito, nolunt acquiescere, in grave infirmi detrimentum.

Et hæc sunt præcipua, cætera ex dictis colligi possunt, eaque omnia proportionaliter Chirurgis & aliis ad curam infirmorum cooperantibus accommodari debent.

Pharmacopæi sæpè peccant mort. & quando.

Solùm hic addo de Pharmacopæis, & Aromatariis, qui frequentiùs se peccatis mortalibus intricant, ob nocumentum quod infirmo causatur, aut ob impedimentô sive retardationem curationum; 1. si medicinas corruptas & antiquatas exhibent. 2. si (ut dicitur) quid pro quo, id est, pharmacum unum pro alio velut æquivalenti misceant. 3. si pharmaca ipsa ut Syrupas, &c. sophisticent. In quibus non minùs peccant Medici, qui illa fieri sinunt, & non impediunt, immò etiam participatione lucri marsupium unum cum illis faciunt. 4. Si extra jurati Medici certam ordinationem aliquid venenosi admisceant, interdùm enim aliquid in parva quantitate ex judicio & ordinatione periti Medici miscera licet in antidotis & alexi-

alexipharmacis. 5. Si venena vendant, ut ficutam, salamandram, aconitum, pytiocampas, mandragoras, cantharides, &c. quæ jure etiam civili vendi prohibentur, ob intoxicationes, & alia mala, quæ per hujusmodi inferri possunt. Et hæc omnia applicanda sunt etiam circumforaneis Medicis, & chirurgis, aliisque qui unguenta & pharmaca per se conficiunt.

TITVLVS IV.

De personis habitationi & architecturæ deservientibus.

Deus inspiravit Iabel artem architectonicam. Nec habitationi hominum conservationi necessariæ deest Deus, artium omnium inspirator, qui statim à principio creaturæ inspiravit Jabel artem architectonicam ad formanda sibi tentoria, ita ut ob artis illius prima

Gen. 4. 20 exercitia dictus fuerit, *Pater habitantium in tentoriis*, cujus artem secuti sunt inventis superaddentes, qui domos posteà fabricaverunt; & Tubalcain successores, *qui fuit malleator & faber*

Vers. 22. *in cuncta opera aris & ferri.* Sed & in Exodo cap. 35. recensentur cum laude Beseleel, & Ooliab, quos Dominus *erudivit sapientiâ, ut facerent opera abietarii, polymitarii ac plumarii, &c.* &

Exod. 35. 35. superiùs dixerat sacer textus; quòd impleverat Dominus Beseleel *Spiritu Dei, sapientiâ, &*

Vers. 31. *intelligentiâ, & scientiâ, & omni doctrinâ, ad excitandum & faciendum opus in auro, & argento, & are, sculpendisque lapidibus, & opere carpentario,*

Exod. 38. 23. &c. Et cap. 38. de Ooliab dicitur, quòd *& ipse artifex lignorum egregius fuit.* Unde & universaliter

Eccli. 9. 24. Eccli. 9. *In manu artificum opera laudabuntur.*

Duo ad habitationem hominum requiruntur. Illis duobus qui deserviunt. Porrò, cùm ad habitationem hominum duo requirantur, nimirùm domorum ædificatio, & illarum ornatus tam in parietibus, quàm in supellectili, duplices etiam statuendi sunt artifices, qui illis intendant.

Ædificationi igitur deserviunt, *Architecti, latomi, lapicidarii, carpentarii, ferrarii, tegularii*, & id genus artifices: Ornatui verò *Scrinarii, statuarii, pictores, sculptores*, & si supellectilem spectes, *aurifices*, & in ære varia operantes, item *Polimitarii, gemmarii*, & *schenofactoriæ artis magistri*, &c. De quibus omnibus cùm nobis quidem non incumbat agere quoad principia & modos artis suæ, sufficiet si generales obligationes, in quibus omnes conveniunt, describamus, & eorum peccata ex obligationibus eruamus.



§. 1.

De obligationibus artificum, qui habitationi hominum deserviunt.

Tres sunt potissimùm obligationes, quæ hos artifices concernunt, nimirùm: *debita scientia, & industria in arte: Iustitia respectu materiæ: Fidelitas in opere.*

Requiritur in eis scientia practica, &c. *Debita scientia & industria* dicitur, quæ respicit principia practica artis, eorumque praxim, ita ut qui operatur, nun tantùm speculativè artem suam calleat, sed etiam practicè sciat & probè norit secundùm principia suæ artis operari, & opus quod assumit rectè perficere. Qui enim artem aliquam perfectè non callent, si tamquam periti artifices ad aliquod opus perficiendum suam operam elocent, omnium damnorum, quæ ex ignorantia & injustitia eorum proveniunt, sicut sunt causa, sic ad ea reparanda & resarcienda obligantur personæ, cum qua convenerunt. *Ex. gr.* in ædificatione domûs, si ob ignorantiam fundamenta solidè non sternantur, muri firmiter non coalescant, tectum stillicidiis pateat & hujusmodi defectus causentur, tenetur artifex, qui se exposuit ædificationi, ad damnorum omnium compensationem, nisi fortè qui convenit, vel dominus ædificii sciens talem non satis suæ artis gnarum vel expertem, illum nihilominus adhibuerit, forte ut majoribus expensis parceret, & operam ejus vili pretio sibi conduceret, quod non rarò fit.

Iuxta rationem pacti tenentur exhibere probatam materiam *Iustitia respectu materiæ* in hoc consistit; ut artifex, si illius sit materiam exhibere, illam probatam exhibeat, aut saltem ad optionem contrahentis in justo pretio & mensura juxta contractum & conventionem priùs factam. *Ex. gr.* Architectus, si pro ædificio optima ligna, lapides, calcem, cæmentum, &c. conferre promisit justo pretio, debet in qualitate & quantitate & pretio illa exhibere; & si in aliquo defraudaverit, ad restitutionem tenebitur non tantùm materiæ, sed etiam damnorum, quæ ex adulterinæ materiæ exhibitione provenire possunt. Dixi (si optima ligna, lapides, &c. promisit) si enim de iis, quæ sicut minoris qualitatis sunt, sic minoris pretii, cum domino ædificii illo sciente & benè informato convenit, tunc sufficit, ut talem materiam qualem promisit, & in pretio quo promisit exhibeat, si verò ex materiæ defectu damna eveniant, imputet sibi dominus ædificii, qui de tali materia & pretio convenit.

Quæ fidelitas requiratur in eis. *Fidelitas in opere* attenditur, ut diligentiam & circumspectionem debitam habeat in omnibus, ut opus benè perficiatur, & si de tempore, vel per diætas sit conventum, ut tempus debitum observet. *Ex. gr.* convenit quis de domo ædificanda, debet attendere, ut non in hyeme, non in pluviis & inundationibus aquarum, non perfunctoriè ædificet, & ut

oppor-

oppottunè materialia comparata sint; similiter, ut si per diætas operetur totum tempus impendat, &c. propter hæc enim ædificia solent jacturam magnam pati, & operarii, si per illos stet, tenentur ad damnum.

§. 2.

De peccatis Artificum.

Qualiter piccant defectu scientiæ. EX obligationibus supradictis deduci facilè possunt peccata artificum. Et quidem primò, qui ignari artis & inexpertes opus assumunt, præter peccatum, cui ratione periculi errorum se exponunt, mortaliter peccant, si de facto gravis aliquis defectus, error, vel damnum in opere oriatur, ut suprà de domo malè ædificata exemplificatum est.

Defecta exhibitio materiæ justa pretium juxta rationem pacti. Secundò, qui materiam adulterinam vel defectuosam aut pretio non correspondentem contra justitiam & conventionem factam exhibent; ut si lapicida lapides minoris pretii, soliditatis & qualitatis: Cæmentarius corruptam calcem & sterilem: Lignarius ligna corrupta vel incongruo tempore scissa: Aurifaber aurum chymicum pro vero; aurum plumbo, stanno, vel aliis materiis mixtum pro puro: Ferrarius ferrum diminutum & impurum ac terrestre pro sincero, &c. subministret, & infinitas fraudes similes solent Gemmarii, & Polymitarii ac alii immiscere, & ita suas materias fucare, ut non facilè deprehendantur: super quibus omnibus, præter peccatum mortale quod juxta gravitatem materiæ committunt, ad restitutionem obligantur.

Defectu circumspectionis debitæ, &c. Tertiò peccant, & juxta rationem damni mortaliter, qui suâ negligentiâ, præcipitantiâ aut incircumspectione, sive quia tempora & circumstantias debitas in operibus requisitis non attenderunt, causa sunt quòd opus notabiliter defectuosum, & debitâ integritate, constitutione, realitate, soliditate carens, procedat. Ita Murarii sive Latomi, qui tempore hyemis vel pluvioso, cùm potuissent & debuissent aliter, operantur, qui imperfectè & incontinuè lapides sive lateres conjungunt, maximè ab intus; qui cæmento parcunt, qui fundamenta solida non jaciunt, ita ut murus injuriam posteà patiatur. Et ita consequenter de aliorum operibus imperfectis, impolitis, diminutis, perfunctoriis est judicandum.

Appendix.

De obligatione Principum & Magistratuum ad operarios & artifices.

Qualiter artifices reipubl. bono deserviant. HIc advertendū est, quòd ita operarii & artifices servitutem quandā honestam & liberam subeant pro communi & publico reipublicæ bono, ut tamen non servili modo, sed ut reipublicæ partes, sive pedum, sive manuum velut officiis applicentur: unde Reges & Magistratus obligantur illis, in iis quæ sunt artis & opificii sui, singularem conservationem, protectionem & favorem præstare, tum ut eorum opificia reipublicæ necessaria in consideratione sint, tum ut personæ & familiæ foveantur, sine quibus nec populus nec respublica subsistere potest. *Reges debent eos fovere, servare privilegia, &c.* Unde & iis nonnulla privilegia, juxta regionum leges, decernuntur, & nonnullas immunitates personales habent, quæ debent ex cujuslibet regni vel civitatis constitutionibus expendi. Tanta verò obligatio illa est, ut si eis quæ concessa sunt privilegia non præstentur, tam Reges, quàm Magistratus ad reparationem damni illis teneantur, & plurimùm contra publicum reipublicæ bonum peccare dignoscantur. Artifices à Deo honoratos ex Scriptura initio tituli ostendimus, sed & Reges laudantur, qui eis faverunt. *Exempla Regum qui eis faverunt.* Vide lib. 2. Reg. cap 5. de Hiram qui misit artifices ad David pro magno munere. Iterùm 3 Reg. 7. de quodam artifice summo, magnâ æstimatione ad Salomonem misso 1. Paralip. 4. de innumerabilibus artificibus, quos sibi adsciverat David ad opus domûs Dei per Salomonem filium ædificandæ; sed & magnum sibi fecisse emolumentum credidit Nabuchodonosor, qui ex regno Israël duxit in Babylonem *artifices & clusores mille.* Sed de his satis. *4. Reg. 24 16.*

Agendum hîc fuisset de generalibus opificiis, quæ omni arti deserviunt, ut mercatura, negotiatione, nautis, aurigis, &c. sed de his, posteaquam de militia egerimus, aliquid adjiciemus, quia omnibus deservire debent.

TRACTA-

TRACTATUS IV.

De secundo officio Regum, & potestatis civilis, quod est, regere populum sapientiâ; *ac personis ei deservientibus.*

TITVLVS I.

De sapientia & personis ad regimen populi requisitis in genere.

QUemadmodum providentia sagax & prudens requiritur in Regibus & Præfectis, ut populum pascant, & congruè provideant, ut ei alimenta, vestimenta, medicamenta, & habitatio non desint; ita sapientia necessaria est, ut populum regant: quod & agnoverat Salomon 3. Reg. 3. & 2. Paralip. 1. ubi Deo sibi apparenti in Gabaon, & ei offerenti, ut peteret quidquid vellet: *Tu* (inquit) *fecisti cum David patre meo misericordiam magnam; & constituisti me Regem pro eo, &c. Tu enim me fecisti Regem super populum tuum multum, qui tam innumerabilis est, quàm pulvis terræ, Da mihi sapientiam, & intelligentiam, ut ingrediar & egrediar coram populo tuo: quis enim potest hunc populum tuum dignè, qui tam grandis est, judicare? &c.* Quæ petitio in tantum placuit Deo, ut non tantùm sapientiam & intelligentiam illi concederet, quinimò & divitias & gloriam superadderet: utique sapientia Regibus necessaria est, sine qua nec regere populum possunt, nec regnum administrare.

Sapientiā Regibus necessariam agnovit Salomon.
2. Paralip. 10. & seqq.

Illam necessitatem ostendit.
Sap. 9. 2.

Quam necessitatem energicè, & à fundamentis explicat Salomon Sapient. 9. *Tu* (inquit) *sapientiâ tuâ constituisti hominem, ut dominaretur creaturæ, quæ à te facta est, ut disponat orbem terrarum in æquitate & justitia, & in directione cordis judicium judicet,* Et ex hoc principio
Vers. 4. tamquam de necessitate infert: *Da mihi* (ait) *sedium tuarum assistricem sapientiam:* & 1. necessitatem probat ex imbecillitate propria:
Vers. 5. *Quoniam* (inquit) *servus tuus sum ego, &c. homo infirmus, & exigui temporis, & minor ad intellectum judicii & legum:* Et ne fortè quis innitatur stu-
Vers. 6. dio alicui humanæ sapientiæ, subdit: *Nam etsi quis fuerit consummatus inter filios hominum, si ab illo abfuerit sapientia tua in nihilum computabitur:*
Vers. 7. Unde concludit: *Tu elegisti me Regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum & filiarum, &c.*
Vers. 10. *Mitte illam* (utique sapientiam) *de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te.*
Vers. 11. *Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia:* Et fructus & effectus sapientiæ breviter com-
Vers. 12. plectens: *Et erunt* (ait) *accepta opera mea, & disponam populum tuum justè, & ero dignus sedium patris mei.* Ex quibus Salomonis verbis, omnia quæ ad regimen Regum spectant, dignosci possunt, quæ tamen ita à divina Sapientia dependent, ut absque illa singulariter dirigente Rex regere sobriè, firmiter, justè, & acceptabiliter sive Deo gratè non possit: *Cogitationes enim* (ait) *mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ:* Supponit autem Salomon regimen regni hominum participationem quandam esse regni Dei in homines. *Tecum* (ait) *Sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affuit tunc cùm orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis.* q. d. ex illo fonte, & ex illa sapientia regimen quodcumque dependet, quasi radius emanans ab illa. Quæ verba speculum sunt Regum & præfectorum, & regula actionum illorum, pono autem pauculas Quæstiones.

Qualiter Reges in regendo à Dei sapientia dependeant.
Vers. 14.
Vers. 9.

QUÆSTIO I.

Qualis & quanta sapientia sive scientia Regi, sive Præfecto populi sit necessaria?

PRænotandum est, duplices hic debere Reges sive etiam Præfectos considerari. Alii enim (ut antiquitùs) electione populis præficiuntur: Aliis hæreditate regna & præfecturæ proveniunt. Et his quidem ab utero & infantia, in qua nullius adhuc sapientiæ, minùs regiminis sunt capaces.

CONCLUSIO I.

REges, *qui electione assumuntur, sapientiâ & scientiâ congruâ regiminis præditi esse debent; aliàs & qui eligunt, & qui in electionem consentiunt, mortaliter peccant, nisi brevi esset spes certa sufficientis sapientiæ aut scientiæ acquirendæ.*

Qui eliguntur, quam sapientiam habere debeant, & sub quo obligatione.

Ratio clara est: quia omnis electio debet esse personæ idoneæ, & qui eligunt inidoneam, causa sunt omnium peccatorum & malorum, quæ ex imprudenti vel malo regimine nascuntur, & qui se permittunt eligi, spontè se periculis peccatorum pravi regiminis exponunt.

Dixi (*nisi brevi esset spes certa sufficientis sapientiæ*

Dixi (*nisi brevi esset spes certa sufficientis sapientiæ sive scientiæ acquirendæ*) tunc enim excusarentur à peccato, & qui eligunt, & qui suscipiunt munus, maximè cùm datur aliqua singularis ratio & causa hujusmodi electionis.

CONCLUSIO II.

Quarum legum scientia omnibus Regibus sit necessaria.

R*Egibus sive electis, sive regnum hæreditantibus, ubi ad ætatem adultam pervenerint, necessaria est scientia legis divinæ, sive naturalis, sive positivæ, necnon legum politicarum earum, quæ ad jus, & populi regimen potissimùm spectant.*

Hæc Conclusio desumitur ex c. 17. Deuteron. ubi præcipitur Regi jam sedenti in solio regni sui, ut describat sibi Deuteronomium legis in volumine, *accipiens exemplar à Sacerdotibus leviticæ tribus*, & ut illud habeat secum, legatque illud omnibus diebus vitæ suæ: *ut discat* (inquit) *timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt.* Quæ lex etsi soli Regi Judæorum imposita, & ex parte ceremonialis sit: fundamentum tamen & substantia legis est divini præcepti, continens veram obligationem Regum & Præfectorum, in ratione regiminis sibi à Deo ex vi potestatis & officii commissi; pro quo

Deut. 17. 18. Vers. 19.

Petrus Aureolus. Deuteronomium continet 4 velut epilogos.

Advertendum est, juxta doctissimum nostrum Petrum Aureolum in Breviario Bibliorum, Deuteronomium continere quatuor velut epilogos & summaria eorum, quæ ad regimen populi pertinebant: ut beneficia Dei & obligationes populi & Rectorum ejus cognoscerentur: Et quidem epilogus 1. à cap. 1. usq; ad 4. refert summarium laborum & itinerum, per quæ Deus populum suum deduxit & conservavit. 2. Epilogus à 4. usque ad 27. continet explicationem brevem & accuratam præceptorum omnium, quæ Deus dedit populo à Decalogo in monte, tam quæ religionem & mores, quàm quæ politiam totam concernunt. 3. Epilogus à cap. 27. ad 28. continet omnes benedictiones observantibus legem à Deo promissas, & maledictiones in non observantes comminatas. Denique à cap. 33. usque ad finem prædicit compendiosè omnia futura circa quamlibet tribum. In quibus epilogis continentur quatuor cuilibet Regi & supremo Præfecto scitu necessaria, tam pro sua persona, quàm ad regimen sui regni; 1. ut conetur scire summariè constitutionem sui regni, utique originem, progressum, eventus variosque usque ad sua tempora, & statum in quo regnum sibi obvenit, per fideles annales. 2. Ut norit ea quæ pertinent ad legem divinam tam naturalem, quàm positivam, & leges fundamentales & politicas tam civiles quam ceremoniales, quibus populus gubernatur. 3. Ut apprehendat benedictiones observantibus leges, & maledictiones eas non observantibus, ut tanquam Dei minister populo præsit in laudem bonorum, & vindictam malefactorum.

Et in iis continentur 4. necessaria scitu Regibus.

4. Ut futura sagaci prudentiâ prospiciat, quatenus populus in pace contineatur. Hoc est Deuteronomium, quod debet Rex quilibet, & supremus præfectus describere, & continuò ruminare, cujus defectu & Regibus & populis omnia mala proveniunt: De his instrui debet quicumque quâcumque viâ ad fastigium regni elevatur; in his educatio filiorum Regum consistit; in his donum regiminis etiam in senioribus consummatur. Et hæc ita necessaria sunt Regibus, ut si in persona ejus deficiant, eadem necessitate requirenda sint in ministris, regnum pro Rege administrantibus.

Illa debent Reges continuò ruminare, &c.

Et hæc quidem fuit antiquorum Regum disciplina, ut eorum aulæ sapientiæ omnis velut Academiæ essent; Unde est illud Isaiæ cap. 19. exprobrantis inscitiam quorumdam, qui Regibus Ægypti assistebant: *Quomodo* (inquit) *dicetis Pharaoni: Filius sapientium ego, filius Regum antiquorum?* Hæc enim erat cura antiquis Regibus, ut non tantùm ipsi sapientes essent, sed filios & domesticos sapientissimos haberent; Hinc Danielis cap. 1. præcepit Rex Nabuchodonosor Asphenez Præposito Eunuchorum, *ut introduceret de filiis Israel, & de semine regio & tyrannorum, pueros in quibus nulla esset macula, decoros formâ, & eruditos omni sapientiâ, cautos scientiâ, & doctos disciplinâ, & qui possent stare in palatio Regis, ut doceret eos litteras, & linguam Chaldæorum.* Insigne speculum pro Catholico Rege, & Curia Catholica, in Rege infideli.

Aulæ quorum Regum sapientiæ quæ Isa. 19. 11.

Dan. 1. 3. Vers. 4.

QUÆSTIO II.

An Rex per se teneatur intendere regimini?

CONCLUSIO I.

Q*Vantum natura & sapientia congrua ratio permittit, debet Rex clavum regiminis regni tenere, & cognoscere ac dirigere superiori quodam influxu, quæ pro felici sui populi regimine fiunt, aut facienda sunt.*

Debet regere regnum suum.

Ratio est: quia ut communiter, hoc Rex est in regno, quod Deus in universo; Sol, in mundo; anima, in corpore; nauclerus, in navi; unde sicut Deus universum, Sol mundum, anima corpus, nauclerus navim; ita Rex regnum regat necesse est.

CONCLUSIO II.

N*On tenetur, nec potest Rex per se immediatè regere regnum suum, sed sufficit, ut mediatè, auctoritate & potentiâ per potestates & ministros immediatos populum regat.* Hoc indicavit aliquando Jethro Sacerdos Madian cognatus Moysi, dum videret Moysen à mane usque ad vesperam, populum per se judicantem Exodi 18. *Quid est* (ait) *hoc quod facis in plebe? cur solus sedes, & omnis populus præstolatur*

Sed non immediatè per se.

Deut. 18. 14.

Vers. 17. *latur de manè usque ad vesperam? &c.* Infrà: *Non*
Vers. 18. *bonam* (inquit) *rem facis: stulto labore consumeris*
& tu & populus iste qui tecum est; ultra vires tuas est
negotium, solus illud non poteris sustinere. Infrà: *Pro-*
Vers. 21. *vidè autem de omni plebe viros potentes, & timentes*
Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam,
& constitue ex eis tribunos & centuriones, & quin-
quagenarios, & Decanos, qui iud cent populum omni
Vers. 22. *tempore: quidquid autem majus fuerit, referant: ad*
te, & ipsi minora tantummodò judicent: leviusq; sit
tibi, partito in alios onere, &c.

Quod facit per suos ministros, censetur facere per se. Quamvis itaque Regum officium sit regno universali auctoritate, potentiâ, sapientiâ adesse, quod tamen per alios facit, per seipsum facere censendus est; ideoque quod cæteri ejus cooperatores & ministri in regno disponunt, aut faciunt, ex vi officii aut administrationis sive ministerii publici sibi commissi, potestate, & auctoritate, & nomine Regis facere censentur, & quod vel ex Regis prava electione, aut negligentia, vel dissimulatione, aut generaliter Regis culpa ab illis iniquè fit, in Regem redundare necesse est. Unde pono conclusionem sequentem.

CONCLUSIO III.

Debet regno providere de idoneis ministris. *Etsi Rex personaliter non possit, nec obligetur regno ubique adesse, tenetur tamen de personis capacibus & idoneis ac sufficientibus regno & partibus ejus, ita providere, ut moraliter censeatur regimini benè & justè provisum.*

Ratio est: quia absolutè & simpliciter illius est regimen, eique imputatur quidquid ab inferioribus ministris fit: unde ut benè provideatur justam diligentiam moralem debet adhibere.

QUÆSTIO III.

Quæ, & quotuplices communiter personæ sint, quæ Regi, &c. in regimine cooperantur & assistunt?

Varia sunt pro variis regnis. Etsi non possit dari nomenclatura perfecta personarum, quæ Regi in regni gubernatione velut assistunt, quia apud diversas nationes diversimodè variantur & multiplicantur, ad aliquot tamen generalia capita eas reducemus.

CONCLUSIO UNICA.

Earum sex ferè genera. *Sex ferè sunt genera personarum, quæ Regi in gubernatione regni sapientiâ suâ deserviunt;* nimirùm, *Consiliarij, Principes & Nobiles, Vasalli; Proceres & provinciarum sive etiam civitatum præfecti; Magistratus; sapientes, bonarum scientiarum & artium liberalium professores.* Qui quidem subdividuntur: *Consiliariorum subdivisio.* Consiliariorum enim alii sunt Regi immediatè assistentes super negotiis universi regni; & hi aut publici & collegiales, aut privati, sive quibus in privato Rex utitur pro suo arbitrio; & hi iterùm aut sacri, ut Episcopi, & Theologi, aut civiles. Alii demùm sunt Consiliarii Regum collegiales per provincias distributi, quorum alii supremi, alii inferioris gradûs, etsi omnes nomine Regum negotia regni dirigant, & quandam subalternam administrationem regni habeant. Rursum nobiles vasalli multam habent inter se distinctionem: *Similiter nobilium Vasallorum, &c.* Alii enim sunt Duces, alii Principes, alii Comites, alii Marchiones, alii Barones, quibus in regimine & comitiis regni jura varia assignata sunt. Deinde Proreges sive Vicarii Regum & præfecti provinciarum ac civitatum suos habent subministros, & quælibet provincia suis gaudet velut statibus vel ordinibus. Denique in qualibet civitate & municipio Magistratus aliquis ad regimen designatur.

Sapientes qui. Nec sapientium una est conditio: Sapientes autem vocamus, viros in scientiis consummatos, qui etsi nec Conciliis collegialibus sint adscripti, nec ad aulas Principum assumpti (quippe qui sibi & sapientiæ vacant) nihilominus in causis gravibus adhibentur & consuluntur, & eorum sensa postulantur: inter quos primas tenent Confessarii, deinde eminentes Theologi & alii morali & civili Philosophiâ præstantes, &c. *Eorum divisio.* Adjunximus etiam scientiarum bonarum & artium liberalium professores, sine quibus regnum subsistere nequit, quippe quorum interest formare Theologos, Jurisconsultos, Oratores, Astrologos, Cosmographos, Mathematicos, Geometras; denique quorum est viam sternere ad omnem scientiam & sapientiam, ut idonei ministri in regno habeantur. Videat Lector dispositionem aulicam Regis David 2. Reg. 8. in qua inveniet à Commentariis sive Annalistas, & Sacerdotes, & Scribas Regi assistentes. *Dispositio aulica Regis David, Salomonis, & aliorū.* Videat etiam caput 4. lib. 3. ubi describitur Curia Salomonis, & in Scriptura in curiis Regum infidelium describuntur adsuisse, sub titulo Sapientum Magi, Arioli, incantatores, &c. Vide librum Danielis, quæ indicant apud quoscumque sub aliquo titulo sapientiam fuisse in honore & æstimatione.

TITVLVS II.

De Consiliariis, & eorum obligationibus?

§ I.

De qualitatibus Consiliariorum.

Consiliarii hic qui intelliguntur. Hic nomine *Consiliariorum* intelligo viros illos, qui à Regibus & Principibus assumuntur ad concilia sive collegia, in quibus de regnorum & provinciarum certo regimine & negotiis commune regimen spectantibus deliberatur & consulitur, ut suâ prudentiâ, sapientiâ, experientiâ simul deliberent, consultent, & concludant. Et quidem functiones eorum particulariùs respiciunt prudentiam, cujus actus præcipuus est benè consiliari sive consulere,

fulere, prudentia tamen sapientiâ, doctrinâ experientiâque dirigi debet.

Tres itaque sunt potissimæ qualitates in consiliarijs requisitæ.

1. Qualitas prudentia. Prima est: *Prudentia cum doctrina sufficienti, & experientia conjuncta.* Ratio est: quia hæc tria ad integritatem veri consilij & consultationis necessaria sunt, etsi enim quis sit speculativè doctissimus, si usum & praxin rei, de qua judicandum est, non habeat, toto cœlo aberret necesse est. Similiter, etsi doctrinam simul & experientiam habeat, si tamen rei, temporis, loci, personarum circumstantias prudenter hîc & nunc attendere nesciat, nec doctrina, nec experientia illi prodesse possunt. Unde Plato in Phædro: *In omnibus unicum principium his, qui benè consulere volunt, est intelligere quid illud sit, de quo consultatur, vel omninò aberrare necesse.* (Plato.)

Debet esse puncta experientia. Cùm igitur consilia de practicis meantur, qui consulitur, & rem scire debet, de qua consulitur & cùm de re facienda vel omittenda agatur, experientiam aliquam practicam rei habere debet, cùmque frequenter actio omissioque à diversis eventibus circumstantijsque dependeant, prudentia providentiaque judicij maturi dirigere debet & experientiam & doctrinam. Hinc multa naufragia rerum publicarum, dùm vel indocti ad earum regimen, &c. assumuntur, vel si docti sunt, cùm suæ doctrinæ innitantur, experientiam contemnunt: vel si docti expertique sint absque prudentia, in suis actionibus temerarij & audaces sunt, & imprudenter quævis aggrediuntur. Unde citatur à nonnullis illud Ciceronis l. de senectute: *Cùm ad gubernacula temerarij & audaces homines accedunt, maxima & in ſerrima naufragia fiunt.* Necessaria itaque est doctrina, quæ informet, experientia, quæ confirmet, prudentia, quæ dirigat. Hac de causâ seniores in consilijs præferuntur junioribus, juxta illud Eccli. 25. *Quàm speciosum canitiei judicium, &c. Quàm speciosa veteranis sapientia & gloriosus intellectus & consilium! Corona senum multa peritia & gloria illorum timor Dei.* Cujus ratio est, quia multo studio, experientiâ, & maturiori judicio pollent: namut benè Hieron. epist. ad Nepotianum: *Omnes penè virtutes corporum mutantur in senibus, crescente solâ sapientiâ decrescunt cætera.* Infrà: *Senectus vero rursus eorum, qui adolescentiam suam honestis artibus instruxerunt, & in lege Domini meditati sunt die ac nocte, ætate fit doctior, usu tritior, processu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit.* Hæc Hieron. Undè & Iob 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Trita est illa historia Roboam consilio seniorum non acquiescentis, sed juvenum consilio in suam perniciem & amissionem decem tribuum ex regno suo. (Erum defectu multa naufragia rerum publicarum. Cicero. Eccli. 25. 6. & seqq. S. Hieron. Iob. 12. 12. 3. Reg. 12.)

2. Fidelitas. Ejusque tria objecta. Secunda qualitas est, *Fidelitas amore firmata*; quæ quidem in consiliarijs Regum tria objecta habet: bonum Dei: bonum Regis: & bonum regni. Bonum Dei, neque enim quis fidelis potest esse Regi, qui infidelis est Deo. Bonum autem Regis in hoc consistit, ut ejus personæ, statui & felicitati in omnibus benè & fideliter consulant. Bonum regni, ut & rationem populi habeant, quatenùs tranquillè & quietè sub Rege conservetur. Undè non minoris infidelitatis est consilium dare Regi in perniciem populi, quàm dare consilium in utilitatem quidem populi, sed in perniciem Regis; omne enim consilium in utriusque, quantum fieri potest, bonum refundi necesse est.

Ei debet esse juncta secreti conservatio. Prov. 11. 13. Fidelitati adstipulatur Taciturnitas, sive secreti observantia, juxtà illud Prov. 11. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum*: & nihil infidelius, quàm quæ in consilijs deliberantur, foris revelare. Undè & consilia Regum vocantur in Scriptura *Mysteria*, quo sensu Iudith 2 dicitur Nabuchodonosor vocasse *omnes majores natu, omnesque duces, & bellatores suos*, & habuisse cum eis *mysterium consilij sui*. Et communiter consiliarij ad secretum servandum adjurantur, & super hoc juramentum faciunt. (Iudith 2. 2.)

Item amor ejus erga consulentem. S. Greg. Dixi (*fidelitas amore firmata*) vix enim sine amore ejus, cui consulitur, fidelitas stare potest, & ut benè S. Greg. l. 1. ep. 33. *Nullus tibi fidelior esse potest ad consilium, quàm qui non tua, sed te diligit.* Enimverò qui tàtùm alterius bona diligit, non nisi in consilijs suum emolumentum quærit, & si eum, cui consulit, non diligat, facilè in præceps ad aliena transilit favoris vel proprij commodi gratiâ. Undè Prov. 25. *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum extraneo nè reveles.* Et cap. 27. *Unguento & varijs odoribus delectatur cor & bonis amici consilijs anima dulcoratur. Amicum tuum, & amicum patris tui nè dimiseris*, &c. Porrò tanta est veri amoris in consiliario necessitas, ut si vel modicum deficiat, etiam consiliarij cujuscunque fides nutet: quapropter graviter monebat Ecclesiasticus cap. 6. *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille*, cujus rationem nullam adfert, nisi fallaciam & inconstantiam amicitiæ & amoris mundani, & pergens à vero amico seperat ibidem amicos *secundùm tempus*, amicos, *qui convertuntur ad inimicitiam*, amicos, *qui secreta denudant*, amicos *socios mensæ*. Et unum de mille invenit, qui possidetur in tentatione, & qui fixus permanet, cujus laudes depromit, quem & designavit unicum consiliarium. Sed de his clarius, ubi in fidelitatis maculas in consilijs demonstrabimus. (Prov. 25. 9. Cap. 27. 9. Ejusdem quanta necessitas. Eccli. 6. 6. Pauci verè amici.)

3. Animi libertas & constantia in consulendo. Tertia qualitas in consiliario est. *Animi libertas & constantia in consulendo*: si enim desit animi libertas, ut si timore aliquo displicentiæ aut perdendi favoris non audeat veritatem eloqui, à consilio removendus est: nec minùs ille, qui in omnem ventum (ut non displiceat) sua consilia vertit & invertit nullâ soliditate veritatis innixus: undè est illud Eccli. 37. *Cor boni consilij statue tecum: non est enim tibi aliud pluris illo.* In quibus verbis ad verte libertatem per cordis symbolum, ibi, *cor boni consilij*, constantiam autem per illud *statue*, quasi firmitet pone; Hinc ibidem subditur: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te.* Ecce libertas. Audi constantiam: *Et antè omnem actum consilium stabile.* (Eccli. 37. 17. Vers. 20.)

Illa in quo sita sint. Libertas igitur in hoc consistit, ut consiliarius solius veritatis & boni communis causâ loquatur; Constantia verò, ut nec amore, nec odio, nec affectu favoris, nec timore indignationis alicujus moveatur. Audi descriptionem ibidem
Vers. 21. consiliarij inconstantis: *Verbum (ait) nequam immutat cor; ex quo partes quatuor oriuntur, bonum & malum, vita & mors: & dominatrix illorum est assidua lingua*: loquens nimirùm ad placi-
Salust. tum, *uti* (inquit Salustius orat. ad Cæsarem) *eorum, qui dominantur, simultas & arrogantia fertur. Itaque bonum malumve publicum æstimant.* Loquitur autem de illis: *Qui ex aliena (ait) libidine huc atque illuc fluctuantes agitantur, interdùm alia, deinde alia decernunt.* Scitè admodùm
Seneca. Seneca l. 6. de beneficijs cap. 30. *Monstrabo tibi* (inquit) *cujus rei inopiâ laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet, ille, qui verum dicat.* Et prosequens quandam contrà aulicos consiliarios invectivam: *Non vides (ait) quemadmodùm illos in praeceps agat extincta libertas & fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suadet, dissuadetque, sed adulandi certamen est, & unum amicorum omnium officium, una contentio, quis blandissimè fallat.* Sanctè B.
B. Cypri. Cyprian. l. de bono pudicitiæ circà finem consiliarium ab omni passione liberum postulat: *Qui (ait) cupiditates tollit, & metus sustulit; nam ex cupiditatibus metus veniunt: qui cupiditates vicit libertatem sibi, quod est etiam ingenuis difficillimum, reddit.* Heu! quis consiliarius liber ab his invenitur.

Supradictæ qualitates debent inesse publicis & vel maximè privatis consiliarijs Regũ, & cur. Et hæ sunt qualitates in consiliarijs publicis, quorum professio est de actionibus & negotijs Regum, Principum, regnorum & provinciarum disponere. Et quæ quidem omnibus etiam subalternis consiliarijs civitatum conveniunt; privatis autem (maximè si sint Regum familiares, quorum singulari consilio Reges & Principes in privato utuntur) eò magis competunt, quòd ipsis interdùm solis tota velut moles regni incumbat, quod enim in publicis consilijs inter plures velut dispertitur, ac prudentiùs examinatur (oculi enim plùs vident, quàm oculus, & quod uni non occurrit, alteri occurrere potest, & ex collatione singulorum judiciorum faciliùs una resolutio communi voto sumitur) ex unius forsan privati consiliarij judicio totum resolvendum est: eminens certè in illo & sapientia, & experientia, & fidelitas ac amor, necnon libertas ac constantia requiritur. Onus sanè, opusque formidandum
Eccli. 27. 30. nimis, ità ut sæpè contingat illud Eccli 27. *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, & non agnoscet unde adveniat illi.*

Proportionatè quoq; aliis privatarum causarum. De privatis privatorum consilijs, id est, quæ inter privatas personas, & de privatis negotijs habentur, proportionatè loquendum, qui enim consilium dare cupit, & scientiam rei, de qua consulitur, habere debet, aliàs præsumptuosus est; & fidelis esse debet, aliàs fraudulentus & deceptor est; denique liberè & constanter consulere debet, aliàs palpo & adulator est.

§. 2.

De Obligationibus Consiliariorum.

OBligationes consiliariorum ferè sequuntur qualitates suprapositas. Primò igitur obligantur eam sibi scientiam & experientiam studio & usu acquirere, quæ sufficiens & congrua sit ad benè deliberandum & consulendum super ijs, quæ consueverunt ad consilium, cujus membrum sunt, deduci. *1. Obligatur sibi congruam scientiam acquirere, & qua illa sit.* Undè consiliariorum non tantùm est scire jurisprudentiam, & civilem codicem, Iustinianique institutiones, & juris pandectas, sed & Theologorum consuetudine uti debent, cùm omnium legum justitia fundamento justitiæ divinæ tanquam basi communi innitatur. Debent & in historijs tam sacris, quàm profanis exercitati esse; in illis enim varij eventus, & eventuum causæ describuntur, & quod alij longâ ætate experti sunt, ibi quasi usu, & experientiâ probatâ ediscuntur.
Hac de causa & Annalistæ in Regum concilijs *Annalistæ in Regum consiliis adhibiti.*
adhibebantur, & annales præcedentium temporum legebantur. Undè Eccli. 8. *Nè despicias*
narrationem presbyterorum sapientium, & in pro- Eccli. 8. 9.
verbijs eorum conversare. Ab ipsis enim disces sapi- Vers. 10.
entiam, & doctrinam intellectus, & servire magnatis sine querela. Et iterùm ibidem: *Non te prætereat narratio seniorum; ipsi enim didicerunt à pa-* Vers. 11.
tribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum, & in Vers. 12.
tempore necessitatis dare responsum. Præclara monitio Basilij Imperatoris Orientis ad filium suum, *Basilius Imper.* quæ verè pertinet ad eos, qui consilijs Regum addicuntur: *Per historias (ait) veteres ire non recusa; ibi enim reperies sine labore, quæ alij cum labore collegerunt: illinc hauries & bonorum virtutes & improborum vitia, vitæ humanæ varias mutationes, mundi hujus instabilitatem, & imperiorum præcipites casus, &c.* Ex his utique augetur scientia, dirigitur judicium, firmatur prudentia.
Benè iterùm Ecclesiasticus cap. 39. *Sapientiam* Eccli. 39. 1.
omnium antiquorum exquiret sapiens, & in prophe- Vers. 2.
tis vacabit: narrationem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit, &c. Et concludit: *In terram alienigenarum* Vers. 4.
gentium pertransiet; bona enim & mala in hominibus tentabit. Intolerabilis est superbiæ argumentum S. Basil.
(ait S. Basil. in cap. 1. Isaiæ circa finem) *existimare se nullius egere consilio.* Et (ut S. Ambros. S. Ambr.
lib. 1. officiorum cap. 47.) *Negligere bonorum judicia vel arrogantiæ, vel dissolutionis est: quorum alterum superbiæ adscribitur, alterum negligentiæ.*

Secunda obligatio consiliariorum est, ut in consilijs 1. benè attendant ad finem, sive rem ob quam fiunt consilia: nam licet consilium non sit tam de fine, sive re, quæ consulitur (quippe quæ supponitur tanquam objectum) quàm de electione mediorum ad finem: debent tamen consiliarij primò attendere ad finem, ut nimirùm sit honestus finis, & proindè sit bonum, honestum & justum, quod in Regis & regni, sive reipublicæ utilitatem cedat, aut remotio alicujus mali, quod Regi, regno, aut *2. Obligatur attendere in consilijs finem ob quem.*
rei-

reipublicæ aliàs immineat; non enim licet consilium date ad finem malum, injustum, vel inhonestum; undè non licet inire consilium in re, quæ sit contra divina mandata; nam ut benè Sapiens Prov. 21. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contrà Dominum.* 2. Attendant ad media; neque enim iniquis medijs uti licet in consilijs etiam contrà inimicos. Illud enim Poëtæ: *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* intelligendum est de dolo, qui respectu inferentis justus est, etsi is, cui infertur, decipiatur: justè enim hostis in bello justo decipitur, dùm vel prævenitur, vel medio ipsi non præmeditato invaditur, vel dissimulatis insidijs strages infertur, &c. quæ omnia aggredienti quidem justa sunt, quia aggressio per se justa est, & consequenter etiam gravamen, aut damnum, quod infertur, quia justificantur media ob finem, cui justitia & æquitas inest, si media per se & ex natura sua illicita non sint. Explico exemplo: Rex vel respublica vult promovere bonum suum, non potest consultare super medijs injustis, ut oppressione pauperum, injuriâ proximorum sive vicinorum, aut ijs, quæ contrà Deum & religionem militant: quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Aliter, vult se suaque Rex vel respublica defendere & tueri contrà hostem, vel eum, qui sibi injuriam intulit, licet consultare, & interdùm consilijs media adhibere, quibus hostibus in bonis, personis intrà terminos juris belli noceatur, vel de dolis, fraudibus, deceptionibus, quibus hostis circumveniatur. Ratio differentiæ est, quia in priori exemplo de promotione boni nullum malum ex circumstantijs justificatur, sed remanet naturâ suâ malum & inordinatum: in posteriori verò exemplo, quæ inferuntur, etsi respectu personarum vel hostium, quibus inferuntur, nociva sint, justè tamen ob vindictam vel defensionem justam inferuntur, & qui decipitur, justè decipitur: deceptiones enim illæ, fraudes vel doli, quocunque nomine nuncupentur, respectu quidem decepti fraudes vel doli, sive etiam mendacia videntur, respectu tamen inferentium, nec mendacia, nec fraudes sunt; sed actiones, vel quasi actiones reales, & per se intentæ ad justè præveniendum, vel circumveniendum, sive decipiendum eum, cui non teneor aperire consilium meum, immò qui ob hostilitatem extrà casus datæ simpliciter fidei mihi credere non debet, sed certus esse, quòd si possim, eum præveniam. Undè illæ fraudes mendacia dici non possunt, quia mendacium propriè est dicere, vel facere aliquid contrà mentem cum intentione decipiendi: hic autem in supradictis non agitur contrà mentem, sed totum quod dicitur & fit, directo consilio & mente fit, & deceptio, quæ intenditur, est per modum pœnæ, formalis defensionis & vindictæ, in persona, cui ob hostilitatem obligatio communis societatis, quæ est fundamentum fidelis communicationis, jam supponitur abrupta. Sed de his latiùs, cùm de militia agendum erit.

Prov. 21. 30.

Item media, quæ aliquando sunt licita, aliquando illicita ob finem cui æquitas inest, vel non inest.

Exemplificatur de medijs illicitis.

Item de medijs licitis.

An media, quibus hostes quandoque decipiuntur, sint mendacia, &c.

Quid mendacium.

Tertia tandem obligatio consiliariorum est, ut ab omni passione vel proprij commodi, vel alieni favoris aut odij, vel cujuscunque concupiscibilis aut irascibilis impressionis sint liberi, ut consilia eorum procedant in judicio, justitia, & veritate. Ratio est, quia obligatio, quam habent publico consilio Regem aut rempublicam juvandi, principium habet à juramento, quod has comites requirit. In judicio autem consulere dicuntur, qui non perfunctoriè, præcipitanter, aut imprudenter consulunt; in justitia verò, qui suis consilijs nemini nocent, aut nocere intendunt; in veritate denique, qui ità, ut in corde sentiunt, & rem se habere, vel media ad finem concludere credunt, sua consilia enuntiant. Et in his perficitur tota ratio benè consulendi sive in publicis, sive in privatis.

3 Obligatio ... liberi a ... passione, ... in judicio, justitia & veritate.

§. 3.

De peccatu Consiliariorum.

EX dictis facilè deduci possunt peccata consiliariorum, sive poblici sint & collegiales, sive privati, ad consilia tamen publici regiminis assumpti.

In malo statu sunt insufficienter docti acceptantes istud officium.

Primò enim peccant, & in statu peccati mortalis vivunt, qui de sua insufficientia in doctrina pariter & experientia conscij, permittunt se ad officium consiliarij assumi: graviùs, qui ambiunt, & vijs indirectis se promoveri curant: gravissimè autem, qui officia illa sibi emunt & pretio comparant, nisi fortè essent officia merè titularia, & ut vocant, honoris, quæ nullam officij administrationem requirunt. Ratio est, quia periculis peccatorum multorum se exponunt, & in illis periculis (ut supponitur) vivunt.

Nisi sit merè titulare.

Secundò similiter in statu peccati vivunt, qui post acquisitum officium de sua inidoneitate & incapacitate conscij, non curant studio, exercitationibus, cum viris doctis consuetudine, se idoneos & capaces reddere, ut aliquo saltem modo legitimè officio satisfacere possint.

Iidem non curantes sibi congruam scientiam.

Tertiò peccant, & ad restitutionem damnorum sequentium tenentur, qui ob inscitiam & ignorantiam, seu debitæ scientiæ defectum, mala consilia præstant, undè peccata vel gravia damna oriuntur.

Peccant mort. dantes mala consilia ex inscitia, &c.

Quartò contrà fidelitatem peccant, qui scienter odio, pravo affectu, vel proprij aut alieni commodi gratiâ, prava consilia dant, immò in suam sententiam, quam sciunt falsam, alios condescendere quovis modo procurant, & si tertio damnum aliquod indè sequatur, tenentur ad restitutionem.

Ex odio, affectu proprij commodi.

Quintò contrà eandem fidelitatem peccant, qui proditoriè, vel quovis modo consiliorum secreta alijs pandunt, & de damno tenentur.

Prodentes secreta alijs.

Evertentes bonum publicum sub prætextu, &c.

Sextò eâdem ratione peccant, qui sub prætextu boni, vel libertatis regiæ, bonum publicum populi vel reipublicæ evertunt, sibi ijs frequenter thesaurizantes. Ratio est, quia qui populi & reipublicæ bonum evertit, Regis bono adversarium se ostendit, & sive ignorantiâ, sive malitiâ id faciat, totius mali damni causa existit.

Tacentes, &c. in re gravis momenti.

Septimo contrà libertatem, & constantiam peccant mortaliter, qui in re gravis momenti vel tacent, vel respectu aliquo humano fluctuant, vel adulatione & placendi pruritu dicunt bonum, malum; & malum, bonum; aut ità adulterant sermones suos, ut æquivocè potiùs sua consilia proponant, quam resolutoriè, nè displiceant: qui & similiter de damno tenentur.

Non consulentes in gravioribus causis viros versatos in istis materijs.

Octavò peccant non raro mortaliter contra obligationem primam, qui etsi communiter sufficientis scientiæ sint, occurrentibus tamen gravioribus causis, ex. g. Theologicis & conscientiæ, aut quæ extraordinariam experientiam & inquisitionem requirunt, non priùs viros doctos & sapientes in istis materijs consulunt, antequam in consilio resolutio capiatur. Oportet enim sequi regulam illam: Quòd cùm de justitia alicujus rei in conscientia dubitatur, adeundi sint potiùs Theologi fundati, quàm Iurisperiti aut Canonistæ, quia ratio injustitiæ primaria, est obliquitas a regula primæ veritatis & rectitudinis, quam solus Theologus perfectè attendit, alijs extrinsecas quasdam ratiocinationes, sive collationes diversorum jurium humanorum respicientibus.

Consulentes præcipitanter, &c. in re gravis momenti.

Nonò peccant, qui in re gravis momenti perfunctoriè & præcipitanter sua consilia præstant, non attendentes aut rei importantiam, aut mediorum infirmitatem: undè potiùs rem eventui futuro, immò & periculo exponunt, quàm verè suis consilijs juvent, qualis erat ille, de quo monet Ecclesiasticus cap. 37. *A consiliario serva animam tuam, priùs scito quæ sit illius necessitas; & ipse enim animo suo cogitabit: ne fortè mittat sudem in terram, & dicat tibi: Bona est via tua; & stet è contrariò videre, quid tibi eveniat.* Etsi enim hic agatur de consilio privati ad privatum hominem; nihilominùs id non infrequens est etiam consiliarijs publicis, qui res perfunctoriè committunt futuro eventui, & dicunt in verbis bonam viam, quamvis è contrariò respiciant, quid eventurum sit. Et hæc sufficiant de consiliarijs publicis; continent enim omnia fundamenta, super quibus innituntur, quæ de quibuscunque consiliarijs & consilijs etiam privatis dici possunt.

Eccli 37. 9. & seqq.

TITVLVS III.

De Principibus dependentibus, & nobilibus Vasallis.

Principes dependentes qui.

HIc Principes dependentes vocamus, qui de primaria & antiquissima sunt nobilitate, ex sanguine Imperatorum, Regum, vel Principum independentium nati, aut gradum propinquum nobilitate adepti; quales sunt antiqui Duces, Principes, Comites, Marchiones, quorum familias antiquitas ut principales habuit, nobiles Vasallos nuncupamus, quos etsi vera nobilitas commendet, non tamen in eminenti illo priorum gradu. Ut verò, quæ dicenda sunt: clariora fiant:

Nobiles vasalli qui.

Duo in iis consideranda.

Notandum 1. In Principibus & Nobilibus, quoad hanc materiam, duo esse consideranda: Alterum, ipsa nobilitas, sive sit generis, sive virtutis, &c. de quibus statim: Alterum, assumptio quædam personarum ad regnorum, rerumpublicarum, & provinciarum regimen, sive ad aliquod ministerium regiminis universalis. Et hoc secundo modo mei instituti est agere de Principibus & Nobilibus, quatenùs scilicet à Regibus in administratione aliqua assumuntur, vel quatenùs ipsi alicui provinciæ, vel regioni aut civitati principantur. Quia tamen ut plurimùm ratione nobilitatis, vel assumuntur, vel obligantur regimini; primùm de nobilitate ipsa aliquid pertractabo, demùm ad ea, quæ sunt mei instituti, pergam.

§. 1.

De vera nobilitate, & personarum nobilium qualitatibus.

Nobilitas quid. Gerson.

NObilitatem describit Cancellarius Parisiensis: *Eminentiam quamdam, vel principalitatem, vel excellentiam inter alias res sui generis, habentem facultatem aliquam in illas, præsertim propinquas influendi.* Ità habet 2. part. oper. tract. de nobilitate, cujus descriptionis ratio ex dicendis de varia nobilitate patebit.

Est quadruplex.

Nobilitatem itaque quadrifariam dividunt antiqui Doctores: nimirùm, in supernaturalem, naturalem, politicam, & mixtam.

Nobilitas supernaturalis quæ.

Nobilitas supernaturalis consistit in supernaturalibus Dei donis, & maximè gratia gratum faciente, qua juxtà sanctum Petrum 2. Petri 1. efficimur *divinæ consortes naturæ*, & quasi filij Dei renascimur, hæredes Dei, & cohæredes Christi: ab hac enim denominantur Christi fideles, *Gens electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*

2. Petr. 1. 4.

1. Petr. 2. 9.

Nobilitas naturalis.

Nobilitas naturalis consistit in donis quibusdam naturalibus & virtutibus acquisitis, ex quibus homo redditur cæteris excellentior, & proindè aptus, ut alijs præficiatur, si-

veut multitudino imperet. A qua conditione 1. Reg. 10. commendatur Saul, qui in medio populi positus altior fuit omni populo *ab humero & sursum*, adeoque velut a fortitudine, præcellentia corporis, & dotibus naturæ commendatur à Samuele: *Certè* (ait) *videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi in omni populo.*

Ab ea Saul commendatur.

1. Reg. 10. 24.

Nobilitas politica est, quæ trahitur à Majoribus virtute claris, quibus ob præstantiam virtutum dignitas aliqua præeminens designata fuit, sive populi concessione, sive Principum judicio, sive rerum magnarum benè gestarum excellentiâ prævalente. His enim tribus ferè modis in politicis & civilibus primùm nobilitas acquisita est; & quia communiter filij parentum indolis & virtutum heredes habentur, nobilitate generis filij à Majoribus nobilibus nati nobiles habentur, & cum sanguine nobilitatem acquirunt, juxtà illud Horatij: Carm. l. 4. Ode 4.

Nobilitas politica quæ, & qui acquiratur.

Derivatur in filios, & cum.

Horatius.

Fortes creantur fortibus, & bonis:
Est in juvencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Prov. 17. 6
Eccli. 44. 1 & seqq.

Undè & Proverb. 17. *Gloria filiorum parentes eorum.* Et Eccli. 44 *Laudemus* (ait) *viros gloriosos: & parentes nostros in generatione sua. multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ suâ à sæculo.* Et radicem veræ nobilitatis aperiens: *Dominantes* (inquit) *in potestatibus suis*
Vers. 6. *homines magni virtute, & prudentiâ suâ præditi, nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum, & imperantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ populis sanctissima verba.* Infrà: *Homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes; pacificantes in domibus suis.* In quibus verbis exprimitur fundamentum veræ nobilitatis, & undè & qualiter etiam in politicis & civilibus ac-
Vers. 7. quisita; nimirùm, magnitudine virtutis, prudentiæ præstantiâ, studiositate & exercitio, & gratiâ gubernandi. Approbat autem etiam
Vers. 11. Scriptura nobilitatem generis in eorum posteritate: *Omnes isti* (ait) *in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.* Infrà de posteris: *Cum semine eorum permanent bona, hereditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum, & filij eorum propter illos usque in æternum manent; semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur.*

Nobilitas mixta quæ.

Nobilitas mixta dicitur, quæ partim ex studio virtutis, ac naturalibus donis, partim ex dignitate aliqua politica sive gradu provenit: nimirùm, quia persona donis naturalibus & virtute præstans nobili gradu in republica donatur, ut cùm ad senatum, magistratum, prætoriatum, &c. vel gradus aliquos, quibus assignata est nobilitas, assumitur.

Nobilitatis fundamentum est virtus.

Gerson.

Hâc distinctione Nobilium sic positâ, constat omne nobilitatis fundamentum ex præstantia virtutis provenire, &, ut benè dixit Gerson suprà, ad nobilitatem non sufficere aliquam excellentiam, nisi existimetur potestatem habere in alios influendi; neque enim gratiæ & dona Dei censentur nobilia, nisi quia principia sunt virtutum, & bonorum operum influxu Ecclesiam exornant; aliàs qui talentum in sudario reposuit, ut vilis & abjectus in tenebras exteriores mittitur: neque qui donis naturæ præeminet, nobilis habendus est, nisi eâ parte, qua in suum & aliorum bonum illis benè usurus existimatur: nec justè politica nobilitas personis otio & desidiâ torpentibus decernitur, & quamvis generis nobilitatem participent, eò ipsò quò à paterna nobilitate recedentes in voluptatibus & vitijs delitescunt, ignobiles habentur & viles: nam ut benè S. Ambrosius l. de Nabuthe Iezraëlita c. 13 *Non datur nobilitati palma, sed cursui. Deformior est virtus, in quo & nobilitas generis periclitatur.* Et suprà irridet eos, qui de sola nobilitate parentum gloriantur: *Quid te* (inquit) *jactas de nobilitatis prosapia? soletis & canum vestrorum origines, sicut divitum recensere, soletis & equorum vestrorum nobilitatem, sicut consulum prædicare. Ille ex illo patre generatus est, & illa matre editus,* &c. Sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione invectiva in Maximum post medium, triplex tantùm nobilitatis genus agnoscit: *Est triplex* (inquit) *ferè generis consideratio: Aliud enim supernè originem traxit, quo omnes peræquè nobiles sumus, quippè ad imaginem Dei creati. Aliud à carne proficiscitur; quo quidem haud scio, an unquam Nobilis dici possit, cùm id totum corruptione conficiatur. Aliud à virtute vel vitio agnoscitur, cujus vel uberiùs vel exilius participes efficimur, prout opinor, divinam imaginem vel conservaverimus, vel deformaverimus ac depravaverimus.* Et de quarto genere, quatenùs nudè politicum est, subjungit: *Nam quartum* (inquit) *illud nobilitatis genus, quod in Principum diplomatibus edictisque consistit, tùm nullo loco ac pretio habeo, cùm pictam formæ elegantiam laudandam dixero, simiamque ob id revereri cœpero, quòd leo esse jussa sit.* Hæc Nazianzenus.

Vitijs, otio, & desidia nobiles decedendi non sunt.

S. Ambros.

Naziana.

Corollarium de vera nobilitate.

Et hæc sunt, quæ de nobilitate fundamentaliter dici possunt, quæ (ut ex dictis patet) fundatur in gratijs, donis, virtutibus, & animi excellentia, ratione quorum ipsa excellentia primò hominibus cum aliqua reverentia venerabilis & honore digna facta est; postea honoribus & dignitatibus, sive gradibus sublimioribus primùm à populo, demùm à Principibus cumulata; tandem decretum, ut & in posteros communicatione sanguinis in progenitorum gloriam derivaretur; nulla tamen laudabilis, nisi quam virtus commendat, & si à Majoribus est, quam imitatio Majorum in virtutibus, velut continuato cursu perennat. Undè idem Nazianzenus Orat. in laudem Hieron. Philosophi in principio: *Neque nostrum est* (ait) *ac nè Philosophi quidem, eam generis claritatem admirari, quæ à fabulis & sepulchris, supercilioque jam pridem corrupto ac putrefacto manat: nec eam, quæ sanguine ac diplomatibus comparatur, quippè quam noctes afferant, ac Regum ignobilium quoque fort esse manus, nobilitatem, velut quiddam aliud, imperan-*

Naziana.

tium atque decernentium : sed eam demùm nobilitatem intelligo, quam pietas vitaque sanctimonia, ascensusque ad primarium illud bonum, ex quo originem traximus, insculpsit. Hæc Nazianz. Speculum sanè pro hujus temporis Nobilibus, quos otium, delicia, voluptates terrenæ, & omnium vitiorum quædam fatua, licentiosa, & superba libertas viles & abjectos reddit, de quibus benè Auctor imperfecti operis in Matth. *Melius est de contemptibili genere clarum fieri, quàm de claro genere contemptibilem nasci.*

Auctor imp. oper. in Matth.

§. 2.

Nobilitatem veram primas semper habuisse, illique deberi in ministerijs & officijs ad regimen regni & reipublicæ pertinentibus

HOc probant usque ad hæc tempora originaria officia sub Regibus & Principibus in regnorum & rerumpublicarum administratione. Hinc enim nomina comitum, ducum, marchionum, baronum, optimatum, senatorum, derivationem suam acceperunt: Primo enim qui assistebant Regibus & Principibus, tùm in regni, tùm in aulæ regimine, Comites dicti sunt, quasi Regem comitantes, & ei singulari consuetudine adhærentes; assumebantur enim viri virtute & ingenio præstantes, qui Regi assistebant consilio & operâ Undè Spartianus in Adriano refert Imperatorem Adrianum senatum in aulam suam transtulisse, & senatorum optimates, id est, excellentiores in amicorum velut cohortem adscripsisse, qui prædecessorum Imperatorum tempore ex equestri Ordine assumebantur. Hi itaque, quia Imperatorem, quocunque iret, sequebantur, & eum comitabantur, dicti sunt Comites, quorum consilijs in omnibus utebatur; undè & dignitas comitis originem habuit. Ex qua radice secundùm diversa munia: alij Comites, amici & domestici: alij Comites largitionum, alij apud Germanos Gravij: undè Lantgravij, Marchgravij dicti sunt: alij Comites consistoriales, alij Comites stabuli, vulgò *Conestables*, : alij Comites præfecti domesticorum; alij Comites Palatini, sive quòd palatio præficerentur, sive quòd mensis & œconomiæ aulicæ vacarent: alij Comites præfecti thesaurorum & financiarum, sive argentariorum: alij Comites præfecti sacri, sive regij patrimonij; alij Comites præfecti ceremoniarum. Ita ut per Nobiles tanquam præstantioris ingenij, fidei & virtutis viros, quibus dignitas & gradus nobilitatis erat decreta, regnum & respublicæ in solatium & auxilium Regis administrarentur. Vide de his latiùs Petrum Gregorium Tholosanum in Syntagmate juris universi lib. 6. cap. 8. qui & 9. & 10 prosequitur de Comitibus præfectis provinciarum, & Marchionibus, quos à marca, sive limitibus derivat, quia eorum esset limites regni defendere & tueri. Ubi & de Ducibus, & de comparatione Ducum, Marchionum, & Comitum ad invicem: & cap. 10. de Baronibus & feudatarijs agit; quæ quia non sunt nostri instituti, quippè qui de ijstantùm agimus, in quantum in populi regimine Regibus adminiculantur, apud dictum Auctorem videri possunt. Hoc sufficiat hic dixisse per Nobiles ab antiquo tanquam Præfectos, & Regum ac Principum assessores primarios regna & provincias fuisse gubernatas. Quod & confirmat sacra Scriptura Deuteronomij capite 1. ubi Moyses post excusationem à se factam, quòd non posset solus ferre regimen populi, subdit: *Tulique (ait) de tribubus vestris viros sapientes & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios ac decanos, qui docerent vos singula,* &c. ubi nota verba illa: *viros sapientes & nobiles,* &c.

Comites undè dicti.

Adrianus Imp. senatum in suã aulam transtulit.

Comitum varietas & distinctio.

Petrus Greg.

Marchiones undè dicti.

Per nobiles olim regna & provinciæ fuère gubernata.

Deut. 1. 15.

§. 3.

De Principum dependentium & Nobilium vasallorum obligationibus in regimine populi.

DUo, quæ ad regimen populi spectant, in Principibus dependentibus & Nobilibus vasallis distinguenda sunt. Unum est propria jurisdictio & dominium in provincias, regiones, civitates, & municipia, sive dominia hæreditaria, sive quæ possident, & eorum subditos, sive dominiorum incolas. Alterum est dependentia quædam à Rege, sive supremo Principe, quibus tanquam eorum vasalli aliquod homagium vel jura rependere tenentur. Addo, quòd possint à Regibus & Principibus supremis etiam in præfecturis adhiberi.

Duo in his princip. sunt distinguenda.

Dico itaque 1. Illos ex jurisdictione propria & hæreditaria in provincias vel terras suas & colonos obligari ad subditorum juxtà leges civiles regimen, illorum conservationem, & ab injurijs defensionem. Hæc sunt communia omni dominio despotico: sicut enim coloni & subditi tenentur illis ad reverentiam, fidelitatem, & obsequium juxtà dominiorum leges; ità ipsi correlativè subditis ad supradicta tenentur. Undè gravissimè peccant Principes & Nobiles, qui suos subditos, aliàs liberos, sicut mancipia regere ad placitum & arbitrium præsumunt, qui eos opprimunt, qui quandò, & quantum possunt, ab injurijs illos tueri non satagunt. Peccant & subditi, qui eis honorem non deferunt & respectum debitum, qui infideliter illis obsequuntur, aut obsequi non procurant, qui quovis modo suis dominis infideles sunt. Ad particularia hic descendere non possumus, quia principatuum, provinciarum & regionum diversa sunt jura, diversæ leges, sive consuetudines, diversa pacta, quæ correlativè inter dominos & subditos observari debent.

Qualiter obligentur subditis.

Hinc peccant.

Item subditi.

Dico

Qualiter supremis Principibus obligentur. Dico 2. Nobiles ex gradu & dignitate nobilitatis obligantur Regibus & Principibus supremis ad homagia, recognitiones, fidelitatem, & onera, quæ eis competunt. Unde ordinariè vocati ad bella convenire, & Principibus assistere debent, interdùm cum certo comitatu; extra provincias & regna, absque Regum & Principum facultate, quandoque non possunt alienæ militiæ deservire; denique fidelitatem servare tenentur in omnibus, quæ vel Regum & Principum personas, vel etiam regnum & provincias concernunt. Et hæc omnia non tantùm in foro fori, sed etiam in foro conscientiæ & poli.

TITVLVS IV.

De Præfectis provinciarum, ditionum, civitatum, &c. & de Magistratibus & officiariis ac ministris regimini publico præfectis.

Sanctum & omnibus numeris absolutum consilium fuit Jethro soceri Moysi quantumvis infidelis Exodi 18. dispertiendam esse populi curam & regimen in multos, quòd unus solus ad illud non sufficeret, sed stulto labore consumeretur. Hoc itaque consilio in universo orbe terrarum factum est, ut regna, provinciæ, ditiones, civitates, municipia præfectis & Magistratibus immediatis committerentur, quæ dependenter à Regibus, sub legibus civilibus uniuscujusque territorii, populum regerent, continerent, conservarent, ac ab injuriis defenderent, quæ omnia sunt communia omni Rectori, & regiminis cujuslibet politici administratori. Quia verò similium eadem est scientia, sub eodem titulo Præfectorum comprehendo Præfectos sive Gubernatores provinciarum, ditionum, civitatum, Magistratus, prætores, Baillivos, & alios, quibus aliquod regimen, in ratione tamen regiminis, est concessum. De judicibus enim sicut & materiam de judiciis in alterum titulum, cùm de defensione & protectione ab injuria agendum erit, reservavi, igitur omnes unâ communi doctrinâ (ne toties idem repeti debeat) concludam, paucis paragraphis rem absolvo.

Consilium Jethro prædicatur in toto mundo.

§ I.

De qualitatibus Præfectorum & Magistratuum politicorum in provinciis, regnis, &c.

Qualitates omnes & conditiones Præfectorum, & eorum, qui ad Magistratus & regimen populorum assumuntur, paucis comprehendit consilium Jethro soceri Moysi Exodi 18. *Provide autem* (ait) *de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, &c.* In quibus verbis quatuor qualitates indicantur, qui in compendio omnes alias continent, & in quibus tamquam in quatuor cardinibus, tota politia regni sive reipublicæ volvitur, nimirùm: *Virilis potentia, timor Dei, veritas, avaritiæ detestatio sive odium.* De quibus omnibus in singularibus dubiis.

Exod. 18. 21.

Quatuor Præfectis & c. qualitates.

Dubium 1.

Quid intelligatur per virilem potentiam?

Tria indicantur per verba illa: *Viros potentes de omni plebe*, quæ in Præfectis & Magistratibus requiruntur; nimirùm: plenum judicium; constantia, & fortitudo in regimine; universalis scientia & sufficiens ad regendam plebem.

Prima virilis potentia dicit tria.

Et 1. quidam judicium plenum in hoc, quòd *viros* requirit; *Va enim terra, cujus Rex puer est, & puer centum annorum morietur*: debent ergo, qui ad præfecturas vel Magistratus eliguntur, viri esse firmi & prudentis judicii, in quibus nil puerile, nil muliebre, nil fatuum, sed ab omni passione & phantastica imaginatione liber intellectus est.

1. Judicii firmum. Eccle 10. 16. Isai. 65. 20

2. Debet inesse fortitudo virilis, & constans, sive ad judicia & decreta facienda, sive ad eorum executionem: Nam ut benè Eccle. 7. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates; ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua. Noli esse pusillanimis in animo tuo,* &c.

2 Fortitudinem virilem. Eccle. 7. 6. Vers. 9.

3. Debet pollere scientiâ sufficienti & accommodâ regno, provinciæ, regioni, civitati, cui vel ut Præfectus & Rector, sive Prorex præficitur, vel ad cujus Magistratum assumitur: unde singulariter dicitur: *Provide tibi de omni plebe viros potentes*: Cur enim de omni plebe, nisi ut inclinationes, mores, consuetudines, leges plebis, cui præficiuntur, norint, ut illos juxta suam capacitatem, nationis genium, mores, & leges gubernent? Hinc enim tot provinciarum, civitatum, &c dissensiones, quia qui regunt, mores, genia, & consuetudines populi non attendunt, sed vel asperitate nimia, vel indiscretâ mansuetudine, & generaliter ob ignorantiam incongruis mediis in regimine utuntur. Vide super his quæ de Consiliariis dicta sunt, quæ enim in illis requiruntur tamquam consulentibus, ea eminentiùs requiruntur in Præfectis, qui ferè capita consiliorum sunt; & Magistratus consiliorum naturam sequuntur.

3. Scientiâ sufficientem, &c.

Dubium 2.

Quid intelligatur per timorem Dei?

Timor Dei in Præfectis & Magistratibus duo dicit.

Secundo timor Dei dicit duo.

Alterum, ut sciant quicumque populis præficiuntur se agere rem Dei, ideoque Deum præ oculis in regimine habere debere: cùm enim, ut sæpissimè repetitum est, omnis potestas sit à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistat, & Rex sit minister Dei, &c qui nomine

nomine Regis & Principis regit & populo præficitur, in quacumque præfectura vel Magistratu ponatur, sicut Regis Vicarius est, sic sub Rege est minister Dei, adeoque ptimaria intentio illius debet esse, ut quæ Deo sunt placita, perficiat. Regula enim omnis regiminis humani promanat à regulis legis æternæ, eique tamquam directrici & primæ motrici subjacet.

Ecclc. 5. 6 Alterum est, ut Dei judicia considerans, si non amore, timore saltem Dei à malo avertatur, juxta illud Eccle. 5. *Tu verò Deum time. Si videris calumnias egenorum, & violenta judicia, & subverti justitiam in provincia, non mireris super hoc negotio; quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper universæ terræ Rex imperat servienti, &c.* q. d. si subordinati Principes aut Rex non vindicent, vindicabit mala Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui est Rex universæ terræ, ut Danielis 4.

Dan. 4. 14 *Dominatur Excelsus in regno hominum.*

Dubium III.

Quid nomine Veritatis *intelligatur?*

Tertia, Veritas. MAximam energiam habet particula illa: *Providè* (ait) *ex omni plebe, &c. in quibus sit veritas*: & in hoc ferè cardine totum regimen populi ferè versatur.

Quæ sit triplex. Triplicem igitur veritatem notat Gerson 4. p. in serm. Dominicæ Passionis, nimirùm: *Veritatem doctrinæ* sive intellectus in cognitione & distinctione veri à falso: *Veritatem* vitæ, in persecutione & distinctione boni à malo: *Veritatem justitiæ*, in discretione justi ab injusto, ut nimirùm unicuique, quod suum est, reddatur.

Illa triplex Præfectis est necessaria. Ad Dubium itaque respondeo; triplicem veritatem in Præfectis necessariam esse.

1. Veritas doctrinæ. 1. Ut sciant discernere, & de facto discernant in suo regimine verum à falso, id est, ut fictionibus & mendaciis non illudantur, minùs suis illudant: in ipsis enim qui præsunt debet residere veritas in verbo, ut quidquid ex ore eorum procedit respectu subditorum ad eorum regimen veritati legum innitatur. Devenimus certè ad illa tempora, de quibus Ps. 11.

Ps. 11. 1. *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum. Vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum; labia dolosa in corde & corde locuti sunt*; invaluitque illa in Præfectis sapientia, de qua S. Gregorius

S. Greg. lib. 10. in cap. 12 Job c. 27. *Hujus mundi sapientia est cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare.* Et hæc quidem fallacia jam in penetralia etiam aularum penetravit, à qua sicut Principes, sic eorum Præfectos abhorrere necesse est. Sanè ad veram sapientiam ex-

Prov. 22. 20. hortans Sapiens Proverb. c. 22. *Ecce* (inquit) *descripsi eam tibi tripliciter, in cogitationibus & scientia; ut ostenderem tibi firmitatem, & eloquia veritatis, respondere ex his illis qui miserunt te.* Tripliciter utique describitur veritas, dum describitur in corde, ore, & opere.

2. Veritas vitæ. 2. Necessaria est in Præfectis veritas vitæ, ut nimirùm sciant, & contendant discernere bonum à malo: ad hoc enim etiam præficiuntur, ut malitiam dissipent, & bonum opere & exemplo stabiliant: juxta illud Eccli. 10.

Eccli. 10. 2. *Secundùm judicem populi, sic & ministri ejus; & qualis Rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Infrà: *In manu Dei potestas terræ: & utilem*

Vers. 4. *Rectorem suscitabit in tempus super illam.* Infrà: *In medio fratrum Rector illorum in honore: &*

Vers. 24. *qui timent Dominum, erunt in oculis illius.* Unde de seipso Psaltes ps. 100. tamquam omnium Præfectorum speculo: *Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domûs meæ. Non proponebam ante oculos meos rem injustam: facientes prævaricationes odivi. Non adhæsit mihi cor pravum; declinantem à me malignum non cognoscebam. Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar, &c.* Ubi omnes qualitates veri Rectoris populi recenset & prosequitur, quæ sunt: innocentia cordis, justitia, odium mali & peccati, aversio à malis, persecutio detractorum, superborum & avarorum detestatio, consortium bonorum, extirpatio omnis mali. Et hi sunt in quibus est veritas vitæ.

Ps. 100. 2. & seqq.

3. Veritas justitiæ. 3. Veritas denique justitiæ individua comes debet esse omnium, qui in præfecturis & Magistratibus constituuntur; unde gravis illa querimonia Isa. 1. *Principes tui infideles, socij*

Isa. 1. 23. *furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant: & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Et cap. 5. *Væ qui dicitis ma-*

Cap. 5. 20. *lum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Sed de his latiùs infrà.

Dubium IV.

Quid per odium avaritiæ *intelligatur?*

Qualiter Præfectis &c. sint assignata stipendia. HIc supponendum est 1. Præfectis provinciarum, civitatum, &c. Magistratibus esse assignata stipendia, communi æstimatione sufficientia ad statum suum congruè conservandum, & ad familiæ sustentationem, quibus & immunitates & privilegia sunt annexa, & nonnulla emolumenta, quæ eis absque aliqua injustitia, vel ullius injuria adveniunt, concessa.

2. Illa ex justitia ipsis deberi: & ubi deficerent, vel mutatis conditionibus & circumstantiis non sufficerent, à Rege vel provinciis, habito circumstantiarum justo examine, suppleri oportere.

3. Si quid exigant ultra id quod eis constitutum est, injustitiam committere, juxta Regulam datam militibus Luc. 3. *Neminem concutia-*

Luc. 3. 14. *tis, neq; calumniam faciatis: & contenti estote stipendiis vestris*: hoc enim omnibus stipendiariis commune est: præfecti autem provinciarum & civitatum, sicut & Magistratus stipendiarii sunt, & stipendio serviunt.

His sic suppositis respondeo 1. per illa verba, *Et qui avaritiam oderint*, indicatur qualitas

litas necessaria Præfectis & Magistratibus, ut non tantùm non sint avari, sed etiam avaritiam oderint: avaritia enim principium est omnis injustitiæ, iniquitatis, dissimulationis, licentiæ in regimine, quia omnia pecuniæ obediunt, & ubi quis in Magistratu avaritiæ deditus est, sepositο Dei timore & veritate, atque justitiâ, in omnem ruit licentiam, aut pauperum oppressionem benè Poëtâ dicente:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Unde contingat Præfectos, &c. sæpè injustis viis rem committere.

Contingit enim communiter, ut qui ad præfecturas vel Magistratus evehuntur, vel necessitatis familiæ, vel gradus & sumptuum inanium prætextu, vel in famulis & servis pompæ majoris occasione, &c. stipendiis non contenti in modos injustos & illicitos proruant, quibus pecunias accumulent, domos & prædia augeant, dignitates, nobilitates ambiant, vel fordide divites fiant. Unde benè S. August. seu Author libri de salutaribus docum. cap. 29. *Annuntia, præcipe, impera, suade eis* (utique subditis tuis) *ut caveant se ab avaritia, &c. à cupiditate, quæ est radix omnium malorum.* Et cap 30. *Cupidus enim vir animam suam venalem habet, si invenerit tempus ut concupiscat alicujus aurum aut argentum seu vestes pulchras, vel etiam cujuslibet mulierem pulchram facie, pro nihilo homicidium perpetrat.* Rursus Augustin. in ps. 38. ad illud: *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea: delirare* (inquit) *tibi videor avare, cùm hæc loquor, &c.* & mox avaro sic improperat: *Tu enim* (inquit) *videlicet homo magni consilij, magnæq; prudentiæ, excogitas quotidie genera acquirendæ pecuniæ, de negotio, de agricultura, fortassis & de eloquio, de jurisconsultatione, de militia, addis & de fœnore.* (En omnes se modi communes qui videntur tamen justi) subdit: *Homo cordatus nihil prætermittis omninò, unde nummus super nummum, & in occulto diligentiùs acquiratur. Deprædaris homines..., caves deprædatorem, quod facis, times ne patiaris, & in eo quod pateris, non te corrigis, &c.* Et specialiùs in-

S. August.

justos & iniquos modos enumerans serm. 25. de verbis Domini: *Inexplebilis* (inquit) *est sola avaritia divitum, semper rapit, & numquam satiatur: nec Deum timet, nec hominem reveretur: non patri parcit, non matrem agnoscit: nec fratri obtemperat, nec amico fidem servat: viduam opprimit, pupillis rem invadit: liberos in servitutem revocat, testamentum falsum profert: Res mortui occupantur: qui isti non & ipsi qui hoc faciunt moriantur. Quæ est ergo ista animarum insania amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cœlum?* In quibus verbis misetanda hominum hujus temporis conditio exprimitur, qui non videntur alio prætextu præfecturas ambire, nisi ut ditentur, unde non contenti stipendiis suis, novos indies rapiendi modos sibi comminiscuntur.

Describitur misera conditio præfectorũ hujus temporis.

Senserant hanc pestem etiam Antiqui, qui à præfectura & Magistratu removendos judicabant inopes & avaros, ut præclaro Romani Senatûs consilio ostenditur; cùm enim de mittendis consulibus in præfecturam Hispaniæ ageretur; duoque proponerentur, quotum alter nihil habebat, alteri autem nihil satis erat, consultum est ut neuter mitteretur, hâc quidem ratione: si enim egenus præficeretur periculum erat ne multa utique à populo extorqueret, quibus & sustentaretur & ditaretur; quòd si è contrà dives avarus præfectus fieret, futurum erat ut plura caperet, quibus avaritiam suam satiaret. Nec ab hoc consilio aberat Tyberius Cæsar, qui vix induci poterat, ut procuratores sive præsides provinciarum mutaret, unicam hanc rationem afferens: hâc ratione parcere se velle plebeculæ, indicans quòd procuratores & præsides ad provincias ad modicum tempus missi emungerent acriùs populum usque ad sanguinem, & tantò acriùs dominarentur, quantò se breviori tempore dominaturos agnoscerent, solebatque afferre paradigma alicujus vulnerati, qui in via jacens muscas vulnus depascentes non abigebat: quod cùm aliquis transiens vidisset, officium vulnerato præstitisse ratus est, si muscas abegisset, prout & abegit: ad quem vulneratus, malè (inquit) fecisti, quia muscæ quas amovisti jam sanguine plenæ erant, & me parciùs molestabant, quæ autem supervenient, acerbiùs pungent. Acute, sed verè dictum in præfectos, qui in provinciis frequentiùs mutantur, qui enim novitet adveniunt, novis modis sub prætextu inopiæ, auctæ familiæ, & novi regiminis, quæ possunt sibi accipere student. Has historias refert Joannes Vallensis antiquus Auctor Ordinis nostri in Margarita Doctorum communiloquii p. 1. dist. 4. c. 1.

Inopes & avaros Romani ad præfecturas non promovebant.

Tyber Cæsar non ja-cilè mutabat Præfectos & cur.

Eius paradigma de vulnerato nolente abigi muscas à vulnere suo.

§. 2.

De peccatis Præfectorum in provinciis & civitatibus, similiter & Magistratuum, quibus regimen commissum est.

Peccant igitur 1. & in peccata mortalia se præcipitant, qui præfecturas & Magistratus ambiunt, emunt, vel se ad illos promoveri procurant aut permittunt, licèt de sua inidoneitate conscii, & qui ad illa promoti non conantur acquirere scientiam & experientiam ad regimen necessarium, nimirùm, ut regionis naturam, constitutionem, populi genium & inclinationem, subalternorum ministeria, mores, vitam, &c. vitia & defectus norint ut illis providere possint. Fit enim, ut ob negligentiam & ignorantiam sæpiùs contra bonum patriæ & Principum impingant, à susurronibus, & adulatoribus, & iis qui propria quærunt decipiantur, injustitias committant, vitia regnare permittant, corrigere omittant, & populum hostium & inimicorum crudelitati dimittant.

Varijs peccatis se exponunt indonei ambientes, emantes, & præfecturas.

Peccant 2. & iisdem periculis se exponunt, qui pusillanimes existentes, vel hominibus placere cupientes, favoribus amicorum, donis

donis & muneribus, adulatorū suasionibus in omnem ventum vertuntur, vel timore indignationis aliquorum à justo & recto tramite deviant: quæ peccata existimari debent penes damna, quæ vel Rex, vel patria, vel personæ privatæ unde patiuntur.

Facientes & permittentes contra justas leges.

Peccant 3. Qui timorem Dei abjicientes, pro sua libidine effrænes, faciunt & permittunt omnia, quæ lubent, nullo respectu ad leges naturales, divinas vel positivas, humanasque tam ecclesiasticas quam civiles.

Non servantes veritatem in verbo & opere.
S. Greg.

Peccant 4. Qui faciem mundanam ita induerunt, ut nec in verbo, nec in opere veritatem servent, sed (ut suprà S. Gregorius) ipsorum velut professio sit: *Cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, &c.* & tantis aulæcismis in suo gubernio & regimine utuntur, ut de hoc
Osee 4. 1.
sæculo dici possit, quod Osee 4. dicitur: *Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum, & mendacium, &c. inundaverunt.* Et ut aliquando suis amicis
Iob 6.
Job cap. 6 improperabat: quia detrahunt sermonibus veritatis, ad increpandum verba concinnatis, ut proximum decipiant. Est mihi pro Aphorismo: Eos qui præsunt in rebus sui ministerii teneri in corde, in verbo, in facto veritatem edicere, nec contrafacientes excusari ut plurimum à peccato mortali, etsi fortè perniciosum non esset. *Ratio mea est*, quia ex vi ministerii pro subditis veritas, quæ est justitiæ fundamentum, apud illos deposita est, & ad illam velut in subditos diffundendam, & conservandam ex vi juramenti fidelitatis tenentur. Quod satis apertè indicant verba filiorum

Qui præsunt qualiter teneantur veritatem edicere.

1. Mach. 7. 18.
Israël contra Alcimum & Bacchidem 1. Mach. 7. *Non est* (inquiunt) *veritas & judicium in eis, transgressi sunt enim constitutum & jusjurandum quod juraverunt*: Eo enim ipso quo quis præfecturam provinciæ, civitatis, vel cujuscumque populi suscipit, se juramento fidelitatis adstringit, fundamentum autem fidelitatis est veritas, sine qua illa non subsistit. Nec sibi abblandiantur æquivocationum & restrictionum mentalium impii assertores, quasi æquivocationes illæ & restrictiones mentis eos à mendacio excusarent, nolo enim de argutiis grammaticis vel logicis verborum disputare: unū scio, quia sicut non licet mentiri, sic minùs licet decipere; hi autem, excusent se quantùm possunt suâ subtilitate à mendacio, non possunt se tamen excusare à fallacia & deceptione, quæ in personis cæteris præsidentibus gravis momenti sunt, & (ut dixi) contra jusjurandum fidelitatis, tam ad Regem sive Principem, quàm populum & rempublicam, impingunt, quamvis etiam universaliter Proverb. 26. *Lingua fallax non amet veritatem, & os lubricum operetur ruinas.*

Unde oriatur illa obligatio.

Prov. 26. 28.

Non contenti suo stipendio, extorquent extraordinarie, &c.

Peccant 5. Qui non contenti stipendiis & emolumentis officio, Magistratui, sive præfecturæ constitutis exigunt, extorquent multam pecuniam, angarias, operas, contributiones in omnibus rebus à subditis: nec longè ab eis absunt, qui in propria causa auctoritate propriâ sibi augent stipendia, absque auctoritate publica Principis, quæ omnia, præter furtum & rapinam rei alienæ, continent graves injustitias & oppressiones plebis, ut suprà explicavimus. Et quia à fundamentis hos abusus intendo pertractare, cùm de militia agendum erit, in illum locum differo, quia ibidem locus communis erit. Et hæc itaque de Præfectis & Magistratibus sufficiant.

De prætoribus, Baillivis, Hooffmannis, Satrapis hic fortè aliquid specificandum fuisset, sed cùm sit eadem accommoda ratio de illis, quæ de Præfectis, & non minora peccata committant, cùm ipsi ut plurimùm magis ignari exactionibus ac injustis mulctis se intricare soleant, ipsis doctrina superior applicari poterit.

TITVLVS V.

De sapientibus regimini assistentibus.

Præcipuū munus eorum olim quod fuerit.

PRæter Præfectos, præsidentes, Consiliarios, Magistratus, &c. antiquitùs assistebant Regibus & regimini sapientes, de quibus toto libro Danielis, & in Exodo c. 7. Ubi de sapientibus Pharaonis, & in Scriptura passim. Munus verò illorum videtur præcipuum fuisse ad extraordinaria, & in quibus divinum aliquid, vel altitudo scientiæ ultra humanam notitiam requirebatur, ut ad interpretationes signorum & prodigiorum, vel ad extraordinaria mala à populo avertenda, aut ei extraordinariè providendum. Porrò illi non habitabant in curiis Regum, sed sequestrati ab aliis sapientiæ vacabant, extra tumultum populorum, unde opportunè evocabantur.

§. 1.

Qui dicendi veri sapientes?

Magi, &c. olim apud infideles Reges sapientes habebantur.

SUb titulo sapientum magi, malefici, arioli, incantatores & malarum artium professores apud infideles Regibus adstiterunt, de quibus multa refert ex historiis Petrus Greg. Tholosanus in Syntagmate juris universi lib. 34. cap 9. & 10. Et hi sapientes habebantur quasi amici essent Deorum, & eorum familiaritate gaudenent; unde vaticinabantur, futura prædicebant, signorum & prodigiorum vim interpretabantur, &c. Dæmone per illos mira & insolita operante.

Reso-

Resolutio.

Sapientes illi apud Christianos soli dicendi sunt, qui scientiarum divinarum humanarumque studio consummati veritatem Dei inquirunt, ut sibi aliisq; benè beatèque vivendi viam parent & ostendant. Hæc diffinitio ex variis Sanctorum & antiquorum etiam Philosophorum dictis colligitur, quorum nonnulli *sapientiam*, cognitionem æternarum rerum, sive primarum & altissimarum causarum; nonnulli cognitionem Dei secundùm pietatem; nonnulli æternorum contemplationem; alii collectionem omnium virtutum tam moralium quàm intellectualium diffiniverunt. Conformiter ad nostram

S. August. S. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 1. *Sapientia est divinarum humanarumque rerum cognitio*, studio benè vivendi conjuncta vel ordinata, prout ipse ibidem explicat: Nostra porrò diffinitio omnia, quæ à Scriptoribus variè traduntur, complectitur.

Scientia divina qua. Dicuntur enim 1. sapientes, *Scientiarum divinarum humanarumque studio consummati*: Divinarum quidem, quas Theologicas nuncupamus, & quæ pro fundamento fidem divinam habent, sive quæ innituntur primæ Veritati:

Qui dicantur scientiarũ studio consummati. Dicuntur autem *studio consummati*, id est, longo studio exercitati; studio quidem, quia nunquam in hac vita sapientia completur; consummatur tamen, quia quantum humana mens pro suo modulo capere potest, pro hoc statu impletur: etsi juxta diversitatem capacitatis & donorum major minorque in sapientibus detur.

Saepius vera sapientia quae. Dicuntur etiam *Veritatem Dei inquirere*; hic est enim scopus veræ sapientiæ, inquisitio nimirùm veritatis, juxta quam *audiens sapiens sapientior erit*; & Proverb. c. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectam diem.* Cujus proprietates explicantur

Prov 4.18.

Sap. 7. 22. Sap. 7. *Est enim (ait) in illa spiritus intelligentiæ, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, &c. omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus, &c.* Infrà:

Vers. 25. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis omnipotentis Dei sincera; & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & imago bonitatis illius, &c.*

Pauci habent veram sapientiam. Ex quibus omnibus considerari potest, quàm pauci veram obtineant sapientiam, quamvis plurimi scientias multas profiteantur, unde tandem additum est: *Ut sibi aliisque benè beatèque vivendi viam parent & ostendant*: Hic est enim fructus & effectus veræ sapientiæ,

In quibus sapientia distinguatur à scientia. unde in hoc distinguitur sapientia à scientia 1. quòd sapientia sit rerum divinarum sive ad divinum amorem ducentium; scientia verò humanarum rerum notitia. 2. Quòd sapientia partem intellectualem sive apicem mentis informet; scientia rationativam sive rationalem. 3. Scientia pertinet ad intellectum solum; sapientia ad affectum; unde Gerson p. 3. de monte contemplationis c. 5.

Gerson. *Sapientia valet tantum sicut sapor est scientia, quia sapor respicit affectionem, desiderium, appetitum & voluntatem personæ in qua inest. Et ideo in aliquo (ait) potest magna scientia vel cognitio esse, in quo erit modica vel nulla sapientia.* Et c. 7. exemplificat de simplicibus, qui ex veritatibus fidei in magnum concipiunt in Deum amorem, magnoque lumine in rerum divinarum cognitione splendent, habet enim sapientia splendorem simul & calorem, & hi verè vocari possunt sapientes; contra quosdam Theologos, qui magna sciunt disputare de Deo & divinis, quia tamen illa cognitio & disputatio intra solam rationalem & ratiocinantem partem remanet, scientes quidem vocari possunt, sapientes nequaquam.

Veri sapientes dicuntur. Igitur veri sapientes dicuntur illi, qui in quavis scientia eruditi quidquid sciunt ad Dei cognitionem, amorem, & virtutem exercitium, & vitæ bonæ directionem impendunt. Tales sapientes in Litteris divinis humanisque celebrantur, tamquam digni, qui Regibus adsint, & gubernacula possideant.

§. II.

Quàm necessarii sint pro regimine populi sapientes, & qualiter.

Sunt necessarii ne justitia in multis casibus periclitetur. Porrò quàm necessarii sint pro regimine populi sapientes, qui Regibus & Principibus assistant, vel ex hoc inferri potest, quòd cùm justitia sit quasi basis reipublicæ vel regni, & omnis potestas à Deo ordinata sit ad salutem populi, ideoque subditos esse oporteat, teste S. Paulo, non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam; justitia in multis occurrentibus casibus periclitatur, nisi ab aliquo Theologo probo & docto stabiliatur, infinitaque sunt regni & reipublicæ negotia, quæ nec solâ scientiâ, nec quâvis jurisprudentiâ aut sapientiâ civili expediri possunt, nisi per Theologos, quibus Dei sapientia insit, eorum expeditio adjuvetur, & conformitas eorum ad Dei leges expendatur, & sæpè summum jus in foro civili, summa injustitia est in foro conscientiæ & Dei, & si lex civilis, quantumcumque recta videatur, à regula æternæ veritatis vel modicum deflectat, obliquitatem alicujus injustitiæ incurrat necesse est. Quod quidem demonstravimus alibi in genere; intendimus autem sequenti titulo particulariùs demonstrare.

Qualiter expediat eos adesse Principi. Qualiter autem hujusmodi sapientes adesse debeant unicuique Principi ipsi commoditati relinquitur: neque enim hujusmodi volent tumultibus aulæ vel curiæ interesse, aut conciliorum ordinariorum, & tribunalium inquietudini se committere: Meliùs fortè est, ut suæ sapientiæ vacantes inter domesticos suæ vocationis parietes degant, & tantùm ad præcipua & difficilia vocentur, aut consulantur: necessarium tamen, ut in omni occasione & necessitate sint Principibus ad manum. Nec debet

haberi

Qualiter habendi. haberi inter ordinarios stipendiarios, & velut Prophetæ comedentes panem Aggæi, sed ut *Prov. 23. 23.* Honorarii, de quibus Proverb. 23. qui non vendunt *sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam*: qui sunt (Proverb. 12.) judices justitiæ, *Prov. 12. 19.* quorum labia veritatis firma sunt in perpetuum.

§. 3.

De Confessariis & Concionatoribus Regum & Principum.

Quæ eruditio requiratur in talibus Confessariis. INter Sapientes eminere debent Confessarii Regum & Principum: ipsos enim in omni genere scientiæ & sapientiæ eruditos esse oportet, ut in omnibus sciant discernere inter bonum & malum, justum & injustum: Si enim Confessarii omnes debeant esse judices, Doctores, Consiliarii & Medici animarum singularium, adeoque doctrinâ, veritate, judicio, probitate excellere debeant; quid de Regum & Principum Confessariis, qui in una eadem anima, tot animas judicare, tot animabus doctrinâ & consilio prodesse, unius regni malis medicinam præstare tenentur? *Eorum obligatio.* Hæc est enim obligatio Confessariorum Regiorum, 1. ut de conscientia Regis, tam in ordine ad propriam personam, quàm in ordine ad domesticam aulam, & universale regimen regni in veritate judicent, in veritate eum informent, in dubiis sincerè & ad omnem conscientiæ securitatem respondeant; Regem moneant de iis quæ in regiminis & regni perniciem fieri certò & absque tergiversatione norunt; Regem doceant in iis, in quibus ignorantiâ laborare agnoscunt; benè & verè ac solidè ipsi consulant; demum contra mala & peccata, quæ ipsi vel regno insunt aut imminent, medicinalia remedia suggerant.

A quibus debeant cavere. Cavere autem debent Confessarii Regum; à merè politicis, quæ solam politiam externam concernunt; à favoribus & ambitionibus aulæ, extra rationem conscientiæ, requirendis, & nimia Aulicorum familiaritate; à muneribus recipiendis; ab adulatione & adulatoribus, à malis informationibus & malè informantibus, ab aulæ nimia vel importuna frequentatione extra tempora confessionis vel consilii spiritualis; denique ab omni, quod ejus pietati, probitati & statui adversari dignoscitur. O! quot peccatis se intricant, qui Regibus placere volentes, ipsorum conscientias palpant, parietem absque temperamento liniunt, pulvillos sub eorum cubito consuunt: qui politicis meris se immiscent, & de iis disponere volunt: qui ut sibi, vel congregationi suæ faveant, à Principibus & Regibus favores extraordinarios & excessivos impetrant; qui officiorum distributionibus, extra conscientiæ vel charitatis Christianæ necessitatem, se immiscent; qui faciles sunt ad credendum, sive in bonum, sive in malum, & ex nimia credulitate, quæ non sunt, Principibus ingerunt; denique qui aulæ modos sequentes, magis Aulicis quàm sapientibus annumerari merentur.

Illorum Concionatorum obligatio. De Concionatoribus regiis eodem ferè modo concludendum est: Tales enim illos esse oportet, ut Regum peccata publica non taceant, Aulicorum excessus reprimant, ut non sint canes muti latrare non valentes, multò minùs Prophetæ vana videntes, mendacia divinantes, dicentes: *Pax, pax*, ubi non est pax. Isti utique sunt speculatores in altissima specula regni vel principatûs positi. Quorum est, gladium supervenientem non tantum Regi, sed & populo doctè, prudenter, & charitativè annuntiare: quorum est, non tantùm personales defectus corrigere, sed maximè illos qui in publicam Regum, Principum, & regni sive reipublicæ perniciem vergunt: quorum est, Consiliariorum, Præfectorum, Magistratuum & cæterorum pravos mores & excessus proponere & carpere: quorum est, cum S. Chrysostomo nobiliorum vivendi licentiam vehementiùs objurgare. Devenimus eheu! in illa tempora, de quibus Michææ 3. *Principes ejus in muneribus judicabant, & Sacerdotes ejus in mercede docebant, & Prophetæ ejus in pecunia divinabant; & super Dominum requiescebant, dicentes: Nunquid non Dominus in medio nostrûm? non venient super nos mala, &c.* *Mich 3, 11.*

TITULUS VI.

De Academiis, scholis artium & scientiarum, professoribus, juventute scientiis imbuenda.

Academiarum utilitas & necessitas. AD Regum & Principum regimen non modò emolumentum conferunt, sed etiam necessariæ sunt Academiæ, & scholæ artium & scientiarum, in quibus viri eruditi & professores juventutem erudiant: cùm enim viri sapientes, & scientiâ ac experientiâ prædici in officiis ac ministeriis, ad regni administrationem pertinentibus, constitui debeant, necessariò in civitatibus & locis regni vel provinciarum Academiæ & scholæ artium liberalium & bonarum scientiarum, velut seminaria sapientiæ, erigendæ sunt, & suis commoditatibus instruendæ. De quibus hic pauca subjicio.

§ I.

De Academiarum & scholarum antiquâ erectione ad juventutem scientiis imbuendam, & earum necessitate.

Earum antiquitas. ACademias & scholas litterarias ab Antiquis pro juventute instituenda erectas longè lateque docet Jacobus Mittendorpius Academiæ Coloniensis Pro Cancellarius in libris octo Academiarū celebriorum universi orbis, qui

qui historias & earum antiquitates omnes continent, ad quos Lectorem remitto, quia materiæ illæ terminos nostræ hujus vacationis excedunt.

Academia nomen quid significet.

Unum tantùm dicendum est, Academiam significare locum, civitatem, vel oppidum, in quo publicâ auctoritate artes liberales, Philosophia, Theol. Ius utrumq; vel etiam Medicina docentur, desumiturque nomen *Academia* à loco, in quo Plato apud Athenas docere consueverat. Jam pro nomine *Academia* ponunt nomen *Universitatis*, quia in illa universæ disciplinæ docentur, & omnibus datur facultas ibidem scientias audiendi. Dictæ etiam sunt *Scholæ*, sed hoc nomen nimis generale est, quippe quòd nomen scholæ etiam inferiores classes Grammatices & similes complectatur, Academia autem & Universitas ad superiores duntaxat scientias referatur, ratione quarum institutæ & erectæ sunt.

Cur ad. & sint necessaria.

Necessitas porrò Academiarum & scholarum ex hoc saltem capite manifesta evadit, quòd non tantùm curandum sit, ut juventus quovis modo instruatur, sed ut benè, scientiis bonis, ac verâ doctrinâ ad sapientiam imbuatur, ad quod necessarium fuit, ut constaret de doctrina magistrorum in ducendo; modis & mediis discipulorum in discendo: legibus doctrinæ & morum, de quibus benè constare non poterat, nisi publicâ auctoritate, publicis locis, communi doctrinâ, communibus legibus Academiæ & scholæ instituerentur, quibus invigilari posset per Præfectos & Rectores.

Earum æstimatio apud Imperatores & Reges.

In tanta porrò æstimatione Academiæ & scholæ illæ publicæ apud Imperatores & Reges fuerunt, ut infinitis penè privilegiis illorum dotatæ fuerint & honoratæ: super quibus videnda constitutio Frederici Imperatoris lib. 4. codicis, titulo: *Ne filius pro patre*, data apud Roncallias anno Domini 1158. Ex qua & aliis Petrus Rebuffus Jurisconsultus Monte-Pessulanus centum & octoginta privilegia collegit, quæ succinctè referuntur à Judoco Lorichiu in thesauro novo utriusque Theologiæ V. *Schola* n. 4. quæ apud illum videri possunt.

Freder. Imp.

§. II.

De utilitate & necessitate scientiarum.

SCientiarum tam divinarum quàm humanarum utilitas & necessitas ex multis capitibus oritur; & quamvis de scientia de Deo, quæ in rebus credendis & faciendis tam per habitus speculativos, quàm practicos acquisitos, infusis donis superadditos, consistit, dubitare nefas sit, utilitatem tamen & necessitatem etiam scientiarum humanarum ratio ipsa convincit.

1. Sunt utiles & necessariæ ob innatam hominis ignorantiam.

Rom. 1. 20

Prima itaque utilitas & necessitas est; quòd cùm homo veniens in mundum sit velut tabula rasa, nec ullius rei scientiam secum adferat, necessarium fuerit modum adinvenire, quo scientiam debitam sibi comparare valeret. Etsi enim juxta Apostolum ad Rom. 1. *Invisibilia ipsius* (scilicet Dei) *à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciantur; sempiterna quoq; ejus virtus, & divinitas, &c.* non tamen absque manuductione, instructione & scientia. Unde & Salomon Sap. 7. cùm narrasset suæ nativitatis primordia miserrima, cæteris hominibus communia, & qualiter in involumentis nutritus fuerit; demùm ostendens naturam humanam vix à bruto distingui nisi penes scientiam, & ad hoc unicum remedium confugiens: *Propter hoc* (ait) *optavi, & datus est mihi sensus: & invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ*, &c. ubi gradatim describit principia quibus ad sapientiam pervenit 1. per desiderium ibi (*Optavi*) 2. per informationem ibi (*datus est mihi sensus*) id est, informatio per sensus & illorum operationes: 3. progressus ad altiora, ibi (*invocavi, & venit in me spiritus sapientiæ*) non dicit sapientia, sed spiritus sapientiæ, qui nimirùm dirigit ad inquirendam sapientiam: unde declaratis bonis, quæ sapientia causat in homine, & quantum, & propter quæ æstimari debeat, tandem 4. concludit de labore in discendo adhibito: *Quam* (inquit) *sine fictione didici, & sine invidia communico*, &c.

Sap. 7. 7.

Vers. 13.

Tom. III. part III.

Secunda utilitas pariter & necessitas est; quia absque Philosophiæ & aliarum scientiarum medio, non potest haberi ordinario cursu notitia Scripturarum, legis divinæ & mirabilium operum Dei, quæ est necessaria ad salutem; quantumvis enim simplices de his juxta suam capacitatem debent informari, informari autem nequeunt nisi ab his qui didicerunt, discere tandem non possunt, nisi per eos qui studiis & litteris vacarunt. Philosophiæ verò ac artium liberalium studia esse viam ad cognitionem Dei, & veram sapientiam ostendit idem Salomon eodē c. 7. ubi agnoscens 1. omnē scientiam esse à Deo: *In manu illius, & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientia & disciplina*; gradationem scientiarum in seipso declarat. *Ipse enim* (inquit) *dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram*: Et prosequens de quibus rebus, & qualem, *ut sciam* (subdit) *dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, commutationes temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum & quæcumq; sunt absconsa & improvisa didici, &c.* Ex quibus omnibus liquet, quòd etsi Salomoni infusa fuerit sapientia, & sapientiæ spiritus simul, nihilominus quantùm ad rem gradatim & secundùm gradus sapientiæ in ejus usu processit: unde primò de philosophicis illic omnibus longam texuit nomenclaturam, & demùm ad sapientiam sive Theologiam de divinis adscendit: qui gradus multò magis aliis sunt necessarii, cùm enim illis scientia per se non infundatur, debet necessario studio & labore acquiri, tamquam via per quam ad Deum & divina adscenditur, etsi Deus in compendio illam per infusionem dare possit.

2. Quia sunt dispositiones ad notitiam scrip. necessariam ad salutem

Vers. 16.

Vers. 17. & seqq.

Qui Salomon si habuerit intuitu scientiam infusa.

Tt Tertia

3. Quia sine eis Scriptura & c. penetrari nequeunt.

Tertia ergo utilitas & necessitas scientiarum est, quòd nec Scripturæ sanctæ, nec historiæ sacræ, nec quæ Deus singulatiter interdum operatur sine studiis tam liberalium artium, quàm Philosophiæ perfectè penetrari possunt. Quomodo enim intelliget quis ea, quæ de herbis, plantis, animalibus, spiritibus, Sole, Luna, ventis, Angelis, Dæmonibus, & infinitis aliis materiis in Scriptura traduntur, nisi in philosophicis instructus fuerit? Quomodo Scripturæ phrases, tropos, metaphoras, allegorias & alios modos loquendi? Quomodo denique ea, quæ de legibus, gentium moribus, ac universaliter de cunctis disciplinis, ex quibus Scriptura contexta est, aliquis capere poterit, nisi litterarum, historiarum, scientiarum Mathematicarum, Philosophiæ, &c aliquam notitiam acceperit? Hæc autem sine studiis scholarum & Academiarum acquiri nequeunt.

Nec obstat, quòd singulis hominibus ista necessaria non sint: sunt enim plurimùm necessaria majoribus, qui simplices docere debent, qui adversariis respondere coguntur, qui Scripturas explanare, quibus denique competit animarum, sive in spiritualibus, sive civilibus directio: Nam ut benè S. Paulus 2 ad Timoth. 3.

2. Tim. 3. 16.

Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Item ad Rom. 15. *Quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; ut per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus.* Ad Scripturæ autem intelligentiam ut illi fructus cuilibet homini subministrentur, scientia etiam ab humanioribus litteris, & Philosophia inchoata accipi debet.

Rom. 15. 4.

4. Ad administrationem politicam cujusvis Reipubl.

Quartò, utiles quoque & necessariæ scientiæ sunt, ad administrationem etiam politicam cujusvis Reipublicæ, sine his enim viri eruditi, sive Principes, sive Præfecti, sive Consiliarii, sive alii quicumque populis nec benè præesse, minùs autem prodesse possunt.

Sine illis regna & c. regi nequeunt, nec homines ad finem ultimum dirigi.

Unde universaliter inferendum est studia litterarum, & scientiarum bonarum notitiam, quæ in Academiis & scholis publicis docentur, non tantùm utilem, sed ita necessariam esse, ut absque illa nec regna, nec provinciæ, nec civitates regi possint, immò nec homines congruè ad finem ultimum dirigi: ita ut & scientiæ majoribus, & iis quorum est populum dirigere, necessariæ sint ad suam & aliorum utilitatem, subditis etiam ad passivam directionem.

§. 3.

De requisitis ad studia sapientiæ & scientiarum fructuosè instituenda.

QUinque potissimùm requiruntur ad studia scientiarum & sapientiæ in Academiis & scholis instituenda.

Quinque requisita.

Primum *Doctrina vera, pura, fidei & Ecclesiæ Catholicæ conformis, & ad finem ultimum ordinata.*

Secundum, *Magistri eruditi & idonei.*

Tertium, *Discipuli capaces & indolis benè affecti.*

Quartum, *Methodus congrua*;

Quintum, *Leges disciplinatæ.* Per hæc studia florent, regimen populi prosperatur, respublicæ fructificant, populi in pace & quiete continentur: His deficientibus omnia penè mala inundant. Quæ ut clariùs explicentur, omnia in sequentes paragraphos distribuo.

§. 4.

De doctrina vera, pura, fidei divinæ conformi, & ad finem ultimum ordinata.

Doctrina vera quæ.

HIc est lydius lapis studiorum & scientiarum. Illa igitur censetur doctrina vera, quæ falsitatibus & erroribus permixta non est. Unde excluditur, & ab Academijs & scholis omninò proscribi debet, omnis doctrina erronea & falsa, ut quæ paganismum, hæresim, artes magicas, illusorias, superstitiosas, fabulosas, fatidicas, vel quæ errorem quemcumque sapit.

Ob quam rationem à S. Concilio Tridentino decretum exiit sess. 4. super editione & usu sacrorum librorum. Et sess. 18. de delectu librorum qui legi possunt, & quorum doctrina approbari, & de modo approbandi. Et iterùm sess. 25. de reform. de indice conficiendo, ut nimirùm doctrina omnis erronea ab Ecclesia Catholica exulet.

In quo puritas doctrinæ attendatur.

Altera conditio doctrinæ est, ut sit pura: puritas autem illa attenditur in eo, ut ab omnibus illecebris, impudicitatibus, obscœnitatibus, scurrilitatibus, & omnibus, quæ pudicitiæ & honestati adversaria sunt, sit libera: quâ ratione in scholis & Academiis nulli libri permittendi sunt, nullæ doctrinæ, quæ incentiva quædam libidinis, etsi à longè, continent; sicut nec comœdiæ aut tragœdiæ, sed quod in illis docetur purum ab omni scurrilitate vel obscœnitate esse debet.

In quo ejus conformitas.

Tertia conditio doctrinæ est, ut sit fidei & Ecclesiæ conformis: quod non tantùm ob hæreticam doctrinam dictum est, sed etiam ob doctrinas quasdam philosophicas, & speculativas, quæ etsi per se doctrinæ Catholicæ non adversentur, plurimùm tamen dissipant, & principia fidei alterant, ac ad errores viam sternunt. Unde cavendi sunt hoc tempore magistri, Doctores, Lectores, professores & etiam Scriptores, qui Philosophos interpretantes, ad subtilitates quasdam ascendunt, quæ præterquam quòd solâ subtilitate ingenii ratiocinantis nitantur, fidei Catholicæ fundamenta concutiunt, & libertatem quandam præstant, de fidei articulis, Conciliorum diffinitionibus, Patrum orthodoxorum doctrina communi, speculativa dubia movendi, & à parte rei (etsi asserant se dogmatibus in Ecclesia Catholica receptis non adversari) verè illis adversantur, aut occasionem præbent infirmis & incautis lapsus, aut certè hallucinationis gravis.

Qui Doctores cavendi.

Quapropter Concilium Lateranense sub Leone

Lateran. graviter contra illos.

Leone X. seſſ. 8. multa circa hæc ordinavit.

1. Enim *omnem aſſertionem*, ſive doctrinam, *veritati illuminatæ fidei contrariam omninò falſam* definit, & talium propoſitionum aſſertores *per omnia ut deteſtabiles & abominabiles hæreticos*, &c. *vitandos & puniendos fore* decernit.

Ejusdem alia ordinationes.

2. *Omnibus & ſingulis Philoſophis in Univerſitatibus ſtudiorum generalium, & alibi publicè legentibus diſtrictè præcipiendo* mandat, *ut cùm Philoſophorum principia, aut concluſiones in quibus à recta fide deviare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint vel explanaverint*, &c. *teneantur eidem veritatem religionis Christianæ omni conatu manifeſtam facere*, & quidquid fidei iu Philoſophorum opinionibus difformiter reperiunt, illud refellere, eorumque argumenta diſſolvere.

3. Ne ex aliqua ignorantia vel inadvertentia contingat radices aliquas falſitatis & erroris ſub titulo opinionum philoſophicarum latere, prohibet: *Ne quiquam de cætero in ſacris Ordinibus conſtitutus ſæcularis vel regularis*, &c. *Philoſophiæ aut Poëſis ſtudiis ultra quinquennium poſt Grammaticam & Dialecticam ſine aliquo ſtudio Theologiæ aut juris pontificij incumbat. Verùm* (inquit) *dicto exacto quinquennio, ſi illis ſtudiis inſudare voluerit, liberum ſit ei, dummodo ſimul aut ſeorſum, aut Theologiæ, aut ſacris Canonibus operam navaverit, ut in his ſanctis & utilibus profeſſionibus Sacerdotes Domini inveniant, unde infectas Philoſophiæ & Poëſis radices purgare & ſanare valeant.* Cujus decreti cauſa fuit, ne defectu Theologiæ, vel Juris Pontificii Philoſophorum erroribus adhæreatur.

Demùm mandat illos *Canones per ordinarios locorum, ubi generalia ſtudia vigent, & Rectoribus Univerſitatis eorundem ſtudiorum, ſingulis annis in principio ſtudii in virtute S. obedientiæ publicari.*

In ſtudio Philoſophiæ quæ omittenda.

Monet verò Lorichius in theſauro novo utriuſque Theologiæ V. *Philoſophia* n. 6. explanans ſupradictum decretum Concilii, ut omnes docentes & legentes libros philoſophicos omittant, quæ aut inutilia ſunt, aut obſcuriora, quàm ut ab auditoribus capi poſſint:

Lorichius

Quamobrem (inquit) *laudanda eorum opera eſt, qui errores Philoſophorum notarunt, & Poëtas ab impuris & ſcurrilibus jocis expurgarunt.*

Condiendum lectione S. Scrips. & SS. PP.

Monet denuò omnes Christianos, ut meminerint philoſophica ſtudia condienda eſſe nonnunquam cum lectione ſacrarum hiſtoriarum, atque ſermonum SS. Patrum, horumque ſimilium ſacrorum Scriptorum, nec in ſolius Philoſophiæ cognitione, velut in ultimo fine, conſiſtendum, ſed utendum eâ, tamquam miniſtrâ introductoriâ ad meliora: *Plerique enim* (inquit ille) *hujus immemores in graves errores contra fidem, religionemque, hactenus lapſi ſunt, ut non immeritò quidam ex SS. Patribus Philoſophos appellaverit Patriarchas hæreticorum.* Hæc ibi. Quæ quidem notare debent, qui Philoſophiam modò tot adinventionibus alterant, & qui Theologiam ita quæſtionibus philoſophicis intricant, ut de Scriptura, Conciliis, aut Patribus vix apud illos verbum audiatur.

Quarta conditio doctrinæ eſt, ut ad finem ultimum ſit ordinata. Hic enim eſt ſcopus ultimatus omnium ſcientiarum, à primis rudimentis uſque ad ſupremos ſcientiæ gradus. Benè S. Bernardus ſerm. 36. in Cant. circa medium: ubi explicans illud S. Pauli 1. Cor. 8. *Qui ſe putat aliquid ſcire, nondum ſcit quomodo oporteat eum ſcire*, &c. *vides* (inquit) *quomodo non probat multa ſcientem, ſi ſciendi modum neſcierit. Vides, inquam, quomodo fructum & utilitatem ſcientiæ in modo ſciendi conſtituit*, &c. *ut ſcias quo ordine, quo ſtudio, quo fine quæque noſſe oporteat. Quo ordine? ut id priùs, quod maturiùs ad ſalutem. Quo ſtudio? ut id ardentiùs, quod vehementiùs ad amorem: Quo fine? ut non ad inanem gloriam, aut curioſitatem, aut aliquid ſimile, ſed tantùm ad ædificationem tuam vel proximi.* Et diverſos modos ſciendi enarrans. *Sunt namque* (inquit) *qui ſcire volunt eo fine tantùm, ut ſciant: & turpis curioſitas eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, ut ſciantur ipſi: & turpis vanitas eſt. Qui profectò non evadent ſubſannantem Satyricum, & ei qui ejuſmodi eſt decantantem.*

Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter. Et ſunt item qui ſcire volunt, ut ſcientiam ſuam vendant, verbi causâ, pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæſtus eſt. Sed ſunt quoque qui ſcire volunt, ut ædificent: & charitas eſt. Et item qui ſcire volunt, ut ædificentur: & prudentia eſt. Tandem concludit. *Horum omnium ſoli ultimi duo non inveniuntur in abuſione ſcientiæ, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benè faciant. Denique, intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Hæc Bernardus, apud quem in eodem ſermone multa alia præclara de vera ſcientia invenies.

4 Conditio doctrinæ finis debitus.

S Bern.

§. 5.

De Magiſtris eruditis.

Magiſtri debent eſſe ſpectabiles vitâ & moribus.

SEcundum, quod ad ſcholarum & Academiarum integritatem requiritur, eſt: ut magiſtri ſive profeſſores ſint ipſimet ſufficienter eruditi, & quantùm fieri poteſt, perſonæ vitâ & moribus ſpectabiles. Unde Boëtius l. de diſciplina Schol. c. 6. deſignans qualitates boni magiſtri & Doctoris: *Sit* (inquit) *in ſermone verax, in judicio juſtus, in conſilio providus, & in commiſſo fidelis, conſtans in vultu, pius in affatu, virtutibus inſignitus, bonitateque laudabilis.* Et quamvis hæc conveniant majoribus iſtis doctrinarum & ſcientiarum præfectis, ac præſtantibus viris, accommodè tamen cuilibet profeſſori ſecundùm gradum ſuum applicari poſſunt. *Nulla ſiquidem res* (ait dictus Boëtius) *eſt magis pernicioſa diſcipulo, vitâ magiſtri contumelioſâ: infuſa enim ſæpè videntur ſæpiſſimè confundi ex fœtido vaſe, quia fœtidum vas aquas infuſas corrumpit*, &c. Hæc Boëtius: Qui & cæteras qualitates magiſtrorum breviter complectens docet: Magiſtros pro conditione ſuæ profeſſionis debere eſſe *eruditos*, ut nimirùm ea congruè dicere & edocere poſſint, quæ edocenda amplectuntur; *manſuetos*, ut quâdam dulcedine morum doctrinam infundere, illaque dulciùs influere poſſit; *rigidos*, ut malo reſiſtant, illudque impediant; & tandem (omiſſis aliis) debent eſſe *conſtanter* dili-

Boëtius.

Item eruditi

Manſueti.

Rigidi.

Constanter diligentes.

diligentes, & *diligenter constantes*, utique ut continue doceant, nec vel per otium incongruum docere omittant, nec in docendo varient: est enim universæ doctrinæ noverca negligentia, & inconstantia illius dissipatrix. Et hæc omnia accommodanda sunt Ludimagistris, respectu puerorum, artium liberalium magistris ac Philosophiæ professoribus, respectu adolescentum; jurisprudentiæ ac Theologiæ, &c. Doctoribus, respectu auditorum, de quibus iterùm postea.

§. 6.

De discipulis capacibus & indolis benè affectæ.

Studium altiorum scientiarũ requirit delectum discipulorum.

ETsi primæ scholæ Ludimagistrorum, in quibus principia legendi, scribendique ac fidei rudimenta docentur, omnibus communiter utiles & velut necessariæ sint; artium tamen liberalium ac Philosophiæ, superiorumq; scientiarum, jurisprudentiæ, Theologiæque studia delectum discipulorum requirunt, cujus delectus defectu contemptui, vitiis, & perniciosis reipublicæ inquinamentis, fuerunt illæ expositæ hactenus fuerunt, eò quòd incapacia, indisciplinata, dura, infida, & interdùm spurcissima ac fœdissima ingenia ad illa studia sint admissa: unde artes & scientiæ illæ conspurcatæ sunt. Vide Boëtium ubi suprà cap. 1. qui deinde cap. 2. tria in quolibet discipulo requirit: *Debet* (inquit) *discipuli subjectio in tribus consistere, scilicet, in attentione, benevolentia & docilitate. Attentus* (inquam) *exercitio, docilis ingenio, benevolus animo. Attentus* (inquam) *ad audiendum, docilis ad intelligendum, benevolus ad retinendum, &c.* Hæc ille, persequiturque ibidem discolos, ebriosos, libidini & vitiis aliis deditos, animo rudes & ingenii durioris, quos omnes tamquam studiorum incapaces repudiat. Debent igitur, qui ad ejusmodi studia provehuntur, esse naturalis vivacitatis & perspicacitatis ingenii, ac indolis bonæ, quæ & scientiâ imbui, & ad virtutem inclinari possit: hi enim & facilè doctrinam percipiunt, & ad virtutem absque labore inclinantur; & ut benè S. Hieronymus: *Habeat* (inquit) *in se lentum quiddam & molle, quod facile formari queat, atque ad arbitrium volentis trahi*, &c. 2. Debent attenti esse exercitio, ut nimirùm diligentiam & laborem adhibeant: *Dii enim* (ut ille ait) *laboribus omnia vendunt*; & *labor improbus omnia vincit*. Unde & Ecclesiastes cap. 1. vocat studium, *occupationem pessimam*, id est, difficillimam. Et ibidem cum dedisset cor suum ut sciret prudentiam atque doctrinam: *Agnovi* (ait) *quòd in his quoq; esset labor, & afflictio spiritûs; eò quòd in multa sapientia, multa sit indignatio; & qui addit scientiam, addit & laborem*. 3. Debent esse benevoli, id est, benè affecti & bonæ voluntatis: ex hac enim sequitur quædam animi quies, & jucunditas spiritûs, quæ non parvam præstat ad fovendum studium alacritatem. Multa de his præclara vide apud Boëtium suprà, & apud Hugonem de S. Victore in suo didasc. Quanti verò facienda sit

Boetius. Eorum subjectio in tribus consistit.

Debent esse bonæ indolis & vivacis ingenii.

S. Hieron.

Attenti.

Eccle. 1. 13.

Vers. 17. 18.

Benevoli.

docilitas illa & animi benè affecti indoles bona testatur passim scriptura: Unde Sap. 8. Salomon de seipso; *puer* (inquit) *eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* In toto autem illo capite suo exemplo docet, qualiter à principio scientiis & sapientiæ sit insistendum, desiderio, amore, labore, virtutum exercitio. Præclarissima sunt, & quæ non tantùm mentem oblectant, sed etiam movent & docent.

Sap. 8. 19. 20.

§. 7.

De methodo congrua.

Tria, pro ea attendenda.

S. Bern.

MUltùm confert ad sapientiam methodus sive studium methodicè ordinatum. Methodum aperit S. Bernardus suprà relatus ex serm. 36. in Cant. ubi & modum sciendi, & ordinem, & finem exprimit. Ut ergo methodus servetur, attendant scholarum præfecti ad tria, (nimirùm) ætatem, ingenium, studendi modum. Ætatem quidem; aliud enim præscribendum est pueris, & in infima ætate adhuc constitutis; aliud adolescentibus; aliud viris, & jam ætate provectis. Et quidem pueri à prima ætate à Ludimagistris, dum adhuc legere aut scribere discunt, catechismo, fidei rudimentis, piis historiis, & Sanctorum vitis imbuendi sunt, ut fidem, pietatem, virtutum desiderium cum lacte imbibant: nam ut benè Poëta:

In quibus erudiendi pueri à prima ætate in scholis.

> *Quo semel est imbuta recens servabit odorem*
> *testa diu.*

Unde & S. August. de pietate, quâ adhuc infans imbuebatur, testimonium reddens, sic de seipso lib. 3. Confess. cap 4 loquitur. *Hoc nomen* (Christi) *secundùm misericordiam tuam Domine, hoc nomen Salvatoris mei Filii tui in ipso adhuc lacte matris tenerum cor meum prebiberat, & alte retinebat*, &c.

S. August.

Itaque pueris Christianæ pietatis & fidei rudimenta cum primis elementis miscenda sunt, & quamvis non ita ab illis intelligantur, sufficit ut primis speciebus memoriæ inhæreant, hæc enim posteà clariore luce redeunt, & intellectui jam ad intelligendum idoneo primò occurrunt, & firmiùs inhærent. Dolendum sanè quòd scholæ pueriles fabulosis, nugacibus, jocosis libris, narrationibus & scriptitationibus scateant. Certè Antiquorum calculo catechismi, liber Tobiæ, vitæ Sanctorum, pueris ad lectiones proponebantur. Et quid incommodi si ex libris sapientialibus aliquæ sentētiæ methodicè compilarentur, quibus eis vera moralitas virtutum instillaretur. Filii sanè tenebrarum prudentiores filiis lucis sunt, & oculatiores ad malum, qui suis pueris errores & corruptas scripturas in scholis puerilibus tam importunè ingerunt, ut posteà eradicari illa vix possint.

Qui libri eis prælegendi.

Crescente demùm ætate, & ad provectiores annos adscendente, si id ætas & conditio pueri postulet, ad artium liberalium studia pedetentim procedendum est, & in his etiam

methodus

Benè imbuendi in fundamentis scientiarum.

methodus servanda, ut priùs fundamentis linguæ Latinæ instruatur, & ad philosophica præparetur. Vide Hugonem in suo Didasc. Et hîc lugendum est, quòd videmus, sive ob nimiam multitudinem studentium, sive ob inertiam magistrorum, sive ob ingeniorum incapacitatem, paucos prodire, qui fundamenta linguæ Latinæ exactè norunt, & quamvis sciant aliquid loqui, vel balbutire, rationem tamen reddere suæ dictionis vel locutionis non norunt: Lugendum quòd profanis Poëtis & Auctoribus ita inhæreatur, ut cùm simul possent imbui libris Catholicam veritatem & pietatem sapientibus, nec desit in antiquis Patribus, ut S. Hieronymo, Cypriano, Leone & aliis, fœcundior eloquentia, adolescentes nihilominus ita profanis illis instituantur, ut verè quæ sunt salutis suæ, non tantùm non discant, sed de illis etiam audire vel loqui ipsis sordeat. Magnum onus conscientiarum super iis, quorum est istis invigilare.

In SS. Patribus fœcundior eloquentia quàm in profanis.

Qui Philosophia prælegenda.

A litteris ad Philosophiam. Sed & hîc impingitur, dum philosophia profana & Aristotelica ita traditur, ut nihil relinquatur sacræ Philosophiæ, quæ reverà melioribus & subtilioribus fundamentis ex S. Scriptura & SS. Patrum doctrina enitet, ex quibus etiam ipsa profana clariorem intelligentiam emendicant, & super veræ ac Christianæ sapientiæ principia, velut super firmam petram, ingenia humana firmantur, & ad sacram Theologiam præparantur. Theologia enim non ratiocinationibus humanis, sed fidei veritatibus innititur, & ubi ratio humana palpitat, sola fidei doctrina firmari potest: sicut & jurisprudentia, quæ si errare nolit, divinæ veritati & æquitati, in jure divino & naturali propositæ, ita inniti debet, ut si vel modicum leges civiles à fundamento illo declinent, in injustitiam & iniquitatem deviare necesse sit. Unde & jus canonicum totum Scripturæ vel Patribus innititur, nec jus civile à jure divino & naturali discrepare potest.

Item jurisprudentia.

Et hæc sufficienter de doctrinæ methodo pro nostro instituto sint dicta. Unicum pono ex venerabili Hugone l. 1. Didasc. c. 1. documentum: *Tria* (ait) *sunt præcepta magis lectioni necessaria. Primum, ut sciat quisq; quid legere debeat. Secundum, quo ordine debeat legere, id est, quid priùs, quid posteriùs. Tertium, quomodo legere debeat.* Quæ tria posteà explicat. Et quidem quoad primum, in omni studio legenda sunt utilia, & ab omni impuritate integra: Quoad secundum necesse est ut à facilioribus ad difficiliora via paretur: Quoad tertium denique ut intentione bonâ in ordine ad vitam bonam & finem æternum lectio dirigatur & diligenter ac constanter fiat.

Hugo à S. Vict.

§. 8.

De lectione sacræ Scripturæ.

Culpantur scholæ de ejus neglectu.

TUrpe & intolerabile est scholis Christianis, quòd cùm Scriptura sacra sit fons omnis scientiæ & sapientiæ, ac virtute omnes artes contineat, nec doceatur, nec legatur, nec urgeatur, ita ut illius ignorantia sit totius Ecclesiæ universalis pestis. Omnia scripta moderna plùs Plutarchum, Solonem, Aristotelem, Tullium sonant, quàm Deum & Christum ejus, in Scriptura sanctâ loquentem. Unde S. Aug. sive Auctor lib. cui titulus *Speculum peccatoris* c. 6. *Erubescat* (ait) *superbus & infelix peccator & timeat, &c. scientiâ inflatus, cui plùs placet ars Aristotelis, quàm scientia de Apostolis, plùs codex Platonis, quàm liber divinus: quem nulla lectio lætificat, nulla scientia ædificat, nullus sermo sapit, nisi fuerit grammaticè conceptus, dialecticè imaginatus, rhetoricè purpuratus.* Et concludens: *Stultus es qui hæc ignoras, & erras: quoniam qui talia agunt, & in talibus dies suos consumunt, peccatum sibi generant, & mortem parant,* (& rationem subdit) *quia ex simili studio similem concipiunt scientiam, hoc est, folia colligunt, non fructus, scilicet verba, & non virtutes: Verba enim in ventum proferunt, & aereus verbis verberant, verbositatem sonant, jactantiam ostendunt: de quibus per Psalmistam dicitur: Turbati sunt, & moti sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.* Hæc ibi. Unde lib. de vera Relig. c. 51. ad sacratum Scripturarum lectionem omnes exhortans: *Omissis igitur* (ait) *& repudiatis nugis theatricis, & poëticis, divinarum Scripturarum consideratione & tractatione pascamus animum, atque potemus vanæ curiositatis fame ac siti fessum & æstuantem, & inanibus phantasmatibus, tamquam pictis epulis, frustrà refici satiariq; cupientem, &c.* Et ut nulla ætas à perceptione S. Scripturæ sibi accommoda excludatur lib. de utilit. credendi ad Honoratum cap. 6 sic scribit: *Testor Honorate conscientiam meam, & puris animis inhabitantem Deum, nihil me existimare prudentiùs, castiùs, religiosiùs, quam sunt illæ Scripturæ omnes, quas testamenti veteris nomine Catholica Ecclesia retinet.* Et infrà: *Quidquid est, mihi crede, in Scripturis illis, altum & divinum est: inest omninò veritas, & reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina: & planè ita modificata, ut nemo indè haurire non possit, quod sibi satis est, si modò ad hauriendum devotè ac piè (ut vera Religio poscit) accedat.* Eadem ferè habet epist. 1. ad Volusianum. Et iterùm epist. 3. ad eundem Volusianum circa finem ostendit omnis scientiæ sacram Scripturam compendium quoddam esse. *Hic* (inquit) *Physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo Creatore sunt. Hic ethica, quoniam vita bona & honesta non aliundè formatur, quàm cùm ea, quæ diligenda sunt, diliguntur, hoc est, Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas, lumen animæ rationalis, non nisi Deus est. Hic etiam laudabilis Reipublicæ salus: neque enim conditur & custoditur optima civitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ, cùm bonum commune diligitur, quod summum ac verissimum, Deus est, atque in illo invicem sincerissimè se diligant homines, cùm propter illum se diligant, cui quo animo diligant, occultare non possunt.* Hæc August.

S. August.

Nec his obstat quòd Concil. Trident. sess. 4. in decreto de editione & usu sacrorum librorum: & in indice regul. 3. & 4. cum tanta cautela & providentia velit Biblia legi; immò vix permittat vernaculo idiomate: non enim dicimus Biblia liberè, & absque ullo termino vel reservatione, ab omnibus omnis ætatis legi debere; sed tantùm doctrinam ordinariam, & communem, juxtà ætatem, qualitatem & capacitatem personarum, debere ex sacris Scripturis deduci, illis accommodari, & secundum uniuscujusque captum doceri, & velut subministrari. Non est enim res nova aliquibus aliqua prohiberi, quæ alijs permittuntur, ad pericula præcavenda; prout testatur Origenes prol. in Cant. Cant. sic scribens: *Ajunt observari etiam apud Hebræos, quòd nisi quis ad ætatem perfectam, maturamque pervenerit, libellum hunc* (utique Cantici Cant.) *nè quidem in manibus tenere permittatur*; & de alijs quibusdam Scripturis, subdit: *Sed & illud ab eis accepimus custodiri, quandoquidem moris est apud eos omnes Scripturas à Doctoribus & sapientibus tradi pueris, &c. ad ultimum quatuor ista observari, id est, principium Genesis, in quo mundi creatura describitur; & Ezechielis prophetæ principia, in quibus de Cherubim refertur; & finem, in quo templi ædificatio; & Cantici Canticorum librum.* Hæc Origenes. Addunt aliqui, quòd etiam libri Regum non permittebantur legi antè trigesimum annum. Siquidem illa omnia ardua sunt, & in eis minùs intelligentes errare de facili potuissent. Et tempore Esdræ mutati sunt characteres hebræi, & Biblia restitura alijs characteribus, ut Biblia Galilæorum corrupta evitarentur: quæ volui adnotare, indecorum enim est sacræ Scripturæ interpretationem, quæ est totius fidei nostræ basis, sic his temporibus in scholis derelictam & ferè destitutam esse, ut potiùs videatur perfunctoriè, quàm ex professo tradi.

Origenes. Non poterant Hebræi legere aliquas partes S. Script. nisi ubi pervenerant ad competentem ætatē.

§. 9.

De legibus disciplinæ.

Studiosi debent cōtineri legibus,

SCholæ & academiæ parvum fructum afferunt, nisi legibus disciplinaris Studiosi contineantur, non tantùm quoad modum studiorum, sed etiam quoad honestatem vitæ, & virtutum exercitium, ac malorum motum propulsationem: ingenia namque adolescentum fervente adhuc sanguine, in varia vitia ebullire solent, indigentque rigore & industriâ, ut regi valeant. Legibus igitur disciplinæ coërceri debent, quæ eos à vitijs, specialiter temulentia, & ebrietate, gula, libidine, conversatione & societate mala, cohibeant, in omni honestate morum & ingenuitate exerceant, & demùm studijs viriliter vacare compellant. His enim gymnasia & scholæ publicæ constitui solent eo majori fructu, quo leges meliùs industriâ & auctoritate præfectorum observantur. De his superfluum est texere sententias multas; libri enim pleni sunt. Sufficiat sapientissimus Salomon, qui in morigera institutione adolescentum ad sapientiam aspirantium totus est. proverb. 12. *Qui diligit* (inquit) *disciplinam, diligit scientiam, qui autem odit increpationes, insipiens est.* Et Sap. 1. *In malevolam animam non introibit sapientia.* Iterùm & latiùs Proverb. 5. *Fili mi, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conservent, &c. nè gemas in novissimis, &c. & dicas: cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, & magistris non inclinavi aurem meam?* Et hæc demùm est hac tempestate studiosorum ruina, dùm effreni suæ juventuti relinquuntur, & tanquam pulli equorum indomiti permittuntur suis ferri passionibus, & in omnia vitia ruere.

A quibus vitijs specialiter coërcendi.

Prov. 12. 1

Sap. 1. 4.

Prov. 5. 1. 2.

Vers. 11. 12. 13.

§. 10.

De peccatis contrà omnia supradicta.

COntrà veritatem, puritatem ac utilitatem doctrinæ peccare graviter convincuntur, qui in scholis vel ex desidia, vel ex dissimulatione permittunt serpere libros hæresi, errore, vel superstitionibus infectos. Item lascivos, fabulosos, & petulantiæ carnis viam sternentes, &c. Quibus peccatis irretiuntur Episcopi, Parochi, Magistratus, Ludimagistri, artium & scientiarum Professores, & ij, quorum est scholis invigilare; sunt enim pueris & adolescentibus ruinæ, & peccatorum multorum causâ. Undè sub peccato mortali tenentur, quorum interest, typographorum & bibliopolarum officinas & libros visitare, qui libri in scholis vel doceantur, vel permittantur notitiam habere: magistris etiam ipsis invigilare, ut vera, pura, & utilis doctrina solummodò in scholis permittatur.

Graviter peccant permittentes libros hæreticos, lascivos; &c. in scholis.

Non minùs peccant, qui magistros indoctos, & pravis moribus imbutos, vel ad magisterium promòvent, vel scholis præficiunt. Et si discipuli ex inscitia magistrorum non proficiunt, tenentur ad restitutionem pro damno illis proveniente. Item, si ex malis exemplis, & moribus magistrorum discipuli inficiantur, sunt causa omnium peccatorum, quæ ex hac infectione proveniunt. Magistri etiam, quorum socordiâ & negligentiâ, & in observanda morum & studiorum disciplina remissione, juventus defluxit, rationem reddent in die judicij de peccatis, & perditione eorum, pro quibus solliciti esse tenebantur, præterquàm quòd causa sint omnium malorum, quæ ex dictis reipublicæ eveniunt. Ex præfatis cætera conjice, quisquis conscientiæ puritatem amas, & æquus es arbiter tui.

Promoventes ad magisterium indoctos, pravis moribus imbutos, &c.

TRACTA-

TRACTATUS V.

De prima parte tertii officii Regis, quod est, defendere potentiâ subditos ab injuriis domesticis, *& personis illi officio deservientibus.*

TErtium officium Regis sive Principis est: ut quos pascit & regit, etiam potestate & virtute ab injuriis defendat & protegat. Duplex autem hæc injuria distingui potest: alia est velut domestica & interna, quam cives ab invicem patiuntur in personis, bonis fortunæ, honore, &c. quarum aliquæ criminales sunt, in quas morte, mutilatione, exilio animadvertitur: aliquæ civiles & politicæ, quæ temporalibus mulctis subjacent. Aliæ porrò injuriæ sunt externæ, quæ à Regibus vel Principibus, vel populis externis inferuntur.

Et quidem à prioribus injuriis domesticis sive criminalibus, sive civilibus Rex populum protegit suis judiciis & tribunalibus, in quibus justitia causarum expenditur, & unicuique jus dicitur, ac vindicta in malos exercetur. Et pro his judiciis & tribunalibus deserviunt *Iudices & Consiliarii, Assessores, Advocati, Procuratores, Tabelliones, satellites, ostiarii*, &c. Quia verò particulatius nonnullis personis, velut infirmioribus, protectio est etiam necessaria ad injurias præcavendas, assignati sunt etiam *tutores & curatores* minoribus, pupillis, & orphanis, furiosis, dilapidatoribus, &c.

Ab externis demùm injuriis Rex protegit populum, armis, bello, militiâ, &c. De his per ordinem agendum erit: & 1. de personis, quæ ab injuriis & injustitiis domesticis populi defensioni deserviunt.

TITVLVS I.

De personis judiciis & tribunalibus deservientibus; & primò de judicibus.

§ I.

De Iudicum officio, eorumque dignitate.

IUdex propriè dicitur, cui legitimè competit jus dicere, sive petentibus quod justum est decernere & reddere. Ita ferè Isidorus in lib. Ethimolog. ut habetur in cap. *forum*, de verb. signific. *Iudex* (ait) dictus, *quasi jus dicens populo, sive quòd jure disceptet: jure autem disceptare, est juste judicare: Non est ergo judex, si non est in eo justitia.* Porrò judicem constituit auctoritas publica, legitimè in personam vel personas derivata, quæ in nonnullis ordinaria est, in nonnullis delegata.

Iudex quis. *Isidorus Cap. forus*

Ex quibus patet judicem propriè respectum dicere ad aliquid quod contentiosum est, sive in quo, vel super quo de justitia disceptatur. Undè benè ibidem: *Forum* (ait) *est exercendarum litium locus à fando dictus, sive à Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit.* Et partes quidem, ex quibus coalescit forus, recenset; causam, legem, & judicium; ita ut causa sit materia & origo discussionis, sive disceptationis judicialis, lex directio disceptationis, judicium resolutio. Vnde eleganter idem Isidorus: *Dum proponitur* (ait) *Causa est: dum discutitur, Iudicium: dum finitur, Iustitia.* Et prosequens aliorum aliquorum nominum Ethimologias ait: *Negotium dici, quasi neget otium; Iurgium, quasi jurugarrium*, eò quod variè de jure garriatur seu disceptetur: *Lis* verò dicitur quasi *contentio de limitibus*: quæ omnia ibi vide, quia ex terminorum intellectu singularis claritas rei infunditur.

Quid forus. *Partes fori.* Isidorus.

Officium itaque judicis est, quæ sunt juris & justitiæ auctoritativè declarare; causis & litibus legis & justitiæ declaratione finem imponere: omnem injuriam contra fas & justitiam tam à Republica, quàm à Civibus & subditis potestate & justitiæ ac juris mediis propulsare.

Officium judicis.

Dignitas porrò Judicum in hoc elucet; quòd non tantùm Regis, sed & Dei locum teneant, & velut Dij hominibus justitiam administrent. Vnde est illud Psal. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat. Deos appellans* (ait S. Hieron. in Cap. 44. Ezechielis) *qui de hominibus habent judicandi potestatem.* Quòd autem hæc potestas à Deo procedat, docet Salomon Sap. 6. *Quoniam* (inquit) *data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis*: unde Judicum potestas vocatur *Iudicium Dei.*

Tenent etiã locum Dei. Ps. 81. 1. *S. Hieron.* Sap. 6. 4. 5. Deut. 17.

§. 2.

De qualitatibus in jure requisitis.

Quatuor potissimùm requiruntur qualitates in judicibus.

Quam scientiam habere debeant.

1. Scientia, sapientiaque experientiæ conjuncta. Porrò scientia talis requiritur, ut noverit jus divinum, naturale, & civile, proportionaliter ad causas quæ in suo tribunali proponi solent. Ius quidem divinum ac naturale, quia, ut sæpè dictum est, illa jura sunt omnia juris civilis & humani fundamenta, perversimque est ex natura sua judicium, in quo jus civile juri divino aut naturali cognito ob aliquam opinionem, vel humanam ratiocinationem præfertur. Ius autem civile, proportionatum suo tribunali, quomodo enim discernet de rei veritate, vel juris æquitate, qui jus ignorat? & quam proferet sententiam, qui disceptationis rationem non penetrat? *Ignorantia* sanè *judicis* (teste S.Aug. lib. 19. de civit. Dei c. 6.) *plerumque est calamitas innocentis*, ubi & refert ingentia mala, quæ ex hujusmodi ignorantia proveniunt. Et S. Basil. homil. 11. in principium Prov. *Impossibile namque* (inquit) *non versatum exercitatumque in justi cognitione rem dubiam & in controversia positam bene ac ordine dirigere.* Undè & Iob cap. 29. de seipso: *Pater* (ait) *eram pauperum; & causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam.* Et hæc fuit una ex principalibus instructionibus Iethro ad Moysen Exod. 18. *Provide* (inquit) *de omni plebe viros potentes*, &c. *qui judicent populum omni tempore.* Cujus consilio acquiescens Moyses Deut. 1. *Date* (inquit) *ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris*, &c. ubi per *sapientes* intelligit doctos & in legibus eruditos: per *gnaros*, viros expertos, & in agendis industrios & strenuos.

Judicium injustum.

S. Aug.

S. Basil.

Iob. 29. 16.

Exod. 18. 21. 22.

Deut. 1. 13.

Quam animi rectitudinem.

Deut. 16. 18. 19.

2. Qualitas est, Rectitudo animi in alteram partem inflexibilis. Deut. 16. *Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas; ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* Undè iterùm Iethro suprà ad Moysen: *Provide* tibi *viros*, &c. De hac rectitudine præclarè S. Basil. loco suprà citato: *Quemadmodùm* (ait) *is, qui sagittam tendens ad metam diriget, nec citrà, nec utrobique errando à via proposita excidet. Ità rectus judex factitabit, nec in judicando personam accipiet*, &c. Argumentum namque animi benè & indifferenter affecti, est judicando rectitudo. Et quidem ob timorem obliquitatis ab officio judicis repelluntur, qui acceptores personarum sunt, aut de quibus moraliter timetur, nè in personas nimis inclinent, ut consanguinei, amici, & partium singulares patroni, qui muneribus, prece, pretio corruptibiles existimantur. Item, qui suis passionibus facilè conturbantur. Denique, quicunque à rectitudine animi facilè deijciuntur. Undè

S. Basil.

Ab officio judicis qui repellantur.

Fortitudinem & justitiæ zelum.

3. Qualitas est, fortitudo & justitiæ zelus, juxtà illud Eccli. 7. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: nè fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua*, &c. De hac etiam fortitudine Iob suprà: *Iustitiâ* (ait) *indutus: & vestivi me, sicut vestimento & diademate judicio meo.* Infrà: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.*

Eccli. 7.

Iob 29. 14

Item quam pietatem & charitatem ergà proximum.

4. Qualitas est, pietas & charitas ad proximum, ut nimirùm causas habentes suscipiant, & audiant, omnibus æquanimes sint, eorum lites promoveri oportunè provideant, ergà viduas, orphanos, pupillos, & miseras personas, ubi æquitas postulat, se patres ostendant. Hæc omnia ex Scriptura passim colliguntur. Iob 29. *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi. Eò quòd liberâssem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum*, &c. Undè & monet Psaltes Ps. 81. *Iudicate egeno & pupillo: humilem & pauperem justificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Et Eccli. 4. *In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum.* Isaiæ 1. *Discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam*, &c. Aliæ qualitates, ut puritas animi, timor Dei, misericordia, &c. continentur sub quatuor prædictis.

Iob. 29. 11. 12.

Psal. 81. 3. 4.

Eccli. 4. 10

Isa. 1. 17.

§. 3.

De obligationibus & peccatis Iudicum.

5. Potissimùm judicum obligationes.

Obligationes judicum ex dictis deducuntur. 1. enim obligantur ad debitam legum scientiam, & causæ diligentem investigationem. 2. ad animi rectitudinem, ut in causis dijudicandis, nec amore, nec odio, nec timore, aut cupiditate moveantur, sed ab omni passione liberi solam justitiæ veræ rectitudinem in Deo respiciant. Undè S. Greg. seu, ut alij, Isidorus allegatus à Gratiano 11. q. 3. c. *Quatuor. Quatuor* (ait) *modis pervertitur humanum judicium. timore, dùm metu potestatis alicujus veritatem loqui pertimescimus: cupiditate, dum præmio animum alicujus corrumpimus: odio, dùm contrà quemlibet adversarium molimur: amore, dùm amico vel propinquo complacere contendimus.* Et ibid. c. *Quicunque* S. Hieron. *Quicunque aut consanguinitate, aut amicitiâ, & è contrario vel hostili odio, vel inimicitijs in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia, & fructum illius vertit in amaritudinem.* 3. Obligantur ad animi fortitudinem & strenuitatem tam in disquisitione, quàm in judicio, & ejus executione. Vide suprà in 3. qualitate. 4. Obligatio est, æquanimitatem ad omnes servare, ut suprà in 4. qualitate. 5. Obligatio est, si judex se insufficientem sentiat, aut suspicetur, quòd adhibeat justos & doctos assessores, supplere enim tenetur, quod in hac re sibi deesse sentit, & assumere tales, quos putat sua rectitudine, consilio, & auxilio defectus, qui evenire possent, suppleturos. Benè super his monebat Psaltes Psalmo 57. *Si verè utique justitiam loquimini, recta judicate filij hominum. Etenim in corde iniquitates operamini: in terra injustitias manus vestræ concinnant*, &c.

S. Greg. sive Isidorus c. Quatuor.

S. Hier. c. Quicunque.

Psal. 57. 2. & 3.

Et

Psal. 81. 2. Et Psal. 81. *Usquequò judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis.* In quibus iniquitatem judicare non est aliud, quam iniquè judicare, sive judicando iniquitatem committere: quas iniquitates graviter Scriptura commemorat Isaiæ 1. *Principes tui infideles, socij furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant: & causa viduæ non ingreditur ad illos,* &c. Et c. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Infrà: *Qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.*

Isai. 1. 23.

Isai. 5. 20.

Vers. 23.

Manus judicatoria pro peccatis judicii. S. Antonin.

Ut autem sub compendio peccata, quæ in judicando à judicibus committuntur, meliùs appareant, pono hic *manum judicatoriam*, de qua S. Antoninus 2. p. tit. 2. c. 10. §. 10. *Octava* (inquit) *est manus injustè judicatoria*, cujus ponit quinque *digitos*.

Peccant mort. proferentes injustam sententiam ex malitia. Tenentur restituere.

Primus *Digitus* est *aperta malitia*, sive injustæ sententiæ scienter & ex certa scientia prolatæ, sive proveniat ex amore, odio, corruptione per pecuniam, sive aliundè. Talis enim judex falsam & injustam sententiam pronuntians, aut pronuntiari permittens, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem totius damni parti læsæ. Ratio est, quia verè causam dat damni, & parti infert scienter injustam læsionem.

Ex crassa vel affectata ignorantia.

Secundus *Digitus* est *ignorantiæ*: si nimirùm ex ignorantia crassa vel affectata proferat sententiam injustam; peccat etiam tunc mortaliter & ad restitutionem damni tenetur. Ratio est: quia cùm sciat, aut scire debuerit se ignorantem, non debuit, nec potuit licitè se judicijs intromittere; hoc ipso enim quo se judicio immiscuit, periculo se exposuit, & damno causam dedit. Excusaretur tamen, si adhibito assessore sufficientis scientiæ injustitia ex parte assessoris provenisset.

Ex negligentia.

Tertius *Digitus* est *negligentia*, cùm scilicet injustam sententiam protulit ex eo, quòd discussionem, aut examen debitum causæ neglexit, sive fuerit negligentia studij, sive inquisitionis, auditionis & informationis debitæ adhibendæ; sive dilationis nimiæ, ob quam testibus mortuis probationes sive defensiones veræ justitiæ parti defuerunt; sive nimiæ præcipitationis, ob quam causæ plena discussio facta non est; sive ex alijs similibus causis. Et in his casibus præter peccatum mortale, quod incurrit, etiam ad damnum restituendum judex obligatur. Extrav. de injur. & dam. da c. *Si culpa*.

Ex corruptione.

Quartus *Digitus* est *corruptionis*; ut si permittat se judex corrumpi prece, vel pretio, muneribus, obsequijs, aut alijs quibuscunque, ex quibus sequitur injusta sententia. In quo casu & peccati mortalis reus est, & ad restitutionem eorum, quæ accepit, & ad damni compensationem obligatur; his enim omnibus injustitijs causam donat.

Injustè recusantes dare sententiam.

Quintus *Digitus* est *injustæ refutationis*: cùm nimirùm, etsi possit & debeat, sententiam tamen date non vult, aut non nisi interlocutoriam, aut injustè ad aliud tribunal transfert, nè damnum, quantumvis justum, pars, quæ condemnari debet, accipiat: immò in re clarissimè justa ad compositionem cogit, sub prætextu alicujus dubij eventûs, qui revera non subest, aut tantùm imaginarius est.

Et hæc sunt ferè peccata, quæ judices directè concernunt, quamvis non desint alia, quæ conabor etiam in procinctu enucleare, & suprà de illis iterum egimus tomo 2. tract. 6. tit. 3. q. 1. §. 2. dub. 3. per totum.

TITULUS II.

De judicij substantia & veritate, ejusque partibus.

AD majorem & magis distinctam eorum, quæ defensionem sive protectionem populi ab injurijs concernunt, cognitionem, operæ pretium duxi, præcipua, quæ ad judicij substantiam & veritatem, ac ejus partes pertinent, compendiosè sequentibus quæstionibus exponere, etsi id ad jurisconsultos magis pertineat.

QUÆSTIO I.

Ex quibus judicium substantialiter constituatur.

CONCLUSIO UNICA.

Judicium substantialiter constituitur: 4. Actionibus.

JUdicium constituitur substantialiter quatuor actionibus: quatuor personis, sive quasi personis & quatuor velut fundamentis.

Quatuor actiones sunt: *Propositio legitima causæ; Ejusdem causæ discussio plenaria; Judicium sive sententiæ prolatio; Executio illius.*

4. Personis.

Quatuor personæ sunt: *Judex; Accusator*, sive *Denuntiator; Reus; Testes*, vel *quasi testes*.

4. velut fundamentis.

Quatuor velut fundamenta sunt; *Veritas in re; Justitia in decisione; Bonum publicum in intentione; Auctoritas & obedientia in executione.* Hìc primò tantùm agemus de actionibus.

Propositio causæ fit tripl.

Propositio causæ legitima, tripliciter fieri potest: denuntiatione, accusatione famâ communi.

Denuntiatio quid.

Denuntiatio est relatio causæ sive criminis ab aliquo facta judici, in ordine ad aliquod malum avertendum, vel bonum promovendum, absque tamen obligatione probandi, sed tantùm ut fiat debita acquisitio. Ex. gr. Denuntio judici aliquam proditionem, devastationem aliquorum agrorum, furta, rapinas, quæ à nonnullis fiunt, ut provideat judex, prout jure vel ex officio tenetur.

Accusatio quid.

Accusatio est juridica delatio alicujus personæ ad judicem, in ordine ad vindictam, cum obligatione probandi; & quidem in civilibus ad pœnam temporariam, in criminalibus ad mortem, &c.

Fama communis quid.

Fama communis nihil est aliud, quàm insinuatio clamorosa super crimine, sive delicto, aut personis delinquentibus, ad aures judicis delata, quæ illum compellit ad juridicam inquisitionem. Dicitur (clamorosa) eò quòd ad aures judicis sæpiùs deferatur, & velut clamet, non enim sufficit semel audivisse,

Suppo-

Supponitur autem communiter apud multos fama illa spatsa credibiliter, & quidem à viris honestis, probis, & non malevolis; aliàs fama non est, sed tantùm rumor; nec insinuatio censetur, quia si à malevolis, improbis, vel aliàs nullius fidei hominibus procedat, credibiliter non insinuatur, adeoque contemni debet, nec insinuationis nomen meretur.

Discussio causæ quid requirat. *Discussio causa* quoad substantiam requirit citationem debitam, sive auditionem rei, examen causæ & personarum, quæ ad causam concurrunt, tempus & oportunitas sufficiens data reo ad sui defensionem, & utrique parti ad debitas probationes, & alia quæ ad certam causæ notitiam pertinent ex natura rei, vel circumstantijs.

Quid judicium. *Iudicium, sive prolatio sententiæ* requirit duntaxat præambulam causæ discussionem, substantialiter & integrè completam.

Quid executio. *Executio* non requirit nisi judicium mandatum & obedientiam.

QUÆSTIO II.

An ad judicium præter ea, ex quibus substantialiter constituitur, alia concurrant, & quomodò?

CONCLUSIO UNICA.

Accessoria judicij qui ad illud spectent. MVlta in judicijs civilibus criminalibusque jure communi superaddita sunt, quæ quidem ad judicij quandam solemnitatem & accidentalem perfectionem ordinantur, tamen de jure substantia non sunt, ità ut absque ijs justitia judicij consistat.

Accessoria illa quæ. Talia sunt: Quòd judicia & actiones forenses in diebus feriatis aut noctu non fiant: Quòd judices in loco judicij in cathedra sedeant: Quòd formalitates aliquæ in citationibus, dilationibus, sententijs interlocutorijs occurrentes serventur. Quòd modi quidam in testibus interrogandis & contestandis adhibeantur. Denique quidquid juri divino naturali, vel juri gentium à jure civili superadditum est, sine quibus veritas causæ probari & constare omninò potest, & de facto interdùm constat, judicio accessorium est. Undè à Principibus & Regibus sæpiùs ad terminandas sincerioti puritate causas conceditur judicibus, ut causas aliquas & lites terminent, procedendo *simpliciter & de plano: Absque strepitu judicij: Sine figura judicij: Summariè: De facto: Absque solemnitatibus: De bono & æquo: Apicibus & rimulis juris prætermissis.* Quæ omnia explicantur à S. Antonino 3. p. tit. 9. c. 15. ubi per *simpliciter*, excludit malitiosas & dolosas protelationes & dilationes. Per *processum de plano*, excluduntur formalitates quædam in libellorum formatione, modo respondendi, comparitionibus nonnullis; ità tamen ut quod planæ & integræ investigationis est, ad sufficientem notitiam obsetvetur.

Antonin. Procedere simpliciter quid.

De plano.

Absque strepitu judicij. Absque figura judicij. *Absque strepitu judicij*, excluduntur garrulæ contestationes, cavillationes, sophisticationes advocatorum & procuratorum. *Absque figura judicij*, id est absque ijs, quæ tantùm ad figuram & apparentiam quandam externam addita sunt: per ly *Summariè*, intelligitur, quidquid in summa vel compendio ad judicij substantiam spectat. *De facto*, id est, exclusis illis, quæ ad rationem facti non spectant, sed merè extrinseca sunt. *Absque solemnitatibus juris*, id est, solemnitatibus, quæ potiùs ut ceremoniæ quædam dignitatem judicij commendent, quàm veritatem afficiant. *De bono & æquo*, id est, servando ea, quæ rationi, bonitati, & æquitati conveniunt. *Apicibus & rimulis juris prætermissis*, id est, subtilitatibus & punctualitatibus ac formulis nonnullis, quæ etsi aliquid utilitatis interdùm habere possint, necessariæ tamen non sunt. Undè generaliter per istos terminos excluduntur, quæcunque ad substantiam judicij non spectant.

Summariè. De facto. Absque solemnitatibus juris. De bono & æquo. Apicibus & rimulis juris prætermissis.

QUÆSTIO III.

An semper teneatur Iudex servare apices & accessoria judicij, in judicio communi & publico?

Accessoria cur ordinata. HIc advertendum est, quòd etsi accessoria juris & judicij benè & sanctè ordinata fuerint, tùm ut ordo melior in judicando servaretur, tùm ut veritas majori discussione & longiori examine ventilata clarior appareret: tùm ut fraudes & doli oportunè detegerentur: tùm ut reis æquitas ipsa clariùs innotesceret: tùm ut dignitas judicij ex ceremonijs & solemnitatibus adjunctis cum majori reverentia susciperetur: nihilominùs procurante omnis boni inimico Satanâ, ea, quæ jus civile pro majori pace & utilitate juri divino naturali & gentium in judicijs adjunxit, modò in ruinam potiùs justitiæ cesserunt, & seminaria facta sunt omnis injustitiæ & iniquitatis, & decipulæ & laquei simplicium ac humanæ sinceritatis. Et hoc quidem triviale est, licet lacrymis sanguineis deplorandum, causas hoc tempore justissimas injustissimè deperdi, pauperes opprimi, justos suis bonis spoliari, eò quòd formalitas aliqua accessoria, modus purè ad veritatem impertinens, ordo à rei substantia alienus, solemnitas aliqua vel ceremonia dolo, fraude, negligentiâ, partis præventione, vel similibus causis nun fuerint servata, etsi à parte rei justitia constans appareat: ità ut processus procuratorum & advocatorum modò plùs in istis formalitatibus consistat, quàm in doctrina & illusionibus, quàm in veritate & justitia; ut aptè in hæc etiam tempora cadant illa Prophetæ Ieremiæ c. 5. *Circuite (ait) vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei*, &c. Et ostendens undè veniat hoc malum, Vers. 26. *Quia inventi sunt* (ait) *in populo meo impij insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros.* Et ut ex signis illi cognoscantur, prosequitur: *Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plenæ dolo; ideò magnificati sunt & ditati. Incrassati sunt & impinguati; & prætericrunt sermones meos pessimè.* Et demùm specificans delicta, ut ex illis appareant: *Causam viduæ*

Abusus ex eis proventiens.

Ier. 5. 1.

Vers. 26

Vers. 27.

Vers. 28.

viduæ (ait) non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt, &c. Nota verba: causam non judicaverunt: tot enim tricis & punctis ac formalitatibus illam involvunt, ut justitia causæ & judicij apparere non possit. Iterùm: causam pupilli non direxerunt, eo quòd potiùs in dilationes, exceptiones, tergiversationes, adinventiones à scopo illam abduxerunt, ut tandem substantia pupillorum consumatur, & vel in sumptus processuum evaporetur, vel in bursas procuratorum abeat. Nota tandem: judicium pauperum non judicaverunt, in hoc autem distinguuntur: causam non judicare: & judicium non judicare, quòd illud denotet dolos & fraudes in causæ substantia positas: hoc autem in judicij apicibus & rimulis. In quibus verbis tria indicantur, quæ ad rectum judicium necessaria sunt. 1. ut causæ substantia in judicio attendatur, non accidentia. 2. ut omnia ad finem ex natura judicij intentum ordinentur, & subdolis inventionibus abduci ad accessoria non permittantur. 3. ut invigiletur, nè apices & rimulæ juris substantiam judicij ipsamque justitiam destruant. His sic prænotatis, sit:

Ad rectum judicium 3 tria necessaria.

CONCLUSIO I.

Accessoria ex suo institutione non contravenit juri divino naturali, vel gentium.

Ius civile in constitutionibus variorum modorum, apicum, formalitatum in judicijs, ità intendit judiciorum integritatem servari, ut nullatenùs voluerit juri divino vel naturali, vel juri gentium primario contraveniri. Hæc conclusio ex natura sua clara est; quæ enim à jure civili addita sunt, in protectionem vel remedium contrà multas falsitates, deceptiones, dolos, & iniquitates supponuntur addita: nam aliàs injusta & injuriosa esse convincerentur; quidquid enim juri divino & naturali, ac juri primario gentium contradicit, fundamentali Dei justitiæ ac primæ veritati, ex quibus dicta jura immediatè promanant, contradicit, ac consequenter injustum est. Undè est illud axioma: *Quod propter justitiam vel charitatem ordinatum est, non potest contrà justitiam vel charitatem militare*: manifestum est autem, formalitates juris institutas pro conservatione justitiæ contra justitiam militare, si contrà jus divinum vel naturale, aut institutæ essent, aut assumerentur.

CONCLUSIO II.

Quæ reducenda si videntur contravenire.

Si quæ constitutiones juris civilis specietenus videantur juri divino vel naturali aut primario gentium contradicere, reducendæ & justificandæ sunt ad aliquod objectum vel circumstantiam juri naturali vel divino conformem; quòd si reduci nequeant, de injustitia convincuntur & corrigendæ sunt. Explico: Multa sunt in jure civili, quæ videntur in damnum subditorum & privatorum redundare, immò interdùm in mortem innocentis; jura illa justificantur in eo, quòd bonum publicum & reipublicæ in casu sit præferendum privato: & unum membrum etiam sanum debeat exponi, ut corpus salvetur: item, quod non est licitum lege communi, necessitas licitum facit, &c.

CONCLUSIO III.

Ad ea non tenetur judex, dùm ex eo videtur justitiam periclitari.

Iudex non tenetur ad formalitates, modos, vel apices juris, & ad accessoria quævis civili jure introducta, in casibus, in quibus animadverteret ex eorum observantia justitiam & veritatem periclitari. Ex. g. videt à procuratoribus, advocatis, vel partibus quæri inutiles citationes, dilationes, exceptiones, frustrationes, & alias formalitates, sive ceremonias, ad dolos, fraudes, vel falsitates & machinationes injustas causæ inferendas: potest, & debet illa negare, restringere, tollere impedire, & solâ substantiâ juris servatâ causam decidere & definire.

Debet 1. curare quæ sunt juris divini & naturalis.

Ratio est: Quia accessorium non debet destruere principale; & cùm judex primariò sit minister Dei, quæ sunt juris divini & naturalis primò curare debet, & jus Dei ac naturale juri civili prætenso præponere. Et reverà nullius legislatoris mens esse unquàm potuit, ut quæ pro justitiæ conservatione instituta sunt, in justitiæ ruinam retorquerentur. Et judicis est, tribunalis & curiæ suæ abusus retundere, & si in suis submunistris vel personis ad judicium concurrentibus iniquitatem videat, illos corrigere. Undè Exodi 23. *Non suscipies vocem mendacij*, &c. *Nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut à vero devies*, &c. Iudex verò censeretur vocem mendacij suscipere, si meditantes dolos & fraudes, sub prætextu formalitatum & apicum juris, advertens dissimularet, & formalitatibus illis accessorijs, sub quibus dolos adverti, locum præberet. Unde iterùm cùm sequi pluralitatem votorum in consistorio sit quædam formalitas juris, nihilominùs Deus illam sequi prohibet, ubi apparet pluralitatem deviare à veritate. Quod advertere debent judices & præsides conciliorum, cùm enim aliquam in multitudine consiliariorum deprehedunt falsitatem & injustitiam, illorum est pro veritate cognita decertare, juxtà illud Eccli. 4. *Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.*

Exod. 23. v. 2.

Eccli. 4. 33

Quid si inde incurreret suspicionem injustitiæ.

DICES: Hac ratione posset judex incurrere suspicionem injustitiæ, vel via aperiri injusto judici ad injustitias multas, ob prætextum libertatis, quam habet non servandi formalitates juris & judicij.

Non tam facilè illa hic oriuntur.

Respondeo: Nihil esse tam sanctum, quin contrà illud malitiosè suspicio aliqua adinveniri possit: hîc autem non agi de ordinario & communi procedendi modo in judicijs, sed tantùm in casibus particularibus, & supposita notitiâ, vel gravi suspicione malitiæ, sub observatione apicis & formalitatum juris: in casibus autem illis singularibus non venit ratio justæ suspicionis injustitiæ. Addo judicem suâ industriâ & prudentiâ ac fortitudine posse facilè ejusmodi suspiciones eluere, & dolos ac fraudes per aliquam immutationem in formalitatibus eludere. Nec debet moveri dicterijs plebeculæ, aut partis adversæ, ubi suæ ratio-

Non debet moveri dicterijs plebeculæ.

rationi subest veritas & justitia: si enim ob suspicionem, & communem malitiæ famam advocatus & procurator à sua malitia non resilit; non debet judex ab asserenda justitia, & vindicanda ab idolis & fraudibus veritate, ob hominum dicteria abstinere. Undè superiùs dixi, judicem posse & teneri servatâ substantiâ juris in casu, quo ex formalitatũ observantia justitia periclitaretur, à formalitatibus illis abstinere: peccaret enim tunc illas permittendo, aut concedendo, cùm valeat impedire, & pusillanimitate suâ justitiam exponeret periclitationi, cujus officij & obligationis est virtute irrumpere iniquitates, & quidquid justitiæ contrarium in judicio occurrit, illud omni modo possibili dissolvere.

Ejus obligatio quoad hoc.

QUÆSTIO IV.

An Iudex in conscientia sciens falsitatem subesse, posit contrà cognitam veritatem, juxtà allegata, & in foro externo probata, sententiam ferre, & reum, quem innocentem certò, & in conscientia agnoscit, si in foro externo probetur nocens, ad mortem damnare?

Sententia Doctorum.

Hic altercantur Doctores: Et nonnulli quidem distinguere volunt inter causam pure civilem, & cui tantùm subest damnum, aut pœna temporalis; & causam criminalem, cui subest pœna mortis; & in civili causa admittunt judicem posse juxtà allegata & probata in judicio externo ferre sententiam, etiam contrà cognitam sibi certò in foro conscientiæ & interno veritatem; in criminali verò causa, ubi agitur de vita hominis, non posse, sed teneri usque ad depositionem dignitatis judicialis resistere, & nullatenùs sententiam ferre. Alij absolutè docent judicem semper teneri juxtà allegata & probata in judicio judicare, & sententiam ferre; immò (quamvis teneatur omnem industriam adhibere, ut quem scit innocentem vel justum, a morte liberet) si tamen non probetur innocens, sed nocens, teneri illum etiam ad mortem juxtà præscriptum condemnare. In qua sententia totus est Tostatus in cap. 23. Exodi quæst. 6. qui sequitur alios antiquiores, & quem etiam plures posteriores sunt secuti. Nituntur autem hoc fundamento: Quia judex publica persona est, & debet in judicio à legibus moveri & dirigi, & juxtà præscriptum legum judicare, secundùm allegata & probata, non secundum prudentiam & scientiam suam privatam, juxta cap. *Canonum*. de constitut. l. 1. tit. 2. *Canonum statuta custodiantur ab omnibus, & nemo in actionibus vel judicijs Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur.* Et ibidem cap. *Nè innitaris prudentia tua: Prudentia* (ait S. Hieron.) *innititur, qui ea, quasibi agenda, vel dicenda videntur, Patrum decretis præponit.* Eadem autem ratio est de legibus civilibus, juxtà quas judices sæculares tenentur judicare, C. de legibus *L. leges* & C. de juris & facti ignorantia l. *Constitutiones*. Undè non

Fundamentum Tostati & aliorum.

c. Canonum.

S. Hieron. c. Ne innitaris.

imputabitur mors innocentis judici, sed legi, aut ijs, qui per allegata & probata judicem moverunt. Qui hujus sententiæ sunt, allegant etiam illud Deut. 17. *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur.* Citant & S. Ambros. in Ps. 118. serm. 20. post medium: *Bonus* (inquit) *judex nihil ex arbitrio suo facit, & domestica proposito voluntatis, sed juxtà leges & jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propria voluntati, nihil paratum & meditatum domo defert; sed sicut audit, ita judicat; & sicut se habet negotij natura, decernit. Obsequitur legibus, non adversatur; examinat causæ merita, non mutat. Discite judices seculi, quem in judicando tenere debeatis affectum, quam sobrietatem, quam sinceritatem.* Hæc Ambr.

Deut. 17. 8

S. Ambr.

CONCLUSIO I.

In criminalibus non licet judici, quem certò novit innocentem, per allegata falsa probatum noxium, ad mortem condemnare.

Non licet judici id facere in criminalibus.

Sumitur ex textu expresso Exod 23. *Insontem & justum non occides; quia aversor impium.* Ubi Lyranus noster: *Insontem, id est, innocentem, quantùm ad illum, qui per falsos testes convincitur, quem judex non debet interficere, si sciat ejus innocentiam secretò.* Et nota, quòd juxtà Lyranum & Interpretes communiter in hoc capite agatur de informatione judicum quoad judicium justum, tam in ratione judicij, quàm respectu personarum. Undè ruit argumentum fundamentale Tostati, & aliorum: si enim secundùm allegata & probata judex debeat semper procedere, quomodò hic à Deo prohibetur insontem & justum, utique per allegata & probata convictum, occidere, si allegatis & approbatis debet credere? quomodò prohibetur vocem mendacij suscipere, vel mendacium fugere? Cùm enim (ut supponitur) sciat secretá scientiâ allegata & probata mendacia esse, quomodò illa fugere, vel non suscipere dici potest, si cogatur ex illis judicare? Certè omnia, quæ pro contraria opinione referuntur, unâ responsione diluuntur, nimirùm: Iudicem debere secundùm allegata & probata procedere (subintelligendo) nisi de falsitate allegatorum & probatorum ipsi constet; nec debere proprio sensui vel prudentiæ inniti, prout proprius sensus & propria prudentia dicit opinionem, quæ singularis est, & ex singularibus motivis per ratiocinationem probabilem deducitur, contrà legum & legislatorum sensum; non verò de certa scientia, quæ certæ innititur veritati; juxtà quam prohibetur in eodem capite judex *plurimorum*, Hebraicè Rabbim, id est, magistrorum acquiescere sententiæ, ut à vero deviet, id est, quandò constat, quòd à veritate devient.

Exod. 23. 7

Lyran.

Dissolvitur fundamentum contrariæ opinionis.

Qui intelligendum, quòd judex debeat procedere secundùm allegata & probata.

Vers. 2

Fundamentum itaque hujus nostræ sententiæ est: Non licere judici innocentem de cujus innocentia sibi constat, etiam nocentem in judicio externo probatum, condemnare: Quia ubique & semper oportet obedire Deo potiùs quàm hominibus, & legi

Fundamentum Conclusionis.

Dei

Dei, quàm legibus civilibus, aut veritati potiùs, quam mendacio. Vide quæ diximus tom. 2. tract. 6. tit. 3. q. 1. dub. 2. in 2. resolut. ubi iterùm hanc quæstionem eodem modo resolvimus.

Respondetur ad locum Deut.

Ad fundamentum contrariæ opinionis jam responsum est. Ad Scripturam ex Deuteronomio allatam clara est responsio: non enim dicit omnes per duos aut tres testes nocentes probatos debere aut posse occidi, sed neminem occidi posse, nisi probatus sit per duos aut tres testes mortem demeruisse; aut certè intelligenda est ex natura rei conditionalis sive suppositiva, si veri testes sint, & verè probaverint: quomodò etiam intelligenda est illa universalis: Iudicem debere judicare secundùm allegata, & probata, si nimirùm verè sint probata, & non sophisticè, & per dolosas vel ementitas allegationes. In hoc autem casu constat allegationes, sicut & probationes, esse falsas & sophisticas, cùm de veritate contraria illi constet.

Item ad verba Ambr.

Ad verba D. Ambrosij idem dicendum est: S. Ambrosium supponere non aliud judici constare, quàm quòd à testibus & accusatoribus proponitur: in casu autem nostro constat proposita esse falsa, & idcircò non censeri probata.

Item ad id quod dicis mortem innocentis non judici, sed legi, &c. imputandam.

Quòd verò contraria sententia conetur judicem innocentem sibi cognitum condemnantem excusare a peccato, quia non ipse, sed lex, aut accusatores & testes illum condemnant, in promptu est responsio; legem, cùm sit muta, in casu non expresso debere epikeiæ & interpretationi judicis subjacere, nec (ut docuimus) legem civilem posse intelligi, aut interpretari contrà legem divinam & naturalem, quæ innocentis mortem prohibet. Iudicem etiam teneri eripere innocentem agnitum de manu calumniatorum, & quantum in se est, impedire sibi cognitum peccatum accusatoris & testium.

PETES. Quomodo igitur se geret judex in tali casu?

Debet judex conari falsitatem detegere per diligentius examen testium.

Respondet Lyranus noster 1. *Debet testes diligentiùs examinare, ut eorum falsitas deprehendatur*, quod quidem non inutiliter fieret, si industriæ adhiberentur, quales adhibuit Daniel, dùm Susannam à mortis pœna eripuit: in hoc enim casu potest & pars innocentis de nonnullis à judice instrui, ad evertenda testimonia & machinationes adversariorum, potest & curare secretò carcerem aperiri, ut innocens fugiat, possunt & alia occurrere media oportuna juxta rationem temporis & circumstantiarum.

Innocentem ad superiorem judicem remittere, &c. Aliàs officium dimittere.

2. Addit Lyranus: Si non potest testium falsitatem deprehendere, debet innocentem ad superiorem judicem remittere, & eum de falsitate sibi nota informare. Quòd si superiorem non habeat, arbitratur doctissimus Lyranus potiùs debere judicem dignitatem & officium dimittere, quàm innocentem ad mortem condemnare, argumento S. Augustini l. de lib. arb. sic loquentis: *Quomodo apud divinam providentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt?* q. d. nullo modo.

S. August.

Lyranus.

Undè argumentatur Lyranus: *Per res* (ait) *contemnendas intelligit Augustinus omnia illa, quæ homines inviti amittere possunt, inter quas est vita corporalis, & multò fortiùs divitiæ & dignitas temporalis quæcunque & potestas judicandi, secundùm quod dicitur* Iob 2. *Cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua, id est, pro corporali vita tenenda.* Et tandem infert: *Ideò si judex quantumcunque superior non possit invenire viam liberandi innocentem à morte, debet priùs dignitatem & officium judicandi dimittere, quàm sententiam mortis contrà innocentem ferre, aliter peccatum non evaderet.* Vide latè Leonard. Lessium l. 2. de Iustit. & Iure c. 29. dub. 10. de his disserentem.

Iob. 2. 4.

Lessius.

CONCLUSIO II.

Non licet etiam id judici facere in puris civilibus.

NEc licet judici in civilibus ferre sententiam contra aliquem, à cujus parte certò & indubitatè novit justitiam stare, etsi allegata & probata à parte adversaria contrarium convincant.

Ratio mea est: Quia judicium injustum ex natura sui & omnibus legibus illicitum est; tale autem judicium, etsi ex allegatis & probatis videatur justum, à parte rei tamen injustum est, nec aliquâ lege justificari potest.

Responsio Lessij in contrariũ.

Respondet Lessius, ubi suprà, qui in civili causâ nobis est contrarius: rempublicã sententiam justificare ex eo, quòd ad salvandas leges comunes judiciorum civilium possit disponere de bonis fortunæ suorum civium, ob publicum bonum, hîc autem interest publico bono, ut leges civiles judiciorum & tribunalium serventur, quantum fieri potest, illibatæ, nè videantur cum publico scandalo judicia perverti.

Improbatur.

Respondeo ego è contra: non sufficere quòd magistratus habeat potestatem disponendi de rebus fortunæ suorum subditorum pro publico bono, sed oportet probare in casu, vel quæstione proposita, esse publicum bonum, & condemnationem justi aut innocentis in materia civili posse esse bonam, & in utilitatem publicam cedere, & posse rem per se injustam justificare. Quinimò è contrà assero, hujusmodi sententiam contrà rei veritatem & justitiam prolatam omninò injustam & malam esse, quia & leges Dei & leges civiles perturbat, ac legibus civilibus contradicit: pro quo

Principaliùs intentum legum civilium est veritas & justitia causæ.

Advertendum est: Priùs & principaliùs leges civiles intendere veritatem & justitiam causæ, quàm illius per ventilationes judiciales probationem; priùs est enim esse justum, quàm probari justum, nec probatio requiritur, nisi dubio aliquo superveniente. Itaq; cùm judici certò de justitia constet, & consequenter de falsitate allegationum & probationum ipsi nulla supersit dubitatio, judex non potest justitiam sibi certò notam condemnare, & mendacium (de quo sibi constat) per juridicam sententiam approbare; hoc enim est legem Dei & legem civilem perturbare, & animam legis, quæ est veritas, auferre. Undè negandum planè est; juris civilis præceptum esse, simpliciter ex allegatis & probatis judicare; sed tantùm ex supposito, quòd allegata & probata sint vera, & pro veris à judice habeantur; hic verò nec à parte rei sunt vera, nec à judice pro veris habentur. Nec talis sen-

Constan-ter doc. gend. diligentes, & diligenter constantes, utique ut continuè doceant, nec vel per otium incongruum docere omittant, nec in docendo varient: est enim universæ doctrinæ noverca negligentia, & inconstantia illius dilapidatrix. Et hæc omnia accommodanda sunt Ludimagistris, respectu puerorum, artium liberalium magistris ac Philosophiæ professoribus, respectu adolescentum; jurisprudentiæ ac Theologiæ, &c. Doctoribus, respectu auditorum, de quibus iterùm posteà.

§. 6.

De discipulis capacibus & indolis benè affectæ.

Studium altiorum scientiarū requirit delectum discipulorum, Etsi primæ scholæ Ludimagistrorum, in quibus principia legendi, scribendique ac fidei rudimenta docentur, omnibus communiter utiles & velut necessariæ sint; artium tamen liberalium ac Philosophiæ, superiorumque scientiarum, jurisprudentiæ, Theologiæque studia delectum discipulorum requirunt, cujus delectus defectu contempti, vitiis, & perniciosis reipublicæ inquinamentis, scientiæ illæ expositæ hactenus fuerunt, eò quòd incapacia, indisciplinata, dura, infida, & interdùm spurcissima ac fœdissima ingenia ad illa studia sint admissa: unde artes & scientiæ illæ conspurcatæ sunt. Vide Boëtium ubi suprà cap. 1. qui deinde cap. 2. tria in quolibet discipulo requirit: *Debet* (inquit) *discipuli subjectio in tribus consistere, scilicet, in attentione, benevolentia & docilitate. Attentus* (inquam) *exercitio, docilis ingenio, benevolus animo. Attentus* (inquam) *ad audiendum, docilis ad intelligendum, benevolus ad retinendum,* &c. Hæc ille, persequiturque ibidem discolos, ebriosos, libidini & vitiis aliis deditos, animo rudes & ingenii durioris, quos omnes tamquam studiorum incapaces repudiat. Debent igitur, qui ad ejusmodi studia provehuntur, esse naturalis vivacitatis & perspicacitatis ingenii, ac indolis bonæ, quæ & scientiâ imbui, & ad virtutem inclinari possit: hi enim & facilè doctrinam percipiunt, & ad virtutem absque labore inclinantur; & ut benè S. Hieronymus: *Habeat* (inquit) *in se lentum quiddam & molle, quod facile formari queat, atque ad arbitrium volentis trahi,* &c. 2. Debent attenti esse exercitio, ut nimirùm diligentiam & laborem adhibeant: *Dii enim* (ut ille ait) *laboribus omnia vendunt;* & *labor improbus omnia vincit.* Unde & Ecclesiastes cap. 1. vocat studium, *occupationem pessimam,* id est, difficillimam. Et ibidem cùm dedisset cor suum ut sciret prudentiam atque doctrinam: *Agnovi* (ait) *quòd in his quoq; esset labor, & afflictio spiritûs; eò quòd in multa sapientia, multa sit indignatio; & qui addit scientiam, addit & laborem.* 3. Debent esse benevoli, id est, benè affecti & bonæ voluntatis: ex hac enim sequitur quædam animi quies, & jucunditas spiritûs, quæ non parvam præstat ad fovendum studium alacritatem. Multa de his præclara vide apud Boëtium suprà, & apud Hugonem de S. Victore in suo didasc. Quanti verò facienda sit docilitas illa & animi benè affecti indoles bona testatur passim scriptura: Unde Sap. 8. Salomon de seipso; *puer* (inquit) *eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Et cùm essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum.* In toto autem isto capite suo exemplo docet, qualiter à principio scientiis & sapientiæ sit insistendum, desiderio, amore, labore, virtutum exercitio. Præclarissima sunt, & quæ non tantùm mentem oblectant, sed etiam movent & docent.

Boetius Earum subjectio in tribus consistit.

Debent esse bonæ indolis & vivacis ingenii.

S. Hieron.

Attenti.

Eccles. 1. 13.

Vers. 17. 18.

Benevoli.

Sap. 8. 19. 20.

§. 7.

De methodo congrua.

Tria, pro ea attendenda. S. Bern. Multùm confert ad sapientiam methodus sive studium methodicè ordinatum. Methodum aperit S. Bernardus suprà relatus ex serm. 36. in Cant. ubi & modum sciendi, & ordinem, & finem exprimit. Ut ergo methodus servetur, attendant scholarum præfecti ad tria, (nimirùm) ætatem, ingenium, studendi modum. Ætatem quidem; aliud enim præscribendum est pueris, & in infima ætate adhuc constitutis; aliud adolescentibus; aliud viris, & jam ætate provectis. Et quidem pueri à prima ætate à Ludimagistris, dum adhuc legere aut scribere discunt, catechismo, fidei rudimentis, piis historiis, & Sanctorum vitis imbuendi sunt, ut fidem, pietatem, virtutum desiderium cum lacte imbibant: nam ut benè Poëta:

Quo semel est imbuta recens servabit odorem
testa diu.

In quibus erudiendi pueri à prima ætate in scholis.

Unde & S. August. de pietate, quâ adhuc infans imbuebatur, testimonium reddens, sic de seipso lib. 3. Confess. cap. 4 loquitur. *Hoc nomen* (Christi) *secundùm misericordiam tuam Domine, hoc nomen Salvatoris mei Filii tui in ipso adhuc lacte matris tenerum cor meum piè biberat, & altè retinebat,* &c. *S. August.*

Itaque pueris Christianæ pietatis & fidei rudimenta cum primis elementis miscenda sunt, & quamvis non ita ab illis intelligantur, sufficit ut primis speciebus memoriæ inhæreant, hæc enim posteà clariore luce redeunt, & intellectui jam ad intelligendum idoneo primò occurrunt, & firmiùs inhærent. Dolendum sanè quòd scholæ pueriles fabulosis, nugacibus, jocosis libris, narrationibus & scriptitationibus scateant. Certè Antiquorum calculo catechismi, liber Tobiæ, vitæ Sanctorum, pueris ad lectiones proponebantur. Et quid incommodi si ex libris sapientialibus aliquæ sententiæ methodicè compilarentur, quibus eis vera moralitas virtutum instillaretur. Filii sanè tenebrarum prudentiores filiis lucis sunt, & oculatiores ad malum, qui suis pueris errores & corruptas scripturas in scholis puerilibus tam importunè ingerunt, ut posteà eradicari illa vix possint.

Qui libri eis prælegendi.

Crescente demùm ætate, & ad provectiores annos adscendente, si id ætas & conditio pueri postulet, ad artium liberalium studia pedetentim procedendum est, & in his etiam

methodus

Benè imbuendi in fundamentis scientiarum.

In SS. Patribus fœcundior eloquentia quàm in profanis.

methodus servanda, ut priùs fundamentis linguæ Latinæ instruatur, & ad philosophica præparetur. Vide Hugonem in suo Didasc. Et hic lugendum est, quòd videmus, sive ob nimiam multitudinem studentium, sive ob inertiam magistrorum, sive ob ingeniorum incapacitatem, paucos prodire, qui fundamenta linguæ Latinæ exactè norunt, & quamvis sciant aliquid loqui, vel balbutire, rationem tamen reddere suæ dictionis vel locutionis non norunt: Lugendum quòd profanis Poëtis & Auctoribus ita inhæreatur, ut cùm simul possent imbui libris Catholicam veritatem & pietatem sapientibus, nec desit in antiquis Patribus, ut S. Hieronymo, Cypriano, Leone & aliis, fœcundior eloquentia, adolescentes nihilominus ita profanis illis instituantur, ut verè quæ sunt salutis suæ, non tantùm non discant, sed de illis etiam audire vel loqui ipsis sordeat. Magnum onus conscientiarum super iis, quorum est istis invigilare.

Qui Philosophia prælegenda.

Item jurisprudentia.

A litteris ad Philosophiam. Sed & hic impingitur, dum philosophia profana & Aristotelica ita traditur, ut nihil relinquatur sacræ Philosophiæ, quæ reverà melioribus & subtilioribus fundamentis ex S. Scriptura & SS. Patrum doctrina enitet, ex quibus etiam ipsa profana clariorem intelligentiam emendicant, & super veræ, ac Christianæ sapientiæ principia, velut super firmam petram, ingenia humana firmantur, & ad sacram Theologiam præparantur. Theologia enim non ratiocinationibus humanis, sed fidei veritatibus innititur, & ubi ratio humana palpitat, sola fidei doctrina firmari potest: sicut & jurisprudentia, quæ si errare nolit, divinæ veritati & æquitati, in jure divino & naturali propositæ, ita inniti debet, ut si vel modicum leges civiles à fundamento illo declinent, in injustitiam & iniquitatem deviare necesse sit. Unde & jus canonicum totum Scripturæ vel Patribus innititur, nec jus civile à jure divino & naturali discrepare potest.

Hugo à S. Vict.

Et hæc sufficienter de doctrinæ methodo pro nostro instituto sint dicta. Unicum pono ex venerabili Hugone l. 1. Didasc. c. 1. documentum: *Tria* (ait) *sunt præcepta magis lectioni necessaria. Primum, ut sciat quisq; quid legere debeat. Secundum, quo ordine debeat legere, id est, quid priùs, quid posteriùs. Tertium, quomodo legere debeat.* Quæ tria posteà explicat. Et quidem quoad primum, in omni studio legenda sunt utilia, & ab omni impuritate integra: Quoad secundum necesse est ut à facilioribus ad difficiliora via paretur: Quoad tertium denique ut intentione bonâ in ordine ad vitam bonam & finem æternum lectio dirigatur & diligenter ac constanter fiat.

§. 8.

De lectione sacræ Scripturæ.

Culpantur scholæ de ejus neglectu.

TUrpe & intolerabile est scholis Christianis, quòd cùm Scriptura sacra sit fons omnis

scientiæ & sapientiæ, ac virtute omnes artes contineat, nec doceatur, nec legatur, nec urgeatur, ita ut illius ignorantia sit totius Ecclesiæ universalis pestis. Omnia scripta moderna plùs Plutarchum, Solonem, Aristotelem, Tullium sonant, quàm Deum & Christum ejus, in Scriptura sancta loquentem. Unde S. Aug. sive Auctor lib. cui titulus *Speculum peccatoris* c. 6. *Erubescat* (ait) *superbus & infelix peccator & timeat, &c. scientiâ inflatus, cui plùs placet ars Aristotelis, quàm scientia de Apostolis, plùs codex Platonis, quàm liber divinus: quem nulla lectio latificat, nulla scientia ædificat, nullus sermo sapit, nisi fuerit grammaticè conceptus, dialecticè imaginatus, rhetoricè purpuratus.* Et concludens: *Stultus es qui hæc ignoras, & erras: quoniam qui talia agunt, & in talibus dies suos consumunt, peccatum sibi generant, & mortem parant,* (& rationem subdit) *quia ex simili studio similem concipiunt scientiam, hoc est, folia colligunt, non fructus, scilicet verba, & non virtutes: Verba enim in ventum proferunt, & aerem verbis verberant, verbositatem sonant, jactantiam ostendunt: de quibus per Psalmistam dicitur: Turbati sunt, & moti sicut ebrius, & omnis sapientia eorum devorata est.* Hæc ibi. Unde lib. de vera Relig. c. 51. ad sacrarum Scripturarum lectionem omnes exhortans: *Omissis igitur* (ait) *& repudiatis nugis theatricis, & poëticis, divinarum Scripturarum consideratione & tractatione pascamus animum, atque potemus vanæ curiositatis fame ac siti fessum & æstuantem, & manibus phantasmatibus, tamquam pictis epulis, frustrà refici satiariq; cupientem, &c.* Et ut nulla ætas à perceptione S. Scripturæ sibi accommoda excludatur lib. de utilit. credendi ad Honoratum cap. 6 sic scribit: *Testor Honorate conscientiam meam, & puris animis inhabitantem Deum, nihil me existimare prudentiùs, castiùs, religiosiùs, quàm sunt illæ Scripturæ omnes, quas testamenti veteris nomine Catholica Ecclesia retinet.* Et infrà: *Quidquid est, mihi crede, in Scripturis illis, altum & divinum est: inest omninò veritas, & reficiendis instaurandisque animis accommodatissima disciplina: & planè ita modificata, ut nemo indè haurire non possit, quod sibi satis est, si modò ad hauriendum devotè ac piè (ut vera Religio poscit) accedat.* Eadem ferè habet epist. 1. ad Volusianum. Et iterùm epist. 3. ad eundem Volusianum circa finem ostendit omnis scientiæ sacram Scripturam compendium quoddam esse. *Hîc* (inquit) *Physica, quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo Creatore sunt. Hîc ethica, quoniam vita bona & honesta non aliundè formatur, quàm cùm ea, quæ diligenda sunt, diliguntur, hoc est, Deus & proximus. Hîc Logica, quoniam veritas, lumen animæ rationalis, non nisi Deus est. Hîc etiam laudabilis Reipublicæ salus: neque enim conditur & custoditur optima civitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ, cùm bonum commune diligitur, quod summum ac verissimum, Deus est, atque in illo invicem sincerissimè se diligant homines, cùm propter illum se diligant, cui quo animo diligant, occultare non possunt.* Hæc August.

S. August.

Tt 3 Nec

Nec his obstat quòd Concil. Trident. sess. 4. in decreto de editione & usu sacrorum librorum: & in indice regul. 3. & 4. cum tanta cautela & providentia velit Biblia legi; immò vix permittat vernaculo idiomate: non enim dicimus Biblia liberè, & absque ullo termino vel reservatione, ab omnibus omnis ætatis legi debere; sed tantùm doctrinam ordinariam, & communem, juxtà ætatem, qualitatem & capacitatem personarum, debere ex sacris Scripturis deduci, illis accommodari, & secundùm uniuscujusque captum doceri, & velut subministrari. Non est enim res nova aliquibus aliqua prohiberi, quæ alijs permittuntur, ad pericula præcavenda; prout testatur Origenes prol. in Cant. Cant. sic scribens: *Ajunt observari etiam apud Hebræos, quòd nisi quis ad ætatem perfectam, maturamque pervenerit, libellum hunc* (utique Cantici Cant.) *nè quidem in manibus tenere permittatur*; & de alijs quibusdam Scripturis, subdit: *Sed & illud ab eis accepimus custodiri, quandoquidem mos est apud eos omnes Scripturas à Doctoribus & sapientibus tradi pueris, &c. ad ultimum quatuor ista observari, id est, principium Genesis, in quo mundi creatura describitur; & Ezechielis prophetæ principia, in quibus de Cherubim refertur; & finem, in quo templi ædificatio; & Cantici Canticorum librum.* Hæc Origenes. Addunt aliqui, quòd etiam libri Regum non permittebantur legi antè trigesimum annum. Siquidem illa omnia ardua sunt, & in eis minùs intelligentes errare de facili potuissent. Et tempore Esdræ mutati sunt characteres hebræi, & Biblia restitura alijs characteribus, ut Biblia Galilæorum corrupta evitarentur: quæ volui adnotare, indecorum enim est sacræ Scripturæ interpretationem, quæ est totius fidei nostræ basis, sic his temporibus in scholis derelictam & ferè destitutam esse, ut potiùs videatur perfunctoriè, quàm ex professo tradi.

Origenes. Non poterant Hebræi legere aliquas partes S. Script. nisi ubi pervenerant ad competentem ætatem.

§. 9.

De legibus disciplinæ.

Studiosi debent cōtineri legibus.

Scholæ & academiæ parvum fructum afferunt, nisi legibus disciplinæ Studiosi contineantur, non tantùm quoad modum studiorum, sed etiam quoad honestatem vitæ, & virtutum exercitium, ac malorum morum propulsationem: ingenia namque adolescentum fervente adhuc sanguine, in varia vitia ebullire solent, indigentque rigore & industriâ, ut regi valeant. Legibus igitur disciplinæ coërceri debent, quæ eos à vitijs, specialiter temulentia, & ebrietate, gula, libidine, conversatione & societate mala, cohibeant, in omni honestate morum & ingenuitate exerceant, & demùm studijs viriliter vacare compellant. His enim gymnasia & scholæ publicæ constitui solent eo majori fructu, quo leges meliùs industriâ & auctoritate præfectorum observantur. De his superfluum est texere sententias multas; libri enim pleni sunt. Sufficiat sapientissimus Salomon, qui in morigera institutione adolescentum ad sapientiam aspirantium torus est. proverb, 12. *Qui diligit* (inquit) *disciplinam, diligit scientiam, qui autem odit increpationes, insipiens est.* Et Sap. 1. *In malevolam animam non introibit sapientia.* Iterùm & latiùs Proverb. 5. *Fili mi, attende ad sapientiam meam, & prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conservent, &c. nè gemas in novissimu, &c. & dicas: cur detestatus sum disciplinam, & increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, & magistris non inclinavi aurem meam?* Et hæc demùm est hac tempestate studiosorum ruina, dùm effreni suæ juventuti relinquuntur, & tanquam pulli equorum indomiti permittuntur suis ferri passionibus, & in omnia vitia ruere.

A quibus vitijs specialiter coercendi.

Prov. 12. 1. *Sap. 1. 4.* *Prov. 5. 1. 2.* *Vers. 11. 12. 13.*

§. 10.

De peccatis contrà omnia supradicta.

Graviter peccant permittentes libros hæreticos, lascivos, &c. in scholis.

Contrà veritatem, puritatem ac utilitatem doctrinæ peccare graviter convincuntur, qui in scholis vel ex desidia, vel ex dissimulatione permittunt serpere libros hæresi, errore, vel superstitionibus infectos. Item lascivos, fabulosos, & petulantiæ carnis viam sternentes, &c. Quibus peccatis irretiuntur Episcopi, Parochi, Magistratus, Ludimagistri, artium & scientiarum Professores, & ij, quorum est scholis invigilare; sunt enim pueris & adolescentibus ruinæ, & peccatorum multorum causà. Undè sub peccato mortali tenentur, quorum interest, typographorum & bibliopolarum officinas & libros visitare, qui libri in scholis vel doceantur, vel permittantur notitiam habere: magistris etiam ipsis invigilare, ut vera, pura, & utilis doctrina solummodò in scholis permittatur.

Promoventes ad magisterium indoctos, pravis moribus imbutos, &c.

Non minùs peccant, qui magistros indoctos, & pravis moribus imbutos, vel ad magisterium promovent, vel scholis præficiunt. Et si discipuli ex inscitia magistrorum non proficiunt, tenentur ad restitutionem pro damno illis proveniente. Item, si ex malis exemplis, & moribus magistrorum discipuli inficiantur, sunt causa omnium peccatorum, quæ ex hac infectione proveniunt. Magistri etiam, quorum socordiâ & negligentiâ, & in observanda morum & studiorum disciplina remissione, juventus defluxit, rationem reddent in die judicij de peccatis, & perditione eorum, pro quibus solliciti esse tenebantur, præterquàm quòd causa sint omnium malorum, quæ ex dictis reipublicæ eveniunt. Ex præfatis cætera conjice, quisquis conscientiæ puritatem amas, & æquus es arbiter tui.

TRACTA-

TRACTATUS V.

De prima parte tertii officii Regis,*quod est*, defendere potentiâ subditos ab injuriis domesticis, *& personis illi officio deservientibus.*

TErtium officium Regis sive Principis est: ut quos pascit & regit, etiam potestate & virtute ab injuriis defendat & protegat. Duplex autem hîc injuria distingui potest: alia est velut domestica & interna, quam cives ab invicem patiuntur in personis, bonis fortunæ, honore, &c. quarum aliquæ criminales sunt, in quas morte, mutilatione, exilio animadvertitur: aliquæ civiles & politicæ, quæ temporalibus mulctis subjacent. Aliæ porrò injuriæ sunt externæ, quæ à Regibus vel Principibus, vel populis externis inferuntur.

Et quidem à prioribus injuriis domesticis sive criminalibus, sive civilibus Rex populum protegit suis judiciis & tribunalibus, in quibus justitia causarum expenditur, & unicuique jus dicitur, ac vindicta in malos exercetur. Et pro his judiciis & tribunalibus deserviunt *Iudices & Consiliarii, Assessores, Advocati, Procuratores, Tabelliones, satellites, ostiarii*, &c. Quia verò particularius nonnullis personis, velut infirmioribus, protectio est etiam necessaria ad injurias præcavendas, assignati sunt etiam *tutores & curatores* minoribus, pupillis, & orphanis, furiosis, dilapidatoribus, &c.

Ab externis demùm injuriis Rex protegit populum, armis, bello, militiâ, &c. De his per ordinem agendum erit: & 1. de personis, quæ ab iniuriis & iniustitiis domesticis populi defensioni deserviunt.

TITVLVS I.

De personis judiciis & tribunalibus deservientibus; & primò de judicibus.

§ I.

De Iudicum officio, eorumque dignitate.

IUdex propriè dicitur, cui legitimè competit jus dicere, sive petentibus quod justum est decernere & reddere. Ita ferè Isidorus in lib. Ethimolog. ut habetur in cap. *forus*. de verb. signific. *Iudex* (ait) dictus, *quasi jus dicens populo, sive quòd jure disceptet: jure autem disceptare, est juste judicare: Non est ergo judex, si non est in eo justitia.* Porrò judicem constituit auctoritas publica, legitimè in personam vel personas derivata, quæ in nonnullis ordinaria est, in nonnullis delegata.

Iudex quis.

Isidorus Cap. forus

Ex quibus patet judicem propriè respectum dicere ad aliquid quod contentiosum est, sive in quo, vel super quo de justitia disceptatur. Undè bene ibidem: *Forus* (ait) *est exercendarum litium locus à fando dictus, sive à Foroneo Rege, qui primus Græcis legem dedit.* Et partes quidem, ex quibus coalescit forus, recenset; causam, legem, & judicium; ita ut causa sit materia & origo discussionis, sive disceptationis judicialis, lex directio disceptationis, judicium resolutio. Vnde eleganter idem Isidorus: *Dum proponitur* (ait) *Causa est: dum discutitur, Iudicium: dum finitur, Iustitia.* Et prosequens aliorum aliquorum nominum Ethimologias ait: *Negotium dici, quasi neget otium: Iurgium, quasi jurugarrium*, eò quod variè de jure garriatur seu disceptetur: *Lis* verò dicitur quasi *contentio de limitibus*: quæ omnia ibi vide, quia ex terminorum intellectu singularis claritas rei infunditur.

Quid forus

Partes fori.

Isidorus.

Officium itaque judicis est, quæ sunt juris & justitiæ auctoritativè declarare; causis & litibus legis & justitiæ declaratione finem imponere: omnem injuriam contra fas & justitiam tam à Republica, quàm à Civibus & subditis potestate & justitiæ ac juris mediis propulsare.

Officium judicis.

Dignitas porrò Judicum in hoc elucet; quòd non tantùm Regis, sed & Dei locum teneant, & velut Dij hominibus justitiam administrent. Vnde est illud Psal. 81. *Deus stetit in Synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat. Deos appellans* (ait S. Hieron. in Cap. 44. Ezechielis) *qui de hominibus habent judicandi potestatem.* Quòd autem hæc potestas à Deo procedat, docet Salomon Sap. 6. *Quoniam* (inquit) *data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra & cogitationes scrutabitur: quoniam cùm essetis ministri regni illius, non rectè judicastis*: unde Judicum potestas vocatur *Iudicium Dei*.

Tenent etiã locum Dei.

Ps. 81. 1.

S. Hieron.

Sap. 6. 4. 5.

Deut. 17.

Tt 4 § 2. De

§. 2.

De qualitatibus in jure requisitis.

Quatuor potissimùm requiruntur qualitates in judicibus.

Quam scientiam habere debeant. 1. Scientia, sapientiaque experientiæ conjuncta. Porrò scientia talis requiritur, ut norit jus divinum, naturale, & civile, proportionaliter ad causas quæ in suo tribunali proponi solent. Ius quidem divinum ac naturale, quia, ut sæpè dictum est, illa jura sunt omnia juris civilis & humani fundamenta, perversissimque est ex natura sua judicium, in quo jus civile juri divino aut naturali cognito ob aliquam opinionem, vel humanam ratiocinationem præfertur. *Iudicium injustum.* Ius autem civile, proportionatum suo tribunali, quomodo enim discernet de rei veritate, vel juris æquitate, ubi jus ignorat? & quam proferet sententiam, qui disceptationis rationem non penetrat? *Ignorantia sanè judicis* (teste S. Aug. lib. 19. de civit. Dei c. 6.) *plerumque est calamitas innocentis*, ubi & refert ingentia mala, quæ ex hujusmodi ignorantia proveniunt. *S. Aug.* Et S. Basil. homil. 11. in principium Prov. *S. Basil.* *Impossibile namque* (inquit) *non versatum exercitatumque in justis cognitione rem dubiam & in controversia positam bene ac ordine dirigere.* Undè & Iob cap. 29. de seipso: *Pater* (ait) *eram pauperum; & causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam.* *Iob. 29. 16.* Et hæc fuit una ex principalibus instructionibus Iethro ad Moysen Exod. 18. *Exod. 18. 21. 22.* *Provide* (inquit) *de omni plebe viros potentes*, &c. *qui judicent populum omni tempore.* Cujus consilio acquiescens Moyses Deut. 1. *Date* (inquit) *ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris*, &c. *Deut. 1. 13.* ubi per *sapientes* intelligit doctos & in legibus eruditos: per *gnaros*, viros expertos, & in agendis industrios & strenuos.

Quam animi rectitudinem. 2. Qualitas est, Rectitudo animi in alteram partem inflexibilis. Deut. 16. *Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi, per singulas tribus tuas; ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera: quia munera excæcant oculos sapientum, & mutant verba justorum.* *Deut. 16. 18. 19.* Undè iterùm Iethro suprà ad Moysen *Provide tibi viros*, &c. De hac rectitudine præclarè S. Basil. loco suprà citato: *S. Basil.* *Quemadmodùm* (ait) *is, qui sagittam tendens ad metam diriget, nec citrà, nec utrobique errando à via proposita excidet: Ità rectus judex fallit abit, nec in judicando personam accipiet*, &c. Argumentum namque animi benè & indifferenter affecti, est judicando rectitudo. Et quidem ob timorem obliquitatis ab officio judicis repelluntur, qui acceptores personarum sunt, aut de quibus moraliter timetur, nè in personas nimis inclinent, ut consanguinei, amici, & partium singulares patroni, qui muneribus, prece, pretio corruptibiles existimantur. *Ab officio judicis qui repellantur.* Item, qui suis passionibus facilè conturbantur. Denique, quicumque à rectitudine animi facilè dejiciuntur. Undè

Fortitudinem & justitiæ zelum. 3. Qualitas est, fortitudo & justitiæ zelus, juxtà illud Eccli. 7. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: nè fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua*, &c. *Eccli. 7.* De hac etiam fortitudine Iob suprà: *Iustitià* (ait) *indutus: & vestivi me, sicut vestimento & diademate judicio meo. Infrà: Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* *Iob 29. 14*

4. Qualitas est, pietas & charitas ad proximum, ut nimirùm causas habentes suscipiant, & audiant, omnibus æquanimes sint, eorum lites promoveri opportunè provideant, ergà viduas, orphanos, pupillos, & miseras personas, ubi æquitas postulat, se patres ostendant. *Item quam pietatem & charitatem ergà proximum.* Hæc omnia ex Scriptura passim colliguntur. Iob 29. *Iob. 29. 11. 12.* *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi: Eò quòd liberâssem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum*, &c. Undè & monet Psaltes Ps. 81. *Psal. 81. 3. 4.* *Iudicate egeno & pupillo: humilem & pauperem justificate. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Et Eccli. 4. *In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum.* *Eccli. 4. 10* Isaias 1. *Discite benefacere: quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam*, &c. *Isa. 1. 17.* Aliæ qualitates, ut puritas animi, timor Dei, misericordia, &c. continentur sub quatuor prædictis.

§. 3.

De obligationibus & peccatis Judicum.

Obligationes judicum ex dictis deducuntur. 1. enim obligantur ad debitam legum scientiam, & causæ diligentem investigationem. *Præcipuæ judicum obligationes.* 2. ad animi rectitudinem, ut in causis dijudicandis, nec amore, nec odio, nec timore, aut cupiditate moveantur, sed ab omni passione liberi solam justitiæ veræ rectitudinem in Deo respiciant. Undè S. Greg. seu, ut alij, Isidorus allegatus à Gratiano 11. q. 3. c. *Quatuor.* *S. Greg. sive Isidorus c. Quatuor.* *Quatuor* (ait) *modis pervertitur humanum judicium, timore, dùm metu potestatis alicujus veritatem loqui pertimescimus: cupiditate, dùm præmio animum alicujus corrumpimus: odio, dùm contrà quemlibet adversarium molimur: amore, dùm amico vel propinquo complacere contendimus.* Et ibid. c. *Quicunque* S. Hieron. *S. Hier. c. Quicunque.* *Quicunque aut consanguinitate, aut amicitià, & econtrario vel hostili odio, vel inimicitiis in judicando ducitur, pervertit judicium Christi, qui est justitia, & fructum illius vertit in amaritudinem.*

3. Obligantur ad animi fortitudinem & strenuitatem tam in disquisitione, quàm in judicio, & ejus executione. Vide suprà in 3. qualitate. 4. Obligatio est, æquanimitatem ad omnes servare, ut suprà in 4. qualitate. 5. Obligatio est, si judex se insufficientem sentiat, aut suspicetur, quòd adhibeat justos & doctos assessores, supplere enim tenetur, quod in hac re sibi deesse sentit, & assumere tales, quos putat sua rectitudine, consilio, & auxilio defectus, qui evenire possent, suppleturos. Bene super his monebat Psaltes Psalmo 57. *Si verè utique justitiam loquimini, recta judicate filij hominum. Etenim in corde iniquitates operamini: in terra injustitias manus vestræ concinnant*, &c. *Psal. 57. 2. & 3.*

Et

Psal. 81. 2. Et Psal. 81. *Usquequò judicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis.* In quibus iniquitatem judicare non est aliud, quam iniquè judicare, sive judicando iniquitatem committere: quas iniquitates graviter Scriptura commemorat Isaiæ 1. Isai. 1. 23. *Principes tui infideles, socij furum: omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non judicant: & causa viduæ non ingreditur ad illos,* &c. Isai. 5. 20. Et c. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Infrà: Vers. 23. *Qui justificatis impium pro muneribus, & justitiam justi aufertis ab eo.*

Manus judicatoria prosequitur judicii. Ut autem sub compendio peccata, quæ in judicando à judicibus committuntur, meliùs appareant, pono hic *manum judicatoriam*, de qua S. Antoninus 2. p. tit. 2. c. 10. §. 10. *Octava* (inquit) *est manus injustè judicatoria*, cujus ponit quinque *digitos*. *S. Antonin.*

Peccant mort. proferentes injustam sententiam ex malitia. Tenentur restituere. Primus *Digitus* est *aperta malitia*, sive injustæ sententiæ scienter & ex certa scientia prolatæ, sive proveniat ex amore, odio, corruptione per pecuniam, sive aliundè. Talis enim judex falsam & injustam sententiam pronuntians, aut pronuntiari permittens, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem totius damni parti læsæ. Ratio est, quia verè causam dat damni, & parti infert scienter injustam læsionem.

Ex crassa vel affectata ignorantia. Secundus *Digitus* est *ignorantia*: sinimirùm ex ignorantia crassa vel affectata proferat sententiam injustam; peccat etiam tunc mortaliter & ad restitutionem damni tenetur. Ratio est: quia cùm sciat, aut scire debuerit se ignorantem, non debuit, nec potuit licitè se judicijs intromittere; hoc ipso enim quo se judicio immiscuit, periculo se exposuit, & damno causam dedit. Excusaretur tamen, si adhibito assessore sufficientis scientiæ injustitia ex parte assessoris provenisset.

Ex negligentia. Tertius *Digitus* est *negligentia*, cùm scilicet injustam sententiam protulit ex eo, quòd discussionem, aut examen debitum causæ neglexit, sive fuerit negligentia studij, sive inquisitionis, auditionis & informationis debitæ adhibendæ; sive dilationis nimiæ, ob quam testibus mortuis probationes sive defensiones veræ justitiæ parti defuerunt; sive nimiæ præcipitationis, ob quam causæ plena discussio facta non est; sive ex alijs similibus causis. Et in his casibus præter peccatum mortale, quod incurrit, etiam ad damnum restituendum judex obligatur. Extrav. de injur. & dam. da c. *Si culpa.*

Ex corruptione. Quartus *Digitus* est *corruptionis*; ut si permittat se judex corrumpi prece, vel pretio, muneribus, obsequijs, aut alijs quibuscumque, ex quibus sequitur injusta sententia. In quo casu & peccati mortalis reus est, & ad restitutionem eorum, quæ accepit, & ad damni compensationem obligatur; his enim omnibus injustitijs causam donat.

Injustè recusans dare sententiam. Quintus *Digitus* est *injustæ refutationis*: cùm nimirùm, etsi possit & debeat, sententiam tamen dare non vult, aut non nisi interlocutoriam, aut injustè ad aliud tribunal transfert, nè damnum, quantumvis justum, pars, quæ condemnari debet, accipiat: immò in re clarissimè justa ad compositionem cogit, sub prætextu alicujus dubij eventûs, qui reverà non subest, aut tantùm imaginarius est.

Et hæc sunt ferè peccata, quæ judices directè concernunt, quamvis non desint alia, quæ conabor etiam in procinctu enucleare, & suprà de illis iterum egimus tomo 2. tract. 6. tit. 3. q. 1. §. 2. dub. 3. per totum.

TITULUS II.

De judicij substantia & veritate, ejusque partibus.

Ad majorem & magis distinctam eorum, quæ defensionem sive protectionem populi ab injurijs concernunt, cognitionem, operæ pretium duxi, præcipua, quæ ad judicij substantiam & veritatem, ac ejus partes pertinent, compendiosè sequentibus quæstionibus exponere, etsi id ad jurisconsultos magis pertineat.

QUÆSTIO I.

Ex quibus judicium substantialiter constituatur.

CONCLUSIO UNICA.

Judicium constituitur substantialiter quatuor actionibus: quatuor personis, sive quasi personis & quatuor velut fundamentis. *Judicium substantialiter constituitur: 4. Actionibus.*

Quatuor actiones sunt: *Propositio legitima causæ, Ejusdem causæ discussio plenaria; Iudicium sive sententiæ prolatio; Executio illius.*

Quatuor personæ sunt: *Iudex; Accusator,* sive *Denuntiator; Reus; Testes,* vel *quasi testes.* *4. Personis.*

Quatuor velut fundamenta sunt; *Veritas in re; Iustitia in decisione; Bonum publicum in intentione; Auctoritas & obedientia in executione.* Hic primò tantùm agemus de actionibus. *4. velut fundamentis.*

Propositio causæ legitima, tripliciter fieri potest: denuntiatione, accusatione famâ comuni. *Propositio causæ fit tripl.*

Denuntiatio est relatio causæ sive criminis ab aliquo facta judici, in ordine ad aliquod malum avertendum, vel bonum promovendum, absque tamen obligatione probandi, sed tantùm ut fiat debita acquisitio. Ex. gr. Denuntio judici aliquam proditionem, devastationem aliquorum agrorum, furta, rapinas, quæ à nonnullis fiunt, ut provideat judex, prout jure vel ex officio tenetur. *Denuntiatio quid.*

Accusatio est juridica delatio alicujus personæ ad judicem, in ordine ad vindictam, cum obligatione probandi; & quidem in civilibus ad pœnam temporariam, in criminalibus ad mortem, &c. *Accusatio quid.*

Fama communis nihil est aliud, quàm insinuatio clamorosa super crimine, sive delicto, aut personis delinquentibus, ad aures judicis delata, quæ illum compellit ad juridicam inquisitionem. Dicitur (clamorosa) eò quòd ad aures judicis sæpiùs deferatur, & velut clamet; non enim sufficit semel audivisse, *Fama communis quid.*

Suppo-

Supponitur autem communiter apud multos fama illa sparsa credibiliter, & quidem à viris honestis, probis, & non malevolis; aliàs fama non est, sed tantùm rumor; nec insinuatio censetur, quia si à malevolis, improbis, vel aliàs nullius fidei hominibus procedat, credibilitet non insinuatur, adeoque contemni debet, nec insinuationis nomen meretur.

Discussio causæ quid requirat. *Discussio causæ* quoad substantiam requirit citationem debitam, sive auditionem rei, examen causæ & personatum, quæ ad causam concurrunt, tempus & opottunitas sufficiens data reo ad sui defensionem, & utrique parti ad debitas probationes, & alia quæ ad certam causæ notitiam pertinent ex natura rei, vel circumstantijs

Quid judicium. *Iudicium, sive prolatio sententiæ* requirit duntaxat præambulam causæ discussionem, substantialiter & integrè completam.

Quid executio. *Executio* non requirit nisi juridicum mandatum & obedientiam.

QUÆSTIO II.

An ad judicium præter ea, ex quibus substantialiter constituitur, alia concurrant, & quomodò?

CONCLUSIO UNICA.

Accessoria judicij qui ad illud spectent. *MVlta in judicijs civilibus criminalibusque jure communi superaddita sunt, quæ quidem ad judicij quandam solemnitatem & accidentalem perfectionem ordinantur, tamen de juris substantia non sunt, ità ut absque ijs justitia judicij consistat.*

Accessoria illa quæ. Talia sunt: Quòd judicia & actiones forenses in diebus feriatis aut nocte non fiant: Quòd judices in loco judicij in cathedra sedeant: Quòd formalitates aliquæ in citationibus, dilationibus, sententijs interlocutorijs occurrentes serventur. Quòd modi quidam in testibus interrogandis & contestandis adhibeantur. Denique quidquid juri divino naturali, vel juri gentium à jure civili superadditum est, sine quibus veritas causæ probari & constare omninò potest, & de facto interdùm constat, judicio accessorium est. Undè à Principibus & Regibus sæpiùs ad terminandas sinceriori puritate causas conceditur judicibus, ut causas aliquas & lites terminent, procedendo *simpliciter & de plano: Absque strepitu judicij: Sine figura judicij: Summariè: De facto: Absque solemnitatibus: De bono & æquo: Apicibus & rimulis juris prætermissis.* Quæ omnia explicantur à S. Antonino 3. p. tit 9. c. 15. ubi per *simpliciter*, excludit malitiosas & dolosas protelationes & dilationes. Per *processum de plano*, excluduntur formalitates quædam in libellorum formatione, modo respondendi, comparitionibus nonnullis; ità tamen ut quod planæ & integræ investigationis est, ad sufficientem notitiam observetur. *Absque strepitu judicij*, excluduntur garrulæ contestationes, cavillationes, sophisticationes advocatorum & procuratorum. *Absque figura judicij*, id est absque ijs, quæ tantùm ad figuram & apparentiam quandam externam addita sunt: per ly *Summariè*, intelligitur, quidquid in summa vel compendio ad judicij substantiam spectat. *De facto*, id est, exclusis illis, quæ ad rationem facti non spectant, sed merè extrinseca sunt. *Absque solemnitatibus juris*, id est, solemnitatibus, quæ potiùs ut ceremoniæ quædam dignitatem judicij commendent, quàm veritatem afficiant. *De bono & æquo*, id est, servando ea, quæ rationi, bonitati, & æquitati conveniunt. *Apicibus & rimulis juris prætermissis*, id est, subtilitatibus & punctualitatibus ac formulis nonnullis, quæ etsi aliquid utilitatis interdùm habere possint, necessariæ tamen non sunt. Undè generaliter per istos terminos excluduntur, quæcunque ad substantiam judicij non spectant.

Antonin. Procedere simpliciter quid.
De plano.
Absque strepitu judicij.
Absque figura judicij.
Summariè.
De facto.
Absque solemnitatibus juris.
De bono & æquo.
Apicibus & rimulis juris prætermissis.

QUÆSTIO III.

An semper teneatur Iudex servare apices & accessoria judicij, in judicio communi & publico?

Accessoria cur ordinata. HIc advertendum est, quòd etsi accessoria juris & judicij benè & sanctè ordinata fuerint, tùm ut modo melior in judicando servaretur, tùm ut veritas majori discussione & longiori examine ventilata clarior appareret: tùm ut fraudes & doli opportunè detegerentur: tùm ut reis æquitas ipsa clariùs innotesceret: tùm ut dignitas judicij ex ceremonijs & solemnitatibus adjunctis cum majori reverentia susciperetur: nihilominùs procurante omnis boni inimico Satanâ, ea, quæ jus civile pro majori pace & utilitate juri divino naturali & gentium in judicijs adjunxit, modò in ruinam potiùs justitiæ cesserunt, & seminaria facta sunt omnis injustitiæ & iniquitatis, & decipulæ & laquei simplicium ac humanæ sinceritatis. Et hoc quidem triviale est, licet lacrymis sanguineis deplorandum, causas hoc tempore justissimas injustissimè deperdi, pauperes opprimi, justos suis bonis spoliari, eò quòd formalitas aliqua accessoria, modus purè ad veritatem impertinens, ordo à rei substantia alienus, solemnitas aliqua vel ceremonia dolo, fraude, negligentiâ, partis præventione, vel similibus causis non fuerint servata, etsi a parte rei justitia constans appareat: ità ut processus procuratorum & advocatorum modò plùs in istis formalitatibus consistat, quàm in doctrina & illusionibus, quàm in veritate & justitia; ut aptè in hæc etiam tempora cadant illa Prophetæ Ieremiæ c. 5. *Circuite* (ait) *vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei*, &c. Et ostendens undè veniat hoc malum, Vers. 26. *Quia inventi sunt* (ait) *in populo meo impij insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros.* Et ut ex signis illi cognoscantur, prosequitur: *Sicut decipula plena avibus, sic domus eorum plena dolo; ideò magnificati sunt & ditati. Incrassati sunt & impinguati; & prætericrunt sermones meos pessimè.* Et demùm specificans delicta, ut ex illis appareant: *Causam*

Abusus ex eis proveniens.
Ier. 5. 1.
Vers. 26.
Vers. 27.
Vers. 28.

vidua

vidua (ait) *non judicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & judicium pauperum non judicaverunt,* &c. Nota verba: *causam non judicaverunt:* tot enim tricis & punctis ac formalitatibus illam involvunt, ut justitia causæ & judicij apparere non possit. Iterùm: *causam pupilli non direxerunt,* eò quòd potiùs in dilationes, exceptiones, tergiversationes, adinventiones à scopo illam abduxerunt, ut tandem substantia pupillorum consumatur, & vel in sumptus processuum evaporetur, vel in bursas procuratorum abeat. Nota tandem: *judicium pauperum non judicaverunt,* in hoc autem distinguuntur: *causam non judicare: & judicium non judicare,* quòd illud denotet dolos & fraudes in causæ substantia positas: hoc autem in judicij apicibus & rimulis. In quibus verbis tria indicantur, quæ ad rectum judicium necessaria sunt. 1. ut causæ substantia in judicio attendatur, non accidentia. 2. ut omnia ad finem ex natura judicij intentum ordinentur, & subdolis inventionibus abduci ad accessoria non permittantur. 3. ut invigiletur, nè apices & rimulæ juris substantiam judicij ipsamque justitiam destruant. His sic prænotatis, sit:

Ad rectum judicium tria necessaria.

CONCLUSIO I.

Accessoria ex sui institutione non contravenisse juri divino naturali, vel gentium.

I*Us civile in constitutionibus variorum modorum, apicum, formalitatum in judicijs, ità intendit judiciorum integritatem servari, ut nullatenùs voluerit juri divino vel naturali, vel juri gentium primario contraveniri.* Hæc conclusio ex natura sua clara est: quæ enim à jure civili addita sunt, in protectionem vel remedium contrà multas falsitates, deceptiones, dolos, & iniquitates supponuntur addita: nam aliàs injusta & injuriosa esse convincerentur; quidquid enim juri divino & naturali, ac juri primario gentium contradicit, fundamentali Dei justitiæ ac primæ veritati, ex quibus dicta jura immediatè promanant, contradicit, ac consequenter injustum est. Undè est illud axioma: *Quod propter justitiam vel charitatem ordinatum est, non potest contrà justitiam vel charitatem militare:* manifestum est autem, formalitates juris institutas pro conservatione justitiæ contra justitiam militare, si contrà jus divinum vel naturale, aut institutæ essent, aut assumerentur.

CONCLUSIO II.

Qui reducenda si videntur contravenire.

S*I quæ constitutiones juris civilis specietenùs videantur juri divino vel naturali aut primario gentium contradicere, reducenda & justificanda sunt ad aliquod objectum vel circumstantiam juri naturali vel divino conformem; quodsi reduci nequeant, de injustitia convincuntur & corrigenda sunt.* Explico: Multa sunt in jure civili, quæ videntur in damnum subditorum & privatorum redundare, immò interdùm in mortem innocentis; jura illa justificantur in eo, quòd bonum publicum & reipubliæ in casu sit præferendum privato: & unum membrum etiam sanum debeat exponi, ut corpus salvetur: item, quod non est licitum lege communi, necessitas licitum facit, &c.

CONCLUSIO III.

Ad ea non tenetur judex, dùm ex eis videret justitiam periclitari.

I*Udex non tenetur ad formalitates, modos, vel apices juris, & ad accessoria quævis civili jure introducta, in casibus, in quibus animadverteret ex eorum observantia justitiam & veritatem periclitari.* Ex. g. videt à procuratoribus, advocatis, vel partibus quæri inutiles citationes, dilationes, exceptiones, frustrationes, & alias formalitates, sive ceremonias, ad dolos, fraudes, vel falsitates & machinationes injustas causæ inferendas: potest, & debet illa negare, restringere, tollere impedire, & solâ substantiâ juris servatâ causam decidere & definire.

Debet curare quæ sunt juris divini & naturalis.

Ratio est: Quia accessorium non debet destruere principale; & cùm judex primariò sit minister Dei, quæ sunt juris divini & naturalis primò curare debet, & jus Dei ac naturale juri civili prætenso præponere. Et reverà nullius legislatoris mens esse unquàm potuit, ut quæ pro justitiæ conservatione instituta sunt, in justitiæ ruinam retorquerentur. Et judicis est, tribunalis & curiæ suæ abusus retundere, & si in suis subministris vel personis ad judicium concurrentibus iniquitatem videat, illos corrigere. Undè Exodi 23. *Non suscipies vocem mendacij,* &c. *Nec in judicio plurimorum acquiesces sententia, ut à vero devies,* &c. Iudex verò censeretur vocem mendacij suscipere, si meditantes dolos & fraudes, sub prætextu formalitatum & apicum juris, advertens dissimularet, & formalitatibus illis accessorijs, sub quibus dolos advertit, locum præberet. Undè iterùm cùm sequi pluralitatem votorum in consistorio sit quædam formalitas juris, nihilominùs Deus illam sequi prohibet, ubi apparet pluralitatem deviare à veritate. Quod advertere debent judices & præsides conciliorum; cùm enim aliquam in multitudine consiliariorum deprehẽdunt falsitatem & injustitiam, illorum est pro veritate cognita decertare, juxtà illud Eccli. 4. *Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.*

Exod. 23. 2.

Eccli. 4. 33

Quid si inde incurreret suspicionem injustitiæ.

DICES: Hac ratione posset judex incurrere suspicionem injustitiæ, vel via aperiri injusto judici ad injustitias multas, ob prætextum libertatis, quam habet non servandi formalitates juris & judicij.

Non tam facilè illa hîc oriunt.

Respondeo: Nihil esse tam sanctum, quin contrà illud malitiosè suspicio aliqua adinveniri possit: hîc autem non agi de ordinario & communi procedendi modo in judicijs, sed tantùm in casibus particularibus, & suppositâ notitiâ, vel gravi suspicione malitiæ, sub observatione apicis & formalitatum juris: in casibus autem illis singularibus non venit ratio justæ suspicionis injustitiæ. Addo judicem suâ industriâ & prudentiâ ac fortitudine posse facilè ejusmodi suspiciones eluere, & dolos ac fraudes per aliquam immutationem in formalitatibus eludere. Nec debet moveri dicterijs plebeculæ, aut partis adversæ, ubi suæ ratio-

Non debet moveri dicterijs plebeculæ.

Dei, quàm legibus civilibus, aut veritati potiùs, quam mendacio. Vide quæ diximus tom. 2. tract. 6. tit. 3. q. 1. dub. 2. in 2. resolut. ubi iterùm hanc quæstionem eodem modo resolvimus.

Responde-tur ad locum Deut.

Ad fundamentum contrariæ opinionis jam responsum est. Ad Scripturam ex Deuteronomio allatam clara est responsio: non enim dicit omnes per duos aut tres testes nocentes probatos debere aut posse occidi, sed neminem occidi posse, nisi probatus sit per duos aut tres testes mortem demeruisse; aut certè intelligenda est ex natura rei conditionalis sive suppositiva, si veri testes sint, & verè probaverint: quomodò etiam intelligenda est illa universalis: Iudicem debere judicare secundùm allegata, & probata, si nimirùm verè sint probata, & non sophisticè, & per dolosas vel ementitas allegationes. In hoc autem casu constat allegationes, sicut & probationes, esse falsas & sophisticas, cùm de veritate contraria illi constet.

Item ad verba Ambr.

Ad verba D. Ambrosij idem dicendum est: S. Ambrosium supponere non aliud judici constare, quàm quòd à testibus & accusatoribus proponitur: in casu autem nostro constat proposita esse falsa, & idcircò non censeri probata.

Item ad id quod dicis mortem innocentis non judici, sed legi, &c. imputandam.

Quòd verò contraria sententia conetur judicem innocentem sibi cognitum condemnantem excusare a peccato, quia non ipse, sed lex, aut accusatores & testes illum condemnant, in promptu est responsio; legem, cùm sit muta, in casu non expresso debere epikeiæ & interpretationi judicis subjacere, nec (ut docuimus) legem civilem posse intelligi, aut interpretari contrà legem divinam & naturalem, quæ innocentis mortem prohibet. Iudicem etiam teneri eripere innocentem agnitum de manu calumniatorum, & quantum in se est, impedire sibi cognitum peccatum accusatoris & testium.

PETES. Quomodò igitur se geret judex in tali casu?

Debet judex conari falsitatem detegere per diligentius examen testium.

Respondet Lyranus noster 1. *Debet testes diligentiùs examinare, ut eorum falsitas deprehendatur*, quod quidem non inutiliter fieret, si industriæ adhiberentur, quales adhibuit Daniel, dùm Susannam à mortis pœna eripuit: in hoc enim casu potest & pars innocentis de nonnullis à judice instrui, ad evertenda testimonia & machinationes adversariorum, potest & curare secretò carcerem aperiri, ut innocens fugiat, possunt & alia occurrere media oportuna juxta rationem temporis & circumstantiarum.

Innocentem ad superiorem judicem remittere, &c. Aliàs officium dimittere.

2. Addit Lyranus: Si non potest testium falsitatem deprehendere, debet innocentem ad superiorem judicem remittere, & eum de falsitate sibi nota informare. Quòd si superiorem non habeat, arbitratur doctissimus Lyranus potius debere judicem dignitatem & officium dimittere, quàm innocentem ad mortem condemnare,

S. August.

argumento S. Augustini l. de lib. arb. sic loquentis: *Quomodò apud divinam providentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde polluti sunt?* q. d. nullo modo.

Lyranus.

Undè argumentatur Lyranus: *Per res* (ait) *contemnendas intelligit Augustinus omnia illa, quæ homines invitè amittere possunt, inter quas est vita corporalis, & multò fortiùs divitiæ & dignitas temporalis quæcunque & potestas judicandi, secundùm quod dicitur* Iob 2. *Cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua, id est, pro corporali vita tuenda.* Et tandem infert: *Ideò si judex quantumcunque superior non possit invenire viam liberandi innocentem à morte, debet priùs dignitatem & officium judicandi dimittere, quàm sententiam mortis contrà innocentem ferre, aliter peccatum non evaderet.* Vide latè Leonard. Lessium l. 2. de Iustit. & Iure c. 29. dub. 10. de his differentem.

Iob. 2. 4.

Lessius.

CONCLUSIO II.

Non licet etiam id judici facere in puro civilibus.

Nec licet judici in civilibus ferre sententiam contrà aliquem, à cujus parte certò & indubitatè novit justitiam stare, etsi allegata & probata à parte adversaria contrarium convincant.

Ratio mea est: Quia judicium injustum ex natura sui & omnibus legibus illicitum est; tale autem judicium, etsi ex allegatis & probatis videatur justum, à parte rei tamen injustum est, nec aliquâ lege justificari potest.

Responsio Lessij in contrariū.

Respondet Lessius, ubi suprà, qui in civili causa nobis est contrarius: rempublicâ sententiam justificare ex eo, quòd ad salvandas leges comunes judiciorum civilium possit disponere de bonis fortunæ suorum civium, ob publicum bonum, hîc autem interest publico bono, ut leges civiles judiciorum & tribunalium serventur, quantum fieri potest, illibatæ, nè videantur cum publico scandalo judicia perverti.

Improbatur.

Respondeo ego è contra: non sufficere quòd magistratus habeat potestatem disponendi de rebus fortunæ suorum subditorum pro publico bono, sed oportet probare in casu, vel quæstione proposita, esse publicum bonum, & condemnationem justi aut innocentis in materia civili posse esse bonam, & in utilitatem publicam cedere, & posse rem per se injustam justificare. Quinimò è contrà assero, hujusmodi sententiam contrà rei veritatem & justitiam prolatam omninò injustam & malam esse, quia & leges Dei & leges civiles perturbat, ac legibus civilibus contradicit: pro quo

Principalius intentum legum civilium est veritas & justitia causæ.

Advertendum est: Priùs & principaliùs leges civiles intendere veritatem & justitiam causæ, quàm illius per ventilationes judiciales probationem; priùs est enim esse justum, quàm probari justum, nec probatio requiritur, nisi dubio aliquo superveniente. Itaq; cùm judici certò de justitia constet, & consequenter de falsitate allegationum & probationum ipsi nulla supersit dubitatio, judex non potest justitiam sibi certò notam condemnare, & mendacium (de quo sibi constat) per juridicam sententiam approbare; hoc enim est legem Dei & legem civilem perturbare, & animam legis, quæ est veritas, auferre. Undè negandum planè est; juris civilis præceptum esse, simpliciter ex allegatis & probatis judicare; sed tantùm ex supposito, quòd allegata & probata sint vera, & pro veris à judice habeantur; hîc verò nec à parte rei sunt vera, nec à judice pro veris habentur. Nec talis sen-

tentia publico bono legum deſervire poteſt, cùm contra legis & legiſlatorum mentem per illam falſitates & fraudes ac injuſtitiæ in publica tribunalia viam ſibi faciant, quæ publico magis bono repelli & propulſati ab illis debent. Nec refert quòd forte ex his aliqui ſcandalizabuntur: quia quamvis neceſſum ſit, ut aliquandò veniant ſcandala, væ tamen homini illi ſolùm dicitur, per quem ſcandalum venit; hic verò non cenſetur per judicem ſcandalum venire, ſed per eos, qui judicio (quod ſanctum haberi debet) falſitates ſuas ingeſſerunt. Denique in materia legum & judicij fundamenta nuper allata ſervanda primariò ſunt; nimirùm veritas in re, juſtitia in cauſæ deciſione; hîc autem & falſitatem in re, & injuſtitiam in cauſæ deciſione ſubeſſe manifeſtum eſt, quas nullus juſtificare poteſt, niſi fortè prætextu illius axiomatis: Quod ad majus malum vitandum interdùm minora mala permittenda ſint. Iudicet autem æquus arbiter, an ſit minùs malum fraudes & dolos contrà juſtitiam permittere, quàm illis quovis modo poſſibili ſe opponere, ut propulſentur.

Quid ſi ex illo facto judicis aliqui ſcandalizentur.

PETES: Quomodò ergò ſe judex geret?

Reſp. Non deerunt induſtriæ à Domino, quæ Danieli puero inſpiratæ ſunt, per examina, diverſiones, dilationes, imò & juſtas ſuſcitaciones cauſarum, quæ viam facient ad diſcooperiendas fraudes: & nullo medio occurrente, etſi non teneatur tanto ſuo damno judex deponere officium, poteſt tamen illum actum ſententiæ ferendæ pro ſua conſcientia declinare.

Varijs modis poteſt judex declinare lationem illius ſententiæ.

Arguunt hîc nonnulli: Quòd ſi judex hoc faciat, eum facto ſuo partem probantem infamare, & falſitatis notam ei inurere. Reſp. Non eſt judex cuſtos famæ eorum, & occurrente caſu, in quo aut debeo ſervare proximi famam, aut debeo ſervare conſcientiam meam illibatam, poſterius debeo facere priori neglecto: qui caſus in hac contingentia occurrit.

Quid ſi inde pars probans diffametur.

Quia verò fundamentum aliqui ſumunt ex bonis fortunæ, quæ ſubjacent pro publico bono diſpoſitioni magiſtratûs. Peto: Quid ſi in cauſa civili agatur de honore & infamia? In hoc certè caſu effugium illud ruit, quia nec rex, nec princeps, nec magiſtratus in ullo caſu dominus eſt famæ & honoris mei.

Inſtantia contrà fundamentum Leſſij.

Concludendo itaque omnia dico: axioma commune juris, judicem teneri judicare & ſententiam ferre ſecundùm allegata & probata, dupliciter interpretari debere. 1. In ſenſu affirmativo, nimirùm teneri judicare ſecundùm allegata & probata, ſi verè ſint probata, & probationi ſubſit veritas, aliàs non cenſentur, nec juxtà rei veritatem ſimpliciter probata, nec juxtà legis intentionem, aut juris præſcriptum, quod falſitatem intendit excludere, & ſupponit primò & per ſe veritatem, ſive probationes niti veritate. 2. In ſenſu negativo, ſcilicet, judicem non poſſe ſententiam ferre, niſi causâ ſufficienter examinatâ & probatâ. Neuter autem ſenſus favet falſitati, aut condemnationi à parte rei injuſtæ.

Iudicem debere procedere juxta allegata & probata, dupliciter debet intelligi.

QUÆSTIO V.

Quæ requiratur probabilitas in judicio, ſive ad illud ineundum, ſive ad ſententiæ prolationem.

DE vera probabilitate opinionum latiſſimè egimus tomo 1, tract. 5 tit. 5. per totum, nec dictis ibidem aliquid ſuperaddere poſſumus, ideoque Lectorem illuc remittimus, ſi de probabilitate opinionum benè & plenè informari velit. Hîc itaque tantùm agendum nobis eſt de probabilitate opinionis, quatenùs judicio humano fori externi deſervit.

Antè reſolutionem tamen prænotandum eſt 1. Duplicem hîc debere diſtingui probabilitatem: Alia enim eſt probabilitas Theologica, & fori interni: Alia probabilitas juriſprudentiæ & fori externi. Probabilitas Theologica & fori interni nihil eſt aliud, quàm conformitas ad leges divinas ſive naturales ſive poſitivas, & præcepta charitatis Dei & proximi; prout explicavimus fuſiſſimè to. 1. loco allegato.

Duplex probabilitas.

Theologica.

Probabilitas autem Iuriſprudentiæ & fori externi eſt conformitas ad leges, decreta, canones ac conſtitutiones in legibus civilibus vel canonicis relatas. Et quamvis ad juſtitiam legum etiam civilium requiratur, ut ſint conformes legibus divinis & præceptis univerſalibus charitatis Dei & proximi, nihilominùs hæc conſideratio non pertinet ad juriſconſultum ex vi ſuæ profeſſionis, ſed ſufficit illi conſiderare conformitatem ad ipſas leges civiles, ut probabiliter in cauſis clientum procedere poſſit, niſi tamen aliundè conſcientia & homo internus reniteretur, ut in quæſtione præcedenti de condemnatione innocentis.

Iuriſprudentia.

Prænotandum 2. Ad probabilitatem juriſprudentiæ non ſufficere opinionem conformem eſſe verbis, ſive ſono verborum legis vel conſtitutionis, aut poſſe verba ad illam trahi, & ſæpè contorqueri; ſed conformitatem illam attendendam eſſe penes tria, quæ in omni lege attendenda ſunt. 1. Penes voluntatem & intentionem legiſlatoris, quæ eſt anima legis. 2. Penes legem ipſam & ſubſtantiam legis. 3. Penes finem ad quem lex ordinatur: parum enim eſt, quid verba mortua ſonent, ſi conſtet de voluntate & intentione legiſlatoris contraria: item, quid verba ſonare poſſint, niſi ſecundùm ſubſtantiam legis ſonent; demum, qualiter verba interpretati valeant, ſi finis legis aliud demonſtret.

Hæc debet attendi penes tria.

Prænotandum 3. Aliam probabilitatem requiri ad concludendam, ſive definiendam cauſam; aliam ad inchoandam ſive ineundam. Ad ineundam enim ſive inchoandam cauſam ſufficit probabilitas quævis, probabilibus rationibus vel auctoritate gravium Auctorum innixa; ad concludendam autem cauſam requiritur, ſi poſſit haberi, vel ſcientia certa, vel opinio, quæ videtur certitudini magis appropinquare. Cujus diſtinctionis ratio eſt, quia cauſa in inchoatione dubietatem aliquam juris præſup-

Ad inchoandā cauſam quæ ſufficiat. Quæ ad finiendam.

ponit; si enim in alterutram partem certitudo manifesta foret, non esset materia litis aut altercationis; cùm autem causâ jam sufficienter ventilata est, vel supponitur certitudo juris & justitiæ per ventilationem jam acquisita, vel saltem cognoscitur, quæ pars ad certitudinem magis inclinet. His prænotatis, sit

CONCLUSIO I.

Illicitum est inchoare processum sine opinione probabili.

NOn licet ulli contestari litem, vel inchoare processum adversùs quemcunque, nisi sub opinione probabili, seu probabiliter apprehensa, fundata rationibus substantia legis, aut ejus intentioni, sive etiam fini per leges intento, putatis conformibus, aut auctoritate sive testimonio gravium Doctorum firmatu.

Ratio est: Quia aliundè opinio probabilis non est, ut in 5. prænotato ostensum fuit; & qui aliter litem sive causam contestatur, contrà jus & conscientiam contestatur, ac parti injuriam facit, tùm quia sine probabili titulo illum vexat, tùm quia in injustas expensas partem præcipitat; cùm causa verè dubia non reputetur, nisi quia in utramque partem ex opinionibus probabilibus ventilari potest.

Peccant causidici assumentes causas improbabiles, ofte actores postulent.

Ex qua conclusione infero 1. Non tantùm privatis, sed etiam reipublicæ gravissima damna inferre causidicos, ac multis peccatis se intricare. 1. Qui omninò improbabiles causas quascunque in se defendendas suscipiunt lucri cupiditate, nec sufficit quòd ad instantiam & postulationem Actorum id præstent, etiam post monitionem de improbabilitate causæ: peccant enim injustam causam defendentes, & justitiam periculo exponentes, ac partem contrariam in injustas molestias & sumptus inducentes, ad quorum restitutionem tenentur.

Mutilantes & interpretantes verba legum contrà sensum &c. legis.

2. Gravissimè peccant, qui suo ingenio fidentes scripta multa faciunt, verba legum contra legis sensum, finem & intentionem legislatoris, scientes interpretantes, aut verba diversorum textuum præscindentes, decurtantes, alterantes, & in adversum sensum trahentes, ac plane corrumpêtes, ut ex ijs verisimilem aliquam defensionem, actionem, aut responsionem, sive rescriptum componant, & mendacia pro veritate vendicent, in injuriam totius juris & justitiæ.

Tres frequenter errores in scripturis causidicorum.

Super quo, candide Lector, te monitum volo, ut in scripturis illis jurisperitorum & causidicorum advertas tam ad rationes legum, quàm verba, quæ ex varijs textibus citantur, & invenies non rarò tres potissimùm errores, nimirùm: citationes erroneas, verba decurtata, vel in alium sensum contorta, similia dissimilibus applicata, quæ si penitùs non attendantur, & cum textibus juris conferantur, facilè decipiunt.

Nuda auctoritas Doctoris non facit opinionem probabilem in conscientia.

Dixi autem in conclusione (*aut auctoritate sive testimonio gravium Doctorum firmatu*) ejusdem enim semper sum sententiæ, nudam auctoritatem Doctoris non dare sufficientem probabilitatem alicui opinioni ad firmandam conscientiam, quod non minùs urget in casu ad declarandam, vel definiendam causam controversam in materia justitiæ, & quæ cedit in præjudicium tertij, nisi auctoritas illa rationi alicui probabili adjungatur, & quasi testimonium deferat probabilis conformitatis ad leges. Super quo hic etiam advertendum est, nisi rationes Auctoris genuinè referantur, ipsos erroneè aliquandò citari, & in partes contrà verum sensum eorum verba trahi, non factâ debitâ reflexione super rebus & earum circumstantijs, de quibus loquuntur, adeoque frequenter ipsos perperàm vocari in testimonium eorum, quæ in eo sensu vel simili causa non dixerunt, ità ut eorum immeritò traducatur auctoritas.

CONCLUSIO II.

Certâ justitia deprehensâ opinio probabilis exulat.

VBi post ventilatam debitè secundùm jura causam certa justitia deprehenditur, non licet judicibus declinare ad opiniones probabiles initio causæ propositas.

Ratio est: Quia succedente certitudine rei absorbetur & tollitur sola probabilitas, & cùm ipsorum sit justè judicare, & justitia vera ex integra causa & certitudine juris procedat, peccabit contrà justitiam, & integritatem juris, si derelictâ certâ probatione deflectat ad probabilem tantùm; peccabit etiam ac injuriam faciet illi, à cujus parte certa probatio stat; quia inventâ certâ ratione & probatione causa non ampliùs dubia remanet, & consequenter nec controversa, nec materia litis.

CONCLUSIO III.

Probabilitas magis favens uni parti, judici amplectenda.

AGitatâ & ventilatâ legitimè juxtà leges causâ, ubi probabilitas magis inclinat in unam partem, illa à judice est sequenda: si autem maneat adhuc in re obscuritas, liberum erit judici quamcunque probabilem opinionem (modò sit verè probabilis) sequi, & juxtà illam sententiam ferre.

Ratio prioris partis est: Quia juxtà allegatorum & probatorum conditionem sententia ferri debet; cùm igitur ex supposito, allegata & probata in unam partem magis inclinent, illam judex sequi debet.

Ratio posterioris partis est: Quia re obscurâ & dubiâ remanente, utrimque rationibus probabilibus existentibus, determinatio penes Superiorem remanet, cujus partes & officium agit judex.

TITVLVS III.

De personis ad substantiam judicij concurrentibus.

PErsonæ ad substantiam judicij concurrentes superius præter judicem statuimus; *Denuntiatorem*, sive *Accusatorem*, *Reum*, & *Testes*. Sub Denuntiatore vel Accusatore comprehendo in quibuscunque causis civilibus actorem, sive eum, qui partem ad judicium evocat, sive evocari procurat. Etsi enim nomen actoris aliquando pro accusatore sumatur, generaliùs tamen in hac materia patet, & sumitur pro quocunque in judicio contrà reum agente.

§. 1.

De denuntiatore, & denuntiatione, ejusque obligationibus & peccatis.

Denuntiator quis. Denuntiator dicitur, qui alterius crimen defert apud Superiorem, vel judicem, sive ut reus emendetur, sive ut ad exemplum aliorum puniatur, vel remedium malo adhibeatur. *Denuntiatio quadruplex* Unde quadruplicem assignant Doctores denuntiationem. Alia est Evangelica; alia canonica; alia judicialis privata; alia judicialis publica.

Evangelica qua Matth. 18. 15. Evangelica dicitur, quæ ad meram denuntiati emendationem dirigitur, juxtà formam à Christo expressam, Matth. 18. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, &c. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ*, ubi forma denuntiationis Evangelicæ exprimitur, nimirùm; ut primò peccator moneatur privatim, deindè adhibitis testibus, tandem si se non emendet, denuntietur Ecclesiæ, id est, Prælatis. Sed hæc nihil ad judicium fori externi pertinet, & de illa fusè egimus tom. 2. tract. 2. tit. 4. sect. 2. quæst. 1. in appendice, & dubijs consequentibus.

Canonica. Canonica denuntiatio dicitur, ad quam aliquis tenetur virtute canonis alicujus. Et hæc etiam ad judicium fori externi non pertinet, & qui canonicè aliquod delictum denuntiavit, non tenetur probare, nec potest cogi in judicio comparere, quamvis possit in judicio examinari, ut testis.

Judicialis privata. Denuntiatio judicialis privata est, quæ fit judici non ad punitionem delinquentis, sed tantùm ut cogatur restituere damnum, quod denuntianti à reo factum est: ut si servos conqueratur apud judicem de stipendio sibi non soluto. Dicitur judicialis, quia judici fit; dicitur autem privata, quia absque publico judicio expeditur.

Judicialis publica. Denuntiatio judicialis publica est, quæ non tantùm ad emendam rei, sed etiam ad punitionem delicti coram judice fit, absque tamen obligatione ad probandum delictum, aut inscriptione denuntiantis, sed tantùm, ut judici via aperiatur ad inquirendum de delicto.

Porrò de hac ultima denuntiatione hîc agitur: per illam enim judex inducitur ad inquisitionem juridicam de delicto; imò de persona delinquente faciendam, sive ut malum removeatur (ut si denuntietur proditio civitatis, quàm aliqui moliuntur, etsi illi ignoti sint) sive ut personæ puniantur, si illæ cum delicto denuntientur.

In hac quæ observanda. Denuntiator porrò in denuntiatione judiciali publica tempus, locum, crimen, personas, testes (si nôrit) adnotare & nominare debet, sine quibus denuntiatio non urget, nec judex tenetur illam acceptare. Quòd si ista non nôrit, tenetur saltem famam, & circumstantias famæ sufficienter indicare, aliàs judex non tenetur ei credere.

Ab ea qui repellantur. A denuntiatione juridica & publica repelluntur criminosi, infames, & ferè omnes, qui repelluntur ab accusatione, de quibus infrà.

Peccata denuntiatorum. Peccata denuntiatorum sunt.

1. Si ex odio, inimicitia, invidia, nullo publici boni amore denuntient.

2. Si secreta peccata vel occulta, & quæ jam sunt emendata, nec publico bono nocere possunt.

3. Si falsitatem aliquam suæ denuntiationi immisceant, aut delictum ultrà modum exaggerent.

4. Si in vera etiam & legitima denuntiatione innocentes intricent, aut sint tertio innocenti causa damni; utpote si ex eorum denuntiatione innocens aliquis captivetur, aut fama ejus in judicio vel extra periclitetur.

Denuntiator quando habendus ut accusator. Advertendum porrò est, quòd si denuntiator denuntiatione factâ judicem urgeat, eumq; stimulet ad procedendum vel puniendum, tunc habendus erit non ut denuntiator purus, sed ut accusator, quia personam accusatoris sub pallio denuntiatoris abscondit, adeoq; ad omnia, ad quæ accusator tenetur, obligandus erit, nimirùm, ut suæ denũtiationi subscribat, & se ad pœnam talionis in defectum probationis obliget.

Falsus qui puniendus. Denuntiator falsus, etsi ad pœnam talionis non obligetur, quia purus denuntiator est, qu'a tamen falsum denuntiavit, extraordinariâ pœnâ debet castigari. Vide Iurisconsultos.

Culpantur judices constituentes homines viles, &c. ad explorandum. Est porrò intolerabilis quidam error, qui serpit, quo nonnulli judices aut Superiores substituunt aliquos exploratores, homines viles, nullos, ebriosos in tabernis & locis, qui meri sunt delatores, ut plurimùm ex istis delationibus victum quærentes, & eos ut denuntiatores audiunt, & reos citant, & ad expensas & sumptus deducunt, imò & ubi se purgaverint, eos ad expensas condemnant. Hi absque peccatis multis mortalibus ista facere non possunt: sunt enim & causæ delationum falsarum, & multorum damnorum eo his consequentium.

§. 2.

De Accusatore, & ejus obligationibus ac peccatis.

Accusator quis. Accusator propriè dicitur, qui dato libello judicem interpellat adversus reum in causa delicti vel criminis in ordine ad vindictam ob publicum bonum, obligans se ad delicti probationem; & in casu defectus probationis ad talionis pœnam.

Dicitur (qui dato libello, &c) in hoc enim distinguitur à denuntiatore mero, qui solâ voce, non scripto denuntiat. Alia, quæ in hac descriptione ponuntur, obligationes accusatoris declarant.

Ejus obligationes. 1. Enim debet delictum, sive crimen & personam in singulari exponere; neque enim sufficit in generali accusare.

2. Ut juridica sit accusatio, debet vindictam delicti, sive reum ad vindictam ob delictum expetere: si enim tantùm ad emendam, denuntiatio potiùs est, quàm accusatio.

3. Debet publicum bonum intendere; si enim odio privato accuset, mortaliter peccat.

4. Debet

4. Debet obligare se ad delicti probationem, non enim potest fieri accusatio de delicto occulto, sed debet aliquo modo esse publicum, quod per idoneos testes probari possit.

5. Hoc ipso, quo se accusatorem declarat, obligatur sub pœna talionis delictum, sive crimen probare.

Ejus peccata. Peccata itaque accusatorum sunt:

1. Si falsò hominem accusent, utpotè de crimine, quod non fecit.

2. Si de crimine quidem facto, illud tamen & circumstantias ultra veritatem vel augent, vel multiplicant.

3. Si peccatum, quod omninò occultum est, aut emendatum, absque causa (qualis esset in proditione civitatis, vel ruina reipublicæ imminenti) ad judicem defert: in occulto enim casu non licet hominem accusare, nisi fortè ex nostra taciturnitate gravius malum proximo, vel reipublicæ immineat.

4. Si odio aut malevolentiâ accuset.

Tenetur porrò de omni damno, quod per accusationem falsam deprehenditur intulisse, tam in fama, quàm in bonis.

PETES 1. An aliquis teneatur aliquandò criminosum accusare.

Quando non teneatur accusare. Resp. 1. Non teneri, nisi evidenter crimen probari possit. Ratio est, quia inutiliter id faceret, & se, non probando, pœnæ talionis exponeret.

Quando teneatur. Resp. 2. In casu, quo respublica periclitaretur, vel grave aliquod periculum publicum immineret, tenetur quis vel accusare, aut saltem delictum denuntiare, non tantùm ex charitate, sed etiam ex justitia, si sit reipublicæ vel civitatis membrum. Explico: Civis novit proditionem civitatis, aut aliquos incendium machinari, aut grave aliquod malum civibus imminere, imò graves injustitias in rempublicam serpere, tenetur vel accusare, si probare possit, vel saltem denuntiare, si probare nequeat. Ratio est, quia cùm sit membrum civitatis, tenetur ex justitia, quantum potest, civitatem defendere, & à civitate malum propulsare, idque ratione fidelitatis reciprocæ, quæ est inter cives respectu reipublicæ, quæ fidelitas inducit obligationem justitiæ, qua tenetur respublica, & qui eam gubernant, cives ex justitia conservare, & consequenter cives reipublicæ & ejus rectoribus. Undè tenentur ex justitia & fidelitate conspirationes aperire, conspiratores denuntiare, vel accusare, ac injurias, quæ in publici boni ruinam vergunt.

ANNOTATIO NECESSARIA.

Crimina merè personalia. Hic porrò notandum est; duplicia hìc distingui debere crimina. Alia enim sunt merè personalia, quæ nimirùm personam delinquentis non excedunt: ut bestialitas, sodomia utroque consentiente, &c. *Contagiosa.* Alia sunt, quæ non soli personæ nocent, sed in aliorum etiam perniciem & nocumentum cedunt, quæ vocare possumus contagiosa, sive perniciosa.

In prioribus potest, & interdum debet servari correctio Evangelica. Quod spectat ad merè personalia, in illis valet ordo correctionis fraternæ Evangelicus, & etiam in casibus certis obligat, non tamen tenetur quis ad juridicam accusationem, vel denuntiationem; si enim crimen occultum sit, occultè corrigi potest, & si necessaria sit denuntiatio ad salutem peccantis, sufficit Evangelica & paterna, sive extrajudicialis. *Secùs in posterioribus.* Si autem peccata sint contagiosa, aut perniciosa reipublicæ, aut etiam proximo, quamdiu subest periculum alicujus gravis damni sive publici, sive privati, quod præponderat famæ delinqenntis, nec possum per me malum certò removere, obligor reipublicæ, Ecclesiæ, religiosæ congregationi, cujus sum membrum, omissâ omni aliâ tergiversatione, crimen denuntiare. *Exemplificatur.* Pono exempla: Civis novit conspirationes, latrocinia, injustitias reipublicæ damnosas committi: Catholicus scit hæreticos multiplicari, hæresim doceri, conventicula hæretica secretò haberi: Religiosus deprehendit in sua congregatione mala aliqua in grave damnum suæ Religionis serpere: hi tenentur, si certò & statim non possint illa per se impedire, absque alia tergiversatione criminosos accusare, vel denuntiare. Vide quæ diximus tomo 2. tract. 2. tit. 4. sect. 2. quæst. 1. de correctione fraterna in doctrina notabili.

Quis possit esse accusator. PETES 2. An omnis homo ratione utens possit esse accusator?

Respondeo, non posse, sed ab accusatione jure repelli infames juris & facti, calumniatores, conspiratores, inimicos, nisi propriam prosequantur injuriam, accusatos de eodem crimine, mulieres, majorum criminum reos, &c. Vide quæ habentur apud Gratianum 3. quæst. 4. & 5. Advertendum tamen, esse nonnulla crimina, in quibus admittitur omnis accusator ratione utens, ut in hæresi, maleficio, sortilegio, crimine læsæ Majestatis, proditione, sodomia, &c.

§. 3.

De Actore, & ejus obligationibus, ac peccatis.

Actor quis. Adverte, Actoris nomen supponere interdùm pro accusatore: hìc tamen generaliùs accipio, ut complectar eos, qui in causis civilibus actores sunt, prout contrà reum distinguuntur. Actor itaque universaliter dicendus est, qui alium in quacunque causa ad judicium provocat, & litem contestatur, de quo nil aliud hìc dicendum venit, nisi quòd teneatur ad veritatem, justitiam, & obedientiam. *Obligatur ad veritatem, justitiam, & obedientiam.* Ad veritatem quidem, ut in processu nihil aliud adferat, nisi quod novit verum aut probabile. Ad justitiam, ut nihil injustè in processu moliatur. Ad obdientiam, ut judici, & ejus diffinitionibus se submittat.

Ejus peccata. Peccant itaque 1. Qui mendacijs, fallacijs, fal-

falsitatibus, futilibus inventionibus, &c. processum intentant.

2. Qui injustitias suis litibus immiscent, falsa testimonia, perjuria, corruptiones testium & judicum, subornationes, tergiversationes damnosas requirentes.

3. Contra obedientiam judici debitam peccant, qui imposita in judicio (ubi non est interposita legitima appellatio) non suscipiunt, aut nè executioni mandentur, iniquè impediunt.

Porrò tenentur ad restitutionem omnis damni, causâ processûs injustè reo illati.

§. 4.

De Reo, & ejus obligationibus ac peccatis.

Reus quis. REus (inquit S. Isidorus in libr. Ethimolog. habeturque c. *Forus* de verb. signif.) *à re qua petitur, nuncupatur: quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur, quamdiu in judicium pro re aliqua petitur.* Itaque reus vocatur generaliter, qui ab aliquo in re controversâ ad judicium provocatus est.

Ejus obligatio. Illius autem obligationes sunt: Se contrà adversarium sive actorem jure defendere: Si interrogetur juridicè & legitimè, judici veraciter respondere: Objecta juridicè, justè dissolvere, vel se ab objectis purgare: Iudici in omnibus, quæ ad judicium pertinent, obedire.

Ejus peccata. Peccat igitur mortaliter 1. Qui judici juridicè & legitimè interroganti non vult respondere, aut si respondeat, æquivocè, fallaciter, vel mendaciter respondet.

2. Qui per calumnias, injustitias, falsitates, fallacias, aut quosvis illegitimos modos se conatur defendere, & objecta vera falsitate retundere.

3. Qui renuit judici obedire, per falsas & illegitimas appellationes, declinationes, vel dilationes, quæ in actoris legitimi damnum injustum redundant.

Tandem tenetur ad restitutionem omnis damni, quod ex injusto aut falso medio se defendendi actor justus & juridicus incurrit. Restant alia dubia resolvenda.

PETES 1. An reus à judice interrogatus teneatur semper absque ambiguitate respondere?

Ad juridicam interrogationem tria requiruntur. Respondeo: Quòd non, nisi sit legitima & juridica interrogatio. Ad juridicam autem & legitimam interrogationem tria requiruntur. 1. Ut qui interrogat, sit competens & verus ac legitimus judex: si enim non sit verus & legitimus judex respectu Rei, sive jurisdictionem certam & indubitatam non habeat in reum, non tenetur reus omnino respondere; & sic rogatur, potest amphibologiâ uti. 2. requisitum est: Ut delictum sit plenè vel semiplenè probatum, utpotè per testem unum omni exceptione majorem, vel indicia illi testi æquipollentia, vel famam publicam: & in causa civili, ut rationabiliter de re, quæ petitur, controversia moveatur. 3. Ut corpus delicti in criminalibus, vel ratio motiva in causâ civili sit jam in processu producta, & reo manifesta, ut ex illis nôrit se in causâ criminali juridicè interrogari, in causâ autem civili se jure in judicium vocari, ac consequenter teneri judici obedire. His deficientibus non tenetur judici respondere, aut ejus menti in responsionibus se conformare, aut suum delictum prodere, sed potest quovis modo se tueri, ità tamen ut id absque præjudicio tertij fiat. *Illis deficientibus non tenetur reus respondere.*

PETES 2. An reus juridicè interrogatus de aliquo vel aliquibus criminibus, teneatur etiam alia occulta, de quibus non est infamatus, vel juridicè accusatus, indicare?

Respondeo 1. Iudicem non posse absque mortali peccato, & gravi Rei injuria reum interrogare de criminibus occultis, de quibus infamatus non est, aut juridicè accusatus, etsi de alijs sit infamatus & convictus, nisi delicta ità concatenata sint, ut communiter simul committantur. *Non potest judex sub mort. reum de ejus interrogare.*

Ratio est: Quia (ut suprà diximus) nec sunt semiplenè probata, nec juridicè notificata, & aliàs etsi in uno sit infamis vel convictus, quoad omnia alia occulta adhuc possidet famam suam, quam injustè judex tentat auferre: & judex, qui contra ordinem juris aliquid interrogat, quod in damnum Rei vergere potest, mortaliter peccat, nisi delicta ita concatenata sint, ut communiter simul committantur: addo, aut se invicem sequantur & comitentur: Ex. g. reus convictus est de latrocinio, potest interrogari etiam de furtis, & alijs criminibus, quæ latrocinium comitantur.

Respondeo 2. Reum interrogatum de occulto crimine, aut etiam de illo, de quo non est juridicè accusatus, posse tacere, & quovis modo licito illud negare, & se defendere. Dixi (quovis modo licito) non enim licet formaliter mentiri, etsi liceat amphibologicis & dissimulatis verbis & actionibus uti: nec licet actori calumniam inferre, aut in tertij præjudicium fe tueri. *Si interrogetur, potest tacere &c.*

PETES 3. An teneatur reus complices criminis, interrogatus à judice, manifestare?

Ratio dubitandi. Ratio dubitandi est, quia in criminibus, in quibus necessariò sunt complices, utpotè quæ committi non possunt, nisi pluribus concurrentibus, uno juridicè accusato, & de crimine convicto, alij concomitanter videntur accusati & convicti.

Respondeo nihilominùs, si de aliquo complici in singulari, vel aliquibus complicibus facta non est accusatio, non teneri complices confiteri vel manifestare, si verè sint occulti, nisi tamen in casu, quo, etsi ipse reus & alij complices non essent, illos denuntiare aut accusare teneretur. *Si verò sint occulti, non tenetur.*

Ratio est: Quia supposito, quod sint occulti, adhuc possident quoad personas suas indivi-

Judex potest interrogare & urgere reum.

duas famam suam, nec proptet complicis accusationem, vel confessionem, illam perdiderunt. Et quamvis delictum in se sit cognitum, & ex natura delicti possit judex super complicibus inquirere, reus tamen non tenetur de alieno crimine respondere, quia alienum debitum non spectat ad eum. Unde potest quidem judex, cum constet de cotpore debiti, & de pluribus cooperantibus, illum interrogare, & etiam urgere, ut accuset complices; si tamen accusatus possit dissimulare, non peccat, quia illi complices non sunt juridicè accusati, nec ex convictione alterius aliqua in personas illorum cadit probatio, nec plena, nec semiplena, sed tantùm in delictum ipsum. Diximus autem interrogationem judicis non censeri juridicam, ità ut ad responsionem obliget, nisi is, de quo fit interrogatio, sit de delicto accusatus, vel contrà illum sit saltem semiplena probatio.

Excipiuntur certa delicta, ex. g. conspiratio aut se ... omnium.

Dixi suprà (nisi tamen in casu, quo, etsi ipse reus & alij complices non essent, illos denuntiare vel accusare teneretur) Tunc enim eodemmodo obligaretur, non quia complex, aut quia juridicè interrogaretur, sed ex obligatione, quam habet, certa delicta, quæ in perniciem reipublicæ vergunt, accusare. *Ex. g.* Unus ex conspiratoribus in magistratum, vel proditionem civitatis accusatus de conspiratione, de illa convictus est, & illam confessus: interrogat illum judex de complicibus, ex vi interrogationis non tenetur accusare, si aliàs sint omninò occulti; sed si conspiratio illa adhuc immineat, & aliàs non sit impedita, tenetur ex fidelitate & charitate complices manifestare, ut malum, quod imminet, impediatur & avertatur, prout supra docuimus. Et hanc obligationem nonnulli explicant in certis criminibus, ut hæresis, falsæ monetæ, maleficiorum, proditionis, communis & perseverantis furti & latrocinij, ac sortilegiorum, quòd cùm per illa perpetuò immineat malum, sicut semper quis tenetur illa denuntiare, eo magis obligatur ubi deprehensus est complex. Dico (si malum perseveret & immineat) si enim criminosus sit in melius conversus, & malam voluntatem absolutè deposuerit, non tenetur quis illum denuntiare, si occultus manet.

Item quasdam alia, nisi criminosus sit conversus.

PETES 4. An si quis juridicè interrogatus crimen impositum tacuit, & consequenter tacendo, vel ad judicis mentem non respondendo uti tenebatur, peccavit mortaliter, non possit confessarius illum absolvere, nisi crimen suum, quod tacuit, promittat judici aperire?

Respondent multi, non posse absolutè, nisi promittat crimen suum judici confiteri. Ratio eorum est, quia si non confiteatur juridicè interrogatus, peccat iterùm mortaliter: Ergò debet illi imponi à confessario ut dicat.

Potest absolvi, etsi crimen, quod tacuit, non promittat judici aperire.

Respondeo ego: Si taciturnitas, vel amphibologia Rei nemini noceat injustè, confessarium posse illum absolvere à delicto illo taciturnitatis, quòd judici juridicè interroganti non responderit, nec tenetur ipsi imponere, ut posteà crimen indicet; sufficit enim reo, quòd proponat emendam, casu quo iterùm interrogetur; si autem ampliùs non interrogetur, jam liber evasit: si interrogetur, & non fateatur, novum peccatum committit.

Si ejus taciturnitas nemini injustè noceat.

Dixi (si taciturnitas nemini injustè noceat) si enim noceat tertio in re gravi & æstimabili, tunc tenetur promittere, non tantùm proponere respondere judici, & obligatur, nè proximo injustè noceat, etsi non interrogaretur posteà, crimen confiteri. Ratio est quia jam supponitur ex ejus taciturnitate, & amphibologia damnum proximo injustè illatum, ad quod auferendum reus tenetur.

DICES: Ergò semper tenebitur, quia in omni juridica accusatione accusator tenetur ad pœnam talionis, si non probet.

Cur non obstet quòd noceat accusatori.

Respondeo: Accusatorem isti periculo se sponte subjecisse, adeoque damnum, quod ipsi evenit, non tam ex taciturnitate Rei evenit, sed quia in completa probatione defecisse videtur. Nec confessio Rei est pars probationis, sed quidam effectus consequens, quem non potest accusator vel actor promittere.

PETES 5. An reus teneatur judici in omnibus obedire? Ratio dubitandi est, ob fugam, quam videtur etiam post convictionem justè posse capescere.

Reus fugere potest.

Respondeo: Reum teneri quidem acquiescere sententiæ, & ut justam recipere; ibi enim completur judicium: posse tamen sine peccato fugam capere, si absque gravi damno tertij id possit fieri, & hoc ex privilegio juris naturæ, quo quilibet potest vitam suam tueri, vel grave damnum evitare. In hoc autem obedientia judici servatur, quòd cùm quis aliàs possit propriam vitam tueri, etiam cum tertij damno, hic ratione sententiæ justæ id non possit cum tertij damno, ut cum violenta læsione custodum & satellitum: peccaret enim mortaliter, si fugiendo alicui grave damnum inferret.

Sed non cum damno tertij.

§. 5.

De Testibus & eorum qualitatibus.

Quis Testis.

TEstis ethimologiam accipe ex Isidoro (ut habetur in decreto de verb. signif. c. *Forus.*) *Testes* (inquit) *antiquitùs superstites dicebantur, eò quòd super causa statu proferebantur: nunc parte ablatâ nominis, Testes vocantur*, id est, testimonium ferentes. Et prosequitur Isidorus eorum qualitates: *Testes autem* (ait) *considerantur conditione, naturâ, & vitâ. Conditione, si liber, non servus: nam sæpe servus metu dominantis testimonium supprimit veritatis. Naturâ, si vir, non fœmina, nam vanum & mutabile testimonium semper fœmina producit. Vitâ, si innocens & integer actu, nam si vita bona defuerit, fide carebit, non enim potest justitia cum scelerato homine habere commercium.* Hæc Isidorus. Portò qualitatibus his aliæ junctæ sunt, quæ sequenti versu exprimuntur.

Ejus qualitates ex Isidoro.

Alia ejus qualitates.

Conditio, Sexus Aetas, Discretio, Fama.
Et Fortuna, Fides, in teste hus ista requires.

Conditio, ut supra, liber sit, non servus; nec Regularis abque licentia superioris; nec Clericus in causa sanguinis. *Sexus*, ut supra, vir, non mulier. *Aetas*, ut sit pubes, & in causa criminali 20. annorum. *Discretio*, ut sit ratione utens, non furiosus, non ebriosus. *Fama*, ut sit bonae famae, non infamis. *Fortuna*, nè sit pauper, ità ut paupertas ingerat suspicionem corruptionis. *Fides*, ut non sit haereticus.

De obligationibus & peccatis testium, & excusationibus à testimonio ferendo, diximus sufficienter tomo 2. tract. 9. tit. 2. per totum, ibi vide.

TITVLVS IV.

De personis judicio accessorijs, & qua scripturis vel executionibus deserviunt.

Personae pro scripturis judicio accessoriae sunt sequentes: *Scriba, Notarij*, sive *Tabelliones*. De quibus pauca.

§. 1.

De Scribis, eorumque obligationibus.

Scribae qui.

Scribae dicuntur, qui ex officio omnia judicialia acta, dicta, & inquisita describunt fideliter, & in authenticum librum vel instrumentum referunt. Eorum obligatio est juramentum, cui se adstrinxerunt, servare; fidem indubitatam scripturis conciliare: diligentiâ & vigilantiâ suâ providere, nè quis mendus, vel dubium erroneum in eorum scripturas serpat: item secretum servare, nè quid dicant, revelent, vel scripto tradant, quod in praejudicium reipublicae, magistratûs, vel judicis, quibus deserviunt, aut privatarum personarum, quarum acta describunt, cedere possit. Undè sit pro peccatis dignoscendis:

Eorum obligationes.

REGULA GENERALIS.

Eis contravenientes in re gravi peccant mort. & tenentur quandoq; ad restit.

Scriba, qui in aliqua re gravi juramentum suum & fidem violavit, sive falsificando scripturam, vel instrumentum publicum privatumque, sive ex negligentia aut malitia aliquid omittendo vel mutando, sive qua secreto servari debent, revelando, praeter poenas juris, quas incurrit, mortaliter peccat, & si damnum aliquod ex supradictis provenerit, tenetur ad restitutionem.

Quando temporibus in honore habiti.

Porrò scribae, etsi antiquitùs tanquàm Amanuenses & scriptores sive excerptores haberentur, adeoque parvi fierent, ut etiam à servis illud officium obiri posset; temporibus tamen Arcadij & Honorij coepit non nisi personis qualificatis & spectabilibus dari, qui & scientiâ sufficienti pollerent, & de quorum fide & probitate publicè constaret. Undè est illud Theodorici Regis Gotthorum apud Cassiodorum l. 5. variarum epist. 22. *Capuanum* (inquit) *spectabilem virum aestimatio nostra respexit, qui curia nostrae sententiam facundus educeret, & Senatus scrinia conscientiae puritate servaret, ut actus illius mundo celeberrimos suâ reddat integritate laudandos.* In quibus verbis & officij honorem, & personae qualitates, scientiam scilicet, fidem, & probitatem depinxit.

Cassiod.

De vitijs scribarum multa congerit & conqueritur Iustinianus in Auth. de defensoribus civitatis §. *Qua verò aguntur ab eis*, quae ibi vide, quia non pertinent ad rem nostram.

Iustinian.

§. 2.

De Notarijs, seu Tabellionibus, eorum obligationibus & peccatis.

Notarij, Tabelliones & Libelliones unde dicti.

Notarij & Tabelliones idem officium dicunt: vocantur autem *Notarij*, quòd dictata in judicio, vel extra notis excipiant: dicuntur & *Tabelliones*, sive quòd antiquitùs in tabulis sua scriberent, sive quòd tabulas, hoc est, testamenta & scripturas publicas conficerent; dicti etiam *Libelliones*, quia in libellis & protocollo quae notârant, referrent. Est igitur Notarius sive Tabellio, qui auctoritate publicâ & legitimâ institutus est, ad scribenda instrumenta & alias scripturas, quae fidem publicam faciant, & quibus quivis in judicio & extrà stare teneatur.

Notarius quis.

Dixi (auctoritate publicâ & legitima) nimirùm Imperatoris, Regum, Principum supremorum, vel magistratuum potestate Principum gaudentium, & quidem respectivè pro suis terris & subditis duntaxat; ad illos enim pertinet notarios in causis civilibus & criminalibus creare; in Ecclesiasticis autem Papa pro universali Ecclesia, & Episcopus pro sua dioecesi notarios creare potest, immò & hanc potestatem alijs delegare, ut Protonotarijs & Superioribus Ordinum pro suis Religiosis, & causis Religionis.

A quo debeat creari in civilibus & crimin.

PETES 1. Quae qualitates requirantur in Notarijs?

Respondeo: Requirebatur antiquitùs in notarijs scientia sufficiens artis notariatûs, fides, sive fidelitas, cum probitate vitae, & diligentia; verùm alia posteà addita sunt, nimirùm: Ut sint legitimè nati, non foeminae, sed viri, vivacitate sensuum pollentes, hoc est, nec surdi, nec caeci, nec muti, aetatis 25. annorum, honestae famae & mediocrium mediorum, instituti (ut dictum est) ab habente potestatem mediante juramento.

Qualitates ejus quae.

Iuramentum autem notariorum haec ferè complectitur. 1. Quòd notarius de ijs, ad quae vocatus fuerit, & quae personaliter viderit, vel

Contenta in juramento praestato ab eo tenentur.

vel audierit, aut requisitus fuerit absque diminutione veritatis, vel admixtione falsitatis, aut quavis alteratione veritati repugnante sua instrumenta integra, & non vitiata faciat. 2. Quòd injuncta sibi secreta nemini revelet. 3. Quòd super contractu usurario vel usuram sapiente scienter instrumentum non conficiat. 4. Quòd de omnibus instrumentis quæ fecerit protocollum sibi servet. 5. Quòd fidelis sit ei à quo vocatur vel impenditur, ut secreta non manifestet. 6. Quòd absque passione odii, timoris, vel amoris, cum integritate conscientiæ officium administret.

Petes 2. Quale debeat esse instrumentum Notarii ad hoc ut fidem faciat?

Angelus.

Requisita ad authen. ejus instrumenti.

Respondeo: Angelus V. *Tabellio* ponit ad hoc sequentes conditiones. 1. Ut invocetur nomen Domini. 2. Ut ponatur annus, mensis, dies, indictio 3. Ut ponatur nomen Papæ, Imperatoris, Regis, vel Principis respectivè in terris ipsis subditis. 4. Locus contractus. 5. Series facti sive actûs. 6. Testes, quorum etiam erit signare, vel notam aliquam adhibere. 7. Notarius ipse signet suo ordinario signo, & in subscriptione notet à quo vel quibus legitimè institutus sit Notarius, & appareat etiam quòd ad id vocatus vel rogatus fuerit. 8. Instrumentum debet coram partibus relegi. 9. Si etiam partes signent, res magis authentica erit. Alii addunt debere Notarium nosse comparentes, ne aliqui supponantur ipsorum nomine, sed sufficit si testes norint.

Ejus peccata.

Ex dictis colligi possunt peccata Notariorum. Primò itaque peccant mortaliter; si contra veritatem instrumentum faciant, vel illi aliquam falsitatem inspergant, aut alio modo alterent contra integritatem.

2. Si eorum negligentiâ, vel ignorantiâ, aut malitiâ aliquis error contra substantiam instrumenti irrepat, ut in nomine, die, substantia contractûs, convocatione testium, &c.

3. Si infidelitatem aliquam committant revelando secreta, aut dando copias instrumentorum iis, quibus non debent.

4. Si cui ex ipsorum negligentia culpabili, ignorantia, vel infidelitate damnum eveniat, tenentur ad restitutionem.

An Religiosus possit esse Notarius.

Hic petitur: An Religiosus possit creari Notarius? Et an creatus Notarius ante Religionis ingressum possit officium exercere?

Ad 1. Respondetur non posse, nisi pro causis sui Ordinis. Ad 2. etiam negativè respondetur, nisi fortè contra hæreticos, posset tamen vetera instrumenta ante Religionis ingressum inchoata complere. Vide Angelum suprà.

TITVLVS V.

De Advocatis, & Procuratoribus.

§. I.

De Advocatis, eorum obligationibus, & peccatis.

Advocati causarum patroni.

ADvocatus dicitur, qui in forensibus negotiis proponendis & discutiendis parti suum præbet patrocinium in verbo, vel scripto. Unde vocantur causarum patroni, quia causæ actoris vel rei patrocinantur: Vocantur etiam Oratores & Rhetores causidici· quia benè dicendo vel scribendo causæ veritatem & justitiam coram judicibus exponunt: unde etiam dicti sunt postulatores, quia pro justitia & æquitate postulare debent: nomen autem commune Advocati, indicat, quòd non propriâ sponte, sed alterius voluntate in patrocinium causæ vocentur, vel etiam justitiâ & æquitate periclitante ad patrocinandum invitentur.

Item postulatores.

Nomen Advocati quid indicet.

Eorum necessitas, utilitas, &c.

l. Advocati.

Necessitatem Advocatorum, eorumque utilitatem, simul & officium eleganter perstringunt Leo, & Antonius Cæsares *l. Advocati*, C. de Advoc. diversi. judicior. *Advocati* (inquiunt) *qui dirimunt ambigua facta causarum, suaq; defensionis viribus sæpè publicis in rebus ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minùs provident humano generi, quàm si præliis atque vulneribus patriam parentesq; salvarent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur; sed etiam Advocatos. Militant namq; causarum patroni, qui gloriosæ vocis confisi munimine laborantium spem, vitam, & posteros defendant.*

Aliam causam necessitatis Advocatorum alii adferunt: quia in sua causa unusquisque cæcutit, dum passionibus turbatus animus, propriâ caligine involvitur, adeoque de propriæ causæ justitia aut injustitia certum judicium ferre non potest: opus itaque est docto, pio, & sedato viro, qui causam proponat & defendat, quique tempori, & loco, ac personis se accommodare valeat.

Qualitates.

Qualitates præcipuè Advocatorum sunt; *Aetas congrua, Doctrina probata, prudentia, fidelitas, diligentia, vita,* & *mores probi.*

1. Ætas congrua.

Ætas congrua, neque enim pueri ad Advocatorum officium admittendi sunt, neque congruum est, ut qui per ætatem curatore indigent, & sub tutela aliena sunt, quique seipsos regere non possunt, aliorum negotia agant, vel aliis patrocinentur.

2. Doctrina qua.

Doctrina probata, ut nimirùm Jurisprudentiæ cum fructu studuerint, & gradum licentiæ, aut saltem sufficientem scientiam testimonio Doctorum & magistrorum Academiæ, in qua studiis vacarunt, adepti fuerint. Sic enim Anastasius Cæsar prohibuit consortio Advocatorum adscribi aliquem, *antequam per statuta tempora legum eruditioni noscatur inhæsisse*, ut habetur in *l. Iubemus pro tempore*, §. *Pro sportulis* C. de

l. Iubemus.

Statutum tempus studiorum est quinquennii.

C. de Advocat. diverſ. judic. Statutum autem tempus studiorum legibus in academijs diſcendis eſt quinquennium, ut habetur in Concil. Baſilienſi, in quo etiam decernitur, ut nemo ad Baccalaureatum juris Cæſarei, vel Pontificij promoveatur antè quinquennium in ſtudijs illis impenſum. Quod quidem, etſi ubique non ſervetur, diligenter tamen, qui ad advocationis munus aſſumuntur, examinandi ſunt de tempore in ſtudijs legum impenſo, & de ſufficienti doctrina acquiſita.

3. Prudentia & undè probanda.

Prudentia, ex moribus & praxi primò probanda eſt: hujus enim defectu ab advocatione ſemper repulſi ſunt, qui corruptis moribus, levitaribus, inſolentiâ vel facultate aliqua notati fuerunt.

4. Fidelitas, & qua

Fidelitas etiam requiritur, ut nimirùm juſtitiæ primò, demùm clientibus in ijs, quæ cauſam concernunt, fidem & fidelitatem ſervent, utriq; parti non inſerviant, aut ſui clientis infirmitatem, aut imbecillia argumenta adverſæ parti non revelent, nihilq; injuſtum aut iniquum, etiam contrà adverſam partem moliantur. Dixi verò (juſtitiæ primò) illis enim debet eſſe prima cura juſtitiæ, nimirùm, ut nunquam cauſam injuſtam, vel quam crediderint minùs juſtam, aſſumant: imò etiam ignoranter inchoatam relinquant & deſerant; nil injuſtum & iniquum in proceſſu adduci permittant: & ſi periculum alicujus injuſtitiæ vel minoris juris appareat, potiùs partes ad concordiam diſponant, &c.

Sint 1. fideles justitiæ.

5. Diligentia.

Diligentia etiam omnino advocato adeſſe debet, ne nimirùm ex negligentia & defectu ſtudij, tempeſtivæ & acuratæ reſponſionis, comparitionis oportunæ, & ex ſimilibus cauſis contingat cauſam aliàs juſtam periclitari cum clientis damno.

6. Vita bona, & cur.

Vita bona & mores probi non minùs in advocato exquirendi ſunt; cùm enim ſuper advocatorum probitate juſtitia ſæpè innitatur, & ab illa pax & quies conſcientiæ multorum, ac reipublicæ felicitas dependeat, ſi improbi advocati aut admittantur, aut tolerentur, reſpublicas, & regimen, ac quietem publicam populi confundi neceſſe eſt. Hinc enim ſæpiùs oratores & cauſidici è rebuſpublicis expulſi eſſe leguntur.

Juramenti eorum qualitas,

Ex dictis advocatorum obligationes & peccata facilè deducuntur. Et quidem ſupponendum eſt juramentum advocatorum, quo ſe obligant & jurant, diligenter & ex fide, hoc eſt, fideliter officium ſuum præſtituros. Item, ſe cognitâ causâ improbâ, vel penitùs deſperatâ, ſcienter malâ conſcientiâ liti non patrocinaturos, immò ſi causâ procedente aliquid tale ſibi cognitum fuerit, à cauſæ patrocinio receſſuros.

Peccant gravissimè sustinentes, defendentes &c. causas injustas.

Peccant itaque tam contrà juramentum, quàm contrà juſtitiam graviſſimè, qui cauſas omninò improbabiles ſuſtinent, immò qui tales quærunt proceſſus & lites, & ad hæc clientes inſtigant.

Item, qui omninò injuſtas cauſas defendunt, vel ſi aliquam probabilitatis ſpeciem habeant, ſuis falſitatibus, fallacijs, verborum & enquentiæ lenocinijs & meris decipulis ità veſtiunt, ut nonnunquam juſta cauſa periclitetur, imo & injuſtæ ſuccumbant. Perverſitas enim advocatorum nonnullorum talis eſt, ut & verbis & garrulitatibus ità ſaporem quantumvis juſtæ cauſæ obtundant, vel tot ſcriptis & ſcripturarum ambagibus fallacibus judices circumveniant, ut vel tædio fracti, vel caligine quâdam circumdati, juſtitiam videre nequeant. Et tales cauſidici cicadæ, vel etiam rabulæ ab antiquis nuncupabantur. Undè & S. Auguſtinus l. 9. confeſſ. cap. 2. de ſeipſo narrans, qualiter ſe ſubtraxerit ab iſto exercitio: *Placuit mihi* (inquit) *in conſpectu tuo non tumultuosè abripere, ſed leniter ſubtrahere miniſterium linguæ meæ nundinis loquacitatis, ne ulteriùs pueri meditantes, non legem tuam, non pacem tuam, ſed inſanias mendaces, & bella forenſia mercarentur ex ore meo arma furori ſuo*, &c.

Perversitas aliquorum advocatorum.

Vocantur tales cicadæ & rabulæ.

S. August.

Alia eorum peccata.

Item, peccant mortaliter, qui injuſtitiam cauſæ deprehendentes nihilominùs illam proſequuntur.

Item, qui lites & cauſas ſuis aſtutijs protrahunt, quæ brevi tempore poterant finiri, & hoc ut lucra ſua augeant.

Item, qui ſuâ negligentiâ vel ignorantiâ ſunt in cauſa, quòd cauſæ etiam juſtæ perdantur.

Item, qui cum adverſa parte colludunt, vel quovis modo ſuis clientibus ſunt infideles, utpotè, quòd vel parti ſecreta revelent, vel utriq; deſerviant, vel à cliente informati de cauſa in ordine ad conſilium capiendum, demùm pro contraria parte patrocinantur, & informationibus prioris partis conſulentis inſtructi contrà illam procedunt, quæ omnia iterùm breviter perſtrinximus tom. 2. tract 8. q. 2. concl. 2.

Triplex malitia in peccatis eorum.

Gravi onere restitutionis premuntur.

Porrò grave reſtitutionis jugum imminet advocatis in omnibus illis peccatis, quæ triplicem malitiam habent: Deum enim perjurio & injuſtitiâ offendunt: Judicem decipiunt, aut decipere tentant, mendacijs & falſitatibus ac calumnijs illum intricantes: Clientes aut partem in bonis temporalibus lædunt; ità ut ferè ex omni parte ad reſtitutionem, ratione damni temporalis, interdùm etiam honoris & famæ læſæ, obligentur.

S. August.

De his S. Auguſtinus epiſt. 54. ad Macedonium in fine: *Si juſtitia* (ait) *ſinceriùs conſulatur, juſtiùs dicitur advocato: redde quod accepiſti, quandò contrà veritatem feciſti, iniquitati adfuiſti, judicem fefelliſti, juſtam cauſam oppreſſiſti, de falſitate viciſti.* Et infrà: *Quis tandem* (ait) *advocatus, aut ex advocato ità vir optimus facilè reperitur, qui dicat ſuſcepto ſuo: recipe quod mihi, cùm tibi malè adeſſem, dediſti, & redde adverſario tuo, quod me agente iniquè abſtuliſti, &c. niſi fortè reſtituendum eſt alienum, quod per furtum clanculò aufertur, & reſtituendum non eſt alienum, quod in ipſo foro, ubi peccata puniuntur, decepto judice, & circumventis legibus, obtinetur.* Undè idem in Pſalmum 36. in principio enarrationis, ab officio

Advo-

Idem. Advocati deterrens: *Advocatum* (ait) *esse inquit* (quispiam) *magna res est; potentissima eloquentia in omnibus habere susceptos, pendentes ex lingua diserti patroni sui, & ex ejus ore sperantes, vel damna, vel lucra, vel mortem, vel vitam, vel perniciem, vel salutem.* Et monet: *Nescis* (ait) *quò te miseru. Alius & iste fluvius Babylonis est: & quod multùm sonat, strepitu aquæ in saxa percutit. Attende quia fluit, attende quia labitur: & si attendas qui fluit & labitur, cave quia trahit.*

§. II.

De Procuratoribus ad lites.

Procurator ad lites quis. PRocurator ad lites dicitur, qui nomine & mandato clientis litem vel causam in judicio contestatam prosequitur, & ad finem deducere conatur mediantibus Advocatis, & aliis ad causæ decisionem in judicio concurrentibus.

In Procuratore quatuor requiruntur: *Idoneitas, auctoritas, fides, diligentia.*

1. Requiritur in eo idoneitas & quæ. *Idoneitas*, quæ consistit in eo, ut non laboret aliquo defectu, pro quo à judicii actionibus repellatur, de quibus jam frequenter egimus, ut non sit mulier sed vir, non puer, non fatuus aut furiosus, non infamis, &c. & qui habeat qualitates, quas quælibet curia requirit, neque enim omnes in curiis & tribunalibus ad hoc officium admittuntur, sed pro ratione diversarum nationum, diversimodè de procuratoribus statutum est.

2. Authoritas ex parte ejus pro quo procurat. *Auctoritas* requiritur in omni procurante, ex parte personæ vel communitatis pro qua procurat, vel causam gerit: consistit autem ista auctoritas in expresso & authentico mandato, quo & procurator designatur, & mandatum de lite prosequenda vel plenarium, vel restrictum ipsi datur, cum sponsione de omnibus quæ ad litem spectant, quæ cedunt in personam mandantis sive clientis.

3. Fides & diligentia & quæ. *Fides & diligentia* procuratoris in hoc consistit, ut eâdem fide & diligentiâ omnia sibi commissa peragat, quâ ipsemet cliens, si adesset, & litem pro se prosequeretur, ageret, vel agere deberet. Ad nihil enim ampliùs obligatur, quàm ut bonâ fide procedat, & bonâ fide & diligentiâ, quæ sibi licitè demandata sunt, faciat. Dico (bonâ fide) Non censetur autem

Debet procedere bonâ fide & diligentiâ. bonâ fide procedere, si sciat & adulterat causam injustam, improbabilem, vel cautelis & dolis teferram: Nec censetur bonâ fide agere, si ipsemet injustos dolos, fallacias, astutias, vel calumnias, &c. adinveniat, vel adinventas exequatur in detrimentum justitiæ, deceptionem Advocati, illusionem judicis, & præjudicium ac detrimentum partis: Nec censetur

Aliàs tenetur ad restit. etiam diligentiam bonâ fide debitam adhibere, si ob suam cupiditatem litem protrahat, & ultra necessarium tempus producat, si in tempore comparitionis responsiones, defensiones, instrumentorum productiones, &c. non habeat: Denique quidquid negligenter malâ fide vel injustè, sciente procuratore & consentiente, vel cooperante, in causa agitur, in procuratoris culpam & peccatum revolvitur, teneturque de omni damno, quod infidelitate, negligentiâ, vel malitiâ suâ clienti vel parti injustè advenit. Denique ferè omnia, quæ de Advocatis dicta sunt, accommodè procuratoribus, juxta rationem sui officii, applicanda sunt, ita ut non sit opus ea hic repetere.

TITVLVS VI.

De salariis Iudicum, Consiliariorum, Advocatorum, Procuratorum, &c. & munerum acceptione.

QUia sacra Scriptura plena est querimoniis & comminationibus contra acceptiones munerum ab his, qui præsunt, vel cooperantur judiciis tam civilibus, quàm criminalibus, meo instituto accommodum duxi titulum unum particularem hîc ad calcem subjicere, ut salaria cognoscantur, & acceptationes munerum ab illis distinguantur. Paucis autem Quæstionibus breviter rem expedio.

QUÆSTIO I.

Quid sit salarium?

CONCLUSIO UNICA.

SAlarium dicitur, merces sive honorarium quod alicui præstatur ex justitia, ob laborem vel operam. *Salarium quid.* Derivatur verò nomen *salarium* à *sale*, quia sicut sale condiuntur & conservantur cibi, sic operans salario conditur & conservatur.

Dixi (*merces*) quod enim pro salario datur, *Cur dicatur merces.* merces est operis & laboris, quem quis præstat, aut cui aliquis est ex officio addictus: unde non semper datur ob operam actu præstitam, sed etiam quia quis addictus est operæ vel labori, quem oppotunè debet adhibere, ubi rogatur: sic enim judicibus salaria debentur, quia etsi continuè non judicent, ubi tamen ad illos est recursus, judicare tenentur.

Addidi (*honorarium*) ubi enim de sapientia *Cur honorarium.* & scientiis liberalibus agitur, quæ æstimari pretio non possunt, si quid pro illorum exercitio detur, honorarium magis quàm stipendium aut merces dici debet. Talia existimo, quæ scientiarum professoribus, judicibus, Consiliariis, Advocatis præstantur: veniunt autem omnia nomine salarii.

Dixi (*quod alicui præstatur ex justitia*) nemo *Debetur ex justitia.* enim militat stipendiis suis, & sicut Regi debentur tributa & gabellæ ac subsidia suæ Majestati & dignitati congrua, sic & ministris Regis, Regi in operibus regiminis vel justitiæ cooperantibus.

tentia publico bono legum deſervire poteſt, cùm contra legis & legiſlatorum mentem per illam falſitates & fraudes ac injuſtitiæ in publica tribunalia viam ſibi faciant, quæ publico magis bono repelli & propulſari ab illis debent. Neç refert quòd forte ex his aliqui ſcandalizabuntur: quia quamvis neceſſum ſit, ut aliquandò veniant ſcandala, væ tamen homini illi ſolum dicitur, per quem ſcandalum venit; hîc verò non cenſetur per judicem ſcandalum venire, ſed per eos, qui judicio (quod ſanctum haberi debet) falſitates ſuas ingeſſerunt. Denique in materia legum & judicij fundamenta nuper allata ſervanda primario ſunt; nimirùm veritas in re, juſtitia in cauſæ deciſione: hîc autem & falſitatem in re, & injuſtitiam in cauſæ deciſione ſubeſſe manifeſtum eſt, quas nullus juſtificare poteſt, niſi fortè prætextu illius axiomatis: Quod ad majus malum vitandum interdùm minora mala permittenda ſint. Iudicet autem æquus arbiter, an ſit minùs malum fraudes & dolos contrà juſtitiam permittere, quàm illis quovis modo poſſibili ſe opponere, ut propulſentur.

Quid ſi ex illo facto judicis aliqui ſcandalizentur.

PETES: Quomodò ergò ſe judex geret?

Reſp. Non deerunt induſtriæ a Domino, quæ Danieli puero inſpiratæ ſunt, per examina, diverſiones, dilationes, imò & juſtas ſuſcitationes cauſarum, quæ viam facient ad diſcooperiendas fraudes: & nullo medio occurrente, etſi non teneatur tanto ſuo damno judex deponere officium, poteſt tamen illum actum ſententiæ ferendæ pro ſua conſcientia declinare.

Varijs modis poteſt judex declinare lationem illius ſententiæ.

Arguunt hic nonnulli: Quòd ſi judex hoc faciat, eum facto ſuo partem probantem infamare, & falſitatis notam ei inurere. Reſp. Non eſt judex cuſtos famæ eorum & occurrente caſu, in quo aut debeo ſervare proximi famam, aut debeo ſervare conſcientiam meam illibatam, poſterius debeo facere priori neglecto: qui caſus in hac contingentia occurrit.

Quid ſi inde pars probans diffametur.

Quia vero fundamentum aliqui ſumunt ex bonis fortunæ, quæ ſubjacent pro publico bono diſpoſitioni magiſtratûs. Peto: Quid ſi in cauſa civili agatur de honore & infamia? In hoc certè caſu effugium illud ruit, quia nec rex, nec princeps, nec magiſtratus in ullo caſu dominus eſt famæ & honoris mei.

Inſtantia contrà fundamentum Leſſij.

Concludendo itaque omnia dico: axioma commune juris, judicem teneri judicare & ſententiam ferre ſecundùm allegata & probata, dupliciter interpretari debere. 1. In ſenſu affirmativo, nimirùm teneri judicare ſecundùm allegata & probata, ſi verè ſint probata, & probationi ſubſit veritas, aliàs non cenſentur, nec juxtà rei veritatem ſimpliciter probata, nec juxtà legis intentionem, aut juris præſcriptum, quod falſitatem intendit excludere, & ſupponit primò & per ſe veritatem, ſive probationes niti veritate. 2. In ſenſu negativo, ſcilicet, judicem non poſſe ſententiam ferre, niſi causâ ſufficienter examinatâ & probatâ. Neuter autem ſenſus favet falſitati, aut condemnationi à parte rei injuſtæ.

Iudicem debere procedere juxta allegata & probata, dupliciter debet intelligi.

QUÆSTIO V.

Quæ requiratur probabilitas in judicio, ſive ad illud ineundum, ſive ad ſententiæ prolationem.

DE vera probabilitate opinionum latiſſimè egimus tomo 1. tract. 5 tit. 5. per totum, nec dictis ibidem aliquid ſuperaddere poſſumus, ideoque Lectorem illuc remittimus, ſi de probabilitate opinionum benè & plenè informari velit. Hîc itaque tantùm agendum nobis eſt de probabilitate opinionis, quatenùs judicio humano fori externi deſervit.

Antè reſolutionem tamen prænotandum eſt 1. Duplicem hîc debere diſtingui probabilitatem: Alia enim eſt probabilitas Theologica, & fori interni: Alia probabilitas juriſprudentiæ & fori externi. Probabilitas Theologica & fori interni nihil eſt aliud, quàm conformitas ad leges divinas ſive naturales ſive poſitivas, & præcepta charitatis Dei & proximi; prout explicavimus fuſiſſimè to. 1. loco allegato.

Duplex probabilitas.

Theologica.

Probabilitas autem Iuriſprudentiæ & fori externi eſt conformitas ad leges, decreta, canones ac conſtitutiones in legibus civilibus vel canonicis relatas. Et quamvis ad juſtitiam legum etiam civilium requiratur, ut ſint conformes legibus divinis & præceptis univerſalibus charitatis Dei & proximi, nihilominùs hæc conſideratio non pertinet ad juriſconſultum ex vi ſuæ profeſſionis, ſed ſufficit illi conſiderare conformitatem ad ipſas leges civiles, ut probabiliter in cauſis clientum procedere poſſit, niſi tamen aliundè conſcientia & homo internus reniteretur, ut in quæſtione præcedenti de condemnatione innocentis.

Iuriſprudentia.

Prænotandum 2. Ad probabilitatem juriſprudentiæ non ſufficere opinionem conformem eſſe verbis, ſive ſono verborum legis vel conſtitutionis, aut poſſe verba ad illam trahi, & ſæpè contorqueri; ſed conformitatem illam attendendam eſſe penes tria, quæ in omni lege attendenda ſunt. 1. Penes voluntatem & intentionem legiſlatoris, quæ eſt anima legis. 2. Penes legem ipſam & ſubſtantiam legis. 3. Penes finem ad quem lex ordinatur: parum enim eſt, quid verba mortua ſonent, ſi conſtet de voluntate & intentione legiſlatoris contraria: item, quid verba ſonare poſſint, niſi ſecundùm ſubſtantiam legis ſonent; demùm, qualiter verba interpretari valeant, ſi finis legis aliud demonſtret.

Hæc debet attendi penes tria.

Prænotandum 3. Aliam probabilitatem requiri ad concludendam, ſive definiendam cauſam; aliam ad inchoandam ſive ineundam. Ad ineundam enim ſive inchoandam cauſam ſufficit probabilitas quævis, probabilibus rationibus vel auctoritate gravium Auctorum innixa; ad concludendam autem cauſam requiritur, ſi poſſit haberi, vel ſcientia certa, vel opinio, quæ videtur certitudini magis appropinquare. Cujus diſtinctionis ratio eſt, quia cauſa in inchoatione dubietatem aliquam juris præſup-

Ad inchoandam cauſam quæ ſufficiat. Quæ ad finiendam.

ponit ; si enim in alterutram partem certitudo manifesta foret, non esset materia litis aut altercationis; cùm autem causa jam sufficienter ventilata est, vel supponitur certitudo juris & justitiæ per ventilationem jam acquisita, vel saltem cognoscitur, quæ pars ad rectitudinem magis inclinet. His prænotatis, sit :

CONCLUSIO I.

Illicitum est inchoare processum sine opinione probabili.

NOn licet ulli contestari litem, vel inchoare processum adversùs quemcunque, nisi sub opinione probabili, seu probabiliter apprehensa, fundata rationibus substantiæ legis, aut ejus intentioni, sive etiam fini per leges intento, putatis conformibus; aut auctoritate sive testimonio gravium Doctorum firmatu.

Ratio est : Quia aliundè opinio probabilis non est, ut in 5. prænotato ostensum fuit; & qui aliter litem sive causam contestatur, contrà jus & conscientiam contestatur, ac parti injuriam facit, tùm quia sine probabili titulo illum vexat, tùm quia in injustas expensas partem præcipitat ; cùm causa verè dubia non reputetur, nisi quia in utramque partem ex opinionibus probabilibus ventilari potest.

Peccant causidici assumentes causas improbabiles, esto actores postulent.

Ex qua conclusione infero 1. Non tantùm privatis, sed etiam reipublicæ gravissima damna inferre causidicos, ac multis peccatis se intricare. 1. Qui omninò improbabiles causas quascunque in se defendendas suscipiunt lucri cupiditate, nec sufficit quòd ad instantiam & postulationem Actorum id præstent, etiam post monitionem de improbabilitate causæ : peccant enim injustam causam defendentes, & justitiam periculo exponentes, ac partem contrariam in injustas molestias & sumptus inducentes, ad quorum restitutionem tenentur.

Mutilantes & interpretantes verba legum contrà sensum &c. legis.

2. Gravissimè peccant, qui suo ingenio fidentes scripta multa faciunt, verba legum contra legis sensum, finem & intentionem legislatoris, scienter interpretantes, aut verba diversorum textuum præscindentes decurtantes, alterantes, & in adversum sensum trahentes, ac planè corrumpentes, ut ex iis verisimilem aliquam defensionem, actionem, aut responsionem, sive rescriptum componant, & mendacia pro veritate vendicent, in injuriam totius juris & justitiæ.

Tres frequenter errores in scripturis causidicorum.

Super quo, candide Lector, te monitum volo, ut in scripturis illis jurisperitorum & causidicorum advertas tam ad rationes legum, quàm verba, quæ ex variis textibus citantur, & invenies non raro tres potissimùm errores, nimirùm: citationes erroneas, verba decurtata, vel in alium sensum contorta, similia dissimilibus applicata, quæ si penitùs non attendantur, & cum textibus juris conferantur, facilè decipiunt.

Nuda auctoritas Doctoris non facit opinionem probabilem in conscientia.

Dixi autem in conclusione (*aut auctoritate sive testimonio gravium Doctorum firmatu*) ejusdem enim semper sum sententiæ, nudam auctoritatem Doctoris non dare sufficientem probabilitatem alicui opinioni ad firmandam conscientiam, quod non minùs urget in casu ad declarandam, vel definiendam causam controversam in materia justitiæ, & quæ cedit in præjudicium tertii, nisi auctoritas illa rationi alicui probabili adjungatur, & quasi testimonium det probabili conformitatis ad leges. Super quo hic etiam advertendum est, nisi rationes Auctoris genuinè referantur, ipsos erroneè aliquandò citari, & in partes contrà verum sensum eorum verba trahi, non factâ debitâ reflexione super rebus & rerum circumstantiis, de quibus loquuntur, adeoque frequenter ipsos perperàm vocari in testimonium eorum, quæ in eo sensu vel simili causa non dixerunt, ità ut eorum immeritò traducatur auctoritas.

CONCLUSIO II.

Certâ justitiâ deprehensâ opinio probabilis exulat.

VBi post ventilatam debitè secundùm jura causam certa justitia deprehenditur, non licet judicibus declinare ad opiniones probabiles initio causæ propositas.

Ratio est : Quia succedente certitudine rei absorbetur & tollitur sola probabilitas, & cùm ipsorum sit justè judicare, & justitia vera ex integra causa & certitudine juris procedat, peccabit contrà justitiam, & integritatem juris, si derelictâ certâ probatione deflectat ad probabilem tantùm ; peccabit etiam ac injuriam faciet illi, à cujus parte certa probatio stat; quia inventâ certâ ratione & probatione causa non ampliùs dubia remanet, & consequenter nec controversa, nec materia litis.

CONCLUSIO III.

Probabilitas magis faventi uni parti, judici amplectenda.

AGitatâ & ventilatâ legitimè juxtà leges causâ, ubi probabilitas magis inclinat in unam partem, illa à judice est sequenda : si autem maneat adhuc in re obscuritas, liberum erit judici quamcunque probabilem opinionem (modò sit verè probabilis) sequi, & juxtà illam sententiam ferre.

Ratio prioris partis est : Quia juxtà allegatorum & probatorum conditionem sententia ferri debet ; cùm igitur ex supposito, allegata & probata in unam partem magis inclinent, illam judex sequi debet.

Ratio posterioris partis est: Quia re obscurâ & dubiâ remanente, utrimque rationibus probabilibus existentibus, determinatio penes Superiorem remanet, cujus partes & officium agit judex.

TITVLVS III.

De personis ad substantiam judicii concurrentibus.

PErsonæ ad substantiam judicii concurrentes superiùs præter judicem statuimus ; *Denuntiatorem*, sive *Accusatorem*, *Reum*, & *Testes*. Sub Denuntiatore vel Accusatore comprehendo in quibuscunque causis civilibus actorem, sive eum, qui partem ad judicium evocat, sive evocati procurat. Etsi enim nomen actoris aliquando pro accusatore sumatur, generaliùs tamen in hac materia patet, & sumitur pro quocunque in judicio contrà reum agente.

§. 1.

De denuntiatore, & denuntiatione, ejusque obligationibus & peccatis.

Denuntiator quis. Denuntiator dicitur, qui alterius crimen defert apud Superiorem, vel judicem, sive ut reus emendetur, sive ut ad exemplum aliorum puniatur, vel remedium malo adhibeatur. *Denuntiatio quadruplex* Unde quadruplicem assignant Doctores denuntiationem. Alia est Evangelica; alia canonica; alia judicialis privata; alia judicialis publica.

Evangelica qua Matth. 18. 15. Evangelica dicitur, quæ ad meram denuntiati emendationem dirigitur, juxta formam à Christo expressam, Matth. 18. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, &c. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ*, ubi forma denuntiationis Evangelicæ exprimitur; ut primò peccator moneatur privatim, deinde adhibitis testibus, tandem si se non emendet, denuntietur Ecclesiæ, id est, Prælatis. Sed hæc nihil ad judicium fori externi pertinet, & de illa fusè egimus tom. 2. tract. 2. tit. 4. sect. 2. quæst. 1. in appendice, & dubiis consequentibus.

Canonica. Canonica denuntiatio dicitur, ad quam aliquis tenetur virtute canonis alicujus. Et hæc etiam ad judicium fori externi non pertinet, & qui canonicè aliquod delictum denuntiavit, non tenetur probare, nec potest cogi in judicio comparere, quamvis possit in judicio examinari, ut testis.

Judicialis privata. Denuntiatio judicialis privata est, quæ fit judici non ad punitionem delinquentis, sed tantùm ut cogatur restituere damnum, quod denuntianti à reo factum est: ut si servus conqueratur apud judicem de stipendio sibi non soluto. Dicitur judicialis, quia judici fit; dicitur autem privata, quia absque publico judicio expeditur.

Judicialis publica. Denuntiatio judicialis publica est, quæ non tantùm ad emendam rei, sed etiam ad punitionem delicti coram judice fit, absque tamen obligatione ad probandum delictum, aut inscriptione denuntiantis, sed tantùm, ut judici via aperiatur ad inquirendum de delicto.

Porrò de hac ultima denuntiatione hìc agitur: per illam enim judex inducitur ad inquisitionem juridicam de delicto; imò de persona delinquente faciendam, sive ut malum removeatur (ut si denuntietur proditio civitatis, quàm aliqui moliuntur, etsi illi ignoti sint) sive ut personæ puniantur, si illæ cum delicto denuntientur.

In hac quæ observanda. Denuntiator porrò in denuntiatione judiciali publica tempus, locum, crimen, personas, testes (si nôrit) adnotare & nominare debet, sine quibus denuntiatio non urget, nec judex tenetur illam acceptare. Quòd si ista non nôrit, tenetur saltem famam, & circumstantias famæ sufficienter indicare, aliàs judex non tenetur ei credere.

Ab ea qui repellantur. A denuntiatione juridica & publica repelluntur criminosi, infames, & ferè omnes, qui repelluntur ab accusatione, de quibus infrà.

Peccata denuntiatorum. Peccata denuntiatorum sunt.

1. Si ex odio, inimicitia, invidia, nullo publici boni amore denuntient.

2. Si secreta peccata vel occulta, & quæ jam sunt emendata, nec publico bono nocere possunt.

3. Si falsitatem aliquam suæ denuntiationi immisceant, aut delictum ultrà modum exaggerent.

4. Si in vera etiam & legitima denuntiatione innocentes intricent, aut sint tertio innocenti causa damni; utpote si ex eorum denuntiatione innocens aliquis captivetur, aut fama ejus in judicio vel extra periclitetur.

Denuntiator quando habendus ut accusator. Advertendum porrò est, quòd si denuntiator denuntiatione factâ judicem urgeat, eumq; stimulet ad procedendum vel puniendum, tunc habendus erit non ut denuntiator purus, sed ut accusator, quia personam accusatoris sub pallio denuntiatoris abscondit, adeoq; ad omnia, ad quæ accusator tenetur, obligandus est, nimirùm, ut suæ denũtiationi subscribat, & se ad pœnam talionis in defectum probationis obliget.

Falsus qui puniendus Denuntiator falsus, etsi ad pœnam talionis non obligetur, quia purus denuntiator est, qui tamen falsum denuntiavit, extraordinariâ pœnâ debet castigari. Vide Iurisconsultos.

Culpantur judices constituentes homines viles, & ad explorandum. Est porrò intolerabilis quidam error, qui serpit, quo nonnulli judices aut Superiores substituunt aliquos exploratores, homines viles, nullos, ebriosos in tabernis & locis, qui meri sunt delatores, ut plurimùm ex istis delationibus victum quærentes, & eos ut denuntiatores audiunt, & reos citant, & ad expensas & sumptus deducunt, imò & ubi se purgaverint, eos ad expensas condemnant. Hi absque peccatis multis mortalibus ista facere non possunt: sunt enim & causæ delationum falsarum, & multorum damnorum eo his consequentium.

§. 2.

De Accusatore, & ejus obligationibus ac peccatis.

Accusator quis. Accusator propriè dicitur, qui dato libello judicem interpellat adversus reum in causâ delicti vel criminis in ordine ad vindictam ob publicum bonum, obligans se ad delicti probationem; & in casu defectus probationis ad talionis pœnam.

Dicitur (qui dato libello, &c) in hoc enim distinguitur à denuntiatore mero, qui solâ voce, non scripto denuntiat. Alia, quæ in hac descriptione ponuntur, obligationes accusatoris declarant.

Ejus obligationes. 1. Enim debet delictum, sive crimen & personam in singulari exponere; neque enim sufficit in generali accusare.

2. Ut juridica sit accusatio, debet vindictam delicti, sive reum ad vindictam ob delictum expetere: si enim tantùm ad emendam, denuntiatio potiùs est, quàm accusatio.

3. Debet publicum bonum intendere; si enim odio privato accuset, mortaliter peccat.

4. Debet

4. Debet obligare se ad delicti probationem, non enim potest fieri accusatio de delicto occulto, sed debet aliquo modo esse publicum, quod per idoneos testes probari possit.

5. Hoc ipso, quo se accusatorem declarat, obligatur sub pœna talionis delictum, sive crimen probare.

Ejus peccata. Peccata itaque accusatorum sunt:

1. Si falsò hominem accusent, utpotè de crimine, quod non fecit.

2. Si de crimine quidem facto, illud tamen & circumstantias ultra veritatem vel augent, vel multiplicant.

3. Si peccatum, quod omninò occultum est, aut emendatum, absque causa (qualis esset in proditione civitatis, vel ruina reipublicæ imminenti) ad judicem defert: in occulto enim casu non licet hominem accusare, nisi fortè ex nostra taciturnitate gravius malum proximo, vel reipublicæ immineat.

4. Si odio aut malevolentiâ accuset.

Tenetur porrò de omni damno, quod per accusationem falsam deprehenditur intulisse, tam in fama, quàm in bonis.

PETES 1. An aliquis teneatur aliquandò criminosum accusare.

Quandò non teneatur accusare. Resp. 1. Non teneri, nisi evidenter crimen probari possit. Ratio est, quia inutiliter id faceret, & se, non probando, pœnæ talionis exponeret.

Quandò teneatur. Resp. 2. In casu, quo respublica periclitatur, vel grave aliquod periculum publicum immineret, tenetur quis vel accusare, aut saltem delictum denuntiare, non tantùm ex charitate, sed etiam ex justitia, si sit reipublicæ vel civitatis membrum. Explico: Civis novit proditionem civitatis, aut aliquos incendium machinari, aut grave aliquod malum civibus imminere, imò graves injustitias in rempublicam serpere, tenetur vel accusare, si probare possit, vel saltem denuntiare, si probare nequeat. Ratio est, quia cùm sit membrum civitatis, tenetur ex justitia, quantum potest, civitatem defendere, & à civitate malum propulsare, idque ratione fidelitatis reciprocæ, quæ est inter cives respectu reipublicæ, quæ fidelitas inducit obligationem justitiæ, qua tenetur respublica, & qui eam gubernant, cives ex justitia conservare, & consequenter cives reipublicæ & ejus rectoribus. Unde tenentur ex justitia & fidelitate conspirationes aperire, conspiratores denuntiare, vel accusare, ac injurias, quæ in publici boni ruinam vergunt.

ANNOTATIO NECESSARIA.

Crimina merè personalia. Hic porrò notandum est; duplicia hîc distingui debere crimina. Alia enim sunt merè personalia, quæ nimirùm personam delinquentis non excedunt: ut bestialitas, sodomia utroque consentiente, &c. *Contagiosa.* Alia sunt, quæ non soli personæ nocent, sed in aliorum etiam perniciem & nocumentum cedunt, quæ vocare possumus contagiosa, sive perniciosa.

In prioribus potest, & interdùm debet servari correctio Evangelica. Quod spectat ad merè personalia, in illis valet ordo correctionis fraternæ Evangelicus, & etiam in casibus certis obligat, non tamen tenetur quis ad juridicam accusationem, vel denuntiationem; si enim crimen occultum sit, occultè corrigi potest, & si necessaria sit denuntiatio ad salutem peccantis, sufficit Evangelica & paterna, sive extrajudicialis. *Secùs in posterioribus.* Si autem peccata sint contagiosa, aut perniciosa reipublicæ, aut etiam proximo, quamdiu subest periculum alicujus gravis damni sive publici, sive privati, quod præponderat famæ delinqenntis, nec possum per me malum certò removere, obligor reipublicæ, Ecclesiæ, religiosæ congregationi, cujus sum membrum, omissâ omni aliâ tergiversatione, crimen denuntiare. *Exemplificatur.* Pono exempla: Civis novit conspirationes, latrocinia, injustitias reipublicæ damnosas committi: Catholicus scit hæreticos multiplicari, hæresim doceri, conventicula hæretica secretò haberi: Religiosus deprehendit in sua congregatione mala aliqua in grave damnum suæ Religionis serpere: hi tenentur, si certò & statim non possint illa per se impedire, absque alia tergiversatione criminosos accusare, vel denuntiare. Vide quæ diximus tomo 2. tract. 2. tit. 4. sect. 2. quæst. 1. de correctione fraterna in doctrina notabili.

Quis possit esse accusator. PETES 2. An omnis homo ratione utens possit esse accusator?

Respondeo, non posse, sed ab accusatione jure repelli infames juris & facti, calumniatores, conspiratores, inimicos, nisi propriam prosequantur injuriam, accusatos de eodem crimine, mulieres, majorum criminum reos, &c. Vide quæ habentur apud Gratianum 3. quæst. 4. & 5. Advertendum tamen, esse nonnulla crimina, in quibus admittitur omnis accusator ratione utens, ut in hæresi, maleficio, sortilegio, crimine læsæ Majestatis, proditione, sodomia, &c.

§. 3.

De Actore, & ejus obligationibus, ac peccatis.

Actor quis. Adverte, Actoris nomen supponere interdùm pro accusatore: hic tamen generaliùs accipio, ut complectar eos, qui in causis civilibus actores sunt, prout contrà reum distinguuntur. Actor itaque universaliter dicendus est, qui alium in quacunque causa ad judicium provocat, & litem contestatur, de quo nil aliud hîc dicendum venit, nisi quòd teneatur ad veritatem, justitiam, & obedientiam. *Obligatur ad veritatem, justitiam, & obedientiam.* Ad veritatem quidem, ut in processu nihil aliud adferat, nisi quod novit verum aut probabile. Ad justitiam, ut nihil injustè in processu moliatur. Ad obdientiam, ut judici, & ejus diffinitionibus se submittat.

Ejus peccata. Peccant itaque 1. Qui mendacijs, fallacijs, fal-

falsitatibus, futilibus inventionibus, &c. processum intentant.

2. Qui injustitias suis litibus immiscent, falsa testimonia, perjuria, corruptiones testium & judicum, subornationes, tergiversationes damnosas requirentes.

3. Contrà obedientiam judici debitam peccant, qui impolita in judicio (ubi non est interposita legitima appellatio) non suscipiunt, aut nè executioni mandentur, iniquè impediunt.

Pottò tenentur ad restitutionem omnis damni, causâ processûs injustè reo illati.

§. 4.

De Reo, & ejus obligationibus ac peccatis.

Reus quis. REus (inquit S. Isidorus in lib. Ethimolog. habeturque c. *Forus* de verb. signif.) *à re qua petitur, nuncupatur : quia quamvis conscius sceleris non sit, reus tamen dicitur, quamdiu in judicium pro re aliqua petitur.* Itaque reus vocatur generaliter, qui ab aliquo in re controversa ad judicium provocatus est.

Ejus obligatio. Illius autem obligationes sunt : Se contrà adversarium sive actorem jute defendere : Si interrogetur juridicè & legitimè, judici veraciter respondere : Objecta juridicè, justè dissolvere, vel se ab objectis purgare : Iudici in omnibus, quæ ad judicium pertinent, obedire.

Ejus peccata. Peccat igitur mortaliter 1. Qui judici juridicè & legitimè interroganti non vult respondere, aut si respondeat, æquivocè, fallaciter, vel mendaciter respondet.

2. Qui per calumnias, injustitias, falsitates, fallacias, aut quosvis illegitimos modos se conatur defendere, & objecta vera falsitate retundere.

3. Qui renuit judici obedire, per falsas & illegitimas appellationes, declinationes, vel dilationes, quæ in actoris legitimi damnum injustum redundant.

Tandem tenetur ad restitutionem omnis damni, quod ex injusto aut falso medio se defendendi actor justus & juridicus incurrit. Restant alia dubia resolvenda.

PETES 1. An reus à judice interrogatus teneatur semper absque ambiguitate respondere?

Ad juridicam interrogationem tria requiruntur. Respondeo : Quòd non, nisi sit legitima & juridica interrogatio. Ad juridicam autem & legitimam interrogationem tria requiruntur. 1. Ut qui interrogat, sit competens & verus ac legitimus judex : si enim non sit verus & legitimus judex respectu Rei; sive jurisdictionem certam & indubitatam non habeat in reum, non tenetur reus omnino respondere ; & si cogatur, potest amphibologiâ uti. 2. requisitum est : Ut delictum sit plenè vel semiplenè probatum, utpotè per testem unum omni exceptione majorem, vel indicia illi testi æquipollentia, vel famam publicam : & in causa civili, ut rationabiliter de re, quæ petitur, controversia moveatur. 3. Ut corpus delicti in criminalibus, vel ratio motiva in causa civili sit jam in processu producta, & reo manifesta, ut ex illis nôrit se in causa criminali juridicè interrogari, in causa autem civili se jure in judicium vocari, ac consequenter teneri judici obedire. His tribus deficientibus non tenetur judici respondere, aut ejusmenti in responsionibus se conformare, aut suum delictum prodere, sed potest quovis modo se tueri, ità tamen ut id absque præjudicio tertij fiat. *Illis deficientibus non tenetur reus respondere.*

PETES 2. An reus juridicè interrogatus de aliquo vel aliquibus criminibus, teneatur etiam alia occulta, de quibus non est infamatus, vel juridicè accusatus, indicare?

Respondeo 1. Iudicem non posse absque mortali peccato, & gravi Rei injuria reum interrogare de criminibus occultis, de quibus infamatus non est, aut juridicè accusatus, etsi de alijs sit infamatus & convictus, nisi delicta ità concatenata sint, ut communiter simul committantur. *Non potest judex sub mortali reum de ijs interrogare.*

Ratio est : Quia (ut suprà diximus) nec sunt semiplenè probata, nec juridicè notificata, & aliàs etsi in uno sit infamis vel convictus, quoad omnia alia occulta adhuc possidet famam suam, quam injustè judex tentat auferre : & judex, qui contrà ordinem juris aliquid interrogat, quod in damnum Rei vergere potest, mortaliter peccat, nisi delicta ita concatenata sint, ut communiter simul committantur : addo, aut se invicem sequantur & comitentur : Ex. g. reus convictus est de latrocinio, potest interrogari etiam de furtis, & alijs criminibus, quæ latrocinium comitantur.

Respondeo 2. Reum interrogatum de occulto crimine, aut etiam de illo, de quo non est juridicè accusatus, posse tacere, & quovis modo licito illud negare, & se defendere. Dixi (quovis modo licito) non enim licet formaliter mentiri, etsi liceat amphibologicis & dissimulatis verbis & actionibus uti : nec licet actori calumniam inferre, aut in tertij præjudicium se tueri. *Si interrogetur, potest tacere &c.*

PETES 3. An teneatur reus complices criminis, interrogatus à judice, manifestare?

Ratio dubitandi est, quia in criminibus, in quibus necessariò sunt complices, utpotè quæ committi non possunt, nisi pluribus concurrentibus, uno juridicè accusato, & de crimine convicto, alij concomitanter videntur accusati & convicti. *Ratio dubitandi.*

Respondeo nihilominùs, si de aliquo complici in singulari, vel aliquibus complicibus facta non est accusatio, non teneri complices confiteri vel manifestare, si verè sint occulti, nisi tamen in casu, quo, etsi ipse reus & alij complices non essent, illos denuntiare aut accusare teneretur. *Si verò sint occulti, non tenetur.*

Ratio est : Quia supposito, quod sint occulti, adhuc possident quoad personas suas individuas

duas famam suam, nec propter complicis accusationem, vel confessionem, illam perdiderunt. Et quamvis delictum in se sit cognitum, & ex natura delicti possit judex super complicibus inquirere, reus tamen non tenetur de alieno crimine respondere, quia alienum debitum non spectat ad eum. Unde potest quidem judex, cum constet de corpore debiti, & de pluribus cooperantibus, illum interrogare, & etiam urgere, ut accuset complices; si tamen accusatus possit dissimulare, non peccat, quia illi complices non sunt juridicè accusati, nec ex convictione alterius aliqua in personas illorum cadit probatio, nec plena, nec semiplena, sed tantùm in delictum ipsum. Diximus autem interrogationem judicis non censeri juridicam, ità ut ad responsionem obliget, nisi is, de quo fit interrogatio, sit de delicto accusatus, vel contrà illum sit saltem semiplena probatio.

Judex potest interrogare & urgere reum.

Dixi suprà (nisi tamen in casu, quo, etsi ipse reus & alij complices non essent, illos denuntiare vel accusare teneretur) Tunc enim eodemmodo obligaretur, non quia complex, aut quia juridicè interrogaretur, sed ex obligatione, quam habet, certa delicta, quæ in perniciem reipublicæ vergunt, accusare. Ex. g. Unus ex conspiratoribus in magistratum, vel proditionem civitatis accusatus de conspiratione, de illa convictus est, & illam confessus: interrogat illum judex de complicibus, ex vi interrogationis non tenetur accusare, si aliàs sint omninò occulti; sed si conspiratio illa adhuc immineat, & aliàs non sit impedita, tenetur ex fidelitate & charitate complices manifestare, ut malum, quod imminet, impediatur & avertatur, prout suprà docuimus. Et hanc obligationem nonnulli explicant in certis criminibus, ut hæresis, falsæ monetæ, maleficiorum, proditionis, communis & perseverantis furti & latrocinij, ac sortilegiorum, quòd cùm per illa perpetuò immineat malum, sicut semper quis tenetur illa denuntiare, eò magis obligatur ubi deprehensus est complex. Dico (si malum perseveret & immineat) si enim criminosus sit in melius conversus, & malam voluntatem absolutè deposuerit, non tenetur quis illum denuntiare, si occultus manet.

Excipiuntur certa delicta, ex. g. conspiratio nondum consummata.

Item quædam alia, nisi criminosus sit conversus.

PETES 4. An si quis juridicè interrogatus crimen impositum tacuit, & consequenter tacendo, vel ad judicis mentem non respondendo uti tenebatur, peccavit mortaliter, non possit confessarius illum absolvere, nisi crimen suum, quod tacuit, promittat judici aperire?

Respondent multi, non posse absolutè, nisi promittat crimen suum judici confiteri. Ratio eorum est, quia si non confiteatur juridicè interrogatus, peccat iterùm mortaliter: Ergò debet illi imponi à confessario ut dicat.

Respondeo ego: Si taciturnitas, vel amphibologia Rei nemini noceat injustè, confessarium posse illum absolvere à delicto illo taciturnitatis, quòd judici juridicè interroganti non responderit, nec tenetur ipsi imponere, ut posteà crimen indicet; sufficit enim reo, quòd proponat emendam, casu quo iterùm interrogetur: si autem ampliùs non interrogetur, jam liber evasit: si interrogetur, & non fateatur, novum peccatum committit.

Potest absolvi, etsi crimen, quod tacuit, non promittat judici aperire.

Dixi (si taciturnitas nemini injustè noceat) si enim noceat tertio in re gravi & æstimabili, tunc tenetur promittere, non tantùm proponere respondere judici, & obligatur, nè proximo injustè noceat, etsi non interrogaretur posteà, crimen confiteri. Ratio est quia jam supponitur ex ejus taciturnitate, & amphibologia damnum proximo injustè illatum, ad quod auferendum reus tenetur.

Si ejus taciturnitas nemini injustè noceat.

DICES: Ergò semper tenebitur, quia in omni juridica accusatione accusator tenetur ad pœnam talionis, si non probet.

Respondeo: Accusatorem isti periculo se sponte subjecisse, adeoque damnum, quod ipsi evenit, non tam ex taciturnitate Rei evenit, sed quia in completa probatione defecisse videtur. Nec confessio Rei est pars probationis, sed quidam effectus consequens, quem non potest accusator vel actor promittere.

Cur non obstet quòd noceat accusatori.

PETES 5. An reus teneatur judici in omnibus obedire? Ratio dubitandi est, ob fugam, quam videtur etiam post convictionem justè posse capescere.

Respondeo: Reum teneri quidem acquiescere sententiæ, & ut justam recipere; ibi enim completur judicium: posse tamen sine peccato fugam capere, si absque gravi damno tertij id possit fieri, & hoc ex privilegio juris naturæ, quo quilibet potest vitam suam tueri, vel grave damnum evitare. In hoc autem obedientia judici servatur, quòd cùm quis aliàs possit propriam vitam tueri, etiam cum tertij damno, hic ratione sententiæ justæ id non possit cum tertij damno, ut cum violenta læsione custodum & satellitum: peccaret enim mortaliter, si fugiendo alicui grave damnum inferret.

Reus fugere potest.

Sed non cum damno tertij.

§. 5.

De Testibus & eorum qualitatibus.

TEstis ethimologiam accipe ex Isidoro (ut habetur in decreto de verb. signif. c. *Forus.*) *Testes* (inquit) *antiquitùs superstites dicebantur, eò quòd super causæ statu proferebantur: nunc parte ablatâ nominis, Testes vocantur*, id est, testimonium ferentes. Et prosequitur Isidorus eorum qualitates: *Testes autem* (ait) *considerantur conditione, naturâ, & vitâ. Conditione, si liber, non servus: nam sæpè servus metu dominantis testimonium supprimit veritatis. Naturâ, si vir, non fœmina, nam varium & mutabile testimonium semper fœmina producit. Vitâ, si innocens & integer actu, nam si vita bona defuerit, fide carebit, non enim potest justitia cum scelerato homine habere commercium.* Hæc Isidorus. Porrò qualitatibus his aliæ junctæ sunt, quæ sequenti versu exprimuntur.

Quis Testis.

Ejus qualitates ex Isidoro.

Alia ejus qualitates. *Conditio, Sexus Aetas, Discretio, Fama, Et Fortuna, Fides, in teste bus ista requiret.*

Conditio, ut suprà, liber sit, non servus; nec Regularis absque licentia superioris; nec Clericus in causa sanguinis. *Sexus*, ut suprà, vir, non mulier. *Aetas*, ut sit pubes, & in causa criminali 20. annorum. *Discretio*, ut sit ratione utens, non furiosus, non ebriosus. *Fama*, ut sit bonae famae, non infamis. *Fortuna*, nè sit pauper, ità ut paupertas ingerat suspicionem corruptionis. *Fides*, ut non sit haereticus.

De obligationibus & peccatis testium, & excusationibus à testimonio ferendo, diximus sufficienter tomo 2. tract. 9. tit. 2. per totum, ibi vide.

TITVLVS IV.

De personis judicio accessorijs, & quae scripturis, vel executionibus deserviunt.

PErsonae pro scripturis judicio accessoriae sunt sequentes: *Scriba, Notarij*, sive *Tabelliones*. De quibus pauca.

§. 1.

De Scribis, eorumque obligationibus.

Scriba qui. SCribae dicuntur, qui ex officio omnia judicialia acta, dicta, & inquisita describunt fideliter, & in authenticum librum vel instru- *Eorum obligationes.* mentum referunt. Eorum obligatio est juramentum, cui se adstrinxerunt, servare; fidem indubitatam scripturis conciliare: diligentiâ & vigilantiâ suâ providere, nè quis mendus, vel dubium erroneum in eorum scripturas serpat: item secretum servare, nè quid dicant, revelent, vel scripto tradant, quod in praejudicium reipublicae, magistratûs, vel judicis, quibus deserviunt, aut privatarum personarum, quarum acta describunt, cedere possit. Undè sit pro peccatis dignoscendis:

REGULA GENERALIS.

Eis contravenientes in re gravi peccant mort. & tenentur quandoque ad restit. SCriba, *qui in aliqua re gravi juramentum suum & fidem violavit, sive falsificando scripturam, vel instrumentum publicum privatumque, sive ex negligentia aut malitia aliquid omittendo vel mutando, sive quae secretò servari debent, revelando, praeter poenas juris, quas incurrit, mortaliter peccat, & si damnum aliquod ex supradictis provenerit, tenetur ad restitutionem.*

Quandò cuperint in honore haberi. Porrò scribae, etsi antiquitùs tanquàm Amanuenses & scriptores sive excerptores haberentur, adeoque parvi fierent, ut etiam à servis illud officium obiri posset; temporibus tamen Arcadij & Honorij coepit non nisi personis qualificatis & spectabilibus dari, qui & scientiâ sufficienti pollerent, & de quorum fide & probitate publicè constaret. Undè est illud Theodorici Regis Gotthorum apud Cassiodorum l. 5. variarum epist. 22. *Capuanum* (inquit) *spectabilem virum aestimatio nostra respexit, qui curiae nostrae sententiam facundus ediceret, & Senatus scripta conscientiae puritate servaret, ut actus illius mundo celeberrimos suâ reddat integritate laudandos.* In quibus verbis & officij honorem, & personae qualitates, scientiam scilicet, fidem, & probitatem depinxit. *Cassiod.*

De vitijs scribarum multa congerit & conqueritur Iustinianus in Auth. de defensoribus civitatis §. *Quae verò aguntur ab eis*, quae ibi vide, quia non pertinent ad rem nostram. *Iustinian.*

§. 2.

De Notarijs, seu Tabellionibus, eorum obligationibus & peccatis.

NOtarij & Tabelliones idem officium dicunt: vocantur autem *Notarij*, quòd dictata in judicio, vel extra notis excipiant: dicuntur & *Tabelliones*, sive quòd antiquitùs in tabulis sua scriberent, sive quòd tabulas, hoc est, testamenta & scripturas publicas conficerent; dicti etiam *Libelliones*, quia in libellis & protocollo quae notârant, referrent. Est igitur Notarius sive Tabellio, qui auctoritate publicâ & legitimâ institutus est, ad scribenda instrumenta & alias scripturas, quae fidem publicam faciant, & quibus quivis in judicio & extrà stare teneatur. *Notarij, Tabelliones & Libelliones unde dicti.* *Notarius quis.*

Dixi (auctoritate publicâ & legitima) nimirùm Imperatoris, Regum, Principum supremorum, vel magistratuum potestate Principum gaudentium, & quidem respectivè pro suis terris & subditis duntaxat; ad illos enim pertinet notarios in causis civilibus & criminalibus creare; in Ecclesiasticis autem Papa pro universali Ecclesia, & Episcopus pro sua dioecesi notarios creare potest, immò & hanc potestatem alijs delegare, ut Protonotarijs & Superioribus Ordinum pro suis Religiosis, & causis Religionis. *A quo debeat creari in civilibus & crimin.*

PETES 1. Quae qualitates requirantur in Notarijs?

Respondeo: Requirebatur antiquitùs in notarijs scientia sufficiens artis notariatûs, fides, sive fidelitas, cum probitate vitae, & diligentia: verùm alia posteà addita sunt, nimirùm: Ut sint legitimè nati, non foeminae, sed viri, vivacitate sensuum pollentes, hoc est, nec surdi, nec caeci, nec muti, aetatis 25. annorum, honestae famae & mediocrium mediorum, instituti (ut dictum est) ab habente potestatem mediante juramento. *Qualitates ejus quae.*

Iuramentum autem notariorum haec ferè complectitur. 1. Quòd notarius de ijs, ad quae vocatus fuerit, & quae personaliter viderit, vel *Contenta in juramento praestito à eis.*

vel audierit, aut requisitus fuerit absque diminutione veritatis, vel admixtione falsitatis, aut quavis alteratione veritati repugnante sua instrumenta integra, & non vitiata faciat. 2. Quòd injuncta sibi secreta nemini revelet. 3. Quòd super contractu usurario vel usuram sapiente scienter instrumentum non conficiat. 4. Quòd de omnibus instrumentis quæ fecerit protocollum sibi servet. 5. Quòd fidelis sit ei à quo vocatur vel impenditur, ut secreta non manifestet. 6. Quòd absque passione odii, timoris, vel amoris, cum integritate conscientiæ officium administret.

Petes 2. Quale debeat esse instrumentum Notarii ad hoc ut fidem faciat?

Angelus. *Respondeo*: Angelus V. *Tabellio* ponit ad hoc sequentes conditiones. 1. Ut invocetur nomen Domini. 2. Ut ponatur annus, mensis, dies, indictio 3. Ut ponatur nomen Papæ, Imperatoris, Regis, vel Principis respectivè in terris ipsis subditis. 4. Locus contractus. 5. Series facti sive actûs. 6. Testes, quorum etiam erit signare, vel notam aliquam adhibere. 7. Notarius ipse signet suo ordinatio signo, & in subscriptione notet à quo vel quibus legitimè institutus sit Notarius, & appareat etiam quòd ad id vocatus vel rogatus fuerit. 8. Instrumentum debet coram partibus relegi. 9. Si etiam partes signent, res magis authentica erit. Alii addunt debere Notarium nosse comparentes, ne aliqui supponantur ipsorum nomine, sed sufficit si testes norint. *Requisita ad authen. eius instrumenti.*

Eius peccata. Ex dictis colligi possunt peccata Notariorum. Primò itaque peccant mortaliter; si contra veritatem instrumentum faciant, vel illi aliquam falsitatem inspergant, aut alio modo alterent contra integritatem.

2. Si eorum negligentiâ, vel ignorantiâ, aut malitiâ aliquis error contra substantiam instrumenti irrepat, ut in nomine, diè, substantia contractûs, convocatione testium, &c.

3. Si infidelitatem aliquam committant revelando secreta, aut dando copias instrumentorum iis, quibus non debent.

4. Si cui ex ipsorum negligentia culpabili, ignorantia, vel infidelitate damnum eveniat, tenentur ad restitutionem.

An Religiosus possit esse Notarius. Hic petitur: An Religiosus possit creari Notarius? Et an creatus Notarius ante Religionis ingressum possit officium exercere?

Ad 1. Respondetur non posse, nisi pro causis sui Ordinis. Ad 2. etiam negativè respondetur, nisi fortè contra hæreticos, posset tamen vetera instrumenta ante Religionis ingressum inchoata complere. Vide Angelum suprà.



TITULUS V.

De Advocatis, & Procuratoribus.

§. I.

De Advocatis, eorum obligationibus, & peccatis.

Advocatus dicitur, qui in forensibus negotiis proponendis & discutiendis parti suum præbet patrocinium in verbo, vel scripto. Unde vocantur causarum patroni, quia causæ actoris vel rei patrocinantur: Vocantur etiam Oratores & Rhetores causidici: quia benè dicendo vel scribendo causæ veritatem & justitiam coram judicibus exponunt: unde etiam dicti sunt postulatores, quia pro justitia & æquitate postulare debent: nomen autem commune Advocati, indicat, quòd non propriâ sponte, sed alterius voluntate in patrocinium causæ vocentur, vel etiam justitiâ & æquitate periclitante ad patrocinandum invitentur. *Advocati causarum patroni.* *Item postulatores. Nomen Advocati quid indicet.*

Necessitatem Advocatorum, eorumque utilitatem, simul & officium eleganter perstringunt Leo, & Antonius Cæsares *l. Advocati*, C. de Advoc. divers. judicior. *Advocati* (inquiunt) *qui dirimunt ambigua facta causarum, suæq; defensionis viribus sæpè publicis in rebus ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, non minùs provident humano generi, quàm si præliis atque vulneribus patriam parentesq; salvarent. Nec enim solos nostro imperio militare credimus illos, qui gladiis, clypeis, & thoracibus nituntur; sed etiam Advocatos. Militant namq; causarum patroni, qui gloriosa vocis confisi munimine laborantium spem, vitam, & posteros defendunt.* *Eorum necessitas, utilitas, &c. l. Advocati.*

Aliam causam necessitatis Advocatorum alii adferunt: quia in sua causa unusquisque cæcutit, dum passionibus turbatus animus, propriâ caligine involvitur, adeoque de propriæ causæ justitia aut injustitia certum judicium ferre non potest: opus itaque est docto, pio, & sedato viro, qui causam proponat & defendat, quique tempori, & loco, ac personis se accommodare valeat.

Qualitates præcipuè Advocatorum sunt: *Ætas congrua, Doctrina probata, prudentia, fidelitas, diligentia, vita, & mores probi.* *Qualitates.*

Ætas congrua, neque enim pueri ad Advocatorum officium admittendi sunt, neque congruum est, ut qui per ætatem curatore indigent, & sub tutela aliena sunt, quique seipsos regere non possunt, aliorum negotia agant, vel aliis patrocinentur. *1 Ætas congrua.*

Doctrina probata, ut nimirùm Jurisprudentiæ cum fructu studuerint, & gradum licentiæ, aut saltem sufficientem scientiam testimonio Doctorum & magistrorum Academiæ, in qua studiis vacarunt, adepti fuerint. Sic enim Anastasius Cæsar prohibuit consortio Advocatorum adscribi aliquem, *antequam per statuta tempora legum eruditioni nos catur inhæsisse*, ut habetur in *l. Jubemus pro tempore*, §. *Pro sportulis* C. de *2. Doctrina qua.* *l. Jubemus.*

Idem. Advocati deterrens: *Advocatum* (ait) *esse inquit* (quispiam) *magna res est; potentissima eloquentia in omnibus habere susceptus, pendentes ex lingua diserti patroni sui, & ex ejus ore sperantes, vel damna, vel lucra, vel mortem, vel vitam, vel perniciem, vel salutem.* Et monet: *Nescis* (ait) *quò te miseris. Alius & iste fluvius Babylonis est: & quod multùm sonat, strepitus aquæ in saxa percutit. Attende quia fluit, attende quia labitur: & si attendas qui fluit & labitur, cave quia trahit.*

§. II.

De Procuratoribus ad lites.

Procurator ad lites quis. PRocurator ad lites dicitur, qui nomine & mandato clientis litem vel causam in judicio contestatam prosequitur, & ad finem deducere conatur mediantibus Advocatis, & aliis ad causæ decisionem in judicio concurrentibus.

In Procuratore quatuor requiruntur: *Idoneitas, auctoritas, fides, diligentia.*

1. Requiritur in eo idoneitas & quæ. *Idoneitas*, quæ consistit in eo, ut non laboret aliquo defectu, pro quo à judicii actionibus repellatur, de quibus jam frequenter egimus, ut non sit mulier sed vir, non puer, non fatuus aut furiosus, non infamis, &c. & qui habeat qualitates, quas quælibet curia requirit, neque enim omnes in curiis & tribunalibus ad hoc officium admittuntur, sed pro ratione diversarum nationum, diversimodè de procuratoribus statutum est.

2. Authoritas ex parte ejus pro quo procurat. *Auctoritas* requiritur in omni procurante, ex parte personæ vel communitatis pro qua procurat, vel causam gerit: consistit autem ista auctoritas in expresso & authentico mandato, quo & procurator designatur, & mandatum de lite prosequenda vel plenarium, vel restrictum ipsi datur, cum sponsione de omnibus quæ ad litem spectant, quæ cedunt in personam mandantis sive clientis.

3. Fides & diligentia & quæ. *Fides & diligentia* procuratoris in hoc consistit, ut eâdem fide & diligentiâ omnia sibi commissa peragat, quâ ipsemet cliens, si adesset, & litem pro se prosequeretur, ageret, vel agere deberet. Ad nihil enim ampliùs obligatur, quàm ut bonâ fide procedat, & bonâ fide & diligentiâ, quæ sibi licitè demandata sunt, faciat. Dico (bonâ fide) Non censetur autem

Debet procedere bonâ fide & diligentiâ. bonâ fide procedere, si sciat & adulterat causam injustam, improbabilem, vel cautelis & dolis refertam: Nec censetur bonâ fide agere, si ipsemet injustos dolos, fallacias, astutias, vel calumnias, &c. adinveniat, vel adinventas exequatur in detrimentum justitiæ, deceptionem Advocati, illusionem judicis, & præjudicium ac detrimentum partis: Nec censetur etiam diligentiam bonâ fide debitam adhibere, si ob suam cupiditatem litem protrahat, & ultra necessarium tempus producat, si in tempore compatitionis responsiones, defensiones, instrumentorum productiones, &c. non habeat: Denique quidquid negligenter malâ fide *Aliàs tenetur ad restit.* vel injustè, sciente procuratore & consentiente, vel cooperante, in causâ agitur, in procuratoris culpam & peccatum revolvitur, tenetur que de omni damno, quod infidelitate, negligentiâ, vel malitiâ suâ clienti vel parti injustè advenit. Denique ferè omnia, quæ de Advocatis dicta sunt, accommodè procuratoribus, juxta rationem sui officii, applicanda sunt, ita ut non sit opus ea hic repetere.

TITVLVS VI.

De salariis Iudicum, Consiliariorum, Advocatorum, Procuratorum, &c. & munerum acceptione.

QUia sacra Scriptura plena est querimoniis & comminationibus contra acceptiones munerum ab his, qui præsunt, vel cooperantur judiciis tam civilibus, quàm criminalibus, meo instituto accommodum duxi titulum unum particularem hic ad calcem subjicere, ut salaria cognoscantur, & acceptationes munerum ab illis distinguantur. Paucis autem Quæstionibus breviter rem expedio.

QUÆSTIO I.

Quid sit salarium?

CONCLUSIO UNICA.

SAlarium dicitur, merces sive honorarium quod alicui præstatur ex justitia, ob laborem vel operam. Derivatur verò nomen *salarium* à *sale*, quia sicut sale condiuntur & conservantur cibi, sic operans salario conditur & conservatur. *Salarium quid.*

Dixi (*merces*) quod enim pro salario datur, merces est operis & laboris, quem quis præstat, aut cui aliquis est ex officio addictus: unde non semper datur ob operam actu præstitam, sed etiam quia quis addictus est operæ vel labori, quem opportunè debet adhibere, ubi rogatur: sic enim judicibus salaria debentur, quia etsi continuè non judicent, ubi tamen ad illos est recursus, judicare tenentur. *Cur dicitur merces.*

Addidi (*honorarium*) ubi enim de sapientia & scientiis liberalibus agitur, quæ æstimari pretio non possunt, si quid pro illorum exercitio detur, honorarium magis quàm stipendium aut merces dici debet. Talia existimo, quæ scientiarum professoribus, judicibus, Consiliariis, Advocatis præstantur: veniunt autem omnia nomine salarii. *Cur honorarium.*

Dixi (*quod alicui præstatur ex justitia*) nemo enim militat stipendiis suis, & sicut Regi debentur tributa & gabellæ ac subsidia suæ Majestati & dignitati congrua, sic & ministris Regis, Regi in operibus regiminis vel justitiæ cooperantibus. *Debetur ex justitia.*

QUÆ-

QUÆSTIO II.

Quod, qualeve salarium Iudicibus, Consiliariis, Advocatis, Procuratoribus dari consuetum sit?

Quadruplex salarium.

VAria salaria variè & diversimodè ministris justitiæ obvenire solent: Alia sunt jure publico assignata, à particularibus tamen & privatis personis in judicio contendentibus dantur: Alia, & jure publico assignantur, & ex publico ærario dantur: Alia, ex conventione facta cum personis, juxta rationem laboris aut industriæ: Alia communi quâdam consuetudine.

CONCLUSIO I.

1. & 2. debent ipsi ex justitia, nec ipsi majora exigere possunt.

QVando jure publico assignata sunt salaria, sive Iudicibus, sive Consiliariis, aut Advocatis ac Ministris justitiæ, sive ex publico ærario, sive à privatis personis pendantur: illa ita persolvi debent ex justitia, ut nec absque injustitia illis subtrahi, nec majora absq; injustitia ipsi, stante lege, exigere possint.

Ratio clara est: quia quæ jure publico sunt assignata, censentur prudenter, justè & accommodè laboribus assignata, unde legem faciunt, & pro lege observari debent.

Dixi nihilominus (*stante lege*) quia mutatis temporibus & circumstantiis possunt salaria illa mutari, augeri vel diminui, quia per quæ unumquodque constitutum est, per eadem destrui potest, & etiam mutari.

CONCLUSIO II.

4. Quoque justum est donec consuetudo reprobata non est.

SAlaria, quæ consuetudine donantur, quamdiu consuetudo non est reprobata, justa reputari debent, & quamvis excedere viderentur, justè tamen accipiuntur.

Ratio est: quia consuetudo pro lege habetur, & si videatur excessus, communi utentium consensu justificantur.

CONCLUSIO III.

Ad 3. quæ requirantur ut justum sit.

SAlaria, quæ ex conventione personarum cum ministris justitiæ proveniunt, justam proportionem ex partium consideratione & contractu requirunt, sicut in contractibus elocationis operæ & laborum conveniri solet. Itaque ad justitiam eorum requiritur libertas conveniendi, ut neutra pars cogatur, sed liberè conveniat; æstimatio personæ, studii, & laboris; æquitas & proportio salarii ad operam quæ impenditur, vel impendi solet & debet: Et sicut his salariis ex conventione clientes ex justitia tenentur, sic & officiarii & ministri justitiæ illis contenti esse debent, nec possunt pro sua voluntate aut libidine illa augere. Vide Jurisperitos in codicem.

Excipiuntur verò jure communi aliqui contractus; & 1. non licet Advocato, vel procuratori convenire de quota litis: *Ex. gr. si lucratus fuero causam vel litem, mediam vel* tertiam partem eorum, quæ tibi ex triumpho causæ provenient, accipiam mihi; ita habetur C. de postulando *l. Quisquis, §. Præterea*: Et ibidem *l. Si quis Advocatorum.* Et id quidem ad refrænandas nimias cupiditates, nam *ad defendendos reos præmio adduci, proximum esse latrocinio, & paciscendi morem esse pyraticum*, ait Quintilianus lib. 12. orator. instit. cap. 7. Volunt itaque leges ut conventio fiat, simpliciter super labore & opera, abstrahendo à causæ triumpho, vel ejus perditione. 2. Non licet Advocato litem vel causam emère vel coëmere, aut quâvis ratione de lite pacisci, ut ex juribus variis demonstrat Petrus Gregorius in Syntagmate l. 49. cap. 6. num. 34. per totum, ubi omnia pacta similia refert, & per jura excludit.

Advocatus & procurator non possunt convenire de quota litis.

l. Quisquis. l. Si quis. Quintil.

Nec licet emere vel coëmere, &c.

CONCLUSIO IV.

Ob extraordinaria opera, &c. debetur eis amplius honorarium.

LIcet Iudicibus extra domicilium è propria civitate evocatis, vel extraordinariis operibus, in causa agitatione, contra communem sortem vacantibus, expensas & sumptus necessarios & congruos accipere, ultra salaria communi jure designata. Idem dic de Consiliariis, Advocatis, & Procuratoribus.

Ratio est: quia illa non censentur venisse in considerationem legis, & quia de facto communem operam excedunt, iis ampliùs honorarium debetur, etiam præter expensas victûs & itineris, considerato labore & operâ quam impendunt.

QUÆSTIO III.

Quid dicendum de munerum acceptione.

CONCLUSIO I.

Quæ sportula sint licita.

SPortulæ, quæ longâ consuetudine in judiciis peti aut dari consueverunt, sine peccato accipi & expendi possunt.

Ratio est: quia illa, ut diximus, per consuetudinem publicam & continuam justificantur, & cùm ab omnibus communiter præstentur, non censentur ex iis quæ animum judicis vel ministrorum justitiæ inclinent. Quò referenda sunt munuscula exigua, quæ urbanitatis gratiâ amici sibi invicem elargiuntur juxta consuetudinem patriæ. Neque enim judicis, aut Consiliarii, aut Advocati officium illum deterioris conditionis reddit, quàm priùs erat, ut non possit consueta & urbana munuscula acceptare, quæ juxta communem usum nationis unus alteri, sine aliqua conventione vel spe alicujus extraordinarii favoris præstare solet.

Item exigua munuscula.

CON-

CONCLUSIO II.

Quæ post decisionem litis offeruntur quando ab eis recipi possint.

MVnera, quæ post totam litem decisam nonnunquam in congratulationem offeruntur, si non sint prius directè vel indirectè promissa aut proposita, sive prævisa, nec in pactum venerant, possunt absque conscientiæ læsione recipi.

Ratio est: Quia illa ut sic non potuerunt animum judicis aut ministrorum justitiæ (ut supponitur) movere ante sententiam, & consequenter nec judicium pervertere: his autem solis rationibus acceptio munerum judicibus & ministris justitiæ prohibita est: cavendum tamen ab aucupio, nè vel ad futuros favores præparentur.

CONCLUSIO III.

Munerum receptio semper in eis reprehensa.

MVnerum receptio à ministris, vel administratoribus reipublicæ semper reputata est iniqua, aut suspecta, aut vilis. Ita communiter Scripturæ Eccli 20. *Xenia & dona excæcant oculos judicum, & quasi mutus in ore avertit correptiones eorum.* Proverb. 17. *Munera de sinu impius accipit, ut pervertat semitas judicij.* Undè & Psal. 25. condemnantur illi, quorum *dextra repleta est muneribus.* Isaiæ 1. condemnantur *Principes* tanquàm *infideles & socij furum*, quia *diligunt munera, sequuntur retributiones.* Et cap. 33. de repudiante munera dicitur: *Qui excutit manus suas ab omni munere, &c. iste in excelsis habitabit, &c.* Præclarè S. Hieron. epist. ad Nepotianum de vita Clericorum & Sacerdotum circà finem: *Nunquam (ait) petentes, rarò accipiamus rogati. Beatius enim est magis dare, quàm accipere; nescio enim, quomodo etiam ipse, qui deprecatur ut tribuat, cùm acceperis, viliorem te judicat; & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plùs te posteriùs veneratur.* Hæc S. Hieron.

Eccli. 20. 31. Prov. 17. 23. Ps. 25. 10. Isa. 1. 23. Isa. 33. 15. 16. S. Hieron.

Regula pro acceptione munerum.

Regulam quandam in his quidam non infimæ notæ Auctor valdè concinnam ponit: Munera (ait) nec omnia, nec ubique, nec ab omnibus accipienda sunt: nam valdè inhumanum est, à nemine accipere; sed passim, vilissimum; & omnia, avarissimum.

TITVLVS VIII.

De Tutoribus & Curatoribus.

QUÆSTIO I.

Qui dicantur Tutores, & quotuplices sint?

CONCLUSIO I.

Tutoris qui.

TVtoeer dicuntur, qui impuberes aut oephanos, parentibus deficientibus, juxtà legum dispositionem, tam in personis, quàm in bonis, tuentur.

Dixi (*qui impuberes aut oephanos*) illis enim singulariter tutores dari solent, quia ratione ætatis & conditionis, sui vel bonorum suorum curam, aut tutelam habere non possunt. Tutela enim dicit quoddam jus defensionis: Orphanus autem sive pupillus impuber censetur, qui ante pubertatis annos curâ & officio patris est privatus, nimirùm pupillus antè decimumquartum annum, pupilla antè duodecimum.

Quibus soleant dari.

Dixi (*parentibus deficientibus*) sive per mortem, sive alio eventu; hoc ipso enim quo parentes deficiunt, si impuberibus & pupillis tutorem non assignent, à lege vel judice suppleri debent.

Dixi (*juxtà legum dispositionem*) qualitas enim tutorum, & eorum officium à legibus pendent.

Dixi (*tam in personis, quàm in bonis, tuentur*) etsi enim tutor primariò per se personæ assignetur, bonorum tamen impuberis aut pupilli administrationem habet, ut statim dicetur.

CONCLUSIO II.

Tutores triplices.

TRiplices assignantur Tutores, juxtà modum, quo eis potestas tutelæ assignatur. Primi, dicuntur Testamentarij: secundi, Legitimi: tertij, Dativi.

Testamentarij.

Tutores Testamentarij dicuntur, qui per testamentum parentum prolibus constituti sunt.

Legitimi.

Tutores Legitimi, qui testamento deficiente, sive tutorem non assignante, legum decreto assignati sunt. Et hi ordinariè sunt propinquiores in parentela, scilicet, qui pupillis in bonis ab intestato succedere debent.

Dativi.

Tutores Dativi sunt, qui ubi nec per testamentum, nec per legem provisum est, utpotè quòd inter consanguineos nullus idoneus reperiatur, à judice singulariter pupillis impuberibus datur.

Horum subdivisio.

Tutores Dativos aliqui dividunt, in Administrantes, Honorarios, & notitiæ causâ datos.

Administrantes dicuntur, qui realiter tutelam administrant.

Honoratij, qui realiter tutelam non gerunt, sed ratione honoris & potestatis gerentibus tutelam realem adjuncti sunt, ut suâ auctoritate & potestate illos in defensione adjuvent, & tutoribus actualibus, eorumque actionibus circa pupillos invigilant.

Notitiæ causâ dati, qui similiter gerentibus tutelam à magistratu vel judice, aut etiam testatore sunt adjuncti, ut de rebus & negotijs testatoris & pupilli illos informent.

QUÆSTIO II.

Qui Tutores esse possint?

CONCLUSIO I.

Continuò infirmi, surdi, cæci, &c. nequeunt esse tutores.

N*Ullus Tutor esse potest, qui quovis defectu tutelam administrare, & per se gerere non potest.*

Ratio est: Quia ille censetur ad finem, propter quem tutela est instituta, ineptus; undè infirmitate continuâ laborantes, surdi, cæci, muti, & hujusmodi defectibus & impedimentis laborantes, à tutela repelluntur. Hac etiam ratione mulier à tutela repellitur, ob infirmitatem sexûs. Excipiuntur tamen mater & avia, si per testamentum patris constituantur, vel expresse tutrices & administratrices relinquantur. Et ratio est: quia ob affectum & amorem ad filios, illorum curam singularem habituræ creduntur.

Item mulier, exceptâ matre & avia per testamentum patris instituta.

Mater transiens ad 2. nuptias tutela privatur.

Hic tamen & altera acceptio advertenda est: quòd si mater ad secundas nuptias subeat, à tutela repellitur, & illam deserere cogitur ob affectum, quem ad secundum maritum, vel secundas proles, in detrimentum pupillorum habitura præsumitur. Qua ratione similiter creditores, qui ære pupillorum gravantur, ad officium tutelæ non admittuntur, nè ratione debitorum pupillis damnosi sint.

Occupati in longa legatione, vel militia etiam repelluntur.

Excluduntur etiam à tutela, qui in legatione longa & militia occupati sunt, quia illo tempore pupillis succurrere nequeunt. Item, qui tutelas pretio aucupantur & quærunt, quia de proprio, lucro quærendo in damnum pupillorum sunt suspecti.

CONCLUSIO II.

Capaces ad tutelã electi tenentur eam assumere.

O*Mnes, qui ad tutelam præstandam & fideliter administrandam sunt capacee & idonei, non tantùm tutores esse possunt, sed etiam tutelam secundùm præscripta legum sibi demandatam assumere tenentur.*

Nisi excusationem sufficientem proponant, &c.

Ratio est: Quia in bonum publicum ità constitutum est, & in opus necessariæ charitatis pro pupillis, & ideò quicunque lege eligitur, vel cui tutela donatur, cogitur illam accipere, nisi excusationem proponat sufficientem, quæ à magistratu vel judice acceptetur: ut tradit Ulpianus l. 1. de administr. tut. lib. 26. ff. tit. 7.

QUÆSTIO III.

Quæ sint officia Tutorum, & quamdiu tutela censeatur durare?

CONCLUSIO I.

Invigilare pupillorum debitæ instructioni.

O*Fficia Tutorum his ferè continentur terminis.*

1. Tenentur pupillorum moribus & instructioni debitæ invigilare: sunt enim pupilli illorum curæ dati, ut tanquam patres, sive patris loco ipsorum curam gerant; patris autem prima sollicitudo est, ut in timore Dei, & moribus sanctis, ac congrua sibi scientia vel arte filij educentur. Quod benè notavit Concilium Toletanum in cap. *Omnis ætas* 12. q. 1. *Omnis ætas ab adolescentia* (inquit) *in malum prona est*, &c. postea subdit: *Quòd si aliqui ex his* (utique in Clero) *pupilli existunt, sacerdotali tutelà foveantur, & ut vita eorum à criminibus intacta sit, & res eorum ab injuria impiorum.*

Concil. Tolet.

Fideliter, &c. res eorum administrare. *Plato*

2. Tenentur fideliter & paterno affectu res pupillorum administrare in eorum majorem utilitatem. Undè Plato l. 11. de legibus: *Qui fœminam* (inquit) *maremve tutatur, & qui de legum custodibus* (id est, de magistratibus) *tutorem observare constitutus est: non minùs orphanos, quàm si genuisset eos, diligat: neque res illorum pejùs, quàm suas, gubernet, imò etiam affectu animi meliùs.* Ratio semper eadem, quæ priùs, quia tutor succedit in locum patris, & in omnia ejus officia respectu pupilli.

Eos defendere quoad personam & bona.

3. Tenentur tutores defendere pupillos ab omni injuria, tam personæ, quàm bonorum temporalium, imò & famæ. Ratio eadem, quæ supra, quia & hoc incumbit parenti.

Eos corrigere.

Pupilli debent illis obedire.

4. Possunt tutores & debent pupillos (ubi deficiunt) corrigere, & debitis modis & pœnis à malis coërcere, & delinquentes ad meliorem frugem reducere. E contra, pupilli tenentur tutori ut parenti obedire, nec acta pupillorum subsistunt sine consensu tutorum, etiam quoad vota, quæ à tutoribus invalidari possunt. Quæ omnia secundùm leges patriæ potestatis in filios minorennes libranda sunt, quia tutores in patriam potestatem succedunt. Undè est illud Apostoli ad Gal 4. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium: sed sub tutoribus & actoribus est usque ad præfinitum tempus à patre.*

Gal. 4.

CONCLUSIO II.

T*Utela varijs modis finitur.*

Finitur 1. pubertate.

1. Adveniente pubertate, quæ, ut diximus, in fœmina duodecimo; in masculo decimoquarto anno advenit. Advertendum tamen est, quòd qui tutoris officium usque ad pubertatem pupilli egit, posteà curatoris officium agere usque ad pupilli 25. annum, secundùm leges nationum.

Tutor tunc fit curator.

2. Morte naturali, & qualiter.

2. Finitur morte naturali tutorum vel pupillorum; cùm enim pupillus moritur, tunc transeunt ejus bona ad hæredes, qui si sint puberes, tutore non indigent; si impuberes & pupilli, ad alterius tutelam pertinent: cùm autem tutores moriuntur, si sint Testamentarij, aut Dativi, cessat tutela, quousque per magistratum vel judicem alius detur; si tamen sint legitimi, tutela legitima in liberos defuncti tutoris transit, si idonei sint, nisi alius propinquior succedat.

3. Civili etiam morte finitur tutela: si enim tutor fiat religiosus, professione emissâ

non

religio'am prof. ssionem. non est ampliùs tutelæ capax; si pupilllus ad Religionem etiam transit, à professione sua, tam à Tutoris, quàm à Curatoris subjectione liberatur.

4. Tempore 4. Tutela finitur tempore, si tutela nimirum ad certum tantùm tempus est data, ut interdum contingit.

5 Si Tutor fiat suspectus. 5. Tutela finitur, si Tutor suspectus, aut inventus pupillo inutilis vel damnosus à tutela removeatur: solent enim Tutores perfidiæ alicujus, vel de damno pupillo eveniente suspecti à Judice removeri, sicut & qui fiunt inidonei.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint peccata Tutorum in ratione tutelæ, & quæ pupillorum respectu Tutorum?

CONCLUSIO UNICA.

PEccata Tutorum, in ratione tutelæ, sunt sequentia.

Ob defectum vigilantiæ circa pupillũ, Tutor graviter peccat. 1. Si ex defectu affectus vel vigilantiæ Tutorum pupillus ad malos mores declinet, vel fidei jacturam patiatur, aut aliàs malis conversationibus se polluat. Ex g. puella sub tutela existens defectu vel perfidiâ Tutoris corrumpitur; impubes conversationibus pessimis in vitia & crimina dilabitur; & infinita mala juvenilibus animis eveniunt negligentiâ vel dissimulatione Tutorum: præterquam quod non rarò Tutores suis pupillis nociva matrimonia; ob suum commodum proprium, suadere, & interdum mercari soleant. In quibus omnibus, juxta rationem negligentiæ, materiæ; vel dispendij, mortaliter peccant.

Ob odium quo pupillum persequitur. 2. Qui odio vel malevolentiâ pupillos sibi commissos persequuntur, & eos in aliqua incommoda vel mala præcipitant, aut aliàs suâ duritiâ & animi crudelitate ipsis lapsus occasionem dant, vel ipsos malè tractant.

Ob negligentiã in administratione bonorum. 3. Qui in bonorum administratione negligentes sunt, nec ullatenus pupillorum utilitatem quærunt. Tenentur enim bona pupillorum non solùm fideliter administrare, sed etiam ad eorum utilitatem curare, ut justis medijs, ex. g. emptione, negotiatione &c. non tamen usurâ, fructificent: Unde si quid damni pupillo ex culpa Tutoris eveniat, Tutor obligatur ad restitutionem; nisi fortè quæ facit consilio Judicis & propinquorum faciat ad suam exonerationem. Et quidem tantam diligentiam adhibere tenetur Tutor in administratione bonorum pupillorum, ut inventarium omnium bonorum tam mobilium quàm immobilium facere statim à principio teneatur, & de eis ac fructibus ex illis provenientibus fidelem rationem reddere.

Tenetur à principio facere inventariũ omnium bonorum.

Ob deprædationem, & bonorum, 4. Peccant gravissimè, & ad restitutionem tenentur, qui bona pupillorum suam velut prædam faciunt, ea in suum commodum convertunt, ex eis sibi suisque fructificant, ea distrahunt, & interdum ad usuras tradunt, vel periculosæ negotiationi exponunt.

Pupilli quando & qualiter peccent. 5. Peccant pupilli mortaliter peccatis inobedientiæ, rebellionis, irreverentiæ, distractionis bonorum absque consensu Tutorum: denique in omnibus in quibus filij in parentes peccare solent, in quantum Tutores in officio parentum succedunt.

QUÆSTIO V.

Qui dicantur curatores, & qualiter à Tutoribus distinguantur?

CONCLUSIO UNICA.

Curatores qui. Quibus dantur. *CUratores dicuntur, qui nonnullis personis assignantur, ut illarum bona & negotia administrent.* Tales sunt, qui puberibus usque ad 25. annum assignantur, quorum officium subeunt & prosequuntur ordinariè illi, qui Tutores ante pubertatis annos fuerunt, ut suprà monuimus. Tales etiam sunt, qui prodigis, dilapidatoribus, &c. suorum bonorum furiosis, mente captis, surdis & mutis, à Magistratibus sive Judicibus assignari solent.

Quantùm bona temporalia, tenetur ad eadem, ad quæ Tutor. Officia Curatorum eadem ferè sunt, quæ Tutorum, quoad bona temporalia & negotia sibi commissorum; tenentur enim ea fideliter conservare, utiliter in bonum sibi commissi administrare, nec non ab injurijs diligenter defendere. Unde in his deficientes ijsdem se peccatis polluunt; quibus Tutores, de quibus quæst. præced.

Dixi (quoad bona temporalia) non enim eodem modo tenentur quoad personas, etsi tamen ex consequenti nonnulla etiam eis cura earum incumbat.

In quibus Curator differat à Tutore. Differunt itaque Curatores à Tutoribus 1. quòd Curator primò rebus detur, Tutor primò personis, demum rebus. 2. quod Curator adulto & puberi, Tutor impuberibus. 3. Curator datur tantùm secundùm leges, Tutor etiam per testamentum. 4. Curator invitus præfici non potest, Tutor etiam invitus ad tutelam cogitur. Cætera, quæ hîc dici possent, ex ijs quæ diximus de Tutoribus deducenda sunt, in cæteris enim Tutor & Curator pari & simili passu incedunt.

QUÆSTIO VI.

De Advocatis pauperum, & miserabilium Personarum.

Computantur inter Tutores & Curatores. ADvocati pauperum & miserabilium personarum inter Tutores & Curatores computandi sunt, cùm enim hujusmodi personæ in causis suis etiam justissimis omni auxilio, quod stipendio & salario emitur, sint destitutæ, ijs christianâ charitate debet provideri, sive à ditioribus, sive à Magistratibus, sive à Iudicibus. Unde pono paucula Conclusiones,

 CON-

CONCLUSIO. I.

Judices &c. tenentur pauperi de eo providere. Psal. 81. 4. Isa. 1. 17.

T*Enentur Magistratus & judices pauperi vel miserabili personæ, ubi similium causa agitantur, assignatu Advocatu & Procuratoribus, providere ne opprimantur.* De his per Scripturam monentur frequentiùs: Psal. 81. *Eripite pauperem: & egenum de manu peccatoru liberate.* Isaiæ 1. *Quærite judicium, subvenite oppresso, judicate pupillo, defendite viduam.* Quanta autem sit obligatio illa ex sequentibus constat, ubi inter causas malorum quæ Jerusalem evenerunt, illam ponit Propheta: *Pupillo* (inquit) *non judicant; & causa viduæ non ingreditur ad illos.*

Vers. 23.

CONCLUSIO II.

Et de publicis sumptibus eis salarium dare cum gratis advocare, &c pro eis nolunt.

O*Bligantur Magistratus & Iudices, ubi pauperes & miserabiles personæ ob defectum stipendij, Advocatos in suis causis, vitæ subsidia, vel famam, vel aliam gravem necessitatem concernentibus, non reperiunt, illis de publicis sumptibus Advocatos & Procuratores constituere.*

Ratio est: Quia illorum est in necessitate extrema aliis providere. Inter extremas autem necessitates non infimum gradum habet oppressio pauperum & miserabilium personarum in subsidiis vitæ, fama, aut similibus. Et ita tenet Covartuvias tom. 2. pract. quæst. cap. 6. n. 4. Silvester V. *Advocatus*, & alii.

Covarr. Silvester.

CONCLUSIO III.

Quilibet rogatus tenetur tunc gratis advocare.

Q*Vilibet Advocatus à paupere & miserabili persona rogatus, ut causam aliquam suam necessariam & urgentem (ut suprà) agat; cùm (ut supponitur) non habeat unde salarium ei det, tenetur sub peccato mortali necessitate sic urgente gratis advocare.* Ita Angelus V. *Advocatus*. num. 10. idque deducit ex lege divina Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum: Et credo* (ait) *quòd peccat mortaliter, quando scit talem impotentem incurrere notabile damnum ex defectu Advocati, si requisitus eum non adjuvat gratis; secùs si leve damnum, quia tunc esset veniale.* Et subdit de judice: *Et similiter judex peccat mortaliter vel venialiter sicut Advocatus, si sciens talem impotentem non providet sibi de Advocato, præcipiendo alicui ipsorum quòd gratis advocet pro tali impotente; Et si nolunt ei obedire, potest & debet eis interdicere officium advocationis*; quod probat multis legibus ibidem citatis.

Matth. 22. Angelus.

Ratio fundamentalis.

Ratio verò fundamentalis & generalis omnium dictorum est: quia necessitatem gravem vel extremam patienti tenetur Christianus ex charitatis præcepto sub mortali peccato, si potest subvenire. Hic autem non minor est necessitas oppressionis in bonis temporalibus aut honore, quàm necessitas vitæ, quæ sine subsidio temporali, quod injustè pauperi aufertur, non potest conservari; vel honoris ac famæ, quæ debent in judicio interdum defendi. Vide quæ diximus & latè deduximus tomo 2. tract. 2. tit. 4. sect. 2. quæst. 1. §. 2. dub. 1. & 2. & §. 4. in regula generali. Unde sit

CONCLUSIO IV.

Divites scientes, tenentur dare eleem. &c.

D*Ivites scientes & videntes, vel veraciter requisiti, nolentibus Advocatis vel Procuratoribus ob defectum stipendij gratis patrocinari) à paupere vel miserabili persona, ut ei suis eleëmosynis succurrant ad stipendium alicujus Advocati, in causa necessaria, de qua suprà, ne in judicio opprimantur, in tali necessitate tenentur sub peccato mortali juxta suam conditionem eleëmosynam præbere, & suppetias ferre.*

Ratio eadem, quæ suprà: quia pauperi & miserabili in gravi aut extrema necessitate teneor succurrere, si absque meo detrimento pari vel simili possum, ut tomo 2. locis allegatis docuimus: hic autem supponitur, & persona pauper & miserabilis, & necessitas gravis, in qua periclitatur, nec aliter adjuvari potest. Unde de hoc charitatis officio se justificabat Job. c. 29. *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi. Eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor. Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum, &c.* Et hoc quidem est opus summæ charitatis, quæ non in subsidio solo cibi potûsve aut eleëmosyna consistit, sed etiam & maximè in adjumento oppressorum, consolatione afflictorum, consilio & auxilio injuriam patientium. Vide sanctum Augustinum in Enchiridio ad Laurentium cap. 72. ubi singula subsidia veræ eleëmosynæ enumerantur.

Iob. 29. 11. & seqq.

Est hoc opus summæ charitatis.

S. August.

CONCLUSIO V.

Licitum tunc etiā Clericis advocare.

C*Lericis, etsi non liceat in causis civilibus advocare, id tamen licet in causis pauperum & miserabilium personarum, ubi alij desunt.* Hæc est communis omnium Theologorum & Canonistarum, fundaturque in charitatis debito & necessitate.

TRACTA-

TRACTATUS VI.

De altera parte tertii officii Regum, Principum, &c. quod est, defendere potentiâ populum, illumque vindicare contra hostes externos.

DEfensioni populi ab injuriis domesticis & civilibus succedit defensio contra hostes, sive bello defensivo illum protegendo, sive bello offensivo injurias vindicando. His armata militia deservit, de qua modò dicendum est.

Porrò ne plura inutiliter repetamus, recurrat candidus Lector ad ea quæ diximus Tomo 2. tract. 6. tit. 3. quæst. 1. §. 3. ubi per dubia 4. infrascripta resolvuntur. 1. An bellum sit licitum Christianis Principibus. 2. Quid requiratur ad justum bellum. 3. Quid de milite subdito Principi bellum gerenti? Et quid de milite extraneo non subdito, bello tamen voluntariè se addicenti. 4. An liceat militare sub Principe infideli sive contra infideles, sive adversus fideles? Et an liceat Principi fideli milites infideles in suum adjutorium assumere, supposita justitia belli? Habentur & in §. 5. quæ de duello dici possent. Illis igitur omissis, & Lectore ad ea remisso, cætera, quæ ad militiam spectant, prosequamur.

TITULUS I.

De naturâ & legitimâ institutione militiæ.

QUÆSTIO I.

Quid sit militia?

CONCLUSIO UNICA.

Militia quid. MIlitia; *est hominum multitudo auctoritate publicâ & legitimâ collecta, sub Præfectis & Ducibus congruis legibus artificiosè adunata, Sacramento sive juramento obligata, ad justè & justitiæ affectu hostes Reipublicæ vel propulsandos, vel persequendos; amore justitiæ & pacis ordinata.*

Hanc descriptionem variis partibus distinctam sic colligendam putavi, ut summariè complecterer quæ de vera militia dicuntur, aut dici possunt.

Est hominum multitudo. Pro genere definiti sive descripti posui, *multitudinem hominum*, militia enim per se multitudine constatur. Unde & nonnulli militiam à multitudine, sive à numero *Mille* derivarunt, quasi miles ex mille electus, vel mille valens (ut ait Papias) aut ut nonnulli alii, quasi millesimus quisque in suo cœtu esset, quòd trium millium priùs legio esset, & singulæ tribus mille milites in bellum mittere solerent. Dicitur autem (*hominum*) quia de humana militia nobis est sermo, quamvis & analogicè militia Angelorum, & militia cœlestis stellarum dicta reperiatur in Scripturis, ubi & describitur Deus: *Armare creaturam ad ultionem inimicorum.* Sap. 5. 18.

Auctoritas publica, & collectionis militiæ, in quo sit. Dicitur (*auctoritate publicâ & legitimâ collecta*) Auctoritas autem illa publica & legitima ad militiam colligendam residet in Rege, Principe supremo, vel Republica independente; in inferioribus autem non nisi supremorum licentiâ & auctoritate, nisi fortè in casu angustiæ vel necessariæ defensionis, ex jure naturali. Collectio autem illa solebat fieri per singularem electionem, quâ ingenui & fortes viri bus in militiam adscribebantur.

Præfecti & Duces ad eam necessarii. Dicitur (*sub Præfectis & Ducibus*) absque enim Præfectis & Ducibus militia dissipatur, illorum est enim regere & continere multitudinem; illorum est eam in armis dirigere.

Continet in se singularem artem. Dicitur (*congruis legibus artificiosè adunata*) militia enim ars quædam est, sive potiùs artem continet singularem, sive se & Rempublicam fossis, vallis, armis vigiliis defendendi, sive industriè, disciplinatè, & ordinatè in aciem & pugnam procedendi.

Dicitur

Dicitur (*Sacramento sive juramento obligata*) hoc enim modo Milites adstringuntur: Et quamvis sacramentum militare non fuerit semper in usu, quippe quod teste Policrato l.6.c.7. (apud Joannem Vallensem in Communiloquio p.2. dist. 9. cap. 4.) sub Lucio Flacco & Cajo Varrone consulibus inceperit, semper tamen loco sacramenti conspiratio quædam & conjuratio Milites in officio continebat, & velut obligabat: Unde sive evocati per Consules essent, sive tumultuariè, instante & urgente necessitate publicâ, ad arma convenirent, inter se conjurabant, neq; fugæ aut formidinis causâ se abituros, neque ex ordine recessuros nisi teli petendi, hostisve feriendi causâ, aut civis servandi, quæ conjuratio sacramento æquivalebat. Posteà solemnius sacramentum militare factum est. Et Catholici quidem antiquitùs pro sacramento militari, invocatis SS. TRINITATIS Personis, jurabant strenuè se facturos, quidquid Princeps præcepisset, & nunquam se militiam deserturos, vel mortem pro Republica recusaturos, cujus militiæ adscripti erant, quo facto, cingulo militari & privilegijs donabantur. Sed & alia consuetudo inoleverat, pia quidem admodum & sancta; ut qui cingulo militiæ donandus esset pridiè, aut (secundum alios) ipsâ die Ecclesiam ingrederetur solemniter, gladioque super altari oblato, quasi celebri professione seipsum obsequio altaris devoveret, & gladij, id est, officij sui jugem Deo sponderet famulatum: hoc autem implicitum juramentum erat. Modò nullum juramentum explicitum Militum reperitur; tamen hoc ipso quo militiæ adscribuntur implicitè censentur se juramento militari obligare.

Quando capit esse in usu sacramentum militare.

Antiqui suae Catholici Milites qualiter se adstringebant.

Qualis modo sit juramentum militare.

Dixi (*ad justè, & justitiæ affectu hostes Reipublicæ vel propulsandos vel persequendos*) In quibus verbis causæ justi belli simul & recta intentio bellantium exprimitur, nimirum, protectio populi ab injurijs, quæ fit bellò defensivo, vel ultio injuriarum jam inflictarum, quæ fit bello offensivo: Intentio autem recta, est veræ justitiæ & æquitatis affectus.

QUÆSTIO II.

In quibus consistat justitia militiæ sive belli?

Justitia triplex.

TRiplex hic justitia prænotari debet, 1. in inchoatione belli attenditur, 2. in executione & prosecutione 3. in belli conclusione & finitione, super quibus tres pono Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Tres conditiones ad bellum justè inchoandum.

TRibus conditionibus bellum justè inchoatur & militia congregatur; nimirum; *Si sit sufficiens auctoritas: causa justa: Intentio recta.*

Sufficiens auctoritas censetur, si à Rege vel principe supremo aut Republica independente indicitur.

Causa justa belli his ferè clauditur partibus. Offensivi quidem 1. Ad recuperandas terras & bona injustè ablata: sic pugnarunt Hebræi contra Philistæos, quia detinebant terram sibi à Deo promissam; sic David contra Mooseth.

1. Causa justa belli offensivi.

2. Ad ulciscendam publicam injuriam: Et hæc causa belli filiorum Israel contra Amorrhæos: *Innoxius enim transitus negabatur* (ait S. August. q. 44. super num.) *qui jure humanæ societatis æquissimo patere debebat*. Sic ob injuriam factam Legatis publicis, & consequenter Regi David eos mittenti, ipse bellum indixit Regi Ammonitarum 2. Reg. 10.

Secunda.

S. Aug.

3. Ad protegendam justitiam: Sicut undecim Tribus Israël contra Tribum Benjamin prælium inierunt, quia nolebat tradere auctores cædis uxoris Levitæ Iud. 20.

Tertia.

4 Ad recuperanda jura regnorum; quale fuit bellum Joram contra Regem Moab, eò quòd tributa agnorum & arietum antiquo fœdere firmata reddere nollet, 4. Reg. 3.

Quarta.

Belli verò defensivi unica causa est nimirum, ob injustam hostis aggressionem, & ad propulsanda mala, quæ ab hoste, aut inferuntur, aut inferri timentur.

Belli defensivi unica causa.

PETES 1. An ratione solius infidelitatis, ut in Turcas & Mahometanos, aut ratione solius hæresis, ut in hæreticos, bellum justè inferri possit?

Pro clariori resolutione hujus quæsiti est Advertendum: Hæresim aut infidelitatem, sicut & hæreticos aut infideles, dupliciter considerari posse. 1. Formaliter, ut hæresis peccatum est, & hæreticus hoc peccato infectus; similiter infidelis, ut formaliter infidelitatis peccato laborat. 2. Accessoriè ut nimirum hæreticus Ecclesiam inficit, Catholicos persequitur, impedit Religionis Catholicæ exercitium, quod liberum esse debet; denique quia injuriosè & injustè templa, ecclesias, & ecclesiarum bona detinet &c occupat: quod & in Turca considerari potest, si prædicationem evangelicam impediat; si terras à Christianis injustè ablatas retineat, &c.

Dupliciter considerandi infideles &c.

Respondeo itaquè 1. propter solum peccatum hæreseos aut infidelitatis formaliter, sive propter nudum titulum Religionis, non benè aut justè bella moventur.

Ob solam infidelitatem formaliter, non justè infertur bellum.

Ratio est: Quia inprimis infideles ut Pagani Turcæ, Mahumetani ad Ecclesiam non spectant, nec in aliquo Ecclesiæ judicio subsunt: Hæretici autem, etsi ratione baptismatis Ecclesia in eos jurisdictionem habeat, alij tamen modi sunt illos convertendi vel continendi: nam & Christus prohibuit zizania eradicari & colligi usque ad messem, ne simul eradicaretur & triticum; utique quia per salutarem conversionem eos in triticum verti divinâ virtute non raro accidit. Undè præclarè S. Augustinus epist. 127. Ad Donatum Proconsulem Aphricæ, qui atrociùs in hæreticos animadvertebat: *Unum* (ait) *solum est quod in tua justitia pertimescimus, ne*

Matth. 13.

S. Aug.

ne forte quoniam quidquid mali contra Christianam societatem ab hominibus impijs ingratisque committitur, profectò gravius est, & atrociùs quàm si in alios talia committantur: tu quoque pro immanitate facinorum, ac non potiùs pro lenitatis Christianæ consideratione censeas coercendum: quod te per Iesum Christum ne facias obsecramus. Infra. *Corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec supplicijs, quibus digni sunt, exerceri. Sic igitur eorum peccata compesce, ut sint quos pœniteat peccasse,* &c.

Sechis ob causas accessorias. Respondeo.2. ob accessorias causas, sive quòd Ecclesiæ bona & terras injustè possideant, sive quòd Christianæ & Catholicæ libertatis actuales persecutores sint; sive quòd prædicationem evangelicam impediant, Reges & Principes Catholici, immò & Ecclesiastici potestatem gladij habentes, possunt justè in hæreticos & infideles bellum movere.

Ratio est: Quia injustitiam injuriamque Ecclesiæ inferunt, sive quia bona Ecclesiæ v. g. Regnum Hierosolymitanum &c. Turcæ obtinent; & de Hæreticis certum est eos bona Ecclesiastica invasisse; sive quia Christo & Ecclesiæ, ac Catholicæ fidei injuriam suis persecutionibus præstant. Et ita S.Gregor.l.1.epist epist. 72. (& habetur apud Gratianum: 23. q. 4. cap. *sicut excellentiam vestram*) in qua Gennadium patricium & Exarcham Africæ monet ut bellum

S.Greg. c.Sicut Excellentiã. Donatistis inferat: *Sicut* (inquit) *Excellentiam vestram hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere: ita oportet eam inimicis Ecclesiæ ejus omni vivacitate mentis & corporis obviare.* &c. Et causam hujus belli inferendi subdit: *Notum est enim hæreticæ Religionis viros, si eis (quod absit) suppetit nocendi licentia, contra Catholicam fidem vehementer insurgere, quatenus hæreseos suæ venena ad tabefacienda (si valuerint) Christiani corporis membra transfundant. Cognovimus enim eos contra Ecclesiam Catholicam Domino eis adversante colla surrigere, & fidem velle Christiani nominis inclinare, sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, & superbas eorum cervices jugo rectitudinis premat.* Hæc Gregorius. Ex quibus verbis constat non tam ob hæresim formaliter, quàm ob damna, quæ ex hæresi procedunt, S.Gregorium bella illa suasisse.

In quos hæreticos S. Gregor. ibi bellum suadeat. Hic etiam Notandum est: Quòd non in omnes hæreticos, sed tantùm in illos, qui sub ejus potestate & imperio vivebant, bella suadeat: hæc enim causa præcisa belli indicendi fuit, quòd hæretici in ejus ditione existentes injuriam & damna inferrent cætero populo Catholico. Quam quidem causam belli justi indicavit etiam Dominus Deut. 13, ubi mandat bellum indici Israëlitis, à fide veri Dei, & observantijs legis recedentibus, sine dubio ut scandalum à filijs Israël tolleretur:

Deut 13 12 & seqq. *Si (ait) audieris in una urbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos: Egressi sunt filij Belial de medio tui, & averterunt habitatores urbis suæ, atque dixerunt: Eamus & serviamus dijs alienis quos ignoratis,* &c. *si inveneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, statim percuties habitatores urbis illius in ore gladij, & delebis eam, & omnia quæ in illa sunt usque ad pecora, quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum ejus, & cum ipsa civitate succendes,* &c. Unde & S.August. epist. 164. ad Emericum, habeturque apud Gratian. 23. q. 3. c. *Nostri: Nostra adversus illicitas & privatas vestrorum* (id est hæreticorum) *violentias &c. à potestatibus ordinatis tuitionem petunt, non quâ vos persequantur, sed quâ se defendant.* Et ibidem cap. *Pro membris*, ex l. 2. ejusdem contra litteras Petiliani cap. 88. qui bellum hæreticis indicunt, comparantur Petro. *Cùm (ut ait) ferrum pro Christi nomine stringit:* & infrà: *Qui (utique Petrus) pro Christi corpore, id est, pro Ecclesia, etiam corporaliter pugnavit.* S. August. c. Nostri. Idẽ c. Pro membris.

PETES. 2. Quid si causa belli dubia est?

Respondeo; Quamdiu dubia est non licere bellum offensivum movere: alteri tamen movente, jure naturæ licere bello defensivo se tueri Tenetur porrò Princeps re dubiâ remanente benè rem consulere.

CONCLUSIO II.

Quãdo ex recta intẽtione bellũ sit justum. *Tunc ex justa & recta intentione bellum justum est, & militia justa, dùm scilicet ob justitiam, bonum publicum, & pacem bellum geritur, non tam amore vindictæ, quam satisfactionis & justitiæ.* Unde S. August. l. de diversis Ecclesiæ observationibus, & habetur. 23. q. 1. c. *Apud verò. Apud veros* (inquit) *Dei cultores etiam ipsa bella peccata sunt, quæ non cupiditate aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coerceantur & boni subleventur.* Et Epist. 205. ad Bonifacium comitem: *Pacem habere debet voluntas, bellum necessitas, ut liberet Deus à necessitate, & conservet in pace. Non enim pax quæritur ut bellum excitetur, sed bellum geritur ut pax acquiratur. Esto ergo etiam bellando pacificus, ut eos quos expugnas, ad pacis utilitatem, vincendo perducas.* Iterum omnia perversæ intentionis vitia perstringens l. 22. contra Faustum cap. 74. *Nocendi* (inquit) *cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur.* Iterum idem, vel quisquis est Author serm. 19. de verbis Domini; estque. 3. in appendice de diversis, tom. 10. *Non enim militare* (ait) *delictum est, sed propter prædam militare, peccatum est.* Et subjungit exemplum: *Nec* (ait) *Rempublicam gerere criminosum est, sed ideò agere Rempublicam, ut rem familiarem potius augeas, videtur esse damnabile.* S. Aug. c. Apud veros.

Ex his patet, quæ sit recta & justa intentio, à qua & militia & bellum justum æstimantur: & quæ sint pravæ intentiones, quæ & indicentes & militantes vitiant & peccatis gravissimis implicant: quamvis enim Miles sub proprio Principe militans excusari possit

Miles non potest excusari à peccatis ex defectu bonæ intentionis. ex ignorantia justitiæ causæ, cujus judex non est: non potest tamen excusari à vitiis ex defectu bonæ, vel ex macula pravæ intentionis, quia quilibet suæ intentionis propriæ debet esse conscius, nec ullum sua intentio latere potest. Eheu! quàm pauci sunt, qui sincerâ & rectâ intentione bellum indicunt: quàm parvo numero reperiuntur, qui rectâ intentione castra sequuntur. Graviter S. Bernardus serm. ad milites templi c. 2. monens & corripiens tam Reges, quàm Principes & milites: *Non sanè* (ait) *inter vos aliud bella movet, litesque suscitat, nisi irrationabilis iracundiæ motus, aut inanis gloriæ appetitus, aut terrenæ qualiscumque possessionis cupiditas: talibus certè ex causis neque occidere, neque occumbere tutum est*: Hæc S. Bernardus. *S. Bern.*

QUÆSTIO III.

Quæ requirantur, ut quis justè bellum jam inchoatum exequatur, & prosequatur?

CONCLUSIO UNICA.

Tria requisita. **T**Ria potissimùm requiruntur, ut bella, vel executioni mandentur, vel continuentur. 1. *Duratio causæ sive injuriæ.* 2. *Hostis pertinacia.* 3. *Bonum publicum bellum inferentis.*

Duratio causæ sive injuriæ. Primùm, *Duratio causæ sive injuria*: Si enim causa inferendi belli jam deficiat, utpotè quòd civitates vel bona priora jam recuperata sint, & restituta in plenum damna; ob quæ bellum inferebatur; si etiam injuriis plenè satisfactum sit; jam à bellis cessandum est, cùm bella ob solam justam causam primariò justificentur, quâ cessante omnis justitia belli cessare existimanda est, & quod justum erat, ablatâ justitiæ causâ & fundamento, fiat injustum necesse est. Supponitur enim ille cui infertur bellum, justè & sufficienter punitus usque ad satisfactionem legitimam & debitam.

Hostis pertinacia. 2. *Hostis pertinacia*: Quamdiu enim hostis est pertinax, nec cedit justè bellum sibi inferenti, non censetur causa justitiæ belli ablata: Non enim sola restitutio boni vel damni aut injuriæ per bellum quæritur, sed etiam ut hostis justitiam belli agnoscens bellum inferenti se pacificè submittat, & depositâ pertinaciâ hostili cum illo componat.

Bonum publicum. 3. *Bonum publicum*, etsi enim quandoque contingat & bona recuperata esse, & damna resarcita, & injuriis satisfactum, & pertinaciam hostis depositam; interdùm tamen ratione publici boni bella continuari possunt, donec populi incommodis sit provisum, militiæ & militibus satisfactum, & omnia ad pacem disposita.

QUÆSTIO IV.

Quæ requirantur ad belli conclusionem justam?

CONCLUSIO UNICA.

COnclusio justa belli ac compositio pacis quatuor ferè conditionibus initur: *Restitutione ablatorum*: *Compensatione damnorum*; *Satisfactione injuriarum*, *vel omnium liberali condonatione.* *4. Conditiones.*

Conclusio per inductionem patet, & ex dictis superiori quæstione: Cùm enim & restituta ablata, & damna compensata, & injuriis satisfactum, vel condonatio liberalis est secuta, nil ampliùs restat, quàm ut bellum cesset, & pax sequatur: & si quis ulteriùs bellum prosequatur, injustum planè sit necesse est, cùm causa belli omninò cesset, & necessariò devolvatur, aut in libidinem ulciscendi, aut in implacabilitatem animi furiosi, aut in cupiditatem bona aliena occupandi.

Sub compensatione autem damnorum, Intelligo etiam publico bono satisfactum, ita ut non restet victori causa formidinis alicujus mali aliundè ex cessatione belli sibi vel populo imminentis, tali enim justo timore adhuc manente non censeretur plena compensatio secuta. *Sub compensatione damnorũ quid intelligatur.*

Similiter sub condonatione liberali complector omnem dimissionem pertinaciæ, odii, inimicitiæ, & omnis dissimulati animi fictionis; hæc enim cùm condonatione vera non subsistunt, & quamdiu graves & fundatæ horum suspiciones habentur, tamdiu vera pax concludi non potest. *Item sub condonatione liberali.*

Cæterùm si pars etiam læsa intolerabiles & iniquas conditiones requirat, tamdiu justitia belli ducendi & continuandi perseverat: Utrimque itaque æquitate & rationabilibus pactis, quæ ad compositionem spectant, mensuranda sunt, aliàs & pax iniqua concluditur, & semina novorum bellorum remanent abscondita.

TITVLVS II.

De obligatione militum militiæ adscriptorum.

QUÆSTIO I.

Quæ sint obligationes militum ad Regem, sive Rempublicam?

CONCLUSIO UNICA.

TRes potissimùm obligationes sunt militis adscripti ad Regem vel Rempublicam: 1. *Fides seu fidelitas.* 2. *Obedientia expedita.* 3. *Fortitudo militaris.* *Obligationes tres militum.*

Fides

Ejus fidelitas in tribus.

Fides seu *fidelitas* in tribus similiter consistit: in avertendis à Rege & Republica malis; in consectandis bonis, quæ ad salutem & utilitatem eorum pertinent; in servandis secretis suæ partis. Et quidem in avertendis malis, ut sit vigilans, & expeditus; in consectandis bonis, fortis & industrius; in servandis secretis, tenax & taciturnus.

Obedientia qua.

Obedientia expedita attenditur respectu Ducum & Præfectorum militiæ nomine Regis; debet autem esse obedientia cœca, expedita, præcisa, cœca, ut de causa & ratione mandati non disputet: expedita, ut non tergiversetur: præcisa, ut nihil ex iis, quæ mandantur, prætermittat.

Fortitudo qualis.

Fortitudo attenditor, in tolerandis duris & adversis omni tempore patienter; in aggrediendo vel fugando hoste in acie viriliter; in exponendo se morti pro Rege & Republica libenter. His omnibus miles sacramento & cingulo militari obligatur, sine quibus nec militia rectè geritur, nec miles nomen militis promeretur. Et quæ de milite dicuntur, de capitibus militiæ etiam eminenter intelligenda sunt: debent enim fidem Deo, Regi, & Reipublicæ vel regno pro quo militant: debent obedientiam Regi sive Principi, sub quo militant: debent fortitudinem militiæ, quam administrant. Ex dictis peccata militum contra præfatas obligationes expendere facilè est.

Illis tribus ligantur etiam Præfecti militia.

P E C C A T A

Militum contra fidem sive fidelitatem.

Proditores factiosi, &c. sunt infames

PEccant itaque 1. contra fidem sive fidelitatem juramento militari promissam proditores, factiosi, cum hostibus paciscentes, &c. & præter crimen læsæ Majestatis infames sunt, quorum perfidia legibus divinis, humanisque abominabilis est.

Speculatores obdormientes, &c.

2. Qui in defendenda civitate vel castris speculatores positi obdormiunt, vel stationem suam non servant; aggredientem hostem vel non denuntiant, vel repellere non conantur: & si grave damnum inde oriatur, peccant mortaliter, & tenentur ad damni reparationem; *nec injuste traditur morti, qui suâ negligentiâ civitatem vel militiam exposuit hosti.*

Prodentes hosti suam stationem, &c.

3. Peccant mortaliter, qui suâ infidelitate vel positivè suam stationem, aut etiam castrum, vel civitatem produnt hosti, vel negativè non resistentes viam parant faciliorem ad eorum occupationem.

Revelantes secreta militia.

4. Qui secreta militiæ revelant; ex qua revelatione sua pars à consecutione alicujus victoriæ præpeditur, vel ab adversa damna reportat.

P E C C A T A

Contra obedientiam.

Detrectantes obedire mandatis.

COntra obedientiam peccant: Qui vel mandatis obedire detrectant; vel si obediant, non nisi cum tergiversationibus, aut tandem etsi obedientes sint, ex culpa tamen sua aliquod mandatum vel pactum prætereunt, ex quo grave damnum sive privativum, sive positivum de facto oritur.

P E C C A T A

Contra fortitudinem.

Effœminati, ignavi, &c.

COntra fortitudinem militarem peccant; qui effœminari, nec in duris se exercent, nec in acie strenuitatem ostendunt, nec in defensione constantiam, ostentationi magis apti, quàm actioni, mulierum amasiis similiores quàm militibus, ad fugam magis habiles, quàm ad persecutionem hostis, aut ad stabilem ei oppositionem.

Illos S. Bernardus vivis coloribus depingit sermone ad milites templi, cap. 2. Cujus verba tamquam speculum militum hujus temporis hic referenda duxi. *Quis finis* (inquit) *fructusve sæcularis hujus, non dico militiæ, sed malitiæ, si & occisor lethaliter peccat, & occisus æternaliter perit?* &c. *quis, ô milites, hic tam stupendus error? Quis furor hic tam non ferendus? tantis sumptibus ac laboribus militare, stipendiis verò nullis nisi aut mortis aut criminis?* Notate verba ista, & videte sequentem descriptionem: *Operitis equos sericis, & pendulos nescio quos panniculos loricis superinduitis, depingitis hastas, clypeos, & sellas: frœna, & calcaria auro & argento, gemmisque circumornatis, & cum tanta pompa pudendo furore, & impudenti stupore ad mortem properatis. Militaria sunt hæc insignia, an muliebria potiùs ornamenta? Nunquid fortè hostilis mucro reverebitur aurum, gemmis parcet, serica penetrare non poterit?* Et obligationes officiaque militum breviter perstringens: *Denique quod ipsi* (inquit) *sæpiùs certiusque experimini, tria arbitror necessaria esse prælianti, ut scilicet strenuus, industriusque miles & circumspectus sit ad se servandum, & expeditus ad discurrendum, & promptus ad feriendum. Vos per contrarium in oculorum gravamen fœmineo ritu comam nutritis, longis ac profusis crinibus ac camisiis propria vobis vestigia obvolvitis, delicatas ac teneras manus amplis & circumfluentibus manicis sepelitis. Super hæc omnia est, quod armati conscientiam magis terret, causa illa nimirum satis levis ac frivola, quâ, videlicet, talis præsumitur & tam periculosa militia.* Cujus periculum concludit gravi illâ sententiâ, quam posuimus suprà ad finem quæst. 2. de intentione recta militum.

S. Bern.

Signa veræ fortitudinis militaris.

Veræ autem fortitudinis militaris signa ponit loco citato cap 4. *Si nullo* (ait) *tempore aut otiosi sederint, aut curiosi vagentur; sed*

semper

semper dum procedunt armorum seu vestimentorum vel scissa resarciunt, vel vetusta reficiunt, vel inordinata componunt, & quaeq; facienda Magistri (id est Ducis) *voluntas & communis indicit necessitas* 2. Si omnibus carnis deliciis renunciantes duriotibus & asperis gaudeant: *Numquam* (inquit) *compti, rarò loti, magis autem neglecto crine hispidi, pulvere foedi, loricâ caumate fusci.* 3. Si sinceto animo in aciem prodeant, quorum fortitudinem sic depingit: *Porrò* (ait) *imminente bello intùs fide, foris ferro, non auro, se muniunt, quatenùs armati, & non ornati hostibus metum incutiant, non provocent avaritiam*. Et describens armaturam & armaturae militaris finem: *Equos* (ait) *habere cupiunt fortes & veloces, non tamen coloratos aut phaleratos: pugnam quippe non pompam, victoriam sed non gloriam cogitantes & studètes magis esse formidini quàm admirationi.* 4. Fortitudini adjungit prudentiam: *Deinde* (ait) *non turbulenti, aut impetuosi, & quasi ex levitate precipites, sed consultè atque cum omni cautela & providentia seipsos ordinantes & disponentes in aciem, juxta quod de Patribus scriptum est, veri profectò Israelita procedunt ad bella pacifici.* Haec S. Bernardus, qui miro spiritu caetera prosequitur, quae veri militis sunt, etsi apud paucos reperiantur.

QUAESTIO II.

Quas obligationes habeant milites respectu civium, vel populi, pro quo pugnant?

CONCLUSIO. I.

Tenentur ad ejus conservationem, protectionem, & injuriarum propulsationem.

Tres obligationes milites ex vi juramenti militaris contrahunt erga populum pro quo militant: tenentur enim ad illius conservationem, protectionem, & injuriarum propulsationem.

Hoc patet ex ipso militiae fine: non enim alia de causa miles colligitur, nisi ut populus in pace conservetur, ab hostibus & violentia aliena protegatur, injuriarum compensam accipiat: qui ergo se militiae adscribit, vel explicitè vel implicitè se his conditionibus militare sciat.

CONCLUSIO II.

Tria sunt prohibita in suos.

Tria prohibentur jure divino milites in suos attentare, quae explicat S. Ioannes Baptista Luc. 3. ubi militibus ad se venientibus & interrogantibus: quid facere deberent? clarè respondit: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis; & contenti estote stipendiis vestris. In quibus tria militibus interdicit, concussionem, calumniam, rapinam: *Concussionem* quae fit per aliquam violentiam; *Calumniam*, quae fit per fraudulentam malitiam; *Rapinam*, quae fit per injustam bonorum alienorum usurpationem, cùm suis stipendiis milites contenti non sunt: unde venerabilis Beda c. 9. in 3. Lucae: *Iustissimo Doctor eximius moderamine praemonet, ne ab eis calumniando praedam requirant, quibus militando prodesse debuerant.*

Luc. 3. 14.

Concussio, calumnia. Rapina.

Beda.

Utique juxta Baptistam: *Neminem* (ait) *concutiatis*, scilicet per violentiam: *neque calumniam faciatis*, per fraudulentam malitiam, & *contenti estote stipendiis vestris* (nimirùm ne aliena rapiatis.)

PECCATA

Quando censeatur fieri concussio.

Concussio itaque censetur, quando vis aperta infertur, ut cùm miles rusticos aut hospites suos percutit, constringit, affligit, & variis modis vexat, aut ab eis quaecumque cupit extorquet. Taceo stuprationes virginum, invasiones foeminarum, ruinas & incendia domorum, dissipationes mobilium, &c. quae omnia ad concussionem spectant, & eheu! his temporibus militibus quotidiana sunt.

Quando calumnia.

Calumniam facere, est fraudulenter culpam aliquam vel crimen imponere civi, vel rustico alicui, ut hoc praetextu in bona illorum involent, mulctas & poenas pecuniarias imponant, illos incarcerent, in quibus actionibus se & alios non tantùm rapinis, sed etiam perjuriis, perfidiis, falsificationibus, & calumniantium peccatis & poenis foedè involvunt.

Hinc rapina, perjuria, &c.

De stipendiis, & eorum justitia, & qualiter recipi aut compensari possint, infrà dicemus, cùm de Regum ad milites obligatione tractabimus.

QUAESTIO III.

Quid possint milites circa personas & bona hostium, & an aliquibus ad illos obligationibus adstringantur?

Hic repetendi sunt triplices fines bellorum; nimirùm, bonorum recuperatio, damnorumque compensatio, injuriarum satisfactio, Regis & Reipublicae conservatio. Hoc praenotato sit

CONCLUSIO I.

Possunt in eos quidquid spectat ad finem justi belli consequendum.

Miles in hostem potest, quidquid spectat, aut aliquo modo pertinet, ad finem justum belli consequendum, sive fiat occisione, mutilatione, captivitate, &c. sive bonorum usurpatione, incendio, &c.

Ratio est: Quia qui justè intendit finem, potest justè adhibere media ad finem: illa autem media sunt, etiam probantibus Litteris sacris, quibus hostis vel justè punitur, vel justè ad restitutionem bonorum, &c. & compensationem injuriarum compelli potest.

Aliàs illicitum est.

Dixi (*quidquid spectat, aut aliquo modo pertinet, ad finem justum*) quod enim ad finem illum non pertinet, illicitum est, quod paucis declaro.

Quatuor

4. Genera damnorũ.

Quatuor distingui possunt genera damnorum, quæ hostibus in bello inferuntur. 1. est Mors sive occisio, sub quo vulneratio & mutilatio continetur. 2. est Spoliatio bonorum mobilium; immobilia enim non cadunt sub spolio, nec bello acquiruntur, nisi dominij translatione. 3. Ablatio libertatis per servitutem inductam. 4. Ablatio dominij, &c. Super his omnibus pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO II.

Occisio hostis extrà conflictum &c. est illicita.

O*Ccisio vel mors extrà conflictum, vel pugnam non permittitur, si aliter hostis possit subjici, & aliud malum non immineat.* Explico: Cessante conflictu & pugnâ miles militi occurrit, aut personæ inimicæ, si possit eam captivare, vel aliter inutilem militiæ reddere, debet parcere sanguini, modò aliud malum non immineat.

Ratio est: Quia occisio non justificatur, nisi cùm necessitas, vel justitiæ & legum exemplaritas ad hoc cogit; hic autem ex supposito, nec necessitas cogit non resistentem, aut ab omni nocumento alienum occidere, nec justitiæ aut legum exemplaritas, quæ tantùm reperitur in condemnato secundùm leges malefactore.

Si aliter possit subjici.

Dixi (*si aliter hostis possit subjici*) suppono enim, quòd illi, quibus parcitur nè intereant, ab omni periculo nocendi sint sufficienter impediti: si autem sit periculum, quòd in pertinacia sua mansuri sint, aut quòd parcenti nocere poterunt, & fortè majoris pugnæ vel belli causa & cooperatores futuri sint; tunc in potestate militis est illos occidere. Addo interdùm inter conditiones victoriæ & pacis, vel in abominationem rebellionis, vel ob aliquam atrocitatem criminis aliquos ad gladium & mortem in exemplum licitè reservari. Undè S. August. epist 205. ad Bonifacium comitem. *Hostem* (inquit) *pugnantem necessitas perimat, non voluntas. Sicut bellanti & resistenti violentia redditur, ità victo aut capto misericordia jam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur.*

Reservantur interdùm aliqui ad mortem exemplarem

S. August.

CONCLUSIO III.

Quantùm fieri potest, debet parci innocentibus.

I*N bello, quantùm fieri potest, abstinendum est militi ab occisione innocentium.*

Ratio est: Quia nemo ob peccatum, cujus sibi conscius non est, morte plecti debet. Inter innocentes autem computantur pueri, infantes, item captivi, qui apud hostes detinentur; mulieres etiam, quæ nullatenùs creduntur bello cooperari; peregrini item, & qui ad hostem nullatenus spectant, nec illi cooperantur. Innocentes tamen in certis casibus per accidens justè occiduntur, ex. g. quandò quis civitatem tormentis & machinis bellicis aggreditur; cùm enim indiscriminatim in omnes tormenta solvantur, innocentes cum nocentibus quandoque pereant necesse est. Item, quandò in expognatione civitatis nocentes ab innocentibus discerni non possunt. Item, si innocens in aggressione inveniatur cum armis, etsi vel coactus sit arma capere, nolens etiam ferire.

In certis casibus per accidens justè occiduntur.

Cur occisio mulieris &c. quandoq; præcipiatur Script.

Nec assumenda hic sunt Scripturæ exempla, in quibus mulieres cum pueris & infantibus mandantur occidi: hoc enim factum est, ut stirps illa Chanaan, quæ erat inimica populo Dei, deleretur; & cum Deus sit Dominus mortis & vitæ, ipse pro sua sapientia & justitia disponere de ijs potest.

CONCLUSIO IV.

Qualiter liceat militibus spoliare bona mobilia hostium.

L*Icet militibus spoliare bona mobilia hostium, servatâ tamen proportione justitiæ & æquitatis, damni vel compensationis, quæ per bellum intenditur; juxtà legum militiæ præscripta & ordinationes.*

Ratio est: Quia bona mobilia hostium bello capta, jure gentium, sunt capientium & victoris, undè Deut. 20. militibus expugnantibus civitatem, quasi lege omnia spolia adjudicantur: *Cùmque* (inquit) *tradiderit Dominus Deus tuus illam* (supple civitatem) *in manu tua*, &c. *Omnem prædam exercitui divides, & comedes de spolijs hostium tuorum, quæ Dominus Deus tuus dederit tibi.* Et 1. Reg. 30. Statuitur ut præda dividatur inter pugnatores, & remanentes ad sarcinas. Equidem inter spolia justa computanda sunt spolia tam innocentium, quàm nocentium; cùm enim innocentes partes sint civitatis & regni, bona eorum mobilia eventui belli exponuntur, sicut & aliorum. Ratio verò à priori est: quia hostes ex quorumlibet bonis vivunt & se tuentur, ex quorumlibet bonis tributa accipiunt, & annonam bello necessariam constituunt. Undè licet prædari & spoliare quoscunque in ijs, quæ bello servire possunt, sive apud nocentes, sive apud innocentes reperiantur, modò sint hostes.

Deut. 20. 13. & 14.

1. Reg 30. 24.

Bona etiã innocentium computantur inter spolia justa.

In spoliatione debent servari leges militiæ.

Dixi (*proportione servatâ justitiæ & æquitatis, damni*, &c.) Non enim omnia prædæ patent & exponuntur, sed leges militiæ suas regulas habent, tam in spoliatione, quàm in quantitate & qualitate ad spoliorum divisionem & retentionem. De quibus consulenda sunt jura gentium adjunctis civilibus, & nationum decretis.

Concil. Lateran. sub Alexan. III.

Sane antiquo jure cautum erat, ut habetur ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. & refertur cap. *Innovamus* de Treuga & pace in decretalibus; Nè *in agricultura existentes, & animalia, quibus arant & semina portant ad agrum*, spolijs militum, etiam hostium, paterent, sed congrua securitate lætarentur. Quod absque dubio cautum erat propter humanæ vitæ necessaria alimenta; quod & legibus civilibus cautum fuisse, alibi in superioribus diximus. Et ab hostibus, & hostium nomine, ac forte ibidem separantur *Presbyteri, monachi, conversi, peregrini, mercatores extranei*, qui nimirùm inter hostes non resident, etsi inter illos mercentur, quibus etiam securitatem

Qui inter hostes non sint computandi.

Conci-

Concilium donat, cùm reverà hostes non sint. Sed (ut dixi) attendendæ sunt militiæ leges, nec multùm Canoni, quamvis valdè rationabili, innitendum: licet in foro conscientiæ sentiam tales justè spoliari non posse, & milites hujusmodi spolia non facere sua, sed peccatum furti committere, & ad restitutionem teneri, cùm tales verè hostes non sint. Excipio tamen casum, quo ad bellum aliquo modo cooperarentur, deportantes; vel deportari curantes alimenta, quibus hostis in continuando bello adjuvatur.

In foro conscientiæ non possunt justè spoliari.

CONCLUSIO V.

Licet hostes etiam innocentes captivare, &c. non tamen in servitutem redigere.

Licet militi tam nocentes, quàm innocentes captivare; & litrum exigere; non licet tamen Christianis captivos in servitutem redigere.

Ratio prioris est: Quia hæc captivitas personæ, ratione cujus litrum accipitur, inter bona mobilia computatur.

Ratio posterioris est: Quia hoc Christianorum privilegium est, nè Christiani, qui fratres communes sunt, & sanguine Christi redempti, mutuæ servituti ut mancipia subijciantur.

CONCLUSIO VI.

Quid de bonis immobilibus hostium.

Quandò possint bona immobilia in dominium victorum transire, jura iterùm civilia consulenda sunt. Scimus enim, quòd Deus interdùm suâ justitiâ transferat regna, & dominos mutet, sæpiùs etiam in pacis fœderibus Reges & Principes sibi invicem civitates & provincias tradere solent.

CONCLUSIO VII.

Hosti servanda est fides.

Milites hostibus tenentur servare fidem, Christianam charitatem, humanam mansuetudinem.

Et quidem *Fidem* in pactis & conventionibus factis tenetur miles servare quantùmlibet hosti & inimico; jure enim naturæ nefarium est quantumvis inimicis fidem frangere; undè Augustinus ep. 205. ad Bonifac. Comitem: *Fides quandò promittitur, etiam hosti servanda est, contrà quem bellum geritur.* Siquidem testibus etiam ipsis infidelibus, fides est omnis justitiæ fundamentum; ut enim ait Cicero pro S. Roscio Amerino, post medium: *Qui fidem lædit, oppugnat omnium commune præsidium, & disturbat vitæ societatem.* Et ut Valerius Maximus l. 6. cap. 6. de fide publica: *Venerabile fidei numen, dexteram suam, certissimum salutis humanæ pignus, ostentat.* Certè bono omnibus exemplo Iosue & Principes multitudinis Iosue 9. fidem datam Gabaonitis de pace cum eis servanda, etsi deceptorijs verbis eam exegissent, servare voluerunt, etiam renitente populo, quia (ut aiunt) *juravimus illis in nomine Domini Dei Israel, & idcircò non possumus eos contingere, &c. ne contrà nos ira Domini concitetur, si pejeraverimus.*

S. August.

Cicero.

Vales. Ma.

Ios. 9. 19. & 20.

Quinimò & 2. Reg. 21. quia Saul contra hoc pactum cum Gabaonitis à Iosue initum Gabaonitis nocuit, David dedit illis duos filios Resphæ filiæ Aiæ uxoris Saul, ut suspenderentur. Et insigni exemplo pepercit David Semei, & quia juramento indulgentiam suam confirmavit, ei in vita non nocuit. 2. Reg. 19.

Tenetur etiam miles hosti suo Christianam charitatem, & humanam mansuetudinem exhibere; ut juxtà disciplinam honestæ & honorabilis militiæ omne exhibeat charitatis obsequium, nec illum opprobrio, injuriâ, vel concussione afficiat. Undè miles, si potest, tenetur hosti captivo gravi vel extremâ necessitate laboranti providere de medico, alimento, necessitatibus alijs, & morienti de administratione Sacramentorum, & illi exhibere humanæ mansuetudinis signa & effectus.

Exhibenda Christiana charitas & humana mansuetudo.

PECCATA.

Peccant itaque 1. mortaliter: Quia fidem hosti datam non servant, vel quovis modo violant, aut fraudulenter interpretantur.

Non servantes fidem &c.

Peccant 2. mortaliter: Quia hostibus captivis inferunt injurias graves, illos calumnijs vexant, & duriùs tractant absque charitate & humanitate ulla.

Captivos injuriantes, &c.

Peccant 3. & quidem mortaliter: Qui cives & rusticos hostes spoliantes, cùm non resistunt, verberibus concutiunt, injurias irrogant, & effræni licentiâ qualcunque barbaries in eos exercent. Quamvis enim liceat eos spoliare, non licet tamen concutere, aut illis calumniam inferre, aut barbaricos actus exercere, sed oportet eos Christianè tractare intrà terminos naturalis honestatis. Damnabiles etiam, & æternâ damnatione digni sunt, qui in imbellem fœmineum sexum non tantùm per concubitus, & tactus illicitos, sed etiam per inverecundas actiones, & denudationes involant, in hoc bestijs crudeliores.

Verberibus concutientes, &c. qui non resistunt.

Debacchantes in verecundo mulieres, &c.

Denique sit hæc S. Augustini regula generalis ad peccata militum adversus hostes discernenda, l. 22. contra Faustum c. 74. *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur, quæ plerumque ut etiam jure puniantur.*

S. August.

Quidquid itaque in bellis vel nocendi cupiditate vel ulciscendi crudelitate, vel impacato aut impacabili animo, aut feritate barbaricâ, aut effræni libidine committitur, absque peccato non committitur juxtà rationem materiæ vel actûs, peccatum mortale est.

Generaliter.

Ratio omnium horum est: Quia bellum est actus juris & justitiæ, sive judicij, quo Rex vel Princeps supremus, sive respublica independens judicat, cùm aliud medium opportunum non occurrit, armis aut injustè ablata requirenda, aut injurias ulciscendas, aut malum à populo propulsandum. Quod autem à jure & justitia ac judicio procedit, naturæ,

virtu-

S. August. virtutis,& honestatis leges excedere non potest. Nam ut benè S. Augustinus suprà. *Milites homicidæ non sint, sed Ministri legis, & non ultores injuriarum suarum, sed salutis publicæ defensores:* quidquid itaque Miles agit quod jus militare excedit, peccatum est, quia meri executores sunt juris justitiæ ac judicii militaria, ita ut illius præscripta excedere non possint. Unde iterum S. Augustinus epist. 5. ad Marcellinum *Si terrena ista Respublica præcepta* Idem. *Christiana custodiat, & ipsa bella sine benevolentia non gerentur, ut ad pietatis justitiaque pacatam societatem victis faciliùs consulatur.*

TITVLVS III.

De obligationibus Regum & Principum sive Reipublicæ erga militiam, & Milites militiæ servientes; & primò De militiæ Magistrorum seu Præfectorum provida electione & institutione.

QUÆSTIO I.

Quæ sint obligationes Regum &c. erga militiam, & Milites militiæ servientes.

CONCLUSIO UNICA.

5. Obligationes. *QVinque sunt præcipuæ obligationes sive officia Regum &c erga militiam & Milites in militiam conscriptos,* nimirum, *Magistrorum sive Præfectorum militiæ provida electio & institutio. Stipendiorum solutio: Annonæ pro exercitu provisio: Militum conservatio & disciplina. Benè meritorum remuneratio.*

QUÆSTIO II.

Qualis sit obligatio Regis &c. in Magistris & Præfectis militiæ præficiendis? & de eorundem obligationibus, ac peccatis.

Sub præfectis militiæ qui comprehendantur. SUb Magistris & Præfectis militiæ comprehendo omnes, qui vel universæ militiæ vel ejus partibus quibuscumque præficiuntur, & aliquod in Milites imperium vel officium habent; ut sunt Dictatores, Duces generales exercitus, Magistri equitum & peditum, Generales tormentorum, Tribuni, Præfecti vigiliarum, Capitanei, Locumtenentes, Vexilliferi, Sergeantii &c. quibus proportionatè eadem ferè doctrina applicanda est.

CONCLUSIO I.

Rex eos eligens debet habere rationem. *TEnetur Rex in electionibus & institutionibus Præfecturarum militarium habere rationem idoneitatis probitatis, & justitiæ in personis, quas eligit vel instituit.* rationem idoneitatis probitatis, & justitiæ.

Ratio fundamentalis est: Quia à personis illis, post Deum, dependet salus populi, quæ ab exercitibus debet defendi, conservari, & vindicari; ad quod necessarii sunt Duces idonei, probi, & justitiæ tenaces assertores.

Idoneitas consistit in scientia practica. Idoneitas eorum tribus constat partibus, scientiâ & praxi artis militaris: prudentiâ agendorum; & fortitudine in executione.

Scientia quidem practica in eo consistit, ut militares leges norit, & juxta circumstantias sciat defendere civitates, valla & fossas industriè construere, acies dirigere, & alia facere, quæ & exercitui prospera, & Reipublicæ utilia, & Regi gloriosa futura sunt. 2. In prudentia.

Prudentia consistit in eo; ut duces norint pericula declinare, opportunitatem ad aggrediendos hostes explorare, ex industria aggredi, militum animos ad pugnam disponere &c. excitare &c.

Fortitudo maximè consistit in constanti adversitatum tolerantia, laborum perpessione, & difficultatum forti evictione &c. Qui hæc non habet, quomodo potest exercitui, immò legioni, vel cohorti præfici, & militem dirigere? Et ex hoc quidem defectu ingentes clades indies evenire videmus. 3. In fortitudine.

Hi quoque debent eligere idoneos milites. Porrò ad idoneitatem Ducum & Præfectorum exercitus spectat etiam idoneorum militum electio; cùm enim aut invitis, aut inidoneis canibus venandum non sit, multò minùs militibus ignavis, & arti militari ineptis pugnandum aut bellandum est. Inutile sanè est (teste Vegetio Renato apud Ioannem Vallensem in Communiloquio p. 1. dist. 9. cap. 4.) habere Militem tenere nutritum, delitiis assuetum: præferenda tamquam aptior plebs rustica, quæ sub dio & labore nutritur, solis patiens, imbrem negligens, balneorũ nescia, delitiarum ignara, simplicis animi, parvo cibo contenta, induratis ad omnium laborum tolerantiam membris, quibus gestare ferrum, fossam ducere, onus ferre consuetum est. Et adfertur exemplum de Gedeone, qui in expedita paucitate fortium virorum innumerabiles hostium copias prostravit; quos non facilè credendum est (ait Polycratus, apud eundem Vallensem) in delitiis urbium aut regalibus epulis quotidianisque conviviis didicisse ut aquam lamberent, eos Dominus præ cæteris censuit eligendos. Vegetius. Ioan. Vall. Polycratus Ioan. Vall.

Nobilium filii non sunt à militia excludendi. Neque tamen à militia excludendi sunt nobilium & urbanorum filii, quorum etsi magis delicata corpora, animi tamen magis ingenui & ad virtutem aptiores reperiuntur, si modò militiæ heroicis actibus præparētur, & laborare, discurrere, pondus portare, solem, pulverem ferre, parvo victu contenti esse, sub dio, sub papilionibus cōmorari discant. Ad quæ multum conferunt Præfectorum exempla, directiones ac labores continui, quorum nimirum officium est; hostem scire, præsidia agitare, nihil metuere nisi turpem fugam aut famam, hiemem & æstatem ultrò pati &c in omni-

omnibus denique militi suo arte, prudentiâ, & virtute præire.

Probitas Ducum in quo consistat. Probitas ducum ac præfectorum militiæ in hoc consistit, ut christianè & catholicè vivant, mandata Dei servantes, à vitiis & concupiscentiis elongati, quibus exemplum in Scripturis præbent illi Principes Machabæi, & Centurio tam Evangelicus quam Apostolicus a cælo laudati.

In quo justitia. Iustitia autem eorum in hoc elucet: si neminem concutiant, neminicalumniam inferant, sed suis stipendiis contenti vivant. De quibus statim latiùs agemus, dum de annona & stipendiis militaribus differemus.

Conclusio II.

Eorum obligationes. *Obligationes Ducum & Præfectorum sunt: Milites in armorum exercitiis & officiis suis dirigere: Milite utiliter & provide uti: Milites in suo officio continere, & ne alteri injuriam inferant cohibere.*

Peccata.

Reges eligentes incidentes &c. in Præfectos. Peccant igitur contra publicum regni bonum Reges & Principes &c. qui in Duces & Præfectos Militum assumunt scientiæ artis militaris ignaros & inexpertes: Item, qui pueros & nullius prudentiæ adolescentes, qui effeminatos, & in delitiis effusos præficiunt, quibus aptius esset ad januam & focum amasiæ suæ vigilare, quam cohorti alicui Militum præesse. Unde omnia mala, quæ ex illorum defectu proveniunt, in Regum & Ministrorũ conscientiam delabuntur, quorum est de congruis hujusmodi Præfectis & Ducibus providere.

Vendentes indignis Præfecturas. Porrò non minùs peccant, & Deo, Regi ac Patriæ injurii sunt & restitutioni obnoxii, qui præfecturas militiæ indignis & ineptis pecuniâ vendunt, aut favoribus communicant.

Idonei non deponentes præfecturam &c. Peccant & æternæ damnationis viam ineunt, qui cùm præfecturam indigni adepti sunt, aut eam non deponunt, aut se idoneos & habiles reddere non student, immò contemnunt; obligatione interim penes illos remanente, ut quamdiu inexperti sunt, per expertes dato salario competenti Militem suum regant & contineant.

Dum ex sua inscitia militi grave damnũ advenit. Peccant iterum contra idoneitatem, quando ipsorum inscitia vel inertia grave damnum Militi, & consequenter publico bono infertur, quod Dux vel Præfectus expertus avertisset.

Peccant contra probitatem, qui lasciviis vacantes sua vita dissoluta non modò Militi suo malum exemplum præbent, sed etiam carnis vitiis & ebrietatibus dediti disciplinam militarem & exercitium negligunt, unde non rarò gravissima damna Respublica incurrit.

Peccant denique contra justitiam, qui non contenti suis stipendiis populum concutiunt ad contributiones indebitas & injustas populos cogunt, aut facto communi marsupi eum populi Ministris prædam dividunt. ex. g. Omnes vicinos contribuere compellunt, sub titulo quòd ab eorum hospitiis abstineant: in locis in quibus hospitantur sibi graves sumptus accipiunt, & etsi vix centum milites habeant ad ducentas interdum schædulas & hospitiorum portiones sibi rapiunt, & alias infinitas injustitias, etiã per calumnias committunt, de quibus specialiùs in decursu præsentis tractatus, cùm de singulis agemus.

TITVLVS IV.

De stipendii militaris solutione, & personis ad illam concurrentibus.

QUÆSTIO I.

Quod dicatur stipendium militare?

Conclusio Unica.

Stipendia quæ. *Stipendia dicuntur, quæ in stipem, sive pro sustentatione & mercede Militibus ex pacto sive constituto distribuuntur.* Unde est illud Apostoli 1. ad Cor 9. *Quis militat suis stipendiis umquam?* Stipendium itaque est merces laboris & militaris operis quod ex decreto vel pacto eis assignatum est.

Eorum varietas. Varia porrò fuerunt stipendia Militum. Alia enim erant pecuniaria sive æraria, quæ in pecunia & ære solvebantur, dicta à nonnullis *Solda*, Gallicè *Salde*, quòd per solidos distribuerentur. Quinimmò & Ulpianus in l. *Ager* 27. §. 1. *de verbor signif.* derivat stipendium à stipe *Quod* (inquit) *per stipes*, id est, *modica æra colligeretur*; quæ sine dubio æra Militibus distribuebantur. Alia stipendia præstabantur aliquando in alimentis & annona, & illa, vel in singulos dies, vel ad aliquod tempus, idque diversimodè, aliquo enim die panis buccellatus, alio vinum, alio lardum, & id genus. Vide l. *repetita* 1. & l. *jubemus* 10. de erogat. milit. annonæ lib. 12. Cod. tit. 38. Et apud Livium l. 3. decad. 3. legitur, Militibus in stipendium distributam non solùm pecuniam sed & vestimenta & frumentum; & apud Tacitum l. 4. Annal. distributa tergora secoria boum. Itaque quidquid in mercedem ex conventione Militibus assignatur in menses vel annos, stipendia dici possunt, prout distinguuntur à communi annona exercitus, de qua postea.

QUÆSTIO II.

Quis teneatur providere stipendia Militibus?

Conclusio I.

Rex primariò, Populus *Duo à dependenter ab invicem tenentur providere Militibus de stipendio, Rex scilicet & Prin-*

Princeps primario: Secundario patria, sive populus, pro cujus salute bellum geritur.

Etquidem Rex, quia (ut alias docuimus) idcirco Regi & bona & proventus assignata sunt, & ei tributa penduntur, ut regno subveniat, quibus deficientibus potest à populo exigere quod ipsi deficit, ut militia regno necessaria sustentetur, & congrua stipendia accipiat, & sumptus bello necessarij suppeditentur. Hæc clara sunt ex natura rei: Non enim potest, aut debet Rex plura suppeditare quam regii proventus & tributa permittunt, justumque & rationabile est, ut illi de stipendijs Militi providcant, in quorum utilitatem bellum indictum est, & sustinetur.

CONCLUSIO II.

Qui facit da collectio sumptuum ad militū stipendia &c.

Collectio sumptuum ad Militum stipendia, & necessaria belli, debet fieri auctoritate publica Principis vel Respublicæ, habita ratione justitiæ & æquitatis, tam respectu pecuniæ quæ colligitur, quam plebis & personarum à quibus pecuniæ exiguntur. Vide quæ de tributis, gabellis, & impositionibus sunt dicta.

Dixi (*tam respectu pecuniæ quæ colligitur*) qui enim supra sumptus belli excessivam pecuniā colligeret, ut impendijs publico bono non necessarijs, aut vanitatibus ac superfluis expensis insumcreotur, injustè colligeret, & præter peccata mortalia, quæ in hujusmodi exactionibus ratione injustitiæ aut injuriæ committuntur, ad restitutionem sive Rex sive Ministri id agentes vel consulentes obligantur.

Dixi (*quam plebis & personarum, a quibus pecuniæ exiguntur*) habenda est enim hic proportio, ut pauperes præ divitibus juxta mediorum proportiooem non graventur.

PECCATA.

Dum absque necessitate, sub prætextu militiæ, tributa & imponuntur.

PEccat igitur Rex, & ad restitutionem tenetur, qui ubi sufficiunt regni proventus, novas inpositionis & tributa, sub prætextu militiæ imponi curat, aut permittit: Et gravissime ministri, hujusmodi exactiones suadentes, titulo publicæ necessitatis, ut in suas delitias & marsupia ingerant, aut in superfluis impendant.

Peccant etiam qui pauperum conditionem ad proportionem in istis impositionibus non attendunt; divites eximunt, pauperes & honestos alioquin subditos opprimunt, & devorant.

QUÆSTIO III.

An præter stipendium possit Miles aliquid sibi ultra accipere;

CONCLUSIO I.

Miles in ratione stipendij exigit aliquid ultra suum stipendium.

NOn licet Militibus exigere aliquid in ratione stipendii, ultra id quod jure ipsis assignatum est, & quidquid exigitur aut accipitur ultra stipendium injustè accipitur, adeoque peccatum mortale juxta rationem materiæ committitur, cum obligatione ad restitutionem. Ita S. Joannes Baptista Lucæ 3. ad Milites: *Contenti* (ait) *estote stipendijs vestris.* Lucæ 3.14

Dixi (*exigere*) licet enim Militi supplicare, vel rationibus inducere divites, ad sibi ratione militiæ & laborum ac periculorum, quæ subit pro publico bono, aliquid liberaliter donandum, modo non cogat, aut tamquam sibi debitum exigat, aut aliquem concutiat aut vexet. *licet ei supplicare &c.*

Dixi (*in ratione stipendij*) aliqua enim cedunt Militibus ratione annonæ, hospitij, itineris sive transitus, & interdum ratione alicujus beneficij præstiti, quæ in stipendium non computantur. Unde sit.

CONCLUSIO II.

Interdum licite potest petere aliqua.

LIcet Militi *interdum petere & recipere à populo & rusticis, quæ necessitas, charitas, gratitudo, urbanitas requirit: immo etiam in certis casibus illi qui media commoda habent, dare obligantur.* Ex.g. Miles stipendio destitutus potest cibum, vestimentum, medicinam sive in pecunia, sive in specie postulare & requirere, & qui habent media tenentur illis dare etiam ex privatis bonis, tam ex præcepto charitatis, quam ex obligatione justitiæ, quia Milites suam vitam pro Republica exponunt. Item, si aliquam gratitudinem præstent rusticis bona eorum conservando, vel eis privatam aliquam protectionem aut beneficium impendendo: Sic 1. Reg. 25. petiit David pro se & suis à Nabal oves tondente liberale subsidium; & causam gratitudinis adfert: quia inquit, *Numquam eis* (nimirum Pastoribus Nabal) *molesti fuimus, nec aliquando defuit quidquam eis de grege, omni tempore quo fuerunt nobiscum in Carmelo*, Et infra ad Abigail: *Vere* (inquit) *frustra servavi omnia quæ hujus erant in deserto, & non perijt quidquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono.* Ex quibus verbis patet, quod David requirebat ex gratitudine charitatis, & beneficij Nabal præstiti aliquam remunerationem. Fatebantur enim ibidem & servi Nabal de David & milite ejus: *Pro muro* (inquiunt) *erant nobis tam in nocte quam in die, omnibus diebus quibus pavimus apud eos greges* 1Reg. 25.7 Vers. 21. Vers. 16.

Ex his Infero non peccare Milites, si aliquando supradictis titulis aliquid sibi dari inducant, etsi cum aliqua importunitate, absque tamen ulla violentia, concussione, vel asperitate. *Et inducere si absque violentia &c.*

PECCATA.

PEccant itaque mortaliter Milites, & ad restitutionem obligantur, qui à rusticis & civibus ultra cibum & hospitium pecunias extorqueut; qui in eorum domibus, quæ possunt, rapiunt; animalia subducunt & vendunt levissimo pretio, aut eos redimere cogunt: segetes cooculcant, frumeuta excutiunt & divendunt; *Peccata militum.*

vendunt, denique furta, rapinas, & impijssimas exactiones exercent in eos, quos defendere & protegere ex justitia obligantur.

QVÆSTIO IV.

Quantum sit peccatum subtrahere seu negare Militi stipendia, sive ea defraudare, & an possint Milites compensare.

CONCLUSIO I.

Est peccatum in cælum clamans & origo omnium malorum &c.

MIlitijusta stipendia subtrahere aut negare est peccatum clamans in cælum. Est enim Operariorum merces defraudata, eoque majus peccatum est, quod pro exigua pecunia, & stipendio vere tenui vitam Miles exponit, cui proinde stipendium negare est vitam illius gratis profundere. Addo, subtractionem stipendiorum à Milite, esse causam omnis injustitiæ, rapinarum, latrocinii, & quidquid malorum bellum invehit: Neque enim justitia exerceri, vel vindicta criminum fieri potest, nec disciplina militaris servari, dum causatur, Miles sibi stipendia subtrahi, & vel furandum esse, aut quovis modo sive licito sive illicito quærendum, quod ad vitæ sustentationem & necessitates ordinarias requiritur. Et sensibiliter palpavimus tunc militiam floruisse, cum stipendia justa persoluta punctualiter fuere, & rigida justitia in Milites exercita.

Subtrahentes stipendia eorum omnium &c. sunt Rei.

Vnde Infero eos, qui vel subtrahunt aut defraudant, stipendia Militum, aut sunt in causa quod Militi non solvatur, sive quia aliter consulunt, sive quia pecuniam solutioni Militum applicadam alio divertunt, sive quia eam in privatum commodum attrahunt, præter peccata quibus se intricant, rationem reddituros de omnibus malis, quæ ratione subtracti stipendii eveniunt.

CONCLUSIO II.

Compensatio ex privatorum bonis est Militi illicita.

NOn licet Militi uti compensatione subtracti stipendii ex privatorum bonis involando in pecunias & bona rusticorum & agricolarum, sive etiam civium in civitatibus & oppidis, in quibus præsidio deservinnt, vel hibernare solent

Ratio est: Quia privatorum bona simpliciter obnoxia non sunt stipendijs Militum, nisi quatenus publica auctoritate taxata sunt; ut enim alias diximus, Rex non est dominus bonorum privatorum civium sive subditorum Et aliunde privati tributa, gabellas, taxas, impositiones, collectiones publica auctoritate indictas subeunt, ut militiæ & communibus necessitatibus succurratur. Vnde quæ remanent, secure illis remanere debent qui possessores sunt, nec tantum illis remanere, sed ex sumptibus & contributionibus in commune datis tenetur Rex procurare, ut quantum fieri potest quietè serventur, & tranquillam vitam degant.

Dixi (*ex privatorum bonis*) ex bonis enim regijs, & Reipublicæ communibus, liceret Militi sibi compensare, sicut quilibet de bonis debitorum, ubi aliter non potest, quod suum est recuperare, & sibi compensare potest servata duplici conditione, quarum prior est: ut non plus accipiat quam quod sibi debetur: posterior, ut absque præjudicio tertij, qui innocens est, id fiat.

Ex regijs & reipub. communibus bonis licita

PECCATA.

Peccata diripientium à privatis.

EX his ruunt excusationes illæ impijssimæ in peccatis gravissimis, quibus & Duces & Milites fraudulenter in caput suum mentiuntur, se furari, prædari, surripere à privatis tum civibus tum rusticis obvia quæcumque, quia à Rege non solvitur illis.

Tria propè notanda.

Notare enim debent 1. Privatos, solutis tributis & alijs oneribus, nihil aut Regi aut Militi debere, nec eorum possessiones privatas obnoxias esse alijs oneribus pro communi bono, quam ijs, quæ auctoritate publica legitime imponuntur.

2. Ipsos nec ad æqualitatem stipendiorum sibi sumere, sed ad enormes excessus; si enim in uno mense centum floreni Capitaneo, decem Militi debeantur à Rege; Capitaneus paucis diebus ducentos, trecentos, immo & plura millia devorabit, & Miles proportionate similiter: Quinimmo cum raptu illo ingentia alia damna causabit, & regiones ita depauperabit, ut nec Regi, nec communibus necessitatibus aliquid deinceps contribuere possint.

Vnde & 3. Notandum est, sicut nemo sibi compensare damnum suum potest cum injuria tertij, sic nec sibi ex privatorum bonis compensare Militem posse in injuriam possessoris, familiæ & aliarum personarum, quæ in simili casu damna patiuntur. Tædet plura specificare, cum his maxime temporibus ita obvia sint, ut nemo illa ignorare possit.

CONCLUSIO III.

Necessaria vitæ &c. qui possit accipere.

LIcet Militi stipendijs destituto ea, quæ ad necessitatem vitæ, & militiæ necessario pertinent, accipere adhibita tamen rationabili consideratione, & delectu. Ex. g. potest sibi accipere, quæ ad moderatum victum, & necessarium vestimentum requiruntur, & si pugnandum sit accipere arma, pulverem tormentarium &c.

Ratio est: prioris quidem, quia in gravi necessitate jure naturali id licet omnibus, & cum sint Reipublicæ membra, cuilibet membro corporis licet attrahere congruum & necessarium sibi alimentum. posterioris ratio est, quia cum miles ex officio teneatur defendere Rempublicam, & hostibus resistere, ubi arma desunt, undequaque illa accipere potest Nec hic aliquod damnum privati opponi potest, quia damna privata in similibus circumstantijs publico bono postponi debent.

Dixi (*adhibita tamen rationabili consideratione*) nimirum ut potius à divite, quam à paupere; & à pluribus quam ab uno, & pluribus vicibus

cibus ac diversis locis, quàm uno suas necessitates accipiat Miles, ut minùs damnum sequatur.

QUÆSTIO V.

Quid de Argentariis, Commissariis lustrationum, & aliis ad solutionem stipendiorum militarium concurrentibus?

ARgentarij dicuntur, qui pecuniam à Rege accipiunt, vel Regis nomine exponunt, ut stipendia Militibus præbeantur, sive sint Receptores Principum, sive Mercatores, sive Thesaurarij, aut quos Pagatores vocant.

Commissarij lustrationum hic nuncupantur, qui antequam stipendia Militibus distribuantur cohortes sive etiam legiones lustrant, ut de numero Militum illis constare possit: Et his quandoque pecunia Militibus numeranda committitur.

Conclusio Unica.

Obligantur ad tria.

ARgentarij, Commissarij lustrationum, & alij quicumque, qui distributioni stipendiorum militarium intendunt, ad tria obligantur, nimirum: *Pecuniam paratam in tempore habere: Illam in fideli moneta suppeditare: Eamdem fideliter & capitatim distribuere.*

Abusus contra 1. oblig. Et 1. quidem, pecuniam statuto tempore paratam habere: hinc enim variæ fraudes & doli irrepunt, dum ad plures menses stipendia differunt multo militum incommodo & damno; dum istâ pecuniâ utuntur ad lucrum; dum simulant se pecuniam non habere, sed quærere, ut eis alicujus partis condonatio fiat &c. quæ juxta rationem damni, lucri injusti, injustæ condonationis peccata mortalia sunt, in quibus casibus ratione damni ac restitutionem obligantur.

Item contra 2. 2. In fideli moneta tenentur pecuniam suppeditare, nimirū, juxta placita regia sive Principum in Provinciis recepta & usu confirmata: Unde iterum peccant, qui pecuniam monetâ (ut dicunt) currente solvunt, quā in stricto pretio Milites posteà magnâ sui stipendij jacturâ expendere coguntur: vel dum pecuniam, quam in rigoroso placitorum regiorum pretio & valore recipiunt, aut velut mutuantes Regi in rigoroso computāt, ipsi in Milites relaxato pretio impendunt, suo lucro reservantes tantum, quantum pecunia laxa superaddit pretio strictu: ex. g. pistollam pro octo florenis recipiunt, & pro undecim in Militum stipendia expendunt, ac demum à Rege requirunt in rigorosa moneta undecim florenos, quod ex omni parte usurarium est, & non modò Militem, sed & Regem, damnificat.

Contra 3. mille fraudes & peccata. 3. Stipendiorum pecuniam debent fideliter distribuere, quod fit, si capitatim cuilibet Militi distribui absque fraude & diminutione procurent, aut ipsi distribuant. Et hic iterum mille fraudes & peccata: 1. enim cum capitaneo in lustratione militum conveniunt de Milite suppositio, sive locis suppositítijs, ex. g. vel aliquos evocan., qui numerum suppleant eorum qui desunt; aut plures absentes cum excusationibus legitimis fingunt; aut eundem sæpius mutato nomine transire procurant & dissimulant, & sic stipendia suppositítiorum sibi arrogant, & inter se rapaciter dividunt, Regi & Reipublicæ injurij, ita ut aliquando solvantur stipendia pro centum, cum vix habeant milites stipendiarios & actu servientes quinquaginta. 2. solent Capitanei ipsi convenire, ut sibi ab Argentarijs sive Commissarijs pecuniæ numerentur Militibus opportunè distribuendæ, &c. interim Capitanei illam aliquanto tempore retinent, aut ea abutuntur, aut cum distribuenda est, de illa fraudant Milites, varijs prætextibus partem stipendij sibi injustè vendicantes. 3. In monetis illudunt, vel ita per partes stipendium Militi distribuunt, ut fiat illis inutile. 4 Ipsimet Capitanei vadunt ad aulam Principis, quasi stipendia militum sollicitaturi, & quamvis proprijs potius negotijs vacaverint suas diætas & vacantias ex stipendijs advenientibus sibi deducunt, & procurant. Hæc & similia in his peccata communiter eveniunt, quæ omnia mensuranda sunt gravitate furti, aut defraudationis mercedis operarijs debitæ, nec non & oppressionis pauperum.

TITVLVS V.

De annona militari, & personis eidem servientibus.

QUÆSTIO I.

Quid sit annona militaris?

Conclusio Unica.

ANnona militaris dicitur, qua ad Militum sustentationem & necessitates sive quæcumque bello gerendo necessaria ex communi & publico ærario exercitui subministratur, vel subministranda providetur. *Militaris quid.*

Ad quam proinde annonam pertinent frumenta, panes, vinum, cerevisia, avena & fœnum pro equis, arma, pulveres tormentarij, medicamenta & alia id genus, quæ exercitui in castris aut etiam fortalitijs semper præsto esse debent, sive ad se defendendum, sive ad hostem aggrediendum. *ad eam quæ pertineant.*

Distinguitur à provinciali, municipali, civili, quod hæc regno, provincijs, urbibus pro incolarum & civium sustentatione annuè asservetur, & in re frumentaria, aut quæ ad victum spectat solùm ordinariè consistat; militaris autem in omni re, quæ ad militiam pertinet, computetur. *Distinguitur ab aliis annonis.*

Duplex verò potest annona militaris statui: Una quæ ex communi asservatione, sive aggregatione in dies capitatim distribuitur ut panis, caro, caseus, cerevisia, vinum, & similia quæ alimento deserviunt, quæ recensen- *Est duplex.*

tur l.1.& 10. de Erogatione mil. annonæ, lib. 12. C. tit 38. Item, quæ stato tempore, ut pulveres, arma, vestes &c. Altera annona militaris est, quæ non distribuitur, sed præparatur à militibus pecunia emenda: talis est, quæ à Vectoribus, Mercatoribus, Vivendarijs ad exercitum defertur.

Eius antiquæ privilegia. Porrò multa olim erant annonæ militaris privilegia. 1. enim annonam exercitui missam nullus emere poterat sub pœna confiscationis bonorum, immo & si emptor tenuioris fortunæ erat sub capitali, l. 42. in legibus Justiniani militaribus Græcis 2. Prohibitum erat ne aliqui contra annonam societatem facerent, qua annona carior evaderet. 3. ne ullo prætextu naves deferentes annonam retardarentur, aut ijs qui eas veherent aliqua molestia inferretur. 4. qui eas fraudabant gravissimis pœnis mulctabantur. Et alia apud Legistas vide.

QVÆSTIO II.

Quæ personæ annonæ deserviant, & quæ earum obligationes?

CONCLUSIO I.

Ammonitionarij eorumque divisio. **A** *Nnonæ militari primariæ præficiuntur Ammonitionarij, quorum alij frumentarij, alij juxta munus quod obeunt nomina sortiuntur* fuerunt quandoque & Opinatores, vulgò *Controleurs*, qui quando à provincijs annona in specie mittebatur, eius curam gerebant, nec poterant commercium cum Provincijs inire ne annona fraudaretur, debebantque providere ut stato tempore annona mitteretur: fuit & Tribunorum frumenta inspicere, probare, & providere ne in mensuris fraudes committerentur. Vide Petrum Gregor. in Syntagmate l.19. c 6 & l.36 c.30.

CONCLUSIO II.

Obligantur ad tria. **Q***Vi annonæ militari præficiuntur, ad tria obligantur, prout supra de stipendijs est dictum*: nimirum; *Annonam debito tempore paratam habere; Illam in speciebus probatam suppeditare; Eandem fideliter distribuere.*

PECCATA.

Congregantes frumenta corrupta &c. **C**Ontra 1. & 2. Obligationem peccant 1. Qui frumenta corrupta vel vilissimi pretij pro annona congregant, ea nihilominus carissimo pretio Regi vendentes; in qua re tum ratione excessivi pretij gravissimè peccant, tum quia ob vilitatem aut corruptionem frumenti debitum alimentum Militi non subministratur, & sæpe in morbos ratione corrupti alimenti incidunt.

2. Peccant, qui in tempore annonam non cõgregant, unde frequenter exercitus retardatur & deficit, vel miles fame & miseria consumitur: quo etiam pertinent varia commercia, quæ ab ipsis annonæ Præfectis cum mercatoribus immiscentur in damnum Regis & militiæ, idque cum fraudibus & usuris.

3. Peccant singulariter panum Præfecti, qui corruptissimum panem, & ex siliquis potiùs quam frumento pistum, qui vix canibus ministrari dignus est, Militibus subministrant in eorum veram oppressionem, in quo non tantum injustitias intolerabiles, sed inhumanitates homine indignas committere convincuntur. *Subministrantes Militi panem corruptum, &c.*

4. nec minus peccant, sed ijsdem peccatis injustitiæ, inhumanitatis & crudelitatis se intricant, qui cum ijs, qui annonam in pane, cerevisia, vino &c, dare debent, conveniunt, & ab ijs certas pensiones & contributiones accipiunt, ad hoc ut cum illis dissimuletur, & quod lubet agere possint, & suas fraudes ac injustitias impune committere.

Contra 3. Obligationem peccant: Qui cum Capitaneis pactum ineunt super panum quantitate & numero, pecunia redimentes idipsum quod alias præstare Militi tenerentur. ex.g. Capitaneis absentiũ panes distribuunt, vel data pecunia eos ab illis redimunt, & Capitanei liberalius Milites dimittunt, ut eorum panibus sive panum pretio fruantur. *Et hi paciscentes cum Capitaneis.*

Gravius peccant Capitanei, qui ubi pro triginta Militibus, quos solos habent, panes sufficerent, exigunt panes pro centum, aut cum Præfecto annonæ & panum componunt, ut summam pecuniæ, accipiant prædam inter se dividentes.

Huc referenda sunt furta, quibus ex communi annona vel munitionibus ligna, carbones hullicos, candelas, & id genus, Militibus subministrata, Capitanei sibi usurpant, vel varie distrahunt.

APPENDIX.

De ijs, qui alimenta exercitui vendunt, & exercitum sequuntur.

NEc injustitiæ apud Vivendarios, sive alimentorum venditores in castris & præsidijs, desunt.

1. Enim pacta cum Præfectis militiæ ineunt, ut ab ipsis solis Milites alimenta emere possint: habent namque Præfecti suos Panificos, Cerevisiarios, Vinarios, cum quibus conveniunt pro certa summa pecuniæ sibi præstanda, ut castra sequantur, vel alimenta, cerevisiam, vinum divendant Militibus, immo & de lucro eorum participant, quo fit ut ultra justum pretium sua divendant, & nihilominus ab ijs Miles emere teneatur. Ex.g. Braxator cum Capitaneo convenit, ut suæ cohorti vel præsidio aut fortalitio cerevisiam vendere possit data ipsi certa pecuniæ summa, vel gratis cerevisia pro ejus familia, vel certo in singula vasa lucro vel denario: In hoc certe casu & Capitaneus injuste accipit, & Braxator injuste paciscitur, quia ex Militum pecunia sibi idipsum, & proprium lucrum postea compensat. Et alia similia passim obvia sunt. *Vivendariorum injusta pacta cum præfectis militiæ.* *Exemplif.*

2 Ga-

2. Gabellas certas sive impositiones Præfecti Militum suis Vivendarijs propria auctoritate sibi applicandas non raro imponunt, quæ sunt veræ rapinæ & furta.

De jure cantinæ posteà decimus, cum eorum excusationes simul refellemus.

TITVLVS VI.

De hospitijs militaribus.

QUÆSTIO I.

An debeantur Militibus hospitia, & quo jure?

CONCLUSIO VNICA.

Quo jure ea debeantur.

IVre naturali & gentium, hospitia Militibus debentur.

Ratio est: Quia cum hospitium sive habitaculum ad vitam humanam necessarium sit, qui Militem ad militiam conducit, sicut & alimenta & vestimenta debet præbere, sic juxta exigentiam temporis & militarium vacationum debet illis de hospitio sive loco, in quo se recipere posit, providere.

Hospitia triplicia.

Porro triplicia debent hic distingui hospitia. Alia enim sunt castrensia, quæ Militi in castris & campo existenti conceduntur, ut sunt papiliones, tentoria, casulæ quas baraccas vocant, & ipsimet sibi extruunt. Alia sunt; quæ dum in itinere sunt & procedunt, in pagis & municipijs sibi accipiunt. Alia sunt, quæ in civitatibus apud cives, ubi domus pro recipiendo milite publico ærario ædificatæ non sunt.

Hospitijs castrensibus loca assignant mensores sive Metatores castrorum, & eorum structioni providetur ex publicis provinciæ sive regionis impendijs, designatis modis & locis, ex quibus materialia accipere possunt.

Hospitia in itineribus vel præsidijs designantur ab ijs, qui vulgo dicuntur *fourriers*, consultis pagorum, municipiorum sive oppidorum Officiariis, vel Magistratibus.

QUÆSTIO II.

Quæ sint leges hospitiorum Militum, & ad quid Hospites obligentur?

CONCLUSIO I.

Vlpianus.

LEges hospitiorum Militum nonnullas tradit Vlpianus l. Illicitas. 6. § Illicita ministeria cum paragraphis sequentibus.

Leges hospitiorum militarium.

1. Ut illicita ministeria, sub prætextu adjuvantium militares viros, ad concutiendos homines procedentia, omnino à Præside provinciæ prohibeantur, & deprehensa coerceantur, id est, ut sub titulo servitij & ministerii Milites secum ad hospitium plures non adducant.

2. Ne tenuioris fortunæ homines, & qui unicam forte cellulam habent, vexentur, aut è casula sua eijciantur.

3. Ut in domibus hospitij capacibus Hospes possit retinere duo loca sibi & familiæ, modo unam Militi præstet: & quidem primum sibi locum eligere erat Hospitis, alterum eligebat Miles: ubi tamen Hospites illustres sunt media domus illis cedere debet.

4. Apothecæ & loca mercibus deputata libera Domino maneant, nisi forte necessarium esset unum ex illis pro stabulo parare, absque Domini incomodo.

5. Ut omnis concussio absit, alias Domino hospitij liceat propria auctoritate Militem expellere. Hæ leges justæ erant, verum in quo gradu observantiæ sint lacrymæ oppressorum testantur.

CONCLUSIO II.

Quid ratione hospitij teneantur herae militi dare.

RAtione hospitij non tenentur Domini domus aliud præbere, quam quod habitationi ordinarie sufficit, nimirum, *quæ ad cubile, mensa supellectilem & hujusmodi necessaria sunt: Unde nec tenentur cibos præbere, animalia & equos nutrire, & alia, quæ ad habitationem non spectant, suppeditare, nisi aliunde causa justa vel necessitas id exigat.* Quinimo antiquitus puniebatur tam Dominus ea offerens, quam Miles qui ex à Domino exigebat. Allegatur l. *Devotum* 5. de Metatis &c li. 12. Codicis: & l. 3. de Erogatione militaris annonæ eodem libro.

Interdum necessitas &c. aliud exigit.

Dixi (*nisi aliunde causa justa vel necessitas id exigat*) Causam justam arbitror, si deficiente stipendio regio aut annona, municipium aut regio illa supplere teneatur: & tunc non ex privatorum meris expensis, sed communi loci vel Provinciæ impendio supplere deberent. Necessitatem arbitror, quando Miles, unde sibi victum conquere possit, vere non habet, undecumque defectus nascatur: tunc enim Christiana charitas & belli necessitas exigit, ut Miles etiam à privatis foveatur, modo nil aliud quam victum exigat, rationabili consideratione, ut in superioribus est dictum.

PECCATA.

Militum in ratione hospitij.

Præfecti permittentes pro libitu hospitia capi &c.

PEccant igitur 1. Duces & præfecti Militum, qui tumultuarie & extra regulas militiæ unicuique hospitium sibi accipere permittunt: qui concussiones & injusta gravamina non cohibent, sed effreni militum libidini omnia derelinquunt.

Divertentes totum onus in unum pagū, ob acceptā pecuniam ab aliys.

Peccant 2. Qui pagis vincinis ad cōtributiones pecuniarias inductis vel adactis in unū aut alterum pagum sive municipium totum onus Militum divertunt: & ibidem pro centum aut ducentis tantos sumptus faciunt aut pecunias extorquent, quantum pro quingentis aut mille opus esset, sive schedulis pro suppositio Milite datis, sive illis in pecunia redemptis, quibus sæpe manus jungunt Bail-

livi vel pagi Scabini, ut partem prædæ accipiant, sicque quos conservare debebant, facto cum Militibus communi marsupio, suis furtis & rapinis opprimunt in quo & Regi non parum nocent, quia subditos ita exhauriunt, ut ad Regi cōtribuendū impotentes reddantur.

Exigentes excessiva in cibis &c. Peccant 3. Qui prætextu sui status, & nobilitatis, vel officij ac comitivæ in cibis & delitijs mensalibus excessiva exigunt, sive ut in ijs delitientur, sive potius ut cogant illa pecunijs multis redimi, quæ est rapina intolerabilis. Notandum enim est quod Præfectus cujuscunque excellentiæ & nobilitatis (etsi causa justa subesset) non possit plus petere ab incolis patriæ, pro qua militat, quam proportionaliter ad stipendia correspondentia præfecturæ aut officio quod gerit, idque secundum dies & tempus, quo in hospitio cogitur ratione belli hærere. Dixi (etsi causa justa subesset) communiter enim non subest alia causa, quam avaritiæ & rapinæ. Neque enim Militi convenit cibus in campo, qui in palatio fortè dissimularetur & : arma delitiarum inimica sunt.

accipientes quotam ex prædis terra amica. Peccant 4. Qui Militibus suis terris amicis prædas permittunt, & ex ijs velut reddituariis suam quotam & partem sibi præstandam reservant, quo facto se latronum & furum Principes magis demonstrant, quam militiæ Christianæ Duces.

Metatores gravantes unum præ alio. Peccant 5. Metatores castrorum, sive qui hospitiis militum provident, vulgo *Fourriers*. qui in dispositione hospitiorum alios pecunia accepta eximunt, alios gravant; & qui cum Officiariis pagorum conveniunt, ut accepta pecunia vel ab eis declinent, vel minori numero pagos gravent. Vnde & in Constitutionibus Francisci I. Regis Galliæ art. 23. adversus dictos Metatores cautum erat, ut si quis prætextu Officii aliquid à Dominus domorum extorsisset, ne ibidem hospitia assignaret, furca suspenderetur.

Milites divexantes suos Patronos &c. Peccant 6. Milites, quibus cum hospitia vel designata sunt, vel tumultuarie accepta patronos sive heros domorum divexant, extraordinaria exigunt, familiam concutiunt, omnis generis nequitias exercent, quæ lubet prædantur & accipiunt, pecunias extorquent, domos dilacerant, ferramenta plumbum, & alia detrahunt, arbores pomariorum, & alias non fructiferas inutiliter deijciunt &c. Denique præter calumnias, & alia quæ imponunt; non est malitia, quam dæmon suggerere potest, quam non exerceant : plura in hac materia tædet scribere

Militia quàm alias quā doque fuerit. Sancta profectò à principio fuit militia, quæ justitiam conservans justitiæ assertrix & tutrix fuit, sanctis instituta legibus. Et quod ad hanc rem spectat vide Iustinianum in legibus militaribus l. 36. *Qui aliquid* (ait) *per vim sustulerit, in illis ipsis locis, in quibus peccaverit, in crucem tollatur.* l. 38. *Miles, qui vi puellam corruperit, nasus amputetur, data insuper tertia bonorum suorum parte. Miles quocumque loco furetur rem qualemcumque duplum reddat,* *Iustinian.* *militiaque ejciatur.* l. 43. *Duces, & quotquot exercitum observant, si à locis quæ transeunt pecunias extorserint, in duplum condemnentur.* Vide alia l. 12. Codicis passim,

Excusationes, & Axiomata evulsa.

PRimo, Omnes se una voce excusant: quia stipendia illis non penduntur, idcirco ipsi ea sibi compensare debent. *1. Ex non solutione stipendiorum.*

Respondeo 1. Quis in causa est quo minus stipendia solvantur? Ipsimet sæpe, qui excusationis hujus involucro se tegere nituntur: si rusticos non concuteretis, si patriā & Provincias non vastaretis, si ruinas agris & agricolis non inferretis, si & Regalia regum & proventus non diriperetis, si (ut tenemini) patriam & provincias protegeretis: si in ludos, concupiscentias, & ebrietates vestra non profunderetis, stipendia abundarent, & abundanter distribuerentur, imò liberalitate populorum & donationibus accrescerent. *Ostenditur ipsosmet esse in causa.*

Respondeo 2. Posito quod stipendia desint; restat vobis recursus juris naturalis & communis, quo licet necessaria vitæ accipere: aut recursus utilitatis publicæ, quo, deficiente Rege, patria tenetur pro utilitate & necessitate publica congruis modis Milites fovere. His duobus modis sine dubio publica auctoritate ipsis provideretur. Vnde duas Regulas pono. *assignatur modus quo tunc debent uti.*

REGULA I.

EXtra casum necessitatis, vel publicæ utilitatis, non licet privata auctoritate Militi à populo cui deservit quidpiam ultra stipendia accipere, alias furtum committit.

Regula hęc sufficienter explicata est supra, dum de stipendiorum compensatione est actum.

REGULA II.

DEficiente Rege, tenetur populus Militi, ad eum protegendum vel hostem aggrediendum pro justitia & commun salute electo vel assumpto, de stipendijs & annona bello necessaria providere.

Ratio est: Quia nemo stipendijs suis militare debet, & deficientibus proventibus regijs onus providendi in populum revolvitur: illud autem onus, cum generale sit, publica auctoritate constitui debet.

Secundo, Excusant se Duces & Præfecti Militiæ ac Capitanei: Quia pro eminentia & gradu officij, quod gerunt, statum suum tenere, familiam alere, famulos, aurigas, equos nutrire, immo adventantes alios hospitio & mensa recipere debent, quibus non sufficiunt stipendia ordinaria, etsi solverentur. *Excusatio Ducum &c. ob suā eminentiam &c.*

Respondeo 1. Nunquid non denario convenistis cum Rege? tolle igitur quod tuum est, & vade. Certum est enim quod Officialibus militiæ lege vel conventione constituta sint & assignata stipendia, congrua officij gradui & ejus conservationi, & si vere ea non sufficiant, rogandus Rex ut augeat. Vnde. *Evellitur.*

Respon-

Et pro iis assignatur modus.

Respondeo 2. auctis oneribus & gravaminibus sive Praefectorum sive Militum, in ordine ad utilitatem publicam, & militiae commune bonum, ex aequo & bono tenetur Rex vel Respublica stipendia augere, aut aliqua emolumenta publica auctoritate decernere, quibus illa onera vel gravamina licito modo subleventur, & Miles in officio contineatur. Hac ratione cantinae & emolumenta nonnulla Praefectis Militum & ipsis Militibus sunt indulta, pro quo sint Regulae duae.

REGULA I.

Quidquid publ. auctoritate est indultum censetur iuste indultum.

Quidquid Ducibus, Praefectis, Capitaneis militiae aut ipsis Militibus certorum emolumentorum, extra stipendia, publica auctoritate indultum est, interpretandum est ob iustas causas indultum esse, eoq; iuste frui & uti possunt.

Ratio est: Quia publica auctoritate, quae supponitur rem considerasse, justificatur, etsi interdum videretur injustum.

REGULA II.

Secus ubi de ea non constat.

Quod non constat auctoritate publica indultum, aut legitima consuetudine, Regi vel Republica cognita, & tolerata, à Ducibus, Praefectis, & Militibus usurpatam, & stipendia vel leges militares excedit, id ut iniquum repudiandum est, si in tertij gravamen vergat. Hac ratione, ut superius dictum est, non licet Praefectis militiae contributiones à populis Regi subjectis petere, impositionibus, & velut gabellis res, quae militibus venduntur, onerare rusticis in civitates frumenta inferentibus, vel efferentibus pro sua familia, etiam pro passeportis velut pedagia, vel guidagia imponere, & alia plurima facere, quae in Regis damnum, vel subditorum eius oppressionem meram tendunt.

Aut legitima consuetudine &c.

Dixi (*aut legitima consuetudine*) quia ut plurimum sese excusare solent, quod antecessores idem fecerint, & alij etiam communiter practicent: Ad quod dicendum: Nullam unquam consuetudinem legitimam censeri in similibus, quam non justificet causae aequitas, vel publica utilitas, aut quae in gravamen tertij devolvatur. Neque enim credendus est Rex vel Respublica etiam tacitè approbare aliquid in gravamen & manifestum damnum subditorum, nisi in casu quo commune bonum vel necessitas publica gravamini subditi praeponderaret. Et ad hanc limam examinanda sunt, quae in similibus proponuntur & allegantur.

3. Populum debere depauperari ne rebellet &c.

Tertiò, Nonnulli ex materia Status politici argumentari parùm piè volentes, asserere non verentur; populum sic concussionibus & oneribus atterendum & divitijs spoliandum, ac tandem depauperandum; tum ne nimia divitiarum abundantia fretus rebellet; tum ne eorum divitiae praedis hostium pateant.

Evellitur.

Respondeo 1. In innocentes non esse saeviendum injustè, & populum in suspicionem rebellionis inducere, esse veram calumniam, quam prohibet Baptista inferre.

Respondeo 2. Si quando suspicio aliqua talis ingrueret, non id Praefectorum militum judicio, sed magno Regis consilio & auctoritate decerni debere.

Quid si privatorum bona timeantur in manus hostium venturo.

Respondeo 3. Nec bona privatorum libidini & concupiscentiae Militum relinqui nisi impijssimè posse, sub praetextu quod ad manus hostium devenire debeant: Quinimmò in conscientia Miles domesticus debet illa protegere, & usque ad extremum defendere, ac tum demum, si defendi non possint, auctoritate publica, vel monendi sunt, ut de illis disponant, vel pro bono publico consumi possunt: nunquam autem privatae direptioni Militum, absque debita deliberatione auctoritatis publicae, aut derelinqui, aut exponi. Impijssima certe illa propositio est, quae in Militum ore versatur: Si non spoleo & extorqueo, hostis spoliabit & extorquebit. Tuum profectò est, & obligaris in conscientia bona populi ad extremum defendere; quod si non possis, Rex vel Princeps provideat ne inde hostis proficiat, si enim absque Medici judicio brachium homini ob cancrum & gangraenam non abscinditur, ergo & tu injustè raptor judicium Superioris expectare debes.

Periculosa Militia.

Militiae moderna corruptio.

Ex dictis constat, quam periculosum sit hoc tempore militare; ubi vix Christiana fides, minus vita servatur: ubi non nisi juramenta execratoria & blasphemiae in Deum & Christum eius personant: ubi luxuriae, fornicationes, scortationes, adulteria, ebrietates inundant: ubi omnia concussionibus, latrocinijs, furtis, rapinis, calumnijs pauperum & oppressionibus patent: ubi omnia peccata impunita remanent: quinimmò & ipsa militia ad excusanda omnia peccata praetexitur. De quo conqueritur S. August. (aut quisquis est Author serm. 19 [illegible] verbis Domini, estque [illegible] appendice [illegible] diversis:) *Nonnulli fratres* (inquit) *qui aut militiae [illegible] detinentur, aut in actu sunt publ[illegible] cum peccant graviter, hac solent a peccatis [illegible] excusate, quod militant & ne bene a[illegible] quando faciant occupatos se malis a[illegible] conquerantur: perinde quasi militia hominum non voluntas in culpa sit: ita quod ipsi gerunt, officijs suis adscribunt. Non enim militare peccatum est.* Infra: *illud autem quale est, quod cum ob errorem aliquem à senioribus arguuntur, & imputatur alicui de illis, cur ebrius fuerit, cur res alienas pervaserit, cadem cur turbulentus admiserit: statim respondeat: Quid habebam facere homo saecularis aut miles? nunquid monachum sum professus aut Clericum* &c. quam excusationem benè evellit, & tandem concluoit: *Nemo* (ait) *de occupatione militia conqueratur. Apud omnem Christianum prima honestatis debet esse militia.*

S. August.

Pericu-

Pericula saluti in militia. Pericula itaque salutis, quæ Militibus adhærent, sunt, consuctudo peccandi, qoæ ferè transit in naturam, ita ut perseverante militia vix aut nunquam vitare peccata possint. Conversatio etiam aliorum ad malum trahit. Item, ut plurimum impossibilis fit illis ablatorum restitutio, idque eorum culpa, quia omnia dilapidant, & si propria habeant ipsa decoquũt. Et quod extremi periculi & certæ damnationis est; quod vix Militem contingat agere veram pœnitentiam, 1. quia quamdiu Miles est, in continuo statu peccati, vel proximo periculo peccandi remanet. 2. quia vix emendam efficacem propoonere potest. 3. quia etsi ad tempus conteratur & meliora propooat, statim relabitur. 4. qui tot injustitiis & restitutionibus faciendis prægravatur, ut in articulo mortis afflictionibus & amaritudine cordis tabescat & absorbeatur. 5. denique eò quòd Miles subito vulnere percussus imparatus intereat. Unde Gregorius in Synodo Romana *Gregor. IV. c. Falsas.* c. 6. apud Gratian. de Pœnit. d. 5. c. *Falsas: Miles* (ait) *vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad pœnitentiam venerit &c. recognoscat se veram pœnitentiam non posse peragere, per quam ad æternam vitam valeat pervenire, nisi negotium derelinquat, vel officium deserat* &c. *bona, quæ injuste abstulit, restituat, arma deponat, ulteriusque non ferat* &c.

Et hæc de Militia & Militibus sint dicta, quamvis enim plura fortè requirantur, maxime quæ eorum peccata concernunt: quia tamen peccata illa alijs etiam personis sunt communia, alibi suo loco, & in decalogo tomo 2. sunt examinata: Ubi etiam de duello; de restitutionibus &c. Multa etiam, quæ ad pompam Diaboli initio huius tomi, dum de Christiano homine ageremus, diximus pertinere, ad Milites spectant.

APPENDIX.

De Stratagematarijs, Armariis, Nautis, Vectoribus, Mercatoribus.

HÆc quidem Officia multùm militiæ deserviunt, præsertim eorum qui ad stratagemata in bellis, vel ad arma subministranda assumuntur. Verum de *Stratagematarijs* idem ferè dicendum est quod de Militibus, ut nimirum fidem & fidelitatem servent tam in operibus suis & stratagematibus, quam in secretis sibi commissis; à proditionibus abstineant; stipendijs suis & salarijs sint contenti; neminem concutiant; nemini calumniam inferant. *Stratagematariorum obligatio.* An vero dolis uti possint? Clarum est in stratagematibus suis id posse quod stratagema requirit, dolus enim ille militaris in alio non consistit, nisi in præoccupando hostem, in dissimulando suam intentiouem, in servandu secreto in ijs, quæ oon debent revelari: denique in quolibet nocumento, quod legitimè quavis via adversario inferri potest.

Armarij similiter pertinent ad annonam, & ad omnia tenentur proportionatè, ad quæ annonæ militaris Præfecti, de quibus supra.

De *Nautis* & *Vectoribus* nihil etiam particulare dicendum occurrit, nisi quod de omnibus opificibus dicitur, nimirum, ut sint in vectura solliciti, in rebus, quas pro alijs vehunt, fideles, ne sua negligentia vel malitia aliquid pereat: tandem ut ultra debita stipendia nihil exigant amplius.

De *Mercatoribus*, qui in omni ferè re quasi transcendaliter Reipublicæ & bono publico deserviunt, egimus sufficienter tom. 2. tract. 8. tit. 5. per octo lectiones.

TRACTATUS ULTIMUS.

De Statu Morientium.

Viatorum ultima meta. HIc est omnium Viatorum terminus, & ultima meta, a qua ad Statum Æternitatis transeunt, tam glorificandi cum electis, quam torquendi cum reprobis. Ab hoc Statu dependet æternitas: Eccli. 14. *Memor* (ait) *esto quoniam mors non tar-* *Eccli. 14. 12* *dat, & testamentum inferorum quia demonstratum est tibi: testamentum enim huius mundi, morte morietur.* Huius Testamenti omnes homines ab Adam hæredes facti sunt: *Quis est* enim teste psalmista *Psal. 88. 48* *homo, qui vivet, & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?* 2. Reg. 14. *Omnes* *2. Reg. 14.* *morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram* Si igitur quilibet in quo- *Quam attendendus hic Status.* libet Statu sibi attendere debeat, in hoc Statu unicuique attendenda qualitas, & attendendum officium, & opus quod juxta naturam Status faciendum est, ut quis ad Beatitudinis æternæ sempiternum Statum transeat, ubi mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor aut dolor, sed nova omnia.

TITVLVS I.

De variis morientium conditionibus, & eorum obligatione.

QUÆSTIO I.

Quæ & qualis sit Morientium diversitas?

Conclusio I.

Mors naturalis. Violenta.

MOrientium diversitas primariò desumitur à causis mortem inferentibus, quæ duplices sunt: aut enim sunt naturales & internæ; & inde dicitur naturalis; aut sunt externæ, & per violentam læsionem mortem inferunt; & inde dicitur mors violenta: Et ex his aliqui dicuntur mori morte naturali, aliqui violentâ.

Naturalis dupl. contingit.

Rursus naturalis dupliciter contingit consideratis causis: aut enim contingit ex pugna & dissolutione temperamenti, causatâ à qualitatibus elementaribus inter se pugnantibus & temperamentum dissolventibus, unde nascuntur febres, & aliæ infirmitates mortem inferentes: aut contingit ex sola consumptione humidi radicalis, quo deficiente & à calore naturali consumpto mors eveniat necesse est: & hæc est mors senum, quæ vel citiùs vel tardiùs ex parte naturæ advenit, prout humidum naturale citius vel tardius consumitur.

Similiter violenta

Mors etiam violenta dupliciter considerari potest juxta diversam læsionem, quæ ab extrinseco infertur. alia est enim simpliciter violenta, ut quæ gladio, laqueo, igne sive combustione, aqua sive submersione, vel à bestiis, dæmonibus &c. infertur: alia tantum violenta secundum quid, ut quæ infertur à pestifero aere, veneno, cibis male sanis & corruptis &c. Causa enim extrinseca violentiam quandam infert, & eo respectu violenta mors est: quia etsi mediante humorum infectione fiat, & hoc modo naturalis dici posset: dicitur tamen violenta, quia non causatur ex naturali humorum & qualitatum corporis pugna ordinaria, sed ab exrtinseco per violentas impressiones.

Conclusio II.

Diversitas Morientium est etiam ex dispositione Dei.

PRæter diversitatem Morientium ex causis naturalibus aut violentis, attendenda est diversitas penes Causam primam & dispositionem eius, qui habet claves vitæ & mortis. Hinc cur hic moriatur adhuc in ventre matris: alius vix egressus & sugens ubera matris: alius in pueritia: alius in adolescentia: alius in verili ætate alius in senectute magna: id non solis causis naturalibus, sed dispositioni & auctoritati Dominatoris vitæ & mortis attribuendum est, hinc Propheta Job c. 14. *Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt.* Et c. 13. *Posuisti in nervo pedem meum, & observasti omnes semitas meas: & vestigia pedum meorum cõsiderasti.* Unde Advertendum est: Quòd quamvis complexio naturalis, & conservatio corporis à noxiis & externis causis, & eventibus fortuitis, promittat longam vitam nihilominus terminum vitæ non debere expectari ab illis, sed à dispensatione Creatoris. Job 14. *Breves dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est:* Qua consideratione orabat David Psalm. 101. *Ne revoces me in dimidio dierum meorum* &c. Et ab hac sola providentia & dispositione Dei debet homo metiri, & expectare terminum vitæ suæ.

Hinc non confidendum complexioni naturali.

QUAESTIO II.

Quæ sint obligationes hominis Christiani morientis?

Conclusio Unica.

Ad tria obligatur.

HOminis Christiani morientis tres potissimum obligationes sunt, nimirum: *Ponderatio præsentis vitæ: Purgatio accusantis conscientiæ: Dispositio imminentis viæ.*

Ponderatio præsentis vitæ, ut attendat homo seriò, qualiter vixerit: qualiter vivat: & qualiter in residuo vitæ vivere debeat.

Purgatio accusantis conscientiæ, consistit in contritione, confessione, & delictorum satisfactione debita.

Dispositio imminentis viæ postulat: ut moriens disponat de temporalibus, quæ debet deserere: de spiritualibus, quæ in exitu debet pro viatico deferre: de salvo conductu, & secura contra hostes defensione.

Probantur ex Script.

De his omnibus Scriptura. Et de 1. quidem Eccli. 14. *Ante obitum tuum operare iustitiam: quoniam non est apud inferos invenire cibum.* Ibidem: *Non defrauderis à die bono, & particula boni doni non te prætereat. Nonne aliis relinques dolores, & labores tuos in divisione sortis?* Et ibidẽ ponens distinctionem inter opera bona, & inutilia aut mala, quæ fecerit homo in vita sua: *Omne opus* (inquit) *corruptibile in fine deficiet: & qui illud operatur, ibit cum illo. Et omne opus electum iustificabitur: & qui operatur illud, honorabitur in illo.*

De 2. autem, quod est *Purgatio accusantis conscientiæ*; Job 10. *Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte me ergo, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine: terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat* &c. Hoc est Speculum hominis ad mortem se disponentis: ut tantisper se abducat ab omni turba, ut cum conscientia sua agat, & peccata sua plangat in doloribus animæ suæ. Quod & in Ezechia, accepto nuntio mortis, & mandato ut disponeret de domo sua Isaiæ 38 clarè speculamur: *Convertit* (ait textus) *faciem suam ad parietem, & oravit ad Dominum* &c. *Et flevit fletu magno* &c. Ut autem scias quid tunc egerit, audi dicentem: *De manè* (inquit) *usque ad vesperam finiet me* &c. quid ergo? *Sicut pullus hirundinis sic clama-*

Ratio est, quia qui vovet, censetur, etsi non specificaverit, vovere pro tempore viæ & vitæ cum post vitam non sit in statu operandi.

Quid de animabus defunctorũ p[illegible] pro [illegible] implere peregrinationes, &c.

Objicies: Historiæ plurimæ fide dignæ referuntur, in quibus animæ defunctorum vivis apparētes narrantur petiisse ab illis peregrinationes, oblationes, & nõnulla alia opera, quę in vita Deo voverant adimplere, quibus adimpletis se è loco purgatorij ad cœlum migrare testabãtur. Ex quibus sic argumentor: Animæ illæ in materia sufficienti voti, ut sunt longinq; peregrinationes, oblationes graves nõ observando votũ peccaverunt mortaliter, vel nõ peccaverunt: Neutrum dici potest: Nõ enim possunt dici nõ peccasse, quia ex supposito votũ Deo factum tempore vitæ, quod est omnium operum nostrorũ terminus, nõ impleverunt; Non potest etiam dici eas peccasse quia cum (ut etiã supponitur) in materia gravi votũ neglexerint, mortale peccatũ comittere debuerunt, pro quo jam damnatæ essent: adeoque nec in purgatorio essent, nec adimpletione voti per vivos facta ab inferoo liberari possent.

Respondeo: si ex lata culpa votum gravis materiæ in vita voluntariè neglexissent, nec culpam illam per legitimã pœnitentiam eluissent, sine dubio ab omissionem culpabilē voti in materia sufficienti damnãdas fuisse, adeòq; nec tales animas per alterius vivẽtis opera juvari in hoc potuisse, ut bene argumentũ concludit. Dicendũ ergo animas illas sic pro suppletione suorum votorum apparentes, aut inculpabiliter, sive suo reatu solius venialis culpę hujusmodi peregrinationes vel oblationes omisisse, aut de omissione legitimè ante mortẽ pœnituisse: Permittere autem Deũ singulari sapientiæ suæ dispositione, ut aliquæ animæ per opera vivorũ sua vota suppleant, sive quia vota simpliciter personalia nõ erant; sive, etsi personalia essent, charitati pro animabus illis a vivẽtibus faciendæ indulget, sive ut peregrinatiões suo honori cõsecratas approbet sive ut oblationes Ecclesiæ alicui jam per votũ obligatæ, Ecclesiæ illi per opera vivorum restituatur. Eodem ferè modo quo (ut in Historiis legitur) animæ post mortem apparentes curaverunt restitutiones vel per oblivionem, vel per negligentiam omissas (de qua tamen ante mortem pœnituerunt, etsi ob causas restitutionem tunc facere non possent) post mortem per vivos fieri.

Non adimpleta in vota, an peccaverint.

Respondeo 3. Vota, quæ personalia non sunt, possunt per alium fieri, vel etiam in fine vitæ alteri demandari, ut post mortem adimpleantur. Ratio est, quia quod per alium fieri potest non determinatur strictè ad tempus vitæ voventis, nisi ad tempus aliquod determinatum esset. Vide quæ de votis & votorum observantiis ac transgressionibus à nobis sunt dicta tomo 2. tract. 3. tit. 4. per totum.

Vota non personalia possunt per alium impleri &c.

Petes 3. Quid agendum sit præparanti se ad mortem, sive morienti, super perfecta cum Deo reconciliatione?

Advertendum: Etsi per absolutionem sacerdotalem, sive per veram contritionem cum voto Sacramenti remittatur peccatum, & homo Deo reconcilietur per gratiam: remanere tamen frequenter culpas veniales, pœnitentias & satisfactiones, pœnas etiam temporales in hoc mundo vel in purgatorio persolvendas, & alia aliqua vincula, quæ cum gratia & amicitia Dei consistere possunt.

Reconciliatis per gratiam multa sæpe remanent luenda.

Respondeo itaque hominem morientem, sive ad mortem se sincerè disponẽtem, si perfectè Deo reconciliari, & Dei faciem videre in cõsortio Beatorum velit, debere orationibus, eleemosynis, & similibus operibus conari pro pœnis debitis satisfacere, teneri pœnitentias & satisfactiones in Sacramẽto sibi impositas, si potest, adimplere; debere conari indulgentias Ecclesiæ sibi lucrari, ut in plenitudine remissionis, & in osculo perfectæ pacis recipiatur: Unde hæc est S. Augustini vox: *Neminem etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, ut sine pœnitentia migraret è vita*: utique septies in die cadit justus, etsi toties contingat resurgere.

S. August.

QUÆSTIO II.

Qualiter debeat moriens, vel se ad mortem præparans cum proximo componere.

CONCLUSIO UNICA.

In tribus cum eo debet componere.

M*oriens, sive seriò se ad mortem præparans in tribus cum proximo componere debet: 1. Restituendo aliena: 2. Omne odium, rancorem, omnemque inimicitiam deponendo. 3. Se ei reconciliando, & omnem injuriam compensando, & causam injuriæ auferendo*

Petes 1. An qui aliena ante mortem non restituit, ad gloriam & beatitudinem æternam pervenire possit? Ratio dubitandi sumitur ex communi axiomate: *Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum*.

An necessario aliena restituenda.

Pro accurata hujus dubij resolutione Advertendum est 1. Jure divino naturali, sicut à principio nihil in bonis temporalibus fuit proprium, sic nihil fuisse alienum: proprietas itaque bonorum temporalium jure gentium introducta est, multiplicato genere humano, ad vitandam confusionem. Dixi (bonorum temporalium) bona enim famæ, honoris, & alia proprij ingenij opera, semper jure divino naturali fuerunt cuilibet propria, sicut & modo perseverant.

Non sic fama, honoris &c.

Advertendum 2. Alienum certis conditionibus, sive ex natura rei, sive jure gentium vel civili, desinere esse tale. 1. Enim in casu necessitatis gravis vel extremæ in ijs, quæ ad hominis vitam servandam pertinent, nihil est proprium vel alienum, sed illa fiunt communia, & absque peccato a necessitatem patiente usucapiuntur. 2. Per præscriptionem juris quod alienum erat fit nostrum, absque alio contractu. 3. Donatione, vel condona-

tione res aliena fit propria. 4. Rei desitione, vel simpliciter, vel secundùm quid, quod alienum fuit, jam aut nullius est, aut in cõmunem egentium necessitatẽ cedit: quomodo si equus furto ablatus moriatur, jam nullius est, etsi ad compensationem damni fur teneatur, Item, ubi quis furatus est panem, & illũ consumpsit, sicut panis esse desiit, ita nullius est. Item granum à milite excussum ad varias & incertas manus transiit, ita ut recuperari non possit; nec sciatur cujus præcisè sit: illud ubicumque invenitur necessitati egentium cedit.

In re alienatria cõsideranda, quæ aliquando sunt licita aliquando illicita.

Advertendum 3. In acceptione rei alienæ tria esse considerãda. 1. est: Ipsa rei alienæ acceptio sive usurpatio invito Domino 2. Rei alienæ detentio. 3. Damnum, quod ex detentione oritur: Et quamvis cõmuniter ista sint illicita, & simul in eodẽ actu reperiantur, in certis tamen casibus sunt licita, & ab invicem separari possũt. E.g. In necessitate, licet necessitatẽ patienti rem alienã accipere & sibi applicare. Itẽ, licet necessitatem patienti rem alienã apud se existentẽ legitimè detinere, & illã consumere. Item, ubi vim patior, & vitã servare debeo, licet mihi damnũ proximo in suis rebꝰ inferre.

A re aliena potest quis expediri.

Advertendum 4. Alieni usurpatorem variis modis se ab illa expedire posse. 1. Restitutione rei in specie. 2. Compensatione illius ad æqualitatem. 3. Reparatione damni. 4 Obtenta condonatione. 5. Omnimodâ restituendi &c. impossibilitate. His sic prænotatis.

Alienum ante mortẽ debet restitui nisi necessitas excuset.

Respondeo 1. Omnis qui alienum habet, vel proximo damnum in bonis temporalibus intulit, illud ante mortem restituere debet, & damnum illatum compensare, nisi necessitate, vel impossibilitate excusetur. Necessitas autẽ attenditur ut suprà, si is qui rapuit vel detinuit in gravi & extrema necessitate rem cõsumpsit, aut usui necessario vitæ sibi applicavit: tunc enim non tenetur restituere, quia suam lege naturæ fecit. Similiter, qui ad mortem vitandã bonis alicujus damnũ aliquod intulit, in conscientia ad compensationem damni, non tenetur, quia jure naturæ usus est, quo temporalia, cujuscumq; sint, vitæ conservandæ postponi debent. Impossibilitas etiam excusat, quia nemo jure gentium vel civili, ex quo orta est rerũ proprietas, & consequenter obligatio restitutionis, ad impossibile tenetur. Nec refert quòd quis depauperatus ob non factam restitutionem carceri mancipetur, hoc enim ei non infligitur, quia non restituit, sed quia culpabiliter & injustè damnum possessori intulit, quam culpam vindicat jus civile.

Item. Impossibilitas.

Qui culpabili se non expedit à re aliena in quo sit statu.

Respondeo 2. Si quis culpabiliter se non expedivit ab alienorum ablatione, sive detentione, vel per restitutionem, vel per compensationem, vel condonationem obtentam, vel per ordinationem legitimam testamenti, etiã si de peccato & detẽtione injusta antea pœnituerit, damnationis æterno judicio se exponit.

Ratio est 1 Quia manet in suis heredibus alienæ rei detentor injustus & culpabilis, dum (cùm potuit restitutionẽ non fecit, nec suppositis bonis, ad restitutionem alieni sufficiẽtibus, heredibus eam injunxit. Dixi (culpabiliter) si enim per oblivionem aut inadvertentiã, aut mortem subitaneam, ob temporis & circũstantiarum angustias, pœnituerit quidẽ sufficienter de culpa, restitutionem tamẽ ordinare nequiverit, à culpa excusatur, & consequenter à pœna æterna; purgatorij tamen pœnis tamdiu torquebitur, donec juxta judiciũ justi Judicis Dei nobis ignotum in foro divino sit satisfactũ. Unde privilegiũ Dei singulare cẽsentũ est, quod in Historiis aliquãdo legimus animas aliquas ad vivos remitti, ut restitutiones injustè ablatorũ insinuẽt, & ab eis deposcant;

Quid si inculpabiliter.

Dices, Quamdiu bona aliena restituta non sunt, detentio injusta & consequenter peccato mortali obnoxia in heredibus remanet, cui detentioni anima morientis causam dedit, dum restitutionem non ordinavit.

Heredes quando excusentur. quãdo non.

Respondeo: Morientem propter aliquam impossibilitatem (ut dixi) inculpabiliter supponi non indicasse, aut restitutionem indixisse, unde à culpa mortali excusatus censetur: heredes autẽ si bona aliena esse ignorẽt, quãdiu ignorantia inculpabilis durat, à restitutione excusantur; imò stante bona fide contra proprietariũ juris certo tempore jure civili præscribunt: si tamen bona aliena esse, aut mortuum scirent ad restitutionem obligatum fuisse, tunc hoc ipso non restituendo mortaliter peccant, quia scienter alienum detinent.

Quid si heredes, & restitutionem legitimè ordinatam à moriente, non faciant.

Respondeo 3. Si quis moriẽs legitimè ordinavit restitutionẽ alienorũ fieri relictis sufficientibus bonis & heredes, vel etiã executores voluntati & ordinationi defuncti non satisfaciant: anima quidẽ defunctià restitutione personali, quæ ipsi in vivis incumbebat, liberatur, peccatum autem detentionis bonorũ alienorum, & obligationis restituendi transit in heredes aut executores, de quo in judicio Dei, & in foro conscientiæ rationem reddere tenebuntur, & si non satisfaciant, ob peccatum illud non restituendi æternaliter dãnabuntur.

Moriens liber est.

Ratio primæ partis est: Quia moriẽs supponitur in morte fecisse quod tũc facere potuit; & idcircò à peccato liber fuit; ad restitutionẽ autem post mortem teneri non potest, quia tunc nec detentionis aliquorum bonorũ est capax, quia ab omnibus temporalibus separatus est; nec restitutionis, quia unde restituat non habet, & ei restitutio impossibilis est.

Obligatio transit in heredes [illegible]

Ratio posterioris est: Quia obligatio ad restitutionem, & peccatũ detentionis alienorũ bonorum possessivè quidem ad heredes cum bonis transit; causaliter verò ad testamentorũ executores, qui restitutionem in se assumpserunt. Cætera, quæ de restitutione bonorum alienorum dicenda essent, videantur tomo 2. tract. 8. tit 6. per totum.

Petes 2. Quomodo se debeat habere moriens, cum proximo in causa inimicitiæ vel injuriarum.

Non sufficit odium deponere.

Respondeo 1. Non sufficere si odiũ vel inimicitiã deponat (ad quod quidẽ tenetur sincerè & ex corde) sed ampliꝰ, si quã injuriã fecit, tenetur, si potest, illã tollere per sufficientẽ cõpensationem, aut obtentã à persona læsa cõdonationẽ, sicut & ipse tenetur alijs cõdonare.

Ratio

Mat.6.15. *Cap.18.35* *Ec 28.1.*

Ratio clara est ex Scriptura Matth.6. *Si autem non dimiseritis hominibus: nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Et cap.18.de servo condemnato. *Sic & Pater meus cælestis faciet vobis. si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris*: Vide etiam cap. 28. Eccli. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius servans servabit, &c.* quæ latius prosequitur.

Ubi potest debet injuria tolli.

Dixi (tenetur si potest injuriam tollere) Ex. g. si diffamavit, tenetur tollere diffamationem: sic calumniam intulit, aut in aliquo læsit, si potest, debet omnibus modis conari, ut calumnia aut læsio tollatur. Unde.

Item causa injuriarum. *Exemplificatur.*

Respondeo 2. Tenetur moriens, vel ad mortem se præparans, non tantum injurias compensare, sed etiam causas injuriarum, si quæ permaneant, tollere, aut ordinare ut efficaciter tollantur. Ex.g. Si aliquem de proximo male informarit, aut inter aliquos discordias seminarit. si consilium malum scienter dederit; si ad processus & lites iniquas irritarit, si injuriosè ut innocentes causa caderent per vias iniquas procurarit: si falsum testimonium in aliqua causa dederit, si ipse injustos processus vel lites cum aliquo habuerit: ante mortem sub pœna damnationis, causam omnium similium injuriarum, damnorum &c. si potest, tollere debet, aut omni modo possibili conari ut tollatur. Cætera iterum, quæ ad hanc materiam spectant, vide tomo 2. tract 2. tit. 4. sect. 2. §. 3. de Inimicitia & reconciliatione per propositiones 9.

QUÆSTIO III.

Qualiter se debeat Moriens, vel ad mortem præparans componere cum seipso, & conscientia sua?

CONCLUSIO UNICA.

TRia superius à nobis notata sunt initio tituli q . nimirum; 1 *Teneri morientem deponere omnem voluntatem malam*: 2. *Auferre omnem peccati occasionem*, 3. *Quietare omnem conscientiæ inquietudinem*, Et de 1. quidem sufficienter à nobis actum est tom. 1. tract. 4. tit. 3 per totum; ubi & pro tentatis & scrupulosis dedimus oportuna consilia. De 3. etiam toto tractu 5. qui est de Conscientia. Nonnulla tamen hic paucis perstringo pro 2.

Ratio dubitandi.

Petes itaque qualiter moriens teneatur auferre omnem peccati occasionem? Ratio dubitandi est, quia cum ipsa morte omnis peccati occasio ab eo tollatur, frustra id ei imponi videtur.

In hora mortis debent amoveri concubinæ &c

Respondeo nihilominus: Etsi per mortem omnis occasio peccandi tollatur, in ipsa tamē etiam hora mortis, non desunt occasiones peccatorum amovendæ Pro exemplis autem pono sequentes, ut ex illis aliæ deduci possent Auferendi itaque à morientibus sunt, qui illos ad peccatum vel peccati periculum inducere possunt; ut sunt scorta & concubinæ, cum quibus peccaverunt, quæ nec ad præsentiam sunt admittendæ, quia & illarum recordatio vel memoria, & diaboli insidiæ inflectere animum in malum possunt: Item luctus uxoris & prolium, qui non tantum animum emolliunt, sed etiam ad impediendas restitutiones, & justam dispositionem bonorum præpediunt, & sæpius injustitiarum multarum causa sunt, Item, Harpiæ illæ bonis morientis inhiantes, qui variis molestiis infirmum infestant, & de bonis & negotiis temporalibus illius animam turbant, illo maximè tempore, quo de conscientia & statu spirituali animæ sollicitus esse debet. Nec ab iis longe absunt etiam nonnulli Ecclesiastici, qui cupiditate bonorum magis quàm charitate ducti, ad varias dispositiones illos sollicitant, de quibus statim.

Luctus uxoris & prolium.

Bonis morientis inhiantes &c.

Et generaliter quidquid esse potest occasio peccati &c.

Denique moriens, aut ad mortem se disponens debet à se amovere & amoveri curare, quidquid ad peccatum suapte natura, vel accidenti allicit quidquid hominem difficultatibus temporalibus intricat: quidquid constantiam animi enervat: quidquid animam turbat, aut à sanctis propositis hominem deterrere, aut quovis modo impedire potest.

TITULUS III.

De dispositione imminentis viæ in Morientibus, & ad mortem se disponentibus.

TRia posuimus necessaria animæ, quæ debet egredi ex hac mortalia vita, ut bene sit illi in via: primum, dispositio familiæ & domus suæ quam relinquit. 2. Provisio necessariorum ad viam quam assumit. 3. salvus conductus contra prædones, quibus occurrit: super quibus pono tres Sectiones.

SECTIO I.

De dispositione familiæ sive domus, quam Moriens relinquit.

Consistit in tribus.

DIspositio familiæ sive domus morientis, si familiam vel domum gubernet, vel temporales possessiones habeat, in tribus potissimum consistit: Testamentaria ordinatione· Familiæ pacifica constitutione: Sepulturæ electione.

QUÆSTIO I.

Qualiter Moriens meritorium & justum testamentum condere debeat?

HIc non disputo de legibus civilibus & apicibus juris, quæ in testamentis ad valorem in foro externo requiruntur: quot enim patriæ, regna & provinciæ, tot fere sunt diversa leges. Agendum igitur mihi tantum de iis, quæ in foro cōscientiæ requiruntur, tā quoad testantem, quā quoad heredes & executores.

Zz 2 PETES

Petes igitur 1. Quid observare debeat, qui testatur causa mortis, in sui testamenti constitutione & ordinatione, ut coram Deo sit justum & meritorium?

Respondeo: Ut quis condat testamentum justum & meritorium requiritur.

Testans habeat intentionem puram.

1. Intentio pura, quæ est, ut integra & sincera voluntate nemini velit obesse, sed pro salute animæ suæ de bonis suis disponere, ut reddat Domino suo, qui in cœlis est, & ad quē spiritus ejus redit, rationem villicationis suæ.

Provideat ut debita solvantur &c.

2. Ante omnia meminerit animæ suæ, ut ei ex bonis quæ relinquit bene fiat: atque adeo provideat, ut debita sua solvantur, aliena restituantur, si aliquibus pro mercede obligatus est, non remaneat eorum merces usque ad mane, sed quantocius solvatur.

Ordinet pia erga animam.

3. Sacrificia, eleemosynas, preces, pias fundationes pro animæ suæ refrigerio faciendas ordinet, & piè ac prudenter de illis, ut efficaciter fiant, decernat.

Heredibus justè hereditatem distribuat.

4. Si heredes habeat, qui jure succedunt, illis justè hereditatem partiatur, distribuat, & dividat, idque claris & apertis terminis, ne verborum involucra lites & processus inter illos causent.

Non gravet unum heredē præ alio sine causa.

5. Caveat ne aliquem exheredet, aut præ aliis gravet, sive ei portionem hereditatis diminuat, nisi manifesta & justa causa secundum leges appareat.

Habeat inter consanguineos rationem paupertatis.

6. Inter consanguineos, & alios ad eum pertinentes, habeat semper rationem paupertatis, aut necessitatis, aut justæ gratitudinis ut illis qui magis indigēt, vel in majori necessitate sunt, vel qui creduntur melius usuri (si potest) melius faciat. Sicut enim quondam Jacob Joseph Patriarchæ Gen. 48. dedit *partem unam extra fratres suos, quam tulerat de manu Amorrhæi in arcu & gladio*; ita licet Testatori, ex singulari affectu benè ordinato, uni relinquere plusquam alteri, dominus enim suorum bonorum est.

Caveat à consiliarijs Notarijs, qui suum animum divertant.

7. Caveat summopere ab ijs qui assistunt (ut sunt Consiliarij, Notarij, Testes) ne ipsi propria cupiditate in se, suosque, aut odio, vel amore in alios ducti, ipsius justum & benevolentem animum divertant, aliquos a legatorum participatione omnino removeant, vel impediant, aliis ultra congruū & rationabile benè fieri procurent: Ex his enim testamenta sunt seminaria discordiarum, injustitiarum principia & fomenta, animarum defunctorum probra, familiarum clades & ruinæ.

Item ab amicis & consanguineis.

8. Caveat ab amicis seu consanguinei &c. volentibus impedire ne condat testamentum suum: pro quo malo evitando, cōsultius est ut illud condat, dum adhuc est sanus, vel statim ubi incipit infirmari, prout rectè admonet D. Antonin. 3. par. tit. 10. c. 1. §. 2. dicens: *Cautum etiam est, ut provideat sibi de testamento in sanitate: vel in principio infirmitatis: quia consanguinei etiam in infirmitate impediunt multis modis testamenta fieri, ut leget alijs.* Et eorum peccata ex hoc, & obligationem ad restitutionem subindicans, addit: *Qui in hoc sunt prædones, & scientes omnimodam voluntatem volentis alijs legare, & impedientes ne veniat notarius vel testes, tenentur ad restitutionem illorum bonorū, quæ volebat alijs relinquere, in foro conscientiæ: imo deberent privari hereditate.* Sanè illa sæpiùs evenire cernimus; quod consanguinei, qui vix limina benevalentis salutabant, in moribundi domo importunè remaneant: ac ad eius, ut ita dicam, ostium excubent; Ecclesiasticos & Religiosos infirmum ex charitate, ac pro spirituali eius consolatione, visitare cupientes, inverecundè remittant, nec ad ipsum eis aditum permittāt; sub prætextu quidē quod quiescat, ac de mandato medici à loquela abstinere debeat: sed mentitur sibi iniquitas eorum, cum id sæpissimè tantum faciant ex metu, quod ipsum ad facienda aliqua pia legata, atque ita ad curam animæ suæ habendam, exhortarentur; cum ipsis de hoc gaudendum esset, si eius veri amici forent.

Provideat de executoribus qui satisfaciāt obligationi suæ & hac quæ sit.

9 Provideat, ut fideles executores habeat, qui ordinatè, justè, & fideliter omnia exequātur: ordinatè quidem, ut quæ ad debitorū solutionem, alieni restitutionem, debitam operariorum mercedem pertinent, primò solvātur, quia illa sunt debita justitiæ, quibus sub peccato defunctus obligabatur; deinde ad ea, quæ pro salute animæ in pias causas legata sunt, procedant; tandem ad heredes, & alios qui heredes sequuntur, descendatur. Gravissimè enim peccant; & mortalibus peccatis plurimis se implicant, qui in hereditatem primò involant, vel hereditatem in consanguineos distribuunt; defunctorū autem in multos annos imò nunquam debita solvunt, sed multiplicatis processibus & litibus anima in purgatorij ignibus luget, si fortè per imprudentē executorum electionē, aut aliter, causam istis tergiversationibus dedit: Quæ crudelitas augetur, cum eleemosynæ, pia legata missæ, preces & suffragia nō solvuntur, quibus in præsenti anima debet juvari, ut à pœnis purgatorij liberetur, quæ heredum & executorum crudelitas in cælum clamat. Deniq; ob eam maledictiones illis in hoc sæculo & in futuro à Domino parantur, ut passim Historiæ clamant.

Gravia peccata executorum & heredum.

Unde dicitur in Concilio Carthaginensi IV. c. 95. & habetur 13. q. 2. c. *Qui oblationes: Qui oblationes defunctorū aut negant Ecclesiæ, aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.* Et ibidem ex Consilio Vasensi I. c. 4. *Qui oblationes defunctorum retinent & Ecclesiis tradere demorantur ut infideles sunt ab Ecclesia abjiciendi.* Et rationem reddit; *Quia* (inquit) *usque ad exinanitionem fidei pervenire certum est hanc pietatis divinæ exacerbationem: quia & fideles de corpore recedentes votorum suorum plenitudine, & pauperes consolatu alimonia & necessaria substentatione fraudantur. Hi enim tales, quasi egentium necatores, nec credentes judicium Dei, habendi sunt. Unde & quidam Patrum* (utique Hieron.) *hoc scriptis suis inseruit congruente sententia, qua ait: Amico quidpiam rapere, furtum est: Ecclesiam vero fraudare, sacrilegium.* Hæc ibi.

Conc. Carthagi. IV.

Conc. Vasen. I.

S. Hieron. epist. 1. ad Nepotian. ut habetur 12 qu. 2. c. Gloria Episcopi.

Quam

Quam autem curam habere debeant pietatis in defunctos post eorum mortem heredes & executores, ostenditur exemplo Joseph Patriarchæ Gen. 50. qui mortuo patre statim absque mora omnia, quæ in fine vitæ parens ordinaverat, punctualiter etsi magnis itineribus explevit.

Gen. 50.

Petes 2. An in dispositione bonorum per testamentum, præferendæ sint piæ fundationes & legata in Ecclesias, Monasteria &c. distributioni in heredes pauperes, & egenos auxilio humano destitutos.

Advertendum hic est 1. comparationem fieri non simpliciter inter Ecclesiam, sive Monasteria objective, & in se considerata, sed in ordine ad opus meritoriæ charitatis, sive in quantum paupertati & indigentiæ sive necessitati ordine charitatis per legata pia subvenitur.

2. Duplicem contineri in quæsito comparationem: altera est inter Ecclesias sive Monasteria ex una, & heredes pauperes & egenos humano auxilio destitutos ex altera parte. Altera est inter heredes pauperes ex una, & alios egenos auxilio humano destitutos ex altera.

Cæteris paribus magis meritorie relinquuntur pia legata heredibus pauperibus & quam Monasteriis &c.

Respondeo itaque 1. Testatores prius & potius tenentur in legatis piis ad heredes pauperes, ac egenos humano auxilio destitutos, quam Ecclesiis ac Monasteriis, ideoque magis congrue, juste & meritorie sua pia legata ceteris paribus) relinquere heredibus pauperibus, & egenis auxilio humano destitutis, quam Monasteriis aut Ecclesiis, etiam prætextu ædificationis Ecclesiarum & Cœnobiorum &c.

Hæc est sententia S. Antonini 3. p. tit. 10. c. 1. §. 2. Ubi tria ponit: 1. legata pia à Testatoribus in ultima sua voluntate sive testamento non debere fieri ex bonis alienis, sive restitutioni obnoxiis, sed ex propriis: Aliena vero restituenda, vel certis personis si certa sint, vel pauperibus si incerta sint, & non ædificiis Ecclesiarum &c. Verba ejus sunt. *Caveat* (inquit) *talis testator, ne de male ablatis, quæ sunt obnoxia restitutioni, relinquat heredibus suis, vel fiat inde capella, paramenta vel calices, & hujusmodi. Sed si vult salubriter providere saluti animæ suæ, dimittat restituenda certa certis personis, & incerta pauperibus, non ædificiis.* Et taxans Religiosos & alios, qui inducunt testatores, ut ex iis curent ædificari Ecclesias, altaria &c. *Non est* (ait) *hoc pauperibus dare, qui sunt ut heredes in incertis, inde, scilicet ædificare Ecclesias & Religiosi vel alii male consulunt, qui pauperibus eroganda in alia convertere faciunt, sine alia dispensatione.*

S. Anto.

An heredes privari possint tota hereditate in favorem Ecclesiæ.

2. Docet heredes nunquam privandos totâ hereditate, etiam in favorem Ecclesiæ, sive ut sua bona omnia Ecclesiæ largiantur, nisi forte in certis casibus, & modum legatorum in pias causas recensens ex S. August. serm. 1. de disquis. & communi vita Clericorum suorum cap. 3. (q. est 49. de diversis) sequentia citat; *Sed plane* (inquit) *faciat* (utique moriens) *quod sæpe hortatus sum, unum filium habet, putet Christum alterum; duos habet, putet Christum tertium, decem habet, Christum undecimum faciat, & suscipio:* Quæ etiam verba citantur apud Gratianum 13. qu. 2. c. *Si quis.* Ubi etiam S. Augustinus condemnat exheredationem filiorum ob culpam, maximè si à Clerico in piam causam eroganda suadeatur. *Si quis* (inquit) *irascitur filio suo, & moriens exheredat eum; si viveret, non eum placarem? non ei filium suum reconciliare deberem? quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cujus appeto hereditatem?* Quibus subnectuntur præcedentia verba: *Plane sic faciat* &c.

S. August.

Attendant ad illum locum quidam clerici & Religiosi

Locus bene notandus contra quosdam Clericos & Religiosos, qui non curant de damno heredem, de pace filiorum vel consanguineorum, vel de præsenti aut futura indigentia eorum, sed suadent, sibi relinqui aut Ecclesiis suis in testamento excessivas summas, immo hereditates & bona, frustratis heredibus vel consanguineis, qui vere bonis illis pro se & familiis suis indigent, sub titulo quòd bona Deo offerant, & magis accepta sint, non absimiles illis, de quibus Christus in Evangelio Matth. 15. *Munus quodcumque est ex me, tibi proderit* &c.

Math. 15.5

Si heredes sint pauperes & tota hereditas eis est relinquenda.

3. Docet S. Antoninus ibidem: Quod si heredes sint pauperes, ita ut tum pro se, tum pro familia sua piè & honeste educanda, indigeant totâ hereditate, quòd testator debeat (aliis pauperibus vel Ecclesiis relictis) totam hereditatem suis heredibus relinquere, verba ejus sunt: *Si alii* (id est heredes) *egerent* (inquit) *tota hereditate quia modica, convenientius est ut eis relinquat, quam aliis pauperibus vel Ecclesiis; cum & Ecclesia debeat, cum potest, pauperibus subvenire; quia quod tibi habent Clerici, pauperum est.* Ad quod citat S. Hieronymum epist. ad Damasum Papam, & habetur apud Gratianum 16. q. 1. c. *Quoniam*, estque in hac causa argumentum non parvæ efficaciæ, ordine charitatis debere pauperes Ecclesiis & Clericis non ita indigentibus, in legatis piis præferri, quia & Clericorum bona, quæ ultra necessitatem superfluunt, pauperum sunt, de quibus satis alibi.

S. Anton.

c. Quoniā.

Porro S. Antoninus volens suam sententiam, quæ verissima est, exemplo S. Augustini comprobare citat insignem locum illius, ex sermone supracitato qu. 4. *Quicumque* (ait) *vult, exheredato filio, heredem facere Ecclesiam, quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum; immo Deo propitio neminem inveniat. Quam laudabile factum,* (inquit) *sancti & venerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis, quomodo implerit eos omnes, qui sciunt, laudibus Dei? quidam enim cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes, retento sibi usu fructu, donavit Ecclesiæ: Nati sunt illi filii, & reddidit Episcopus nec opinanti, quæ ille donaverat: in potestate habebat Episcopus non reddere; sed jure fori, non jure poli.* Vide 17. qu. 4. cap. *Quicumque.*

S. August.

4. Do-

Quid, si heredes, ut bona illa dilapidarent &c.

4. Docet idem S. Antoninus ex S. Thoma in quodam quodlibeto: quod si filij & consanguinei essent mali & indigni, utique quia forte bona dilapidant & consumunt in lascivijs, vanitatibus & ebrietatibus, tunc convenientius esse & de bonis suis pauperibus bene facere. Idem, si heredes non indigeant,

Idem si non indigeant.

S. Antonin.

verba ejus sunt. *Si* (inquit) *propinqui indigent hereditate morientis indigentia manifesta, ipse moriens tenetur eis dimittere hereditatem, nisi essent mali, & hujusmodi bonis indigni.* Quod probat: *Et dico* (inquit) *tenetur ex debito honoris parentelæ; quia cùm præcipitur honorare patrem & matrem, præcipitur etiam honorare parentelam in bonis quæ ad parentelam pertinent, ut sunt subsidia temporalia.* Deinde subjungit aliud membrū quando heredes sive parentale, non indiget: *Si autē* (ait) *non indigent manifestè, potest libere in alios & præcipue pauperes distribuere & legare, secundum illud* Matthæi 19. *Da pauperibus, & veni sequere me &c. ait Christus.* Hæc S. Antonius cujus verba volui ponere tum propter sanctitatem & auctoritatem illius, tum quia continet solidas rationes, quas argumento concludo: Testatores ordine charitatis & justitiæ jure naturali divinoque tenentur inter pauperes primo propinquioribus per eleemosynas, sive sint legata, sive alia (cæteris paribus) subvenire: Atqui heredes & consanguinei sunt ordine charitatis & justitiæ propinquiores, cæteris paribus, etiam Religiosis & Ecclesiasticis, sive eis qui nomine Ecclesiæ vel Monasterii eleemosynas vel legata recipiunt: Ergo Testatores tenentur illis primò &c. subvenire. Major probatur ex præcepto; *Honora Patrem* &c. & nos ibi tomo 2. plura ad hoc retulimus. Addidi autem etiam ordine justitiæ, quia ex 2. ad Cor. 12: *Parentum est filiis thesaurizare*: & jure gentium hereditas ordine justitiæ ad heredes, nisi aliud obstet, devolvitur. Minor etiam ex eodem præcepto est manifesta, & consequenter conclusio est vera & certa

Matt. 19.21

Quo jure & ordine teneantur Testatores propinquis, si sint pauperes.

2. Cor. 12. 14.

Quid si heredes sint mali & indigni.

Dixi autem semper (cæteris paribus) sicut & ex S. Thoma dictum est, nisi filii sive heredes essent mali & indigni; potest enim fieri in certis casibus, ut prius pauperibus quàm heredibus, & inter pauperes prius Ecclesiæ & Monasterio, quàm pauperibus auxilio humano destitutis legata fieri deberent: Unde ad principale quæsitum.

Dum heredes non sunt adeo pauperes &c. meritorie pars hereditatis legatur pauperibus. Inter aquè pauperes qui præferendi.

Respondeo 2. Quando heredes non adeò sunt pauperes, ut tota hereditate manifestè indigeāt, tunc pars hereditatis meritoriè pauperibus indigentibus congruentiùs legatur, Item, quando inter pauperes maior vel æqualis est necessitas Ministrorum Ecclesiæ, vel Religiosorum in Monasteriis & conventibus viventium, tunc debent aliis pauperibus præferri Ministri Ecclesiæ & Religiosi, cæteris paribus, in legatis testamentariis & eleemosynis.

Ratio est: Quia illi Deo propinquiores sunt, & ad illos proximiùs, & magis populus obligatur, quàm ad coīmunes pauperes; quia populo deserviunt in iis, quæ sunt ad Deum & populi salutem, ut in administratione Sacramētorum, prædicationibus, orationibus, & officiis divinis, pro quibus velut in stipendium non tantùm charitatis, sed etiam justitiæ, eleēmosynæ fidelium illis quasi debentur, juxtà illud S. Pauli 1. ad Cor. 9. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*

1. Cor. 9. 11

Dixi (quando est major vel æqualis necessitas) pauper enim communis in extrema necessitate præferendus est Ministris Ecclesiæ, qui in eadem non sunt necessitate eodem tempore.

Dixi (debent præferri Ministri Ecclesiæ & Religiosi) nimirum, ut in necessitatibus quæ sunt sustentationis & alimentorum, sive quæ tangunt personas & Officia Ministrorum & Religiosorum præferatur Ecclesia vel Monasterium pauperibus communibus, non tamē in iis, quæ tangunt ædificia & alia, quæ ad solum ornamentum vel splendorem pertinent, cùm juxta S. Ambrosium, in necessitatibus extremis pauperum liceat altaria denudare, & calices confringere.

Testator servet in testamento ordinem justitiæ & charitatis.

Respondeo itaque 3. Testatorem; ut meritoriè & justè suum testamentum cōdat, debere attendere ad ea, quæ realiter sunt animæ suæ; nimirùm; ut in legatis suis servet ordinem justitiæ & charitatis, & 1. suæ animæ consulat, quod fit, si heredibus, quod justitia & charitas postulat, relinquat: hereditas enim relicta heredibus & cōsanguineis, ut possint Deo & saluti suarum animarum vacare, gratissima Deo est, nec minùs, imò magis clamat ad Deū eleemosyna in sinu pauperis heredis abscōdita, quàm in sinu pauperis coīmunis & extranei. 2. Attendat ad necessitates & congruitates, in quas legata pia erogata sunt, & juxta eas sua disponat. 3. Caveat, ut benè notat Gerson in considerationibus 12 pro volentibus cōdere testamentum consid. 5. ne aliquid faciat ad solam pompam & vanitatem sæculi, & velut in externam & vanam memoriam sui, sed pro salute suæ animæ & gloria Dei.

Gerson. Caveat à spectantibus ad solam pompam.

Petes 3. An testamentum, quod, quia apicibus suis & constitutionibus juris civilis aut canonici deficit, in foro externo invalidum reputatur, sit etiam invalidum in foro conscientiæ? Ratio dubitandi est, quia sic communiter practicari videtur

Ratio dubitandi.

Pro Resolutione Notandum est 1. Testatorem ante mortem supponi de rebus suis ad se verè & legitimè pertinentibus posse disponere, servatis legibus Christianæ justitiæ & charitatis, adeoque cùm de ejus dispositione constat, supponi justè & legitimè disposuisse.

Notandum 2. Testamentum justè factum de plena & libera voluntate Testatoris, habere vim veræ & legitimæ donationis, quâ rem suam in alterius dominium verâ & potenti voluntate transfert.

Aliqua constitutionis juris pertinent ad solemnitati quādam &c.

Notandum 3. Jus civile sive canonicum duplices constituisse conditiones, sive apices juris observandos, ut in foro externo testamēta valida judicarentur: aliæ enim pertinent ad ceremo-

moniam & solemnitatem, restituunturque magis ab certitudinem habendā de voluntate vera & libera testatoris, quam ad substantiam testamenti. Explico: Iure postulantur Notarius & testes, & in nõnullis locis Parochus. Item quod testes sint tales, talis qualitatis quod fiat tali tẽpore, cum quis pleno judicio rationis utitur: hæ conditiones magis respiciunt certitudinem voluntatis Testatoris, ut sciatur pleno sensu & libera voluntate vere illud testamentum condidisse, & hoc esse verum ejus testamentum verbo vel scripto traditum, verumque ejus ante mortem dispositionem.

Exemplum.

Aliæ ad substantiã testamenti. Aliæ autem sunt conditiones ad substantiam testamenti pertinentes: Cum enim dispositio bonorum temporalium possit interdum comuni Reipublicæ bono damnum adferre, familias dissipare, filiis & heredibus injuste nocere, aut in injustũ nocumentũ tertij cedere, conditiones nonnullæ statutæ sunt. Ex. g. Vt impubes defectu sufficiẽtis prudentiæ nõ possit testari, Item prodigus, furiosus, mente captus, surdus & mutus à nativitate, filius-familias nisi de bonis castrensibus aut quasi castrensibus. Item, ne quis in pias causas possit legare ultra tertiam partem bonorũ &c. quæ & similis pertinent ad sul stantiã rei, & justa ratione ad conservationem Reipublicæ familiarum, & præventionem fraudum publicã lege constitutæ sunt. His sic prænotatis,

Exemplum.

Deficientibus substantialibus etiam in foro conscientiæ invalidum est. Respondeo 1. Error in conditionibus contingentibus substantiam invalidat testamentum, non tantum in foro externo, sed etiam conscientiæ. Ratio est, quia testamentũ definitur: Voluntatis hominis justa sententia de hoc quod vult fieri post mortem cum heredis institutione, quod autem contra substantiam fit, justa sententia voluntatis dici nequit: quod sic declaratur Quod communi bono Reipublicæ aut familiarum contrariatur, aut in alicujus detrimentum cedit, non potest esse justum. Sed quæ fiunt contra conditiones ad substantiam testamenti pertinentes ex declaratione & manifestatione juris, contra bonum commune &c fiunt: Ergo justa esse non possunt, & consequenter ad justam voluntatem pertinere nequeunt.

Secus desit certitudo tantũ aliis. Respondeo 2. Conditiones, quæ tantũ ad solemnitatem & ceremoniã, ob certitudinem, & ut publice constet de vera, plena, & libera voluntate testatoris, à jure pösitæ sunt, etsi in foro externo invalident testamentum, nõ tamen in foro conscientiæ, si alias vel aliunde constet, de plena, libera & vera testatoris voluntate. Ratio est, quia cum de vera & libera voluntate constet, & supponatur defunctus de tali re in tales causas potuisse disponere, & de facto disposuisse, jam finis legis cessat, & de facto res illa amplius ad heredem nõ spectat, cum ante mortem & causa mortis censeatur Testator eam à se ablegasse, & in aliũ vel alios transtulisse, adeoque si heredes illam retineant, in conscientia retinere juste non possunt, cum jam sit res facta aliena. Nam ut bene S. Gregorius l. 3. epist. 9. & 10. & l. 9. epist. 10. *Vltima voluntas defuncti omnibus modis conservari debet.* Et ita censet in piis causis Angelus V. *Testamentum* n. 5 Ubi postquam docuit valere testamentum ad pias causas, si sit factum coram duobus testibus rationem reddens sic loquitur: *Sed ego dico* (ait) *quod si non subest suspicio fraudis, valeat quia cessat ratio legis si vero sit suspicio fraudis, dico requiri solemnitatem juris. etc.*

S. Greg.

Angelus.

Solemnitas tes illa ad quid instituta. Ex quo universaliter, & de omni testamento sic argumentor: Solemnitates juris, quæ ad certitudinem voluntatis Testatoris & exclusionẽ suspicionis fraudis institutæ sunt, cessante fine legis etiam cessare reputandæ sunt: Sed ubi nulla est suspicio fraudis, & constat absque ulla tergiversatione de voluntate libera & legitima testatoris, cessat legis sive illarum solemnitatũ finis: Ergo & ipsæ solemnitates, & vis legis cessare reputandæ sunt: Ergo in foro conscientiæ dispositio & quæcumque voluntas vera & certa Testatoris, etsi solẽnitates juris observatæ nõ fuerint, in cõscientia obligare cẽsetur, nec video quid opponi possit.

Dices nihilominus: Dispositio quidem morientis facta est, & de legato ac donatione causa mortis facta constat, sed traditio manet adhuc in potestate heredis, ad quam non faciendam tutari se potest ob nõn servatam solemnitatem juris.

Respondeo: Solemnitas juris non servata etsi hominem in externo foro ab obligatione externa liberare possit, in conscientia tamen hominem justificare non potest; unde qui alicui rem suam juste & vere donavit, consequenter voluit, ut omni modo licito ei traderetur.

QUÆSTIO II.

Qualiter Moriens de familia sua ante mortem disponere debeat?

CONCLUSIO VNICA.

1. Circa quæ sit versandus. **M**Oriens ante mortem tria potissimum circa familiam agere debet. 1. Illam pacificare. 2. Ad fidem in Deum & bonum exhortari. 3. Suis exemplum pia mortis relinquere.

Pacificatio in quo sita. Pacificatio cõsistit in sua cum familia, si quæ sit aut fuerit aliquando discordia, reconciliatione, in injuriarum & inobedientiarum, si quid à prolibus aut famulis aliquando passus fuerit, sincera cõdonatione, in omnium, quæ femina forte discordiarum sunt aut remanent efficaci ablatione, juxta exemplum Christi Domini: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Exemplo etiam Iacob, qui benedicens filiis, illis pacem comendavit, & Iosephinjuriam à fratribus passo imposuit, ut illam ex corde dimitteret, nec amplius illius recordaretur, Gen. 50. *Pater tuum* (inquiunt fratres) *præcepit nobis antequam moreretur: ut hæc tibi verbis illius diceremus obsecro ut obliviscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atque malitiæ quam exercuerunt in te &c.* quibus benigne respondit. *Nolite timere, ego pascam vos & parvulos vestros, consolatusq; est eos, & blande ac leniter est locutus.* Exhor-

Ioan. 14. 27.

Gen. 50. 16. 17.

Vers. 21.

Exhortationes etiam piæ multum tunc prosunt filiis, quia magis inhærent, exemplo Tobiæ, David, Mathatiæ & aliorum Patriarcharum, de quibus in Scriptura.

Finem autem vitæ concludit mors exemplaris, quam conciliat pia vita, quies mentis, Sacramentorum devota susceptio, resignatio morientis.

QVÆSTIO III.

Qualiter eligenda sit sepultura?

QVia materia de sepulturis indies in controversias ebullit prætextu quidem jurium diversorum, maximè inter Parochos & Religiosos, consultum credidi hic apponere, quæ ex juribus claris manifesta sunt, non ad disputationem sed ad concordiam & pacem, ex quibus etiam intelliget Testator, quid agere possit, quidque debeat omittere. Rem concludo decem conclusionibus, & uno corollario.

CONCLUSIO I.

Eius electio semper fuit libera. Conc. Lateran. sub Alex. III.

E*Lectio sepulturæ fuit omni tempore libera morienti.*

Ita Concilium Lateranense sub Alexandro III. diffinivit ex Paschali II. parte 43. Tit. de Sepulturis c. 1 *Voluimus* (inquit) *ac juxta Canonum sententiam nobis probabile videtur, ut sicut morienti conceditur rerum suarum judicium facere quocumque loco sibi placuerit, sic nimirum justum est sui corporis licentiam habere eligendi sepulturam, in quocumque loco voluntas extiterit, sive in Monasteriis, sive in alijs locis.*

Ibidem cap. 2. ex Leone III. *Nos instituta Maiorum Patrum considerantes, illorum decreta firmando statuimus, unumquemque in majorum suorum sepulchris jacere debere, ut Patriarcharum exitus docet: Nulli tamen denegamus propriam eligere sepulturam, & etiam alienam: Dominus enim & Magister sibi alienam elegit non propriam, qui sine peccato erat*: Hæc ibi. Et refertur Tit. de Sepult. cap. 1. libri 3 Decretal.

Zelus Ecclesiæ in conservanda illa libertate.

Tantus vero fuit zelus conservandæ hujus libertatis in Ecclesia, ut Bonifacius VIII. lib. 3. Decretal. Tit. 12. c. 1. *Vniversis Religiosis, & secularibus Clericis, cujuscumque status vel conditionis existant, in virtute S. Obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ* (verba sunt ejus) *districtissime prohibuerit, ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interposita, seu aliàs promittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias Sepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent.* Hæc ibi. Vbi etiam annullat electiones hujusmodi inductionibus factas, & alia gravissima sancit.

CONCLUSIO II.

Olim sæpe eligebatur apud Religiosos & cur.

S*Æpenumero ab antiquo fideles eligebant sepulturam apud Religiosos, aut etiam eis ibidem decernebatur, ob illorum orationes.*

Ita Concilium Triburiense sub Formoso Papa c. 1. 5. de Sepultura mortuorum: Ubi cum decrevisset sepulturam mortuorum apud Ecclesiam, ubi sedes est Episcopi, celebrari, decernit: *Si* (inquit) *hoc propter itineris longinquitatem, aut adjacentem alicujus importunitatis difficultatem, impossibile videatur; expectet eum terra sepultura sua, quo Canonicorum aut Monachorum, sive Sanctimonialium Congregatio sancta communiter degit, ut eorum orationibus Iudici suo commendatus occurrat, & remissionem delictorum quam meritis non obtinet, eorum intercessionibus percipiat.* Hæc ibi.

Conc. Tribur.

Cui conforme est, quod ex Innocentio III. refertur in Decret. l. 3. tit. 28. de Sepulturia c. 3. Ubi Innocentius scribit ad Genuensem Episcopum: *Fraternitatem* (inquit) *tuam non credimus ignorare mortuorum sepulchra & cœmiteria, apud illas Ecclesias, & Monasteria, ex antiquo esse disposita, in quibus Religiosorum Fratrum Conventus sunt consituti, & orationes atque Missarum solemnia tam pro vivis, quam pro defunctis, frequentius celebrantur. Vnde ipsorum devotioni & extremæ voluntati, qui apud hujusmodi Ecclesias sepeliri desiderant, minime contradicendum est.* Hæc ibi

Innoc. III. c. Fraternitatem.

Idem confirmat Concilij Lateranensis in Conclusione 1. allegatus textus.

CONCLUSIO III.

Servabatur tunc semper justitia Ecclesiæ cujus membrum erat defunctus.

I*N sepulturis defunctorum apud Religiosos vel extra propriam Parochiam, reservata est semper justitia Ecclesia, cujus defunctus erat membrum.*

Hæc constat ex antiquis Conciliis & Canonibus: Ita Concilium Lateranense III. supracitatum; ubi cum decrevisset liberam electionem sepulturæ, subdit cap. 2. *Sed quia dignus est operarius mercede sua, tertiam partem judicij sui illi Ecclesiæ censemus jure dari, in qua cælestis pabulo à principio sui exordij, refectus cognoscitur, ut juxta Apostolum sint socij consolationum, ut fuerunt passionum: & sic demum ubicumque libitum fuerit, eligat sepulturam* &c. Ubi nomine judicij intelligit testamentum sive legatum, quod moriens in ordine ad sepulturam legavit, quo etiam sensu intelligitur Lucii III. constituo allegata l. 3. Decretal. tit. de Sepult. c. 8. *Præsentium auctoritate statuimus, ut si aliquem parochianorum vestrorum alibi contigerit eligere sepulturam, de testamento ipsius* (utiquè in ordine ad sepulturam) *quarta vobis portio relinquatur.* sicque passim loquuntur decreta, ibid.

Conc. Lateran. sub Alex. III.

Conclusio IV.

Dum non eligit eam sepeliendus in sua Parochia.

Q*Vandocumque Moriens non eligit sepulturam alibi, in sua Parochiali Ecclesia sepeliendus est.*

Ita passim Concilia & Canones docent & supponunt. Ita Concilium Triburiense supracitatum c.15. ubi posito quod defuncti corpus non deferatur ad Ecclesiam Cathedralem, vel quod sibi non elegerit alibi sepulturam; *Ubi* (inquit) *decimam persolvebat vivus, sepeliatur mortuus.* Et in Concilio Lateranensi supracitato cap. 4. dicitur: *Monachi corpora hominum tam vivorum quam mortuorum ad Ecclesiam suam deferre non audeant sine consensu & petitione eius Ecclesiæ, ubi is cum viveret consulunt, & consulendo Viaticum suum administravit* Hæc ibi. Quæ juxta priùs allegata intelligenda sunt si moriens in vita sepulturam non elegerit.

Conc. Trib.

Lateran.

Conclusio V.

Pracise pro sepultura, &c. Ecclesia nil possunt recipere.

Conc. Tribur.

R*Atione præcisè sepulturæ, sive terræ in qua defunctus sepelitur, vel ad aperiendum sepulchrum, aut communiter loquuntur, Ecclesiæ nihil possunt recipere.*

Gravissimus est Canon Concilij Triburiensis supracitati cap.16. *Abhorrendus* (inquit) *& Christianis omnibus evitandus mos iniquus subrepsit, Sepulturam mortuis debitam sub pretio vendere, & gratiam Dei venalem facere; cum hoc nusquam sub Evangelica gratia meminimus nos invenisse, vel legisse. In Ecclesiastico namque libro scriptum est: Mortuo non prohibeas gratiam, sciens quia omnes morimur. Et item: Omnia quæ de terra sunt in terram revertuntur. Quid terra, terram vendis? memento quoniam terra es, & in terram ibis*, &c. Infra: *Quare interdictum sit omnibus Christianis, terram mortuis vendere, & debitam sepulturam denegare; nisi forte proximi & amici defuncti, propter nomen Domini & redemptionem animæ viri, gratis aliquid donare velint.* Et in Concilio Vasensi. II. citato à Gratiano 13. q. 2. c. *Præcipiendum. Præcipiendum est* (inquit) *secundum Canonum auctoritatem, ut de sepulturis & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant: nisi forte qui sepelitur, vivens iusserit, Ecclesia, in cuius atrio sepelietur, aliquid de rebus suis tribuere: aut etiam post mortem ipsius, illi, quibus commissum est eius Eleemosinam facere, de rebus illius aliquid sponte dare voluerint. Et tamen nullatenus à Præsbiteris Ecclesiæ illius aliquid exigatur, sive ab illis, qui locis & villis præsunt.*

Conc. Vasense II.

Similia habet Concilium Meldense cap. 63. & cap. 72 in quo sic habet *Nemo prò loco sepulturæ, ut verbis S. Gregorij* (lib 7. Regist. epist 55.) *utamur, pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere lucri compendium, aliquo modo tentet. Si quando autem proximi, vel hæredes sponte aliquid offerre in Ecclesia voluerint in Eleemosyna defuncti accipere non vetamus. Peti verò aut aliquid exigi omnino prohibemus, ne, (quod valde irreligiosum est) aut venalis (quod absit) dicatur Ecclesia, aut de humanis mortibus videamur gratulari, si compendium exinde studemus modo quolibet quærere.*

Conc. Meldense.

Iterum Concilium Lateranense sub Alexandro III. p. 2. c. 10. *Pro sepultura quidem* (ait) *& chrismatis & olei perceptione nulla alicujus pretij exactio intendatur, neque sub obtentu hujus consuetudinis reatum suum aliquis tueatur, quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.* Hæc ibi, quod & in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. repetitur.

Lateran. sub Alex. III.

Dixi in conclusione (*ratione præcisè sepulturæ*) cùm enim in atriis vel cœmiteriis Ecclesiarum ordinariè homines sepelirentur, eis jure ista communis sepultura debebatur. Aliud est, quando cum incommoditatibus Ecclesiarum sibi sepulchra familiaria cum jure hæreditario appropriant, aut in loco solemniori sepeliri volunt, tunc enim non tam sepulturam solvunt, quàm Ecclesiæ jura temporalia sibi devinciunt: super quibus consulendæ sunt Ecclesiarum leges.

Quæ sepultura mortuis jure debebatur.

Conclusio VI.

Quæ assignantur Parochis & Ecclesijs in sepulturis &c. sunt mera stipendia laborum.

I*Vra Parochialia, & obventiones, quæ assignantur Parochis & Ecclesijs in sepulturis, & exequijs defunctorum, sunt mera stipendia laborum, qui in cantu celebratione officiorum, comitatu & alijs actionibus impenduntur, quæ in hac solum ratione dicuntur jura vel iustitia Ecclesiarum, & mercedes Operariorum, alimenta Ministrorum,* &c.

Hæc iterum Conclusio ex Concilijs, Canonibus & decretis Pontificum passim constat: nec opus est hic testimonia congerere, cum praxis sit manifesta; Unde Concilium Ratisponense (prout refert Petrus Crespetius in summa fidei Catholicæ V. *Sepultura*) sub Laurentio Compegio Cardinali c. 5. & 6. cum prohibuisset aliquid pro sepultura accipi, addit: *Parochialia tamen iura quæ usus recipit, & debentur altari servienti, per prædicta non abrogamus.*

Conc. Ratispon.

Petrus Crespet.

Conclusio VII.

Pontifices & Concilia taxarunt certa iura pendenda Ecclesijs Parochialibus cum alibi eligitur sepultura.

N*E Ecclesiæ Parochiales ex electione promiscua sepulturarum in Ecclesijs, sive cœmiterijs Religiosorum detrimentum nimium paterentur, summi Pontifices & Concilia certa iura taxarunt, quæ penderentur Ecclesiæ, de cuius iurisdictione corpora assumuntur, quæ taxationes secundum diversa tempora, & provincias diversificata sunt.*

Propositionem probant quæ tit. 28. de Sepulturis c. 9. ex Clemente III. refert Gregorius in Decretalibus. *Certificari* (ait) *voluisti à Nobis, quomodo illa clausula, qua in*

Clem. III. c. Certificari.

privilegiis solet apponi: Solvâ iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur, intelligi debeat & exponi. Cum autem super hoc articulo diversa Antecessorum nostrorum manaverint instituta; Leone iustitiam illam quandoque certiam partem, quandoque mediam, & Urbano quartam fore censentibus; Nos tale prabemus in hac varietate responsum: ut, sicut B Hieronymus inquit, unaquaque Provincia in suo sensu abundet, secundum rationabilem consuetudinem Regionis illa iustitia circa medietatem, vel tertiam, aut quartam partem, pro locorum diversitatibus attendatur.

Conclusio VIII.

Iura quae ex sepulturis apud Mendicantes electis obveniunt Parochialibus Ecclesiis, modo sunt taxata ad quartam funeralium, nisi aliud per pacta & conventiones singulares fit constitutum.

Con. Trid. Ita expressè Concilium Tridentinum sess. 25. de Reformatione cap. 13. ubi pro Ecclesijs, quibus 40. annis ante Concilium Tridentinum quarta funeralis solvi consueverat, decernit, ut non obstantibus quibuscumque privilegiis solvatur integra dicta quarta. Nihil porrò decernit Concilium super Conventibus, qui postea aedificantur, volens sine dubio, ut quarta funeralis, aut alia ex conventione vel pacto cum pastoribus legitimè transacto debita solvatur, nisi singularis exemptio post Concilium Tridentinum à Sumis Pontificibus data perhibeatur.

Quia verò de modis sepulturae, funeris, ac ipsa quarta funerali variae disputationes indies exurgebant, tum ob decretum Bonifacij VIII. Super Cathedram, quod habetur in Extravag. Communibus lib. 3. tit. de sepult. cap. 2. cui derogaverat Benedictus XI. cap. Inter cunctas 1. 5. Extrav. Comm. tit. de Privilegiis c. 1. tum ob idem decretum Super Cathedram per Clementem V. lib. 3. clement. c. Dudum de Sepulturis restitutum: Pius V. in Motu proprio, qui incipit: Ad hoc Nos Deus, dato Romae 23 Septembris anno 1571. Pontificatus anno 6. directo ad omnes Episcopos & Ordinarios, & Ecclesiarum Parochialium Rectores: Volens imponere finem omnibus litigijs, postquam declaraverat textus Tridentini conformiter ad Concilium Tridentinum, pro Praedicatoribus, & consequenter Ordinibus Mendicantium decernit 1. Fratres posse quacumque corpora defunctorum qui se in eorum Ecclesiis sepeliri ordinaverint, vel si a defunctorum heredibus, sive curam funeris habentibus vocati fuerint, ipsorum, fratrum cruce elevata, etiam sine Canonicorum ac Capitularium personarum, nec non Curatorum, vel aliorum Presbyterorum interventu, ex ipsorum defunctorum domibus levare, eaq; accipere, & associare, ac ad ipsorum fratrum Ecclesias directè deferre, & in eorum Ecclesiis non tamen tempore interdicti sepelire, salvo dumtaxat iure parochiali; Nec

Motu proprio Pii V. pro Praedicatoribus & aliis ordinibus mendicantium.

fratres ipsos ad alterius cuiusvis contraria consuetudinis usum, sive moris observationem teneri, vel super praemissis à quoquam quavis auctoritate molestari, seu perturbari posse & debeant. Haec ibi.

2. Ne esset Quaestio de iure parochiali: Quartam autem inquit, funeralium, quoad domos sive Conventus & Monasteria ipsius Ordinis tempore dicti Concilij Tridentini ante 40. annos fundata & erecta, & ratione illorum, ubi consuetudo illam solvendi tantùm extitit, ac de ceris & aliis, quae deferuntur iuxta cadaver dum ad sepulturam defertur, non autem de alijs quibusvis, etsi dem fratribus seu Monialibus, aut eorum domibus, Conventibus Monasterijs, locis etiam pro funeris sive anniversarij aut missarum celebratione donatis, legatis, vel aliàs quomodolibet largitis. Ubi dum quartae forsan solvi consueverint, una Parochiali Ecclesiae, alia verò Episcopo aut Collegiata Ecclesia, sive Canonicis & Capitulo eiusdem, una tantum, scilicet Episcopo ubi verò consuetudo illam solvendi non fuit, sive domus, Conventus & Monasteria dictorum fratrum & Monialium post quadraginta annos erecta sive fundata fuerint, nequaquam nec ullo modo solvere seu tradere: omnem aliam praemissis consuetudinem, sive morem harum serie cassantes, & extinguentes, ac omnibus & singulis, quorum interest, desuper perpetuum silentium imponentes. Haec ibi.

In quibus pariter derogat Pius V. cap. Dudum, Clementis V Et Extravag. Super Cathedram Bonifacij VIII. quod & postea explicitè fecit Gregor. XIII. in Bulla quae incipit: Ex benigna Sedis Apostolica dispositione data Romae 21. Martij 1575. in qua confirmans & innovans privilegia omnia Fratribus Minoribus concessa vel communicata: Non obstantibus (inquit) praemissis ac Constitutionibus Super Cathedram Bonifacij, & Dudum, Viennensis Concilij, ac Clementina Religiosi de Privilegijs, & cap. Dudum de Sepulturis, &c.

Derogat Pius V. C. Dudum et extrav. Super Cathedram. Gregor. XIII. idem explicitè postea fecit.

Conclusio IX.

Pacta & conventiones inter Religiosos ac Parochos & Ecclesiarum Rectores legitimè acta, & quae in usu sunt, debent necessariò observari, non obstantibus privilegiis quibuscumque

Pacta cum Parochis, & rite facta debent observari.

Haec conclusio constat ex Bullis Pij V. & Gregorij XIII. superiùs allegatis: & specialiùs ex alia Bulla Sixti IV. quae incipit, Regimini Ecclesiae, data Romae anno 1474. pridie Calendes Septembris Pontif. anno 1. estque in Bullario Roderiguez Bulla 14. In qua Pontifex declarat.

1. Quòd fratres possint cum cruce levare corpora defunctorum, qui elegerunt sepulturam apud illos, maximè ubi est consuetudo, & ubi Parochi id facere recusaverint.

2. Quòd non possint cogi defunctorum consanguinei corpora defunctorum primùm ad Parochiales, vel alia loca deferre, vel cum

cum illis, vel sine illis inibi celebrare, vel celebrari facere pro eisdem defunctis aliqua divina officia, ante vel post sepulturam eorundem.

3. Cùm justitiam Ecclesiarum incerta portione canonica ex. g. quartæ funeralis consistere declarasset, subdit: *In reliquis casibus, quæ in præmissis, in quibus quarta ipsa solvenda veniret, conventiones (si quæ sint inter fratres prædictos & locorum Ordinarios ac Ecclesiarum Rectores initæ) laudabiles & honestæ serventur.*

Leo X. in Concil. Lateran. Et Leo X. in Concilio Lateran. sess. 11. in Constitut. quæ incipit *Sacro approbante Concilio: dum intra,* &c. sic ait. *Pacta & conventiones inter eosdem fratres & Prælatos atque Curatos pro tempore inita valeant, nisi per subsequentem Capitulum proximum Generale vel Provinciale resutata, ac per eos resutatio hujusmodi intimata debito tempore fuerit. Parochias autem cum cruce ad levanda funera eorum qui apud Ecclesias domorum & locorum eorumdem suam elegerint sepulturam, intrare non possint, nisi prius præmonito, & requisito, ac recusante Parochiano Presbytero, & tunc sine ejus ac Ordinarii præjudicio: nisi iisdem fratribus super hoc antiqua consuetudo, quæ adhuc in viridi observantia & cum pacifica possessione suffragetur* Hæc Leo X.

Conclusio X.

Quod spectat ad funus & officia divina, sepositis pactis singularibus, variæ resolutiones a S. Congregatione emanarunt, quarum hic duas subjicio, coram Camera Apostolica Generali Auditore anno 1640. die 6. Junij verificatas.

Resolutio 1. Cardinal. Prima est de die 27 Novembris 1638. sequentis tenoris: *Sacra Rituum Congregatio juxta alias resoluta respondit: Officium super cadaveribus in Ecclesijs Regularium, spectare & pertinere ad ipsos Regulares, non autem ad Curatos defunctorum, & ita imposterum servari mandavit non obstante contraria consuetudine.* Die 27. Novemb. 1638. signatum erat C. Episcopus Portuensis, Cardinalis Pius, Julius Cincius Secretarius.

Resolutio 2. 2. Est de die 14. Januarij 1639. tenoris sequentis: *Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Episcoporum & Regularium præposita censuit defunctorum cadavera sepelienda ab ædibus defunctorum ad eorumdem fratrum Ecclesias recto tramite deferre posse, monito tamen & requisito & expectato proprio defunctorũ Parocho, à quo benedictionẽ & ultimum vale recipere possint, quo venire expresso recusante possint iidem fratres, etiam ipso invito cadavera ad suas Ecclesias transportare: consanguinei vero talium defunctorum illis parentare in Parochialibus, & aliis Presbyterorum Ecclesiis compelli nullo modo possint. Si quæ verò immemorabilis consuetudo in contrarium super præmissis existere prætendatur, legitime probetur, & interim præsens decretum ad unguem servetur, prout eadem Sacra Congregatio servari mandavit* Romæ 14 Januarij 1639. Cardinalis Antonius Barberinus. C. Fachenettus. Locus Sigilli.

COROLLARIUM.

Ex dictis patet 1. electionem sepulturæ semper morienti liberam fuisse, adeoque nullo hactenus jure respectu eligentis fuisse coarctatam.

2. Seclusa electione determinari sepulturam ad Ecclesiam Cathedralem vel Parochialem, cujus moriens Parochianus existit.

3. Jura sepulturæ & funerum debere referri ad labores susceptos, esseq; mere stipendia laborum: unde adjudicantur ijs, qui sepulturas & funera celebrant, vel ijs qui cooperantur: nisi quòd Canonibus aliquibus decretum sit, ut aliqua pars cederet Parocho, ratione curæ & laborum, quos suscepisset in administratione sacramentorum, & alijs operibus erga defunctum dum viveret.

4. Si quid aliter in Ecclesia Dei practicatum fuerit, id ex pactis, cessionibus, concordatis, decretis singularibus Pontificum, Conciliorum, vel Synodorum deduci debere.

5. Difficultates omnes, quæ inter Parochos & Religiosos propter sepulturas oriuntur, vel ex canonibus & decretis Pontificum debere sedari, vel ex pactis & conventionibus de bono & æquo, quæ pacta vel præsupponuntur facta, vel arbitrio bonorum virorum fieri possunt.

SECTIO II.

De provisione necessariorum ad viam, quam Moriens assumit, & de salvo conductu contra prædones.

QUÆSTIO UNICA.

Quæ sint necessaria homini morienti pro via?

CONCLUSIO I.

Tria sunt homini in via ad patriam necessaria: Secura mens per Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ præparata, in quibus consistit fortitudo & sanitas animæ: Baculus fiducia in Deum & Christi merita ex ligno Crucis confectus cui innititur: Opera bona specialiter opera misericordiæ tam corporalia quàm spiritualia, & quæcunque meritoria, quæ animæ sunt pro viatico pecunia. *Secura mens, fiducia in Deo &c. opera bona.*

De 1 egimus sufficienter in toto 1. tomo in quo tam de Pœnitentia, quàm de ijs quæ pertinent ad omnem securitatem conscientiæ latum tractatum est, adhibitis multis regulis & mediis ad hanc rem facientibus: Et in 2. tomo, quæ ad Sacramenti Eucharistiæ dignum suscep-

susceptionem pertinent, sufficienter sunt tradita. De vera fide & spe in Christum similiter tomo 2. tract. 2. tit. 2. & 3. Ac tandem in eodem tomo de operibus misericordiæ tam corporalibus quam spiritualibus actum est.

Recapitulatio. Dico itaque breviter recapitulando. 1. hominem morientem, si tempus detur, debere, dum adhuc est plenus judicio, suum condere testamentum, & disponere de ijs, quæ familiæ suæ sunt, & sepulturam eligere.

2. Debere quietè vacare examini suæ conscientiæ, ac peccata sua devotè & integrè confiteri, ac pro Viatico suscipere Venerabile Eucharistiæ Sacramentum, & si quid turbet conscientiam, cum prudenti Confessario illud sedare, & (quantum fieri potest) superare.

3. Medio sanctæ orationis, quæ tunc maximè consistit in affectuosis gemitibus & suspirijs, ac universali in Deum resignatione debet accipere baculum Crucis, scilicet meritorum acerbæ passionis Christi, cum lagenula appensa pretiosi Sanguinis ejus ad refrigerium sitis, per firmam in illo solo fiduciam.

4. Opera misericordiæ per sanctas eleemosynas complere, & velut in sacculis pauperum abscondere, & sic confidenter in Deum fide, spe & amore tendere.

Conclusio II.

Contra dæmones qui comites sumendi. *Porro contra Dæmones, qui in illa hora viam tamquam prædones obsident, utendum est salutari comitiva, & armis spiritualibus. Et quidem Comites adjungendi sunt, Deipara virgo, Angelus Custos & Sancti, quos singulariter in vita colimus vel quos in hora mortis in patrocinium ferventi affectu invocabimus.*

Quæ armatura. Pro spiritualibus autem armis, Extremæ Vnctionis armatura accipienda est; de quo Sacramento nonnulla hic breviter declaranda sunt.

SECTIO III.

De Sacramento Extremæ Vnctionis, armatura Morientium.

Est à Christo institutum. SVppono Extremæ Vnctionis Sacramentum, sicut & alia à Christo immediate institutum esse, ut docet Concilium Tridentinum sess. 14. de doctrina Sacramenti Extremæ Vnctionis cap. 1. Nec volo cum antiquis Theologis disputare: Sufficit enim quod ibidem Concilium Tridentinum dicat: *apud Marcum quidem c. 6 insinuatum, per Iacobum autem Apostolum ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum* fuisse, illis utique verbis Jacobi 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* *Iac. 5. 14. 15.* Hæc enim prius institutæ clara est promulgatio. Nos ad quæstiones procedemus.

QUÆSTIO I.

Quid sit Extremæ Vnctionis Sacramentum, & quæ eius materia & forma?

Conclusio I.

SAcramentum Vnctionis extremæ sic ex Doctore subtili & alijs in 4. d. 23. describi potest: Vnctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis corporis partibus, cum oleo ab Episcopo consecrato, à Sacerdote verba certa cum debita intentione proferente, ex institutione divina efficaciter significans gratiam, contra peccati reliquias, & ad sanitatem corporalem, si expediat, recuperandam. *Eius descriptio.* Hæc descriptio omnia continet, quæ de Extrema Unctione dici possent, tam pro ratione Sacramenti, quæ in signo efficaci gratiæ consistit, quam pro materia, forma, ministro, intentione & effectibus, quæ in sequentibus distinctè explicabimus.

Conclusio II.

MAteria remota huius Sacramenti est, oleum olivarum ab Episcopo consecratum, sive benedictum, quod & oleum infirmorum dicitur, ut distinguatur contra Chrisma, quo ungitur baptizati vertex, & quo Episcopi in sacris unctionibus passim utuntur. *Eius materia remota oleum olivarum ab Episcopo consecratum.*

Iacob. 5. Colligitur ex verbis promulgatorijs Jacobi epistolæ cap. 5. *Vngentes* (ait) *eum oleo*: in hoc enim quod *oleum* simpliciter & absque adjecto ponat, intelligendum est de oleo olivarum; in Scriptura enim universa nomen *olei* per se positum pro oleo olivarum supponit: Quod vero illud debeat esse ab Episcopo benedictum docet Concilium Tridentinum supra, & ex traditione Ecclesiæ deducit. An verò hæc benedictio olei infirmorum possit communicari à supremo Capite in necessitate simplici Sacerdoti? Mihi quidem pars affirmativa probabilior est: Etsi enim non sit Sacramentum absolutæ necessitatis, est tamen (ut dicemus) magnæ utilitatis: unde crederem in terris infidelium, ubi non resident Episcopi, nec facilè haberi possunt, Summum Pontificem hanc olei infirmorum benedictionem posse communicare Sacerdoti simplici, prout & de administratione Confirmationis ex nonnullis historijs constat, quod (salvo meliori judicio) sub eadem probabilitate propono. *Ex commissione Pontificia simplex Sacerdos potest illud consecrare.*

Conclusio III.

MAteria proxima est ipsa unctio in certis locis corporis, per modum crucis facta. *Materia proxima est unctio. Quotuplex hæc esse debeat.* In quibus autem membris fieri debeat? Universalis quidem doctrina est, in quinque saltem corporis membris, ubi sensus maximè vigent

debere

debere fieri; nimirum, ut explicat Concilium Florentinum in instructione Armenorum: *in oculis, propter visum; in auribus, propter auditum; in naribus, propter odoratum; in ore propter gustum vel locutionem; in manibus propter tactum; in pedibus propter gressum*: Addit & renes, *In renibus*, (inquit) *propter delectationem ibi vigentem*: Alij etiam addiderunt pectus. Verum credendum est, non omnes istas unctiones fuisse necessarias: & modo quidem usu sublata est unctio in renibus, & in pectore, quia necessariæ esse non judicantur, & honestati, saltem in fœminis, consulitur.

Con. Flor.

Unctio in renibus & pectore jã est sublata.

Petes 1. Quid faciendum sit, ubi infirmus aliquo, vel aliquibus membris, mutilatus est?

Mutilatus debet ungi in loco mutilato vel in parte proximiori

Respondeo: Illos debere vel in loco mutilationis inungi, vel proximiori parte membri mutilati. Et Ratio est, quia etsi mutilatus membro careat, non caret tamen potentia, quæ in illo membro suos habebat effectus, & quamvis per membrum illud peccare non possit ab extrà, potest tamen in peccatum, quod illo membro exteriùs complebatur, ab intrà ejusdem potentiæ concursu saltem objectivo peccare: atque adeò ut expietur peccatum, & adjuvetur potentia contra peccati reliquias, cùm membrum non superfit, vel in loco inctionis, vel in proximo loco unctio facienda est.

Petes 2. An sit necessarium necessitate Sacramenti, ut saltem in quinque locis sensuum externorum (pedes autem & manus pro eodem sensu computamus) unctiones fiant.

Respondeo 1. Necessarium esse ex præcepto, & extra casum necessitatis aliquam illarum partium à proposito & voluntariè omittere est peccatum mortale: quia est transgressio præcepti in re gravi, quæ Sacramenti proximam materiam alterat.

Debet ungi ex præcepto in 5. locis sensuum.

Respondeo 2. In casu necessitatis, ubi nimirum ægrotus moritur, & probabiliter timetur quod ante completas unctiones moriturus sit, practicè probabile est posse Sacramentum perfici una unctione, per formã tamen omnes sensus exprimentem, ex. g. *Per istam sanctam unctionem* &c. *Indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, gustum, odoratum, & tactum deliquisti*. Ratio est, quia cum anima sit tota in toto, & tota in singulis membris, quamvis actus sensuum in singulis membris non exerceatur, unica unctione in illa perficitur, quod ipsa unctione significatur, cum unctio ad sensus ipsos effectu spirituali non terminetur, sed ad ipsam animam, immo voluntatem, in qua est sedes gratiæ Sacramentalis. Et hanc praxim arbitror in necessitate sanctam & securam, prout & Doctores Lovanienses aliquando resolverunt:

In necessitate sufficit si ungatur in uno sub forma exprimente omnes sensus.

Dixi etiam in superioribus unctionem (*per modum crucis*) debere fieri, quod etiam arbitror esse præcepti, ut significetur crucem & passionem Domini in Sacramento singulariter operari. *Tom. III. Pars. III.*

Unctio per formam crucis est præcepti.

CONCLUSIO IV.

Forma Sacramenti Extremæ Unctionis est juxta Ritum e Romanum ab antiquo: Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum &c. deliquisti, *quæ ad singulos sensus nominato sensu in singulis unctionibus repetitur*. Ita Concilium Florentinum suprà: de qua hic nihil ampliùs dicendum occurrit.

Forma Extremæ Unctionis.

QUÆSTIO II.

Quis sit effectus Sacramenti Extremæ Unctionis?

CONCLUSIO I.

Effectus primarius Sacramenti Extremæ Unctionis est, gratia sanctificans ad remissionem peccatorum, si quæ remaneant, & corroborationem animæ in hoc ultimo cum dæmone conflictu ordinata.

Primarius est gratia sanctificãs.

Hanc Conclusionem docet & extendit Concilium Tridentinum sess. 14. in doctrina de Sacramento Extremæ Unctionis c. 2: ubi allegans & explicans verba Scripturæ Jacobi 5. *Res porrò* (inquit) *& effectus hujus Sacramenti illis verbis explicatur*: Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei: quæ explicat, ut sequitur: *Res etenim hæc gratia est Spiritus Sancti, cujus unctio delicta, si qua sint adhuc expienda, ac peccati reliquias abstergit; & ægroti animam alleviat & confirmat: magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando: qua infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores leviùs fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, faciliùs resistit*, &c. In quibus verbis compendiosè effectus omnes primariæ gratiæ Sacramentalis hujus Sacramenti Unctionis Extremæ ad amussim recensentur.

Conc. Trid.

Petes 1. Quæ peccata remittantur per Extremam Unctionem?

Per eam remittuntur directè venialia. Ea qui remittuntur.

Respondeo 1. Peccata venialia per se & directè remitti, accedente motu generali pœnitentiæ, vel amoris in Deum. Quod benè Notandum est: Si enim inungendus tempore unctionis aliquam adhuc voluntatem in peccato quantumvis veniali haberet, illud peccatum non dimitteretur ei, quia obicem ponit per complacentiam quam in illo habet: non est tamen opus, ut singularem à quolibet peccato homo habeat aversionem, sed sufficit ipsi generalis & communis conversio in Deum.

Respondeo 2. Peccata mortalia etiam per Extremam Unctionem aliquando [quamvis indirectè] remitti. Explico exemplo: Infirmus aliquis, fortè eodem die confessus, sed invalidè: ingravescente morbo obmutescit, ita tamen ut potentiæ interiores adhuc integræ sint, adeoque Divinâ gratiâ miserante conatur contritionem elicere cum voto Sa-

Indirectè etiam mortalia.

cramenti pœnitentiæ, si posset illud iterum suscipere: non potest autem, quia (ut supponitur) jam obmutuit, & Sacerdos, etsi adverteret signa, ob confessionem tamen pridie, vel eodem mane factam, non apprehendit, sed statim Extremam Unctionem illi subministrat. Credo ego in tali casu, etsi non esset perfecta illa contritio, quæ est per se peccati deletiva: esset tamen attritio illa conjuncta conversioni perfectæ, ex motivo misericordiæ & amoris Dei procedenti, ex vi hujus Sacramenti ipsi remitti peccata illa mortalia, quibus obligatur. Et idem dicendum est de peccatis oblitis & ignoratis ignorantia culpabili, si quæ infirmo insient, quia accedente illo supernaturali motu pœnitentiæ cum debito motivo, etsi ad complementum perfectæ contritionis non perveniret, sperarem talem virtute Extremæ Unctionis remissionem peccatorum accepturum.

Ratio assertionis. Ratio mea est: Quia ille, quod potest in hoc casu præstat, & cum sit perfecta attritione, quæ excludit omnem voluntatem peccandi, motivo amoris Dei ad Deum conversus, nullum obicem gratiæ Sacramenti ponere censetur: Et cum Sacramentum Extremæ Unctionis sit simpliciter ordinatum ad remissionem peccati, rationabiliter concluditur ipsi virtute Extremæ Unctionis peccata dimitti; Et textus Scripturæ Iacobi 5. id probat, quia simpliciter loquitur: *Et si* (inquit) *in peccatis est, remittentur ei*: ubi nomen peccati indefinite positum de quolibet peccato intelligi potest, & antonomasticos de peccato mortali, cùm remissio peccati omne peccatum includat, quia in peccatis mortalibus, unum absq; alio quoad culpam remitti non potest. *(Iac. 5.)*

Non dimittuntur tūc peccata ex voti Confessionis. Dices 1. In casu supposito dimittuntur ei peccata ex vi voti Sacramenti Pœnitentiæ.

Respondeo negando assumptum: Non enim peccata in vim voti Confessionis remittuntur, nisi perfectâ supposita contritione: hic autem ponitur tantùm attritio, etsi sub genere contritionis, quia ex eodem motivo: ponitur autem quod accedente gratiâ sanctificante ab Extremæ Unctionis Sacramento procedente, qui tantùm attritus erat, virtute Sacramentalis gratiæ, eminenter fiat cōtritus.

Nec in omni casu possunt per eam remitti mortalia Dices 2. Ergo generaliter dicendum est omnia peccata mortalia in omni casu per Extremam Unctionem remitti.

Respondeo negando consequentiam: Ratio est, quia quamdiu homo sensibus utitur, ita ut peccatum suum saltem signis confiteri possit, tenetur forum & judicium Sacramentale Pœnitentiæ subire, aliàs novo se peccato commaculat: Hic autem supponitur homo sensuum usu privatus, qui nec judicium illud suscipere possit, nec signis manifestare quòd illo egeat. Unde generaliter dico, salvo tamen semper sensu Ecclesiæ, & meliori Doctorum judicio, omnem hominem morientem, qui in illas angustias devenit, ut confiteri aut Pœnitentiæ Sacramentum suscipere non possit, si supernaturali motu, & amoris Dei motivo attritus convertatur ad Dominum, etsi ille motus ad contritiunis perfectionem non perveniret, virtute Sacramenti Unctionis Extremæ justificandum & salvandum.

Advertant ergo Catholici quanta sit utilitas, & in certis casibus necessitas Extremæ Unctionis.

CONCLUSIO II.

Qua dicātur reliquiæ peccatorum. **R**Eliquiæ etiam peccatorum remittuntur virtute Extremæ Unctionis. Dicuntur autem reliquiæ, quæ ex peccatis relicta sunt, ut sunt tĕpores, negligentiæ, indevotiones, inhabilitates ad bonum, non ut passiones naturales, vel naturæ advenientes sunt, sed ut peccati quidam effectus, & peccatorum sunt inductivæ, sive ut peccata saltem venialia secum trahunt, remittuntur autem inquantum culpam habent, vel pœnam temporalem in purgatorio mererentur, quæ etiam interdum dicuntur tolli ob alleviationem, confortationem & pios motus, quos gratia Sacramenti in anima causat, quiq; illam in tentationibus & angustijs illis extremis à peccato præservant.

CONCLUSIO III.

Effectus secundarius sanitas &c. **E**Ffectus secundarius Sacramenti Extremæ Unctionis, est sanitas corporalis, si interdum expediat.

Conc. Trid. Ita Concilium Tridentinum supra cap. 2. *Et sanitatem* (ait) *corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, homo consequitur.* Et hoc experientia docet, quam & ego Divina misericordia in me ad annum trigesimum ætatis manifeste, Deo laus, sum expertus.

QVÆSTIO III.

Quæ requirantur in suscipiente Extremam Unctionem.

SEx Conditiones in suscipiente Extremam Unctionem requiruntur.

Sex conditiones requisitæ. 1. Ut sit infirmus, neque enim homini non infirmo v.g. supplicio vel violenta morte afficiendo, potest dari.

2. Debet esse graviter infirmus, ita ut de vita periclitari judicetur, non est tamen expectandum, donec moriens sensibus destituatur, sed melius & utilius est adhuc pleno judicio pollenti Extremam Unctionem administrare.

3. Debet esse baptizatus, quia baptismus est janua Sacramentorum.

4. Debet fuisse compos mentis: amentibus enim & furiosis, aut perseverante in sania correptis non potest dari Extrema Unctio: potest tamen & congrue datur ijs qui ex vi morbi in delirium & amentiam cadunt, quia censentur illius capaces, & siquidem piæ vitæ fuerint, censentur illam desiderare: Nec opus est ut quis actu ratione utatur, ut constat ex illis, quibus omnes sensus & potentiæ morbo ita sepultæ sunt, ut illis sola respiratio appareat. *(Amentibus ex morbo potest dari.)*

5. Requi-

5. Requiritur, ut si sensibus & ratione adhuc utatur, Extremam Unctionem petat: nemini enim probabiliter invito administranda est.

6 Requiritur, ut saltem in actuali voluntate peccandi mortaliter non esse judicetur: qui enim in actuali voluntate taliter peccandi esset, ratione obicis, quem Sacramenti gratiæ ponit, mortaliter peccaret, & etiam Sacerdos sciens & videns illi administrans.

Petes An Extrema Vnctio in eodem homine reiterari possit.

Potest in eodem reiterari. Respondeo in eodem homine posse reiterari, sed non in eodem morbo. Ratio prioris est, quia sæpius diversis temporibus homo per infirmitates varias in periculum mortis devenire potest, & in morte armis illis spiritualibus indiget, & proinde illius Sacramenti necessitas frequentius recurrere potest: nec Extrema Unctio characterem vel aliud imprimit, cujus ratione iterabile esset. Ratio posterioris est, quia uni morbo, cum ad periculum mortis tendit, sufficit una armatura, & gratia, quæ in Sacramento Extremæ Unctionis datur, ratione totius hujus morbi datur, ut etiam adveniente morte homo illius virtute illam constanter subeat. Morbi autem diversi censendi sunt, quando quis ab unius morbi causis & effectibus liberatus, & sanitati sic restitutus est aliquo considerabili tempore, ut non censeatur mera recidiva: unde si postea cum alio morbo conflictitur, adveniente mortis probabili periculo, poterit adhuc inungi.

Sed non in eodem morbo.

Qui morbi diversi.

QVÆSTIO IV.
Quis sit Sacramenti Extremæ Vnctionis Minister,

Solus Sacerdos. NEcessitate Sacramenti Minister est solus Sacerdos. Patet ex Sacramenti declaratione Jacobi 5. Inducat Presbyteros Ecclesiæ &c. de quibus postea subjungitur: *Vngentes eum*, quod disjunctim intelligendum est, ut distinctim unus Sacerdos, unum singulariter inungat Nec potest hæc Vnctio non Sacerdoti communicari.

CONCLUSIO II.

Ex precepto quilibet à suo parocho debet inungi. NEcessitate præcepti quilibet à suo Parocho vel Sacerdote proprio debet inungi, vel si ab alio, de licentia & facultate proprij saltem implicita

Unde non licet alteri, qui facultatem non habet, aliquem infirmum inungere sub pœna Excommunicationis. Et hæc de Extrema Unctione & præparatione animæ ex hac vita egredientis sint dicta.

APPENDIX.

De ijs, qui subitanea morte, vel vehementi morbo cito corripiuntur, & cito excedunt ac moriuntur.

HÆc porro, quæ antea dicta à nobis sunt, de præparatione ad mortem, intelligenda sunt de ijs, quibus tempus sufficiens concedit Deus, morbo saltem aliquot dierum aut plurium languore; qui enim paucis interdum horis, vel pauco tempore corripiuntur, illis providendum est juxta circumstantias rerum & temporis: specialiter, ut statim confiteantur, & absolutionem recipiant, & (si fieri possit) Viaticum ac Extremam Unctionem: postea, si tempus super sit, supplenda sunt quæ necessaria aut congrua videbuntur, sive in spiritualibus, sive in temporalibus. De illis autem, qui subito obmutescunt, aut privantur sensibus, plura diximus tomo 1. tract. 4. tit. 4. q 3. dub. 7. *Curandum ut statim confiteantur &c.*

FINIS.



EPILOGVS AD LECTOREM.

EN (Candide Lector) ex multis, quæ ex SS. Scripturarum, Conciliorum, Patrum, & Doctorum semine studium concepit, animus peperit, obstetricante manu calamus eduxit, & tibi per præli angustias publicum fecit. Erratum est? Correctorem peto: Declinatum est? Directorem suscipio: Periclitatum est: lubens audio vocem etiam post terga monentis: Aliquid benedictum est? Deo gloriam volo; & SS. Patribus, ac alijs Doctoribus, qui suam mihi doctrinam mutuaverunt, gratias refero. Si hæc legis, patientiam exhibes, cujus remunerator sit Deus. Interim SPECULUM accipe, si Christallinum non est, sit Chalabinum, sit aqueum, per me refert. Hoc mihi sufficit: si (ut loquitur S. Gregorius l. 2. Moral. in Iob. c. 1. *interna* cujuslibet *facies* in ipso *videantur si* in eo *fœda, si pulchra nostra cognoscimus: si* ex eo *sentimus quantum profecimus, & à profectu quam longe distamus*, si denique in explicatione virtutum *quid imitando arripere*, & rursum videamus in declaratione vitiorum, *quid debeamus timere*: ut & explicatio virtutum *spem nostram foveat*, & declaratio vitiorum *ad cautelam nos humilitatis accingat*. Fave conanti, fove laborantem, pro bene volente obsecra. Vale & Vive. Stet & perennet Ecclesia Romana, cui SS. Apostoli Petrus & Paulus vitam cum sanguine dedicaverunt: Cujus Censuræ subjicio, & me, & omnia, quæ animus parturit, calamus edit. SOLI DEO HONOR ET GLORIA. Amen.

S. Greg.

F I N I S.

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

Quæ in hoc Tertio Tomo allegantur & explicantur.

Genesis

Exodus.

Leviticus.

Marci

Marcus.

Lucas

Ioannes.

verum

INDEX

RERVM PRÆCIPVARVM,

Quæ hoc tertio Tomo tractantur.

Prior numerus paginam, posterior columnam: Littera a principium, b medium, c finem columnæ indicant.

Æg

Avi-

Cogna-

Ad

Exa-

Ad

Obe-

ad-

Pro-

F I N I S.



